8
5 N
3

HISTORIA GOTTESCHALCI PRÆDESTINATIANI.

ET ACCVRATA CONTROVERSIÆ PER EVM REVOCATÆ DISPVTATIO IN LIBROS QVINQVE DISTINCTA.

QVIBVS ACCEDIT APPENDIX MISCELLANEA Ex Opusculis nondum editis, aliisque vetustioribus Historiam eam illustrantibus collecta.

Authore R. P. LVDOVICO CELLOTIO Societatis Iesu.

PARISIIS,
Apud SEBASTIANVM CRAMOISY, Regis & Reginæ Architypographum,
ET GABRIELEM CRAMOISY, via Iacobæa, sub Ciconiis.
M. DC. LV.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

SANCTÆ ET MAGNÆ

PARISIORVM ECCLESIÆ

ILLVSTRIBVS AC VENERABILIBVS

D. D.

DECANO

ET

CANONICIS

SERVATORIS OMNIVM MATRI

PVRE MINISTRANTIBVS.

MAGNA *magnis, ſancta ſanctis, diuina ſapientibus. Quid enim maius apud Catholicos eſſe poteſt eo Theologicarum turbarum æſtu, qui decennium & ampliùs reciprocantibus*

lorum finibus absoluta necessitate decreuit. Sic asseritur Deo potestas, ut libertas homini eripiatur: sic imperatur superbis modestia, ut religiosos inuadat desperatio.

Hoc idolum licentiæ, incentiuum vitiorum, nequitiæ siparium, adulterium Theologiæ, fidei perniciem, stragem animorum, nobili Constitutione sustulit Innocentius X. nomen profligandis hæresibus, fouendis præconibus veritatis, confirmandis fidelium mentibus natum: humanum arbitrium per gratias excitari docuit, quæ & mandatorum omnium expeditam faciant obseruationem, & nullam voluntati necessitatem inferant: vt beneficio Dei, merito nostro boni; negligentia, vel peruicacitate mali esse possimus. Voluit

à nobis piè sanctéque credi, & Dei Patris voluntatem, & Filij redemptionem in omnes penitus homines pleno flumine exundare, neque angusto vel fidelium, vel prædestinatorum alueo contineri. Aperta iam luce declaratum est, quod erat à Patribus antea, Conciliisque traditum, neminem bono malo-ve fato prodire in mundum; fabrum esse quemque æternitatis suæ. Assertum Christi sanguini pretium suum, actionibus humanis meritum, altaribus religio, Sacramentis efficacitas, spes deuotis, pax Ecclesiæ, politicæ prænuncia. Quisquis nunc aliter credit, extra Ecclesiam est.

Sunt hæc temporum nostrorum magna, sancta, diuina, quæ lectoribus hoc in opere exhibentur; &, quò gra-

tiora veniant, in imagine præcedentium. Monet enim Philoſophus, ipſa etiam monſtra ſpectari iucundiùs in tabula; & Nero Cæſar præſentis arenæ ſpeciem quæſiuit in ſmaragdo. Gotteſchalcus figura illa eſt; & maius portentum, hæretici conclamati patrona nouitas. Hîc leguntur fraudes, corruptelæ, odium, æmulatio, partium amor, ambitio, aperta vis, cæci cuniculi, politicæ factiones, omnia hæreſeos inſtrumenta, diſcordiæ fomites, flabella ſeditionum. Scandali prætextus, in omnium ore Scriptura, Patres, Auguſtinus. Sub iſtis & nos gemimus.

Si cui fortaſſe hunc in librum oculos libuerit coniicere, Senecæ ſapientis exemplo, in cauſa non abſimili, ali-

qua cum animi ſui voluptate intelliget, ſeculum noſtrum non nouis vitiis, ſed iam antiquitus traditis laborare: illos quoque maiores noſtros, quos celebramus laudibus, quibus diſsimiles querimur nos eſſe, *à malis non abſuiſse, quibus iactamur. Erunt qui ſuam ſibi quietem, inter grandia iſta Theologiæ diſsidia, gratulati, viſos ex alto ceterorum labores, & pericula recordentur, exclaméntque cum Lucretio,*

Suaue mari magno turbantibus
æquora ventis
E terra magnum alterius ſpectare periclum.
Non quia vexari quenquam eſt
iucunda voluptas:
Sed quibus ipſe malis careas, ea
cernere dulce eſt.

Humaniùs alij, audito ſeculi noni, & Gotteſchalci nomine, Valentini Canonis epilogum occinent. Recordetur fraternitas malis mundi grauiſſimis ſe vrgeri, meſſe nimia iniquorum, & paleis leuium hominum ſe duriſſimè ſuffocari. Hæc vincere ferueat, hæc corrigere laboret; & ſuperfluis cœtum piè dolentium, & gementium non oneret. *Crederes, ſatis non eſſe aduecta exteriùs damna, niſi nos & ipſi cruciaremus. Hæc illi, non prudentiùs profectò quàm veriùs.*

Ego interim, cui ex inſtituto ſtudiorum curſu, ſociis contra fluctus ventóſque luctantibus, otioſo eſse non licuit, eundem ingreſsus oceanum, & nouitatum ſcopulos multorum naufragiis infames præteruectus, dum ſe-

datur tempeſtas, ſperatúrque malacia, ſidus exopto, quod me ſecundo lumine aſpiciat; auram benignam conſector, quæ me reficiat; ſtationem quæro; quæ me recipiat, vbi palmulas quibus remigaui, vela & antennas quibus prouectus ſum, lembum ipſum quo vectus, in votiuum anathema deponam. Quid autem felicius, atque auguſtius omnia mihi vota pariant, quàm Mariam, & primarios eius Sodales, ex gemina illa pharo, non Vrbi tantùm regiæ, ſed etiam toti regno, atque Eccleſiæ collucentes? Num latent ſub illis turribus fundamenta religionis? Num ex præſtantibus illis ſeptis prodiit Otho Fliſcus, vt in Petri ſucceſſorem, & Hadriani V. nomen tranſiret? Num

in eodem Claustro sacram purpuram induerunt aut Decani, aut Canonici octo? Episcopos è gremio suo eductos minora dinumerent Capitula, Parisiense gloriam hanc non affectat: cùm plures etiamnum Galliarum prouinciæ Præsules infulatos videant, quos Parisiorum Ecclesia nutriuit in Canone. Quid Lutetiæ Proreges commemorem, aut septem Franciæ Cancellarios; siue ij amplissimum Magistratum ad infulas attulerint; siue post Ecclesiastica negotia magnificè curata, in eorum sinum secularis iustitia, & sigilla regia conuolarint?

Quòd si delicato cuiquam & fastidioso leuiora videntur ista, & huic causæ parum conuenientia (quanquam quid est in rebus humanis augustius?)

eadem cum eruditis lege placet viuere, quos ad vestram (VIRI PERILLVSTRES) *virtutis & scientiæ acropolim, labores suos deferre addecet, vt iure suo illos omnes occupet, & ad se rapiat. Hîc enim Theologiam video Scripturæ sacræ custodem, Patrum interpretem, mysteriorum enarratricem, hæresum quibus obscurantur, expugnatricem. Theologiam dico in Parisiensis Ecclesiæ scholis conceptam, è Petri Lombardi Parisiensis Episcopi Sententiis prognatam: Academiæ Parisiensis sudoribus, in omnem, quaqua patet Christi fides, terrarum orbem longè latéque propagatam. Mariam quippe parentem agnoscit Genouefa Virgo, & Mariæ parauiso cliuus Genouefianus as-*

ſurgit. Si Pariſienſe ſtudium Pontifices & Reges flumen Dei, fluentiſsimum fontem ſcientiæ, fluenta doctrinæ vſquequaque diffundentem, & vniuerſalis Eccleſiæ terram irrigantem *vocauerunt*; *eius caput eſt Mariæ ſacrarium. Si dixerunt* hortum *eſſe* irriguum fructiferis conſiliis; *Mariæ manu conſitus eſt. Si crediderunt* officinam eſſe ſapientiæ, ciuitatem litterarum; *Epiſcopos Canonicóſque Pariſienſes habuit architectos. Inter quos adhuc hodie ſedet Academiæ Cancellarius, vt Virginis beneficio docendi poteſtatem accipiant candidati, cuius ope litteras didicerunt. Cui tu muneri* (DECANE AMPLISSIME) *viginti annos, & ampliùs, tanta inte-*

gritatis atque doctrinæ gloria præfuisti, vt omnes rediuiuum in te Ioannem Gersonem mirarentur. Instituta igitur vestra, sunt Collegia, exhedræ, lectiones, disputationes, quibus aures nostræ assiduè circumsonant. Ex vestro armamur, stamus, pugnamus contra Nouitates: atque has præsertim, quæ Theologiam Scholasticam, qua se confodi sentiunt, hoc est, solem è mundo, tollere conantur. Quid Mæcenates circumspiciunt eruditi, quibus libros suos offerant? aut Theologi & docti non sunt, aut sunt vestri. Vbique Scriptoribus occurritis: & humanitas vestra putanda est, quòd aliis nominibus opera litterata signentur.

Quæret aliquis, Quid igitur cau-

sæ sit, cur ego vnus ex omnibus commune istud debitum vobis exsoluam? Duobus verbis facilè satisfacio. Et opus de vestro, & opificem vestrum esse. Historia enim Gotteschalci primarum partium actorem habet Hincmarum, in Parisiensi solo S. Dionysij Monachum: celeberrimæ eius Monasterii reformationis per Concilium Parisiense auctorem: ab Episcopo Cleróque Parisiensi Remorum Ecclesiæ donatum Antistitem: ad latus Ludouici Pij arcanorum participem: in aula & Regno Caroli Calui principem administrum. Eadem scena Ercamradum & Aeneam Parisienses Episcopos exhibet; atque hunc Gotteschalci iudicem apud Carisiacum; eius opinionibus mini-

mè assentientem apud Senonas, & perpetuum Hincmari amicum, quidquid æmula factio, vel tunc suis artibus efficere conata sit, vel modò nobis vario sophismate persuadere moliatur. In tota hac narratione agitur de veteri fide contra nouitates asserenda, in quam more maiorum ipso Canonicatus initi sacramento iurastis. De proscribendis erroribus, quorum satores ab exhedra vestra magno & labore, & decore vestro exclusistis. De tuenda colendáque Innocentij X. Constitutione recentissima, quam Parisiensis Archiepiscopus primus omnium tota sua Diocesi, laudatissimo Mandato publicandam curauit. Et erit qui opus his refertum argumentis non optimo iure ad Ecclesiam

Parisiensem deferri arbitretur?

De auctore semel dicam, eum esse qui vestrum Ordinem summa semper veneratione coluit: qui, vt olim Cyneas de Romana Curia dixit, tot Reges videre se, quot Senatores; ita vestrum consessum oculis dum lustrat, tot Episcopos videre se putat, quot Canonicos: qui eo in instituto, eaque domo viuit, quæ singulari vestra beneuolentia honoratur, beneficiis ornatur, humanitate recreatur: atque idem sentit, quod planè diuinum est, non posse se Societatis apud vos nomina exsoluere, absque noua debitorum adiectione. Gratiam quippe dum habet, accipit, & lucrum æstimat, dedisse, quod in manus adeo reuerendas deponit. Addo & ma-

ius, ſanctius, diuinius aliquid, quòd ad Mariam per vos penetrare conſilium eſt, & hæc ad eius Filij augendam gloriam ſcripta, cum fauore ſuſcipienda ſperat, quæ fideliſsimis peruentoribus probabuntur. Facietis munuſculo pretium, ſi gratum eſſe monſtratis: excitabuntur ad maiora, vobíſque digniora, vt magnis, ſanctis, ſapientibus, meditanda Socij, ſi gratiæ veſtræ repulſam non patitur omnium minimus, ſed in Seruatore Chriſto, & magna Matre, veſtris obſequiis,

VIRI CLARISSIMI ET REVERENDISSIMI,

Addictiſſimus in perpetuum
LVDOVICVS CELLOTIVS
è Societate IESV.

Augustinus in Psal. XXXI. *Enarrat.* II.

MVLTI enim pronunciant iniquitatem suam, sed aduersus ipsum Dominum Deum. Quando inueniuntur in peccatis suis, dicunt, Deus hoc voluit. Si enim homo dicat; non feci: aut, hoc factum quod arguis non est peccatum: non pronunciat nec aduersùm se, nec aduersùm Deum. Si dicat, Prorsus feci, & peccatum est, sed Deus hoc voluit; quid ergo feci? Hoc est pronunciare aduersùs Deum. Fortè dicatis: nemo hoc dicit: Quis est qui dicat, Deus hoc voluit? Multi & hoc dicunt. Sed & qui hoc non dicunt, & aliud dicunt, quid dicunt? Fatum mihi fecit; stellæ meæ fecerunt. Ita iam per circuitum ad Deum volunt peruenire. Per circuitum volunt peruenire ad Deum accusandum, qui nolunt de compendio venire ad Deum placandum, & dicunt: Fatum mihi fecit. Quid est fatum? Stellæ fecerunt. Quid sunt stellæ? Certè istæ quas in cælo conspicimus. Et quis eas fecit? Deus. quis eas ordinauit? Deus. Ergo vides quod voluisti dicere: Deus fecit vt peccarem. Ita ille iniustus; tu iustus: quia nisi ille fecisset, tu non peccasses. Tolle istas excusationes in peccatis.

Augustinus lib. II. *contra literas Petiliani c.* LXXXII.

NEC persequimur vos, nisi quemadmodum persequitur veritas falsitatem: nec ad nos pertinet, si quis vos aliter persequutus est. Sicut nec ad vos quidquid nostri similiter faciunt. Nec vos cogimus inquinari, si suademus sanari.

SVMMA

SVMMA PRIVILEGII REGIS *Christianissimi.*



AVTVM est authoritate Regis, ne quis in Regno eius, alijsve locis eius ditioni subditis, librum qui sic inscribitur; HISTORIA GOTTESCHALCI Prædestinatiani, &c. Authore R. P. LVDOVICO CELLOTIO, quouis charactere, aut forma excudere, aut alibi excusum vendere, alióve quolibet modo distrahere possit infra nouem annos, computandos à die absolutæ primæ editionis, præter SEBASTIANVM CRAMOISY, Regis & Reginæ Architypographum, Regiæ Typographiæ Gubernatorem, nec non vrbis Exconsulem. Qui secus fecerit, mulcta est indicta, prout fusius in diplomate Regio continetur. Datum Parisiis die 24. Aprilis, anni 1653. Sic signatum, de mandato Regis,

CRAMOISY.

Hæc prima editio absoluta fuit 28. Nouembris 1654.

**

FACVLTAS R. PATRIS PROVINCIALIS.

EGo CLAVDIVS DE LINGENDES Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Franciæ potestate ad id mihi facta ab admodum Reuerendo Patre nostro Præposito Generali GOSVVINO NICKEL Facultatem concedo, vt P. LVDOVICI CELLOTII Societatis nostræ Sacerdotis, Historia Gotteschalci Prædestinatiani, trium eruditorum ex eadem Societate nostra iudicio approbata Typis excudatur. Datum Parisiis, anno 1652. Iulij die 13.

CLAVDIVS DE LINGENDES.



LECTORI
ORTHODOXO HETERODOXO
RECTVM IVDICIVM IVDICARE.



TRIA huic Operi ab Auctore proposita sunt ad agendum.

Ecclesiasticæ Historiæ noni seculi, maior quàm quæ hactenus parta est; *Illustratio.*

Quæstionis Prædestinatianæ, vt eo seculo disputata est, Catholica *Expositio.*

Temporum nostrorum his in controuersiis adumbrata *Similitudo.*

Tribus hæc Tria conficiuntur.

I. Vera, miniméque fucata *Narratione* rerum à Gotteschalco, qui caput horum & causa tumultuum fuit, & ab aliis eius occasione gestarum.

II. Accurata *Disputatione* Controuersiæ, primùm cum ipso Hæretico; deinde mutato quæstionis statu, inter Theologos Catholicos, priuatis scriptis Conciliisque tractatæ: quæ singula diligenter excutiuntur.

III. Solida *Confutatione* nuper exortæ Dissertationis Historicæ & Chronicæ, qua tum Historia, tum Controuersia mirum in modum perturbatur: quę proinde solos hęreticos suffragatores inuenit.

Fusa sunt ea omnia per Tres Operis partes.

APPARATVM, LIBROS V. APPENDICEM.

Distinctiùs in hunc ordinem digestas.

APPARATVS AD HISTORIAM Gotteschalci Prædestinatiani.



INDEX
HISTORIÆ GOTTESCHALCI
PRÆDESTINATIANI ET CONTROVERSIÆ PER EVM REVOCATÆ

LIBER PRIMVS.

QVI ET

Gotteschalci primordia vsque ad errorum damnationem duobus Conciliis factam.

LIBER SECVNDVS

QVI ET

Gotteschalci Placita fusiùs explicata cum Ioannis Scoti congressu.

LIBER TERTIVS.

QVI ET

Flexus Controuersiæ inter Catholicos disputatæ.

LIBER QVARTVS.

QVI ET

Conciliorum in hac controuersia conflictus.

LIBER QVINTVS.

QVI ET

Extrema Gotteſchalci, ſed non controuerſiæ per eum reuocatæ.

APPENDIX MISCELLANEA
AD HISTORIAM GOTTESCHALCI,
Ex Opusculis eius seculi nondum editis, aliisque Tractatibus historiæ lucem allaturis collecta.

OPVSCVLVM IV.

FRAGMENTVM S. AVGVSTINI DE LIBERO ARBITRIO, Ex libris posterioribus contra Iulianum à solo Lupo Ferrariensi productum.

OPVSCVLVM V.

CONTROVERSIA SECVNDVM HINCMARVM, terminata per Innocentium X. postulantibus Episcopis Galliarum.

OPVSCVLVM VI.

DE IVDICIO DEI.

OPVSCVLVM VII.

AVCTOR ANONYMVS de Eucharistia.

OPVSCVLVM VIII.

DE IOANNE ERIGENA SCOTO IVDICIVM.

APPARATVS AD HISTORIAM GOTTESCHALCI PRÆDESTINATIANI.

SECTIO I.

Vita Gotteſchalci Monachi ex antiquis ſcriptoribus breuiter collecta.

Suſcepta neceſſitate diſputatio.

QVOD in baſilicis ſuis optimates, in priuatis tabernis vulgus promiſcuum facere ſolent, vt in propylæis ad ornatum, ad tutelam, ad indicium illuſtrem affigant imaginem, id hoc in opere mihi neceſſariò imitandum putaui; vt eius effigies de quo, & in quem magnis animis dicitur, proſtet in limine. Si te, Lector, monſtroſa viri facies prohibet ingreſſu, mecum facis, & hominem cum doctrina ſua, compendiò execraris. Si placet curioſiùs introſpicere, dabit vbique de ſe ſpectaculum Gotteſchalcus: neque deerit in ædium receſſu iucunda venatio, generoſos hinc inde laceſſentes propugnantéſque, & feram in medio, cauea clauſam repræſentatura. Suum erit cuiuſque de victoria iudicium, pro modo oculorum quibus certamen aſpiciet. Erunt profectò è ſpectatoribus, quibus iniqui venatores, crudelis inſectatio, Monachus ipſe pius atque innocens eſſe videatur: vt ingens periculum ſit, ſi quis ſine interprete & notore Gotteſchalcum, iudicium, pœnam, contentionem nominari inaudierit, ne totam facti inuidiam in eos deriuet, qui curaturi vulnerarunt. Metus hic eſt qui me ad ſpectaculum iſtud exhibendum adegit. Nam remotis allegoriis omnibus, ex animi mei ſententia apud te profiteor, quod olim Phœbadius Agennenſis, contra Arianos ſcribebat. *Niſi illam zabolicæ ſubtilitatis fraudem viderem, quæ omnium ferè ſenſibus occupatis, & hæreſim perſuadet vt fidem rectam, & fidem rectam damnat vt hæreſim, nullum omnino ſuper his quæ nuper ad nos ſcripta venerunt, ſermonem haberem, fratres cariſſimi. Sufficiebat enim conſcientia parua tenere quod credit; æſtimanti fore rectius tueri propria, quàm extranea & aliena diſcutere. Sed quia (vt diximus) aut hæreſis ſuſcipienda eſt, vt catholici dicamur; aut verè catholici non futuri, ſi hæreſim non repudiamus, ad hanc tractatus conditionem neceſſitate deſcendimus.* Tuo igitur, Amice Lector, ſpectandi deſiderio velificatus, imaginem explico.

Phœbad. l. co tra Arian.

L. I. c. II.

Parens alter, & inſtaurator eius controuerſiæ quæ iampridem turbat Eccleſiam, ita factus eſt ipſe controuerſia, vt in eo vix certi quicquam appareat. Nam ſi nominis etymon attenditur, *Gotteſchalcus* Dei ſeruus, & Dei deceptor, aut illuſor eſt. Si cognomen litteraria vrbanitate ab amicis ſuperadditum, *Fulgentius* dictus eſt, metus tenebrio, ſeu doctrinam ſpectas, ſeu carcerem penè vicennalem. Si mores quæruntur, *gyrouagus* Rabano Mauro vocatus, cùm dubitare velint nonnulli circa quas regiones errauerit: *garrulus homo & inquietus*, amico Lugdunenſi, quem Eccleſia ad carcerem damnauit, & ſilentium. Si de ſecta ambigitur, *Prædeſtinatianum* vocat Annaliſta Bertinianus, *nouorum Prædeſtinatianorum primicerium* Hincmarus: at veteres Prædeſtinatianos vnquã vllos extitiſſe, negant ij qui modò ſe videri volunt erudita nouitate ſpectabiles. Conditionem vitæ requirimus? *Miſerabilem Monachum* Lugdunenſis patronus appellat: qui ſi ſe talem ſenſiſſet, credíſ-ne ad mortem ita perſeueraturum? Dic autem Gotteſchalce, Tu quis es? quid dicis de teipſo? *Stultorum princeps*, inquit, *abrupta per omnia præceps.* Veriſſimè. Sed hoc ſapientiæ eſt, nomen elegiſſe proximè notitiam ſui. Neque certior patria. Scotiam, Belgium, Germaniam diuerſi aſſignant. Et pugnant regiones omnes vt eum abdicent, cùm pro adoptando Homero vrbes Græciæ litigarunt.

Nomina Gotteſchalco data.

Patria Gotteſchalci incerta.

Mores & ſtudia in monaſterio.

L. I. c. III.

Certum vnum, adhuc puerum, à parentibus pro temporum more, oblatum fuiſſe S. Benedicto, in Monaſterio Orbacenſi Parochiæ Sueſſionenſis. Ibi dum adoleſcit inter prouectiores, animo leui & inquieto, moribus ruſticis & inconditis, ad ſtudia litterarum ingenium attulit, neque hebes, neque acutum; memoriam ſine iudicio, vanæ oſtentationis ardorem, ſtudium nouitatis. Poëſim tentauit, parũ feliciter: Theologiam anno vix vno libauit, ídque inter aſſiduas externarum cauſarum occupationes: factus inde *ſciolus*, non doctus: *garrulus*, non diſertus; *nouarum quæſtionum auidus*, vel amicorum iudicio, *& indiſciplinatus ventilator.* Erat ſecu-

lum illud ferreo vicinum, Theologia litigatrix,
scientia in Patribus crudè allegandis, quæstio-
nes variæ, de Christi corpore in Eucharistia, de
cultu imaginum, de Prædestinatione diuina,
de liberò arbitrio, de Deo post resurrectionem
ocúlis corporeis videndo, de taxatione sangui-
nis Christi, & similes, non æquè omnes difficiles
& implexæ. Fuit igitur ambitiosi, postquam an-
nis maturuit, non virtute aut doctrina, eas se-
ligere ad excolendum, quæ & nouitatum fera-
ces, & admirabilitatis faciendæ capaces viderentur:
L. I. C. IV. X tur: in iis Augustinum plenis buccis concrepare:
de iis eruditos consulere per litteras, vt Ratram-
num Corbeiensem Monachum, Lupum Ferra-
riensem Abbatem, Matcaudum, Ionam, vt qui
de grege litterato vnus videri affectaret. Inter
hæc iactare se in Monasterio, iuniorum animos
suis nouitatibus accendere, grandia meditari.

Discedit à Monasterio. & Presbyter ordinatur. Nam dum ouiculæ istæ duci se sinunt, & vi-
cissim vanis assentationibus circa magistri simu-
lacrum balant, non potest diu teneri claustro
quietis impatiens, neque coërceri regula *indisci-
plinatus*, aut parietibus premi luxurians capri-
ficus. Exit igitur è Monasterio Gotteschalcus
inordinate nunquam eò reuersurus: Presbyte-
L. I. C. V. rum se curat ordinari *contra regulas* Ecclesiasti-
cas, non à Rothado Suessionum Episcopo, non
ab Hincmaro Remorum Archiepiscopo; sed à
Rigboldo Remorum Chorepiscopo seu Deca-
no, qui non multò pòst aduersus illum in Cari-
siaca Synodo cum iudicibus sedit. Et dubitarunt
Episcoporum Concilia duo, veré-ne esset, &
validè ordinatus.

Peregrinatur in Italiam. Hoc instructus viatico, specie religionis pe-
regrinatur in Italiam, circa annum Dominicæ
Incarnationis 845. Leone IV. Pontificiam sedem
L. I. C. VI. tenente. Romám-ne viderit, non facilè dixe-
ro. Pedes Nicolai I. Pontificis tetigisse, nouita-
tis fictio est. Constat aliquandiu apud Comitem
Eberardum habitasse, vnum ex Imperatoris Lo-
tharij principibus, Amoloni, Rabano, Hinc-
maro carum, non diuitiis, aut nobilitate, quàm
pietate illustriorem. Is cùm Monachis religiosè
peregrinantibus domum suam, tanquam nobile
L. I. C. VII. diuersorium, patere vellet; à Gotteschalco *simu-
latione vitæ religiosæ*, & opinione doctrinæ de-
ceptus, in ea cathedram pestilentiæ, nouis quæ-
stionibus agitandis, permisit erigi. Donec No-
tingus electus Episcopus Veronensis *in regia ex-
peditione* cum Rabano Mauro Moguntinensi
Archiepiscopo congressus, lumen illud Theolo-
gorum de hac Gotteschalci schola, & hæresi ad-
monuit. Quæ iam tum Rabano cùm displicerent,
multáque vltro citróque opponerentur, inter
eos conuenit, vt pleniore scripto per otium con-
C. VIII. futaret errores: quod & præstitit, *quid rectè
sentiendum esset, ostendens*. Interim nascenti ma-
lo ratus occurrendum, Comiti pestem aperit do-
mi latentem, monétque ne diutiùs apud se ser-
pere patiatur. Paret tanti amici consilio vir sa-
piens, *& bene Christianus*. & peregrinum cum
suis mercibus procul ablegat.

Prædicat barbaris gentibus. Monachus ergo turpiter eiectus, Dalmatiam,
Pannoniam, Noreiámque circumcursat, & abs-
que Ecclesiastica missione barbaris gentibus
L. I. C. IX. prædicat *nostræ saluti valdè contraria, præci-
puè sub nomine Prædestinationis, & exitiosa se-
mina* per exteras illas regiones *sator pessimus se-
minat*. Sed messe labori vano iniquissimè re-
spondente, venit in Germaniam *gyrouagus*. Vbi C. X.
cùm turbas agitare, & amicos per litteras qua-
quauersum solicitare pergeret, à Rabano Mau-
ro perductus in Concilium Trium Prouincia- *Damnatur in Concilio Moguntino.*
rum Moguntiæ, & eius præter ceteros, atque
Seruati Lupi disputatione, conuictus hæreseos, C. XII.
ab omnibus Germaniæ Episcopis adiudicatus car-
ceri, ad Metropolitanum suum, cum Epistola C. XIII.
Synodali remittitur, dato sacramento, nun- C. XIV.
quam vt in Germaniam pedem inferret: quod
prouisum est efficaciter.

Nam iussu Hincmari ductus ad Concilium *Iterum damnatur in Concilio Carisiacensi priore.*
Carisiacense, anno sæculi 49. & à Patribus de
doctrina moribúsque interrogatus, cùm neque
viris eruditis contrà disceptantibus, satisfacere;
neque facta sua probare posset Religiosis, in iu-
dicum omnium contumelias per summam impu-
dentiam prorupit. Eas ob res Synodali senten- C. XV. XVI.
tia de gradu Presbyteratus deiectus, excommu-
nicatus, hæreseos iterum damnatus, virgis, *se-
cundum Canones Agathenses, & regulam S. Be-
nedicti*, addictus, tandiu cæsus est, donec ad-
moto igne collectionum suarum libellum absu-
meret. In carcerem denique Altuillarensis mo-
nasterij detrusus, donec resipisceret; ac ne ve-
nenum latiùs diffunderet, silere iussus, grandi
& Ecclesiæ, & Hincmari Metropolitani sui dam-
no præfractè repugnauit. Tum profectò debuit C. XIX.
Remensis, & Capitula damnatis erroribus con-
traria, & Synodalem Epistolam impetrare à
Concilio, qua Ecclesiæ omnes & nouæ hære-
seos, & excommunicationis eius auctori irroga-
tæ monerentur; quod & vetus mos Ecclesiæ, &
tempora requirebant. Omissum est eo rerum ar-
ticulo, quod magno postea redemptum voluis-
sent Episcopi.

Sed dum intempestiua aut animi generosita- *Libros & Epistolas scribit in carcere.*
te, aut incuria peccat Hincmarus, loquacita-
tem exerit Gotteschalcus: ídque culpanda Hinc-
mari negligentia, quod nec Rabanus ipse silere
potuit: & per se suósque sparsis huc illuc litteris L. I. C. XX.
& libellis, bellum sua pœna sopitum redintegrat.
Ex omnibus supersunt integri libelli duo, Duplex
videlicet *Confessio*: quarum quæ *Prolixior*, tam C. XXI.
graphicè superbum & contumacem hæreticum
repræsentat, nullus vt vnquam Arius, nullus Ne-
storius illis coloribus fuerint notiores. Verùm
ne imperitorum fidei ea scripta illuderent, opu-
sculum edidit Hincmarus *ad Reclusos & simpli- C. XXII.
ces*, quo rem gestam in iudicio Gotteschalci retu-
lit, docuítque qua ratione, cum Ecclesia Patri-
búsque loquendum foret in quæstione perquàm
obscura. Quem librũ Ratramnus, sodali suo gra-
tificatus examinauit, & in nonnullis reprehen-
dit: sed perperam, Rabani iudicio, qui opu-
sculum Hincmari, ad se missum laudauit, eique
vicissim opus suum ad Notingum misit, profes-
sus se *in omnibus eius sana consentire doctrina*. L. I. C.
Gotteschalcus ex aduerso Amolonem Archiepi- XXIII.
scopum Lugdunensem sibi conciliare conatus,
plenas querimoniæ litteras, cum quibusdam
scriptis suis mittit, velut examinandis; re autem
vera, probandis, & aduersùs Hincmarum tu-
tandis. At vir sanctitate & eruditione illustris,
indicatis erroribus, grauíque censura notatis,
ad saniorem mentem, & expetendam demissè
Prælati sui communionem vehementer adhor- C. XXIV.
tatur. Qui verò stropham Hincmari eo in facto
confingunt, & ab ipso concinnata scripta, quæ

pro Gotteſchalcanis ſic improbanda offerret A-
moloni, ideóque non opiniones Gotteſchalci,
ſed Hincmari figmenta, fuiſſe ab illo damnata;
multùm profectò ſe vexant, vt veritate obſcu-
rata innocentiam calumnientur; & vtriuſque
Antiſtitis famam plumbeo pugione petunt, dum
patientia lectorum per ridiculas fabulas abutun-
c. xxv. tur. Florus quoque clari nominis inter eruditos,
eiuſdem Lugdunenſis Eccleſiæ Diaconus, do-
ctrinam Gotteſchalci Sermone vel Epiſtola, quæ
extat apud Hincmarum, impugnat, & profli-
gat. Ita crudeſcere pugna incipit, & ab vtriſque
partibus auxilia conquiruntur; habétque adiun-
ctum lateri ſuo Ratramnum Gotteſchalcus:
Hincmarus autem Rabanum Maurum, Amolo-
nem, & Florum Lugdunenſes.

Doctrina Gotteſchalci eadem quæ veterũ Prædeſtinatianorum.

Quæ porro ſit illa adeo conclamata miſerabi-
lis Monachi duobus Conciliis damnata doctri-
na, ſi quæritur, verbo dicam, veterum eſſe
Prædeſtinatorum, paucis mutatis, & verbis po-
tiùs, quàm ſententia. Videlicet, ſingulos ho-
minum neceſſariò & antecedenter ad bonum
gratiæ & gloriæ; aut ad malum culpæ & pœnæ
L. II. c. VII ſic eſſe prædeſtinatos à Deo, vt ſaluari, aut dam-
c. VIII. nari, etſi maximè velint, non poſſint. Non eſt
igitur quòd quicquam prædicetur hominibus,
aut cur per bona opera ſatagant declinare à ma-
lo, & facere bonum: quid enim proſint, aut
noceant bona malis, mala bonis, quando tam
eſt irreuocabilis & incommutabilis ea prædeſti-
natio, ſicut Deus ipſe inconuertibilis, & incom-
mutabilis eſt. Hoc vnum licet prædicare repro-
bis, vt orando leuiores pœnas faciant, quas vi-
tare non poſſunt. Ita tollitur ab homine liberta-
c. IX. tis conceſſa prærogatiua, quam & peccato pri-
mi parentis perdidit, arbitrio tantùm ad malum
infeliciter ſeruato. His poſitis, certum eſt Deum
illos tantùm vocare, & ſolis illis ſalutem velle,
c. X. Chriſtum pro iis ſolis ſanguinem ſuum fudiſſe,
qui ſic antecedenter prædeſtinati ſunt: neque
vocari vllum, aut Chriſti morte redemptum
eſſe, eorum quos eadem præſcientia & præde-
ſtinatio peccare cogit, & perire. Poſſunt qui-
dem reprobi qui baptizantur, dici baptiſmo re-
dempti, ſed non cruce Chriſti, aut morte. Quan-
quam Eccleſiæ ſacramenta perfunctoriè tantum,
& fruſtratoriè dantur omnibus, qui poſt eorum
perceptionem pereunt: nec illi per baptiſmum
verè incorporantur Eccleſiæ, fiuntque tantum-
modo corpus Chriſti ſimulatum. Quare ſoli præ-
deſtinati ad vitam, per baptiſmum in membra
Chriſti cooptantur, & verum corpus, vera Ec-
cleſia conficiuntur. Hæc eſt vera Gotteſchalci
doctrina.

Aliquando apertè, aliàs cautiùs ſuam propoſuit doctrinam.

Neque quenquam mouere debet, quòd ab
eo nihil ampliùs videatur aſſeri, quàm duplex,
aut gemina Prædeſtinatio ad bonos & malos,
ad vitam, & interitum extenſa: iuſtiſſimum in-
quam, reproborum interitum, poſitis eorum
peccatis, ante tempus omne à Deo præuiſis: quæ
prædeſtinatio neutram in partem mutari poteſt,
niſi leuem Deum & mutabilem facere volumus,
quod eſt blaſphemum. Hac in expoſitione quid
inuidia ipſa calumniari poteſt erroneum? Verùm
L. II. c. V. hæc ipſa expoſitio, ſecunda quæſtio eſt, merum
impietatis velum, & hæretici fallacia, qui cùm
ſuperiores opinationes ante Concilia nudè &
ſimpliciter euomeret, quas reipſa etiam frequen-
ter inuitatus, nunquam eiurauit, duobus Con-
ciliis damnatas, honeſtioribus verbis tegere co-
natus eſt, idque videri voluit ſentire, quod ca-
tholici quidam Theologi contra Hincmarum
diſputarunt. At reuera ſemper exiſtimauit, re-
probos antecedente & poſitiuo Dei decreto, ſic
eſſe ad mortem, & ad mortis cauſam, peccatum
ſcilicet, prædeſtinatos, vt illis ad vitam aſſur-
gere ſit antecedenter impoſſibile; quibus ne ſuf-
ficientia quidem ad ſalutem media conceduntur.
Sunt igitur illi populus præparatus ad mortem,
quos ab initio Deus fecit eſſe incorrigibiles. Et L. II. c. XI.
hanc diſſimulandi artem, quanquam ſeriùs, vi-
detur à Ratramno ſuo didiciſſe, cuius ea pro-
prius character eſt.

Aliud error Gotteſchalci circa Trinitatem.

Præter hæc capita quatuor, cum Prædeſtina-
tianis communia, quintum ſibi, & Ratramno
eidem peculiare, circa ſanctiſſimam Trinitatem
aſſumpſit, hac occaſione. Audiebat Hincmarus
Remenſis Archiepiſcopus theologaſtros quoſ-
dam de auguſtiſſimo Trinitatis myſterio pericu-
loſè certantes, & veteris hymni clauſulam *Te* L. V. c. IX.
Trina Deitas vnáque poſcimus, prauum in ſen-
ſum torquentes. Ratus exſtirpandam diſcordiæ
ſegetem, illam hymni ſtrophen ſua in Eccleſia
cani vetuit. Factum arripit Ratramnus, & Hinc-
maro propter vexatum ſodalem infenſus, & præ-
latorum ſuorum iniquus cenſor, (quippe qui
iam antea Paſchaſium Ratbertum, Abbatem ſuũ
Catholicè de Euchariſtia ſcribentem, callidè
hæretico ſcripto confutare auſus fuerat) atque
Trinam Deitatem rectè dici non modico volu-
mine ad Hildegarium Meldenſem miſſo demon-
ſtrare conatur. Adeſt magiſtro ſtolidior diſcipu-
lus Gotteſchalcus è carcere, & ſparſis huc illuc
per amicos litteris, ad extremum etiam iuſta
ſchedula occultè per eruditorum & Epiſcopo-
rum manus labente, donec ad Hincmarum de-
ueniret, cui maximè ſcribebatur, eandem pro-
pugnat ſententiam, ſed, vt alia, incautè & im-
peritè. Nam qui *Trinam Deitatem* in perſonis
& hypoſtaſibus, Hincmaro & Catholicis omni-
bus conſentientibus probare poterat, & debe-
bat; de natura, eſſentia, ſubſtantia diſputat tri-
nam eſſe, perſonis ſingulis ſuam indiuiduam &
propriam ineſſe naturam, vnum tamen Deum,
quemadmodum in primo Sacramentorum *trina
merſio, trinum & vnum baptiſma eſt, non tres*,
inquit, *merſiones, ſicut nec tria baptiſmata.*
Quare cùm oratio ad vnam perſonam dirigitur,
dicendum eſſe, *Tibi Deo gratias*, & ne aduerſùs
perſonas alias ingrati videamur, addendum,
vobis Deo gratias. qui autem dicere audeat, *Ti-
bi Trinitati Deo gratias*, Iudæum & Sabellia-
num videri. Errare imperitos qui dicant (dicit
autem Eccleſia, & errat iudicio Gotteſchalci)
*qui viuis & regnas cum Deo Patre, in vnitate
Spiritus ſancti Deus.* Dixiſſe Paulum *non regu-
lariter, fides, ſpes, caritas, tria hæc: maior au-
tem his eſt caritas:* & fuiſſe dicendum, *maior
horum*. Quæ & ſimilia non credo præcipitem
audacia ſciolum accepiſſe à Ratramno, callidiùs
erudito.

Prouocat ad iudicium Dei, & miracula.

Poſt has blaſphemias, *quas impudenti ore pro-
tulit*, auſus etiam eſt præfractus, & indomitus
animus, ab Eccleſia, ad miracula, & iudicium
Dei prouocare: vt ſi collo tenus in dolia qua- L. II. c. XIII.
tuor, oleo, adipe, pice, aqua feruentibus ple-
na, immerſus, inde ſaluus & integer euaderet,
tum ſaltem vera docere crederetur. Hoc mira-

APPEND. OPVSC. III. culo indigere Ecclesiam aduersùs hæreticos, quos Rabanicos appellabat. Contempta est importuni Thrasonis impia præsumptio, iudicantibus sapienter Episcopis, Catholicam fidem incerto, & præstigiis periuriisque obnoxio examini obiiciendam non esse. Visum ergo consultiùs opponi simulacro peruicaciæ, incorrigibili sciolo viros eruditos, qui scriptis disputationibus errores illius & ostenderent, & refellerent. Illorum duos à Lugdunensi scriptore nominatos accepimus, Ioannem Erigenam, cognomento Scotum, & Amalarium. Sed huius nihil nisi nomen superest: Nam sine dubio alius est ab eo, L. III. C. VIII. cuius libros de Diuinis Officiis, in lucem superiore seculo primus emisit Melchior Hittorpius. L. II. C. XIV. Ille autem dum res theologicas philosophicis argutiis cauponatur, & inficit, nouam de se quæstionem fecit, C. XV. à Prudentio Tricassino Episcopo confutatus; C. XVI. & ab alio scriptore, nomen Lugdunensis Ecclesiæ mutuato, quem nonnulli Florum eiusdem Ecclesiæ Diaconum esse falsò arbitrantur. Malè quoque tractatur in libro de Tribus Epistolis, & à Gotteschalcanis istis crabronibus tandiu punctus est & lancinatus, donec in patriam suam redire, & scholam tenere coactus est: vbi sanctitate & martyrio gloriosum decessisse, APPEND. OPVSC. VI. & historici nonnulli, & lapides sepulchrales loquuntur.

Scribunt alij de controuersia, iussu Caroli regis. Non poterant non esse ingratissimi tumultus illi theologici, per miserabilem Monachum excitati, Carolo Caluo Regi bellis externis penè obruto. Quamobrem siue cognoscendæ veritatis, siue terminandæ litis, & Episcoporum ad regni curas reuocandorum gratia: siue partium ipsarum instinctu & impulsu, peritos quosque de proposita controuersia consulit, & opinionem suam scripto iubet exponere. Nemo illorum non horret fatalis prædestinationis necessitatem: cogentem peccare & mortem mereri prædestinationem: homines ad interitum sic à Deo conditos, vt absolutè loquendo aliud esse non possint: & eiusmodi hæretica. In leuioribus quibusdam & controuersis liberiùs dissident ab Hincmaro, maximéque in verbo prædestinationis ad reprobationem impiorum applicando. *Seruatus Lupus Ferrariensis.* Paret igitur actutum Regis imperio Seruatus Lupus Abbas Ferrariensis, & paucis opusculis declarat L.III.C.III geminam prædestinationem bonorum ad vitam, malorum ad interitum, cum libero hominis arbitrio, absque fatali Prædestinatianorum necessitate admitti oportere. Sanguinis autem Christi taxationem ad solos fideles, & prædestinatos L.III.C.IV esse referendam. Cùm Ferrariensem appello, Moguntinum illum nomine item Seruatum Lupum, qui narratur à Trithemio, Gotteschalcum præsentem in Concilio reuicisse hæreseos, ab his opusculis remotum cupio; cùm manifestè omnia vnum parentem debeant agnoscere. Scripsit autem pari modestiæ & eruditionis laude C. V. Lupus Ferrariensis, sic alienus à Gotteschalco, vt tamen in articulis indifferentibus non adularetur Hincmaro: C. VI. sic eidem Hincmaro oppositus, vt amicitiæ leges nulla re violaret. *Ratramnus* Paret quoque Ratramnus, & quidem studiosè, C. VII. vt pro Gotteschalco, contra Hincmarum, & duos de Prædestinatione libros Regi Carolo inscribit, ad cuius tribunal controuersiam totam malè vult deferri: & Hincmari cotem metuere se non obscurè significat. His accessit non inuitatus, Galindo cognomento Prudentius, *Prudentius* Tricassinus Episcopus, C. IX. vir Hispanus, qui cùm antea pro partibus Hincmari, contra Gotteschalcum stetisset, rupto fœdere per occupata Remensis Ecclesiæ bona, in hæretici castra transfugit: & Collectaneo bene longo idem quod APPEND. OPVSC. IV. Lupus Abbas probare contendit. Horum tantùm in regno Caroli lucubrationes manibus adhuc nostris teruntur.

Liber Ecclesiæ Lugdunensis de Tribus Epistolis. Maius & diuturnius ab Imperio Lotharij discordiæ flabellum, vbi flagrabat odium Caroli & æmulatio aduersùs Hincmarum. Quid enim potiùs expectaret à Lothario Carolus, Hincmarus ab Ebbone? Clarum in hac contentione Lugdunensis Ecclesiæ nomen; L. IV. C. I. sed in Amolone, & Floro verum, in aliis suppositum. Quòd Amolo & Florus certi Lugdunenses, contra Gotteschalcum scripserint, antè iam dictum. In theologica controuersia, L. III. C. XII. si geminam prædestinationem excipis, eadem sensit Amulus, cum Hincmaro. Libri de Tribus Epistolis, cui præfixus Ecclesiæ Lugdunensis titulus, non leuis momenti est consideratio. Cùm enim sentiret Hincmarus negotium illud publicum ex priuato factum, alias Ecclesias trans Caroli regnum, de quæstione consulit, & ad diuersas, tres mittit Epistolas; L. III. C. XIII. suam vnam; Parduli Laudunensis alteram; tertiam Rabani ad Notingum, superiùs commemoratam: quibus & rem cum Gotteschalco gestam, & quæstionis statum, & quærendi consilij necessitatem exponebat. Quid responderint ceteræ, & vtrum omnino responderint, in obscuro latet. Vnicam eius argumenti habemus responsionem, C. XV. quæ falsò Lugdunensis Ecclesiæ nomen præfert, & æquè falsò eius antistiti Remigio, Amolonis successori proximo attribuitur. Perpetuam enim cum Hincmaro coluit amicitiam Remigius; C. XVI. at Hincmarum vellicat & cruentat hic auctor. Morum grauitate, & vitæ sanctitate præstitit Remigius; vix vllum virtutis vestigium in eo libello deprehenditur. Amolonis opinioni repugnat illius scriptor: quis hoc de S. Remigio sibi persuadeat? Hincmarus aliunde manifestè docet, eundem esse huius libelli auctorem, cum Capitulorum Concilij Valentini Compilatore, *Ebbo Gratianopolitanus eius auctor.* vt loquitur: Id si verum est, iam nobis dubitare non licet, quin Ebboni iuniori Gratianopolitano Episcopo sit assignandus, qui limis, vt aiunt, Hincmarum in auunculi sui sede aspiciebat, quam olim velut hereditatem spe deuorarat, L. IV. C. I. S. Remigij monasterio Abbatis iure præpositus. Itaque Lugdunensis Ecclesiæ nomen ab eo titulo excesse debet: neque iustiùs De tribus Epistolis indicatur, qui contra tres Epistolas scriptus est; & incerta loquitur, ita patrocinatus Gotteschalco, vt eius opinionem de Prædestinatione, *horrendam blasphemiam appellet:* L. III. C. XVIII. sic oppositus Hincmaro, vt eius de Christi redemptione sententiam *piam & honorandam*, neque omnino damnandam, esse prædicet: concordiam autem suadet omnibus, verbo tenus, ipse vnus omnium contentiosissimus.

Quæstiones in Conciliis tractantur. Erat lentior minusque efficax ad componendas Theologiæ lites, illa priuatorum consultatio: fuit ergo veniendum ad Concilia, illis temporibus frequentissima, *Concil. Carisiacum II.* quibus initium dedit Carolus Rex apud Carisiacum, vbi cæsus antea L. IV. C. III Gotteschalcus. Hic capitula quatuor, Gotteschalci erroribus contraria scribit Hincmarus;

iisque cum Rege subscribunt Episcopi præsentes, & Abbates Regulares: atque inter alios Prudentius Tricassinus. Qui mox tamen inaudita leuitate, [c. XII.] ad Conuentum alium Senonensem, pro Æneæ Parisiensis Episcopi ordinatione coactum, Tractoriam misit per legatum, qua totidem articulos Carisiacensibus oppositos, petit ab ordinando probari, aliàs eius consecrationi non præbiturus [c. XIV.] assensum. Sequutus alius nescio quis *de schola Gotteschalci, sensu delirus & insulsus*, vt describit Hincmarus, *lingua rusticus, contractus scientia, distractus iactantia*, tacito nomine suo librum componit *De tenenda immobiliter Scripturæ sacræ veritate*, quo eadem capitula Hincmari *discerpere, & hæretica demonstrare* conatur. Et isti Lugdunensis Ecclesiæ nomen falsò [c. XV.] inditum est. Neque titulo eodem dignus est liber alter, qui Absolutio cuiusdam quæstionis inscribitur, & de tota massa generis humani, merito primæ præuaricationis ad interitum damnata tractat, neque contentiosè, neque admodum eruditè.

[*Concilium Valentinum III.*] Maiore conatu Concilium Valentinum III. hactenus celebre, licèt parùm accuratè cognitum, aduersus eadem Capitula Carisiacensia in[L. IV. c. XIX.]surgit, eáque vt inutilia & noxia proscribit. Opus sine dubio Ebbonis Gratianopolitani; qui & [c. XVII.] Canones eius Concilij, tanquam Lotharij Imperatoris nomine, post eius mortem detulit in Galliam, eósque non Episcopis, quod decebat, [c. XXIII.] sed Carolo Regi tradidit: Rex Archiepiscopo [c. XXIV.] Hincmaro, vt iis satisfaceret: quod tribus libris opere priori de Prædestinatione copiosissimè confecit. Aliquantò pòst Episcopi iidem cum Ca[*Concilium Lingonense.* c. XXV.]rolo Rege Prouinciæ ad Synodum Tulli indictam conuenientes, in itinere apud Lingonensem vrbem subsistunt, vbi per Concilij speciem, Canones Valentinos in breuiorem formam redigunt, & Carisiacensium censuram obliterant. [*Concilium Tullense I. apud Saponarias.*] Ac diebus post quindecim, in Tullensi apud Saponarias Concilio generali, prouinciarum duodecim, cùm publicè legi & probari postularent, [c. XXVI.] adstantium sibilis excepti, auctore Remigio Lugdunensi *ad proximè futuram Synodū* remissi sunt, diligentiùs pertractandi. Eos nihilominus idem Remigius, biduò pòst Carolo Regi tradidit, & hic iterum Hincmaro, cuius gloriæ & doctrinæ insidiæ parabantur. Neque mutus, aut patiens [c. XXVII.] hoc in negotio Remensis Archiepiscopus, grandi libro posteriore de Prædestinatione (qui etiamnum superest, vltimus hac de controuersia scriptorum in Gallia) prolixè respondit, & Compilatoris nomine æmulum Ebbonem mordaci sale defricuit. Est recentissimus scriptor, qui [c. XXXII.] Canones Lingonenses à Nicolao I. probatos fuisse asserat; fabulæ. Quin potiùs hos omnes Ecclesiæ Gallicanæ tumultus per miserabilem [c. XXXI.] Monachum excitatos, ab Romanis Pontificibus alia curantibus spectatos fuisse credimus, & miramur. Prudentius quidem librum hac de controuersia scriptum esse à Nicolao primo ve[c. XXXII.]rè maximo Pontifice narrauit; sed Hincmaro non persuasit, & illud studio partium excogitatum fuisse, admodum probabile est.

[*Concilium Tullense II. ad Tusiacum.*] Denique anno 860. decennio damnati apud Carisiacum Gotteschalci expleto, coacta est Tulli apud Tusiacum Synodus generalis prouinciarum 14. aduersùs peruasores bonorum Ec[L. IV. c. XXVIII.]clesiasticorum. Vbi tacentibus Lingonensibus, siue Valentinis Episcopis, quorum Canones comperendinati fuerant, Hincmarus Remensis Archiepiscopus auctoritate Synodi am[c. XXIX.]plissimam dictauit Epistolam, in cuius priori parte res tractans theologicas, doctrinam de controuersis quæstionibus, Ecclesiæ, & B. Augustino, suisque Carisiacensibus capitulis consentaneam, Gotteschalci autem erroribus contrariam, obscuriùs & occultiùs pacis & concordiæ studio permiscuit, eáque magno Concilij assensu recitata publicè, & recepta est. Ita finis tandem impositus controuersiæ, nemine quicquam in posterum mutire auso. Nam quòd postea [*Conciliabulum Metense.* L. V. c. VII.] Theutgaudus atque Guntharius Germani Archiepiscopi, ad Metense Conciliabulum Hincmarum cum Gotteschalco adesse iusserunt, vt priora omnia iudicia retractarentur, inane fuit atque irritum: vocationem illegitimam contemnente Hincmaro, & magna sua gloria talibus Episcopis displicente. Legitur & Nicolaus Papa Liudonem Laudunensem diaconum, Caroli Re[L. V. c. VI.]gis & Hincmari legatum, super Gotteschalci negotio interrogasse. Arsenius vicissim ab eodem Pontifice missus in Galliam, ab Hincmaro idem quæsisse scripto dicitur: quibus & scripto, & per litteras, expositis eius doctrinæ capitibus, & [c. X.] moderata in carcere tractatione, facilè satisfecit Hincmarus: ipsúmque, si res & Pontifex po[c. IX.]sceret, Gotteschalcum Romam mittere iudicandum, liberali cum fiducia promisit. Sed reus eam lucem veritus, ad opus tenebrarum confugit.

[*Offensio Hincmari apud Pontificem & Regem.*] Nam cùm per ea tempora Remensi Archiepiscopo non satis cum Nicolao I. conueniret, in causa appellationis cuiusdam illusoriè per Rothadum Suessionensem Episcopum interiectæ, eúmque durioribus litteris increpuisset Pontifex; alia ex parte, ob abdicationem Wlfadi Remensis clerici, quem Rex carum habebat, ingens illa Hincmari apud Carolum gratia marcescere [L. V. c. XII] inciperet, toto sciuit vti Gotteschalcus, vt Guntbertum quendam Altiuillarensem Monachum, [*Guntbertus à Gotteschalco missus ad Pontificem.*] sua dignum amicitia, & magnificæ legationis capacem, Romam ad Pontificem legaret, querelas malæ tractationis laturum. Aufugit clam è monasterio Monachus effrenus, & multa variáque supellectile furto sublata, (sic enim talem legationem obiri decuit,) iter arripuit. Sed euentu vanissimo, cùm hactenus sit incompertum Romám-ne tetigerit, & Pontificem: & istis ganeonibus illas peregrinationes suadeat non pietas, sed libertas, quod in Gotteschalco iam antè vidimus. Repertus est nonnemo qui causā miserabilis monachi orans, Guntbertum diceret malis Hincmari artibus, & missis circumquaque satellitibus interceptum, & in fuga oppressum, vel in carcerem retrusum fuisse. quod insolens & inauditum nunquam Hincmaro ab inimicis, quibus gloria carere non solet, obiectum, [L. V. c. XIII] vt ridiculam fictionem reiicimus. Maximè cùm sciamus & Hincmari de retardata appellatione satisfactionem accepisse Pontificem, & Regem Carolum Hincmaro summus in rebus vti postea perseuerasse constanter, donec peruenit ad Imperium.

[*Mors Gotteschalci.*] Itaque Gotteschalcus dolis, vt loquitur ille, dedolatis, cùm omissis tot viarum amfractibus, vna eáque breui errorum eiuratione, & pœnitentiæ professione, ad quam sæpissimè inuitaba-

tur à Prælatis, molestias carceris, & perniciem animæ posset redimere, maluit in hæretica contumacia, & odio aduersùs Hincmarum consenescere, vsque ad insaniam, & nescio quæ reuelationum somnia; moriturum post annos tres & semis Hincmarum, tanquam nouum quemdam Antichristum: sibi autem Remensis Archiepiscopatus sedem deberi, in quo martyrium etiam facturus esset. Intrasse in sua viscera Trinam illam Deitatem, Filium in primis, & deinde Patrem, ac demum Spiritum sanctum, qui etiam ingrediens barbam ei circa os adusserit. Inter has nænias & deliria, in imum dementiæ deuolutus est, mortem impœnitentem, inuito & solicitè reuocante Hincmaro, frustra bene consulentibus Altiuillarensibus Monachis, quorum caritati commissus erat: Tandémque recusata subscriptione doctrinæ sancti Augustini & Prosperi, quæ per scedulam poscebatur ab Archiepiscopo, & censuræ absolutione neglecta, in hæresi & schismate blasphemans animam infelicem expuit. Incerto quidem & ætatis & seculi anno, sed vero simile est Concilij Suessionensis III. tempore, quod anno Christi 866. celebratum est, non fuisse superstitem, & paulùm sexagenario maiorem spirare simul, & turbare desiisse. Sic demum elatus est, vt decernunt Canones, sine psalmis & hymnis, in profano solo sepultura asini sepultus, non denegante Archiepiscopo priuatam iniectæ glebæ humanitatem: apud posteros omnes execratæ semper memoriæ; ab ipso etiam Iprensi Iansenio iudicatus errasse, quanquam extra prædestinationem. Gerardus quoque Vossius, cui ad plenam eruditionem præter Catholicam Fidem, nihil defuit, manifestè Gotteschalcum habet pro hæretico.

l. v. c. xiv. *c. xv. xvi*

Identidem renouata hæresis Prædestinatiana. *l. v. c. xvii.* *c. xviii.*

Ceterum Prædestinatianus error per eum reuocatus ab inferis, non ita cum eo sepultus est, vt Ruperti tempore non paruerint aliquæ eius reliquiæ; sed illustriùs postea suarum hæresum partem fecerunt Wiclefus & Husius; superiore seculo Lutherus & Caluinus, adscito impudenter S. Augustini nomine, renouarunt: ac demum nescio qua pietatis larua inducta, minùs horridus in animos imperitorum nostris diebus insultari cœpit, tumulo suo, vt hæreses ceteræ, vincente semper fide gratiáque, aliquando reddendus. Habes quam promisi, Lector, imaginem, seu vocare mauis, libri huius Epitomen, in qua cum Historia veterem odoreris Controuersiam, Antistitum Gallicanorum inter se. Verùm ad illam adire te cupio per nouam aliam, priuatim meam cum nonnullis Gotteschalci patronis, quos & hic cum cliente suo spectari necesse est.

SECTIO II.

De Recentibus quibusdam Gotteschalci patronis & laudatoribus.

Iacobus Vsserius primus Gotteschalci patronus.

VT nullum ægri somnium sine assertore philosopho, ita nulla causa conclamata, sine patrono est. Decebat nostrum seculum in septem præcedentium pedibus ire sententiam, & antiquitatis caniciei iuuentutem huius ætatis quam debet venerationem impendere, vt nostrûm omnium calculo probaretur, quod esset iam olim à Patribus definitum. Visum aliter nouantibus ingeniis, quibus nec ipsa veritas placet, si trito popularibus vestigiis calle occurrit. Enimuerò sapientiores se putant Daniele, vt loquitur Scriptura; & senes populi iudices in ius vocant, retractata causa damnandos. Primus, quod equidem viderim, Gotteschalcum ad examen reuocauit Iacobus Vsserius Armachanus, heterodoxus ab Hibernia, vir non ineruditus, sed Caluinianorum dogmatum tenacior quàm bonum virum oporteat. Is ante annos paulùm supra viginti, specie historiæ Pelagianæ continuandæ, Gotteschalci, & Prædestinatianæ Controuersiæ ab eo motæ Historiam dedit in publicum, & Gerardo Ioanni Vossio Arminianarum partium inter hæreticos asseclæ inscripsit: qui antea Pelagianam Historiam, & motus Gotteschalci proximè catholicam veritatem exposuerat. Quare cupidiùs arreptis quibusdam subsidiis, quæ Vossio defuerant, insuper & duplici Gotteschalci ipsius Confessione à Sirmondo nostro emuncta, totam Gotteschalci caussam ad vnguem nosse se arbitratus, stetit ad tribunal eruditorum, pro Gotteschalco contra Hincmarum. Sed & hoc ipsum Monacho illi miseriæ cumulum esse statuebam, hæretico videri catholicum. Itaque ne quid ad præiudicium desideretur, statim Iansenio, vti diximus, inter cetera persuasit, non errasse in re Prædestinatiana Gotteschalcum. Ita factus & Iansenianæ doctrinæ antesignanus, quod est iam ab aliis animaduersum; & eius sectæ quæ Gotteschalcum tuetur pro orthodoxo, Princeps & Patriarcha, qui se Primatem dicit totius Hiberniæ.

Alter V. Cl. Gilbertus Mauguinus Dissertationis auctor.

Inde vt vomentem Homerum, poëtas vndique eius frusta colligentes pinxit antiquitas, ita quæ profudit Vsserius, legit, & in stomachum suum demisit Iansenius Iprensis; verecundiùs ille quidem, vt à discipulis iterum moueri posset Camarina, & mephitim in Ecclesiam exhalare. Fecit hoc strenuè Vir Cl. Gilbertus Mauguinus Curiæ Monetariæ Præses amplissimus, à quo Historia Gotteschalci ad metas perducta est, & duobus editis Tomis, exposita Synopsis, Dissertatio Historica Chronica, Confutatio: Scriptores seculi noni, Ratramnus, Prudentius, Florus, Ioannes Erigena, magna nomina, refossi thesauri: qui tamen in Sirmondi musæo iampridem latentes, querebantur melioribus & vtilioribus ab editore identidem emissis, horam suam tandiu differri. Tantis munitus præsidiis, vir clarissimus, accurrit ad defensionem Gotteschalci, eámque se controuersiam *per annos viginti & amplius motam summa fide, nec minima diligentia retulisse* proclamat. De *Fide* déque veritate lis erit. *Diligentiam* concedimus, nostróque seculo gratulamur in distinctis diuiduisque vitis, vt ait Dionysius, ingenia reperiri, quæ cùm nunquam vel à limine Theologiam salutarint, subtilissimorum tamen eius mysteriorum vltra curas publicas capacia sint; ad quæ viri Ecclesiastici in otio litterario tota vita vix peruadant. Quin etiam, ex quo Caluinus incude Iprensi reformatus, turpis apparere desiit, felicitatem temporum vocamus, quod calamistrati trossuli in gynæceis,

matronæ in hemicyclis, sellularij opifices in triuiis, de prædestinatione, de gratia victrice, de arbitrio à coactione sola libero, alta sapiant disputéntque.

Comparatus cum Vsserio, quem sequitur.

Verùm licèt eruditum Theologiæ puluerem nunquam triuerit, sua tamen illum grauitas & modestia vetat ἀπαίδευτος videri: neque grati satis animi est dissimulare per quos profeceris. Vossij discipulus vocari non affectat, quem libro tricorpore ne semel quidem laudatum deprehendo. Vsserium ergo ducem sequitur & magistrum, qui signum sustulit ad bene de Gotteschalco sentiendum. Illum quidem Dissertator prudentissimus verbo reprehendere & reiicere videtur, si quando refellendi adest occasio: sed hæc amica repulsa est, & nominis tantùm pudet, quia manifestè hæreticus est; non pudet Gotteschalci, cuius affectator est hæreticus. Operi siquidem vtriusque vnica materies est, laudatus, defensúsque Gotteschalcus, Prædestinatianorum portio de necessitate fatali: assignatæ Augustino eius opinationes: Prædestinatiana hæresis ad fabulas amandata: aduersarij de hæresi Pelagiana infamati. Neque multùm distant via & ratione disputandi, cùm vterque seriem temporum sequatur, sæpe ex coniectura: sententias sententiis; Capitula Conciliorum Capitulis opponat: quicquid in vtranque partem scriptum reperit, afferat. In quo ille strictior, hic felicior, quia posterior est: ille vetera aliquot monumenta in Bibliothecis eruditorum latere peruidit, iste iam eruta & prælo subdita, consuluit: sed in oraculis illis planè [illegible]: ille quæ adhuc delitescunt, humaniter & modestè à possessoribus rogat, iste conuiciis repetit, & quasi ab inuitis extorquere conatur.

In quibus & qua ratione inuicem differentiant.

Alter V. Cl. Gilbertus Mauguinum Dissertationis auctor.

Atenim Vsserius *obscuritate quæstionis abutens doctores doctoribus, Patres Patribus, & Concilia Conciliis in magnum Ecclesiæ contemptum opponit.* atque hoc grauissimè in eo Præses Dissertator coarguit. Sed velum hoc est tegendæ societati cum heterodoxo initæ subtiliter excogitatum. Nam illos inuicem æquè, si non etiam inuidiosiùs committit Dissertator. Hoc tantùm discrimine, quòd Sectarius Concilium Carisiacum habet pro Concilio, hic pro Pseudoconcilio, Conciliabulo, Placito Regio: Hincmarum & Rabanum Maurum Vsserius inter Catholicos Patres & Doctores numerat; Præses hæreticis, impostoribus, Ecclesiæ perturbatoribus accenset. Differunt & in cudendæ formandæque monetæ methodo. Armachanus enim Gotteschalci doctrinam sic amat, vt eius mores & vitam, moderatè laudet, Hincmarum modestè improbet. Præses autem amplissimus amore nimio dogmatum Gotteschalci, eum tam efflictim & intemperanter laudat & deosculatur, Hincmarum tam petulanter omnibus probris & conuiciis turpificat, nihil vt illo innocentius, nihil isto perniciosius funestiusque dici & cogitari posse videatur. Lecto Vsserio temperatum de vtroque iudicium Lectori relinquitur, vt Gotteschalcus seueriùs fortasse quàm causa posceret, habitus fuerit ab Hincmaro; hic nihilominus doctus, & Catholicus, & Ecclesiæ Gallicanæ magnum lumen censeatur. Audito Dissertatoris vel vno capite sic vrgeberis ad Hincmari condemnationem, vt nisi deieraueris mendaciorum loquacissimum, sycophantam turpissimum, bipedum omnium nequissimum esse, sempiternæ inimicitiæ tibi cum auctore suscipiendæ sint. Video præterea fratres hosce in eo dissimiles, quòd prior sic narret quasi vltrò quæ profert in scriptoribus occurrerint: posterior omnes auctorum latebras, coniecturarum sinus, rhetorum locos stilo scrutatur, vnde Hincmari de propositis quæstionibus opinionem pessundet, & atterat; & ex omnium animis radicitus euellat; non quieturus quandiu vel fibra vna lectori adhærescet.

Hincmarus indignè tractatus à Dissertatore.

Illud contra bonos mores factum.

Cohorrui fateor ad malam venerandi Episcopi tractationem toto operis triplicis corpore, vitiliginis more sparsam: ad cuius aspectum non dubito quin lector paulò modestior mecum indignetur, si causa Gotteschalci aliter agi potuit, actam non esse: si non potuit, actam esse. Reperietur fortasse inter catholicos aliquis, qui Gotteschalcum quodam certo modo ab hæresi vindicari posse salua fide existimet: qui tanta conuiciandi libidine, & verborum petulantia egregium Antistitem lacerari bonis moribus consentaneum esse iudicet, inter graues & sapientes viros habebimus neminem. Sit enim Gotteschalcus Athanasio, si voles, sanctior, & magis catholicus, patiar libens cum cælo asseri, & noua *laici* hominis ἀποθέωσιν consecrari, si absque tam immoderata & omnes licentiæ fines prætergressa contumelia fieri potest. Quanquam de scriptore vno priuatim queror immeritò; quandoquidem communis ille toti factioni stilus est, vt quisquis cum eis paria non sentit, aut eorum nouitatibus repugnantia conscribit, stolidus passim audiat, profanus, imperitus: qui autem in illorum partes transeunt, vna nocte continuò, tanquam fungi, in Augustinos crescant, & Prosperos.

Acceptum ex eo conuiciandi exemplum.

Quapropter nemo nostrûm miratur hanc conuiciorum apothecam, maledicentiæ officinam, palæstram calumniandi non priùs apertam fuisse, quàm nouantibus omnibus mirificè probatam: quorum aliqui tam illustris Dissertationis auctoritate Gotteschalcum venerantur vt Martyrem; plures Hincmarum vt impostorem, mendaciorum loquacissimum, Catholicæ veritatis, & Ecclesiasticæ libertatis violentissimum oppressorem, crudelem tyrannum, virum conclamatæ fraudis & omnimodæ nequitiæ, contemptu & inuectiuis prosequuntur. Vidimus sæpenumero emissas è Regioportuensi plaga volitantes papyros, papilionum instar, istis refertas elogiis; neque solus Apologista Patrum, egregiam, scilicet, defensionem talibus pigmentis colorauit. Omnibus verò methodus vna est exclamare, insectari, indignari, subsannare, conuiciari, nudè & præfractè, nihil autem penitus illorum probare. Cur illud? Quia dixit Præses Monetalis; perorata causa est, contradixit nemo: Dissertatio Mauguini iam non hominis liber, sed folium Sibyllæ est. Imò verò piis & catholicis omnibus factio hæc est, & quidem vt in Romanis Circensibus, Russata: quis enim alius illi debetur color, post refricatas miserabilis flagrionis vibices? Quis autem eius signifer & præsul est, nisi Præses am-

plissimus Dissertator, qui fasces Episcopales ostentat in vexillo, sub quo qui tam alacriter militant, nescio an æquè libenter suis insignibus ornari velint.

SECTIO III.

Iudicium recentissimi scriptoris Ministri Hollandi de Gotteschalci doctrina, & de scripta ad eam defendendam Dissertatione.

Quale istud sit testimonium.

QVI verò maximè omnium famosum opus Dissertationis Historicæ Chronicæ & gratanter accepit, & suauiter deosculatus est, & prolixè laudauit, vt manna cælitus in Caluinistarum castra demissum, Samuel Maresius est, Groningæ apud Batauos Minister, nobilis Gomarista gladiator, qui translatum à se ex eodem Regioportuensi armamentario, in linguam Latinam Catechismum de Gratia, ne tantùm boni suos diutiùs lateret, nuperrimè commentariis illustrauit. Hîc enimuerò Gotteschalci doctrina mirificè probatur; hîc tota secta summis laudibus effertur in cælum: hîc Dissertatoris Præsidis eo stilo prædicantur encomia, quo catholicis omnibus perhonorificum fuerit vituperari. Sit ergo tertius post Vsserium Hibernũ, & Mauguinum Præsidem, Samuel Maresius Groninganus Minister, Gotteschalci suffragator, & eius in iudicio testimonium audiatur, eo maioris faciendum, quòd Caluinisticæ doctrinæ callentissimus, Iansenianam æquè cognitam in amicitiam societatémque suam humaniter adsciscit, vt coniunctis animis viribúsque oppositum sibi Tridentinum Concilium, cum Papatu pergant euertere. Quid est enim & rerum peritia, & mutua beneuolentia, & actionis societate ad obtinendam in iudicio causam efficacius? Audi scriptum lector, nuper visum Lutetiæ, sed malignè, ne aperta hæretici professio, factionis consilium ante tempus propalaret.

Gotteschalci doctrinam approbat hæreticus.
Synops. catech. grat. ad c. 4. nu. 41. pag. 60.
Ibid. ad c. 6. n. 65. pag. 100.
Ibid. ad c. 7. n. 61. p. 95. 96.

Vis, vt arbitror, exordium duci à Gotteschalco, fabulæ huius actore primario. Maresius Minister lecta Mauguini Præsidis amplissimi Dissertatione, Gotteschalcum *Genuinum Augustini, imò scripturarum discipulum*, graphicè vocat, cuius doctrinam *cordatè tuitos esse olim catholicos*, asserit, *quorum monumenta nuper emisit amplissimus & doctissimus Mauguinus*. Illius igitur *meias dikas* de duplici prædestinatione sic probat, auctoris Catechismi mentem enarrans. *Vnde meritò causæ Gotteschalcianæ hodierni vindices, duplicem Dei prædestinationem propugnant, alteram ad vitam, alteram ad mortem.* Cuius autem conditionis sit illa prædestinátio, ex eiusdem auctoris animo sic exponit.

De duplici prædestinatione.

Prædestinationem facit certam, infallibilem, peremptoriam, irreuocabilem, adeóque suo sensu absolutam, eorum videlicet qui sunt *in massa lapsus, & corruptionis per Adamum, ex qua solùm possunt fieri vasa misericordiæ, & iræ. Quæ sententia est Ecclesiarum Reformatarum, earum confessionibus expressa, & tam apertè proposita in Canonibus Synodi Dordracenæ, vt nemo id negare audeat, qui vim suæ conscientiæ facere noluerit.* Atque hanc absolutam prædestinationem inferiùs exponit, monstrátque esse antecedentem, duobus axiomatis æternæ veritatis. quorum prius est, *Destinans Deus ad finem, destinat ad media.* Posterius: *Deus nemini destinat media, nisi ei quem ad finem destinauit.* Quo nos argumento Gotteschalcum monstramus in opere, Deum auctorem peccati facere, quia peccatum, medium est necessarium ad reprobationem: quare, si Deus antecedenter & absolutè prædestinat ad mortem, eadem necessitate & ad peccatum prædestinat. Hîc autem meminerit Dissertator clarissimus, Prædestinatianos ante Caluini hæresim nullos extitisse, ex sua sententia: proindéque Caluinum & eius sequaces pro Prædestinatianis agnoscere. Iam ergo colligamus ex Maresio. Qui duplicem prædestinationem absolutam & peremptoriam propugnant, idem sentiunt cum Ecclesiis Reformatis Caluinianorum, qui sunt Prædestinatiani: atqui causæ Gotteschalcianæ hodierni vindices duplicem prædestinationem absolutam, & peremptoriam propugnant: ergo causæ Gotteschalcianæ hodierni vindices idem sentiunt cum Ecclesiis Reformatis Caluinianorum qui sunt Prædestinatiani.

Ibid. n. 61. pag. 98.

De libertate arbitrij
Mares. in c. 3. catech. n. 19. pag. 30.
In c. 5. nu. 47. pag. 72.

De libertate arbitrij sic inter cetera pronunciat idem Caluinista Maresius, Catechistam suum exponens. *Non quamlibet necessitatem repugnare intrinsecæ libertati voluntatis, sed propriè & maximè coactionem.* Et alibi. *Licèt necessariò peccent, tamen non peccant coacti, sed volentes.* Eodem pertinent & merita, quæ in Catechista suo sic appellari non patitur Maresius, sed opera bona vult dici, *abusiuè, perperam, & catachresticè, merita.* Vnde docet, propugnatam ab auctore Catechismi *doctrinam gratiæ, aduersari operum meritis, vt antea monui*, inquit. Dixerat autem antea *agnoscere istos eruditissimos viros* (Iansenitas) *quòd vbi plus est gratiæ, ibi minus sit meriti.* Addiderátque. *Verba ipsius Iansenij de Gratia primi hominis c. 16. haud pigebit annotare, ex quibus constabit omnia merita propriè dicta, & de condigno, quæ Iesuitæ tantopere vrgent, in schola Iansenitarum, siue potiùs gratiæ, planè euanescere.* Quamobrem & alibi sic gloriatur & triumphat. *Sic videmus paulatim in medio Papatu reuocata solida & consolatoria gratiæ doctrina, meritorum humanorum, & iustificationis per illa nebulas dissipari, & viam sterni regiam, ad illam de iustificatione gratuita per fidem, orthodoxiam, quam Protestantes omnes amplectuntur.*

In c. 7. nũ. 61. pag. 97.
In c. 6. nu. 64. p. 86. 87
In c. 3. nu. 31. pag. 44.

De gratia sufficiente.
In c. 1. nu. 7. pag. 19.
In c. 2. nu. 13. pag. 25.
In c. 4. nu. 33. pag. 47.

De gratia, licèt cum Gotteschalco non sit disputatum, ex vicinia tamen argumenti, placet addere sectarij sensum, sufficientem omnino nullam dari à Deo. Est enim apertissima Caluinistæ assertio, *Perperam fingi à Molina, Lessio, Suarezio, & aliis Iesuitis, gratiam omnibus dari sufficientem, cuius efficacia ex vltronea liberi arbitrij determinatione suspendatur.* Inferiùs quoque cùm Catechista dixisset, *gratiam esse semper efficacem*, addit Scholiastes, *Sic corruit inepta & importuna Iesuitarum, & aliorum gratiæ distinctio, in sufficientem & efficientem.* Iterum negante Catechista gratiam ad credendum necessariam omnibus dari, obseruat Commentator. *Hic iterum sufficientem & vniuersalem Iesuitarum & similium gratiam, de ponte deiici.* Ac demum vbi docuit ignorantiam diuini iuris inuincibilem, semper esse peccatum, sic disputa-

In c. 6. nu. 58. p. 92.

tionem concludit. *Porrò dum eruditus Catechistes statuit, Gentiles non potuisse Deum cognoscere ad salutem, eo ipso reiicit axioma Iesuiticum de gratia sufficienti, semper præsenti omnibus adultis, etiam maximis peccatoribus. Hinc Iansenius contra Iesuitas l. 3. de gratia Christi Saluat. cap. 1. ostendit nullum dari auxilium sufficiens post lapsum, quin simul efficax sit. & c. 11. gratiam sufficientem infidelium à Semipelagianis excogitatam esse.* Redeo ad Gotteschalcum.

De redemptione Christi.

Cuius absolutum dogma est, Deum non omnes homines saluos velle, sed eos tantùm quos reipsa saluat: proinde pro solis electis mortuum esse Christum. Qui sunt articuli duo Catechismum gratiæ terminantes, in quorum expositionem multa congerit Scholiastes, cum commendatione non vulgari eorum Catholicorum qui *cordatè olim tuiti sunt Gotteschalcum Monachum, & amplissimi Manguini, cuius*, inquit, *iam sæpius, & in præfatione memini*, ne quid minus gratiæ amico suo, per quem ad confirmandas opiniones suas profecit, debere videatur. Paucissima tantùm hinc delibo. Cùm enim dixisset Catechistes, Christum morte sua quibusdam è reprobis gratias transitorias meruisse, ne quid in lectorum mentibus dubij resideret, vt crederent, verè ergo & pro illis *quibusdam* mortuum esse Christum, sic edisserit. *Neque in rei veritate, neque ex viri docti* (Catechistæ) *principiis potest statui Christus mortuus pro illis reprobis: cùm certum sit neminem ex illis seruatum velle Dominum: & Christus pro illis demum mortuus sit, quorum vices sustinuit in Cruce, & exhausit omnia peccata, ne illis imputarentur ad condemnationem, quod nulli conuenit reproborum.* Quamobrem ad extremum docet, quod est Gotteschalco magis consentaneum, necesse esse solos electos verè iustificari per sacramenta: *Adeòque non nisi æquiuocè, apparenter, & specie tenus fideles & iustos dici debere, eos reprobos qui fidem & iustitiam in Ecclesia visibili ad tempus profitentur.* Quod cùm manifesti Caluinismi metu, non ausus esset in superioribus Catechistes apertè eloqui, hoc ipsum ex principiis suis sentire probat, erroris sui socios in Papatu, vt loquitur, quærens Scholiastes. *Igitur cùm doctissimus Catechista asserit, iustos, & iustificatos fuisse multos qui pereunt,* (quæ Catholica est assertio, sed huic doctori non conueniens) *aut palam propria sua deserit principia, ceteroquin verissima, quod de illo nemo sanus suspicabitur: aut per iustos & iustificatos qui finaliter deficiunt, intelligit eos, qui tales duntaxat fuerint, non reipsa, & coram Deo, qui nouit qui sui sunt, sed professione, & hominum opinione tenus.* Et pro Gotteschalco satis.

In c. 6. nu. 65. 66.

Ibid. p. 101

Ibid. p. 106

In c. 4. nu. 41. p. 60.

Ratramni doctrinā laudat Caluinista. Præfat. p. 8.

A quo ad Ratramnum, siue Bertramum breuis excursus est, cui Maresius Præsidis Dissertatoris encomium adiungit in hæc verba. *Exosculamur itaque sincerum amplissimi Præsidis iudicium, quòd liber Ratramni, siue Bertrami, de corpore & sanguine Domini, non aduersùs Catholicam Ecclesiæ doctrinam, sed contra Stercoranistarum hæresim scriptus fuerit.* Dictum istud quo sensu velit accipi mox significat. *Non enim quæ hodiernæ Pontificiorum doctrinæ aduersantur, eo ipso censeri debent contra Catholicam Ecclesiæ doctrinam conscripta fuisse.* Hoc ait. Possunt scribi plurima Pontificiorum, siue Papistarum doctrinæ contraria, quæ tamen cum Catholica Ecclesiæ doctrina conueniant: nam Pontificiorum Ecclesia, Catholica non est. Prosequitur in exemplo Bertrami. *Non scripsit Bertramus aduersus Catholicam Ecclesiæ doctrinam, cùm Prædestinationem Paulinam, & Augustinianam vindicauit, contra eos qui tunc surgebant nomine Catholico: etsi Reformati, quod eandem profiteantur hodie, Acatholici dicantur Iesuitis.* Argumentum hoc, vocant ad hominem. Fateris Præses amplissime, Catholicè scripsisse Ratramnum de Prædestinatione, quod & nos Reformati Caluinistæ cum eo docemus: habuit tamen aduersarios qui se Catholicos dicebant, & nos eandem ob rem vocamur Acatholici, hoc est hæretici: agnoscis igitur contra Pontificiorum doctrinam cum discipulis Caluini posse doceri aliqua, quæ sint Catholica. *Similiter nec aduersùs Catholicam Ecclesiæ doctrinam insurrexit, cùm ea scripsit de Eucharistia, quæ hodiernæ in Papatu doctrinæ tam aduersantur, quàm bene consentiunt cum Reformatorum sententia, quæ etiam in eo veræ antiquitatis Catholicæ premit vestigia, licèt ideo ab aduersariis hæretici proclamamur.* Breuiùs dico. Multis disputas Bertramum de Eucharistia nihil scripsisse contra Catholicam Ecclesiæ doctrinam: & tamen certum est multa scripsisse Papistis contraria, Caluinistis conuenientia; doces ergo Catholicam de Eucharistia doctrinam non tradi in Papatu, sed apud Caluinum in Ecclesiis Reformatis. Videbit Præses ingeniosus qua se ratione ex huius conclusionis laqueis extricet: quando priores propositiones pro veris agnoscit. Nam id quo animo tentare possit non video, si ob illud ipsum patrocinium Bertramo præstitum magnopere laudatum se eo loco legerit. *Cùm attendo*, inquit, *ad laudes veri & puri Catholicismi, quas amplissimus vir Gilbertus Manguinus Præses longè doctissimus, qui nuper emisit duobus tomis distinctas, suas Vindicias Prædestinationis & gratiæ, plenas bonæ frugis, confert in Ratramnum siue Bertramum Corbeiensem, adeò vt ne leuissima quidem prauæ doctrinæ suspicio in illum cadere possit, vix possum aliud mihi persuadere, quàm viros illos emunctæ naris aliquid nunc odorari in transsubstantiatione & missa, quod ab antiquitate puriori, & verè Catholica longissimè recedat.* Quam in rem cùm multa subiiciat contra *portentosam Papatus sententiam* vt appellat, quæ est de transsubstantiatione, & orali corporis Christi manducatione, in summam eius ratiocinationem sic colligo. Certum est ex Præsidis doctissimi disputatione, Bertrami libro purum & verum Catholicismum contineri circa corpus & sanguinem Christi: atqui dogma Pontificium de transsubstantiatione euertitur, & doctrina in Caluini Ecclesiis recepta adstruitur eo libro: ergo dogmatis de transsubstantiatione euersio, & doctrinæ Caluini confirmatio est verus & purus Catholicismus secundùm Præsulis doctissimi disputationem. Vnde confidenter alibi Catechismum explicans, asserit *non excusari ab idololatria, qui adorat hostiam in manu sacrificuli, putans esse Christum: eò quòd ne leuissima quidem præsumptione quis sanæ mentis queat suspicari, vel crustum esse Christum, vel Deum esse id quod manducatur.* Sic arma deferuntur ad infideles: hoc fructu *vindiciæ plenæ bonæ frugis* eum scri-

Laudatur ab hæretico Dissertator, quòd Bertramum defenderit. Præfat. p. 6. Diss. c. 17.

Maref. in c. 6. Cath. n. 58. p. 90.

ptorem laudant & complectuntur, quem probati Catholici vt hæreticum reiiciunt, hæretici pro suo agnoscunt.

Aliæ eiusdem laudes.

Sunt hæ quidem satis viro graui, qui se Catholicum haberi velit, pudendæ laudes à perduelli professo; sed in iis iste non definit; quin potiùs librum totum suum amplissimi Præsulis auctoritate & doctrina perspergit: vt cùm ait, ipsum *se cordatè Sirmondo opposuisse*, in refellenda

Ibid. ad c. 4. num. 32. pag. 46.

narratione de hæresi Prædestinatiana. Cùm in merito mortis Christi ad Prædestinatos solos referendo, *ex monumentis quæ nuper emisit Amplissimus & Doctissimus Mauguin*, atque ex eius mente, tradit omnia. Cùm *scholam Gratiæ, humilitatis, fiduciæ, gratitudinis; vt Scholam Pelagianorum & Iesuitarum, scholam esse superbiæ, anxietatis, ingratitudinis* affirmat, qui sensus est, & penè verba Dissertatoris. Cùm in explicanda libertate nostra ad bene agendum, in eius sententiam concedit, negantis *voluntatem eo ipso tempore quo peccat, potestatem proximam habere recedendi à malo*. Et ex eius inuentione atque auctoritate, Canones Lingonenses scribit à Nicolao I. Pontifice confirmatos, quod nunquam factum monstramus in opere: ac postremò cùm controuersiam *de auxiliis* contra Iesuitas, secundùm doctrinam *quæ à Catechismo gratiæ proponitur*, à Pontificibus Romanis compositam fuisse ait, *vt nos docet Amplissimus Mauguin*: multùmque optat censuræ Molinianæ diploma prodire in publicum, *sic enim magis innotesceret*, inquit, *concordia discors sedis Romanæ, ac videremus in oppositis Iansenitarum & Iesuitarum castris hinc inde Pontifices, Pontificiásque censuras, adeóque pares aquilas, & pila minantia pilis*. Quam Reformatis animis dignam voluptatem, Præses amplissimus gratificari bonis fratribus non distulit: sed eam monetam nota & auctoritate sua signatam emisit in publicum, quam permirum est apud Hollandos Caluinistas nondum esse vsualem.

Ibid. in c. 6. nu. 65. p. 101.

In c. 5. nu. 45. pag. 68.

In c. 2. nu. 14. p. 25.

In c. 6. pag. 110.

Ibid. p. 111.

SECTIO IV.

Eiusdem Ministri assertio de Iansenitarum cum Caluinistis consensu.

Iansenitarum Caluinistis idem sentiunt.

QVOD sectæ fratres, appello Caluinistas, verbo iniuriam abesse volo, si verè fratres non sunt. Sed & illud plerique iam Catholici altè prædicarunt, & noster hic Maresius tam frequenter, támque apertè pronunciat, vtrorumque dogmatis intimè perspectis, vt à quoquam absque temeritate & stupore negari posse non videatur. Enimuerò iam inde ab Epistola Dedicatoria profitetur, in quinque capitibus, quæ celeberrima Synodus nationalis Dordracena explicauit, *in omnibus ὁμοψήφους habere doctissimos Iansenitas, aduersantibus & ringentibus Iesuitis*. cùm duobus antè versibus dixisset, *quasi illis contra Iesuitas laturi suppetias, quo tempore à Iesuitis tam longè recedebant, tam propè ad nos accedebant in ipso Papatu Gratiæ Dei solidi propugnatores*. Atque alibi Catechismum, quem Latinè reddit, non veretur appellare *apologiam Catholicorum pro Ecclesia Reformata; quandoquidem meliores ac doctiores illius Communionis, hac in parte ὁμοψήφους tam prolixè & euidenter habent*. Hæc quidem in principio: neque minùs asseueranter in termino, post explicatum celebrem illum Catechismum, cuius auctorem ait, *vulgo censeri Curionem siue Parochum ad S. Mederici Lutetiæ* (secundum intellige, nam primus Catholicas partes egregiè tuetur) *Hactenus visum*, inquit, *ex Catechismo gratiæ Iansenitarum, ipsos sentire cum Paulo, cum Augustino, cum Ecclesiis Reformatis in grauissimis hisce Religionis Christianæ capitibus, eáque ponere principia certa & indubitata, ex quibus constabiliantur & colligantur multò plures veritates inter nos, & Pontificios hucusque controuersæ*.

Epist. dedic. p. 3.

Præf. p. 13.

Præfat. p. 11.

Mantissa. pag. 108.

In quibus priuatim consentiant.

Quibus porro in articulis? Iam indicati quinque, *De Prædestinatione, Redemptione per Christum, Libero arbitrio, Conuersione Peccatorum, & Perseuerantia Sanctorum*. Item in doctrina de Gratia. *Notat* enim *idem tenera in capitali hac controuersia sentire Pontificiorum Iansenitas, quod docetur in nostris Ecclesiis, & Canonibus Synodi Dordracenæ fuit definitum*. Illud est quod conceptis antè verbis docuerat Nemausensis Minister Claudius Rossélletus in Responsione quapiam Arausicæ Prouincialis conciliabuli auctoritate conscripta: vbi Catholicos sic compellat. *Nónne in sinu vestro Iansenistas fouetis, Molinistis, Doctoribus Iesuitis oppositos in Gratia & Prædestinatione? Nónne articulos illos secundùm doctrinam S. Augustini exponunt? & in eo nunquid nobiscum in fide conueniunt? Homines fertis quoddam doctrinæ nostræ caput profitentes, & pati non poteritis Lutheranos nobis adiungi?* Eadem mens est Labadij bis apostatæ, Iansenitas fortiter adhortantis ad deponendam laruam, & quam mente concipiunt Caluini doctrinam, publicè declarandam. Reuocor ad Maresium. Idem de transsubstantiatione, & orali manducatione Eucharistica iam dictum à nobis, & rectè collectum à Scholiaste ex apologia Bertrami per amplissimum Præsidem facta. Vnde verè admonet, *Transsubstantiationis dogma valdè nutare apud eruditos illos, & Iesuitis importunos gratiæ precones*. Item in reiiciendo Sanctorum cultu, quod ex Catechista suo exprimit. *Incipit procuidubio & hic suis cordatis propugnatoribus affulgere gratia Dei, vt sub illius lumine tacitè, & indirectè suæ communionis ritus hac in parte superstitiosos, & idololatricos taxare & reiicere incipiant*. Item in mouendis luxandísque sacramentis Ecclesiæ. Nam de pœnitentia ex Catechista suo sic obseruat. *Interea & hic monemus, Pœnitentiam ab erudito viro distingui haud immeritò à Baptismo, & aliis Sacramentis, &c. quo sanè tacitè insinuat, non sibi placere, quòd Pœnitentia à reliquis doctoribus suæ communionis, Sacramentis annumeretur*. De Eucharistia autem ineunte libro sic narrauerat, rhetoricæ præteritionis artificio. *Aut narrare quid illis quæstionibus immixtum fuerit ab Arnaldo Sorbonista valdè docto, de Publica Pœnitentia restituenda, de frequenti communione Eucharistica, quam Iesuitæ potissimum innexerunt, abroganda*.

Epist. dedic. pag. 3.

Præfat. p. 10

Cl. Rossell. Respons. ad I. B. la Barre Iesuit. Arausicæ an. 1650.

Ibid. pag. 4

In c. 4. nu. 35. pag. 48.

In c. 4. nu. 41. pag. 63.

Præfat. p. 2.

De contemptu Sedis Romanæ.

Quod sequitur, ingentem campum aperit similitudinis inter sectam vtranque, si non etiam societatis ad contemnendam, & euertendam Romanam Sedem, si portæ inferi præualere possent aduersùs eam. *De Petro & Paulo coniunctim*

fundatoribus sedis Romanæ, illiúsque primis Episcopis agnoscendis: quod vltimum mirum non est tantoperè displicuisse parasitis Romani Pontificis: Et vniuersè de tota disputatione ab academiis ad templorum ambones, & ipsas tonstrinas

Præfat. p. 3.

educta, sic philosophatur. *Ad veritatis triumphum, & Antichristianæ sedis subuersionem imminentem, has controuersias de Gratia omnino spectare. Cur id dicam, imò cur planè sperem. Dei gratiam suis vindicibus hodiernis maius lumen cum tempore affusuram, ad Antichristianismi, & Idololatriæ in Papatu euersionem, graues habeo rationes. Primò enim ipsius Papæ auctoritas sensim labascit, non solùm per ea quæ ab Arnaldo Sorbonista, eiúsque sequacibus scripta & facta sunt: sed etiam per has ipsas controuersias de gratia: in quibus Pauli & Augustini sequaces, plurimas defendunt ac tuentur propositiones, quas Pius V. Gregorius XIII. & Vrbanus VIII. in Iesuitarum gratiam censura notauerant: vt asserit ipsa censura Romana huius opusculi Catechetici, quod Latinum nunc damus. Imò quantùm percipio, hanc ipsam censuram, ceu subreptitiam, nec obligantem, naso suspendunt adunco.* Quare

Ibid. p. 11.

& somnia sibi fingit Pseudopropheta. *Quòd motus illi conuulsiui, quibus nunc subest Communio Pontificia, magnam in illa reuolutionem, & quidni sacerrimæ illius Sedis euersionem? portendere videntur.* Sed hæc tantùm prolusio est. Pugnat autem seriò in opere, cùm ait, & in Catechistæ

In c. 4. nu. 36. pag. 50.

doctrina obseruat. *Hîc autem videmus quàm Pelagianè, ingratè, & impiè, Pius V. in sua Bulla contra Michaëlem Baium Louaniensem Theologum pro Iesuitis emissa, has optimi viri assertiones nigro notauerit calculo.* Quibus productis subiicit, *quæ omnes assertiones, vt eminenter hîc proponuntur à nostro Catechista, insuper habita Bulla Papali, ita formaliter habentur apud Augustinum, vt ab ipso Iansenio obseruatum.* Eodem spiritu, qualem suis Caluinus infundit, relata Innocentij X. Bulla, huius Catechismi peremptrice, monet hæreticus,

In fine pag. 110.

Inquisitionis Romanæ tribunal, esse tribunal Iniquitatis, cui vt plurimùm, nihil displicet nisi veritas. Nondum tamen ausos esse sacerrimos illos Inquisitores aduersùs hæreticam prauitatem, prauitatis hæreticæ doctrinam gratiæ palam insimulare. Hinc illæ ad-

Ibid. p. 111.

hortationes rebellionis plenæ, *Auctorem Catechismi súsque déque habiturum, si sapiat, pœnas Paparum comminatorias.* Suóque ad id exemplo animat, *Quoad nos,* inquiens, *inuitis Papa, Diabolo, Inquisitione, Iesuitis, securique sub lauro gratiæ fulminum Ve-Iouis Tarpeij, hanc opusculi illius versionem & elucidationem ad gloriam gratiæ diuinæ alacriter adornauimus.* Et communiter ad omnes eius factionis antesigna-

Præfat. p. 12.

nos. *Vt illis ipsis doctissimis & eloquentissimis viris inter aduersarios, generosos illos suos conatus in causa Dei & gratiæ gratulemur, eósque, quod decet veritatis studiosos, ad tendendum plus vltra inuitemus.* Quam gratulationem magnificè habemus expressam in laude Catechistæ, quòd Michaëlis Baij propositionem à Pio V. damna-

In c. 4. nu. 37. pag. 51.

tam reposuerit. *Macte illa vestra virtute, viri docti, quòd audeatis in os resistere impio illi Pontifici, qui in suorum Iesuitarum gratiam, damnata orthodoxissima sententia, puri puti Pelagianismi putidam & impiam protectionem susceperat.* Vt iam non mirer perhonorificas appella-

Epist. dedic. pag. 2.
Pag. 49.
In c. 3. nu. 31. pag. 43.

tiones, sine quibus vix vnquam nominantur. *Cordatiores, & solidiores Theologi ipsius Romanæ communionis. Heroës, fortissimi Athletæ gratiæ. Et hîc generosi isti gratiæ diuinæ Athletæ ex indirecto Monachorum deprimunt supercilium, & imaginaria consilia perfectionis Euangelicæ subruunt* Denique iure optimo doctrinam illiusmodi asserit

Præfat. pag. 11.

debere propalari, & vrgeri in Caluinisticis academiis, & per eas. Ideóque summarium eius, siue Catechismum à se Latinitate donatum esse *in aliarum nationum gratiam.*

pag. 12.

De repudiata palam Concilij Tridentini doctrina.

Possum addere, abiectissimè habito ab vtraque factione supremo Ecclesiæ Capite, verè & absolutè reiici ab illis, quantumuis peritè dissimulent, Concilium Tridentinum, & vniuersam Ecclesiam in eo sanctissimè congregatam. Duo dico, reiici eius doctrinam, sed cum dissimulatione: & vtrumque Marcsius, vbi se dat occasio (dat autem frequentissimè) demonstrat: siue apertè contraria Tridentino legat, suo in Catechista: siue quæ iste palam enunciare non audet, in Scholiis ex eius principiis deducat. Prioris generis istud est, vbi de concupiscentiæ destructione in hac vita. *Hîc paucis verbis,* in-

In c. 2. nu. 17. pag. 28.

quit, *multi errores Iesuitici & Papistici reiiciuntur. Hinc enim 1. constat grauiter errare Tirinum, cùm statuit fretus auctoritate sui Concilij Tridentini.* Et alibi, cùm de peccato originali.

In c. 6. nu. 48. pag. 77.

Vtris verò credemus, an Apostolo, & Augustino, ac Iansenitis, statuentibus concupiscentiam in actu primo esse verè & propriè peccatum: an Iesuitis ex Conciliabulo suo Tridentino, impudenter & imprudenter asserentibus sub anathematis pœna, &c. Eodem loco in fine sectionis, Catechistam laudat, quòd infantibus sine baptismo morientibus, pœnam sensus, ac non tantùm damni assignet, contra Tridentini sensum.

Ibid. p. 78.

Quamuis Augustini sententia nemo suffragatus sit in Conciliabulo Tridentino, Patribus infectis etiam hac in parte Iesuitarum tum subnascentium veneno, tamen causa gratiæ resurgente, & originali peccato ad veritatis lancem expenso, cœpit & illa sententia vnà defendi, vt hîc fit ab erudito Catechista. Item vbi de necessitate gratiæ Christi.

In c. 4. nu. 36. pag. 50.

Conciliet qui poterit hoc verum assertum, cum anathematismo Tridentino. Videt igitur assertionem Catechistæ, definitioni Tridentini repugnantem, & Tridentinum in eos anathematismum vibrans qui dixerint, quod profitetur Catechista.

De eadem occultè neglecta.

In c. 6. nu. 51. pag. 81.

Posterioris generis manifestum est istud exemplum, *Cæca reuerentia quam viri illi eruditi volunt videri deferre Concilij Tridentini decreto, effecit vt hoc loco Catechistes noster, intricatiùs paulò loqueretur. Attamen si eius steterimus principiis, nihil erit in his verbis quod orthodoxum,* (secundùm Caluinum) *& verum sensum non queat admittere.* Quod posteaquam pluribus ostendit, ad extremum in hæc verba concludit.

Ibid. p. 84.

Igitur doctrina ipsa viri docti, vera est & sana, (iudicio Caluinistæ) *etsi eam minùs explicitè proposuerit: quod non auderet palam & directè Conciliabuli Tridentini anathematismis refragari, quamuis illos ex suis principiis detestetur, ac detestari debeat.* Eiusdem est farinæ quod inculcat alibi, cùm Catechistes Tridentinum Concilium maximè venerari videtur. Ad hæc enim Scholiastes. *Et viri docti* (Iansenitæ) *populari*

In c. 4. nu. 40. pag. 57.

artificio hanc Gorgonam Concilij obiiciunt suis

aduersariis, qui proram & puppim suæ causæ in illo Conciliabulo collocant. Ac mox. His verbis erudita subtilitate euertunt ipsum Canonem Concilij Tridentini, quo tamen niti videbantur. Sic enim de Catechismo loquitur, tanquam de opere plurium manibus, omnium sensu fabricato. Redit deinde ad vnum auctorem. Etiam hic, metus fulminis Tridentini, doctissimum Catechistem ad aliquam crypsim adegit. Ac deinde, Etenim si vir doctus à seipso palam nolit dissentire, & sua verissima principia deserere, statuere debet, &c. Sed sufficiet mihi ipsa doctissimi viri commemorare principia, quæ sunt planè ἀσύμβατα cum defectione, & perditione æterna eorum, qui per Gratiam D. N. I. C. iustificati, & iusti semel fuerint. Quibus fusissimè expositis eò deuenit, vt asserat, Catechistam non solùm in apparente, at non reali iustificatione reproborum, voluisse declinare inuidiam impugnatæ ac reiectæ doctrinæ Concilij Tridentini, etsi illi ex diametro eius principia reluctentur; quæ ostendit ipsi esse communia cum Gotteschalco, vt & hunc sciamus ab eodem Concilio fuisse damnatum. Sed insuper consultò declinasse alium doctrinæ suæ obiectum in Papismo scopulum, per Sacramentorum efficaciam ex opere operato. Inde enim sequeretur, omnes etiam reprobos Sacramentis dignè participantes gratiam de facto consequi, vt definitur Concilio Tridentino. Sed cùm hæc paradoxa vir eruditus sentiret, non minùs pugnare cum suis principiis, quàm veram & propriè dictam iustificationem per Christum, aliquot pe euntium in æternum: nec tamen auderet palam hoc vlcus tangere, nebulam sparsit, per quam euaderet. Neque obseruat infrequenter verecundiam illam deferendi Concilij Tridentini, aut affectatam eius professionem, quod reapse doctrina sua euertunt. Sic enim expressè articulo superiore, quo versibus quatuor, bis Tridentinum citatur, dixerat. Non erat cur hic Concilij Tridentini fieret mentio, vbi tam perspicua est ipsa Scriptura: Sed Concilij Tridentini hic facta est mentio à Catechista, quòd sentiant viri docti, ex hac potissimum mole Tridentina, Iesuitas gratiæ doctrinam impugnare, nec tamen ausint palam illi renunciare. Ne contemptim præteri, Lector, huius obseruatiunculæ grandes articulos omnino tres. I. Iesuitarum doctrinam de Gratia, niti potissimùm doctrina & auctoritate Concilij Tridentini. II. Non audere Iansenitas publicè renunciare Tridentino, licèt principia illi repugnantia doceant & tueantur, vt antea monstratum est. III. Citari ab iis Concilium Tridentinum, non in articulis controuersis, sed in manifestè veris, & aliunde testatissimis, vt eo modo illius venerationem simulent.

Ibid. p. 58.

Ibid. p. 61.

Ibid. num. 37. pag. 55.

Quamobrem rectè admonet idem Scholiastes, Iansenitas nonnunquam conari cum vulgo suo loqui. Et de ipso Catechista priuatim, studere loqui cum vulgo suæ communionis, sed sapere cum melioribus. Qui possunt autem illi meliores esse Maresij iudicio, & sensu, quàm Caluinistæ? Vnde cùm dixisset Catechista, teneri nos cooperari gratiæ Dei, correxit Scholiastes, hac vox, inquiens, è triuio Theologiæ Pontificiæ desumpta, cum grano salis hic sumi debet, ex ipsius auctoris mente. Noluit enim per hanc vocem introducere collateralitatem gratiæ & arbitrij, quam Synergistæ, & Iesuitæ sunt commenti. Atque cùm alio loco meriti vocem vsurpauit, admonuit Scholiastes, nomen meriti catachresticè hic vsurpari, pro bono opere. Etenim agnoscunt isti eruditissimi viri, quòd vbi plus est gratiæ, ibi minus sit meriti. Ac postea. Itaque cùm omnia nostra bona opera, omnes resistentia nostra carni & peccato, in solidum, iuxta fortes hos gratiæ defensores, gratiæ Dei in nobis agenti debeantur; eo ipso nihil meriti propriè dicti, & de condigno habent, nihil mercedis debitæ consequuntur. Quam annotationem oportuit additam, vt separemus pretiosum à vili, & si quando verba Catholica mente hæretica sonuerint, ab iis caueamus, quorum sermo serpit vt cancer.

Quod aliter loquatur, quàm sentiant.

In c. 6. nu. 65. p. 103.

In c. 3. nu. 21 p. 32. & c. 6. nu. 54. pag. 85.

In c. 5. nu. 44. p. 67.

In c. 6. nu. 54. pag. 86. 87.

Hæc opinione mea prolixiùs, ex auctore adhuc recente ex prælo, delibata, oculis tuis, Lector, subiicio, vt æstimes, quantùm causæ meæ faueat ille sua Gotteschalci & Dissertatoris Præsidis laudatione, quos ad eam sectam pertinere non dubitat, quam euertendæ Romanæ sedis, & Concilij Tridentini doctrinæ vult esse natam: quam in omnibus ὁμόφωνον, καὶ ὁμόψηφον Caluinianis Cathedris agnoscit: cuius placita & Catechismo, & Dissertatione tradita, (hæc enim duo tantùm opera producit in medium) vult vrgeri & publicari in academiis Caluini, & per eas vbicumque libitum aut licitum fuerit. Quapropter hoc aditu fatearis necesse est, quicquid opellæ in hac historia, & disputatione à nobis sumitur, id omne ad Ecclesiæ Romanæ, & Concilij Tridentini gloriam, & obsequium referri. Simul & iniuria queri Præsidem longè doctissimum, quòd Iprensis Episcopus & similes, modò vt sedi Apostolicæ minùs obsequentes; modò vt Concilij Tridentini decreta reiicientes; modò, quasi regiæ maiestati rebelles & inimici; modò vt Caluinistarum sectatores & asseclæ, quotidianis Pelagianarum reliquiarum probris agitentur & subiaceant: qui nihilominùs heroïca fortitudine quasi Apostolorum filij, eunt gaudentes, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Verùm cùm hæc dogmata cordatis illis gratiæ propugnatoribus à Catholicis obiiciantur, verè obiecta ab hæreticis agnoscantur, equidem non video, vel qua ratione labem hæreticam delere possint; vel quam ob causam omnes ab ea secta abhorrere non debeant.

Disputatur ergo contra hostes Ecclesiæ Romanæ, & Concilij Trident.

Iniqua Dissertatoris querela c. 44.

SECTIO V.

Huius operis institutum, & auctoris consilium.

HIs ergo aduersus Ecclesiæ Catholicæ doctrinam armis apud Regioportuenses fabricatis, Catechismo inquam, & Dissertatione Historica pro Gotteschalco, classicum in Hollandia canente Ministro, vbi visa est initio rebellionis inscriptio galeris gestata, Turca magis quàm Papa placet, Pontificis Romani potestate, & Concilij Tridentini auctoritate quà cuniculis, quà vi aperta violenter oppugnata, quis non videt ad portas esse Annibalem: Catholicis partibus parum adhuc nocuisse Vsserium; maiores modò adhiberi machinas ad antiquam Ecclesiæ fidem conuellendam: & vt in perduelles, ex dicto Tertulliani, omnis homo miles est, sic in tanto Nouitatis vires reparantis impetu,

Istis, repugnandi necessitas.

Fam. Strad. de bello Belg. tom. 1.

Catho-

Catholicum quemlibet esse doctorem? Scio superiore seculo Lutheri & Caluini impressiones fortiter feliciterque fuisse propulsatas: sed nihil actum, nisi redintegretur pugna, & ad eadem Ecclesię aduersùs errores militantis signa milites omnes Christi conueniant. Age, quisquis es, Romane & Catholice Theologe, vocat Imperator, tempus poscit, scribe quæ nunquam vtiliùs legantur. Et istis dicentibus, Quousque eadem? Responde, Ego verò debeo dicere, quousque eadem errabitis? Remedia antè vultis quàm hæreses desinere. Ego verò eò magis dicam, & quia recusatis, perseuerabo. *Senec. epist. 89.*

Partiamur vices: eruditi & sapientes ex adytis Theologiæ pugnent, ego Gotteschalcum, velut desertam spartam occupo, quæ vt industriæ minùs & doctrinæ, ita plus laboris & vigiliarum desiderat. Significarunt quidem Scriptores nonnulli docti & apprimè Catholici, quæ de Gotteschalci laudibus, & Catholica doctrina sic essent in Dissertatione scripta, sibi non placere: sed cur tot argumentis, rationibus, coniecturis penè coacti, in eandem cum Dissertatore sententiam adduci non potuerint, nemo quod sciam, hactenus explicauit. Atque vt omnes suscepti officij partes ea qua fieri poterit perspicuitate diligentiáque expleam, cùm animum ad scribendum appuli, tanquam in foro ad aram veritatis & iustitiæ, ad incorrupti alicuius iudicis tribunal stare me credidi, cuius aures iam occupatæ Gotteschalci defensione, & Hincmari grauissima accusatione, ad æquum de rebus propositis iudicium, exposita grauiter & sincerè veteris historiæ veritate sint reducendæ. Sic enim apud me statuebam, velut aduocatum in foro causam Gotteschalci egisse Præsidem Amplissimum, *summa* in eum, totámque sectam, *fide, nec minima diligentia:* quippe qui omnes auctorum angulos, omnia temporis illius monumenta consuluerit; omnes aduersariorum obiectiones præceperit, omnes coniecturarum arculas consumpserit: denique nihil intactum & intentatum reliquerit, quod ad clientis sui defensionem quoquo modo facere videretur. Ad eundem modum omnes mihi quoque ad vnguem pernoscendos eius æui scriptores, excutiendas coniecturas omnes; argumenta illa aduersarij, *vt videtur, vt credibile est*, imponenda stateræ, vt eorum pondus appareat: nihil denique omittendum, quo secundùm veritatem Catholicam, Gotteschalcus hæreticus fuisse monstretur. Habebis igitur, quisquis es, si vacat, aut lector, aut iudex, causam vtrinque peroratam, idque, quod lepidum, & quantiuis pretij est, ex iisdem scriptis & auctoribus atrum & album, noctem & diem per aduocatos videbis educi: vt quemadmodum ab antiquis nihil de Gotteschalco scriptum requirere possis, quod ab vtroque nostrûm non producatur: ita in mente sensúque scriptorum enucleando, nihil vltrà indagare debeas, quod ab alterutro non sit allatum. Vide ergo vtraque parte diligenter audita, quam certus & liber arbiter feras sententiam. Nec alij me, nec ego alios ad istarum rerum fidem cogimus, sed sincerum iudicium postulamus.

Testium quis vsus

Causa, qualitatis statum præfert, non tamen penitus extra coniecturalem: cùm neque in Gotteschalco, neque in eius iudicibus, Rabano & Hincmaro satis apertè, citra laborem interpretationis subtilioris, eius errores legantur expressi. Quare ad testes etiam alios prouocandum est, vt in re antiqua & obscura. Assero ego in istud iudicium omnes auctores qui ab antiquo ad hoc seculum scripserunt, Patres, Theologos, Historicos, Chronologos, Controuersiarum disceptatores, post Rabanum Maurum, & Hincmarum Archiepiscopos doctissimos, qui præsentem, & sensus suos promentem coram audierunt, improbarunt, & cum suis Conciliis condemnarunt. Illis omnibus, dissentiente Catholico nemine, octo penè secula crediderunt, hæresim docuisse Gotteschalcum. Ne Lugdunenses quidem scriptores excipio, à quibus videbimus dubias quæstiones ab erroneis, prauos sensus ab ancipitibus separatos. Orbis ergo Christiani vocem illam, ante nouitates exortas, fuisse contendo, Præses autem amplissimus Gotteschalci aduocatus, duos suffragatores secum adducere potest in forum, Vsserium Armachanum, & recentissimum quem nominaui, Samuelem Maresium, Caluini sectatorem vtrunque; si non etiam ambitioso Iansenianorum comitatu cinctus volet incedere. *hoc in controuersia?*

Ad hunc aspectum statim eum pudet paucitatis & nouitatis suæ; turbam & caniciem meorum testium verbis duobus reiicit: Rabanum, inquit, & Hincmarum non audio, aduersarios Gotteschalci, non iudices: illum erroris accusatum à Monacho; hunc præterea *omnium iudicio conclamatæ fraudis, & omnimoda nequitia.* Ceteri ab illis hauserunt, Germani à Rabano, Galli ab Hincmaro: falsi proinde omnes, aut suspecti. Satis rigidè istud quidem. At ego liberaliùs duos Dissertatoris amicos & fratres, in numerum testium meorum etiam adlego, vt qui statum coniecturalem adiuuent, ad decernendum quid Gotteschalcus docuerit. Neque sunt ad statum qualitatis inutiles & otiosi, quando hæretici dogmata sua confirmando, nobis persuadent, Catholicis esse contraria. Sed & in meis auctoribus consisto, ne patiar antiquitatem totam vno sibi nouantis lapsu deleri. Aio ergo, veteres omnes superiore seculo priores, Gotteschalci hæreseos esse testes: & ante præsentis seculi annum tricesimum, quod equidē sciam, nemini Catholico visum fuisse Catholicum. Addo deinde, locupletes esse testes illos primos, graues, oculatos, fidem sequentium seculorum promeritos; quorum proinde sancta hoc in iudicio esse debet auctoritas. Duo quippe promisimus in Titulo, Historiam, & Controuersiam: ad illam spectat fides scriptorum; ad hanc Ecclesiæ doctrina. In dogmatibus, personas æstimamus ex fide; in historia, fidem ex personis. Credo factum aliquid, quia viri sapientes & docti sic narrant: credo verum aliquid & Catholicum, quia docet Ecclesia. In articulis fidei, quæro primùm, quæ sit Ecclesiæ sententia; tum deinde quæ Hieronymi & Augustini, & huic ex illa dono asteriscum, si conuenit; sin, obelum figo. In narratione historica, quod auctor locuples dicit, in hoc standum est; quæritur enim de facto; si fundus testis est, admittitur, si cum eo multi conueniunt, auditur: sin fallit, aut fallitur, tuit actio. Et hoc vidit aduersarius, qui fidem Rabano & Hincmaro quos solos habemus oculatos *Scriptores omnes antiquos reiicit Dissertator.*

tos, quantùm potest omnem derogat. Meum igitur est eam restituere, & si non breuiter, saltem efficaciter ostendere, quàm sit æquum iis auctoribus ex quibus hæc historia depromitur, assentiri: ita toto deinceps opere, vt sapientum iudicio probatos, securus admittam.

Cur Confutationi Dissertatoris non respondeatur. Ceterùm omnis cum amplissimo Dissertatore suscepta pro veritate & religione contentio, duos tantum eius libros aspicit, Synopsin & Dissertationem, quibus vnius Gotteschalci causa continetur, quæ mihi proposita materies est. Confutationem non tango, quia qui fabulam facit auctor, impar congressus Achilli, habuit perdiu quo reduci posset ad historiam, si visum foret necessarium. Certè rogatus à nobis frequenter est R. P. Sirmondus, Nunquid-nam confutatori, amico aliàs suo, reponeret? Respondit constanter bonus senex, amplexaturum passis brachiis si occurreret, hoc enim christianam à læsis exposcere caritatem: docturum, si quid ostenderent amici, quod in se rationabiliter scriptum videretur. Quærentibus, bene an duriter habitum ab eo se sentiret, quem putauerat amicum? Vrbanè respondebat, vt Christum à militibus, qui salutabant vt regem, colaphos infringebant vt scurræ. Et stetit dicto fides: semel postea reuisentem clarissimum Præsidem excepit humanissimè. Sed in familiari colloquio cùm historiæ Prædestinatianæ, & Confutationis incidisset mentio, dicente Sirmondo, nihil momenti quicquam videre se, quo sua læderetur opinio, rogauit Præses id vt scripto monstraret: scire se aduersùs opus suum à Cellotio laborari; verùm gratiæ ducturum & gloriæ si hoc ipse præstaret. Hæsit tamen obstinatior in proposito Sirmondus, & illud gratiæ genus instituit recusare. *Henr. Vales. orat. in obitum Sirmon.* Adeò verè vir clarissimus Henricus Valesius in diserta mortui laudatione, scripsit *Sirmondum vt pote quietis & otij amantissimum semper inuitum, ac nolentem ad hæc certamina descendisse.* Atque vt idem prædicat, *ex dissidiis & certaminibus cum viris doctissimis, de litterariis quibusdam quæstionibus, semper illum superiorem, victorémque omnium eruditorum consensu discessisse*: ita nemo doctus de isto, quod tantopere contempsit, idem ferre iudicium dubitabit, nósque confirmabimus eo tactum non fuisse, cui non doluit. *Maresf. Synopsi de Gratia. Præfat. p. 11.* Neque moramur nouam nouatoris Ministri Synopsin ab Hollandia, quæ narrat *prætensam hæresim Prædestinatianorum profligatam esse, refutato primùm per Anuranum Sorbonistam Prædestinato Sirmondi Iesuitæ: & eadem postea veritate fusè propugnata non ita pridem per amplissimum virum D. Gilbertum Mauguinum, in eruditissimis illis suis Vindiciis Prædestinationis & Gratiæ, ante annum editis.* Et iterum eadem in *Ibid. ad c. 4. Catech. grat. p. 46.* controuersia *se cordatè opposuisse Sirmondo amplissimum Præsidem Gilbertum Mauguin.* Hæc enim professi hæretici approbatio, erroris conuictio est.

Quantùm egerit in hac controuersia Sirmondus. Et quoniam ad Gotteschalcum maximè spectat hæresis Prædestinatiana, quam ab inferis excitasse reprehensus est, & eam ego malui supponere quàm probare, multis veterum testimoniis traditam, à solis Nouantibus post Vsserium negatam extitisse: ac demum à Sirmondo validè assertam: necessarium videtur ostendere, quàm prudenter in hoc historiæ nostræ fundamento, ad opinionem Sirmondi, contemptis aliorum coniecturis & argutiis adhærescam, & hinc conciliandam meis auctoribus fidem auspicari. Sæpe animum meum cepit admiratio, quî tandem factum sit, vt Iacobus Sirmondus omnium iudicio totius antiquitatis Ecclesiasticæ scientissimus, omnium à Christo nato seculorum historia instructissimus; in Patribus omnibus legendis, emendandis, diiudicandis, compluribus ad vitam reuocandis solertissimus, præcipuum tota vita studium & laborem in seculo nono illustrando, & eius scriptoribus conquirendis posuerit. *Seculum nonum eius studiis illustratum.* Nam si diligenter attendimus, in iis libris quos industria sua per se, aut per alios luci reddidit, plures huius quæstionis, & nostri noni, quàm cuiusquam alterius seculi fuisse comperiemus. Omitto Concilia Galliæ, quorum tomus secundus & tertius penè ab anno 800 ad 900. progrediuntur: quibus si Capitula Caroli Calui, Reuelationes Audradi Modici, quarum excerptis Historiam Francorum locupletauit V. Cl. Andreas du Chesne, Historiam Remensem Flodoardi, addideris, Ecclesiæ simul & Regni negotia illustrata fateberis. *Histor. Francorum 3.* Idem conficiunt Hincmari Archiepiscopi Remensis opera in duos Tomos distincta: Sed illa controuersis de fide quæstionibus malo accensere, cum Paschasio Ratberto Sacramentariorum oppugnatore primo: Prædestinato, à quo lucem eximiam hæreseos Prædestinatianæ historia, mussitantibus aduersariis accepit: Duplici Gotteschalci Confessione, quam ab eo donatam euulgauit Vsserius: *Vsser. hist. Gotthesc.* Epistola eiusdem Gotteschalci metrica ad Ratramnum, quam eiusdem beneficio penè totam in appendice colloco: Rabani Moguntini Archiepiscopi, & Amolonis Lugdunensis de Gotteschalci erroribus, epistolis: S. Augustini sententiis contra eandem doctrinæ peruersitatem: Seruati Lupi libro de Tribus quæstionibus, & eiusdem Collectaneo; atque Epistolis ad Hincmarum & Carolum Regem: Epistola siue Opusculo Prudentij Tricassini Episcopi ad Hincmarum & Pardulum, cuius initium in ipsius musæo descriptum, publici iuris fecit Dissertator amplissimus, nos integram in Appendice notis explicamus. Habebat & in schedis apographa Ratramni de Prædestinatione, Ioannis Erigenæ Scoti de vnica prædestinatione, Prudentij Tricassini aduersus Ioannem Scotum, & Recapitulationis, quæ tria monumenta aliunde Dissertator eduxit: Eiusdem Ratramni librorum quatuor contra errores Græcorum: Anonymi cuiusdam Paschasium Radbertum, aduersùs Ratramni, & Stercoranistarum Eucharisticos errores defendentis: Concilij denique Duziacensis actorum, quibus Hincmari senioris legitimus aduersùs iuniorem Hincmarum processus, fusissimè continetur. Hæc omnia si cui non satisfaciunt, ad accuratam eius operam declarandum, audiat etiam, mihi narrasse Senem optimum, se olim, superstite adhuc Nicolao Camuzario venerandæ memoriæ viro, Trecas adiisse, & in Bibliopolarum officinis non paucos rarissimos harum quæstionum scriptores inuenisse, quos cùm nec emere posset, nec describere, magno suo dolore coactum esse perdere, neque, vnquam postea potuisse recolligi. Faxit Deus vt illi bis mortui resurgant aliquando; & qui totum vni non solet concedere, alios in gloriæ partem vocet,

Magni Sirmondi æmulos imitatoréſque ſtudiorum.

Quàm iure ac meritò eius ſententiam ſequamur.

Hæc inquam cùm attentiùs conſidero, non poſſum diuinam prouidentiam non laudare, quæ illius quam experimur Eccleſiæ tempeſtatis præſcia, ſenſim ſine ſenſu remedium non ineſficax illi malo præparauit, per hominem ſacræ hiſtoriæ curioſum indagatorem, ingenio promptum, acrem iudicio, memoria beatum, doctrinâ præſtantem, auctoritate & gloria inter litteratorum principes florentem, qui expreſſam eorum quæ modò geruntur imaginem in Gotteſchalco monſtraret, veteres Prædeſtinatianos per Monachum pietatis larua tectum renouatos, nouis Prædeſtinatianis oſtenderet, & priſtinæ tranquillitatis in Eccleſiam reducendæ ſpem modúmque præberet. Addidit quoque ſingulari beneficio paucis conceſſam ſenectutem viuacem, vegetámque, vt primitias laborum ſuorum decerperet, & orto bello in prima acie ſuis armis aduerſarios proſterneret. Itaque cùm tanta doctrinæ copia inſtructus, tot veterum ſcriptorum monumentis diligentiſſimè examinatis, perfectè comprehenſa omni Eccleſiaſticæ hiſtoriæ cognitione, Prædeſtinatianam hæreſim Auguſtini temporibus, ex eius libris malè intellectis natam, Lucidi presbyteri epiſtolam, Concilia Arelatenſe & Lugdunenſe verè celebrata, poſt Hincmarum Remenſem, Gennadium, Sigebertum, Baronium, & innumeros alios affirmatè ſcripſerit vir talis ac tantus, cui aſſertioni, etiam poſt lectum Viſerium, palam refragari non auſus Ianſenius Iprenſis, ſatis habuit dubitare: quæro ex te, Lector, me, qui Gotteſchalco contentus, ſuperius illud mare magnum priorum Prædeſtinatianorum ingredi nolo, vtri æquiùs & prudentiùs crediturum putes, affirmanti, & hiſtoriam Prædeſtinatianam ſcribenti Sirmondo; an neganti, & vt fabulam confutanti Curiæ Monetariæ Præſidi Mauguino? Tranſiui enimuerò ad partes Sirmondi, neque tantùm ex eius ſcriptis, ſed & in quotidiano congreſſu multa ex eo didici, quæ præ me ferre glorioſum arbitror, & hac in hiſtoria eius me diſcipulum profiteri, triginta totis annis iuniorem. Deprehendes in opere complura grati mei animi veſtigia, laudatum identidem benefactorem, viuum adhuc & ſuperſtitem, quippe qui opere totò iam abſoluto nobis ereptus eſt, paucis autem menſibus tantùm ſpatij non decurritur, [illegible], aiebat ſapiens ille Sophiſta. Neque mutare placuit, ne ipſi lecturo adulati videremur.

Quàm fideliter veteres libros ediderit.

Illud præterea compendij ex auctoritate Sirmondi aſſerta nobis accedit, quòd de libris ab eo productis nemo dubitauit vnquam, quin eorum eſſent auctorum quibus aſſignantur, aut quin veri reipſa in cauſa ſcripti, non ſuppoſititij cenſeri deberent: quemadmodum Prædeſtinatus impium ab hæreticis librum, ſub falſo Auguſtini nomine vulgatum demonſtrat: Beroſus Annij ſuperiore ſeculo à doctis exploſus eſt: in hac demum quæſtione Diſſertatorem videbimus, tanquam in curia Monetaria libros aliquos nouis nominum formis ſignantem. Simpliciùs Sirmondus certa dedit pro certis, obſcura reliquit in tenebris; & Prædeſtinato ſuo nomen aſſignatum admonet à materia, non à perſona. Et hoc laudat funebris Panegyriſtes Valeſius, *Quod verò*, inquit, *ſumma fide eoſdem edidit, notiſque omnibus, aut præfationes adiecit eruditiſſimas, eo etiam nomine maximas illi gratias vniuerſi habere debemus.* Eam fidem ſignificabat ipſe, cum noſtras coniecturas ad eius iudicium referentibus, ſi quando leuiores viderentur, reſpondebat, Non ſum ariolus: diuinare neſcio. Quod igitur ex Hincmaro, ex Gotteſchalco, ex Rabano tradidit, iam non quærimus ſitne Rabani aut Gotteſchalci, ſed quæ hac in hiſtoria Rabanus & Hincmarus dixerunt de Gotteſchalco, fidém-ne mereamur? qui gradus alter eſt huiuſce proluſionis, in quo nos affirmatè conſtanter reſpondemus; negante pertinaciter ampliſſimo Diſſertatore. Lectoris eſto pro æquitate iudicium. — *Valeſ. cit. orat. in obit. Sirm.*

SECTIO VI.

Rabano Mauro, & Hincmaro in hiſtoria Gotteſchalci fides, & auctoritas reſtituta.

Rabani Mauri elogium.

TEsti cuilibet fidem adſtruunt duo, morum probitas, & hominum de eo iudicia; his pugno pro meis ſcriptoribus. Quæris quæ fuerit Rabani Mauri vita, qui mores? Breuiter narro, puerum nouennem à nobilibus parentibus monaſterio datum: adoleſcentem humanis diuiniſque litteris ab Alcuino eruditum: iuuenem ſcholis monaſticis in Germania primum præpoſitum, & ex eius diſciplina, tanquam ex equo Troiano præſtantiſſimos viros prodiiſſe, vt Strabum amicum Gotteſchalci, Freculſum, Lutbertum, Lupum Ferrarienſem, quem putant fauiſſe Gotteſchalco. Virum autem Fuldenſi Monaſterio præfectum Abbatem, virtutibus, ſcientia, miraculis locum illuſtraſſe: abdicata deinde præfectura, priuatum otium adamaſſe. Vergenti in ſenium commiſſam eſſe Moguntinam Eccleſiam, vbi virtutes monaſticas in ſolem & puluerem eduxit: adeo beneficus in egenos, vt fame graſſante trecentos quotidie rebus neceſſariis foueret: tam perſpicax in ſpiritibus diſcernendis, vt mulierculæ pſeudoprophetiſſæ technas detexerit, quibus ipſos etiam clericos dementabat. De ſcientia verò quid dicam, eius ingenio, ſtudio, labore, parta eruditione non inferius? *Legit vtilia*, inquit auctor vitæ, *ſcripſit ſancta, docuit recta, operabatur cæleſtia, & ſine intermiſſione meditabatur diuina.* Parum iſtud eſt, *Philoſophus clarus, Poëta inſignis, Rhetor facundus, Aſtronomus, & Computiſta celeberrimus, Græcè, Latinè, & Hebraicè peritus: cui ſimilem ſuo tempore non habuit Eccleſia. Cui, vt abſque inuidia loquar*, ait Trithemius, *nec Italia ſimilem, nec Germania peperit æqualem.* Eruditioni reſpondit vitæ ſanctitas, qua poſt mortem inter ordinis ſui Sanctos meminit connumerari: Quem cùm in Martyrologio ſuo Arnoldus Wion omiſiſſet, in adiunctis adiungendum monuit, vt notat Serarius; apud quem de magno viro plura videbis. Hunc *verticem Theologorum huius temporis*, vt vocat Baronius, vult recuſari vel teſtem, vel iudicem Diſſertator, qui Gotte-

Trithem. in eius vita. l. 1. — *Ibid. l. 2.* — *Ibid. l. 3.* — *In Chron. Hirſaug.* — *Idem l. 2. vitæ.* — *Idem l. de viris illuſtr.* — *Idem l. de ſcriptor. Eccleſ.* — *Serar. l. 4. hiſt. Mogunt.* — *Baron. ad ann. 847. Tom. 10.*

ſchalcum primus damnauit. Quid cenſes Lector?

Hincmarus malè tractatus à Diſſertatore

Sed non ægrè, meo iudicio, redierit in gratiam cum Rabano, ſi quis eius iræ volet Hincmarum condonare, hominem ſanè Gotteſchalco importunum, à quo & virgis pulſatus, & clauſus carcere, & ad reſipiſcendum ſæpe vocatus eſt miſerabilis Monachus. Hinc illa conuicia & opprobria, quæ nec ab honeſto viro dici, nec in magnum Archiepiſcopum dici, neque Catholicas aures audire, boni mores aut Ianſeniana dulcitudo patiuntur. Non poſtulas, Lector, ea tibi hoc loco exhiberi, quæ cuperes obliuione ſepulta: ſed ea tantùm ex claſſicis auctoribus offerri quæ nouatorum calumnias diſſipent. Incipio à moribus & vita.

Hincmari elogium. Flodoard. l. 3. hiſt. Remenſ. c. 1. Sur. 9. Oct. Tom. 5. Hincm. opuſc. 61.

Tradit enim Flodoardus eius ſeculo proximus, genere nobilem, à puero monaſticis virtutibus & ſtudiis imbutum. In his qui fuerit eius labor & profectus, colligi facilè poteſt ex ipſius Hincmari Epiſtola, quam ex Surio in opuſcula Hincmari non transtulit Sirmondus, cauſa nobis occulta. Maturum ætate translatum in Ludouici Pij palatium, inter eius familiares militaſſe Deo & Imperatori, narrat idem Flodoardus: addente Hincmaro ipſo, Imperatorem optimum, *per octo circiter annos ſecreta ſua indubitanter ipſi credidiſſe*: Hilduino Abbati ſuo ex offenſa aduersùs eundem Regem exulanti, comitem ſe dediſſe. Poſtea autem in fœda eiuſdem Principis exauctoratione, cùm filiorum perduellium partibus faueret Hilduinus, & eodem Hincmarum trahere conaretur, reſtitiſſe fortiter nobilem animum, & iuratam ſemel Regi fidem conſtanter tenuiſſe. Interim ſuo in Monaſterio dilapſum religioſæ diſciplinæ ordinem reuocandi auctorem Hilduino extitiſſe, *& vt opere quoque adimpleret, quod ſermone ſuadebat, etiam ipſum religioſæ conuerſationi cum aliis ſe ſubdidiſſe, caſtigantem corpus ſuum, & ſpiritali ſubiicientem ſeruituti.* Sed hæ priuatis parietibus continebantur exercitationes, poſt frequentatam aulam non parum laudabiles. Longo igitur pòſt tempore in Sedem Remenſem, velut virtutum omnium, & ingenij, zelique ſui palæſtram ingreſſus, Regis Caroli gratia ſapienter vſus eſt ad repetenda Eccleſiæ ſuæ bona, per laïcos occupata, qui fuit ſeculi morbus: ad Templa reficienda, & pretioſis donariis ornanda: noſocomia extruenda, coërcenda ſcelera, damnandas hæreſes Gotteſchalci, iuuandum aduersùs Græcorum ſchiſma, & Lotharij Regis Auſtraſiæ iniuſtum repudium, Nicolaum Papam. Scripſit aduersùs eoſdem errores, & de variis negotiis ad Reges, & Reginas, ad Pontifices, Epiſcopos, Abbates, nobiles, ſubditos, *qualiter iuſtè & piè & caſtè viuerent, quàm reuerenter atque deuotè ieiunia cuſtodita tractarent: pro his qui obiiſſent, tam Epiſcopis, quàm aliis quibuſcumque perſonis, qualiter Domini clementiam exorarent, & vt perſona Deo placita in vacantibus eligerentur Epiſcopiis, tam ieiuniis, quàm orationibus Dominum exorarent.* Denique poſt infinitam per viginti capita enumerationem, operum multitudine oppreſſus concludit hiſtoricus, ſe pluribus aliis recenſendis imparem eſſe. In iis ſunt Inſtitutiones verè Regiæ ad Carolum Caluum, ad Ludouicum Balbum, ad Carolum eundem iam Imperatorem, vt Balbi filiis ſapientes educatores prouideat. Inter hæc frequentata Concilia, coronati Reges & Reginæ, adminiſtrata regni negotia, indignari cogunt talem virum ac tantum, Galliæ ſolem, Regni columnam, Eccleſiæ ornamentum, indubitato, atque impœnitenti hæretico poſtponi, vt nouiſſimi ſcriptoris decreto, ſapientiæ & virtutis opinio ab Hincmaro, cui hactenus adhæſit, ad Gotteſchalcum transferatur.

Ibid. c. 4. Ibid. c. 5. Ibid. c. 11. Ibid. c. 18. Tom. 2. oper. Hincm.

Pontificum teſtimonia de Hincmaro. Leonis IV. Flodoard. l. 3. hiſt. c. 10. Benedicti III. epiſt. 1. ad Hincm. Nicolai I.

Sed audiamus æqualium tempore de eo iudicium. Vis opinor à Pontificibus ordiamur. Leo IV. extraordinarium vſus quotidiani Pallium, ad Imperatoris Lotharij preces Hincmaro conceſſit, priuilegio nemini ante, vel poſtea donato, *pro ſua ſanctitatu & ſapientiæ reuerentia.* Benedictus tertius eius conſecrationem in Archiepiſcopum Remenſem magnis gaudiis laudibúſque proſequutus, proſpexiſſe ſe ait epiſtola ad eum ſcripta, *æquiparare Hincmarum viros illos qui non terrenis actibus, caducíſque delectati ſunt obſeruationibus, infinitóque Dei Zelo accenſi Eccleſiaſtica promulgarunt ſtatuta & ordines.* Quò iuſtiùs de Nicolai primi, erga Hincmarum animo dubitari poteſt, eò plura ipſius beneuolentiæ, & præclaræ opinionis indicia produci debent. Is igitur in cauſa Engeltrudis excommunicatæ, ſic alloquitur Hincmarum, *Docta diuinitus ſanctitas tua valdè nouit.* In cauſa Cenomanenſis Epiſcopi ſalutat *Reuerentiſſimum & ſanctiſſimum confratrem.* Audiuimus, inquit, à te neſcio quas inſidias Epiſcopo præparari: *Quod de tanto viro indignum credere iudicauimus.* In cauſa Rothadi quæ Hincmarum diu exercuit, paulùm commotior Pontifex nihilominùs ita præfatur. *Sanctitatem veſtram, quam ſemper in virtutum exertitiis conuerſantem comperimus, & in doctrinis Eccleſiaſticis proficientem fama crebreſcente didicimus.* Ac deinde tandem ſeriò iratus, hoc initio in querimoniam ingreditur: *Beatitudinis tuæ lectis apicibus, quia fraternitatem tuam erga ſanctam Sedem Romanam, cui auctore altithrono præſumus, ergáque Pontificium noſtrum in eadem qua ſolita erat deuotione perſiſtere, reperimus, lætitia multa repleti, debita omnipotenti Domino gratiarum officia perſoluimus; ſanctitatémque veſtram ad Sedem Apoſtolicam de his quæ ſibi viſa ſunt, referentem, ac pro Eccleſia ſibi commiſſæ neceſſitatibus, atque vtilitatibus Apoſtolatum noſtrum poſtulantem laudauimus, & nihil eſſe, quod fraternitati tuæ denegari oporteret, penitus iudicantes, vt innueremus petitis, corde concepimus, mentéque deliberauimus.* Qui ſic iraſcitur, quid dicet placatus? Confer iſtam irati Pontificis orationem, cum illo pacificæ Synopſis dicto breui & vibrante: *Hincmarus ſolita præſumptione parere Nicolao contempſit.* Sed pergit eodem loco Nicolaus: *Præſertim cum fuerit apud Apoſtolicæ Sedis Præſules circa reuerentiam tuam ex longo iam tempore reuerentia, vt,* &c. Et paucis interiectis: *Præſertim cùm tanta ſapientia virum te eſſe non neſciremus, familiaritatis fiduciam apud dilectum filium noſtrum Regem Carolum comperiſſemus, tuum habere ſanctimonium, vt ſi qua in illis partibus mala in Eccleſia Domini pullularent, per tuæ ſolicitudinis induſtriam reſecare radicitus meditaremur.* Vides lector quo animo ſcribat

11. q. 3. c. Excellentiſſimus. Nicol. epiſt. 16. Idem epiſt. 19. Idem epiſt. 22. fort. *annueremus*

eadem Synopsis, *Regi plus æquo adhæsisse Hincmarum*: Cur *aulicum assentatorem* vocet: quàm verè *libertatis Ecclesiasticæ oppressorem* appellet. Demum magnus Pontifex post declaratam præcisè suam in Rothadi negotio voluntatem, eam executioni mandari præcipit, *quatinus & caritatis nostræ, & amicitia atque gratia particeps semper inueniaris, & ad amputanda noxia hostium sanctæ Dei Ecclesiæ germina, atque ad salutaria serenda, sanctitatem tuam consociam de cetero semper habeamus: Sicque demum studeamus, etiam non postulati, contra omnes maleuolos tuos, tuaque Ecclesiæ aduersarios, tibi priuilegia promulgando, & arctiùs inhærendo, fortiter expugnare, quantò senserimus fraternitatem tuam*, &c. Horum apicum nullus cum aliqua Dissertatoris calumnia collato pede non pugnat: vt facile esset ostendere, si præfationis angustiæ paterentur.

Progredior in Pontificibus Hincmari amicitiam colentibus, & ad Hadrianum II. deuenio, Nicolai successorem. Is enim eius virtutum præconio per Actardum Nannetensem, Arsenium Apocrisarium, Anastasium Bibliothecarium audito, sic ei gratulatur. *Licèt frequens sanctitatis tuæ fama, quæ nunquam nisi cum laude semper extitit, te nobis dudum fecerit manifestum: tamen vt virtutum, probabiliúmque morum tuorum prædicamenta liquidiùs agnosceremus, fratrum nostrorum fecit multis præconiis plena delectabilisque relatio. Qua de re sic animam meam tuæ dilectionis ardorem concepisse cognosce, tanquam si millies mutuis frueremur alloquiis. Habeto ergo nostræ repromissionis pignus, & in nobis, vt in nostris antecessoribus, tota fiducia prorsus innitere.* Quibus antecessoribus? Nicolao in primis. *Sanctimonia tua quàm fuerit Apostolicæ memoriæ Nicolai Papæ familiaris*, &c. *In cuius familiaritatis sinu nos quoque te recipientes, fiduciam penes Apostolatum nostrum, fraternitati tuæ gratanti mente offerimus.* Quocumque animo dictum istud accipies, Lector, sanctè profiteor, vel vnis hisce lectis litteris, si quid de Hincmaro sinistrum loquar, aut cogitabo, metuendum mihi fore à schismatis specie, & negata Sedi Apostolicæ reuerentia obedientiáque, cùm magno Pontifici, tam grauiter & seriò, post eos testes ea scribenti, fidem omnem abrogem. Oportet enim Hadrianum, vt planè dicam, falli & fallere, aut Hincmarum virum bonum, integræ famæ, & cum Nicolao, & Hadriano, & Sede Apostolica fuisse coniunctissimum. Demque Ioannes VIII. ad Synodum Tricassinam, in qua plurima maximi negotij tractare habebat in animo, summa cum beneuolentia eundem his verbis inuitauit. *Fama tua fraternitatis longo exacto iam tempore bona notitia nos quoque celeberrimè lætificauit: quantóque te desiderio contemplari cupimus, explicare verbis nullatenus possumus. Quapropter præsentiam religiosæ sanctitatis vestræ, diu desideratam, miramur à te nobis hactenus dilatari. Quoniam antequam ipse nobis carior, vtiliórque veneris, sanctarum Dei Ecclesiarum causas tractare differimus.*

Principes autem si consulimus, occurret statim Lotharius Imperator, Ebbonis sui successori non semper æquus, qui tamen *Hincmarum apud Leonem Papam honorificè commendasse reperitur Episcopis, atque Legatis.* Eóque Romam cogitante epistola præuia eundem Pontificem monuit, *vt ipsum decenter amabiliterque susciperet, & quicquid ab eo postulasset, libenter ei liberaliterque concederet.* Pallium autem poscebat Hincmarus, vt ex illa Lotharij epistola intelligimus, quam hactenus non editam, in appendice referemus; in qua videbis, Lector, vocari *virum sanè doctum atque eruditum, sibi admodum deuotum, dilectúmque.* Cùm autem profectionem illam interciperent negotia publica, iterum scripsit, *quia illum volentem Romam proficisci, tam ipse, quàm frater eius Karolus Rex Franciæ, quoniam valde necessarius erat, ad sopiendas, quæ tunc exortæ fuerant contentiones, retinerent.* Non extat, quod sciam, epistola illa, sed Lotharium non nouit, qui hominem putat è Regno Karoli fratris ad pacem sanciendam adhibere voluisse, qualem Dissertatio describit, & vt *valde necessarium*, & vtrique parti acceptum *retinuisse*. De Carolo Caluo nihil dicam, à cuius latere nunquam discessit, qui nihil in Regno momenti vllius sine Hincmari consilio perdiu fecit. A Ludouico Pio vtriusque parente iam vidimus annos octo ad consilia fuisse admotum. A Ludouico autem istius filio, vtriusque fratre, quantùm cultus fuerit vbi res poscebat, nobis modò non esset obscurum, si hominis in Caroli fratris regnum semper inhiantis superessent epistolæ ad eius Regni Episcopos scriptæ; atque illa maximè, qua Carolinas prouincias infesta manu inuadens, eosdem Episcopos ad Synodum Remos conuenire iussit, in qua *de restauratione sanctæ Ecclesiæ, & de statu ac salute populi Christiani tractaretur.* Cui cùm parere negligerent Antistites, eorum nomine Hincmarus præclara admonitione violentos eius impetus retardauit. Reges alij quos in aula vidit nascentes, quid de eo præ se tulerint, præclara eius monita de rectè viuendi regnandique ratione, nonnulli etiam de ipsius manu coronam suscipiendo, monstrarunt.

Reuertor ad Ecclesiam, quam mirificè ornauit & defendit: & Lotharij Legatos aspicio Petrum Spoletinum, & Petrum Aretinum ad Leonem Papam pro quotidiani illius Pallij priuilegio missos: quod videlicet absque maxima viri commendatione, tam præter ordinem à Pontifice impetrassent? Arsenium Apocrisarium memini cum Anastasio Bibliothecario, & Actardo Nannetensi multa de eius laudibus apud Hadrianum secundum prædicantes. Rabanum lego præsulum sui temporis illustrissimum, sic illum salutantem: *Reuerentissimo & desiderantissimo fratri, & merito rectæ fidei, & sanæ professionis ab omnibus Catholicis ritè venerando Hincmaro Pontifici, Rabanus seruorum Dei seruus in Domino æternam optat salutem.* Illa est epistola qua facti aduersùs Gotteschalcum belli societatem init cum illo: *Ceterùm scias me, quandiu vixero, semper paratum esse tuæ obtemperare bonæ voluntati, & sanæ consentire doctrinæ.* Sed ne videatur Hincmaro adulari, & quod est in prouerbio, manus manum fricare, ex ipsis æmulorum castris Lupum adduco, eóque libentiùs, quod duplicem putat Dissertator, vt duos sub vno nomine claritatis Hincmarianæ testes cogatur accipere. De quæstione siquidem scribit Lupus, à duplici prædestinatione asserenda abhorrere *præclara quædam Præsulum lumina.* Quænam illa, nisi Ra-

Pontificum testimonia de Hincmaro. Leonis IV.

Flodoard. l. 3. hist. c. 10.

Benedicti III. epist. 1. ad Hincm.

Nicolai I.

11. q. 3. c. Ecclesiasticus. Nicol. epist. 16.

Hadrian. II. epist. 4.

Idem epist. 17.

Idem epist. 19.

Idem epist. 21.

Ioan. VIII. epist. 33.

fort. exemplarium

Principum iudicia de Hincmaro.

Lotharius ad Leonem IV. pro eo scribit. Flodoard. l. 3. Hist. c. 10.

Epistola Lotharij, in appendice opusc. 1.

Hincm. admonit. ad Ludouic. Opusc. 4. Tom. 2. Hincmar.

Præsulum de eodem iudicia.

Flodoard. l. 3. Hist. c. 10. cit.

Raban. epist. ad Hincm.

Lupus Ferrar. l. de 3. quæst. q. 2

banum, primum eius erroris in Gotteſchalco impugnatorem, Hincmarum ceterorum ducem, Pardulum Hincmari comitem, & alios vnicæ prædeſtinationis aſſertores? Quale facit illud ſeculum, qui eius *præclara lumina præſulum* in re qua de agitur, erroris, nequitiæ, aſſentationis, mendaciorum reos eſſe prædicat Diſſertator? Lupus idem, meo iudicio, Ferrarienſis ad Hincmarum ſcribit, *ſumma veneratione ſuſpiciendum Antiſtitem, clariſſimum præſulem*, & ad ſocium eius Pardulum, *Vnicè, ſingularitérque dilectum.* Sed plenum Hincmari elogium in eam epiſtolam coniicit, qua ſupplicare incipit, ſed non adulari. *Non ſum neſcius, cùm tantis diuina gratiæ muneribus abundetis, vltrò vos cogitare apud Principem iuuandi bonos auctoritatem accepiſſe, vt quod in ſe non habent, in vobis poſſideant, & remuneranda veſtra induſtria materiam præbeant. Nobilitatem veſtra generoſitatis ornat eruditio ſalutaris, altitudinem officij commendat religio profeſſionis. Hæc veſtra Celſitudini non arrogantia vitio, ſed amicitiæ ſtudio ſcripſi: vt quoniam in vobis & nobilitas & ſapientia conuenerunt, quantùm hæc ſocietas valeat, etiam nolentibus emineat.* Vides æmulos nobilitatis & ſapientiæ in Hincmaro coniunctarum, quibus inuitis, apud omnes æquos rerum arbitros, eminebant: idémque iudicium poſteros ita ſequutum eſt, vt propenſiſſima voluntate laudantibus octo ſeculis, etiam nunc è Lupi ſequacibus nolentem vnum ad veritatem ille ſplendor adduxerit, Mauguinum ipſum ampliſſimum, qui Remenſem Hincmarum *tum in regni, tum in Eccleſiæ regimine magnum virum* agnoſcere cogitur. Quo ego teſtimonio nullum certius, & ad obliterandas omnes Diſſertationis calumnias potentius video.

Idem epiſt. 44. 76. 78.

Idem epiſt. 42.

In Hincmaro nobilitas & ſapientia conuenerunt.

Diſſert. Præfat.

His adiungo teſtimonium Hildeboldi Sueſſionenſis Epiſcopi, non verbo quidem, aut ſcripto, ſed facto conceptum. Is enim in mortis vicinia, vnum ex omnibus quos nouerat, Epiſcopis, confeſſorem ſuum vt loquebantur, elegit Hincmarum, & miſſa ad eum generali confeſſione, rogauit à peccatis abſolui. Si pœnitentes illæ, & deprecatoriæ morientis Epiſcopi litteræ adhuc viſerentur, magnam in iis abſque dubio Hincmari commendationem legeremus, quæ fides in eo extiterit, vt ſecretum committeretur; quæ benignitas, vt laborantem ſubleuaret; quæ prudentia, vt pœnitentiæ modum eligeret; quæ ſanctitas, vt precibus ſuis reconciliaret cum Deo. Denique qua permotus ratione, & illum inter ceteros delegerit, & abſentem infirmúmque ſolicitauerit, qui præſentes plurimos ad id officij potuit admouere. Id quanquam neque ad doctrinam propriè, neque ad mores ſpectet, rem tamen eius momenti, hoc in periculo, in aliorum copia, ab homine conclamatæ omnium iudicio fraudis, & omnimodæ nequitiæ, qualem Hincmarum vocat Diſſertatio, non debuit Epiſcopus poſtulare.

Hildeboldus Hincmaro abſenti per litteras confeſſus Hincmar. epiſt. 40.

Lentum eſt ire per ſingulos: teſtium nubes offero, quibus doctrina moréſque Hincmari, vehementer probati ſunt. Clerus populúſque Remenſis, à quibus in Archiepiſcopum ex aliena diœceſi poſtulatus eſt; Ercamradus Pariſiorum Epiſcopus cum Coëpiſcopis: vniuerſa fraternitas Monaſterij Sandionyſiani, à quibus conceſſus Remorum Prouinciæ: Concilium Beluacenſe à quo admiſſus, & conſecratus eſt; Concilium Sueſſionenſe II. in quo recognita & comprobata eſt ordinatio, cùm inter alia porrexiſſet Epiſtolam Remenſis Eccleſiæ, *ac pene totius Galliæ Epiſcoporum manibus ſubſcriptam.* Omnes, inquam, illi, támne fuerunt aut imprudentes in eligendo, aut boni publici negligentes, ſi non inimici, in conſecrando, vt adulterinam monetam tot vitiis improbandam, qualem Præſes ampliſſimus hoc in opere cudit, tradere, aut recipere voluerint? Quid dicam de priore Cariſiaca Synodo, in qua ſecundùm Hincmari ſententiam damnatus eſt Gotteſchalcus? quid de poſteriore, quæ Capitula quatuor Hincmari probauit, & ſua auctoritate muniuit? De Tullenſi ad Saponarias Prouinciarum 12. quæ Valentina Capitula in eius gratiam repudiauit? De Tullenſi ad Tuſiacum, quæ prolixam eius Epiſtolam probauit, & fecit eſſe Synodicam? Quid de innumeris aliis Conciliis, quibus ſumma cum ſapientiæ, & virtutis gloria interfuit, aut præfuit? In rebus geſtis Prudentij Tricaſſini, vt magnum aliquid, legimus commiſſam illi à Leone IV. fuiſſe prouinciam Arremarenſis Cœnobij conſecrandi: interfuiſſe Synodo Sueſſionenſi II. Hincmari cauſæ iudicem ab ipſo delectum: Hincmaro vnicè carum, & de rebus obſcurioribus, & abſtruſioribus ſacræ Scripturæ locis fuiſſe conſultum: vt hæc Prudentio ad ſanctitatis aſſertæ ſuffragium ſufficere videantur. Quantò ſplendidiora, & auguſtiora videmus in Hincmaro, reſcripta Pontificum, edicta Imperatorum, decreta Conciliorum, conſulta priuatorum, elogia omnium: vt illa tempeſtate lapides ipſi nomen Hincmari & gloriam loqui & reſonare viderentur?

Conciliorum & communitatum de Hincmaro iudicium.

Hic ergo veterum de Hincmaro ſenſus fuit. Vis & de recentioribus aliquid curſim delibemus? Trithemius eſto mihi recentiorum primus, à quo dicitur *Vir in diuinis ſcripturis ſingulariter doctus, & in ſecularibus litteris nulli ſuo tempore ſecundus: ſapientia & morum honeſtate conſpicuus: atque eloquentiſſimus.* Baronius, quanquam in multis infenſus Hincmaro, quem ſatis non nouit, eius tamen *initia laudabilia fuiſſe* tacere non poteſt. Et in Concilio Meldenſi præclaram eius ſententiam refert, *qui præ ceteris in ea Synodo ſcientia eminebat, reliquos in ſuam trahens ſententiam, non ipſis tantùm, ſed poſteris relinquens exemplum dixit*, &c. Et iterum de certamine in Gotteſchalcum, quod totum ad initia laudabilia pertinet, *diu multúmque decertandum Hincmaro fuiſſe aduersùs beſtiam hanc.* Iacobus Meyerus Hincmarum *pium, & admodum litteratum* fuiſſe teſtatur. Georgius Coluenerius Duacenus Theologus, hiſtoriam Flodoardi commentatus, pro Hincmaro ſæpe ſententiam dicit. Iacobus Sirmondus inſignis in Gotteſchalcum operis de Prædeſtinatione reſtitutor, cuius apud alios vnicum nomen reſtabat, meritò ſperat operam ſuam *non ingratam fore lectoribus, quos tanti viri lucubrationes delectant. Diſſertationem verò aduersùs Prædeſtinatianos opportunam hoc tempore ad eoſdem refellendos, aptiſſimámque arbitratur. Quanquam in operibus Hincmari nullum eſt, quod vtilitate ſua careat, & in quo præſtans auctoris iudicium, cum ſcientiæ copia non eluceat.* Pupugit hæc Præfatio Gotteſchalci amicos, & ad fabuloſam hiſtoriæ Prædeſtinatianæ confutationem vehementiùs excitauit.

Poſteriorum ſcriptorum teſtimonia. Trith. l. de ſcript. Eccl.

Baron. tom. 10. ad ann. 845.

Ibid. ann. 848.

Meyer. Annal. Flandr. ann. 885.

Coluener. ſchol. in Flodoard. l. 3. c. 21.

Sirm. tom. 1. oper. Hinc. Præfat. ad lect.

SECTIO VII.

Nonnullæ aduersùs Hincmarum criminationes strictim excutiuntur.

Hincmarus criminationibus omnibus respondit.

VIRTVTEM & inuidiam omnis ætas, Hincmarum & æmulos historia nostra semper aspiciet, sed non calumniam innocentiæ omni ex parte victricem. Certè iam senex in Concilio Tricassino coram Ioanne VIII. Pontifice omnibus criminationibus *respondit pro tempore:* quod interpretor, ex tempore, absque commentatione fuci falsitatisque suspecta, quam eloquentiam sola nouit innocentia. Neque viua voce contentus, apologiam pro se scripsit, *omnibus eam legere volentibus, contra eos qui calumniati sunt illum*, &c. *Sed & de aliis conuiciis sibi per calumniam illatis, de quibus eum veritas excusabilem reddidit.* Non potentia, vt olim Ebbonem præcessorem: non scriptorum præstigiæ, & frigidæ dissimulationes, vt deinde Gotteschalcum; sed ipsa *Veritas* absoluit. Et spes est facturam aliquando Dei prouidentiam, vt educatur è puteo filia temporis, & aliquo carcere liberetur illa Apologia, vt obstruatur os loquentium iniqua, & illustrissimo viro propter damnatum hæreticum infensorum.

Flodoard. l. 3. hist. c. 29.

In rebus gestis Hincmari quædam consideranda.

Equidem non inficior in magno & acri ingenio exuberasse nonnulla, quæ credant sapientes amputanda: in negotia nonnunquam irruisse potiùs, quàm venisse: disciplinam Ecclesiasticam auidiore zelo custodisse, quàm cautiore. Sed hoc maximè considerandum, à nobis rerum gestarum momenta & circumstantias ignorantibus, non facilè iudicium ferri oportere; læsorum aut æmulorum querelis aurem vnam dandam fuisse, sed alteram accusato reseruandam. Wlfadum, Gotteschalcum, Rothadum, nepotem Hincmarum Archiepiscopi Remensis fuisse subditos; hunc illorum Prælatum & iudicem: aduersùs eos nullam nisi in Conciliis, hoc est, legitimo loco, & processu, causa cognita cum plurimis Coepiscopis dixisse sententiam. Ceteris in negotiis eorundem patrem extitisse, & patronum: neque quicquam nisi ordinis Ecclesiastici studio aduersùs eos fecisse. Denique Flodoardo teste, *contra flagitia*, non autem contra personas, *veluti murum inexpugnabilem semper extitisse.* Quod agentibus paratas semper esse oportet à vitiis calumnias. Hæc vniuersè temporum historiam decurrentibus, obseruanda propono.

Posteriorum scriptorum testimonia.

Trith. l. de script. Eccl.

Baron. tom. 10. ad an. 845.

Flodoard. l. 3. hist. c. 30.

Ibid. an. 848.

Meyer. Annal. Fland. ann. 851.

Colucner. schol. in Flodoard. l. 3. c. 21.

Sirm. tom. 1. oper. Hinc. Præfat. ad lect.

1. obiectio ex litteris Nicolai I.

Priuata quædam obiicit *Dissertatio Historica & Chronica.* Fuisse in causa Rothadi *censuras Apostolica Sedis in eum latas: Pharisaica indurationis, crudelitatis, fraudulentiæ, superbiæ, falsitatis* à Nicolao I. notatum. *Horrendæ sæuitiæ, ferinæ & inhumanæ tractationis, quam seculum illud exhorruit* infamiam meritum esse, in carcere & excæcatione nepotis sui iunioris Hincmari. Grauia crimina, si certa, si vera sunt. De nepote Hincmaro plenissimè satisfaciet Concilium Duziacense I. quandoque à nobis, si Deus dederit, edendum: quo lecto Præses amplissimus Dissertationi suæ superfluum Epilogum, vt spero, nolet adiectum. De Nicolao I. & Rothado cùm loquitur, scire aueo quam personam induat? *Dissertatoris?* At peruersè ratiocinatur, id ad totam hominis vnius vitam, & omnia eius gesta numero infinita, varietate distinctissima, referri oportere, quod, vt summum, de negotio vnico dictum est. *Historici?* At cùm hæc verè obiecta narret à Nicolao, tacet infideliter omnibus ab Hincmaro esse responsum. Dissimulat legisse se in Hincmaro de rebus istis agente. *Bonæ memoriæ Nicolai Papæ litteræ postquam inde veritatem resciuit, per meum missum directa, mihi abundantissimè suffecerunt.* Aut apertiùs in Flodoardo, *gratulanter suscipiens quæ Hincmarus ei scripserat, de omnibus sibi satisfactum esse rescripsit.* Hæc autem vicinus morti respondebat Nicolaus, cùm dissipatis affectuum nebulis, veritas purior enitescit. *Chronologi* ergo? At omnes illæ Hincmari cum Nicolao contentiones longè posteriores sunt condemnatione & carcere Gotteschalci: neque vnquam de causa Gotteschalci cum Hincmaro egit Nicolaus. Et si Gotteschalci disputationem cum Nicolao I. Pontifice vult coniunctam, quemadmodum in aditiali tabula Gotteschalcum collocat ad pedes Nicolai benedictionem impertientis, ridiculus est parachronismus. Cur ergo tota quanta est Dissertatione obiiciuntur ista, quæ nullam habent cum controuersia Gotteschalci affinitatem?

Respondeo.

Hincm. epist. 26.

Hincm. l. 55. cap. c. 5.

Flodoard. l. 3. c. 17.

2. obiectio de Schismate.

Non plus habet virium altera obiectio, quæ ex laudabilibus initiis degenerasse in schismaticum criminatur. Nam & veteres inimici calumniabantur, ait Flodoardus, eum *decretales Romanorum Pontificum Epistolas, nolle ad auctoritatem recipere. De hoc quoque, quòd calumniabantur eum dicere, non maioris dignitatis esse Papam Romanum, quàm esset ipse.* Huius calumniæ stupor ex rebellione Hincmari nepotis in auunculum natus est, viginti, & quod excurrit, annis post condemnatum flagellatúmque Gotteschalcum, audiente postea & probante Ioanne VIII. explosus ab Hincmaro: qui verè iam olim ad Nicolaum scripserat. *Veraciter fateor, hoc nunquam in cor meum ascendit, qui semper & Apostolicæ Sedi, & eius rectoribus, postquam me nosse potui, pro meo scire & posse fidelis & deuotus, & humilis ac subiectus extiti, sum, & adiuuante Domino, permanebo.* Quæ verba, & adiuncta verbis facta, superbi, contumacis, schismatici non sunt: quales Theutgandum, & Guntharium in Germania, Photium in Oriente ea tempestate Pontifex experiebatur. Ac licuerit sanè Baronio, Posseuino, Andreæ Duuallio, & paucis aliis sinistrum aliquid priùs sentire de Hincmaro, quàm eius opera pleraque vitæ redderentur à Sirmondo. Sed modò positis in propatulo plurimis epistolis, quibus maleuolorum obtrectationes copiosè fortitérque confutat; solas calumnias pro veris criminibus ostentare, mores Hincmari de aduersariorum accusatione, non de ipsius apologia æstimare, qua lege, quo more potuit Dissertator? Non sic tractatur historia; vera narrat illa, non facit: Poëtarum est fingere, quæ delectent. Caue ne Baronij nomen, Hincmaro, propter Pontificias contentiones parum aliquando æqui, validiùs vrgeas: Nam is initia Hincmari laudabilia vocat, & ad hæc initia damnatos coërcitósque Gotteschalci errores refert.

Flodoard. l. 3. c. 29. cit.

Hincm. epist. 20.

Nicol. epist. 70. 74.

3. obiectio de falsitate.

Affertur & pro magno crimine, quòd confessione Sirmondi *Hincmarum falli & fallere*

prœliue fit. Quam obseruationem vel suo nomine plurimi facere debuit Dissertator, qui quas notat in Hincmaro labes historiæ, non aliunde didicit, quàm ab eo qui *falli & fallere Hincmarum* admonuit. Quo autem in proposito Sirmondus istud scribit de Hincmaro? In veteribus historiis, & alienis relationibus, quas non accuratissimè, & ad omnem veritatis normam singuli tenent, qui naturæ defectus est, Hincmarus arguitur. Quid est autem hominibus omnibus magis familiare, quàm vt apud bonos auctores lecta, vel ab aliis fide dignis audita pro veris habeant, & vsurpent, atque aliis deinde sic credita denarrent, falsi ipsi & fallentes, vtrumque innocentissimè? Verùm in iis negotiis quæ gessit Hincmarus, in Conciliis quibus interfuit, in præliis contra Gotteschalcum, eiúsque sodales initis, *falli & fallere Hincmarum*, non dixit Sirmondus, non credidit: apud quem legit, Laudunensi nepoti obiectum. *Non debueras fallere, aut falli posse, quod auribus audisti, manibus contrectasti, oculis legendo vidisti.* Vt vna hæc ratio fidem omnem Hincmaro, & Rabano in causa Gotteschalci conciliare debeat, quam eo loquente auribus audiuerunt, manibus contrectarunt, & in libris eius manu scriptis legendo viderunt. Nos verò qui modò litigamus, si ego in iis quæ pro Hincmaro contra Gotteschalcum affero, ab antiquis omnibus scriptoribus, tradita, octo circiter seculis credita, fallor, veniam mereor coæuos meos fallendo. Sin Dissertator amplissimus, pro Gotteschalco contra Hincmarum aduocatus: in iis quæ accepit à nemine, quæ coniecturis suis primus assequutus est, quæ non aliter confirmare potest, quàm argumento, *vt verisimile est*. contrariis omnibus interim tacitis, & dissimulatis, fallitur; nescio an *summa* illa sua *fide* lectores innocenter possit fallere.

Hincm. l. 55. cap. c. 5. cit.

SECTIO VIII.

Historicorum veterum in hac historia fides explorata.

De Annalibus Francorum, siue Fuldensibus.

EX eleuata Rabani fide, verbis quidem, at non reipsa, Præses amplissimus in eandem cum illis ruinam trahit Annales Fuldenses, & ceteros Germaniæ scriptores: quos ait à Rabano Gotteschalci accepisse historiam, vt scriptum legimus in Synopsi: In Dissertatione autem Annales iidem *ab ipsius Rabani Amanuensi Monacho collecti* narrantur. Equidem illis Annalibus supremum auctoritatis locum non puto tribuendum; vt qui in rebus ciuilibus, & Regum nostrorum gestis ab Annalibus Bertinianis, de quibus mox, corrigantur. Sed miror in primis asseueratè dici absque auctore, absque teste, nullo argumento, *ab Amanuensi Rabani* fuisse *collectos*. Qui sine dubio diuersorum sunt auctorum, res temporum suorum in commentarios referentium. Deinde, illud ipsum ad detrahendam illis fidem afferri, vt à Rabano Gotteschalci iudicium accepisse referantur; cùm ex hac ipsa ratione plus à nobis fidei mereantur. Nam si Moguntinæ Synodi euentum aliis narrauit Rabanus ipse qui præfuit, qui iudex Gotteschalci causam cognouit, qui sententiam in eum pronunciauit, quis sapiens post tantum Antistitem idem narrare, aut credere defugiat? Si Rabani Amanuensis illud scripsit: adde etiam, si præsens in Synodo fuit, Episcopi sui minister, iam magis confirmata res est illo teste addito, *vt in ore duorum, vel trium stet omne verbum*. Credo igitur istis Francorum Annalibus, quos Fuldenses appellamus, non præcisè quia sunt Annales, non quia Fuldenses, sed quia Rabano, & ceteris, quibus ipsi noti non fuerunt, consentientia referunt.

Dissert. c. 6.

De Flodoardo.

Alia via historiam Flodoardi lacessit solers Dissertator, cui non sufficit dicere, hausisse Flodoardum ex scriptis Hincmari quæ de illo narrat: vt intelligamus à cœnoso fonte riuum necessariò esse lutulentum. Sed etiam addit alicubi, corruptum esse Flodoardum: vt quando de Gotteschalco sinistrum aliquid audiemus, suboriatur in animis nostris suspicio, illapsæ in eum locum corruptionis. Subtiliter profectò, si notus aliunde non esset Flodoardus: quem videlicet ipsius Chronici supplementum, ait fuisse *honore sanctitatis venerandum, castitatis splendore Angelicum, fulgore sapientiæ cælicum, ceterarúmque virtutum insignibus abundanter oppletum: librorum dictatorem egregium: qui terrenæ peregrinationis relinquens exilia, ciuica, vt credimus, adeptus est iura.* Scribebat altero post Hincmarum seculo, auctor non ferreus, calente adhuc eius memoria: neque tantùm ex actis publicis, sed etiam senum relatione res gestas poterat ediscere: in Ecclesiæ Remensis tabulario integra & incorrupta tum Archiepiscopi scripta seruabantur, tum eorum quibuscum negotia tractauerat: ex illis historiam suam collegit vir sanctitate venerabilis. Qua igitur ex parte vacillare putanda est, vt ei securè inniti non possimus? Adulteratus est, inquit. A quo? quo loco? quàm fœdè vt reparari non possit? Nam Coluenerius accuratus Scholiastes, medicam manum ad eius libros, vbi vetustate contracti videbantur, attulit; neque quicquam momenti vllius, quod aliunde non intelligatur, in erroris Gotteschalcani mentione produxit. Quanti redemisset vel sic corruptum Baronius, qui Gallicum tantummodo nactus exemplar priusquam reuixisset, in Latinum sermonem vertendum curauit, ne tanto scriptore priuaretur.

Chronic. Flodoard. in fine.

Coluener. in Flodoard. l. 3. c. 28.

De Annalibus sancti Bertini.

Sed quo mitiùs Flodoardum habet Dissertator amplissimus, eo magis difficili bile tumet aduersus Annalium sancti Bertini auctorem, cuius vnicum scelus est, Hincmaro & eius partibus fauisse. Quamobrem *nequam Annalista, virulentus impostor & impudens; Putidum & virulentum obtrectationis virus* ex epistolis Hincmari hausisse dicitur. *Sicut & in Gotteschalcum, vt Prædestinatianum hæreticum, blaterat: Imprimis obseruandum auctorem illum Metropolitani sui Hincmari factioni sic addictum, vt eos omnes qui eius oppressioni aduersati sunt, sine vllo æquitatis & iustitiæ, seu etiam dignitatis & auctoritatis discrimine, similibus probris & calumniis oneret.* In hac contumeliarum congerie, quas grauis & modesta theologia, nisi vulneratis auribus non accipiat: erunt quibus diserti hominis dictum statim occurret, *qui in alterum paratus est dicere, omni ipsum vitio carere debere.* Atque illud Poëticum, *non respicis te cùm maledicis alteri?* Aut istud sanctius, *Medice cura*

Dissert. c. 44.

teipsum. Verùm istud non ago, neque Annalistæ in singulis apologiam tento, minimè rebus meis necessariam, licèt facilem, si causa postulet, & expeditam.

Defenduntur à calumniis.

Hæreo in summa calumniæ, Hincmari, & eius opinionum amore, sui scilicet Metropolitani, oppositis omnibus bellum indixisse. Peto igitur à Viro clarissimo, vt certa & solida ratione nobis ostendat, vnicum fuisse operis illius vniuersi Annalistam, qui sic & aliis in locis fœdè lapsus sit, & *virulentum virus effuderit*, vt isto sic tractari mereatur. Nam si nusquam alibi vnus ille scriptor aduersùs historicam veritatem peccat, magnum est præiudicium seruatæ eodem tenore in causa Hincmari iustitiæ & æquitatis. Aut si multorum manibus moles ea constructa est, quod vero mihi similius videtur, certis argumentis demonstret, huius partis quæ tangit Hincmarum, *Annalistam* illum architectum, adeo *nequam*, vt etiam Gotteschalco Prædestinatiani hæretici nomen & crimen impegerit, æqualem Hincmari extitisse. Nam si fuit posterior tempore, puta Flodoardi æqualis, Metropolitanum Hincmarum non habuit, cuius gratiam aucuparetur. Aut si eodem vixit seculo, Hincmaro sapientia & virtute apud omnes florente, causam certam & à coniecturis puram edicat, quæ obscurum in claustri latebris Monachum apud Audomaropolim, procul à Metropoli Remorum Durocortoro, ea priuatim sibi suisque scribentem, quæ in vulgus emanare omnino non deberent, *Metropolitani sui factioni sic adduxerit*, qui fortè, esset-ne Metropolitanus Hincmarus nunquam ab animo suo quæsiuit? Mercedem ex eo sperauit? Quam? cuius naturæ? hominem timuit violentum, libertatis oppressorem, & Pharaonicæ crudelitatis? Quis cogebat scribere leuiculas temporum obseruationes, monasterij septis claudendas, auctoris otiosam curiositatem, non doctrinæ vel eloquentiæ copiam prodituras? Quid erat illi timendum post Ratramni Corbeiensis, Prudentij Tricassini, Lupi Ferrariensis exemplum, quibus ab Hincmaro dissentire liberrimum fuit? Sed age, quid nouum & inauditum de Gotteschalco, & Prudentio attulit Annalista, *nequam ille & impudens*? Da mihi toto illo seculo vnum aliquem historicum, Theologum, Clericum, Monachum, qui Gotteschalcum, præcisè qualis à duobus Conciliis damnatus est, Catholicum appellarit. Da qui Prudentium Gotteschalco, licèt non omni ex parte, fauisse negauerit; qui famam & nomen sanctitatis illi tribuerit, qui aliquando inimicitias cum Hincmaro gessisse non crediderit. Si mihi aliud referunt Annales Bertiniani, quamobrem vapulant, & nequitiæ, atque impudentiæ accusantur?

De Trithemio.

In Trithemio quoque nouitatem prætexit Dissertator eruditus, vt liberè ab eo dissentire valeat. At hic mihi deferendus in quibusdam videtur, non nouitatis nomine; sed quòd nonnullorum quos laudat scriptorum opera minùs explorata habuerit, déque iis aliter, quàm quod modò nobis apparet, pronunciauerit. Recentiores alios, vt & hoc addam, ac præcipuè

De Baronio.

Baronium excusat, quòd de Gotteschalco, tanquam de hæretico, scripserint omnes quotquot extant, quia sic è veterum libris hauserunt: inde factum, *vt hæreticus habitus sit, & cum illo*

Synopf. ad ann. 868.

tanquam heretico, summo iure sit actum. Vnde igitur puram putam historiam Gotteschalci expiscabimur, si Rabanus errauit, Hincmarus mendaciorum loquacissimus fuit, Annalista Bertinianus impostor & impudens, Flodoardus corruptus, Trithemius recentior, deceptus Baronius?

De auctore Dissertationis.

Quid superest nisi vt Præsidem amplissimum consulamus, qui & ipse in historicorum Gotteschalci numerum venire gestit, quomodo & vnde operi suo auctoritatem conciliet, & nouitatis suspicionem, quam in aliis contemnit, à se amoliatur? Respondet, animum appellere se ad hanc controuersiam *è veris fontibus, auctoribus scilicet synchronis, Annalibus Bertinianis, Fuldensibus, Chronico Fontanellensi, Flodoardo, ipsisque Hincmaro, Rabano, & aliis haustam.* Papæ! Illi sunt ipsi quos mihi proposui: *veri fontes* sunt, quibus pugno iam diu esse credendum: fidem habent à tempore, quia *synchroni* sunt: & nouitas non est, quæ cum vetustate sapit. Bene habet, conuenimus in fontibus: cur non etiam in aqua ex illis expressa? Nam ego limpidam video, ille turbidam: illos ego sequor, quia & *fontes* sunt, & *veri*: eos ipse frequentissimè turbat, & verberat, & fastidit, quos præfando *veros* agnoscit. Noua profectò veteres historias narrandi methodus, & mihi, vt ingenuè fatear, nondum comprehensa, vt eos à quibus solis res exhibendas habere potest, qui proinde *fontes* sunt: quibus vnis credi debet in re ab oculis nostris remota, quia *synchroni* sunt; quos ille ipse recens historicus *veros* fatetur, penè semper reiiciat, sæpissimè & execretur, oneretque conuiciis. Quodnam est igitur aliud ad historicam veritatem indagandam præter *veros fontes* subsidium? Audi Lector, & situlam inspice, quâ latex *è veris fontibus* educitur. *Non sine iugi meditatione*, inquit, *habita cum eruditioribus venerandæ antiquitatis indagatoribus collatione.* Hoc vase turbari aquam necesse est; & vtrunque accuratam exigit distinctionem, ne fortè in magnam veritatis perniciem misceantur. Nam se profitetur Dissertator solertissimus, ad enucleandam quæstionem afferre adiumenta duo, veterum libros, vt *veros fontes*: & *meditationem* suam cum *collatione*: ex illis haurit verba, sine dubio *vera* & proba; ex hac, sensus & coniecturas: verba veterum sunt & *synchronorum*; coniecturæ recentissimorum, qui etiamnum [illegible]. Verba sunt seculi noni aut decimi: sensus, coniecturæ, diuinationes, propositiones sine teste, sine auctore veteri, argumenta, *vt verisimile est*, fundamento carentia, seculi sunt decimi septimi, moneta notæ recentissimæ, è *meditatione & collatione.*

Suspecta est nimia diligentia.

At hæc omnia, libros, inquam, tanto studio, & fortasse etiam sumptu, ex situ & puluere bibliothecarum remotarum manu publica eductos, & his additam *meditationem, collationémque*, mihi suspecta reddit Pacianus ad nouitatis amantem Nouatianum scribens. *Tu postquam à reliquo corpore segregatus es, & à matre diuisus, vt rationem facti tui redderes, totos librorum recessus scrutator inquiris; occulta quæque solicitas, quicquid exinde securum est, inquietas. Nostri nihil vltrò disputauere maiores: Nuda est apud nos ipsa securitas: Quid attuleris de*

Differt. Præfat.

Pacian. epist. 3. ad Sympron.

parte sua, meritum. Quomodo se tum gesserit in excutiendis meditandisque libris Symproniamus, nescio; hoc scio, non aliter propugnatas à Luthero & Caluino hæreses suas: memini & Arium Luciani martyris, & Alexandrini Dionysij commentarios, vt sibi suffragantes produxisse; Pelagium sancti Ambrosij auctoritate nonnunquam se texisse, Origenistas consarcinatis Gregorij Nazianzeni sententiis in Collatione quadam abusos esse: Berengarium Ioannis Scoti de corpore & sanguine Domini doctrinam pro erroris sui fundamento arripuisse: nunquam denique puriorem fuisse Christianorum fidem, quàm cùm sibi tradita, sine bibliothecarum curiositate, sola sancti Spiritus auctoritate sincerè, & simpliciter accepit. Patrocinio igitur suo præiudicauit, qui tanta cum solicitudine & cura bibliothecas excussit; veritatem autem adulterauit, qui *veris fontibus, meditationem & collationem* suam admiscuit, res admodum dissimiles, & inuicem seiungenda. Quid si addimus, *eruditiores* illos *veneranda antiquitatis indagatores*, quibuscum *habita* est *collatio*, non esse alios, quàm quos minister Caluinista fratres suos, & socios ὁμοφώνους appellat, & agnoscit?

Itaque, vt tandem ad historiam veniamus, habes, Lector, & iudex, aduersariorum conatus, restituendi Gotteschalci specie, veterem fidem conuellentium; meum contra consilium in Gotteschalci hæretici accusatione, & Hincmari defensione, religionem Catholicam, & Romanorum Pontificum auctoritatem tueri. Sentis quantum sit dignitatis, in Rabano Mauro, Hincmaro, & aliis testibus à me producendis, quos aduersarij confessio *veros fontes* appellat. Vetas ne simul cum iis *meditationem & collationem* meam adiungam, ne calicem vini meri plenum mixto propinare videar: quod est veritatem cauponari. Pareo, & vt *Historiam* sincerè, sic Controuersiam animosè ingredior. *Conclusio Apparatus.*



HISTORIAE GOTTESCHALCI PRÆDESTINATIANI ET CONTROVERSIÆ PER EVM REVOCATÆ LIBER PRIMVS.

QVI ET *GOTTESCHALCI PRIMORDIA vsque ad errorum damnationem duobus Conciliis factam.*

CAPVT I.

Temporum status per initia Gotteschalci, & Ecclesiasticæ controuersiæ.

Gotteschalci controuersia nostra similis.



NOMEN infamia sua celebre Gotteschalcus: flabellum discordiæ, cymbalum nouitatis, Conciliorum materies, Episcoporum labor, Rabani Mauri gloria, exercitatio Hincmari, Prædestinatianorum resurrectio, simulacrum peruicaciæ, æui sui fabula, nostri negotium, è putri sarcophago, & asini sepultura sepultis cineribus tumultuatur. Quid enim egit hæreticus nebulo, quid dixit, quid conatus est, quod oculis modò nostris fieri, scribi, tractari non videamus? Mutato nomine, mi Lector, de nostris iurgiis fabula narratur: neque otio est opus, & profunda meditatione ad illud inuestigandum; sed threnis & lacrymis ad deflendum. Quid autem causæ est, cur Gotteschalci turbas renouemus, infelicem eius exitum non vereamur? An multi modò Gotteschalci, quia pauci sunt Hincmari? An fucus nouitatis animis etiam nostris illudit? At sapienti credimus, nihil sub sole nouum esse, nec valere quenquam dicere: *Ecce hoc recens est: iam enim præcessit in seculis, quæ fuerunt ante nos.* Gotteschalcus enim quid recens edidit? Nonne ab antiquis Prædestinatianis hausit blasphemias? Wicleffus & Caluinus post Gotteschalcum; videbunt alij, num qui deinde à Caluino. Interim quoniam partus sequitur ventrem, & se in parentibus libenter quærunt filij: primorum autem Prædestinatianorum iamdiu obscura, nouis etiam curis dubia & controuersa facta memoria est, lubet reexorti Prædestinatiani effigiem suis coloribus describere, si quibus aut eo parente gloriari placebit, aut hoc portentum certis hostiis procurandum videbitur.

Eccles. c. 1.

Qui tum fuerit Galliæ status.

Regni partem sacratissimam facit Ecclesia: Ecclesiam, vt ceteros ordines, pacatam fouet Regis auctoritas: auctoritatem Regi conciliat virtus, & Imperij amplitudo. Vtrunque sub Carolo Caluo languebat in Gallia. Nam Regno amplitudinem detraxerat & fratrum partitio, & Nortmannorum tunc gentilium, & barbarorum ferox incursio. Pietate, assiduis, & plusquam ciuilibus bellis attrita, admirabilis ille disciplinæ Ecclesiasticæ decor, orbe quondam toto ad exemplum spectabilis, effluxerat. Longiùs aberat à Ludouico patre Carolus Caluus; quàm antea Ludouicus à Carolo Magno. Tenebat cum Imperio Lugdunensem Galliam Lotharius, Germaniam Ludouicus, Carolus Sequanos. Stabat pax inter fratres, non concordia, sed desperatione vincendi. Tentato frequenter ab aliis, occupato non semel Regno suo, Carolus tandem etiam, illis superstes, accepit Imperium. Agebantur, vt assolet, Principum suorum motibus viri Ecclesiastici. Quomodo enim vnquam Annales Fuldenses, qui Francorum dicuntur, Carolum *Galliæ tyrannum, nouellum Sennacherib, lepore timidiorem* appellarent, nisi Fulda & Moguntia parerent Ludouico? His additæ priuatæ singulorum causæ, mutuam æmulationem fecerunt, in bellum sacrum erupturam. Nec miraberis si Lugdunenses Remensibus, Carisiacis Valentinos videas repugnantes: Regni studio potiùs dissident, quàm religionis dogma-

Annales Fuldenses iniuriosi Carolo Caluo.

te. Ac ne quid ad tumultus deesset, fuerunt inter hæc omnia Gotteschalcus, & hæresis, tanquam à Paride rapta Helena, in regno Lotharij nata, ab Episcopis Ludouici deprehensa & damnata, sub Carolo castigata: quæ per Magnum auum, aut patrem Pium momento foret oppressa.

Quæ contentiones Theologorum. Viam strauerunt ad hæresim, Theologorum pluribus de quæstionibus contentiones, vehementiores, quàm pro inuestiganda veritate; diuturniores, quàm pro fouenda caritate; pertinaciores, quàm pro ædificandis fidelibus. Sua quippe fœcunditate laborauit hoc seculum, ferreo proximum; quasi non satis esset pestis vna Gotteschalcus, aut vnum hydræ caput sine pullulantibus aliis non posset exscindi. Hoc grauiter admonet Hincmarus, post perstrictam contentionem inter Prudentium Episcopum, & Ioannem Erigenam Scotum, occasione Gotteschalcanæ controuersiæ prognatam. (Hincm. l. de Præd. c. 31.) *Sunt*, inquit, *& alia, quæ vocum nouitatibus delectantes, vnde sibi inanes comparent rumusculos, contra fidei Catholicæ veritatem dicunt. Videlicet quòd Trina sit Deitas: quòd sacramenta altaris non verum corpus, & verus sanguis sit Domini, sed tantùm memoria veri corporis & sanguinis eius. Quòd Angeli natura sint corporales; Quòd anima hominis, non sit in corpore: Quòd non alia pœna sint infernales, nisi tormentalis memoria conscientiæ peccatorum.* Istud vnum est ex Scoticis deliriis, quod accepta scribendi occasione Ioannes Scotus in librum suum de vnica prædestinatione ingratiis intrusit. *Et forte qui non satagunt, vt post finitum vniuersale iudicium Dominum videant, qualiter videri debeat, mordaci contentione disquirunt.* Disquisiuit Gotteschalcus, sed absque contentione, quod sciamus: necesse igitur est alios quosdam ignotos historiæ, hac in quæstione magna cum acerbitate fuisse versatos. *Et plura alia, contra quæ orthodoxos Ecclesiæ Catholicæ rectores, necesse erit studio solerti vigilare.* Atque vigilassent vtinam, neque viris ingeniosis, quod vsu venire solet, æstu disputationum abreptis, & victoriæ gloria, vel cedendi metu inflammatis, facti essent errores de quæstionibus. Pura Theologia est, quæ simplex. Catholici fide sumus, non contentione. Quicquid disceptatur, fit dubium, quod horret fides. Ac ne credamus harum quæstionum parentem fuisse Gotteschalcum, narrat Hincmarus non semel, eum *de omnibus quæ peruersè tunc temporis sensa cognouerat, quatuor sibi elegisse capitula, omnium penè peruersitatum illarum fœtidas & cœnulentas faces in se continentia, vt nouitate vocum innotesci valeret.* (Hincm. l. de prædest. c. 1. & Epist. 17. ad Nicol.) Agitatis ergo Theologiæ fluctibus, superuenit turbo Gotteschalcus, cuius non fuisset metuenda tempestas, nisi hæreticum videri voluisset æmulatio. Quòd si vera est Dissertatoris Præsidis Chronologia, (Dissert. c. 17) Bertramum imperante adhuc Ludouico Pio librum de corpore & sanguine Domini scripsisse, ac postea scriptum aliud eadem de re opus fuisse à Paschasio Ratberto, ipsius Ratramni Abbate, concludendum est inter ipsas Gotteschalci cunas, incaluisse illam quæ posteriores ætates tantopere exercuit, de veritate Christi corporis in Eucharistia, controuersiam. Neque tum erat terminata de Imaginum veneratione quæstio, aut à Francis Præsulibus admissa septima Synodus, vt ex Hincmaro, Walafrido Strabone, & aliis discere licet. (Walafr. Strabo l. de reb. Eccles. cap. 8.)

CAPVT II.

Gotteschalci nomen, patria, professio Monastica apud Orbacum.

Etymologia nominis Gotteschalci. INITIVM narrandi, ex philosophorum regulis, facio à quæstione, quid nominis, cum Godscalcum aliqui, Gotescalcum alij, nonnulli Gothescalc scribant. Proximè verum Henricus Canisius Gottesschalcum: meliùs euphoniæ causa Vsserius, & Dissertator eius assecla, Gotteschalcum, qua nos vtemur scriptura. Et hi quidem duo magnum aliquid ad commendationem hominis in eo nomine peruident, *Gott enim Germanis Deum, schalk seruum denotat*, ait Vsserius, (Vsser. hist. Gotteschal. c. 2.) *vt Gotteschalcus Θεόδουλος, siue seruum Dei sonet.* Et Dissertator Præses Synopsin & Dissertationem sic auspicatur: (Dissert. c. 1.) *Gotteschalcus & notatione nominis, & reipsa Dei seruus.* Atque aliquantò pòst, *Gott siquidem Deus, & Schalc seruus, lingua Germanica dicitur.* Ego verò qui leuem obseruationem esse arbitror in iis nominibus, quæ casu in homines incurrunt, visurus maximè in hac disputatione Lupos, & Leopardellos, minimè viros suorum nominum, breuiter dico, mihi semel tantùm allatæ significationis vestigium in vetere maiorum nostrorum lingua apparuisse, apud Lindembrogium. (Lindembrog. in Glossar.) Modò autem alia omnia Germanis significare, hominem videlicet callidum, deceptorem, illusorem, qui suas artes fallendis aliis subdolè tegat. Et hic sensus est Ambrosij Calepini verbo *veterator*. (Calep. V. Veterator.) *Germanicè ein alter schalk, homo veteris astutiæ, vt inquit Donatus, & in omni re callidus.* Et apud Saxones etiamnum Gotschalk contumeliosè vocari dicitur, qui diuina & humana nihili pendit, atheo proximus, quò rerum diuinarum illusores deuenire solent. Vanitatem porrò istius obseruationis etymologicæ nihil magis declarat, quàm diuersa eorum conditio, qui nomini illi participasse apud historicos loguntur. Nam Godscalcum habemus Caroli Magni legatum ad Sigifridum Regem Danorum, à rebellantibus Transalbianis Saxonibus trucidatum. (Annal. Car. M. ad ann. 798.) Godscalcum alium Diaconum & Canonicum Leodicensem, qui sub annum Christi 770. primus scripsit vitam S. Lamberti Episcopi Leodicensis, eiusdémque Martyris. (Aubert. Miræus auctar. de script. Eccles. c. 110.) Item Godscalcum inculpatæ vitæ Monachum Cluniacensem, qui de vita Odonis magistri sui, librum scripsit. (Arnold. Wion l. 2. c. 48.) Godscalcum Abbatem Attrebatensem de Monte S. Martini, virum illustrem religione & prudentia. (Rob. de Monte append. ad Chron. Sigeb.) Abbatem alium S. Albani, non æquè laudabilem: quippe cui deposito, successit Adelmannus. (Append. ad Marian. Scot.) Plures prætereo, quos fama obscura recondit. Vt hæc notatio tam studiosè à Duumuiris, qui se huius historiæ duces esse volunt, expressa, sapienti cuiuis, si nomen spectas casu puero inditum, nutricis nænia sit; si vitam & mores hominis, oraculum. Quid enim fuit vnquam miserabilis hic Monachus, nisi purus putus Gotteschalcus?

Gotteschalci patria incerta. Iam verò quæ patria illi non fuerit, potiùs dixerim, quàm quæ certò fuerit: adeò sunt obscura eius hominis initia, qui claritatem deinde assecu-

assecutus est omni obscuritate deteriorem. Scotia minimè omnium probabilis; quódque nonnulli aduersùs ipsum gesta, scribunt facta contra Scotos vagantes, Gotteschalci sectatores, non admitto; cùm ea Scotum Ioannem Eriugenam propiùs tangant. Pro Germania facit, nomen, de quo dictum, & Walafridi Strabonis testimonium modò expendendum. Verùm si fuit Germanus, cur & quomodo migrauit in Galliam? Quo legum Ecclesiasticarum iure, sacerdos consecratus est in Gallia? Quare natus in Ludouici Germani regno, præsente Ludouico in Synodo Moguntina damnatus, non est punitus vt incorrigibilis, non constrictus carcere, non eiectus in exilium: sed tantùm Galliæ redditus? Vixit in Gallia, séque Gallum probauit Trithemio. Sed vnde Gallo nomen Germanicum? Probabilius arbitror natum in Belgio, quod etiamnum Germania inferior est. Eò Saxonum rebellantium magnam partem transtulit Carolus Magnus, cum eis sanè, & linguam. Inde barbarum nomen accepit Gotteschalcus, & seuerioris vitæ propositum vt expleret, in Gallia Belgica apud Orbacum constitutus est.

Oblatus puer in Orbacensi Monasterio.

Hincm. l. de non Trin. Deit. sect. 13.

Non enim video quàm rectè quisquam Hincmarum explicet, si monasterium aliud quàm Orbacense cogitatur, dum scribit *de hymno vespertinali, quem Gotteschalcus ab ipsis rudimentis infantiæ, in Monachorum Monasterio, in quo secundùm regulam oblatus, & tonsus extitit, & vsque ad ætatem adultam mansit, cum Monachis labiis cecinit.* Fecit ergo Gotteschalcum Monachum à pueritia paterna deuotio, non propria professio, apud Orbacum in Suessionensi Parochia: quod tamen monasterium peculiari iure ad Archiepiscopi Remensis iurisdictionem spectasse, inde probant aliqui rerum periti, quòd in electionem successoris Hincmari subscripserunt Orbacenses Monachi, cum ceteris Remensibus. Idémque non incongruè confirmari potest, ex iis quæ refert Flodoardus scripta fuisse ad Hildebaldum Suessionensem Episcopum ab Hincmaro, *pro ministris Orbacensis Monasterij ordinandis, & de quibusdam fratribus, qui ab eodem Monasterio irrationabiliter exierant, reuersique postea recepti fuerant.* Hæc enim singularem eius Monasterij curam in Archiepiscopo declarant.

Concil. Gall. Tom. 2. in formul.

Flodoard. l. 3. hist. c. 23.

Non in Augia diuite.

Et hîc iterum disputatio. Quam pacem ab eo speres homine, cuius vtraque incunabula, & vitæ, & religionis litigium pariunt? Nam eruditi Dissertatoris opinio est, primis annis in Monasterio Augiæ diuitis, sub Tatone Abbate, humanioribus litteris apprimè eruditum fuisse. Idque se putat Walafridi Strabonis auctoritate conficere. Quod equidem fateor mihi non patere, neque in tota illa epistola quicquam lego, quod pueritiam Gotteschalci illo in Monasterio positam persuadeat, nósque ad Tatonem, diuitémque Augiam deducat; aut Gotteschalcum potiùs mittere cogat in Germaniam ad Strabonem, quàm Strabonem ipsum in Galliam euocare, cum Gotteschalco aliquandiu victurum. Quis autem nescit pueros vni Monasterio semel traditos à parentibus, illi fuisse affixos, vt cælo stellas, & suam perpetuo tenore iuuentutem in percipiendis humanis diuinisque litteris collocasse? Quod à Gotteschalco factum, expressè narrat qui eius æquales rexit, Hincmarus. Quæ fuit igitur nouæ commigrationis ad Augiam causa Gotteschalco? Quo teste facta narratur? Quis veniam à Tatone factam scribit historicus, non tantùm vt temporanea peregrinatione celebrioris Cœnobij scholas peteret, sed etiam vt perpetuam in illo sedem figeret?

Obiectio ex Walafrido Strabone.

At, inquies, gratulatur Walafridus *suo loco reductum* Gotteschalcum, cùm ex Italia rediit in Germaniam: ergo propria eius sedes fuit Germania.

Responsio.

Id si liberaliter concedam, quis euincet Augiæ diuitis esse potiùs, quàm quodlibet aliud monasterium? Quidni autem *suum locum* appellari dixero latiore vocabulo Galliam, & vicinas Galliæ prouincias, quæ respectu Italicæ peregrinationis, poëtica amplitudine dicantur patria Gotteschalci? Constat certè Orbaco egressum immediatè Italiam petiisse: quare stricta significatione dici non potest *suo loco reductus*, quandiu mansit in Germania. In hac ergo loquendi forma poëticum aliquid augurari licet; at non Augiam fingere, cuius in tota Gotteschalci vita nusquàm vlla mentio reperitur: nisi quòd ipse per errores Augiæ stabulum factus est, neque se purgari permisit ab Hercule.

CAPVT III.

Gotteschalci iuuentus in Monasterio parum probata, licèt à Walafrido Strabone impensè laudetur.

Qualis in Monasterio Gotteschalcus.



ACIT non parum hæc de Gotteschalci Monasterio statuta veritas, ad conciliandam Hincmari narrationi fidem, cùm ad Nicolaum Pontificem sincerè refert, quæ de eius moribus, & institutione iuuenili didicit ex Orbacensibus Monachis, contubernalibus, & testibus oculatis in hæc verba. *Antequam ad Episcopatus ordinem peruenirem, sicut Abbas suus, & Monachi, inter quos fuerat conuersatus, ei testimonium perhibent, in Metropolis Ecclesiæ Remorum Monasterio, in Suessionica parochia, quod Orbacus dicitur, habitu Monachus, mente ferinus, quietis impatiens, & vocum nouitate delectans, ac inter suos mobilitate noxia singularis,* &c.

Hincm. epist. 37. ad Nicol.

Studia Gotteschalci.

His moribus quantùm in studiis humanioribus, ipsáque poëtices facultate profecerit, monstrabit vna quæ superest eius ad Ratramnum epistola metrica, in Appendice legenda, quæ nos interim hoc loco docebit, de eius Theologica scientia quid æstimandum videatur. Narrat enim annum se vnum, non ampliùs, magistrum audiisse, ac postea variis monasterij negotiis fuisse districtum, vt priuatis studiis vacare non posset.

Quamlibet hoc modico vsus sim sub tempore pauco,
Namque magisterio vix vno subditus anno:
Nec didici deinceps, dubiis ambagibus anceps:
Stultorum princeps, abrupta per omnia præceps:
Nemo fuit mihi dux, ideò minimè patuit lux.

Gottesch. epist. ad Ratramn.

Pauca hæc quæ & historiam nostram adiuuant, & studiorum specimen exhibent, duo clarè ostendunt, & *stolidum* fuisse Gotteschalcum, qualis vocatur à Rabano, non doctum & eruditum: & *quietis impatientem* Monachum, quod ipsi obiectum est ab Hincmaro. Quid autem expectes ab eo in Theologicis rebus, qui se duce in

C

ſchalcum primus damnauit. Quid cenſes Le-ctor ?

Hincmarus malè tractatus à Diſſertatore

. Sed non ægrè, meo iudicio, redierit in gratiam cum Rabano, ſi quis eius iræ volet Hincmarum condonare, hominem ſanè Gotteſchalco importunum, à quo & virgis pulſatus, & clauſus carcere, & ad reſipiſcendum ſæpe vocatus eſt miſerabilis Monachus. Hinc illa conuicia & opprobria, quæ nec ab honeſto viro dici, nec in magnum Archiepiſcopum dici, neque Catholicas aures audire, boni mores aut Ianſeniana dulcitudo patiuntur. Non poſtulas, Lector, ea tibi hoc loco exhiberi, quæ cuperes obliuione ſepulta: ſed ea tantùm ex claſſicis auctoribus offerri quæ nouatorum calumnias diſſipent. Incipio à moribus & vita.

Hincmari elogium. Flodoard. l. 3. hiſt. Remenſ. c. 1. Sur. 9. Oct. Tom. 5.

Tradit enim Flodoardus eius ſeculo proximus, genere nobilem, à puero monaſticis virtutibus & ſtudiis imbutum. In his qui fuerit eius labor & profectus, colligi facilè poteſt ex ipſius Hincmari Epiſtola, quam ex Surio in opuſcula Hincmari non tranſtulit Sirmondus, cauſa nobis occulta. Maturum ætate tranſlatum in Ludouici Pij palatium, inter eius familiares militaſſe Deo & Imperatori, narrat idem Flodoardus: addente Hincmaro ipſo, Imperatorem optimum, *per octo circiter annos ſecreta ſua indubitanter ipſi credidiſſe* : Hilduino Abbati ſuo ex offenſa aduersùs eundem Regem exulanti, comitem ſe dediſſe. Poſtea autem in fœda eiuſdem Principis exauctoratione, cùm filiorum perduellium partibus faueret Hilduinus, & eodem Hincmarum trahere conaretur, reſtitiſſe fortiter nobilem animum, & iuratam ſemel Regi fidem conſtanter tenuiſſe. Interim ſuo in Monaſterio dilapſum religioſæ diſciplinæ ordinem reuocandi auctorem Hilduino extitiſſe, *& vt opere quoque adimpleret, quod ſermone ſuadebat, etiam ipſum religioſæ conuerſationi cum aliis ſe ſubdidiſſe, caſtigantem corpus ſuum, & ſpiritali ſubiicientem ſeruituti* Sed hæ priuatis parietibus continebantur exercitationes, poſt frequentatam aulam non parum laudabiles. Longo igitur poſt tempore in Sedem Remenſem, velut virtutum omnium, & ingenij, zelique ſui palæſtram ingreſſus, Regis Caroli gra-

Ibid. c. 4.

tia ſapienter vſus eſt ad repetenda Eccleſiæ ſuæ bona, per laïcos occupata, qui fuit ſecu-

Ibid. c. 5.

li morbus: ad Templa reficienda, & pretioſis donariis ornanda: noſocomia extruenda, coërcenda ſcelera, damnandas hæreſes Gotteſchalci, iuuandum aduersùs Græcorum ſchiſma, & Lotharij Regis Auſtraſiæ iniuſtum repudium,

Ibid. c. 12.

Nicolaum Papam. Scripſit aduersùs eoſdem errores, & de variis negotiis ad Reges, & Reginas, ad Pontifices, Epiſcopos, Abbates,

Ibid. c. 28.

nobiles, ſubditos, *qualiter iuſtè & piè & caſtè viuerent, quàm reuerenter atque deuotè ieiunia cuſtodita tractarent: pro his qui obiiſſent, tam Epiſcopis, quàm aliis quibuscumque perſonis, qualiter Domini clementiam exorarent, & vt perſonæ Deo placitæ in vacantibus eligerentur Epiſcopiis, tam ieiuniis, quàm orationibus Dominum exorarent.* Denique poſt infinitam per viginti capita enumerationem, operum multitudine oppreſſus concludit hiſtoricus, ſe pluribus aliis recenſendis imparem eſſe. In iis ſunt

Tom. 2. oper. Hincm.

Inſtitutiones verè Regiæ ad Carolum Caluum, ad Ludouicum Balbum, ad Carolum eundem iam Imperatorem, vt Balbi filiis ſapientes educatores prouideat. Inter hæc frequentata Concilia, coronati Reges & Reginæ, adminiſtrata regni negotia, indignari cogunt talem virum ac tantum, Galliæ ſolem, Regni columnam, Eccleſiæ ornamentum, indubitato, atque impœnitenti hæretico poſtponi, vt nouiſſimi ſcriptoris decreto, ſapientiæ & virtutis opinio ab Hincmaro, cui hactenus adhæſit, ad Gotteſchalcum transferatur.

Pontificum teſtimonia de Hincmaro. Leonis IV.

Sed audiamus æqualium tempore de eo iudicium. Vis opinor à Pontificibus ordiamur. Leo IV. extraordinarium vſus quotidiani Pallium, ad Imperatoris Lotharij preces Hincmaro conceſſit, priuilegio nemini ante, vel poſtea donato, *pro ſua ſanctitatis & ſapientiæ reuerentia.* Benedictus tertius eius conſecrationem in Archiepiſcopum Remenſem magnis

Flodoard. l. 3. hiſt. c. 10

gaudiis laudibúſque proſequutus, proſpexiſſe ſe ait epiſtola ad eum ſcripta, *æquiparare Hincmarum viros illos qui non terrenis actibus, caducíſque delectati ſunt obſeruationibus, infinitóque Dei Zelo accenſi Eccleſiaſtica promulgarunt ſtatuta & ordines.* Quò iuſtiùs de Nicolai primi, erga Hincmarum animo dubitari poteſt, eò plura ipſius beneuolentiæ, & præclaræ opinionis indicia produci debent. Is igitur in cauſa Engeltrudis excommunicatæ, ſic alloquitur Hincmarum, *Docta diuinitus ſanctitas tua valde nouit.* In cauſa Cenomanenſis Epiſcopi ſalutat *Reuerentiſſimum & ſanctiſſimum confratrem.* Audiuimus, inquit, à te neſcio quas inſidias Epiſcopo præparari: *Quod de tanto viro indignum credere iudicauimus.* In cauſa Rothadi quæ Hincmarum diu exercuit, paulùm commotior Pontifex nihilominùs ita præfatur. *Sanctitatem veſtram, quam ſemper in virtutum exercitiis conuerſantem comperimus, & in doctrinis Eccleſiaſticis proficientem fama crebreſcente didicimus.* Ac deinde tandem feriò iratus, hoc initio in querimoniam ingreditur: *Beatitudinis tuæ lectis apicibus, quia fraternitatem tuam erga ſanctam Sedem Romanam, cui auctore altithrono præſumus, ergáque Pontificium noſtrum in eadem qua ſolita erat deuotione perſiſtere, reperimus, lætitia multa repleti, debita omnipotenti Domino gratiarum officia perſoluimus; ſanctitatemque veſtram ad Sedem Apoſtolicam de his quæ ſibi viſa ſunt, referentem, ac pro Eccleſia ſibi commiſſæ neceſſitatibus, atque vtilitatibus Apoſtolatum noſtrum poſtulantem laudauimus, & nihil eſſe, quod fraternitati tuæ denegari oporteret, pe. i us iudicantes, vt innueremus petitis, corde concepimus, mentéque deliberauimus* Qui ſic iraſcitur, quid dicet placatus? Confer iſtam irati Pontificis orationem, cum illo pacificæ Synopſis dicto breui & vibrante: *Hincmarus ſolita præſumptione parere Nicolao contempſit.* Sed pergit eodem loco Nicolaus: *Præſertim cum fueris apud Apoſtolicæ Sedis Præſules circa reuerentiam tuam ex longo iam tempore reuerentia, vt.* &c. Et paucis interiectis: *Præſertim cum tanta ſapientia virum te eſſe non neſciremus, familiaritatis fiduciam apud dilectum filium noſtrum Regem Carolum compeviſſemus, tuum habere ſanctimonium, vt ſi quæ in illis partibus mala in Eccleſia Domini pullularent, per tuæ ſolicitudinis induſtriam reſecare radicitus meditaremur.* Vides lector quo animo ſcribat

Benedicti III. epiſt. 1. ad Hincm.

Nicolai I.

11. q. 3. c. Excellentiſſimus.

Nicol. epiſt 16.

Idem epiſt. 19.

Idem epiſt. 22.

fort. *annueremus*

eadem Synopsis, *Regi plus æquo adhæsisse Hincmarum*: Cur *aulicum assentatorem* vocet: quàm verè *libertatis Ecclesiasticæ oppressorem* appellet. Demum magnus Pontifex post declaratam præcisè suam in Rothadi negotio voluntatem, eam executioni mandari præcipit, *quatinus & caritatis nostræ, & amicitiæ atque gratiæ particeps semper inueniaris, & ad amputanda noxia hostium sanctæ Dei Ecclesiæ germina, atque ad salutaria serenda, sanctitatem tuam consociam de cetero semper habeamus: Sicque demum studeamus, etiam non postulati, contra omnes maleuolos tuos, tuæque Ecclesiæ aduersarios, tibi priuilegia promulgando, & arctiùs inhærendo, fortiter expugnare, quantò senserimus fraternitatem tuam*, &c. Horum apicum nullus cum aliqua Dissertatoris calumnia collato pede non pugnat: vt facile esset ostendere, si præfationis angustiæ paterentur.

Hadrian. II. epist. 4.

Progredior in Pontificibus Hincmari amicitiam colentibus, & ad Hadrianum II. deuenio, Nicolai successorem. Is enim eius virtutum præconio per Actardum Nannetensem, Arsenium Apocrisarium, Anastasium Bibliothecarium audito, sic ei gratulatur. *Licèt frequens sanctitatis tuæ fama, quæ nunquam nisi cum laude semper existit, te nobis dudum feceris manifestum: tamen vt virtutum, probabiliúmque morum tuorum prædicamenta liquidiùs agnosceremus, fratrum nostrorum fecit multis præconiis plena delectabilisque relatio. Quâ de re sic animam meam tuæ dilectionis ardorem concepisse cognosce, tanquam si millies mutuis frueremur alloquiis. Habeto ergo nostræ repromissionis pignus, & in nobis, vt in nostris antecessoribus, tota fiducia prorsus innitere.* Quibus antecessoribus? Nicolao in primis. *Sanctimonia tua quàm fuerit Apostolicæ memoriæ Nicolai Papæ familiaris*, &c. *In cuius familiaritatis sinu nos quoque te recipientes, fiduciam penes Apostolatum nostrum, fraternitati tuæ gratanti mente offerimus.* Quocumque animo dictum istud accipies, Lector, sanctè profiteor, vel vnis hisce lectis litteris, si quid de Hincmaro sinistrum loquar, aut cogitabo, metuendum mihi fore à schismatis specie, & negata Sedi Apostolicæ reuerentia obedientiáque, cùm magno Pontifici, tam grauiter & seriò, post eos testes ea scribenti, fidem omnem abrogem. Oportet enim Hadrianum, vt planè dicam, falli & fallere, aut Hincmarum virum bonum, integræ famæ, & cum Nicolao, & Hadriano, & Sede Apostolica fuisse coniunctissimum. Denique Ioannes VIII. ad Synodum Tricassinam, in qua plurima maximi negotij tractare habebat in animo, summa cum beneuolentia eundem his verbis inuitauit. *Fama tuæ fraternitatis longo exacto iam tempore bona notitia nos quoque celeberrimè lætificauit: quantóque te desiderio contemplari cupimus, explicare verbis nullatenus possumus. Quapropter præsentiam religiosæ sanctitatis vestræ, diu desideratam, miramur à te nobis hactenus dilatari. Quoniam antequam ipse nobis carior, vtiliórque veneris, sanctarum Dei Ecclesiarum causas tractare differimus.*

Idem epist. 17.

Ioan. VIII. epist. 33.

Principum iudicia de Hincmaro.

Principes autem si consulimus, occurret statim Lotharius Imperator, Ebbonis sui successori non semper æquus, qui tamen *Hincmarum apud Leonem Papam honorificè commendasse reperitur Episcopis, atque Legatis.* Eóque Romam cogitante epistola præuia eundem Pontificem monuit, *vt ipsum decenter amabilitérque susciperet, & quicquid ab eo postulasset, libenter ei liberalitérque concederet.* Pallium autem poscebat Hincmarus, vt ex illa Lotharij epistola intelligimus, quam hactenus non editam, in appendice referemus; in qua videbis, Lector, vocari *virum sanè doctum atque eruditum, sibi admodum deuotum, dilectúmque* Cùm autem profectionem illam interciperent negotia publica, iterum scripsit, *quia illum volentem Romam proficisci, tam ipse, quàm frater eius Karolus Rex Franciæ, quoniam valde necessarius erat, ad sopiendas, quæ tunc exortæ fuerant contentiones, retinerent.* Non extat, quod sciam, epistola illa, sed Lotharium non nouit, qui hominem putat è Regno Karoli fratris ad pacem sanciendam adhibere voluisse, qualem Dissertatio describit, & vt *valde necessarium*, & vtrique parti acceptum *retinuisse*. De Carolo Caluo nihil dicam, à cuius latere nunquam discessit, qui nihil in Regno momenti vllius sine Hincmari consilio perdiu fecit. A Ludouico Pio vtriusque parente iam vidimus annos octo ad consilia fuisse admotum. A Ludouico autem istius filio, vtriusque fratre, quantùm cultus fuerit vbi res poscebat, nobis modò non esset obscurum, si hominis in Caroli fratris regnum semper inhiantis superessent epistolæ ad eius Regni Episcopos scriptæ; atque illa maximè, qua Carolinas prouincias infesta manu inuadens, eosdem Episcopos ad Synodum Remos conuenire iussit, in qua *de restauratione sanctæ Ecclesiæ, & de statu ac salute populi Christiani tractaretur.* Cui cùm parere negligerent Antistites, eorum nomine Hincmarus præclara admonitione violentos eius impetus retardauit. Reges alij quos in aula vidit nascentes, quid de eo præ se tulerint, præclara eius monita de rectè viuendi regnandique ratione, nonnulli etiam de ipsius manu coronam suscipiendo, monstrarunt.

Lotharius ad Leonem IV. pro eo scribit. Flodoard. l. 3. Hist. c. 10.

Epistola Lotharij, in appendice opusc. 1.

Hincm. admonit. ad Ludouic. Opusc. 4. Tom. 2. Hincmar.

Reuertor ad Ecclesiam, quam mirificè ornauit & defendit: & Lotharij Legatos aspicio Petrum Spoletinum, & Petrum Aretinum ad Leonem Papam pro quotidiani illius Pallij priuilegio missos: quod videlicet absque maxima viri commendatione, tam præter ordinem à Pontifice impetrassent? Arsenium Apocrisarium memini cum Anastasio Bibliothecario, & Actardo Namnetensi multa de eius laudibus apud Hadrianum secundum prædicantes. Rabanum lego præsulum sui temporis illustrissimum, sic illum salutantem: *Reuerentissimo & desiderantissimo fratri, & merito rectæ fidei, & sanæ professionis ab omnibus Catholicis ritè venerando Hincmaro Pontifici, Rabanus seruorum Dei seruus in Domino æternam optat salutem.* Illa est epistola qua facti aduersùs Gotteschalcum belli societatem init cum illo: *Ceterùm scias me, quandiu vixero, semper paratum esse tuæ obtemperare bonæ voluntati, & sanæ consentire doctrinæ.* Sed ne videatur Hincmaro adulari, & quod est in prouerbio, manus manum fricare, ex ipsis æmulorum castris Lupum aduoco, eóque libentiùs, quod duplicem putat Dissertator, vt duos sub vno nomine claritatis Hincmarianæ testes cogatur accipere. De quæstione siquidem scribit Lupus, à duplici prædestinatione asserenda abhorrere *præclara quædam Præsulum lumina.* Quænam illa, nisi Ra-

Præsulum de eodem iudicia.

Flodoard. l. 3. Hist. c. 10. cit.

Raban. epist. ad Hincm.

Lupus Ferrar. l. de 3. quæst. q. 2

banum, primum eius erroris in Gotteschalco impugnatorem, Hincmarum ceterorum ducem, Pardulum Hincmari comitem, & alios vnicæ prædestinationis assertores? Quale facit illud seculum, qui eius *præclara lumina præsulum* in re qua de agitur, erroris, nequitiæ, assentationis, mendaciorum reos esse prædicat Dissertator? Lupus idem, meo iudicio, Ferrariensis ad Hincmarum scribit, *summa veneratione suspiciendum Antistitem, clarissimum præsulem*, & ad socium eius Pardulum, *Vnicè, singulariterque dilectum.* Sed plenum Hincmari elogium in eam epistolam conicit, qua supplicare incipit, sed non adulari. *Non sum nescius, cùm tantis diuinæ gratiæ muneribus abundetis, vltrò vos cogitare apud Principem iuuandi bonos auctoritatem accepisse, vt quod in se non habent, in vobis possideant, & remunerandæ vestræ industriæ materiam præbeant. Nobilitatem vestræ generositatis ornat eruditio salutaris, altitudinem officij commendat religio professionis. Hæc vestræ Celsitudini non arrogantiæ vitio, sed amicitiæ studio scripsi: vt quoniam in vobis & nobilitas & sapientia conuenerunt, quantùm hæc societas valeat, etiam nolentibus emineat.* Vides æmulos nobilitatis & sapientiæ in Hincmaro coniunctarum, quibus inuitis, apud omnes æquos rerum arbitros, eminebant: idémque iudicium posteros ita sequutum est, vt propensissima voluntate laudantibus octo seculis, etiam nunc è Lupi sequacibus nolentem vnum ad veritatem ille splendor adduxerit, Mauguinum ipsum amplissimum, qui Remensem Hincmarum *tum in regni, tum in Ecclesiæ regimine magnum virum* agnoscere cogitur. Quo ego testimonio nullum certius, & ad obliterandas omnes Dissertationis calumnias potentius video.

Idem epist. 44. 76. 78.

Idem epist. 42.

In Hincmaro nobilitas & sapientia conuenerunt.

Dissert. Præfat.

His adiungo testimonium Hildeboldi Suessionensis Episcopi, non verbo quidem, aut scripto, sed facto conceptum. Is enim in mortis vicinia, vnum ex omnibus quos nouerat, Episcopis, confessorem suum vt loquebantur, elegit Hincmarum, & missa ad eum generali confessione, rogauit à peccatis absolui. Si pœnitentes illæ, & deprecatoriæ morientis Episcopi litteræ adhuc viserentur, magnam in iis absque dubio Hincmari commendationem legeremus, quæ fides in eo extiterit, vt secretum committeretur; quæ benignitas, vt laborantem subleuaret; quæ prudentia, vt pœnitentiæ modum eligeret; quæ sanctitas, vt precibus suis reconciliaret cum Deo. Denique qua permotus ratione, & illum inter ceteros delegerit, & absentem infirmúmque sollicitauerit, qui præsentes plurimos ad id officij potuit admouere. Id quanquam neque ad doctrinam propriè, neque ad mores spectet, rem tamen eius momenti, hoc in periculo, in aliorum copia, ab homine conclamatæ omnium iudicio fraudis, & omnimodæ nequitiæ, qualem Hincmarum vocat Dissertatio, non debuit Episcopus postulare.

Hildeboldus Hincmaro absenti per litteras confessus Hincmar. epist. 40.

Lentum est ire per singulos: testium nubes offero, quibus doctrina morésque Hincmari, vehementer probati sunt. Clerus populúsque Remensis, à quibus in Archiepiscopum ex aliena diœcesi postulatus est; Ercamradus Parisiorum Episcopus cum Coëpiscopis: vniuersa fraternitas Monasterij Sandionysiani, à quibus concessus Remorum Prouinciæ; Concilium Beluacense à quo admissus, & consecratus est; Concilium Suessionense II. in quo recognita & comprobata est ordinatio, cùm inter alia porrexisset Epistolam Remensis Ecclesiæ, *ac pene totius Galliæ Episcoporum manibus subscriptam.* Omnes, inquam, illi, támne fuerunt aut imprudentes in eligendo, aut boni publici negligentes, si non inimici, in consecrando, vt adulterinam monetam tot vitiis improbandam, qualem Præses amplissimus hoc in opere cudit, tradere, aut recipere voluerint? Quid dicam de priore Carisiaca Synodo, in qua secundùm Hincmari sententiam damnatus est Gotteschalcus? quid de posteriore, quæ Capitula quatuor Hincmari probauit, & sua auctoritate muniuit? De Tullensi ad Saponarias Prouinciarum 12. quæ Valentina Capitula in eius gratiam repudiauit? De Tullensi ad Tusiacum, quæ prolixam eius Epistolam probauit, & fecit esse Synodicam? Quid de innumeris aliis Conciliis, quibus summa cum sapientiæ, & virtutis gloria interfuit, aut præfuit? In rebus gestis Prudentij Tricassini, vt magnum aliquid, legimus commissam illi à Leone IV. fuisse prouinciam Arremarensis Cœnobij consecrandi: interfuisse Synodo Suessionensi II. Hincmari causæ iudicem ab ipso delectum: Hincmaro vnicè carum, & de rebus obscurioribus, & abstrusioribus sacræ Scripturæ locis fuisse consultum: vt hæc Prudentio ad sanctitatis assertæ suffragium sufficere videantur. Quantò splendidiora, & augustiora videmus in Hincmaro, rescripta Pontificum, edicta Imperatorum, decreta Conciliorum, consulta priuatorum, elogia omnium: vt illa tempestate lapides ipsi nomen Hincmari & gloriam loqui & resonare viderentur?

Conciliorum & communitatum de Hincmaro iudicium.

Hic ergo veterum de Hincmaro sensus fuit. Vis & de recentioribus aliquid cursim delibemus? Trithemius esto mihi recentiorum primus, à quo dicitur *Vir in diuinis scripturis singulariter doctus, & in secularibus litteris nulli suo tempore secundus: sapientia & morum honestate conspicuus; atque eloquentissimus.* Baronius, quanquam in multis infensus Hincmaro, quem satis non nouit, eius tamen *initia laudabilia fuisse* tacere non potest. Et in Concilio Meldensi præclaram eius sententiam refert, *qui præ ceteris in ea Synodo scientia eminebat, reliquos in suam trahens sententiam, non ipsis tantùm, sed posteris relinquens exemplum dixit*, &c. Et iterum de certamine in Gotteschalcum, quod totum ad initia laudabilia pertinet, *diu multùmque decertandum Hincmaro fuisse aduersus bestiam hanc.* Iacobus Meyerus Hincmarum *pium, & admodum litteratum* fuisse testatur. Georgius Coluenerius Duacenus Theologus, historiam Flodoardi commentatus, pro Hincmaro sæpe sententiam dicit. Iacobus Sirmondus insignis in Gotteschalcum operis de Prædestinatione restitutor, cuius apud alios vnicum nomen restabat, meritò sperat operam suam *non ingratam fore lectoribus, quos tanti viri lucubrationes delectant. Dissertationem verò aduersùs Prædestinatianos opportunam hoc tempore ad eosdem refellendos, aptissimámque arbitratur. Quanquam in operibus Hincmari nullum est, quod vtilitate sua careat, & in quo præstans auctoris iudicium, cum scientiæ copia non eluceat.* Pupugit hæc Præfatio Gotteschalci amicos, & ad fabulosam historiæ Prædestinatianæ confutationem vehementiùs excitauit.

Posteriorum scriptorum testimonia. Trith. l. de script. Eccl.

Baron. tom. 10. ad ann. 845.

Ibid. ann. 848.

Meyer. Annal. Flandr. ann. 885.

Coluener. schol. in Flodoard. l. 3. c. 22.

Sirm. tom. 1. oper. Hinc. Præfat. ad lect.

SECTIO VII.

Nonnullæ aduersùs Hincmarum criminationes strictim excutiuntur.

Hincmarus criminationibus omnibus respondit. VIRTUTEM & inuidiam omnis ætas, Hincmarum & æmulos historia nostra semper aspiciet, sed non calumniam innocentiæ omni ex parte victricem. Certè iam senex in Concilio Tricassino coram Ioanne VIII. Pontifice omnibus criminationibus *respondit pro tempore* (Flodoard. l. 3. hist. c. 29.): quod interpretor, ex tempore, absque commentatione fuci falsitatisque suspecta, quam eloquentiam sola nouit innocentia. Neque viua voce contentus, apologiam pro se scripsit, *omnibus eam legere volentibus, contra eos qui calumniati sunt illum*, &c. *Sed & de aliis conuiciis sibi per calumniam illatis, de quibus eum veritas excusabilem reddidit.* Non potentia, vt olim Ebbonem præcessorem: non scriptorum præstigiæ, & frigidæ dissimulationes, vt deinde Gotteschalcum; sed ipsa *Veritas* absoluit. Et spes est facturam aliquando Dei prouidentiam, vt educatur è puteo filia temporis, & aliquo carcere liberetur illa Apologia, vt obstruatur os loquentium iniqua, & illustrissimo viro propter damnatum hæreticum infensorum.

In rebus gestis Hincmari quædam consideranda. Equidem non inficior in magno & acri ingenio exuberasse nonnulla, quæ credant sapientes amputanda: in negotia nonnunquam irruisse potiùs, quàm venisse: disciplinam Ecclesiasticam auidiore zelo custodisse, quàm cautiore. Sed hoc maximè considerandum, à nobis rerum gestarum momenta & circumstantias ignorantibus, non facilè iudicium ferri oportere; læsorum aut æmulorum querelis aurem vnam dandam fuisse, sed alteram accusato reseruandam. Wlfadum, Gotteschalcum, Rothadum, nepotem Hincmarum Archiepiscopi Remensis fuisse subditos; hunc illorum Prælatum & iudicem: aduersùs eos nullam nisi in Conciliis, hoc est, legitimo loco, & processu, causa cognita cum plurimis Coepiscopis dixisse sententiam. Ceteris in negotiis eorundem patrem extitisse, & patronum: neque quicquam nisi ordinis Ecclesiastici studio aduersùs eos fecisse. Denique Flodoardo teste (Flodoard. l. 3. hist. c. 30.), *contra flagitia*, non autem contra personas, *veluti murum inexpugnabilem semper extitisse.* Quod agentibus paratas semper esse oportet à vitiis calumnias. Hæc vniuersè temporum historiam decurrentibus, obseruanda propono.

1. obiectio ex litteris Nicolai I. Priuata quædam obiicit *Dissertatio Historica & Chronica*. Fuisse in causa Rothadi *censuras Apostolicæ Sedis in eum latas: Pharisaicæ indurationis, crudelitatis, fraudulentiæ, superbiæ, falsitatis* à Nicolao I. notatum. *Horrendæ sæuitiæ, ferinæ & inhumanæ tractationis, quam seculum illud exhorruit* infamiam meritum esse, in carcere & excæcatione nepotis sui iunioris Hincmari. Grauia crimina, si certa, si vera sunt. De nepote Hincmaro plenissimè satisfaciet Concilium Duziacense I. quandoque à nobis, si Deus dederit, edendum: quo lecto Præses amplissimus Dissertationi suæ superfluum Epilogum, vt spero, nolet adiectum. *Responsio.* De Nicolao I. & Rothado cùm loquitur, scire aueo quam personam induat? *Dissertatoris?* At peruersè ratiocinatur, id ad totam hominis vnius vitam, & omnia eius gesta numero infinita, varietate distinctissima, referri oportere, quod, vt summum, de negotio vnico dictum est. *Historici?* At cùm hæc verè obiecta narret à Nicolao, tacet infideliter omnibus ab Hincmaro esse responsum (Hincm. epist. 26.). Dissimulat legisse se in Hincmaro de rebus istis agente. *Bonæ memoriæ Nicolai Papæ litteræ postquam inde veritatem rescivit, per meum missum directæ, mihi abundantissimè sufficerunt* (Hincm. l. 55. cap. c. 5.). Aut apertiùs in Flodoardo, *gratulanter suscipiens quæ Hincmarus ei scripserat, de omnibus sibi satisfactum esse rescripsit* (Flodoard. l. 3. c. 17.). Hæc autem vicinus morti respondebat Nicolaus, cùm dissipatis affectuum nebulis, veritas purior enitescit. *Chronologi* ergo? At omnes illæ Hincmari cum Nicolao contentiones longè posteriores sunt condemnatione & carcere Gotteschalci: neque vnquam de causa Gotteschalci cum Hincmaro egit Nicolaus. Et si Gotteschalci disputationem cum Nicolao I. Pontifice vult coniunctam, quemadmodum in aditiali tabula Gotteschalcum collocat ad pedes Nicolai benedictionem impertientis, ridiculus est parachronismus. Cur ergo tota quanta est Dissertatione obiiciuntur ista, quæ nullam habent cum controuersia Gotteschalci affinitatem?

2. obiectio de Schismate. Non plus habet virium altera obiectio, quæ ex laudabilibus initiis degenerasse in schismaticum criminatur. Nam & veteres inimici calumniabantur, ait Flodoardus (Flodoard. l. 3. c. 29. cit.), eum *decretales Romanorum Pontificum Epistolas, nolle ad auctoritatem recipere. De hoc quoque, quòd calumniabantur eum dicere, non maioris dignitatis esse Papam Romanum, quàm esset ipse.* Huius calumniæ stupor ex rebellione Hincmari nepotis in auunculum natus est, viginti, & quod excurrit, annis post condemnatum flagellatùmque Gotteschalcum, audiente postea & probante Ioanne VIII. explosus ab Hincmaro: qui verè iam olim ad Nicolaum scripserat. *Veraciter fateor, hoc nunquam in cor meum ascendit, qui semper & Apostolicæ Sedi, & eius rectoribus, postquam me nosse potui, pro meo scire & posse fidelis & deuotus, & humilis ac subiectus extiti, sum, & adiuuante Domino, permanebo* (Hincm. epist. 28.). Quæ verba, & adiuncta verbis facta, superbi, contumacis, schismatici non sunt: quales Theutgaudum, & Guntharium in Germania, Photium in Oriente ea tempestate Pontifex experiebatur (Nicol. epist. 70. 74.). Ac licuerit sanè Baronio, Posseuino, Andreæ Duuallio, & paucis aliis sinistrum aliquid priùs sentire de Hincmaro, quàm eius opera pleraque vitæ redderentur à Sirmondo. Sed modò positis in propatulo plurimis epistolis, quibus maleuolorum obtrectationes copiosè fortitérque confutat; solas calumnias pro veris criminibus ostentare, mores Hincmari de aduersariorum accusatione, non de ipsius apologia æstumare, qua lege, quo more potuit Dissertator? Non sic tractatur historia; vera narrat illa, non facit: Poëtarum est fingere, quæ delectent. Caue ne Baronij nomen, Hincmaro, propter Pontificias contentiones parum aliquando æqui, validiùs vrgeas: Nam is initia Hincmari laudabilia vocat, & ad hæc initia damnatos coërcitósque Gotteschalci errores refert.

3. obiectio de falsitate. Affertur & pro magno crimine, quòd confessione Sirmondi *Hincmarum falli & fallere*

procline sit. Quam obseruationem vel suo nomine plurimi facere debuit Dissertator, qui quas notat in Hincmaro labes historiæ, non aliunde didicit, quàm ab eo qui *falli & fallere Hincmarum* admonuit. Quo autem in proposito Sirmondus istud scribit de Hincmaro? In veteribus historiis, & alienis relationibus, quas non accuratissimè, & ad omnem veritatis normam singuli tenent, qui naturæ defectus est, Hincmarus arguitur. Quid est autem hominibus omnibus magis familiare, quàm vt apud bonos auctores lecta, vel ab aliis fide dignis audita pro veris habeant, & vsurpent, atque aliis deinde sic credita denarrent, falsi ipsi & fallentes, vtrumque innocentissimè? Verùm in iis negotiis quæ gessit Hincmarus, in Conciliis quibus interfuit, in prœliis contra Gotteschalcum, eiúsque sodales initis, *falli & fallere Hincmarum*, non dixit Sirmondus, non credidit: apud quem legit, Laudunensi nepoti obiectum. *Non debueras fallere, aut falli posse, quod auribus audisti, manibus contrectasti, oculis legendo vidisti.* Vt vna hæc ratio fidem omnem Hincmaro, & Rabano in causa Gotteschalci conciliare debeat, quam eo loquente auribus audiuerunt, manibus contrectarunt, & in libris eius manu scriptis legendo viderunt. Nos verò qui modò litigamus, si ego in iis quæ pro Hincmaro contra Gotteschalcum affero, ab antiquis omnibus scriptoribus, tradita, octo circiter seculis credita, fallor, veniam mereor coæuos meos fallendo. Sin Dissertator amplissimus, pro Gotteschalco contra Hincmarum aduocatus: in iis quæ accepit à nemine, quæ coniecturis suis primus assequutus est, quæ non aliter confirmare potest, quàm argumento, *vt verisimile est*, contrariis omnibus interim tacitis, & dissimulatis, fallitur; nescio an *summa* illa sua *fide* lectores innocenter possit fallere.

Hincm. l. 55. cap. c. 5. cit.

SECTIO VIII.

Historicorum veterum in hac historia fides explorata.

De Annalibus Francorum, siue Fuldensibus.

EX eleuata Rabani fide, verbis quidem, at non reipsa, Præses amplissimus in eandem cum illis ruinam trahit Annales Fuldenses, & ceteros Germaniæ scriptores: quos ait à Rabano Gotteschalci accepisse historiam, vt scriptum legimus in Synopsi: In Dissertatione autem Annales iidem *ab ipsius Rabani Amanuensi Monacho collecti* narrantur. Equidem illis Annalibus supremum auctoritatis locum non puto tribuendum; vt qui in rebus ciuilibus, & Regum nostrorum gestis ab Annalibus Bertinianis, de quibus mox, corrigantur. Sed miror in primis asseueratè dici absque auctore, absque teste, nullo argumento, *ab Amanuensi Rabani* fuisse *collectos*. Qui sine dubio diuersorum sunt auctorum, res temporum suorum in commentarios referentium. Deinde, illud ipsum ad detrahendam illis fidem afferri, vt à Rabano Gotteschalci iudicium accepisse referantur: cùm ex hac ipsa ratione plus à nobis fidei mereantur. Nam si Moguntinæ Synodi euentum aliis narrauit Rabanus ipse qui præfuit, qui iudex Gotteschalci causam cognouit, qui sententiam in eum pronunciauit, quis sapiens post tantum Antistitem idem narrare, aut credere defugiat? Si Rabani Amanuensis illud scripsit: adde etiam, si præsens in Synodo fuit, Episcopi sui minister, iam magis confirmata res est illo teste addito, *vt in ore duorum, vel trium stet omne verbum.* Credo igitur istis Francorum Annalibus, quos Fuldenses appellamus, non præcisè quia sunt Annales, non quia Fuldenses, sed quia Rabano, & ceteris, quibus ipsi noti non fuerunt, consentientia referunt.

Dissert. c. 6.

De Flodoardo.

Alia via historiam Flodoardi lacessit solers Dissertator, cui non sufficit dicere, hausisse Flodoardum ex scriptis Hincmari quæ de illo narrat: vt intelligamus à cœnoso fonte riuum necessariò esse lutulentum. Sed etiam addit alicubi, corruptum esse Flodoardum: vt quando de Gotteschalco sinistrum aliquid audiemus, suboriatur in animis nostris suspicio, illapsæ in eum locum corruptionis. Subtiliter profectò, si notus aliunde non esset Flodoardus: quem videlicet ipsius Chronici supplementum, ait fuisse *honore sanctitatis venerandum, castitatis splendore Angelicum, fulgore sapientiæ cælicum, ceterarúmque virtutum insignibus abundanter oppletum: librorum dictatorem egregium: qui terrenæ peregrinationis relinquens exilia, ciuica, vt credimus, adeptus est iura.* Scribebat altero post Hincmarum seculo, auctor non ferreus, calente adhuc eius memoria: neque tantùm ex actis publicis, sed etiam senum relatione res gestas poterat ediscere: in Ecclesiæ Remensis tabulario integra & incorrupta tum Archiepiscopi scripta seruabantur, tum eorum quibuscum negotia tractauerat: ex illis historiam suam collegit vir sanctitate venerabilis. Qua igitur ex parte vacillare putanda est, vt ei securè inniti non possimus? Adulteratus est, inquit. A quo? quo loco? quàm fœdè vt reparari non possit? Nam Coluenerius accuratus Scholiastes, medicam manum ad eius libros, vbi vetustate contracti videbantur, attulit; neque quicquam momenti vllius, quod aliunde non intelligatur, in erroris Gotteschalcani mentione produxit. Quanti redemisset vel sic corruptum Baronius, qui Gallicum tantummodo nactus exemplar priusquam reuixisset, in Latinum sermonem vertendum curauit, ne tanto scriptore priuaretur.

Chronic. Flodoard. in fine.

Coluener. in Flodoard. l. 3. c. 18.

De Annalibus sancti Bertini.

Sed quo mitiùs Flodoardum habet Dissertator amplissimus, eo magis difficili bile tumet aduersùs Annalium sancti Bertini auctorem, cuius vnicum scelus est, Hincmaro & eius partibus fauisse. Quamobrem *nequam Annalista, virulentus impostor & impudens; Putidum & virulentum obtrectationis virus* ex epistolis Hincmari hausisse dicitur. *Sicut & in Gotteschalcum, vt Prædestinatianum hæreticum, blaterat: Imprimis obseruandum auctorem illum Metropolitani sui Hincmari factioni sic addictum, vt eos omnes qui eius oppressioni aduersati sunt, sine vllo æquitatis & iustitiæ, seu etiam dignitatis & auctoritatis discrimine, similibus probris & calumniis oneret.* In hac contumeliarum congerie, quas grauis & modesta theologia, nisi vulneratis auribus non accipiat: erunt quibus diserti hominis dictum statim occurret, *qui in alterum paratus est dicere, omni ipsum vitio carere debere.* Atque illud Poëticum, *non respicis te cùm maledicis alteri?* Aut istud sanctius, *Medice cura*

Dissert. c. 44.

teipsum. Verùm istud non ago, neque Annalistæ in singulis apologiam tento, minimè rebus meis necessariam, licèt facilem, si causa postulet, & expeditam.

Defenditur à calumniis.

Hæreo in summa calumniæ, Hincmari, & eius opinionum amore, sui scilicet Metropolitani, oppositis omnibus bellum indixisse. Peto igitur à Viro clarissimo, vt certa & solida ratione nobis ostendat, vnicum fuisse operis illius vniuersi Annalistam, qui sic & aliis in locis fœdè lapsus sit, & *virulentum virus effuderit*, vt isto sic tractari mereatur. Nam si nusquam alibi vnus ille scriptor aduersùs historicam veritatem peccat, magnum est præiudicium seruatæ eodem tenore in causa Hincmari iustitiæ & æquitatis. Aut si multorum manibus moles ea constructa est, quod vero mihi similius videtur, certis argumentis demonstret, huius partis quæ tangit Hincmarum, *Annalistam* illum architectum, adeo *nequam*, vt etiam Gotteschalco Prædestinatiani hæretici nomen & crimen impegerit, æqualem Hincmari extitisse. Nam si fuit posterior tempore, putà Flodoardi æqualis, Metropolitanum Hincmarum non habuit, cuius gratiam aucuparetur. Aut si eodem vixit seculo, Hincmaro sapientia, & virtute apud omnes florente, causam certam & à coniecturis puram edicat, quæ obscurum in claustri latebris Monachum apud Audomaropolim, procul à Metropoli Remorum Durocortoro, ea priuatim sibi suisque scribentem, quæ in vulgus emanare omnino non deberent, *Metropolitani sui factioni sic addixerit*, qui fortè, esset-ne Metropolitanus Hincmarus nunquam ab animo suo quæsiuit? Mercedem ex eo sperauit? Quam? cuius naturæ? hominem timuit violentum, libertatis oppressorem, & Pharaonicæ crudelitatis? Quis cogebat scribere lesiculas temporum obseruationes, monasterij septis claudendas, auctoris otiosam curiositatem, non doctrinæ vel eloquentiæ copiam prodituras? Quid erat illi timendum post Ratramni Corbeiensis, Prudentij Tricassini, Lupi Ferrariensis exemplum, quibus ab Hincmaro dissentire liberrimum fuit? Sed age, quid nouum & inauditum de Gotteschalco, & Prudentio attulit Annalista, *nequam ille & impudens?* Da mihi toto illo seculo vnum aliquem historicum, Theologum, Clericum, Monachum, qui Gotteschalcum, præcisè qualis à duobus Conciliis damnatus est, Catholicum appellarit. Da qui Prudentium Gotteschalco, licèt non omni ex parte, fauisse negauerit; qui famam & nomen sanctitatis illi tribuerit, qui aliquando inimicitias cum Hincmaro gessisse non crediderit. Si nihil aliud referunt Annales Bertiniani, quamobrem vapulant, & nequitiæ, atque impudentiæ accusantur?

De Trithemio.

In Trithemio quoque nouitatem prætexit Dissertator eruditus, vt liberè ab eo dissentire valeat. At hic mihi deserendus in quibusdam videtur, non nouitatis nomine; sed quòd nonnullorum quos laudat scriptorum opera minùs explorata habuerit, déque iis aliter, quàm quod modò nobis apparet, pronunciauerit. Recentiores alios, vt & hoc addam, ac præcipuè

De Baronio.

Baronium excusat, quòd de Gotteschalco, tanquam de hæretico, scripserint omnes quotquot extant, quia sic è veterum libris hauserunt: inde factum, *vt hæreticus habitus sit, & cum illo*

Synopſ. ad ann. 868.

tanquam hæretico, summo iure sit actum. Vnde igitur puram putam historiam Gotteschalci expiscabimur, si Rabanus errauit, Hincmarus mendaciorum loquacissimus fuit, Annalista Bertinianus impostor & impudens, Flodoardus corruptus, Trithemius recentior, deceptus Baronius?

De auctore Dissertationis.

Quid superest nisi vt Præsulem amplissimum consulamus, qui & ipse in historicorum Gotteschalci numerum venire gestit, quomodo & vnde operi suo auctoritatem conciliet, & nouitatis suspicionem, quam in aliis contemnit, à se amoliatur? Respondet, animum appellere se ad hanc controuersiam *è veris fontibus, auctoribus scilicet synchronis, Annalibus Bertinianis, Fuldensibus, Chronico Fontanellensi, Flodoardo, ipsisque Hincmaro, Rabano, & aliis haustam.* Papæ! Illi sunt ipsi quos mihi proposui: *veri fontes* sunt, quibus pugno iam diu esse credendum: fidem habent à tempore, quia *synchroni* sunt: & nouitas non est, quæ cum vetustate sapit. Bene habet, conuenimus in fontibus: cur non etiam in aqua ex illis expressa? Nam ego limpidam video, ille turbidam: illos ego sequor, quia & *fontes* sunt, & *veri*: eos ipse frequentissimè turbat, & verberat, & fastidit, quos præfando *veros* agnoscit. Noua profectò veteres historias narrandi methodus, & mihi, vt ingenuè fatear, nondum comprehensa, vt eos à quibus solis res exhibendas habere potest, qui proinde *fontes* sunt: quibus vnis credi debet in re ab oculis nostris remota, quia *synchroni* sunt; quos ille ipse recens historicus *veros* fatetur, penè semper reiiciat, sæpissimè & execretur, oneretque conuiciis. Quodnam est igitur aliud ad historicam veritatem indagandam præter *veros fontes* subsidium? Audi Lector, & situlam inspice, qua latex *è veris fontibus* educitur. *Non sine iugi meditatione*, inquit, *habita cum eruditioribus venerandæ antiquitatis indagatoribus collatione.* Hoc vase turbari aquam necesse est; & vtrunque accuratam exigit distinctionem, ne fortè in magnam veritatis perniciem misceantur. Nam se profitetur Dissertator solertissimus, ad enucleandam quæstionem afferre adiumenta duo, veterum libros, vt *veros fontes*: & *meditationem* suam cum *collatione*; ex illis haurit verba, sine dubio *vera* & proba; ex hac, sensus & coniecturas: verba veterum sunt & *synchronorum*; coniecturæ recentissimorum, qui etiamnum [illegible]. Verba sunt seculi noni aut decimi: sensus, coniecturæ, diuinationes, propositiones sine teste, sine auctore veteri, argumenta, *vt verisimile est*, fundamento carentia, seculi sunt decimi septimi, moneta notæ recentissimæ, è *meditatione & collatione.*

Differt. Præfat.

Suspecta est nimia diligentia.

At hæc omnia, libros, inquam, tanto studio, & fortasse etiam sumptu, ex situ & puluere bibliothecarum remotarum manu publica eductos, & his additam *meditationem, collationemque*, mihi suspecta reddit Pacianus ad nouitatis amantem Nouatianum scribens. *Tu postquam à reliquo corpore segregatus es, & à matre diuisus, vt rationem facti tui redderes, totos librorum recessus scrutator inquiris; occulta quæque solicitas, quicquid exinde securum est, inquietas. Nostri nihil vltrò disputauere maiores: Nuda est apud nos ipsa securitas: Quid attuleris de*

Pacian. epist. 3. ad Sympron.

parte tua, monitum. Quomodo se tum gesserit in excutiendis meditandisque libris Sympronianus, nescio; hoc scio, non aliter propugnatas à Luthero & Caluino hæreses suas: memini & Arium Luciani martyris, & Alexandrini Dionysij commentarios, vt sibi suffragantes produxisse; Pelagium sancti Ambrosij auctoritate nonnunquam se texisse, Origenistas consarcinatis Gregorij Nazianzeni sententiis in Collatione quadam abusos esse: Berengarium Ioannis Scoti de corpore & sanguine Domini doctrinam pro erroris sui fundamento arripuisse: nunquam denique puriorem fuisse Christianorum fidem, quàm cùm sibi tradita, sine bibliothecarum curiositate, sola sancti Spiritus auctoritate sincerè, & simpliciter accepit. Patrocinio igitur suo præiudicauit, qui tanta cum solicitudine & cura bibliothecas excussit; veritatem autem adulterauit, qui *veris fontibus, meditationem & collationem* suam admiscuit, res admodum dissimiles, & inuicem seiungenda. Quid si addimus, *eruditiores* illos *veneranda antiquitatis indagatores*, quibuscum *habita* est *collatio*, non esse alios, quàm quos minister Caluinista fratres suos, & socios ὁμοψήφους appellat, & agnoscit?

Itaque, vt tandem ad historiam veniamus, habes, Lector, & iudex, aduersariorum conatus, restituendi Gotteschalci specie, veterem fidem conuellentium; meum contra consilium in Gotteschalci hæretici accusatione, & Hincmari defensione, religionem Catholicam, & Romanorum Pontificum auctoritatem tueri. Sentis quantum sit dignitatis, in Rabano Mauro, Hincmaro, & aliis testibus à me producendis, quos aduersarij confessio *veros fontes* appellat. Vetas ne simul cum iis *meditationem & collationem* meam adiungam, ne calicem vini meri plenum mixto propinare videar: quod est veritatem cauponari. Pareo, & vt *Historiam* sincerè, sic Controuersiam animosè ingredior. *Conclusio Apparatus.*



HISTORIAE GOTTESCHALCI PRÆDESTINATIANI ET CONTROVERSIÆ PER EVM REVOCATÆ

LIBER PRIMVS.

QVI ET

GOTTESCHALCI PRIMORDIA vsque ad errorum damnationem duobus Conciliis factam.

CAPVT I.

Temporum status per initia Gotteschalci, & Ecclesiasticæ controuersiæ.

Gotteschalci controuersia nostra similis.

NOMEN infamia sua celebre Gotteschalcus: flabellum discordiæ, cymbalum nouitatis, Conciliorum materies, Episcoporum labor, Rabani Mauri gloria, exercitatio Hincmari, Prædestinatianorum resurrectio, simulacrum peruicaciæ, æui sui fabula, nostri negotium, è putri sarcophago, & asini sepultura sepultis cineribus tumultuatur. Quid enim egit hæreticus nebulo, quid dixit, quid conatus est, quod oculis modò nostris fieri, scribi, tractari non videamus? Mutato nomine, mi Lector, de nostris iurgiis fabula narratur: neque otio est opus, & profunda meditatione ad illud inuestigandum; sed threnis & lacrymis ad deflendum. Quid autem causæ est, cur Gotteschalci turbas renouemus, infelicem eius exitum non vereamur? An multi modò Gotteschalci, quia pauci sunt Hincmari? An fucus nouitatis animis etiam nostris illudit? At sapienti credimus, nihil sub sole nouum esse, nec valere quenquam dicere: *Ecce hoc recens est: iam enim præcessit in seculis, quæ fuerunt ante nos.* (*Eccles. c. 1.*) Gotteschalcus enim quid recens edidit? Nonne ab antiquis Prædestinatianis hausit blasphemias? Wicleffus & Caluinus post Gotteschalcum; videbunt alij, num qui deinde à Caluino. Interim quoniam partus sequitur ventrem, & se in parentibus libenter quærunt filij: primorum autem Prædestinatianorum iamdiu obscura, nouis etiam curis dubia & controuersa facta memoria est, lubet reexorti Prædestinatiani effigiem suis coloribus describere, si quibus aut eo parente gloriari placebit, aut hoc portentum certis hostiis procurandum videbitur.

Regni partem sacratissimam facit Ecclesia: Ecclesiam, vt ceteros ordines, pacatam fouet Regis auctoritas: auctoritatem Regi conciliat virtus, & Imperij amplitudo. Vtrunque sub Carolo Caluo languebat in Gallia. (*Qui tum fuerit Galliæ status.*) Nam Regno amplitudinem detraxerat & fratrum partitio, & Nortmannorum tunc gentilium, & barbarorum ferox incursio. Pietate, assiduis, & plusquam ciuilibus bellis attrita, admirabilis ille disciplinæ Ecclesiasticæ decor, orbe quondam toto ad exemplum spectabilis, effluxerat. Longiùs aberat à Ludouico patre Carolus Caluus; quàm antea Ludouicus à Carolo Magno. Tenebat cum Imperio Lugdunensem Galliam Lotharius, Germaniam Ludouicus, Carolus Sequanos. Stabat pax inter fratres, non concordia, sed desperatione vincendi. Tentato frequenter ab aliis, occupato non semel Regno suo, Carolus tandem etiam, illis superstites, accepit Imperium. Agebantur, vt assolet, Principum suorum motibus viri Ecclesiastici. Quomodo enim vnquam Annales Fuldenses, qui Francorum dicuntur, Carolum *Galliæ tyrannum, nouellum Sennacherib, lepore timidiorem* appellarent, nisi Fulda & Moguntia parerent Ludouico? (*Annales Fuldenses iniuriosi Carolo Caluo.*) His additæ priuatæ singulorum causæ, mutuam æmulationem fecerunt, in bellum sacrum erupturam. Nec miraberis si Lugdunenses Remensibus, Carisiacis Valentinos videas repugnantes: Regni studio potiùs dissident, quàm religionis dogma-

assecutus est omni obscuritate deteriorem. Scotia minimè omnium probabilis; quódque nonnulli aduersùs ipsum gesta, scribunt facta contra Scotos vagantes, Gotteschalci sectatores, non admitto; cùm ea Scotum Ioannem Eriugenam propiùs tangant. Pro Germania facit, nomen, de quo dictum, & Walafridi Strabonis testimonium modò expendendum. Verùm si fuit Germanus, cur & quomodo migrauit in Galliam? Quo legum Ecclesiasticarum iure, sacerdos consecratus est in Gallia? Quare natus in Ludouici Germani regno, præsente Ludouico in Synodo Moguntina damnatus, non est punitus vt incorrigibilis, non constrictus carcere, non eiectus in exilium: sed tantùm Galliæ redditus? Vixit in Gallia, seque Gallum probauit Trithemio. Sed vnde Gallo nomen Germanicum? Probabilius arbitror natum in Belgio, quod etiamnum Germania inferior est. Eò Saxonum rebellantium magnam partem transtulit Carolus Magnus, cum eis sanè, & linguam. Inde barbarum nomen accepit Gotteschalcus, & seuerioris vitæ propositum vt expleret, in Gallia Belgica apud Orbacum constitutus est.

Oblatus puer in Orbacensi Monasterio.

Hincm. l. de non Trin. Deit. sect. 13.

Non enim video quàm rectè quisquam Hincmarum explicet, si monasterium aliud quàm Orbacense cogitatur, dum scribit *de hymno vespertinali, quem Gotteschalcus ab ipsis rudimentis infantiæ, in Monachorum Monasterio, in quo secundum regulam oblatus, & tonsus extitit, & vsque ad ætatem adultam mansit, cum Monachis labiis cecinit.* Fecit ergo Gotteschalcum Monachum à pueritia paterna deuotio, non propria professio, apud Orbacum in Suessionensi Parochia: quod tamen monasterium peculiari iure ad Archiepiscopi Remensis iurisdictionem spectasse, inde probant aliqui rerum periti, quòd in electionem successoris Hincmari subscripserunt Orbacenses Monachi, cum ceteris Remensibus. Idémque non incongruè confirmari potest, ex iis quæ refert Flodoardus scripta fuisse ad Hildebaldum Suessionensem Episcopum ab Hincmaro, *pro ministris Orbacensis Monasterij ordinandis, & de quibusdam fratribus, qui ab eodem Monasterio irrationabiliter exierant, reuersique postea recepti fuerant.* Hæc enim singularem eius Monasterij curam in Archiepiscopo declarant.

Concil. Gall. Tom. 2. in formul.

Flodoard. l. 3. hist. c. 23.

Non in Augia diuite.

Et hic iterum disputatio. Quam pacem ab eo speres homine, cuius vtraque incunabula, & vitæ, & religionis litigium pariunt? Nam eruditi Dissertatoris opinio est, primis annis in Monasterio Augiæ diuitis, sub Tatone Abbate, humanioribus litteris apprimè eruditum fuisse. Idque se putat Walafridi Strabonis auctoritate conficere. Quod equidem fateor mihi non parere, neque in tota illa epistola quicquam lego, quod pueritiam Gotteschalci illo in Monasterio positam persuadeat, nósque ad Tatonem, diuitemque Augiam deducat; aut Gotteschalcum potiùs mittere cogat in Germaniam ad Strabonem, quàm Strabonem ipsum in Galliam euocare, cum Gotteschalco aliquandiu victurum. Quis autem nescit pueros vni Monasterio semel traditos à parentibus, illi fuisse affixos, vt cælo stellas, & suam perpetuo tenore iuuentutem in percipiendis humanis diuinisque litteris collocasse? Quod à Gotteschalco factum, expressè narrat qui eius æquales rexit, Hincmarus. Quæ fuit igitur nouæ commigrationis ad Augiam causa Gotteschalco? Quo teste facta narratur? Quis veniam à Tatone factam scribit historicus, non tantùm vt temporanea peregrinatione celebrioris Cœnobij scholas peteret, sed etiam vt perpetuam in illo sedem figeret?

Obiectio ex Walafrido Strabone.

At, inquies, gratulatur Walafridus *suo loco reductum* Gotteschalcum, cùm ex Italia redit in Germaniam: ergo propria eius sedes fuit Germania. Id si liberaliter concedam, quis euincet Augiæ diuitis esse potiùs, quàm quodlibet aliud monasterium? Quidni autem *suum locum* appellari dixero latiore vocabulo Galliam, & vicinas Galliæ prouincias, quæ respectu Italicæ peregrinationis, poëtica amplitudine dicantur patria Gotteschalci? Constat certè Orbaco egressum immediatè Italiam petiisse: quare stricta significatione dici non potest *suo loco reductus*, quandiu mansit in Germania. In hac ergo loquendi forma poëticum aliquid augurari licet; at non Augiam fingere, cuius in tota Gotteschalci vita nusquam vlla mentio reperitur: nisi quòd ipse per errores Augiæ stabulum factus est, neque se purgari permisit ab Hercule.

Responsio.

CAPVT III.

Gotteschalci iuuentus in Monasterio parum probata, licet à Walafrido Strabone impensè laudetur.



FACIT non parum hæc de Gotteschalci Monasterio statuta veritas, ad conciliandam Hincmari narrationi fidem, cùm ad Nicolaum Pontificem sincerè refert, quæ de eius moribus, & institutione iuuenili didicit ex Orbacensibus Monachis, contubernalibus, & testibus oculatis in hæc verba. *Antequam ad Episcopatus ordinem peruenirem, sicut Abbas suus, & Monachi, inter quos fuerat conuersatus, ei testimonium perhibent, in Metropolis Ecclesiæ Remorum Monasterio, in Suessionica parochia, quod Orbacus dicitur, habitu Monachus, mente ferinus, quietis impatiens, & vocum nouitate delectans, ac inter suos mobilitate noxia singularis,* &c. His moribus quantùm in studiis humanioribus, ipsáque poëtices facultate profecerit, monstrabit vna quæ superest eius ad Ratramnum epistola metrica, in Appendice legenda, quæ nos interim hoc loco docebit, de eius Theologica scientia quid æstimandum videatur. Narrat enim annum se vnum, non ampliùs, magistrum audiisse, ac postea variis monasterij negotiis fuisse districtum, vt priuatis studiis vacare non posset.

Qualis in Monasterio Gotteschalcus.

Hincm. epist. 17. ad Nicol.

Studia Gotteschalci.

Quamlibet hoc modico vsus sim sub tempore pauco,
Namque magisterio vix vno subditus anno:
Nec didici deinceps, dubiis ambagibus anceps:
Stultorum princeps, abrupta per omnia præceps:
Nemo fuit mihi dux, ideò minimè patuit lux.

Gottesch. epist. ad Ratramn.

Pauca hæc quæ & historiam nostram adiuuant, & studiorum specimen exhibent, duo clarè ostendunt, & *sciolum* fuisse Gotteschalcum, qualis vocatur à Rabano, non doctum & eruditum: & *quietis impatientem* Monachum, quod ipsi obiectum est ab Hincmaro. Quid autem expectes ab eo in Theologicis rebus, qui se duce in

studiis caruisse profitetur? qui vix annum vnum posuit sub magistro? Qua ergo confidentia se applicuit ad subtilissimam S. Augustini doctrinam, asinus videlicet ad lyram? Quo iure in opinionibus malè acceptis pertinaciter inhæsit, quod est sciolorum, imò imperitorum vitium, eruditissimis quibusque alieno iudicio facillimè cedentibus? Quid autem illud auro non contra carum, quod se *stultorum principem* nouit & appellat? Quis non *cæco cæciorem* esse se malit, vt appellat Dissertator, in comitatu Hincmari, quàm *stultorum principe* stultiorem in Gotteschalci patrocinio? Possumus & eius ingenium ex his, maximè si cum sequentibus coniunguntur, expiscari, curiosum, inquietum, leue, ambitiosum & vanum, versipelle. Fecit autem peritia illa mediocris, vt veterum libros neque negligeret, neque ad plenum intelligeret: ingens ostentatio, vt distractos ex iis locos identidem eructaret: maior audacia, qua suos in sensus corrumpendo traheret: omnia *stultorum principe* non indigna. Et quoniam hæc est grandis & complanata ad hæresim via, tam prauo fuit ingenio, vt hæreticus esse vellet; tam paruo, vt nouam hæresim fabricare non posset.

Ingenium Gotteschalci.

Verùm, ne & istud tertium sine pugna obtineamus, facit Walafridus Strabo Panegyrico carmine, quod ex Henrici Canisij antiquis lectionibus acceptum Vsserius Armachanus, ex Vsserio Dissertator exscripsit. Ego quid hîc frustrà repetam? cùm sufficiat dicere, hoc vnicum esse laudationis Gotteschalcanæ monumentum, quod equidem viderim, ab antiqua & coæua manu profectum: in quo declamationis oratoriæ nulla pars desideratur, quæ pium aliquem, & eruditum hominem ad prodendam in publicam lucem doctrinam suam possit excitare. Id vel ex ipso titulo intelligitur *Gotteschalco Monacho*, inquit, *qui & Fulgentius*; id est, omni eruditionis genere conspicuus: ad hanc enim gloriam electum consultò agnomen alludit.

Walafridus Strabo Gotteschalcum laudat.

Henric. Canis. T.6. antiq. lect. Vsser. hist. Gotteschal. c. 4. Dissert. c. 1.

Fateor equidem non inuitus, laudatum impensè Gotteschalcum à Walafrido, & quidem vti dixi, solo ex antiquis omnibus. Nam Lupi Ferrariensis ad ipsum Epistola, alibi repræsentanda, ne micam quidem laudis, imò non parum reprehensionis continet. Sed eius panegyrici auctoritatem, Hincmari testimonio neque hilum obesse contendo. Nam in primis mutuum scabunt, & laudatus à Gotteschalco Walafridus, vicem rependit. Sic enim initio hexametri carminis.

Expenditur illud testimonium.

Addita sunt fasti fulgentia dona secundi,
Quod tua suspensis ingessit epistola nobis.

Legendum puto. Fasti Fulgenti dona.

Solitum autem amicis palpum obtrudere Gotteschalcum, ad illud tempus ostendetur, quo hæc epistola scribi debuit. Respondes, similem esse causam Hincmari, hac in parte, cum Walafrido: quando alter amore laudat, alter odio doctrinæ vituperat. Per me licet, sunto hic pares. Eandém-ne fidem deberi putas puero Monacho, & viro Episcopo? illi qui perdiu sit ab aliquo seiunctus, & iis qui semper eodem loco commorati gestus & verba, nutus & abnutus hominis speculati sunt? Vni denique, & pluribus oculatis testibus? Atqui iuuenis admodum cum Gotteschalco versatus est Strabo. Testes autem dictu sui aduocat Hincmarus *Abbatem & Monachos, inter quos fuit conuersatus.*

Lepidè Dissertator hoc loco, *Abbatem*, inquit, *& Monachos testes finxit.* Id certè probandum. Audi argumenta. Quia in opere de Prædestinatione, & alibi, nihil eiusmodi scribit. Quasi verum esse credamus nihil, quàm quod vbique ingeritur, & inculcatur ad nauseam. Quoties in iudicio testes loqui iubes? Semper dicunt, quod semel iurati affirmarunt. Quia, inquit, in sententia, præsente Abbate ipso, in conuentu Carisiaco lata, nihil simile auditum. In eo videlicet de doctrina maximè quæsitum est: & si cæsus est in Concilio, non præteritas monasterij culpas, sed præsentem in Synodo impudentiam luit: qui si fuit antea in cœnobio *quietis impatiens, & mobilitate noxia singularis*. puta nihil tum legibus debuisse, & multas iam olim in eius iuuenis dorso virgas fuisse mortuas. Adde scribenti Hincmaro librum de Prædestinatione, nullo fuisse opus ad mobilitatem eius confirmandam testimonio, cùm iudicium tunc nullum ageretur. Pontifici autem absenti, & iudici, testes sapienter nominatos, qui ex moribus, in claustro ab adolescentia cognitis & visis, monachi vagantis improbitatem facerent probabiliorem. Atque hinc tertium ducitur inter Hincmarum & Strabonem discrimen. Nam hic cum amico ludit, & exultantem musam iuueniliter exercet: poëta videri vult, cuius proprium esse dicit Aristoteles, aptè mentiri. Agit ille seriò apud Ecclesiæ Principem, Christiani orbis arbitrum, in causa fidei, pro declaranda iudicij Synodalis æquitate, aduersùs auditum, & conuictum hæreticum. Quantùm igitur abest ab Archiepiscopo poëta, epistola familiaris ab instrumento forensi, ludus inter amicos, à iudicio Synodali, tantùm hac in re differre oportet Walafridum ab Hincmaro.

Hincmari testimonium defenditur.

Plus aliquid addo causæ fiducia. Tota sapientiæ suæ serietate Gotteschalcum Strabo extulerit in cælum, id-ne fecit post Rabani & Hincmari iudicium? post damnationem duobus Conciliis peractam? post depositionem, & carcerem pertinacis & incorrigibilis? Tantóne opere amicum laudauit, quantò Gregorius Nazianzenus Constantium Imperatorem perpetuum Arianorum patronum, Catholicorum persequutorem? Quantò Faustum Reiensem Sidonius Apollinaris? Quantò denique, vt alios taceam, Augustinus Pelagium, quem *virum sanctum* vocat, *& non paruo prefectu christianum: cuius absentis & Romæ constituti nomen, cum magna eius laude, cognouit?* De Pelagianis quoque, *cùm sint*, inquit, *vita moribúsque laudabiles*, ad Euangelicam etiam paupertatem perueniunt. At hæc & plura, neque Faustum apud Dissertatorem, neque Pelagium & Constantium apud Ecclesiam magis commendant, quàm si de eorum laudibus scriptores omnes tacerent. Quid igitur Gotteschalco prodest Walafridi Calliope adulatrix, si Conciliis & Ecclesiæ rebellis perseuerauit in hæresi?

Panegyricis non facilè credendum.

Greg. Naz. orat. 1. in Iulian. Sidon. Apoll. l. 9. epist. 3. August. l. 3. de peccat. merit. & remiss. c. 1. Ibid. l. 2. c. 16.

Neque mouere quenquam debet Fulgentij cognomen, inter familiares iocos Gotteschalco inditum à Strabone. Nam & hic iterum manus manum lauat. Gotteschalcus enim antea Strabonem ipsum Honorium vel Honoratum cog-

Fulgentij agnomen attributum Gotteschalco.

nominauerat. Sic enim Strabo in aditu epistolæ quam versamus.

Walafrid. Strabo epist. ad Gottesch.

Cui quondam dederas honore nomen
Ductum, dirigis hic tibi salutem.

Obseruauit autem Vsserius ex Sirmondo, per hæc tempora vsitatam inter amicos vrbanitatem illam imponendorum nominum viguisse. Quo ex more Carolum Magnum Dauidem scimus vocatum ab Alcuino; Ricolfum Moguntinum, Dametam; Angilbertum Abbatem Homerum auricularium ab ipso Carolo. *Vade cum prosperitate Homeriane puer.* Singulorum rationes inquirere, & difficile fuerit, & inutile. Sed Strabonem arbitror ad Geminæ Prædestinationis assertionem oculos intendisse, dum *Fulgentij secundi* Gotteschalco nomen attribuit: in quo & placere potuit nominis ipsius fulgor, et iucundissimus, qui cum ostentatione & pompa scientiam suam venditaret. Sed hac nomenclatione à ceteris omnibus aut ignorata, aut contempta, mortuum est inter duos illud appellationis honorificæ genus; & ante verbera Carisiaca *frater Gotteschalc*; postea autem *miserabilis Monachus*, potiori iure dictus est.

Tom. 2. Concil. Gall.

CAPVT IV.

Gotteschalcus nouas opiniones in Monasterio serere incipit.

Gotteschalcus nouarũ opinionum appetens.



VONIAM scientia inflat ædificante caritate destituta, quantulumcunque tali ingenio, tam exiguo tempore, inter tot curas & solicitudines sibi comparauit Gotteschalcus, id omne ad inanem ostentationem, & quandam affectati magisterij prærogatiuam gloriæ animal contulit. Et quoniam regia via gradientibus, & tritas fidelium animis auribúsque opiniones proponentibus, nulla res admirabilitatem hominum parit; necessarium visum est sciolo & loquaci Theologastro, nouis atque inexpectatis sententiis auditorum suorum mentes percellere; vt qui verè eruditos inter serpere cogebatur, ingenij & doctrinæ famam de nouitate colligeret. Id publicè constantérque profitetur Hincmarus, tum eo libro, cui aduersariorum nemo contradixit, tum eius negotij rationem Nicolao Pontifici reddens. *De omnibus quæ in his regionibus peruerse tunc temporis sensa cognouerat, quædam sibi elegit Capitula, vt nouitate vocum innotesci valeret; vtque simplicium, & deceptorum sensus peruertere, & magistri nomen vsurpando post se discipulos trahere. illisque qui ad sua vota prurientes auribus magistros sibi coaceruare decertantes quærere indebitè, quoniam legitimè non poterat, simulatione vitæ religiosæ, & doctrina præesse.* Simile quoddam hominis elogium cùm ad Lugdunenses scripsisset idem Hincmarus, Gotteschalco in quibusdam aliis patrocinati, simpliciter & nudè istud agnoscunt, siue notum aliunde, siue de ignoto pronunciare non ausi. Nam Epistolarius (sic appello auctorem libelli de tribus epistolis) credere non veretur, propositas à Gotteschalco prædicante difficiles atque implicatas quæstiones, vt *magnarum & nouarum rerum, velut nouus atque admirandus prædicator existimaretur.* Alius autem

Hincm. epist. 17. ad Nicol. & l. de Prædest. c. 2.

Ecclef. Lugdun. l. de trib. epist. c. 1.

Lugdunensis (Scripturarium voco, qui pro tenenda veritate scripturæ disputare se ait,) de homine sola fama sibi cognito fatetur, Capitula in quodam Concilio (Carisiacensi) esse scripta, *ad comprimendam & retundendam cuiusdam garruli & inquieti hominis loquacitatem, qui nouarum, vt fertur, quæstionum auidus & indisciplinatus ventilator, & aliis non paruam perturbationem, & sibi ipsi ærumnam miserrimæ cladis innexit.*

Ecclef. Lugdun. l. de tenenda veritate script. c. 2.

Ad huius ambitionis captandam auram, cùm sponte sua curreret Gotteschalcus, magna mihi suspicio est adhortatorem præterea nactum esse à Monasterio Corbeiensi Ratramnum, & ipsum Monachum, eruditione celebrem, nouitatis studiosum, sed qui cedentis instar leonis vestigia sua cauda verreret, atque confunderet, ne deprehenderetur. Per hæc siquidem tempora oportet amicitiam illam inter vtrunque coaluisse, aut per litteras, aut quouis alio modo, quæ magnis postea crementis aucta, constanter durauit ad mortem. Erat autem Ratramno Gotteschalcus, vt ætate minor, ita doctrina longè inferior, vt eum non immeritò *dominum, patrem, magistrum* salutet in epistola. eiúsque opiniones tam altè in animum demisit, vt si quid in iis à quoquam variaretur, id sibi attribui penitus refugeret.

Gotteschalci cum Ratramno amicitia.

Respondere alij properant dum mente sagaci
Quò magis his, mihi quã repures carissimequicquã,
Si videas aliquid, concordans quod tibi non sit.

Gottesch. epist. ad Ratramn.

Atque cùm proprius sit Ratramni character, nouitates suas callidè tegere, vt id minimè loqui videatur, quod sentit maximè, audaciorem, & stolidiorem reperit Gotteschalcum, à quo nudi sine fuco errores exponerentur aleæ iudiciorum, confidentior futurus, si pede inoffenso per vulgum currerent; manum retracturus, si minùs probarentur. Quare Gotteschalcum hac in pugna non aliter considero, quàm Ratramni ducis veterani velitem, & armigerum, quo vulnerato, quia tironis incauti more latus nudabat, & ipse pugnauit occultiùs, & discipulum docuit, serò licèt, cautiùs disputare. Quæ non aliter tibi probo, Lector, quàm consequentis historiæ ductu, cuius hoc loco fundamenta ponuntur.

Quod autem ait Hincmarus, in Orbacensi Monasterio *magistri nomen vsurpando, post se discipulos traxisse*, manifestè factionem significat, non legitimam scholam, ordine canonico institutam, magistro per Abbatem nominato, & iunioribus fratribus discipulis constantem, qualem monasteria penè omnia tunc habuerunt in Gallia. Quis enim credat, ferino, inquieto, ambitioso, ceruicoso homini prouinciam tanti momenti fuisse commissam? Verùm cùm inter iuuenum vulgus, quibus mira omnia quæ noua, quorum natura & ætas in libertatem procliuior est, sui admirationem concitaret, & Augustino, Fulgentio, Patribus gloriosè citatis, grandia discendi desiderium iniiceret, facilè curiosos reperit asseclas, & vitæ doctrinæque imitatores, scholæ dyscolæ caput iure ac meritò appellatus. Atque ipsi, quod miremur, neque sub vitæ finem in Monasteriali carcere consenescenti, hederæ illæ defuerunt cariosorum parietum adsectatrices. Sic enim monet Hincmarus, eius epistolam ad vnum illorum producens. *Inter alia hæc cuidam sectatori suo iuuenculo, quales solebat diligere, scripsit.* Quid enim leuius, quid nouitatum & gloriolæ appetentius est iuuentu-

Quomodo & quales discipulos habuerit Gotteschalcus.

Hincm. l. de non trin. Dei. sect. 18.

te? Maturæ prouectæque ætatis homines apud se constitutum habent, post consulta scripturæ sacræ, & Patrum oracula, post veræ Theologiæ adyta lustrata, quomodo quaque de re sentiant & loquantur: turpe existimant, auctore Seneca, seni vel in senium respicienti ex commentario sapere: hoc ille docet, hoc iste; Tu quid? Iuuenum autem mentes albæ, quia imperitæ, id omne sitientibus animis hauriunt, quod primum propinatur: maximè si fouet æstum, si fauet conatibus, si facit nomen: vt quæ semel intus innata est, rupto iecore exeat caprificus.

Walafridus Strabo videtur cum Gotteschalco versatus apud Orbacum.

Quidni autem horum iuuenum & discipulorum numerum Walafrido Strabone putem auctum fuisse? Qui si præsens aliquando vidit audiuitque Gotteschalcum, & nulla probabili ratione Gotteschalcus in Germania, apud Augiam diuitem studuisse credi potest, restat necessariò vt ad Gotteschalcum & Orbacense monasterium Strabo migrauerit. Hoc verò, licèt nulla in historia legatur expressum, mihi tamen facilè persuadet, tum temporis florens studiis sacrarum profanarúmque litterarum Gallia; ad quam, velut ad fontem scientiæ, Monachi certatim vndique confluebant. Et nondum satis compositæ Germanicorum Monasteriorum erant scholæ, quas à Rabano Mauro erectas esse, & perceptam ab Alcuino Turonensi Abbate docendi methodum, præceptiones primùm Grammaticas, grauiora deinde instituta, delatam fuisse ad Germanos, in Fuldense Monasterium, & magno consensu paulatim in Monasteriis omnibus vsurpatam, auctor est Trithemius. Et fuit tum adhuc adolescens Walafridus, cùm intra domesticos parietes nouarum opinionum satus meditaretur Gotteschalcus, ipso audiente. Sic enim ad ipsum scribit.

Trithem. l. 2. de vita Rabani.

Atqui in pauperie, passa est quam nostra iuuentus,
Non talem te, care, habui.

Pauperiem putà doctrinæ, qua laborare solent iuuenes, quam & de se cum Ratramno collato profitetur Gotteschalcus.

Haud secus egregias mea nunc cupiebat egestas
Quas tua nobilitas, promisit, amice, camœnas.

Curiosis autem Gotteschalci disputationibus animum plus iustò intendisse Walafridum, & ab eius opinionibus alienum non fuisse, coniicere facile est ex ipso, easdem opiniones in apertum educi suadente.

Quis mibi persuasit sacra munera corde tenaci
Obstruere, auctori nisi qui contraria sentit?

Sensus postulat vt legatur: *Quis tibi*. Quemadmodum antea: *Cur modò diuitiis*. Lego *diuitiis* & errorem asterisco notauit Canisius, non emendauit.

Ambigua vox, quæ & ad munerum auctorem Deum, & ad quæstionum auctorem Gotteschalcum æquè referatur. Vtrum accipias, parum refert. Nam si praua esset, Strabonis iudicio, amici doctrina, neque eius foret auctor Deus, neque Gotteschalci opera in apertum educenda. Hæc est mea de Walafridi Strabonis cum Gotteschalco consuetudine, coniectura, quam Germanicæ historiæ peritioribus libenter corrigendam permitto, si vnum certò monstrarint, aut in Germania eo tempore vixisse Gotteschalcum, aut in Gallia nunquam fuisse Walafridum.

Perstringitur Gotteschalcus Concilio Meld. c. 44.

Itaque Gotteschalcus, qui vel fautores vel discipulos diuersis in locis videbat, cum plenis buccis Augustinum concreparet, hac etiam re scholam Augustini quaquauersum sparsam, præpostera imitatione referre conatus est. Neque aberrabit à vero qui dixerit, eò respicere Concilij Meldensis Patres, tantùm non Gotteschalcum & eius asseclas, in canone nominantes. *Sed & qui in suis Monasteriis religiosè residere debent, & vocum nouitates vt innotescant, studio proferre satagunt, acerrimè vt præsumptores arguantur & comprimantur.* Quæris cur Gotteschalcum deinceps in Monasterio non sis reperturus? Non placebat inquieto, & nouitatum amanti acrioris disciplinæ compressio.

CAPVT V.

Gotteschalcus à Chorepiscopo Remorum sacris ordinibus irregulariter initiatur.

Tria Gotteschalci peccata in Sacerdotij susceptione.



Hvius ergo turbæ studiis, consiliis, assentationibus, tanquam alis, vectus magister, ad altiora aspirat, instituto monastico, nisi singulariter à Deo per Superiorum voluntatem vocetur, non propria, Sacerdotium & Prædicationem. Sed quoniam animus à virtutis tramite semel deflexus, in abrupta perturbationum sine lege modóque feratur necesse est, hæc tali Monacho non bona, malè expetita, peius acquisiuit, & in suscipiendo Presbyteratus ordine tria peccauit. Primum, quòd extra Monasterium Abbatis neglecto consensu; deinde, quod extra suam Parochiam, Episcopo proprio inconsulto; postremò, quod non ab Episcopo, sed à Chorepiscopo consecratus est.

Absque venia Abbatis consecratus. Concil. Agath. c. 27.

De Monacho ad sacros ordines promouendo, Canon Agathensis est, *Si necesse fuerit Clericum de Monachis ordinari, cum consensu & voluntate Abbatis præsumat Episcopus.* Quæ necessitas Gotteschalcum Monachum ordinari coëgerit, ne vel Orbacense monasterium tali præsidio, vel Ecclesia Gallicana, ne dicam vniuersa, doctore & ornamento careret, neque legendo, neque meditando comperi. Consensus & voluntas Bauonis Abbatis omnino non paret, neque vnquam protulit Gotteschalcus, de egressu à Monasterio postulatus. Quod pro se solicitè fecit Hincmarus, vt se ostenderet Cleri & plebis suffragiis petitum, *cum consensu Abbatis sui, & fratrum Monastery S. Dionysij in quo degebat*, in alienam prouinciam translatum, & Episcopum fuisse ordinatum. Quamobrem cùm Abbatis sui litteras in Concilio Moguntino producere non posset Monachus, rectè scripsit Rabanus, *se asseris sacerdotem in vestra Parochia ordinatum, vnde inordinatè discessit.* & Hincmarus, *quique à Monasterio irregulariter exiens.*

Flodoard. l. 3. hist. c. 5.

Raban. ep. Synod.

Inscio Episcopo proprio. Hincm. l. de Prædestin. c. 2.

Eodem loco dicitur consecratus *inscio ciuitatis suæ Episcopo, cum esset Suessionica Parochia Monachus*, adeóque post acceptam ab Abbate licentiam, debuit à Rothado rogare & suscipere ordinationem; non autem eo *inscio* ad alium transire: quod innumeris canonibus decretum est. Sit Nicænus instar omnium. *Si quis audeat ordinare in sua Ecclesia, eum qui alterius Episcopi est, eo Episcopo non consentiente, irrita sit ordinatio.* Cuius vocis duplex vis est, aut, vt ordinetur, hoc est, fiat clericus, & si de maioribus ordinibus agitur, solenni ritu consecretur in

Concil. Nicæn. can. 16.

Duplex est ordinatio.

Presbyterum, ordinetur Diaconus: aut, vt iam antea Presbyter consecratus, ad alterius Episcopi parochiam transeat, illique Ecclesiæ applicetur, & vt loquitur Gregorius Magnus, incardinetur. Arbitror ego hoc posteriore sensu, *irritam* ab Ecclesia fieri *ordinationem*; priore autem non irritari, sed vetari: vt posterior neque licitè exerceatur, neque validè: prior stet valida quidem, sed illicitè suscepta, & depositione vt plurimùm punita. Quod Concilium Taurinense exprimit. *Si quis contra statuta maiorum, ordinauerit,* (alienos) *qui ordinatus fuerit, sacerdotij honore priuabitur; qui ordinauerit, auctoritatem in ordinationibus & Conciliis non retinebit.* Et terribiliùs Nannetense. *Quod si fecerit, iuxta Chalcedonense decretum, is qui ordinatus est, donum Spiritus sancti* (officium & exercitium) *quod furari conatus est, amittat. Et qui mediator extiterit, si clericus est, proprio gradu decidat; si Laïcus, aut Monachus, anathematizetur.* Negas furtiuè susceptum à Gothescalco presbyteratus ordinem, qui prætermisso Suessionensi Episcopo, nullis ab eo dimissoriis litteris impetratis, ad Remensem confugit, non Episcopum, sed Chorepiscopum? Cur autem Rothado se surripuit, nisi quia tunc non erat expeditum os illi sublinere, vt Abbatis Orbacensis voluntatem, & probatæ vitæ testimonium requirere negligeret?

Concil. Taurin. c. 2.

Concil. Nannet.

Obiectio Dissert. c. 2.

Ad ista, imò contra ista Dissertator noster, tanquam paginam Euangelij ita narrat. *Gothescalcus igitur probis imbutus moribus, doctrina conspicuus, sacris ordinibus initiatus, suscepto ex consensu proprij Episcopi, per Rigboldum Remorum Chorepiscopum sacro presbyterali honore, tandem circa annum 847. petita, & obtenta ab Abbate suo venia, diuino, vt credendum est, instinctu, statuit,* &c. Et historiæ illius suæ veritatem, aduersùs *Hincmari calumniam triplicem* inuictis rationibus probat. 1. In sententia Carisiaca præsente Rothado lata, imò in Epistola ipsius Hincmari ad Nicolaum, circumstantiam illam de proprio Episcopo non consentiente, non exprimi, sed tantùm dici, *contra regulas ordinatum* Presbyterum; *neminem* igitur *non videre gratis dictum* ab Hincmaro, factum presbyterum inscio proprio Episcopo. 2. Interfuisse Bauonem Carisiacæ Synodo, cuius in sententia de irregulari egressu à Monasterio nulla mentio est, qui tamen, si verus esset, & Canonum & Monasteriorum regulis graui pœna mulctaretur, neque omnino sileri debuerat. Ergo *post duodecim, aut quindecim annos noua criminationis accessio, quid nisi quæsitus color?* 3. Irregularem promotionem ideo vocari, quòd à Chorepiscopo facta sit, quem potestate non caruisse, docet decretalis Nicolai Papæ ad Rodulphum Bituricensem epistola; quare si ad eum peruenisset Gothescalci appellatio, *depositionem illius in irritum futuram nemini dubium esse potest.*

Dissert. c. 3.

Refellitur.

Certa responsio. Ad 1. deperditis Concilij Carisiaci actis, quid à Rothado, quid à Bauone dictum sit, vel tacitum, sola *meditatione*, & diuinatione conijci posse, & vanissimè illorum præsentiam, aut silentium allegari: satis esse, quod hæc alibi ab ipso iudice scripta legimus. Quid est enim *contra regulas ordinari*, nisi Abbate, vel Episcopo, vel vtroque non consentiente, & per litteras dante licentiam, ordinari? Ad 2. In sententia Synodali actum maximè de doctrina; morum quæstionem ad Concilium propriè non fuisse delatam, quæ potiùs Abbatis esset. Quid autem seueriùs ab eo posset Abbas exigere, quàm virgindemiam vberem, & carcerem diuturnum, quæ duo Concilium irrogabat? Nónne illud olim obseruatum, vt Dei exemplo *non puniret* Ecclesia *bis in idipsum*, depositione videlicet, & excommunicatione? at carcer vnus monasterialis culpas omnes adstringit. Ad 3. denique, de irritanda depositione per Nicolaum, quod dicitur, irritum est, & inane: non enim aio irregulariter ordinatum Gothescalcum, præcisè quod à Chorepiscopo factum illud sit: neque certum hic facio, caruisse Chorepiscopum, ordinandorum presbyterorum potestate: sed caput istud quæsitæ dubiæ & controuersæ potestatis, duobus aliis subiungo, in quibus legitimæ potestatis violatio manifesta est. Ac si candido animo ac sincero, spectata purè diuina gloria Sacerdotium expetiisset Gothescalcus, habebat Suessione Rothadum, Remis Hincmarum, nondum sibi iratum, à quibus ordinaretur. Quæ res igitur cogebat relictis fontibus ad seclusam aquulam, Chorepiscopum ignobilem accurrere?

Basil. ep. ad Amphil. can. 3.

§. Vnicvs.

Fuerit-ne legitima Chorepiscopi ad Gotteschalcum ordinandum potestas.

Ordinatus à Chorepiscopo dubiæ auctoritatis

Venio ad id quod proposui tertium Gotteschalci peccatum, quo postremæ responsioni lux afferetur. Quòd cùm haberet certam & contestatam ab omni æuo Episcopi iurisdictionem, vnde tutò & absque controuersia Presbyteratus ordinem acciperet, maluerit ad Chorepiscopum adire, qui fuit Rigboldus Remorum, sub Hincmaro, cui nondum notus erat Monachus. Quo in facto, quicquid dissimulent patroni eius omnes & amici, candorem & simplicitatem nunquam reperturi sunt. Neque Rigboldum ipsum, licèt vsurpandæ potestatis occasionem oblatam lætus arriperet, vacare culpa existimo, qui alienæ Diœceseos Monachum, Abbatis & Episcopi sui litteris carentem, temerè & contra Apostoli præceptum, citò manuum impositione consecrauit. Imò nodum obiecit Episcopis soluendum, esset, nec-ne Presbyter à Chorepiscopo consecratus Gotteschalcus? Qui clariùs vt intelligatur, de Chorepiscoporum potestate vniuersè spectata, nobis dicendum est; tum ad Remenses; ac demum ad Rigboldum, & eius clientem Gotteschalcum descendetur. De vniuersa autem quæstione, quæ priora tempora complectitur, quibus Damasi & Leonis I. Epistolis compressus est ordo ille inordinatus, non agemus, ea consideratione alio iam opere defuncti; & aliunde veteribus decretis aduersùs Chorepiscopos, fusissimè per Antonium Augustinum collectis: sed quatenus tantùm eo seculo agitata est vltro citroque, & hinc vsu obstinatè retento, inde quantùm per Conciliorum, & singularium Episcoporum auctoritatem licuit, prohibito, disputata.

Anton. August. l. 6. Iur. Pontif. tit. 1. & 2.

Controuersia de Chorepiscoporum potestate.

Fuit enim hoc ipso æuo controuersum, cô-ne protenderetur Chorepiscopalis potestas, vt validè ac licitè Presbyteratus ordinem posset conferre? Illam sibi arrogabant, & propugnabant Chorepiscopi, vt acquisitum priuilegium, ab

antiquo iam vsurpatum, & quotiescunque se dabat occasio, in vsum reducebant: validè contradicentibus ex aduerso Episcopis, & antiquos Canones renouantibus, quibus illi modum suum tenere iubentur, & veris solisque Apostolorum successoribus, ipsi Discipulorum tantùm figuram tenentes, in Hierarchicis functionibus cedere. Itaque Meldensi Concilio, cui interfuit Hincmarus, eodem quo ad Episcopatum Remensem euectus est anno, fortasse ipso, vt facilè opinor, postulante, decreuerunt, *vt Chorepiscopus modum suum iuxta canonicam institutionem teneat, & nec sanctum Chrisma, nec sanctum Paracletum spiritum, solis Episcopis, iuxta decreta Innocentij tribuere debitum, tradere tentet: nec Ecclesias consecret, neque ordines Ecclesiasticos, qui per impositionem manus tribuuntur, id est, non nisi vsque ad Subdiaconatum, & hoc, iubente Episcopo, & in locis quibus Canones designant, agere præsumat.* Priuatim quoque Hincmarus idem Apostolicæ Sedis sententiam super ea quæstione rogauit, ad Leonem IV. scribens, referente Flodoardo, *De his, quos temeritas Chorepiscopalis ordinare, vel quòd Spiritum sanctum* (id est, Confirmationis sacramentum) *tradere præsumebat.*

Concil. Meld. c. 44.

Flodoard. l. 3. hist. Rem. c. 10.

An valida fuerint ordinationes.

Erat enim vlterior inter ipsos Episcopos quæstio, Romana Ecclesia non indigna. Nam cùm omnes in eo vulgò conuenirent, vt illarum ordinationum ius Chorepiscopis competere negarent, non eodem tamen omnes modo illud ipsis abrogandum censebant. Erant quippe qui crederent, ordinationes ab iis factas, validas esse quidem, sed illicitas. Quare in pœnam violatorum Canonum, sic ordinatos depositione mulctabant. Seueriores alij, pernegabant præterea validas omnino esse: & si cui ab illis ordinato, gratificari virtutis aut amicitiæ ergo cuperent, iterata ordinatione rem extra omnem aleam ponebant. Id demonstrat Rodulfi Bituricensis Episcopi, Nicolao I. Pontifici non multò pòst proposita quæstio, ab Amplissimo Dissertatore producta; eam sic referente Pontifice. *A Chorepiscopis asseris multas esse in regionibus vestris ordinationes Presbyterorum & Diaconorum effectas: quos quidam Episcoporum deponunt, quidam verò denuò consecrant.* Idem, vt arbitror, erat Hincmari dubium iam antea Leoni propositum, cui credibile est non respondisse Pontificem, cuius auctoritas quæstioni finem imposuisset. Feliciùs Papam doctissimum consuluit Rodulfus, & responsionem tulit in Chorepiscoporum gratiam, absque explicatione non prætereundam.

Nicolaus pro Chorepiscopis decernit. Ep. 39. ad Rodulf. c. 1.

Nos verò dicimus, nec innocentes percelli oportere, nec vllas fieri debere reordinationes, vel iteratas consecrationes. Hoc ait, & licitè, & validè consecrare Chorepiscopos, & idcircò non esse deponendos ordinatos, quia contra Canones actum nihil est: neque iterum ordinandos, quia verè sunt à Chorepiscopis consecrati. Rationem subiicit. *Ad formam enim LXX. Chorepiscopi facti sunt, quos quis dubitet Episcoporum habuisse officia?* Peculiaris hæc est nostro Pontifici ratio, cùm alioqui & Pontifices ceteri, & Concilia, solis Apostolis Episcopatum tribuant, eorúmque successores faciant Episcopos, qui æquè Discipulis LXX. succederent, si habuissent illi Episcoporum officia. Communis ergo vox est, Presbyteros Discipulis successisse, & eosdem esse Chorepiscopos cum Presbyteris, hoc est, ex illorum ordine & gradu: *quoniam quanquam consecrationem habeant* (Presbyterij) *Pontificatus tamen apicem non habent*, vt ait Leo Magnus: qui & ignorationis Canonum arguit Germaniæ Galliæque Episcopos, altarium consecrationẽ Chorepiscopis committentes: quantò magis si eosdem ad ordinandos Presbyteros admouerent? Sed hac disputatione prætermissa, quid postremò decernat Pontifex audiamus. *Sed quia sacri Canones vetant, ne omnes sibi omnia vindicent, ac per hoc dignitas Episcoporum ad Chorepiscopos suos videatur transferri, sitque vilior honor Episcopi, decernimus nihil in hoc præter regulas vlteriùs fieri.* Probat ordinationes per Chorepiscopos antè factas, sed vetat in posterùm alias fieri: non quòd ea potestate careant, sed quòd ita poscat ordo Ecclesiasticus, & Canonum reuerentia. Ex quibus concludit Præses Dissertator, si Gotteschalci prouocatio peruenisset ad Nicolaum Papam, sine dubio depositionem Concilij sententia irrogatam, ab eo irritandam fore. Sed veriùs pleniùsque colligeret, habuisse Gotteschalcum verè & reapse, Nicolai sententia, (licèt aliud opinaretur Hincmarus) ordinem & honorem presbyteratus: neque dubitandum fuisse in Concilio, vtrum sacerdotale officium vllo modo suscepisset: sed eo propter obstinatam & peruicacem hæresim simpliciter & absolutè fuisse deturbandum.

Leo ep. 88. ad Episc. German.

Dissert. c. 9.

Addo & istud, tam fuisse retinentes vsurpationis illius Chorepiscopos, vt neque fauentis sibi Nicolai decreto cesserint. Siquidem sub huius seculi finem, Concilio Metensi sub Arnulfo rege, iterum roborandum fuit, *vt Basilicæ à Chorepiscopis consecratæ, ab Episcopis consecrarentur. Quia iuxta decreta Damasi Papæ, Innocentij, & Leonis* (Nicolai nulla hîc mentio) *vacuum est & inane, quicquid in summi sacerdotij Episcopi egerunt ministerio.* Vbi notandum obiter, Epistolam illam decantatam, de Chorepiscoporum abrogatione, Damaso tribui: quæ si habet incertum apud alios auctorem, non tamen dubiam doctrinam. Sed extra Gotteschalcum sunt Arnulfus & Nicolaus, Bituricenses & Metenses, agendum de Remensibus.

Chorepiscopi obstinati in vsurpatione.

Concil. Met. sub Arnulpho c. 8.

Epistola Damasi aduersùs Chorepiscopos.

Hac enim in controuersia, tempora duo ritè distinguenda sunt, vacantis sedis Remensis, & occupatæ. Nam Ebbone seniore ab Archiepiscopatu Remensi per legitimam depositionem, & synodalem sententiam eiecto, Lotharij Imperatoris metu ac reuerentia, non statim datus est cathedræ successor; sed Fulconi primùm, ac deinde Nothoni Chorepiscopis, atque œconomis commissa fuit Ecclesia; donec exacto decennio, rogantibus Episcopis vt clarissimæ Ecclesiæ succurreretur, omnium consensu, regis ipsius Caroli Calui accedente voluntate, in Concilio Beluacensi electus est Hincmarus. Hæc tempora Leoni significat in sua illa querimonia Hincmarus idem. *Et quòd terrena potestas hac materia sæpe offenderet, vt videlicet Episcopo quolibet defuncto, per Chorepiscopum solis Pontificibus debitum ministerium peragetur; & res ac facultates Ecclesiæ secularium vsibus expenderentur: sicut & in nostra Ecclesia iam secundò actum fuisse.* Ita vacante sede, Halduinus Abbas Altiuillarensis, Caroli Regis iussu,

Chorepiscopi Remenses.

Flodoard. l. 3. histor. Rem. c. 1.

Ibid. c. 10. cit.

à Lupo Catalaunenſi Epiſcopo Preſbyter conſecratus eſt, & Abbas in eo Monaſterio ordinatus; cuius deinde cauſa cùm in Concilio Sueſſionenſi ſecundo retractaretur, iudicatum tandem eſt legitimè ordinatum fuiſſe, *quia tunc Metropolis Remorum Eccleſia paſtore carebat.* Itaque ſi Gotteſchalcus à Fulcone, vel Nothone ordinationem ſuſcepiſſet, vacante Metropolitana Eccleſia, quanquam ſuſpicioni fuiſſet obnoxium, contempto proprio Epiſcopo, ad Metropolim confugere, minùs tamen erat reprehendendum, illud à Chorepiſcopo impetrari, vel hunc tali rerum ſtatu ac tempore poteſtatem exercuiſſe, in ceteris Chorepiſcopis occupata ſede minùs probatam.

Concil. Sueſſ. II. act. 6.

Gotteſchalcus ordinatur à Chorepiſcopo.

Sed Hincmaro iam conſtituto, cùm is Rigboldum in partem tantùm ſolicitudinis vocaſſet, & preſbyteris Vicanis Chorepiſcopum, quem & alicubi Decanum appellat, impoſuiſſet, monitum ſine dubio, vt modum ſuum iuxta canonicam inſtitutionem teneret, quid rationi conſentaneum prætexere potuit Gotteſchalcus, ad petendum à Chorepiſcopo, Rigboldus ad conferendum alieno Monacho preſbyteratum? Dices fortaſſe aditum ad Metropolitanam ſedem, quòd Orbacenſe Monaſterium peculiari iure Archiepiſcopo Remenſi eſſet immediatè ſubditum. Sed extra chorum ſaltabis, non enim hîc quærimus, cur extra Sueſſionenſem diœceſin ordinationem quæſierit; licuerit fortaſſe priuato monaſterij priuilegio adire Metropolim: litteris etiam, ſi vis, Epiſcopi Rothadi munitus fuerit, aut alio modo eius conſenſum obtinuerit: ſed auemus ſcire, in illa Metropoli cùm duo eſſent, Hincmarus Archiepiſcopus certam, & apud omnes indubitatam ordinationem collaturus; & Rigboldus Chorepiſcopus pendens ab Archiepiſcopo, dubij iuris, diſputatæ poteſtatis; quid tandem cauſæ fuerit, cur hunc potiùs, quàm illum in conſecratorem ſuum elegerit? Cur ab Hincmaro beneficium illud non rogarit? Quis non videt ſerpentem callidum ad ordines clanculum irrepere voluiſſe: vitaſſe oculos & examen Hincmari ex Monaſterio nuper educti, regulas Eccleſiaſticas ad vnguem obſeruaturi, Epiſcopi & Abbatis conſenſum poſtulaturi, & inquietum Monachum ad diſciplinam Monaſticam validè remiſſuri?

Gotteſchalcus fuit validè ordinatus, ſed non licitè.

Quapropter vt hæc quæſtio terminetur, ſic exiſtimo, peccaſſe Rigboldum, qui malè ſit vſus poteſtate apud alios controuerſa, apud Epiſcopum ſuum in partem negantem definita: Peccaſſe Gotteſchalcum, qui in re tanti momenti poteſtatem incertam petiuerit; qui per fraudem, perſpicaces Epiſcopi oculos fugerit, ne ad obſeruationem Canonum adigeretur: validè tamen Preſbyteratus ordinem ab ipſo ſuſceptum, à Rigboldo collatum fuiſſe, quia hic illa poteſtate verè præditus erat, quam Nicolaus poſteriori reſponſione ſua Chorepiſcopis non contulit, ſed exiſtentem confirmauit. Quare ſi reliquæ Canonum partes ea in ordinatione ſeruatæ forent, neque Rigboldo, neque Gotteſchalco negotij quicquam faceſſere potuiſſet Epiſcopus: neque vſquam legimus Rigboldum eam ob cauſam in ius vocatum, aut à quoquam vexatum fuiſſe. Alia autem ex parte, cùm in contraria ſententia eſſet Hincmarus, & à ſede Apoſtolica conſulta, nullum accepiſſet litis terminandæ momentum, aio iure ſuo vſum eſſe, vt non immeritò ſibi perſuaderet, verè & validè preſbyterum non fuiſſe Monachum, cui deeſſet & Canonum obſeruantia, & poteſtas conſecrantis: neque malè ex animi ſui ſententia ſcripſiſſe, *honorem presbyteralem per Rigboldum Remorum Chorepiſcopum vſurpaſſe potiùs, quàm accepiſſe.* Potuiſſe & Epiſcopos Cariſiacenſis Concilij, in ſententia contra miſerabilem Monachum lata, dicere, depoſitum eſſe de gradu, *ſi quo modo ſuſcepiſti:* ne veram & legitimam à Chorepiſcopo ordinationem viderentur agnoſcere, ſicque rem in medio relinquerent.

Hincm. l. de prædeſt. c. 2.

CAPVT VI.

Gotteſchalcus è Monaſterio inordinatè recedens Italicam peregrinationem ſuſcipit.

De Italica Gotteſchalci peregrinatione.



IAM ſepta Monaſterij contra regulam & ordinem deſeruerat Gotteſchalcus, hac primùm audacia, deinde ſuſceptis eo quo dictum eſt, modo, ordinibus reprehenſibilis: quapropter *inordinatè receſſiſſe*, poſtea iure ac meritò ſcripſit Rabanus Maurus. Sic autem potitum voto, & auctum preſbyterij dignitate, nemo facilè crediderit in Monaſterium ſuũ ad pœnam rediiſſe, duplici nomine commeritam: ſed è veſtigio potiùs Italicã ſuſcepiſſe peregrinationem. Et erat anguſtius clauſtrum, quàm vt inquietum teneret; humilius, quàm vt ſuperbo placeret; obſcurius, quàm vt gloriæ animal illuſtraret. Tentanda fuit via clarior, qua ſe quoque poſſet tollere humo, paſſimque virûm volitare per ora.

De ea, Diſſertatoris ſententia. c. 2.

Hanc verò peregrinationem in *iugi meditatione* ſua, talem reperit Diſſertator ampliſſimus. *Diuino, vt credendum eſt, inſtinctu ſtatuit ſacratiſſima Principum Apoſtolorum limina inuiſere, pietatis & religionis ſtudio, ipſo Walafrido teſte, in ſupradicto carmine: vt tunc plurimis religioſiſſimis viris in Gallia moris fuiſſe, notant plurimi ſeculi illius auctores.* Et in ipſo bipartiti operis propylæo, illuſtre patet piæ & religioſæ peregrinationis monumentum, antehac inauditum, Gotteſchalcus ad pedes Nicolai I. Pontificis, à quo ſacram benedictionem, ſuper imminente Spiritu ſancto, vir religioſiſſimus accipit.

Refellitur 1. ex eo quòd ſine tractoriis ſuſcepta eſt.

Equidem recentis notæ ſanctum, & nouam rei antiquiſſimæ imaginem quâ ius faſque eſt, ratione veneratus, non quæro teſtes frequentis è Gallia, ac ſi quid placet ampliùs, ex Anglia, ceteriſque Septentrionalibus plagis, peregrinationis, ad ſanctiſſima Principum Apoſtolorum limina, quod lippis notum ſcio & tonſoribus. Sed & Eccleſiaſticos viros ſine formatis litteris, aut ſi mauis appellare, ſine tractoriis, quas modò Patentes vocamus, quas ab Epiſcopis ſuis acciperent, ſolitos non eſſe peregrinari, hoc ex omni antiquitate didici. Monachorum etiam non aliam fuiſſe conſuetudinem, docet ipſa earundem tractoriarum formula, quam in Marculpho legimus. In Lupo quoque Ferrarienſi, cuius nomen hac in hiſtoria celebre videbimus, monachos habemus cum commendatitiis & we-

Marculph. form. c. 33. 34. Lup. Ferrar. epiſt. 101. 102. &c.

nilonis Archiepiſcopi Senonenſis, & Abbatis Lupi epiſtolis Romam peregrinantes. Quales à ſuis accepiſſe Gotteſchalcum, aut in iudicio Rabani, cùm gyrouagus vocaretur, vnquam protuliſſe, nemo mihi neque per meditationem, neque per collationem Diſſertator oſtenderit. Hoc igitur eſto primum piæ illius & religioſæ, atque diuino inſtinctu ſuſceptæ peregrinationis vitium: in quo tamen non immoror: alia tria certis & affirmatè, atque expreſsè loquentibus auctorum verbis probari mihi poſtulo.

2. Ex eo quod non eſt ſuſcepta ex pietate.
Walafr. Strab. epiſt. ad Gotteſc.

1. Suſceptam illam peregrinationem à Gotteſchalco, *inſtinctu diuino, pietatis & religionis ſtudio*. Nam Walafridi aut ſodalis aut diſcipuli quod affertur teſtimonium, non è Gallia Romam proficiſcentem: ſed Roma, vel ex Italia barbaras regiones cogitantem exhibet Gotteſchalcum, quod ipſa verba manifeſtè declarãt: *Romana poſitum ferens in vrbe, Deuoto extera cogitare corde Gratis exiliis adire rura*. Quæ fuit generis alterius gyrouagi peregrinatio, de qua dicendum erit. Itaque cùm nemo pietatis & religionis ſtudium illud teſtetur in monacho; habeã ego qui eius hypocriſin in illius itineris conſilio clarè proferat, Annaliſtam Bertinianum, dicátque conceptis verbis, *Italiam ſpecie religionis aggreſſum*: Cur teſtificationi tam antiquæ, tam luculentæ, ſatis habet Præſes clariſſimus opponere ſuum, *vt credendum eſt*, & fictoris ſui columbam, Pontificem inter & Gotteſchalcum radios emittentem, quod merum fictionis eſſe ludibrium mox patebit?

Annal. Bertin. ad ann. 849.

3. Ex eo quod non eſt probabile ſalutatum eſſe à Gotteſchalco Pontificem.

2. Quod ad pietatem Gotteſchalci perparum facit, ad hiſtoriam autem non minimum, (in qua diuinandum nego quid fieri potuerit aut decuerit, ſed quid reapſe factum ſit,) enarrandum eſt: Quæro expreſsè qui dicat, & indubitatè, Romam attigiſſe, & Romæ fuiſſe Gotteſchalcum. Id quidem dixit Strabonis *fama*, ſed *dubia & vaga*. *Interdum vaga perſtrepebat illum Romana poſitum ferens in vrbe*. Locupletioré volo rei non contemnendæ teſtem, quàm poëtam, ſodalem, adulantem, remotum. Nam ſi Romæ fuit, ſi Pontificem veneratus eſt, miror equidem nullius in aula Romana ſibi amicitiam conciliaſſe, ad Pontificem ſibi notum, & tam beneuolum, vt benedictione à Spiritu ſancto inumbrata ſanctificaret, ſtatim non appellaſſe à Moguntino, vel Cariſiaco Concilio. Sed & audito Lupo Ferrarienſi, vix ac ne vix quidem mihi perſuadere poſſum, licuiſſe Gotteſchalco, etiamſi concedam *Romana poſitum in vrbe* fuiſſe, ad Papam penetrare. Cogitabat ſcilicet Romam Lupus, ſed eo quo Samuelem videntem modo Saul, adhuc aſinas quærens, ſine *ſportula*, neque erubuit ab Abbate Prumienſi munuſcula rogare, quæ viam ſternerent ad viſendum Pontificem. *Romam proficiſcor orationis gratia, & quarumdam Eccleſiaſticarum ſtudio cauſarum: & quoniam in conficiendis rebus Apoſtolici gratia indigebo, ea verè ſine munerum interceſſione commodè iniri non poteſt*, &c. Putas id conſequutum ſimplicem monachum, à nemine commendatum, quod Abbas clari nominis, & in aula Caroli Calui gratus, *ſine munerum interceſſione* vix ſperauit? Aut vnde credis profugo ex Monaſterio, & gyrouago munera obueniſſe, quæ Abbas ab Abbate locupletiſſimi cœnobij, quod ſeceſſu ſuo dignum putauit Lotharius Imperator, mendicare cogitur? Guntbertum certè Gotteſchalci ſodalem viſuri ſumus aliquando, Romam abeuntem, ſed non ſine magnis è monaſterio ſpoliis, quibus iter ſuum, eiúſque terminum emolliret.

Lup. Ferrar. ep. 68. ad Marcuuard

4. Ex eo quod Gotteſchalcus Nicolaum I. Pontificẽ videre non potuit.

3. Demus id tamen liberaliter, quando ſubſtantiam hiſtoriæ minimè tangit, fuerit an non viſa Gotteſchalco Roma, quæ eius tumultibus inuiſa ſemper eſſe debuit; tabulæ aditialis auctorem interrogo, quiſquis ille inuenit, fecit, excudit, quo exemplo, quo teſte, quo iure ſalutatum à Gotteſchalco Monacho, velut Langobardo quodam, Pontificem, nominet & inſcribat *Nicolaum I.* diſſentiente præſertim erudito Diſſertatore, qui Chronicam ſuam hiſtoriam ſic diſponit, vt omnino Nicolaum I. in Pontificatu videre non potuerit Gotteſchalcus. Nam certum eſt Leonem IV. Romæ ſediſſe anno Chriſti 847. cùm dicitur Gottheſcalcus diuinum ſequutus inſtinctum pié & religioſè Romam eſſe peregrinatus. Nicolaum autem I ſupremæ ſedi fuiſſe impoſitum decènnio pòſt, anno 858. Gotteſchalco iam in caueam retruſo, vnde pedem extulit nunquam. Atque ex iis quæ ex Prudentio, quæ de Ratramno, de Hincmaro ad Rabanum ſcribente, inferiùs copioſiſſimè diſſerit Chronologus Hiſtoricus Diſſertator, conſtat totam damnati, & verberibus pulſati peregrini tragœdiam, Leone IV. Pontificatum gerente, tum Moguntiæ, tum Cariſiaci fuiſſe actam. Ex iis autem quæ geſta dicuntur in peregrinatione, quæque breuioribus temporum anguſtiis coërceri non poſſunt, intelligere omnino debemus anno circiter 845. peregrinationem inchoaſſe, & ſi vnquam datum eſt priuato, externo, ignoto Monacho ad Pontificem penetrare, venerationem exhibuiſſe Sergio II. aut vt ſummum Leoni IV. non autem Nicolao I. qui tum fortaſſe nondum erat Eccleſiæ Romanæ Diaconus. Peccauit igitur vel in Chronologia Diſſertator, vel ſculptor in tabula: vel vterque, ſi Romam & Pontificem, niſi in imagine illa, nunquam vidit Gotteſchalcus.

Imprudenter id fictum in tabula.

Video ad hæc reſponderi quid poſſit ac debeat. Præſtari non poſſe à ſapiente pictorum poëtis affinium figmenta. Copulari non rarò ab iis qui dialogos ſcribunt, (nam & ij quædam poëſeos ſpecies ſunt) perſonas interloquentes toto ſeculo ſeiunctas inuicem: coniungi cum Gotteſchalco Nicolaum non tam loco, quàm ſenſu & approbatione, quippe qui eius doctrinam ratam, ſcripto etiam pro ea libro, habuerit. Quibus ego, poëticis fictionibus hiſtoriæ veſtibulum peſſimè adornari; efficax ex indice ſumi præiudicium fabularum intus latentium: pugnantia loqui ſcriptorem, qui promittat hiſtoriam, & figmenta monſtret in tabula: non enim talia deformant ſculptores iniuſſi. Neque iſtud ſine Dei prouidentia factum arbitror, cùm frequentiſſima Diſſertatoris cogitata, non ex rebus verè geſtis, non ex auctoribus antiquis, ſed ex eius *iugi meditatione, & cum* eadem ſentientibus *collatione*, reperturi ſimus in ea narratione, quæ fictæ tabulæ magis, quàm indito titulo reſpondet. Nam de libro Nicolai, de Remigio, de Floro Magiſtro, de Seruato Lupo, tanquam Gotteſchalci patronis, quod imago pollicetur, pura imago eſt.

CAPVT VII.

Gotteschalcus in Italia, apud Comitem Eberardum, prauas opiniones docere incipit.

Gotteschalcus apud Eberardum Comitem manet.

VI ad Monasterium *irregulariter & inordinatè* desertum reuerti non festinabat Gotteschalcus, Eberardi Comitis hospitalem benignitatem auidè complexus est, siue Roma rediens, siue Romam tendens: opportunam stationem arbitratus, vnde religionis Christianæ fontem peruersæ doctrinæ veneno inficeret. Atque hic quæsita mora, certum mihi indicium est eius, quam summopere reprehendendam dico, libertatis in Monacho, & non acceptæ ab Abbate Bauone licentiæ, qui certè moras in itinere nectere, in Magnatum basilicis habitare, apud Italos scholam erigere nunquam permitteret: Monachis ceteris pietatis ergo peregrinantibus, paucorum dierum solatium, non statam mansionem in piis illis lautisque hospitiis quærentibus. Id sine dubio significat Rabanus Maurus, Eberardo ipsi de Monachis suis humanissimè habitis gratias agens. *Referentibus nobis fratribus nostris, qui præterito tempore Romam perrexerunt, Astribo videlicet, & Hudperto Presbyteris, de sospitate vestra, & benignitate, quam non solùm erga eos, sed etiam erga multos exhibere soliti estis, valdè fateor gauisus sum, & Deo omnipotenti inde gratias agens deprecabar, vt ipse qui cœpit in vobis opus bonum, perficiat.* Ac deinde quasi rem nouam, de Gotteschalco scribens, *De cetero quoque, quia diuulgatum in istis partibus constat, quendam sciolum nomine Gotteschalcum apud vos manere.* Non ait, prætervectum esse, non hospitatum, non vires reparasse, sed *manere*, quod à nullo præterea Monacho factum legimus.

Raban. epist. ad Eberard.

Quis fuerit Eberardus.

Quis fuerit Eberardus discimus ex historia Flodoardi, narrantis prensatum fuisse illum ab Hincmaro, & scriptam epistolam *Viro illustrissimo Eberardo, ex Principibus Imperatoris Lothary*, ad quem litteras direxit Archiepiscopus, *pro adipiscenda familiaritatis apud eum gratia, quondam sibi ab ipso gratis oblata; congaudens bonis quæ de ipso per certas audiebat personas, maximéque per Amulum Præsulem, quem sincerissimum, & carissimum vocat Patrem suum.* Et quæ sequuntur præclara. Priùs igitur amicitiam Hincmari Comes expetierat: vt & Rabani Mauri, cùm opus ipsius metricum, de laude crucis Christi, ad se mitti rogauit, eáque in re Comiti religiosissimo gratificatus est Rabanus. Extat opus illud Tomo primo Rabanicorum operum, laboriosiùs quàm ingeniosiùs compositum: quod tamen ingenti auctoris gloria, per manus eruditorum vagabatur. Amulus autem Italiæ vicinior, & in Lotharij imperio, multas arctissimæ cum eo necessitudinis contrahendæ occasiones nactus est. Atque vt ipsum Hincmarus per Amolonem incœpit nosse: ita verisimile est Hincmarum Eberardo per Amolonem fuisse cognitum, vt suam vltrò amicitiam ipsi offerret. Quem præclarum quaternionem, Amolonis, qui fuit *sincerissimus, & carissimus* Hincmari *pater*; Rabani, quem postea videbimus *sanè in omnibus* Hincmari *consentire doctrina*; Hincmari, quem Rabanus ait *meritò rectæ fidei ab omnibus Catholicis ritè venerandum* esse: Eberardi, religiosissimi Comitis, quem Rabanus vocat *benè Christianum*, qui tres illos magnopere coluit, ab illis vicissim suauissimè honoratus; illum inquam quaternionem magnorum virorum, in hoc operis limine tuæ mentis oculis obiicio, perpetuò spectandum, in quo vides præsentis & coram auditi Gotteschalci iudices duos, fama & scriptis cogniti censorem vnum: nondum satis noti hospitem vnum, *simulatione vitæ religiosæ* primò quidem deceptum, sed mox Rabano monente, benè Christianum exturbatorem. Quæ omnia sequentis historiæ seges sunt, & præclaram eius partis speciem informant, in qua tantos viros concordi sensu, pari zelo, æquè sincera deuotione Gotteschalci erroribus oppositos videbimus.

Flodoard. l. 3. hist. c. 26.

Quatuor viri Gotteschalco oppositi.

In Eberardi domo scholā erigit.

Sic igitur admissus in Eberardi basilicam & conuictum Monachus è Gallia, quam extulerat è monasterio doctrinam, ignaris theologicarum rerum aulicis, & vicinis explicare aggreditur. Hæc est prima eius extra Monasterium quasi schola, nemine iubente, decepto Comite viro optimo erecta, in qua collectas Orbaci opinionum suarum merces curiosis omnibus, quasi quidam agyrta circumforaneus, explicuit, non sine fama, sed sine fructu, saltem diuturno. Famam enim declarat diditus rumor per Germaniam, & Rabani litteræ ad Comitem: fructus leuitatem, pax Italiæ, in excitato per Gotteschalcum præsentem in Gallia disputationis incendio. Nam cùm Italus nemo controuersiam tota Europa famosam, vel extremo digito tum attigerit, quis putet aut vlli erudito somnia sua persuasisse Gotteschalcum; aut illo inde digresso, diu in mentibus hominum opiniones pietati contrarias hæsisse? Sed quoniam certum est & hîc in Italia, & pluribus sæpe locis, leues auiculas, & stupidos pisces ab eo captos, hamum eius & laqueum quo bardos decepit, hoc tradendæ disciplinæ exordio non incommodè aperiemus. Id autem nemo meliùs & vberiùs explicat Hincmaro, qui & vsu suo, & plurimorum testimoniis habuit exploratum.

Quid & qua methodo docuerit.

Hincm. l. de Prædest. c. 2.

In primis electam ad docendum materiam paucis ita tradit, *De omnibus quæ peruersè tunc temporis sensa cognouerat, quatuor sibi elegit capitula omnium penè peruersitatum illarum fœtidas & cœnulentas faces in se continentia, quibus simplicium & deuotorum sensus peruertere valeret.* Ea tam frequenter occurrent inferiùs, vt hîc distinguere nihil sit necesse. Est autem à nobis notatum in aditu, contentionibus Theologicis refertum fuisse seculum istud, & plures quæstiones magno animorum æstu agitatas; ex quibus quas sibi maximè ad vota sua conuenire credidit Gotteschalcus, elegit. Sed quam in partem? Sequiorem, vt qui hæreticam mentem ad doctrinam adferret, probare certus, non quod Catholici docerent, sed quod inquieto placeret ingenio. De iis, inquit, *quæ peruersè sensa cognouerat*; non quæ didicerat ab orthodoxis. Deinde, qua sit vsus methodo in tradenda doctrina, seriò declarat Nicolao Pontifici, vt eo argumento demonstret, quàm fuerit necessarium,

hominem garrulum & pellacem, carcere, tanquam cauea coërcere, ne plures in errorem induceret: & si Romam euocandus videbitur, non alteri debere committi, quàm benè Catholico, & in scripturis sanctis apprimè versato. *Quia non solum scripturas, ad suum sensum violenter inflexas, sed & Catholicorum dicta detruncata, per totum diem, sine respiratione aliqua, praualet memoriter decantare. Vnde non solum idiotas in admirationem sui abducere, verùm & sciolos, & incautos, atque zelum Dei, sed non secundùm scientiam habentes, in sententiam suam solitus erat traducere. Et non solùm doctorum suorum doctor videri appetit, sed & hoc solerter satis intendit, vt secum loquentes, vel in sermone capere valeat; & si de veritate non poterit, inuincibiliter sacramentis affirmare curabit, ea secum loquentes dixisse, quæ forte non dixerunt, vt ipse verax, & illi qui ei contradicunt, probentur esse mendaces, & aduersùs suam doctrinam docentes.* Vir non ignarus, sed garrulus; subtilis, sed importunus; memoria præditus, sed non iudicio, loquitur, citat, explicat, implicat: pendent ab ore loquentis imperiti, σοφῶς & euge inclamant scioli: accedit ex aduerso de Catholica schola grauis & modestus clericus, aliquid sibi probari postulat; repetit Gotteschalcus: hunc Augustini locum Catholicus sic habere negat; iterum citat Gotteschalcus: machinas vir bonus è scripturis & ratione admouet, ad euertendas hæreticas substructiones; illis dissimulatis, vsque & vsque ad rauim repetendo dicta sæpius, respondet Gotteschalcus: aliquando agit in actorem, impugnat impugnantem, indicta fingit esse dicta, iurat inuolutum contradictione aduersarium, insultat loquacitate victor, & malitia, verbis fatigatum & obrutum sequitur triumphans, & in sciolorum turba modestiæ spolia diuidit.

Hincm. ep. 17. ad Nicol.

Hæreticorum est scripturas corrumpere.

Decurtari & corrumpi à Gotteschalco Patrum Catholicorum locos, alibi probabit exemplis Hincmarus: nunc satis habet technas Pontifici prodere, quibus vafer præstigiator auditoribus insidiatus est, familiares & domesticas imperitis. Atque vtinam illius in peruertendo Patrum sensu, ita compressa esset audacia, vt ad posteros nunquam pertigisset! Quantùm autem in hac impostura, & nequitia virium insit ad errores persuadendos, nemo non videt. Nam cùm in rebus ad fidem spectantibus antiquorum sensa exquirere soleamus, fueritque illius seculi proprium, vt & penè nostri, ex commentariis sapere, & quicquid sub illustribus Patrum titulis propinatur, vulgus facilè hauriat; fieri autem non possit, vt Lectores paulò peritiores, Bibliothecam circumferant libris & membranis refertam: neque si tulerint, producta ex illis omnia conferre curent per otium: neque si peruelint, satis habeant plurimi aut eruditionis aut ingenij, vt discrimen vtrorumque peruideant; neque si habeant, dedoceri curent, deliberato consilio in semel arreptis consistentes: intolerabili quadam impudentia hæretici omnes scripturarum & Patrum sententias mutilatas, auctas, vitiatas, prauè detortas, in medium adducunt, fidem apud incautos & credulos reperturi.

Rabanus aduersùs Gotteschalcum excitatur

Cathedram pestilentiæ sic erigente homine leuissimo, stultorum principe, cùm ad nouitates illas obstupescerent Itali, nemo contrà disputaret, diuinæ fuit prouidentiæ, quæ peculiari semper cura Ecclesiæ suæ commodis inuigilat, saltem ex longinquo, nascenti malo remedium arcessere. Fuit is Rabanus Maurus Moguntinus Archiepiscopus, notus vt dictum est, per litteras Comiti Eberardo, *in scientia Theologia preclarus*, vt loquitur Chronicon Salisburgense, catholicæ fidei zelo præstans. Quid enim eo loci ageret Gotteschalcus, exploratum habuit Rabanus à Notingo, nos à Rabano. Notingus aliquis *Episcopus Constantiæ Alamannicæ* à scriptoribus historiæ Francorum sub Ludouico II. Imperatore commemoratur: sed noster hic Italicus est, Veronensis, à Rabano solùm dictus *Electus Episcopus*, nam ad posterioris Notingi tempora non peruenit Rabanus, altero post Lotharij abdicationem, & Monasterij Prumiensis ingressum, anno, rebus humanis exemptus. Cum Notingo in vicinia posito, de subtilissimis rebus, & Prædestinatione diuina disputauerat, iam Italicus doctor Gotteschalcus, & vt paucis diebus eum penitus in nouitates suas, à communi piorum sensu abhorrentes, non potuerat impellere; sic credibile est aliquantùm de gradu dimotum, titubantem & dubium reliquisse. Verùm diuina manu confirmatus est ne rueret, cùm expeditionis regiæ occasione in pagum Loganæ deductus, incidit in Rabanum, & vt fieri assolet, motus animi sui, super iis quæ per Italiæ fines docerentur à Gotteschalco, exposuit. Moguntino igitur Catholicam doctrinam solidè apud dubitantem explicante, quantùm quidem militares curæ paterentur, inter eos conuenit, vt quod viua voce tradere pro dignitate non posset, scriptis maiore cum otio legendum & expendendum committeret, & vt loquitur Rodolphus in eius vita, *quid rectè sentiendum esset, ostenderet.* Sic enim Rabanus ipse: *Nuper quando ad serenissimum Imperatorem Ludouicum, in transitu expeditionis hostilis, in pago Logana venisti, & ibidem mecum locutus de heresi, quam quidam de Prædestinatione Dei iniquè contendunt, errantes, & alios in errorem mittentes, sermonem habuisti, conuenit inter nos vt de diuinis scripturis, & de orthodoxorum Patrum sententiis, aliquod opusculum conficerem, ad confutandum errorem eorum, qui de bono Deo & iusto tam nequiter sentiunt.*

Notingus de Gotteschalci doctrina Rabanum admonet.

Rodolph. in vita Rab. in fine.

Raban. epist. ad Noting.

Quæ fuerit ea doctrina.

Qui verò fuerint errores illi, quanquam Hæresis Gotteschalci ad locum vnum referenda est, ne sparsa per occasiones, & obscurior sit, & fastidiosior; placet tamen hoc loco simpliciter ex Rabano proponere, vt eò vsque narrandis, lucis radius aspergatur. Scribit enim Diabolum *per vaniloquos, non solùm otiosa, sed & noxia, & blasphemiis plena proferre eloquia. Ita vt quidam eorum perditionis suæ conditorem asserant auctorem, dicentes, quòd sicuti qui per præscientiam Dei, & prædestinationem vocati sunt, ad percipiendam gloriam æternæ vitæ, non possunt non saluari; ita & illi qui ad æternum interitum vadunt, prædestinatione Dei coguntur, & non possunt euadere interitum.* Hæc est thesis nudè & sincerè posita; quam vbi pluribus confutauit, more seculi, ex vtriusque testamenti locis innumeris, consecutiones quasdam inde colligit, sanè infames, siue eas Notingus retulerit à Gotteschalco doceri; siue ex eius doctrina necessariò deducat: quas proinde thesi, tanquam

Raban. l. de prædest. ad Noting.

semine contentas, vi contrà disputantium deinde coactus est hæreticus in apertum efferre. *Multiplici ergo reatu iste constringitur qui prædestinationis bonum in prauum sensum vertens, nefandis sermonibus blasphemare præsumit.* Nimirum creatorem qui summè bonus est, maleuolum audet dicere: veritatem fallere nititur asserere: iustum iudicem prædicat iniustum: redemptorem mundi frustra suum sanguinem fudisse fingit: diabolo tradit quos diuina gratia decreuit saluari: genus humanum negat ab originali, atque actuali peccato per fidem Christi, & baptismum posse erui. *Hisque omnibus ita ostensis, suus proprius maximè inimicus esse conuincitur, cùm non solùm sibi in hoc gehennæ ignem præparat; sed etiam in eo, quòd alios per erroris sui doctrinam à via veritatis seducendo, suæ damnationis facit esse consortes, pro quibus ipse sine dubio in igne æterno pœnas condignas soluet.* Conueniunt ista præclarè cum Hincmari dicto, de materia ad errandum & docendum ab eo delecta, quod nos suprà referebamus, & verè fœtidas & cænulentas fæces in se continent.

Quæ impia ex ea deducantur.

Hincm. l. de præd. c. 2.

His repugnantia more suo ponit Dissertator, & multa implicat inuoluitque, è quibus necessaria colligo. 1. Esse oratorias Rabani amplificationes, cùm ait Eberardo, diuulgatum esse per Germaniam, id quod ipsi soli, & à paucis diebus relatum erat à Notingo. hoc est, vt Latinè loquamur, mentitum esse Rabanum. 2. Non prædicasse Gotteschalcum, vel discipulos post se traxisse, id est, mentitum esse Hincmarum, cum Rabano. 3. Notingum Rabano malè retulisse Gotteschalci doctrinam, aut Rabanum malè percepisse; vt de illis dici possit, quod Augustinus de Floro, aut non intellexit, aut intellectus non fuit, in difficillima quæstione proponenda: hoc est, vel stipitem fuisse vtrunque, vel Notingum cum Rabano fuisse mentitum. 4. De sola gemina Prædestinatione tunc egisse Gotteschalcum, quæstiones alias huius opusculi occasione, deinde fuisse assumptas. hoc est, mentiri lectores omnes, qui aiunt in hoc opusculo legere se, quod non diffitetur ipse Dissertator, dictum de libertate arbitrij; de Deo volente saluari, eos etiam qui traduntur diabolo; de Christi sanguine frustra profuso: quæ sunt reliqua doctrinæ Gotteschalcanæ capita, ab Hincmaro tantopere oppugnata; licèt in illis leuiùs insistat Rabanus. 5. Vtcunque quod Notingo pollicitus erat, executum esse Rabanum, qui Gotteschalci doctrinam non impugnauit, vt notat Ecclesia Lugdunensis. hoc est, fœda hallucinatione deceptum Rabanum, glaucoma Notingi oculis obiicere, vt Helenæ simulacrum ab ipsa Helena non distinguat. 6. Denique, *Rabano, & aliis similibus illo sæculo contigisse, quod hoc sæculo fermè ad tyrannidem inualuisse, pij omnes doctrinæ diui Augustini professores, & affecla dolent, & lugent, vt videlicet sanissimam illam & diuinam doctrinam, non minus quàm hæresim, & pestem auersentur.* Hoc est, Gotteschalci doctrinam esse *diuinam*. Rabanum, ac deinde Notingum, & alios huius seculi eius aduersarios, *tyrannos*, qui *sanissimam & diuinam doctrinam* horrent, & refugiunt. Quid hîc tibi animi est lector? Rides, an indignaris mendacij, imposturæ, stuporis argui præstantissimos Episcopos, qui ab ipsius Gotteschalci disputantis ore doctrinam eius perceperunt, qui deinde genuina eius scripta, quod postea videbimus, legerunt? Istud Dissertatoriæ disputationis initium, pro rei magnitudine si voles æstimare, quid tandem in progressu, cùm incaluerint animi, & totus scriptoris mentem Gotteschalcus inuaserit, ab eo sperandum putabis?

Dissertator inuersesus in Rabanum, & Notingum. Dissert. c. 1.

Notingus de Gotteschalci doctrina Rabanum admonet.

Rodolph. in vita Rab. in fine. Raban. epist. ad Noting.

Quæ fuerit ea doctrina.

Raban. l. de præd. ad Noting.

CAPVT VIII.

Rabanus Maurus Comitem admonet de praua Gotteschalci doctrina.

ANTE verò quàm illud scriberet Rabanus, & fortasse, quàm discederet è castris Regius Notingus, nascenti periculo promptiùs occurrendum ratus, Eberardum Comitem sine mora morbi præsentis admonet Moguntinus, indicato nomine hospitis, vt antè retulimus, explicata eius doctrina, proposito malo ex ea imminente. *Et iam hinc multos in desperationem sui hæc secta perduxit. Hæc traditio multis in istis partibus scandalum est, & prædicatoribus Euangelij homines inobedientes facit, quia iam desperantes de semetipsis eos reddidit.* Iámque incipit quasi rudioribus lineamentis hæreseos oppugnationem describere (sic enim cum homine laico prudenter censuit agi oportere, qui sublimibus theologiæ mysteriis ex ipsa vitæ conditione, & secularium curarum multitudine, par esse non poterat,) & illud fundamentum euertere, quo ad colligendam famam, & errorem confirmandum hæreticus vtebatur. Iniustè nimirum, & contra fas omne, vsurpatam magni Augustini auctoritatem, quem fingebat hæreses docuisse, vt ipse Catholicus videretur. *Dicitur enim ipse Doctor vester, multa testimonia excerpsisse de opusculis beatissimi & doctissimi Patris Augustini, quibus nititur suam sententiam affirmare: cùm memoratus Pater & doctor Catholicus, contra Pelagianos scribens, qui gratiæ Dei contrarij prædicatores fuerunt, defensor eiusdem gratiæ, non destructor fidei fuerit.* Paucis deinde ex Augustino productis, subiicit fuisse aliquos, *qui aut non intelligendo, aut intelligi ea nolendo, quæ ibi rectè scripta sunt, in prauum sensum abducere conabantur.* His opposuisse se Prosperum, *qui eius doctrinæ fidelis executor fuit, & rescribendo fortissimè restitisse, atque conuicisse, de prædicto magistro sanctæ Ecclesiæ non rectè eos sensisse.* Pergit igitur ex eodem Prospero assertiones ponere, doctrinæ Gotteschalci repugnantes. velle Deum vt omnes homines salui fiant: non esse Deum cuiusquam malæ voluntatis, aut malæ actionis auctorem, *quæ detestanda, & abominanda opinio est:* Baptismo peccatum originale tolli, etiam in iis qui prædestinati non sunt ad vitam, & similes alias. Quæ quidem argumenta tam leuiter prætereunda non videntur, quàm breuiter proponuntur ab auctore, quem à Deo præter ceteros electum habemus, vt primus nascens monstrum confoderet, & aliis ad bene de re Catholica merendum signum tolleret. Grano sinapis, meo quidem iudicio, similis est hæc epistola, quæ

Rabanus ad Eberardum scribit contra Gotteschalcum.

Arguit quòd Augustinum pro se allegat.

Reuincit ex Prospero.

magnæ cuiusdam efficacitatis semen continet, in grandem arborem euasurum. Neque deerunt quibus granum idem bilem moueat, facili responso, tanquam frigida, extinguendam. Quid enim hic ait senex & doctus Rabanus, Episcopus ex Abbate, Monacho *sciolo*, nouitio doctori opponendum?

Expenditur epistola ad Eberardum.

1. Qui Gotteschalci doctrinam ament & sequantur, eos Euangelio non obedire, & eius prædicatoribus aduersari: vide *sanissimam & diuinam doctrinam*. 2. Eosdem in salutis æternæ desperationem venire: ex hoc effectu causam æstima. 3. Augustinum pro se gloriosiùs, quàm veriùs adducere: hos vocat Dissertator *pios doctrinæ diui Augustini professores & asseclas*. 4. At negat Episcopus hoc omnino posse tolerari: Si quidem, Catholicus, inquit, est Augustinus, Gotteschalcus hæreses loquitur: Augustinus Pelagianos ingratos refutat, gratiæ Dei contraria docet Gotteschalcus. 5. Mentem Augustini, quam ille non assequitur, à Prospero fideliter & eruditè exponi, dum sciolis respondet, eius sententias in prauum sensum torquentibus. 6. Eiusdem Prosperi opiniones, ex aduerso Gotteschalci erroribus esse oppositas. Quæ omnia quantam in molem disputando excrescent? Prosperum enim proferet Hincmarus, non tantùm vt fidelem interpretem Augustini, sed etiam vt delegatum à Sede Apostolica, ad defendendum contra Gallorum obiectiones Augustinum: Gotteschalco conuicium faciet, quòd non alios proferat ex Augustino locos, quàm à se antè corruptos: Magna cum fiducia profitebuntur aduersarij Gotteschalci, nihil se Gotteschalco imponere, quem Rabanus Prospero oppositum fecerit: inimicas esse gratiæ diuinæ Gotteschalci opinationes; adeòque qui illas oppugnent, esse gratiæ Dei propugnatores, & certò suis in partibus habere Augustinum, quem alij sibi iniquè vindicent. Dicent iidem resurgentium errorum hostes, esse se prædicatores Euangelij, & sexcenta ex vtriusque testamenti paginis colligent, quibus Gotteschalci scandalum tollant, homines in spem salutis erigant, vocent ad pœnitentiam, perseuerantiæ finalis idoneos efficiant. Quin & Rabanus ipse, cùm iterum ac tertiò in pugnam reuocabitur, non aliis vtetur armis, quàm quibus hac epistola velitatus est. Hanc interim Dissertatori nostro Apologiam offert, vt intelligat, verè & absque amplificatione Rhetorica, prauam Gotteschalci doctrinam aliunde, quàm à Notingo acceptam, fuisse in Germania diuulgatam: doctrinam illam fidelissimè relatam à Notingo, à se perfectè fuisse intellectam; quando post auditum ipsum in Concilio Gotteschalcum, geminam eius Prædestinationem non aliter, quàm antea hoc loco, refert & refellit: prædicasse denique, & nimiùm verè discipulos & prauæ doctrinæ asseclas habuisse, à quibus eam oporteat ad Germanos, tanquam exoticas merces, fuisse deportatam, quos postea cum ipso remissos in Galliam à Rabano spectabimus.

Augustinus oppositus Gotteschalco.

Eberardum hortatur Rabanus, vt Gotteschalcum comprimat.

Denuum epistolam auream, graui & efficaci ad amicum admonitione terminat, in hæc verba. *Hac ergo, amice carissime, ideo tibi scripsi, vt cognosceres quod scandalum de illis partibus opinio veniens, in hoc populo generauerit: & si quis manens apud te docet, quæ recta fidei sunt contraria, prohibeat eum vt cesset ab hac secta, dicásque ei: Vide frater, ne hac licentia tua in prædicando offendiculum fiat infirmis, & tuo dogmate ne perdas eum, pro quo Christus mortuus est, quia sanguis eius requiretur de manu tua. Confido enim te, vir venerande, bene esse Christianum, nec aliquid te habere velle in tua mansione, quod Euangelio Christi aduersetur, sed magis hoc quod placeat Deo, & ad salutem pertinet animarum.* Nesciebat Eberardus se *Serpentem*, quòd habitu sancto, & Augustini nomine velatum lateret malum: monendus erat & incitandus à præstantissimo Theologorum, non quidem vt caperet, sed vt emitteret vulpeculam, quæ demoliebatur vineas: eius liberalitatem reficiendis peregrinorum corporibus salutarem, simplicium animis verti non debere in decipulam: quò latiùs pateret eius domus Romam profectis, eo periculosiùs in patriam redituros, quandiu quidam sciolus, nomine Gotteschalcus, apud illum manens dogmatizaret. Monitus est Eberardus, & quod virum bonum, & benè Christianum decuit, lectis litteris sapientissimo amici consilio satisfecit.

CAPVT IX.

Eiectus ex Italia Gotteschalcus per regiones barbaras prædicandi specie vagatur.

Rabani consilio paret Eberardus.

NARRET hîc alius, excitatum hac epistola Eberardum petiisse ab Gotteschalco, vt aut mentem mutaret, aut cælum; sibi decretum esse, nihil inimicum Christi Euangelio domi continere: antiqua fide, vt & moribus, velle viuere. Quò enim nouitates illæ omnes, contentionum potiùs, quàm pietatis altrices? Sub Pipino, Carolo, atque Ludouico absque theologicis illis acuminibus floruisse Ecclesiam: Franca religione nihil esse candidius. Rempublicam eo statu relinqueret, quo acceperat: cederet monitis seniorum iunior, Episcoporum Monachus, neque cruda adhuc studia, famæ suæ modestiæque religiosæ periculo, publicaret. Habere duces quibus se regendum, aut probandum committeret, præter ceteros Rabanum ipsum, tot eruditorum parentem, Alcuini Magni vt vltimum, sic præstantissimum discipulum: quod semel improbaret Rabanus, id omnino placere posse nemini: nunquam certè commissurum se, vt suis è tectis prodeat doctrina Rabano damnata, scandalum Germaniæ, infirmis offendiculum, incertum factura, an benè sit ipse Christianus. Ad hæc respondisse Gotteschalcum, vulgò malignos esse famæ rumusculos, se præsentem ipsi cognitum: fecisse domum eius doctrinæ officinam, Augustini oraculum, Patrum sanctuarium, adytum Theologiæ; nec pœnitere huius in hospitem optimum gratiæ & honoris: frustra quæri iudicium à Germania, quod offerant Itali, quod ipse, si ceteri sileant, omnium instar æquissimè tulerit: doctrinam suam hactenus laudatam, senis vnius morositate deteriorem fieri non posse: non vidisse omnia maiores nostros in Theologicis mysteriis, seipsum in recessu relictum

ἐturum quæ poſteri ſcrutentur & eruant. Statim vt iuuenis re aliqua eminet, inuidere æquales, ſenes muſſitare, qui verum non putant, quod ipſi neſcierint. Iturum verò ſe ad Rabanum, & germanam Auguſtini de Prædeſtinatione & gratia, contra Pelagianorum reliquias doctrinam monſtraturum; quam ſi per abſentiam ſuam tam auidè hauſerunt populi Rabano ſubditi, quid tandem facturos putet præſente, & coràm exponente Gotteſchalco? Hæc, inquam, & ſimilia vltro citróque dicta ſcribat alius: ego quod ab auctoribus communiter cum ampliſſimo Diſſertatore didici, aio, eiectum ex Italia Gotteſchalcum, peragratis regionibus plurimis, tandem Monachum gyrouagum veniſſe in Germaniam, & opinionum ſuarum figmenta in animis popularium impreſſiſſe.

Gotteſchalcus barbaris gentibus prædicat.

Annal. Bertin. ad ann. 849.

Ita docent Annales Bertiniani, eo loco, qui maximè Diſſertatorem noſtrum Annaliſtæ infenſum reddidit; nam abſque eo eſſet, tolerabilis foret hiſtoricus. *Godeſcalcus Gallus quidam, Monaſterij Orbacenſis, Parœcia Sueſſionica, Monachus & Preſbyter, ſcientia tumidus, quibuſdam ſuperſtitionibus deditus, Italiam ſpecie religionis aggreſſus, inde turpiter eiectus, Dalmatiam, Pannoniam, Norciámque adorſus, quadam noſtra ſaluti valdè contraria, præcipuè ſub nomine Prædeſtinationis, peſtiferis dictis & ſcriptis adſtruens.* & quæ ſequuntur, ad eorum condemnationem pertinentia. Ex quibus non video cur Hincmari potiùs, quàm Rabani *fideliſſimus aſſecla* cenſeatur: quem enim *ſcientia tumidum*, Rabanus *ſciolum* appellat; quem *turpiter eiectum* dicit, eiici curauit Rabanus; quem prouincias tres adorſum ait, verbo vno Rabanus *gyrouagum* agnoſcit; quem *ſuperſtitionibus deditum*, Rabanus, *nouas ſuperſtitiones introduxiſſe* narrat; cuius denique doctrinam *ſaluti valdè contrariam & peſtifera dicta* fuiſſe commemorat, cum Rabanus aſſerit *nefandis ſermonibus blaſphemare, conditorem ſuæ perditionis auctorem eſſe*, & *minus deuotos* homines *erga ſalutem ſuam* reddere. Itaque in hac Gotteſchalci cauſa, non Rabano minùs, quàm Hincmaro conſentiens Annaliſta Monachus Belga, Metropolitani ſui gratiam ea ſcriptione venari per ſolam calumniam dici poteſt. Veniamus ad euagationem Gotteſchalci.

Quid de illa prædicatione ſentiat Eccleſia Lugdunenſis. l. de trib. epiſt. c. 1.

Eam indicat & Hincmarus epiſtola prima trium ab Eccleſia Lugdunenſi confutatarum. *Poſtquam eum dixit vltro ſibi prædicatoris nomen aſſumpſiſſe, atque ad barbaras & paganas gentes velut euangelizaturum perrexiſſe.* Quam narrationem examinans Epiſtolarius Lugdunenſis, nullo modo negat per eas gentes & prouincias circumcurſaſſe; ſed id tãtùm, prædicaſſe quòd arguitur. Quo in ſilentio quantùm inſit ad hiſtoriæ confirmationem momenti facilè iudicabit, qui hunc ſcriptorem meminerit, & Gotteſchalci geſta non indiligenter explorata habere potuiſſe, & omnia Hincmari dicta cupidiſſimè in iudicium vocaſſe; vt ſi quid ab hoc prolatum, ab illo vellicatum non eſt, veritatis conteſtatæ locum debeat obtinere. Quare & eius peregrinationis teſtem illum fidenter aſſumo, maximè cùm fateatur Gotteſchalcum *inter fideles, vel etiam Sacerdotes illarum partium talia monere potuiſſe.* Cui addo quartum ipſius Gotteſchalci teſtimonium, ſcribentis ad Ratramnum, ſe litteras miſiſſe, *Ad alios per Barbara regna locatos.* Non ſanè ignotos, ſed per illum excurſum tanta ſibi familiaritate deuinctos, vt etiam de rebus perplexis à periclitante poſſent conſuli. Quidni etiam Walafridum reuocemus, dicentem eo conſilio Roma rediiſſe, vt in exteras regiones peregrinaretur? *Romana poſitum ferens in vrbe, Deuoto extera cogitare corde Gratis exiliis adire rura.* Tum enim exilia vocabant, diuturnas à patria peregrinationes; vnde in libris Pœnitentialibus legimus, quatuor annis, ſeptem annis exul fiat, hoc eſt, abſit à patria, & regiones alias circumeat. Neque verò nouum illud & inuſitatum fuit, illis ſeculis Monachos videre ad excolendam barbariem, & indomitas gentes Chriſti iugo ſubdendas, veræ fidei zelo volitantes, quò diuinæ caritatis æſtus abriperet; quod apud Germanos S. Bonifacij vita, apud Anglos Bedæ hiſtoria, & alij pluribus exemplis confirmant. Quid igitur cauſæ eſt, cur hanc eſſe *fabuloſam peregrinationem* dicat Diſſertator, *ſubtilitate inuentionis Hincmari, & dexteritate ingenij recenſitam?* Commoda ſanè, ſi valida reſponſionis methodus, vt quod tibi nocere ſentias ſi agnoueris, *fabuloſum* te vno teſte & auctore proclames. Hinc etiam paret, quàm verè dictus ſit Monachus *inordinatè & irregulariter* è monaſterio diſceſſiſſe: quàm ridiculè, nullo teſte, ſcribat Diſſertator *petita & obtenta ab Abbate ſuo venia, peregrinationem Romanam pietatis cauſa ſuſcepiſſe.* Hoc enim ſi verum eſt, cur *eiectus* ab Eberardo in Monaſterium ſuum rectà ſe non recepit, quod ſolebant ceteri? Qui veniam peregrinandi Romam conceſſerat Bauo Abbas Orbacenſis, etiamne Pannones, & Dalmatas luſtrandi fecerat poteſtatem? Non erat ex illis Gotteſchalcus, quibus nuſquam peius eſt quàm domi? Sciebat enimuerò reuertenti Orbacum, orbem monaſticæ diſciplinæ verſandum eſſe, & vnde inordinatè diſceſſerat, ibi ſe ordinatiſſimè coërcendum, vt maneret.

Walafrid. Strabo epiſt ad Gotteſc.

Refellitur Diſſert. c. 2.

Gotteſchalcus ſine miſſione prædicat.

Iam in illa prædicatione duo reprehendit Hincmarus. Prius, quòd illicita αὐθεντίᾳ *vltrò ſibi prædicatoris nomen aſſumpſerit.* Quod non tacet ſententia in eum lata, *contra propoſitum & nomen Monachi iura Eccleſiaſtica præſumpſiſti. De cetero doctrinale tibi officium vſurpare non præſumas.* Id verò quantùm diuinis Eccleſiaſticiſque legibus repugnet, quàm fœdè Hierarchicum Eccleſiæ ordinem conturbet, quis non videt, cùm ne Apoſtoli quidem ſine mittente fuerint Apoſtoli? Nam *quomodo ibunt niſi mittantur?* Et vt omittam innumera ab Eccleſia condita, proximum & loco & tempore exemplum adhuc memoria vigebat, Ebbonis Remorum Archiepiſcopi, qui *cum conſilio Ludouici Imperatoris, & auctoritate Paſchalis Romani Pontificis, prædicandi gratiâ ad terminos vſque Danorum acceſſit, ac multos ex eis ad fidem venientes baptizauit.* Da ſimile aliquid in iſto notæ recentis, & nuſquam hactenus, præter quàm apud hæreticos viſæ, Apoſtolo. Declinant hunc locũ ſubtili diſſimulatione Gotteſchalcani patroni duo, Lugdunenſis Epiſtolarius, & hiſtoricus Diſſertator. Ille enim eo prætermiſſo, in materia prædicationis ſecundò per Hincmarum obiecta inſiſtit: hic difficilem nodum meliùs rumpi ratus, quàm ſolui, & prædicationem, & materiam, & peregrinationem *fabuloſa* omnia appellat, *ab Hincmaro inuentas*

Flodoard. l. 2. hiſt. c. 19.

& contra historiam & veritatem peccare maluit ipse, quàm fateri peccatum istud fuisse à Gotteschalco suo aduersùs Hierarchiam: qui tamen Laïcus scriptis prædicat de Prædestinatione & gratia; & Prælatos, Theologos, Doctores, Concionatores docet, quomodo in hac quæstione versentur, *donec à summo Pontifice, vel vniversa Ecclesia legitimè fuerit definita.*

Synopf. in fine.

Posteriùs ab Hincmaro arguitur methodus, seu mauis, materia prædicationis, longè alia, quàm Ioannis Baptistæ prædicatorum maximi, qui conciones suas à Pœnitentia auspicatus est; & quàm Pauli, qui per aspectabilia opera inuisibilem opificem gentibus ostẽdit; quòd iste de gemina Prędestinatione, de Dei voluntate non omnes saluandi, de Christo non passo pro omnibus, de libero arbitrio ad bene agendum culpa protoplasti deperdito, apud rudes diuinæ cognitionis populos disseruerit. Hæc ita se habuisse, non negat affirmatè Lugdunensis patronus, sed esse *absurdam & incongruam obiectionem, & ex parte incredibilem*, vt homo non dementissimus barbaros animos Dei expertes, non tantùm fidei Christianæ, verùm & humanitatis ignaros, ea primùm docuerit, quæ fideles ipsi ex longo Christiani, ob mysteriorum subtilitatem, vix ac ne vix quidem percipiant. Itaque videri credibilius *inter fideles, vel etiam sacerdotes illarum partium talia monere & proponere potuisse, quibus magnarum & nouarum rerum velut nouus & admirandus prædicator existimaretur.* Si licet in obscura quæstione, quæ factum indagat, iudicium meum interponere, possum ab epistolario petere, quamobrem *obiectionem absurdam & incongruam* appellet, quam falsam dicere non audet? quæ si vera est, iustè & rationabiliter Hincmarus arguit, quod *absurdè & incongruè* fecit Gotteschalcus. Sed non vtor hac oratione; malo aliquid Lugdunensi, & eius clienti dare, dum ne omnia denegentur Hincmaro. Fuerit Gotteschalcus gloriæ & nouitatis appetens inter fideles & sacerdotes, non fatuus & stultus in turba paganorum; non duxerit prædicationum suarum exordium à Prædestinatione & libero arbitrio, ad procurandam Gentilium conuersionem, in quo penitùs *ridendus, & ab omnium auribus arcendus videretur:* sed in congressu cum doctis viris, apud illas gentes eiuscemodi perpetuò versauerit quæstiones: quod vsu venire solet omnibus nouitatum amatoribus, vt inter concionandum, in familiaribus colloquiis, inter seria & ioca, opportunè, importunè, cogitata sua obtrudant, tria verba simul sonare non possint, absque victricis gratiæ, vel Augustini mentione. Ad eam formam censendus est loqui moraliter Hincmarus, non physicè, vt opiniones suas agendo, loquendo, disputando quocunque circumtulerit Gotteschalcus, aliud in ore nihil habuerit, & quod ait alibi, *peragratis regionibus plurimis, exitiosa semina fator pessimus seminarit.* Itaque dum Lugdunensis aduocatus Hincmari verba resecat ad viuum, & ab eo vult dici præcisè, Gotteschalcum sic inchoasse conciones, *caritate* mihi destitui videtur: Gotteschalcus cum curiositatum suarum inani ostentatione, abesse procul ab *humilitate:* Dissertator autem hoc loco ad *veritatem* conniuere, quæ sunt tres virtutes in titulo Synopseos expositæ. Quis enim alius præter ipsum in prolixa Lugdunensis responsione, quam totam exscribit, non peruideat verè barbaras regiones peragratas à Gotteschalco, apud gentiles prædicatum, inter illarum nationum sacerdotes de nouis rebus actum, eo animo vt admirandi prædicatoris famam colligeret? quæ tamen omnia ad regnum fabularum historica Dissertatio amandat, quia illis humilitas & obedientia Gotteschalci non parum deteritur.

Qualem elegerit prædicationis materiam.

Eccles. Lugdun. l. cit. de trib. epist. c. 1.

Exponitur Hincmari dictum.

Hincm. ep. 17. ad Nicol.

Lubet addere Tertium, sententia iudiciali reprehensum in Gotteschalco, quod oportet in istis peregrinationibus Italicæ & Dalmatica fuisse peccatum. *Quòd & Ecclesiastica & ciuilia negotia, contra propositum & nomen Monachi, conturbare contemnens, iura Ecclesiastica præsumpserit.* Ciuilibus negotiis in aula Principum fuisse tunc admotos è monasteriis viros industriæ & virtutis spectatæ, monet omnis historia, & vt alij omittantur, in Rabano, Hincmaro, Lupo Ferrariensi, Ioanne Scoto demonstrat. Sed religiosæ professionis studiosi ad seculi curas semel desertas, non nisi legitimè à Deo vocati, tanquam Aaron, interprete superiore adibant; inquieti & gloriæ cupidi vltrò se immiserunt, fuitque libertas illa salutari Concilij Meldensis decreto, paucis antè annis coërcenda, vt *Monachi, quibus Monasteriorum cura commissa non est, passim, & sine auctoritate palatium non adeant, nec in eo immorentur: vel vbi, & vbi discurrere, ac peruagari acephali præsumant: Sed si tales quilibet fuerint, vt vtiles, & necessarij Ecclesiæ ac Principi reperiantur, cum auctoritate Episcopi canonicè ac religiosè pergant. Sin autem, in Monasteriis suis, sicut canonica ac regularis docet institutio, religiosè resideant. Hæc autem transgredientes, siue Prælati in fauendo, siue subditi in obtinendo, excommunicentur.* Cui decreto Lupus Ferrariensis obtemperans, non prudentiùs quàm fortiùs roganti Lothario Imperatori, vt Monachus quidam transfuga, ipsius consiliis ad meliorem frugem reuocatus, resumpto habitu, Principi ab epistolis esse perseueraret, negat omnino id posse concedi, *quoniam propositum nostrum vix mediocriter intra claustra Monasterij custoditur, nedum inter tumultus mundanos, à quolibet, præsertim si non satis cautè, valeat adimpleri.* Cùm ergo Synodalis sententia, qua nefas est credere fictum quicquam imponi reo, certos nos faciat *ciuilia negotia* inordinatè & irregulariter à Monacho fuisse *præsumpta*, neque tamen vllum facinus priuatim narret historia, in eius doctrinam magis intenta, quàm in mores; nobis æstimandum relinquit, quid animus inquies, scientia tumidus, innotescere cupiens, nouarum opinionum œstro agitatus, absque Abbatis licentia egressus è Monasterio, absque Episcopi consensu Presbyter ordinatus, errores spargens per Italiam, fine missione prædicans per prouincias, moliri potuerit, si quando in Principum & optimatum negotia cognoscenda, & tractanda se intrusit, quod postea *durissimis verberibus castigari* debuerit.

Gotteschalcus ciuilibus negotiis se implicat.

Monachi in aulis principum.

Concil. Meldens. c. 63.

Lupus Ferrar. ep. 108

Leg. videtur *cautè.*



CAPVT X.

Gotteschalcus aduenicns in Germaniam errores suos edocet.

Gotteschalcus sine fructu prædicationis venit in Germaniam.

VANTAM Gentilium multitudinem in extrauagante illa prædicatione, ad Christi cognitionem adduxerit Gotteschalcus, nemo retulit in commentarios: imò ne vnum quidem hominem Ecclesiæ additum audio nominari: tam fuit inutilis & inefficax solo vanæ gloriolæ ductu, sine Prælatorum Ecclesiasticorum auspiciis suscepta peregrinatio. Atque à sapientibus obseruatum est, nullum in agrum prima vnquam inferri zizania, sed in iis superseminari, qui iam bonum semen à vero patrefamilias acceperunt. Itaque deserta barbarie, quam consiliis suis minimè opportunam reperit, nullo operæ pretio facto, bonæ frugis inops, venit in Germaniam, & in illam eius partem, vnde & optimatibus innotescere, & primo aduersariorum, ipsi Rabano, molestiæ aliquid creare, aut etiam insultare, & errores ex Italia iam notos, & adamatos Germanorum nonnullis, propagare posset.

Falsa narratio Dissert. c. 1. 2. 3.

Narrat clarissimus Dissertator, præter geminam Prædestinationem nihil aliud in Italia docuisse Gotteschalcum; sed quoniam Rabanus ipse in libello de Prædestinatione ad Notingum, nonnulla de libero arbitrio, & de Christi passione omnibus profutura dixisset, hac ipsum occasione, viso libello eiusmodi, & litteris ad Eberardum, etiam de quæstionibus illis litem mouisse Rabano, & in iis ipsis erroris Archiepiscopum accusasse. Scripsisse siquidem per eos dies libellum ad Rabanum, cuius non semel meminit Hincmarus, & sic datum initium tribus illis famosis quæstionibus, quæ in Germania primùm ventilatæ, Galliam deinde Belgicam sub Hincmaro, & Lugdunensem Remigio duce, plurimùm exercuerunt. Vnde sequitur omnibus illis turbis occasionem à Rabano primùm oblatam, innocente Gotteschalco; & à Gotteschalco *sanissimæ ac diuinæ doctrinæ* viro hæreseos incusatum Rabanum: *& non satis cautè asseruisse Hincmarum, de quatuor Capitulis assumptis à Gothescalco; cùm ne tunc quidem in Italiam progressus, cogitare potuerit, quid sibi negotij futurum esset, cum Rabano Archiepiscopo Moguntino.* Ceterùm nouam hanc controuersiam excitatam ait Moguntiæ, quando Gotteschalcum *constat ex Italia rectà Moguntiam reuersum* fuisse.

Refellitur Dissertator.

Multa dicit pastor ille, inquiebat Plato, sed nihil probat. Concinnè omnia, quia commodè ad propositum. Ne poësim ergo, non historiam cudere videatur, & nos habeat inuentionum suarum beneuolos auditores, certis argumentis & testibus; non illa communi formula (*vt credibile est*) confirmabit si potest, 1. ab ipsa Gallia, & deinde in Italia, quatuor omnes quæstiones non fuisse propositas, ab illo sancto & innocente Monacho, nouarum rerum appetentissimo: licèt id scripserit Hincmarus de Gallia, ac deinde Seruatus Lupus audierit *in Italia turbari quorundam intentionem, quòd de libero arbitrio, & de Prædestinatione bonorum & malorum, ac de Sanguinis Domini taxatione vulgò quadam iactarentur.*

Seruat. Lupus in Præfat.

2. Communicatas fuisse cum modesto viro discedente ex Italia, geminas Rabani ad Notingum, & ad Eberardum epistolas, licèt Annales Bertiniani *turpiter eiectum* testentur, quæ res eam communicationem nulla necessitate probat. Neque verò possit vnquã ostendi ante Gotteschalci discessum, librum de Prædestinatione, cui epistola pro Præfatione est, ad Notingum aut scriptum fuisse, aut missum à Rabano; neque si fuit missus, communicatum cum Gotteschalco. A quo enim? ab Eberardo? Qui probas? A Notingo? Quis iteratam docet Notingi cum Gotteschalco, post visum & auditum Rabanum collationem?

Non videtur docuisse Moguntiæ.

3. Rectà ex Italia Moguntiam rediisse Gotteschalcum. Nam circuitus & errores planetæ illius modò consectati sumus. De Moguntia id ægrè mihi persuadeo, tam prope periculum accessisse hominem non incautum. Quid autem sub illo sole speraret luminis stellarum obscurissima? Qua fiducia doctissimo Archiepiscopo venerandam caniciem in libros adhuc inclinanti, se se opponeret iunior *scioius*? Quis clericorum aut ciuium pateretur residere Moguntiæ, vt eruditorum coryphæo in os *vaniloquus* insultaret: vt semesa Augustini frustula, & raptim collectas argutæ philosophiæ micas populis offerret, quos tota doctrinæ cælestis vbertate pascebat Episcopus? Quis ad hanc fictionem non obstupescat, non indignetur, & frontem feriat, ausum esse in vrbe Rabani docere Gotteschalcum? Vbi autem tunc erat Seruatus Lupus, Moguntinensis Presbyter, vt visum est Dissertatori, vt eum per litteras conuenire cogeretur Gotteschalcus Moguntiæ positus, & is libro scripto non satis ad hæretici stomachum, non autem viua voce coram responderet? Narrat Dissertator *degisse tunc Moguntiæ, ibique à Gotteschalco consultum* fuisse: quod sibi probari lectores cupiunt, scriptis reciprocantibus collocutos inuicem, qui essent loco coniuncti, & mutua collatione Theologiam suam possent exercere; & tam fuisse vel infelicem Lupum, vel peruicacem Gotteschalcum, vt amico coram consulto in os resistere, eúmque ad publicam in Synodo disputationem cogere potuerit. Itaque donec firmior antiqui scriptoris accedat auctoritas, dabit hanc veniam nouus, & nouæ methodi historicus, vt negem Moguntiæ tunc temporis mansisse Gotteschalcum.

Ibi non scripsit libellum ad Rabanum.

4. A nouo Doctore, cathedram Archiepiscopali & Rabanicæ cathedræ oppositam erigente, librum fuisse scriptum ad Rabanum, quo illum *erroris in fide notarit, de quo altissimum sit apud Rabanum silentium*: pudore videlicet & verecundia suffusum, quòd errare in fide deprehenderetur, ab eo præsente, quem ipse insectatus fuisset absentem in Italia. Alium potiùs agnosco librum ab eo libello, quem Rabano & Synodo porrexit: in quo, vt est apud Amolonem, aduersariæ opinionis assertores *Rabanicos hæreticos* nominauit; quod ante Concilium Moguntinum facere non potuit, nisi fatuus & impudens, cuius, vt credibile est, mentionem facit Amolo idem, cùm ait: *Deinde perlata est etiam ad nos, studio Ecclesiasticorum vi-*

Amolo epist. ad Gottesch.

rorum, quædam ſcriptura tua, in qua apertiſſimè & prolixo ſermone, atque, vt tibi viſum eſt, etiam teſtimoniis ſcripturarum ſiue ſanctorum Patrum, quid ſentires, ſiue doceres multipliciter exſecutus es. Hunc enim tractatum aio citari ab Hincmaro, non libellum oblatum Synodo; & addo, poſt Moguntinam condemnationem ſcriptum, atque probabiliter in carcere, in quo plura ſcripſit per otium, & nihil non tentauit, vt Catholicus videretur. Denique vt hæc concludam, docebit Diſſertator, cur hic ipſe Amolo de *ſaniſſima & diuina doctrina* ſiniſtrè ſenſerit. *Cùm adhuc eſſes in partibus Germaniæ, audiuimus in primis ſuper nomine tuo famam dolendam, quòd videlicet nouitates ferres, & ſtultas ſine diſciplina quæſtiones ventilares.* Reſpondet eruditè Diſſertator ex Hieronymo, famam in vtranque partem crebrò mentiri: expectamus vt addat ex alio locuplete ſcriptore, Amolonem virum ſanctum, & grauiſſimæ ſapientiæ Archiepiſcopum, mendaci famæ hac in re temerè credidiſſe. Diſſert. c. 12.

CAPVT XI.

Gotteſchalcus amicos de variis quæſtionibus conſulit & ſolicitat.

Gotteſchalcus ſtudet plures litteris demereri.

AT quoniam ſentiebat Gotteſchalcus, quàm lubrico in loco verſaretur, ſcribere Monachū in eum qui poſſet proſcribere, hoc eſt, Rabani ſenſui repugnantia docere, à quo poſſet in Concilio damnari, qui priuata eius ad Eberardum epiſtola eiectus eſſet ex Italia; auxilia ſociorum ſibi comparanda ſtatuit, vt vel præclaro comitatu eſſet munitus, vel nobili ruina claros viros inuolueret, gloriam captans etiam ex miſeria. Erat huic conſilio maximè opportuna Aula Principis, in qua militabant, vt antè dictum, Eccleſiaſtici primores, vt auctoritate, gratia, potentia, ſic virtute & doctrina illuſtriſſimi. Apud eos & doctrinæ famam colligere, & ſi quà poſſet, illorum animos adulatione irretitos, in ſuas partes trahere cogitat: neque enim iam ampliùs muſcas aquila illa captabat. Hoc profitetur Gotteſchalcus ipſe epiſtola metrica ad Ratramnum ſuum alibi proferenda, quam ex Germania ſcriptam, ante Concilium Moguntinum Diſſertator agnoſcit, ego non auſim conſtanter aſſerere, neque verò negare.

Gotteſch. ep. ad Ratramn.

Denique ſunt multi Domino donante magiſtri
Hac regione ſiti, ingenio locuplete periti,
Vnde Palatina plerique morantur in aula.

Ludouici nimirum Germani Regis aliqui, quorum potentiam Rabano meditatur opponere; nihildum ſibi metuens ab Hincmaro & Carolo: licèt & huius regni alios ſolicitare non omiſerit, quos de nomine appellat.

Ad hos, atque alios per barbara regna locatos.

Nupera excurſione cognitos, quorum ſi non fauor, at certè conſenſus in opinionibus, numerum, & aliquam ſectæ exiſtimationem facturus eſt. Vt autem pulchro nomine lactarentur, & conſulentem ſcirent ingenij non vulgaris hominem, magnorum virorum operibus delectari, in eruditorum proinde ordinem referri oportere, (& meminerat ſe à Rabano *ſciolum* nuncupatum) Auguſtinum plenis buccis crepabat, difficiles ex Auguſtino locos excerpebat, quos vel ſimpliciter exponi ſibi rogabat, vel productis in vtranque partem dubitandi rationibus, vtri potiſſimùm adhærendum eſſet, expoſcebat. Sic autem conſultos enumerat tres eximios, & ad ſententiam ſuam amplexandā ſtudioſè inuitatos.

Nempe tribus horum ſtudui proprium indere ſenſum
Marcaudo, Iona, atque Lupo, rutilantibus ore:
Poſcens obnixi ſatagant vt vera referre.
Propoſita eſt reliquis tantummodo quæſtio cunctis.

Alios igitùr apertè doctrinæ ſuæ ſectatores facere conabatur, alios quorum animum minùs exploratum habebat, tentabat obſcuriùs & cautiùs. Hanc agendi rationem *prudentiæ viri modeſtiæ* tribuit Diſſertator. De modeſtia viderint alij, poſt lectam ex integro epiſtolam. Prudentiam agnoſco & ego, ſed eam qua filij ſeculi ſupra filios lucis eminent. Qui porrò ſint nominati illi, fateor mihi non liquere. Marcaudum ait Diſſertator more ſuo, id eſt, aſſeueratè quaſi certò, ſine teſte, eſſe Marcuuardum Abbatem Prumienſem, notum ex Lupo Ferrarienſi, quem & Walafrido Straboni appellatum puto. Diſſert. c. 3.

Walafrid. Strab. ep. ad Altgeriū.

Marcuuardus Coranen dignū pre.or omnia Bertū
Dona ſalutis ego Strabus habere diu.

Sed Marcaudum aut idem eſſe cum Marcuuardo vocabulum, aut eiuſdem hominis nomen, cupio alia mihi, quàm ſola nouantis hiſtorici fide probari. Neque verò clarum eloquentia, ſed religioſum & prudentem virum Marcuuardum nobis exhibet hiſtoria, non rarò ad negotia publica, nunquam ad volumina ſcribenda admotum. Ionæ verò multi fuerunt: Aurelianenſem Epiſcopum ſcio per hæc tempora celebrem, cuius in libris aliquid reprehenſioni obnoxium repeiſſe ſe teſtatur Lupus Ferrarienſis, ad eum ſcribens. Ionam alium Auguſtodunenſem, qui Sueſſionenſi poſtea Concilio in cauſa Hincmari interfuit. Sed neque ab iis quicquam de controuerſia ſcriptum legimus; neque Monachus audacia adeo corroborata tum erat, vt Epiſcopos quæſtionibus pulſare non timeret, qui etiam cùm maximè turbauit, & commiſerationem mouit, ex ſacro Epiſcoporum Collegio ſibi in omnibus aſſentientem reperit neminem. Atque his duobus certum eſt commercium litterarum cum Gotteſchalco nullum interceſſiſſe. De tertio qui reſpondit ad quæſtionem, iam inquirendum eſt. Narrat enim Gotteſchalcus ab vno tantùm è tribus ſibi reſponſum, libello tres in partes diſtributo, & quidem cautè prudentérque, dum neutri ſe parti penitùs addicit. Lupus Ferrar. ep. 17.

Nemo ſed excepto quo adhuc mihi reddidit vno;
Qui cùm ſit cautus, ſimul & catus, eſt moderatus:
Sic iam terna ſui librans reſponſa libelli.
Vt dempto neutri pleno diſcrimine parti
Congruat.

Hic omnino Lupus eſt, neque de nominatis tribus, alius eſſe poteſt à Lupo. Et præclarum ſcriptum Seruati Lupi nomine, recentiſſima publicatione ipſa nobis opportunitas obtulit, in quo ſubiecta materies, de tribus quæſtionibus; operis partitio, tres in partes pro numero quæſtionum; ſcriptoris prudentia, vt inter vtroſque litigantes quaſi medius conſi- *Solus Lupus Gotteſchalco reſpondet.*

ſtat, penitùs cogunt de Seruato Lupo verſificantem Gotteſchalcum interpretari. Sed nondum exhauſta difficultas eſt. Nam cùm hiſtoria Gotteſchalci Lupos duos exhibeat, Presbyterum alterum, patria, vt credibile eſt, Germanum: Abbatem alterum Ferrarienſem Gallum; quorum ille annum ſui ſeculi primum & quinquageſimum viuendo non excesſit, iſte ſuperauit: ille in Concilio Moguntino aduerſùs Gotteſchalcum fortiter pugnauit, iſte poſt pueritiæ ſtudia Moguntiam & Germaniam non vidit: iure merito venit in quæſtionem, vtri ſcripſerit Gotteſchalcus, vter de tribus quæſtionibus tripartito opuſculo reſcripſerit? Non dubitat Diſſertator quin is ſit, qui vulgò Seruati Lupi vocabulo intelligitur Presbyter germanus, eiuſdem Diſſertatoris opinione, Moguntinenſis Rabano ſubditus.

Et quidem Ferrarienſis Abbas.

Ego verò non contradicendi libidine, ſed exquiſita diligentiùs veritate, modò non dubito, quod antea ſuſpicione tantùm attingebam, quin is ſit Lupus Ferrarienſis Abbas, præclaro epiſtolarum libro cognitus; quod ſuo loco non infirmis rationibus probaturum me confido. Interim ſuas vtrique Lupo hac in controuerſia partes ſeruabis, Lector, vt Presbyter viua voce diſputando, Abbas ſcriptis opuſculis, in ea verſatus ſit: ille coràm & præſentem Gotteſchalcum impugnarit & fregerit, iſte abſentis dogmata mollijuerit, & in ſenſus tunc non intolerabiles inflexerit; viámque hæretico ſtrauerit ad reditum in Eccleſiam: ſed is *noluit intelligere vt bene ageret.* Et profectò ſi quid attendimus, nulla probabili ratione cenſeri poteſt Gotteſchalcus, ad Presbyterum illum Germanum Moguntinenſem ſcripſiſſe, & ab eo reſponſi quicquam retuliſſe. Vt enim ex opinione Diſſertatoris cum eo agamus, amiciſſimum Rabano & ſubditum, cui vir magnus octo libros in Epiſtolam ad Romanos dedicauit, pro Monacho gyrouago, aduerſùs ſenſa ſui Archiepiſcopi ſcripſiſſe quicquam, imminente Concilio, quo nemo non videret Gotteſchalcum, niſi retractaret, pro hæretico damnandum eſſe, id certè prudentiæ non conuenit Gotteſchalci muſa laudatæ. Deinde ſententiæ ſuæ patronos ex *aula palatina* quæſiuit hæreticus, ſi non omnes, certè celeberrimos, quos apud amicum nominare pulchrum exiſtimat: Lupum autem hunc in aula regia Ludouici nemo hiſtoricus collocat; Ferrarienſis autem, in aula Caroli quem dignitatis locum obtinuerit, ſcimus. Præterea, vt modò dicebamus, Moguntiæ cùm verſaretur, amicos per litteras conſulebat Gotteſchalcus, vbi tum præſens & ipſe Lupus, quàm abſurdè ergo dicitur per litteras, abſentis inſtar ſalutatus? Nulla igitur ratio permittit credere, inter Gotteſchalcum & Seruatum Lupum Germanum, litterarum ſocietatem interceſſiſſe; vt iam nunc aliud agendo, libellum de Tribus quæſtionibus Lupo Ferrarienſi Abbati aſſerere incipiamus.

Illud credi non poteſt de Lupo Presbytero.

Liber Seruati Lupi qui extat non eſt reſponſio ad Gotteſchalcum, ſed alterius eiuſdē argumenti.

Verùm interponet ſe in hanc concertationem tertius aliquis, & inanem eſſe contendet, quod verius Gotteſchalci de libro de Tribus quæſtionibus omnino non poſſint intelligi, ſed de aliquo alio vtrique noſtrùm ignoto, qui temporis paſſus ſit iniuriam. Quiſquis enim tandem Lupus ſcripſerit, Gallus aut Germanus, neceſſariò fateri oportet & interrogatum à Gotteſchalco ſcripſiſſe, & ante Synodum Moguntinam, & primam eius condemnationem miſiſſe; ergo ante turbas Gallicas, flagellationem hæretici in Synodo Cariſiaca conſecutas *cum adhuc ageret Eccleſia in pace, quam ei reliquit Saluator.* Et tamen turbarum Gallicarum fit eo in libro mentio, & poſt annum 849. ab Incarnatione ſcriptus dicitur, quo Synodus Cariſiacenſis Gotteſchalcum iterum damnauit; & abſoluta Diſſertatio eſt, nullo reſpectu in Gotteſchalcum intenta: velut ab homine, qui neque norit vnquam, neque verò noſſe curet auctorem turbarum, modò illis media opinione propoſita remedium quærat. Suffragatur huic obiectioni Trithemius, qui librum ſignificat compoſitum, poſt conuictum in Concilio Gotteſchalcum, *ad euidentiorem declarationem veritatis.* Quod à Catholicis doctoribus frequentiſſimè factum ſcimus, vt poſt errores viua voce oppugnatos, ad ſcribendum ſe conferant, ſimul rerum geſtarum, ſimul ſententiæ Catholicæ veritatem tradituri. Hanc obiectionem conſideranti mihi, viſum ſemper eſt, libellum de Tribus quæſtionibus, quem modò terimus manibus, alium eſſe ab ea reſponſione, qua Lupus Gotteſchalco non ſatisfecit, quanquam & in illa de tribus quæſtionibus ageret. Sed exiſtimo accepta Gotteſchalci epiſtola, breuius aliquod ſchedium, leuioris operæ exaraſſe, & ad Gotteſchalcum miſiſſe; quod poſtea, vt fieri ſolet, in fuſiorem tractatum produxerit, & abſque Gotteſchalci mentione vulgauerit, ne damnato & excommunicato fauere videretur, qui reipſa caput hæreſeos de Prædeſtinatione reſecat & abominatur: prius illud ſcriptum leuidenſe, non fuiſſe à Gotteſchalco in vulgus emiſſum, quia ipſi non congruebat; poſterius Deo volente ad nos perueniſſe. Confirmatio, quæ Lupum Germanum eius opuſculi auctorem facit, Trithemio in præſens relinquitur, cuius hallucinationem in vtroque Lupo, ſuo loco detegemus.

Trithem. Chron. Hirſaug. ann. 851.

§. I.

Quædam de iis litteris obſeruata.

De alia quæſtione Lupus Ferrarienſis conſulitur.

EARVM porro litterarum materiam, non extitiſſe vnam de Prædeſtinatione, aut Redemptione quæſtionem, docet Ferrarienſis eiuſdem Lupi alia reſponſio, De corporea Dei viſione, ex Auguſtini doctrina non intellecta: cui proinde conuenit illud Gotteſchalci, *Eſtque Auguſtini his ſententia miſſa beati.* Atque hoc litterarum inter vtrunque commercium, iſti potiſſimùm tempori aſſignandum arbitror, quo & plurium præſidio, conſilio, amicitia, gratia indigebat nouator, & nondum damnatus ad carcerem, liberrimum exſpatiandi per litteras campum habebat. Itaque rogatur ab eo Lupus Abbas de beatis corporibus poſt reſurrectionem, ſint-ne carnis oculi mentis aliquid ſimile habituri? Quomodo tunc Deus nobis notus futurus ſit, atque conſpicuus? Quæ ſit ea de re Auguſtini ſententia? Qua ratione locus quidam intelligendus, &

Ex Auguſt. l. 22. de Ciuit. Dei c. 29.

explicandus? Quam fuisse horum temporum quæstionem vnam ex pluribus iam didicimus ex Hincmaro. Atque magno diuinæ prouidentiæ munere contigit, vt hæc saltem vna responsio à grauissimo & eruditissimo viro ad nos perueniret, vnde artes rogantis & ingenium disceremus. Nihil enim in Lupo nostro aduersùs Gotteschalcum amor aut odium corrupit: vt quem de moderatione animi prudentiáque laudauit consultor, eius testimonium reiicere non possit. Eadem Dissertatoris patroni mens est, qui cùm nullum faciat finem vtriusque Lupi laudandi, totum illud encomium in Ferrariensem vnum Abbatem cadere non peruidet; quippe qui nescit non ab alio scripta fuisse omnia, quæ magnificè probat, & cui beati titulum nouus Rex sacrorum donauit: eum profectò cum sancto suo Gotteschalco loquentem non inuitus audiet, licèt hanc epistolam, nescio qua ex causa, præteruolarit.

Respondet epist. 30.

Ex illa igitur Lupi Ferrariensis responsione multa intelligimus, quæ Gotteschalcum nobis, & eius agendi rationem demonstrant. 1. Hanc ipsam quæstionem aliis iamdudum fuisse propositam à Monacho, à quibus responsum esset, imò quibuscum ipse præsens egisset. *Habita consideratione illorum, quos super eadem quæstione te solicitasse olim cognoui. Verum autem illorum colloquio & rescripto potitus, quid ego hinc sentiam, desideras experiri.* Superfluè profectò, si quæstionibus illis non pertinaciæ causa, vel quærendi in errore destinato præsidij amicos pulsauit, sed vt eorum consiliis obtemperaret. Vidi ego qui dubij exitus negotia, quæ animo penitus constituerat aggredi, tandiu, & tam multis expetendi consilij specie proponeret, donec tandem in vnum aliquem incideret, à quo probarentur, eius consiliarij auctoritate, si res malè caderet, temeritatem suam tecturus. Hunc hominem quot parasangis abfuisse putas à peruicacia? 2. Quæstionem à Gotteschalco propositam, minimè difficilem & obscuram esse, vel in seipsa, vel in Augustini auctoritate producta. Cuius verbis recitatis, sic subdit Abbas: *Hactenus quid hæc verba obscuritatis pariant, non video. Quippe clarissimus, auctórque diuinæ auctoritatis obseruantissimus, quemadmodum sit futurus Deus omnia in omnibus, copiosius explicat.* Et post longiorem dissertationem, tandem concludit. *Ad hunc enim exitum circumspectus, sine superstitione, & peruicacia considerata, cautum instructúmque lectorem perducunt. Quod adeò mihi constat, vt etiam Beatissimum Augustinum, si reuiuisceret, aliter quenquam sensisse, credam non mediocriter miraturum.* Nodum sine dubio quærebat Gotteschalcus in scirpo, vt nouum dogma induceret, beato, & iam spiritali corporis oculo, in resurrectione Deum à nobis videndum; & illud auctoritate Augustini confirmaret, qui se discipulum eius videri affectabat. Illo autem loco Augustinus plura dicit non affirmando, sed inquirendo, vt postea D. Thomas explicuit. Suam verò sententiam, iudice Lupo, tam apertè protulit, vt mirum sit ab vllo vel aliud sentiri, vel credi aliud sensisse Augustinum. Fuit igitur Gotteschalcus, aut stupidus, si sententiam Augustini non peruidit, & eius expositionem tandiu, à tam multis sincerè, & *iterato* rogauit; aut malitiosus & amans erroris, si imperitia simulata, ceteros in prauum sensum tentauit inducere. Idem penitus de aliis locis & quæstionibus æstima, & leonem ex hoc vngue cognosce. 3. Subtiliores & curiosiores, quàm vtiliores esse quæstiones à Gotteschalco agitatas, quibus omnino supersedendum fuit. *Proinde semper soluendo, & nunquam persoluendo caritatis debito, te, suspiciende frater, exhortor, vt nequaquam vltra in talibus ingenium tuum conteras, ne his vltrà quàm oportet occupatus, ad vtiliora vestiganda, siue docenda minùs sufficias. Quid tantopere quæramus, quod nobis nosse, necdum forsitan expedit?* Hoc prudentis monitoris consilium nemini non salutare, significat, si quid coniicio, non semel, non rarò in his curiosis & inutilibus quæstionibus versatum esse Gotteschalcum, & mali aliquid de inquieto ingenio metuere virum sapientem. 4. Fœda adulatione refertas fuisse Gotteschalci litteras, vt claros scientia viros demereretur, suísque partibus adiungeret: quod in epistola ad Ratramnum visuri sumus ad fastidium. *Si quando*, ait Lupus, *scribendum paruitati meæ decreueris, obsecro superfluis, aut falsis laudibus non oneres: sed magis Domino supplices, vt me semper suæ laudis auidum faciat.* Sordent ex bullæ viris sapientibus, qui quod esse maximè cupiunt, hoc minimè videri volunt. 5. Ex quibus omnibus paret, quàm ægrè & contemptim homini responderit, otium suum malè collocanti, quod valdè beneuolus Lector, Præses amplissimus, ad eius laudem retulit. *Ni veritus fuissem vt me ab obseruatione caritatis auersum, nullis flecti posse precibus putando, eandem caritatem offenderes, etiam nunc silentij latebram fouens, nihil ad ea quæ consuluisti respondissem.* Fuit igitur importunus in exigendo responso Gotteschalcus, qui *caritatem læderet* post congestos laudum cumulos, si quis, certa etiam ex causa, caritatis officio abstinendum putaret.

Mores Gotteschalci ex ea responsione monstrati.

1. Pertinacia in suo sensu.

2. Malitia in explicatione Augustini quærenda.

D. Thom. 1. p. q. 12. a. 3. ad 2.

3. Curiositas in quæstionibus inutilibus.

4. Adulatio nimia.

5. Importunitas in exigendo responso.

Per hæc tempora reuersum ab Italia Gotteschalcum Walafrido Straboni scripsisse, non obscurè discimus ex huius responsione encomiastica, quam initio libauimus: & quidem, nisi fallor, post acceptas à Lupo Ferrariensi litteras, quibus paulò cautior timidiórque redditus, ad dogmata sua publicè exponenda non temerè prosiliebat. Quamobrem excitandum putauit Strabo ad repetendam publicam lucem, posthabitis aliter sentientium consiliis.

Scribit Gotteschalcus ad Walafridum Strabonem.

Quis tibi persuasit sacra munera corde tenaci
Obstruere, auctori nisi qui contraria sensit?
Quin potiùs monuit sancti quod pagina Pauli
Seruemus, bona quæ subsunt, operemur ad omnes;
Sed magis in sanctos, quos vita domestica nutrit.

Is metro respondet, & adulatur.

Qui sunt sancti illi domestici? Certè monachi, inter quorum iuniores magistri nomen apud Orbacum olim affectarat. Verùm modò vicinus Rabano, monitus à Lupo, penè neglectus à Marcaudo & Iona, in sua se arma colligebat, contentus procul epistolas, tanquam tela missilia spargere. Vnde & maiorem assentandi occasionem nactus Strabo, suos ex aduerso conatus intendit, ne tanti viri talentum terræ infossum periret.

Solus in accepto recubes non prodigus auro,
Commissúmque premant sudaria nexa talentum.

Quanquam & causæ aliud sibi à Gotteschalco suggestum fuisse, idem amicus subindicat, pe-

riculum videlicet, à Rabano imminens, à quo, si publico testimonio errores in vulgus emisisset, posset coargui.

Noluerim mea dicta putes lacerare volentis,
Sed tua nolentis reticere pericula, si quid
Mens mea scit, poteritque fidem seruare fideli.

Priuatim saltem edoceri se rogat, vt quod præsens non potest, per epistolam doctrinæ amici participet, tutò quidem ac securè; nunquam enim amicitiæ leges, & secretum epistolæ proditurum. Quid est Lector? non intelligis & Lupum alia consulentem, *sentire contraria* Gotteschalco, & Walafridum Strabonem ab eius placitis non abhorruisse, quibus imbui tanto cupiebat opere? Et tum in aula Ludouici Germaniæ Regis versabatur, magnum Gotteschalci rebus præsidium allaturus.

Videtur Strabo geminam prædestinationē credidisse.

Sic optata palatinas, mihi metra, tuapte
Scripta manu, nebulas verò pepulere nitore.

Ita se comparabat ad Concilium Gotteschalcus, dissimulatione, & pertinacia, non humili confessione, & pœnitentia. Atque ex aula Regis vtriusque patronos corrogare studebat opinionum suarum, priùs multò, quàm Hincmarus & Pardulus, Episcopi aulici qui dicuntur, hominis nomen & conatus, vel famâ accepissent. Quid est ergo, cur istos Dissertator, ex aulicis moribus oppositam Gotteschalco de Prædestinatione sententiam arripuisse, tam frequenter támque importunè repetat, & ab omnibus credi velit?

Quod fuerit Gotteschalci consilium in scribendo.

Superest considerandum breuiter, quo consilio, quóque euentu, adeò solicitè ad diuersos amicos litteras dederit Gotteschalcus? Vtrunque simul coniungo, vt alterum discamus ex altero. Hac de re ita censet Præses coniector, fuisse consultationem illam, *non pertinacis, qui sententiæ suæ præsidium quæreret & fautores; sed dubitantis, & quid tenendum sit inquirentis, vt quod consultum foret, id sequeretur.* Vides ad euentus notitiam per consilij prudentiam deueniri, licèt obscurum deducatur ex incerto. Probat autem his versibus ad Ratramnum.

Dissert. c. 3.

Respondere alij properant dum mente sagaci,
Quo magis his, mihi quàm reputes, carissime, quicquam,
Si videas aliquid, concordans quod tibi non sit.

Vnde patet eû, Dissertatoris amplissimi iudicio, ab illa pertinacia quæ errantes hæreticos facit, toto cælo abfuisse. Si Seruatus Lupus Gotteschalco non consensit in omnibus, sequi, omnem hæreticæ prauitatis suspicionem à sensu proprio Gotteschalci, quem aliis non indiderat, procul abfuisse. Si Lupus idem responsionem suam, eo librauit temperamento, vt neutri parti ex asse faueat, *igitur ne leuissimam quidem suspicionem subesse posse sinistræ & prauæ doctrinæ in sensu Gotteschalci: alioqui nullam æquilibrij rationem fore.* Ita libripens, tanquam de moneta.

Quæsiuit præsidium, non consiliū.

Ego alia omnia sentio, & nihil aliud tot scriptitationibus quæsitum arbitror à Gotteschalco, quàm præsidium, & sententiæ suæ fautores, non autem rectè sentiendi consilium: idque primùm efficaciter demonstro ex euentu. Nam optimè consulentem Lupum Ferrariensem audiit per epistolam, nec tamen sequutus est: aliud igitur ab eo, quàm consilium sperauit. Imò in Concilio posteà validè à Rabano, & Lupo Germano presbytero conuictus erroris, an retractauit, & in eorum partes verè concessit? Lupum vnum habemus, qui rogatus bis responderit; hunc tibi nomino, cui sapienter monenti non obtemperauit Gotteschalcus: tu de iis qui nihil rescripserunt, diuinando pronuncias, sequuturum quicquid illi consulerent. Vter nostrûm de animo Gotteschalci prudentiùs certiúsque iudicat? Mauis ipsum audire de se dicentem? Scripsi, ait,

Orans magnopere dignentur vt ocyùs inde
Respondere mihi, seu scis, vehementer egenti.

Non egebat consilio, quod neglexit, sed fauore & gratia quam ambiuit, contra Rabani Præsulis in Concilio imminente auctoritatem.

Non fuit, inquis, pertinacia præditus, quæ facit hæreticos, quia si quid à sensu Ratramni alienum in eorum scriptis aliquando viderit, non sibi, sed iis qui scripserint, vult imputari. Præclarè; nam & hoc ipsum pertinaciæ est. Videbis, inquit ad amicum, in Lupo nonnulla tuis opinionibus non consentientia: leges fortasse & in aliis similia, si cautè & moderatè ad illud exemplum responderint: sed ea mihi nolim attribuas, quasi à me acceperint, aut ego veteres sententias exuerim: scito me, quicquid alij sentiant, animi mei seruare propositum. Sensum suum, inquis, Lupo, & aliis non indidit Gotteschalcus, ergo procul abfuit ab hæretica pertinacia. Ratio Achillea! Sensum suum non indiderunt Arius Athanasio, Basilio Eunomius, Eutyches Flauiano, Cyrillo Nestorius, Augustino Pelagius, Catholicis Theologis Lutherus & Caluinus: ergo non fuerunt hæretici peruicaces. Quin potiùs quia sensus hæreticos habuerunt, ideò Catholicis indere non potuerunt. At æquilibrium quæsiuit Seruatus Lupus, qui si vidisset hæresim, penitus abiecisset. Vidit enimuerò fatalem necessitatem, & abiecit: alia duriora molliuit, & in sensus tolerabiles inflexit: idémque Lugdunensibus præiuit, vt aliqua ex parte Gotteschalcum defenderent: ipsi autem Gotteschalco aditum monstrauit, quo rediret ad Ecclesiam; sed surdo cecinit, & obstinato.

Hæreticam pertinaciam animo fouit.

§. II.

Gotteschalcus ad Ratramnum scribit è Germania.

SIVE consilio, siue patrocinio Gotteschalcum dicamus eguisse, cùm ad alios scriberet de rebus suis, Ratramnum intimæ admissionis Achatem suum præterire non debuit, ab illo maximè conuentus per litteras, aut vltrò excitante, aut saltem respondente. Sic enim poëta noster ad musam suam,

Frequentes inter vtrunque litteræ.

Bis enim venit ab illo
Speciosa iam magistro.

Scripsit igitur carmine illam epistolam, quæ sola superest ex omnibus, quámque iam frequenter produximus. Eius fragmentum, quod solum ad historiam facere credidit P. Sirmondus, ad calcem operis Hincmariani De non Trina Deitate, reip. litterariæ gratificatus edidit; post initium leue, tanquam promulsidem, datum in Notis ad Ennodium. Atque istud initium per se vt dixi, leuiusculum, & nullius ad controuersiam momenti, quia tamen monumentum fuit antiquitatis qualecunque, recens è situ &

Apud Hincm. Tom. I.

Not. in Ennod. l. 5. epist. 7.

Vsser. hist. Gottesc. c. 11.

tenebris erutum, Vsserius Armachanus cum magna grati animi significatione suscepit, tanquam de Sirmondi manu. cui & se *Gotteschalci eiusdem reliquum, quicquid habet*, hoc est, Confessionem duplicem, debere palam, testatur, vir sua religione modestior.

Epistola hoc in opere edenda necessaria.

Verùm amplificator Vsserij Præses Dissertator, vice gratiæ, quam cum bonis omnibus optimo & liberalissimo seni, eruditorum Nestori, Ecclesiasticæ historiæ nouo Eusebio debuit rependere, post locupletatam eruditis eius laboribus Dissertationem, indignum & importunum facit conuicium, quòd integram Gotteschalci epistolam publici iuris esse noluerit. Queritur enim *inuidisse totam epistolam publicæ vtilitati, cetera tacuisse, quòd susceptæ causæ contraria viderentur; versutiæ & calliditatis insimulasse Gotteschalcum, qui tamen eidem crimini se obnoxium præbeat: figmentum illud ex inimicorum officina prodire: Quid si epistolam integram, quam zelus sententiæ propriæ reticuit, veritatis amor expressisset?* Facit hæc indigna viro sapiente exprobratio, necessariam Gotteschalcanæ illius lucubrationis editionem, quæ sincerum animum Sirmondi, clariùs quauis apologia, demonstrabit. Sed ne quem historiæ nostræ ponat obicem verbosior quàm fructuosior Clio, in appendicem, cum aliis opusculis nondum editis, commodiùs reiicienda videtur.

Differt. c. 3.

Append. opusc. 2.

Summa epistolæ.

Sufficiet hoc loco dicere, duabus constare partibus, vt appellant, heterogeneis, prooemio anacreontico, & narratione versibus hexametris in immensum producta, musæ subrusticè exultantis, & putidè adulantis, deliciarum plena, stilo incondito, cæsuris similiter cadentibus ingrata; vt non possit risu non excipi noui illius Maronis commendatio, qua dicitur in Dissertatione, Gotteschalcus *in humanioribus litteris, maximè poësi, floruisse.* In ea de se adeò demissè, de Ratramno, ob poëticam potissimùm facultatem, adeò magnificè loqui Gotteschalcum, Dei gratiam adeò frequenter nominare, vt externum tantùm verborum corticem spectanti, ius fásque sit eius *modestiam & pietatem* laudare. Quod ad historiam scribentis ad diuersos Gotteschalci, quæ huius loci propria est, pertinet, satis esse à nobis explicatum: cetera tanti non videri, vt modò colligantur: habiturum abundè lectorem quod fastidiat, si quid temporis in Appendice nostra ponere dignabitur.

Differt. c. 1.

CAPVT XII.

Rabanus Maurus Moguntiæ Archiepiscopus Gotteschalcum in ius vocat apud Concilium Trium Prouinciarum.

Concilium Moguntiæ cogitur.



MALO venienti occurrendum esse sapientes omnes clamant, pauci audiunt. Crocodili ouum elidere vel pueri possunt; adultum animal viros deuorat. Nulla vnquam per indulgentiam sopita est hæresis, cui pacatè agere, crescere est. Fit initio negotium perambulans in tenebris, donec euadat in dæmonium meridianum, feroce incursu, nisi prouidetur, omnia vastaturum. Itaque qui feram in latibulis Italicis vestigauerat Rabanus, & eruditis iaculis eminus confixerat, suis tandem in partibus noua docentem comprimere, suo ipse consilio obligatus, debuit. Id vt maiori cum auctoritate fieret, vir summæ alioquin dignitatis, fauente Ludouico Rege, congregatis Moguntiam *omnium Germaniæ Episcopis*. vt loquitur Hincmarus, hoc est, Regi Ludouico subditis, auditum in Concilio, & hæreseos conuictum, condemnat ad exilium & carcerem. Erat enim brutum Concilij Meldensis fulmen, de quo antè dictum, quoduis aliud caput, etiam minùs nocens, petiturum: efficaciores igitur elegit manubias, quas ictu ritè destinato in reum iacularetur.

Eius Concilij narrationi præmittendum videtur, vnicam Rabani Synodum à Trithemio nominari, ad quam proinde plura & diuersa referri debeant, quæ constat ab eo gesta in Synodo. Distinctiùs autem à Baronio duas agnosci annis duobus celebratas: at perfectissimè Serarium in historia Moguntina tres Synodos Rabanicas numerare: in quarum prima iudicium de Thiota pseudoprophetissa muliercula sit exercitum; in secunda de Gotteschalco; in tertia disputatum de quæstionibus; vt non insulsè quis dixerit, secundæ, quæ nostra est, primam fuisse præambulam; tertiam, appendicem. Euentus enim primæ docuit, quid studium nouitatis, & illegitimæ prædicationis præsumptio mereatur. Actum est enim de muliere quadam è Germania, Thierda siue Thiota nomine, quæ diuinitus sibi reuelatum fingens certum extremi iudicij diem illo anno imminentem, Constantiensem parochiam vehementer turbauerat, & superstitiosos mortales quamplurimos, etiam è clero, à quibus largam stipem accipiebat, quò suis illos orationibus iuuaret, illexerat. Ea ad Concilij iudicium ab Episcopo Salomone deducta, & diligenti examine explorata, fateri tandem coacta est, Presbyteri cuiusdam suasu, ex ementita prophetia quæstum facere. *Quapropter Synodali iudicio publicè cæsa flagellis, ministerium prædicationis, quod irrationabiliter vsurpauerat, & sibi contra morem Ecclesiasticum vendicare præsumpserat, cum dedecore maximo, & manifesta confusione amisit, suisque vaticiniis tandem confusa, finem posuit.* Hoc Concilium cum Annalibus Metensibus referre malo ad annum Christi 847. quàm cum Sigeberto, & Trithemio ad sequentem, quo iudicatus est Gotteschalcus: quia illam inordinatæ prædicationis, & stultæ vanitatis præsulem, in pœna sequi maluit, quàm in pœnitentia, & ipse pseudopropheta nouitatis, muliere peruicacior.

Concilia Moguntina distinguuntur.

Serar. l. 1. hist. Mogunt. c. 35.

Thiota mulier pseudoprophetissa.

Trithem. l. 3. de vita Rab. & in Chron. Hirsaug. ann. 848.

Annal. Metens. ad an. 847.

Sigebert. in Chron. ad an. 848.

Ad secundam ergo Synodum vt veniamus, habitam à Rabano, anno 848. videndum in primis quo nomine sit appellanda, Synodus, an Placitum regium? Concilium enim vocat Trithemius, qui de eo pluribus locis agit. In Chronico quidem Hirsaugiensi. *Rabanus Archiepiscopus Moguntinus*, inquit, *iussa Lotharij Imperatoris*, (rectè Baronius Ludouici Regis nomen reponit) *Synodum apud Moguntiam, Episcoporum & Abbatum conuocauit, anno Domini 848. Indictione vndecima, in qua hæreticum quendam*

Fuerit-ne ista Synodus an placitum regium.

Trithem. in Chron. Hirsaug. an. 848.

nomine Godschalcum Presbyterum condemnauit, & multa ad decorem & dignitatem Ecclesiasticam constituit. Fuldenses autem Annales, qui à Rabano ipso dicuntur accepisse, rem ita narrant, vbi de Ludouico Rege Germaniæ.

Annal. Fuldens. ano. 848.

Circa Kal. Octob. Generale Placitum habuit apud Moguntiacum, in quo legatos fratrum suorum, & Nordmannorum Sclauorúmque suscepit, audiuit, & absoluit. Et post pauca. *Gotescalchus quoque quidam Presbyter de prædestinatione Dei praué sentiens, & tam bonos ad vitam, quàm malos ad mortem perpetuam ineuitabiliter à Deo prædestinatos esse affirmans, in conuentu Episcoporum rationabiliter (vt plurimis visum est) conuictus,* &c. Placitum vocat Annalista, quod historicus Concilium, vtri maior fides?

In quo Placitum à Concilio differat.

Differunt enim ista magno interuallo. Nam Placitum regium omni ex parte profanum est, quo Regni ordines omnes conuocati, de publicis Regni negotiis, de bello, de pace, de conciliandis inuicem principibus, suscipiendis legationibus, & eiusmodi rebus deliberant. Concilium verò Episcoporum est, & res solas Ecclesiasticas curat. Accedunt quidem Episcopi ad Placitum, vt sanctissima pars regni, neque absque eorum consilio & consensu publicè quicquam decernitur; sed ordinibus ceteris commixtos, secularia cum illis negotia tractantes, Concilium facere quis dixerit?

Concilium in Placito.

Nihilominùs controuersia hæc facilè componetur, si meminerimus iam antea Caroli Magni, & Ludouici Pij temporibus ita vt plurimùm conuenisse ad Placitum Episcopos, vt ab aliis ordinibus seiuncti, res sacras diligentissimè curarent, Ecclesiæ iuribus & priuilegiis conseruandis, reformandis fidelium moribus, Clericorum tum maiorum, tum inferiorum causis audiendis, magna cum religione, & reipublicæ bono vacarent. Et hoc Concilium iure optimo dicebant, & Regibus Placitum conuocantibus, ipsi Concilium sibi indicebant, quæque in eo pro rebus Ecclesiæ decernebantur, in Capitularia sua Reges piissimi referebant, quò legum vim sortita, sanctè & inuiolatè ab omnibus seruarentur. Tenuitque mos ille, felix seculum facturus, etiam sub Carolo Caluo, licèt post Concilium Meldense, cui & Hincmarus interfuit iam Episcopus, videatur nonnihil pro tempore mutatum.

Capit. in villa Sparn. Tom. 3. Concil. Gallic.

Nam cùm collecta ex pluribus Capitula, Regi in villa Sparnaco fuissent oblata, *Quia factione quorundam motus est animus ipsius Regis contra Episcopos, dissidentibus primoribus Regni sui ab eorumdem Episcoporum admonitione, & remotis ab eodem Concilio Episcopis, ex omnibus illis Capitulis, hæc tantum obseruanda & complacenda sibi collegerunt, & Episcopis scripta tradiderunt, dicentes, non amplius de eorum Capitulis quàm ista & ista velle cum principe obseruare.* Sic erat Concilium in Placito, quemadmodum apud nos Camera Ecclesiastica in Regni Ordinibus congregatis, & rarò aliter maiora Concilia tum fiebant. Eius generis fuit illa Synodus, in qua Ebbo Remensis Archiepiscopus se magistratu sacro abdicauit. Id enim cùm in Placito generali, quod conuocauerat Ludouicus Imperator, ordinum omnium sententia fieri cuperet, rogarunt Episcopi, vt in Synodo tantùm, siue in sola Episcoporum præsentia in loco non profano exequeretur.

Caroli Regis epist. ad Hadrian. in Concil. Tricass.

Episcopi siquidem Imperatori satisfacere, & Pontificalem reuerentiam seruare cupientes, obtinuerunt apud eundem Imperatorem, vt non coram Laicis, sed in sacrario ipsius Ebbonis causa disponeretur. Hoc certè Placitum non est. Quare Annalista Fuldensis nominato Placito, & memoratis negotiis quæ Rex Ludouicus pro regni administratione gessit, dicturus de Gotteschalci condemnatione, quæ iuris erat merè Ecclesiastici, factam ait *in conuentu Episcoporum,* non in Placito, licèt pars Placiti Conuentus esset, vt Ecclesia pars regni.

Annal. Bertinian. ann. 862.

Sic Annalista Bertinianus Carolum Caluum narrat *venisse ad Pistis, quò Placitum simul & Synodum ante condixerat:* vbi Rothadus Suessorum Episcopus *in Synodo prouinciali regulariter antè communione priuatus, se quatuor prouinciarum Concilio præsentauit. Quem fraternus conuentus ne deponeretur penitus, sub appellatione Sedis Apostolicæ seruare disposuit.* Hic habes non tantùm Placitum, Concilium, Conuentum; sed etiam Prouincialem Synodum, & Concilium quatuor Prouinciarum, maius istud, illius minoris iudicium retractans: Inde sunt Concilia illa Tullensia ad Saponarias 12. Prouinciarum, apud Tusiacum 14. Prouinciarum;

Epist. Episcoporum Carisiac. ad Ludouic. Regem. Tom. 3. Concil. Gallic.

Sic Ludouicus Rex Germaniæ Caroli fratris regnum inuadere molitus, suos secum Episcopos ducens, Episcopos Remensis & Rothomagensis Diœcesis ad Placitum Remos hieme conuocauit, fingens se *cum illis, & cum ceteris fidelibus suis de restauratione sanctæ Ecclesiæ, & de statu ac salute populi Christiani tractaturum.* At illi excusantes aiunt se breuitate temporis, & hiemis asperitate vetari *ad placitum illud occurrere: diuinis,* hoc est Ecclesiasticis *legibus* cautum esse, ne Archiepiscopi sine Coëpiscopis, nec Episcopi sine iussu vel consensu Archiepiscoporum, nisi quæ ad proprias pertinent parochias, debeant præsumere; se verò per angustias temporis *Archiepiscoporum litteras de conuentu habere non valuisse.* Quæ omnia manifestum est de vera Synodo dici, non simpliciter de Conuentu politico eius regni, in quod nullum ius habebat. Simul & illud ostendunt, aliter vocari ad Placitum regium Episcopos, aliter ad Concilium etiam in Placito, per Archiepiscopos videlicet, & tractorias: quod vbi non fieret, etsi aliter conuenirent Episcopi, Synodus tamen non censebatur.

Placitum sine Concilio. Flodoard. l. 4. c. 33.

Quod docet Flodoardi historia in celebri contentione pro Episcopatu Remensi. *Conuentu Placiti Regum Ludouici & Othonis super Charam fluuium congregato, res litis inter Artaldum, & Hugonem Remensis Ecclesiæ præsules ab Episcopis auditur, & quia Synodus tunc congregata non fuerat, altercatio determinari non potuit. Synodus autem circa medium mensis Nouembris habenda denunciatur.* Non necessaria profectò, si morem sequuti ad Placitum, cum animo habendæ Synodi aduenissent. Verùm huius distinctionis cùm nullum prorsùs in historia nostra vestigium appareat, constétque more solito conuenisse ad Placitum Episcopos, concludendum omnino est hunc Rabani conuentum, verè & propriè Synodum & Concilium esse, quibus nominibus perpetuò vocatur ab scriptoribus omnibus, in Dissertatore prolixè & fideliter citatis, & aliis omissis; neque vllum reperies, ne Vsserio quidem excepto, qui Placitum Regium appellarit, ante hunc ipsum

Dissert. c. 5.

Dissertatorem, hornum historicum.

Qui Episcopi ad illud Concilium conuenerint.

Trithem. l. 3. vitæ Rabani.

Redeo ad Trithemium, qui in Rabani vita Concilium istud vnicum à Rabano collectum commemorat, atque *iubente Ludouico Rege apud Moguntiam in templo S. Albani Martyris, circa principium mensis Octobris Synodum habuisse, ad quam non solum de sua Prouincia, sed etiam de aliis plures Episcopos & Abbates conuocauit, quorum consilio multa pro communi vtilitate rei Ecclesiasticæ prudenter ordinauit.* Qui verò fuerint illi, alibi recenset ex parte, & vtinam omnes nominare potuisset, vt iudicum amplitudine cognita, dignam tanto Concilio venerationem redderemus. Primum ergo nominat Hetti Archiepiscopum Treuirensem, Ludouici Pij amicitia celebrem, cui morienti cum Drogone Metensi adfuit. Deinde Hildeboldum, Coloniensem Archiepiscopum, quem Carolus Caluus Imperator inter eos elegit, qui cum filio suo Ludouico *assidui essent*, & quorum ille *consilio vteretur.* Ex tribus Archiepiscopis Prouincias totidem conuenisse discimus, Rege sine dubio Placitum conuocante, cuius non meminit historicus, quia Ecclesiastica Rabani negotia, neque aliud quicquam tractaturus est. Sequitur Altfridus Episcopus Hildesheimensis, quem aliquot pòst annis Carolus, pacis cum fratre Ludouico initæ sponsorem & custodem esse voluit; Hincmarum pro se eligente Ludouico. Tum Haymo Episcopus Haluerstatensis, incertum ille-ne peritia insignis multorum voluminum scriptor. Nam illum Trithemius defunctum narrat anno 834. indict. 12. sub Ludouico Imperatore primo. Baronius autem, non dissentiente Bellarmino, mortuum facit anno 853. Neque certi quicquam inde potest duci, quod Hincmarus ad Rabanum scribens, ipsum ait tunc temporis *solum de B. Alcuini discipulatu relictum.* Licèt enim & Haymo magistrum audierit Alcuinum, illi tamen superfuit Rabanus, eoque temporis spatio postremam ab Hincmaro epistolam potuit accipere. In Episcopis denique Ludericũ Bremensem nominat Trithemius, qui mihi aliunde non est cognitus: insignem tamen ea tempestate fuisse oportet, qui de nomine appellетur, *celeberrimis viris:* non nominatis.

Idem. Chron. Hirsaug. cit.

Capit. Car. Calu. apud Carisiac. c. 15.

Annal. Fuld an. 865.

Trith. l. de vir. illustr.

Baron. ann. 853. Tom. 10.

Bellarm. de scr. Eccles. sec. 9.

Flodoard. l. 3. hist. c. 21.

Qui Abbates in Concilio.

Et quoniam de Monacho lis est, Abbatum illustrium nomina tacere non debuit historicus. Agmen ducit Luitbertus Hirsaugiensis primus, cuius occasione illata est cum in locum huius Concilij mentio, de quo mira subdit Trithemius. Tum Waldo Fuldensis, Rabani successor, qui postea à Ludouico II. cum Ernesto Summate exauctoratus est. Sequitur Einhartus Selgenstetensis, & ipse loci primus Abbas: Non enim hic alium agnosco à celebri illo Caroli Magni Cancellario, qui deinde, vt in Annalibus legitur, Ludouico Pio monita Gabrielis Archangeli duodecim Capitulis comprehensa obtulit, quibus malo suo parere neglexit bonus Imperator. Deinde Brunuuartus Hirsfeldensis, ad quem scripsit epistolam Hincmarus *pro rebus sancti Remigij, vel colonis Remensis Ecclesiæ in Thoringia constitutis:* Bertolfus Mediolacensis, S. Aduentius Metensis tum Abbas, postea Episcopus, Radulfus S. Medardi Suessionensis Abbas, postea Bituricensis Archiepiscopus, quem ex regno Caroli solum in eo consessu repertum fuisse mirari subit, nulla occurrente causa probabili. Quibus ita recensitis concludit historicus. *Et alij multi Episcopi, Abbates, Monachi, inter quos complures erant vita & doctrina famosissimi.* Quæ nomina retuli non inuitus, vt ex iis discamus, quàm fuerit augusta Synodus; quod decreuit in Gotteschalcum, iustissimè decreuisse; quod de Gotteschalci erroribus scripsit, verissimè scripsisse; quòd eius sententiam executum se dicit Hincmarus, sapientissimè fecisse.

Annal. Fuldens. ann. 860.

Ibid. ann. 874.

Flodoard. l. 3. hist. c. 24.

Seruatus Lupus Concilio interfuit.

Est tamen de Trithemio quod amicè expostulem, cur eo loco inter *famosissimos doctrina viros* Seruatum Lupum omiserit, cuius celebrem in Concilio disputationem aduersùs Gotteschalcum biennio pòst narraturus erat? De quo breuiter Posseuinus, *qui interfuit*, inquit, *Moguntino Concilio ad Ecclesiam S. Albani conuocato sub Rabano, contra Godescalcum Presbyterum de libero arbitrio, de prædestinatione malè sentientem.* Vnde autem aduenit? an ciuis Moguntiæ, quæ est Dissertatoris opinio? an Episcopum aliquem sequutus Presbyter, putà Treuirensem, aut quem alium? Fateor equidem mihi non liquere, neque omnino meum illud institutum aut lædit aut promouet. Hoc habeam modò, quod nemo negauerit, alium esse à Lupo Ferrariensi Abbate, & Germanum: Istud Trithemio credo, & probabile est, si Germanicæ Synodo interfuit: Sed aliud illi non concedo, eundem esse, qui librum de Tribus quæstionibus scripsit, quem Ferrariensis partum esse alibi certis argumentis euincam. Sufficiat Germano huic Presbytero gloria sua, præsentem in Concilio Gotteschalcum prostrauisse, vt inferiùs narrabitur: scripti laudem Gallo Abbati relinquat. Sed Moguntinensem Presbyterum perpetuò vocat Dissertator. Qua fide? quo teste? quo auctore? Imò, quod magis mirandum est, amicissimum Rabano facit, qui tamen aduersùs eius sententiam de prædestinatione, *vt verisimile est*, non bene fuerit animatus. Contra Gotteschalcum disputasse non diffitetur, vt Trithemio fides sua constet, quem inter Gotteschalci asseclas semper enumerat, & pingit in imagine. Quæ quomodo stare simul possint, ipse melius respondendo exponet, quàm ego possim assequi.

Posseuin. in appar. sacro.

Non est scriptor libri de 3. quæst.

Dissertator pugnantia loquitur. c. 15.

§. VNICVS.

Quàm legitimè illi Concilio & iudicio Rabanus præsederit.

Rabanum Concilio præsidere non potuisse docet Dissert. c. 5.

SED antequam à personis discedamus, fateor sine scelere prætermitti non posse tot siderum solem, tanti consessus spirituum atque animam, Rabanum ipsum Maurum, cuius laudibus nulla par esse potest oratio. Sed quia ab eo, cum Hincmaro, scribendi initium fecimus, vtilius aliquid, & ad institutum accommodatius, ingratæ repetitionis vice, quærimus hoc loco, verùs-ne & legitimus Synodi præses, & Gotteschalci iudex potuerit esse Rabanus? Negat omnino Præses amplissimus, hac ratione, quòd cùm Gotteschalcus libello ad ipsum misso suas opiniones confirmans, in quibus à Rabano fuerat accusatus, illum ex aduerso erroris arguisset, vt ex fragmento patet apud Hincmarum, iam reus erat æquè ac Gotteschalcus, deque eius sententia, non minùs quàm Gotteschalci, erat in Synodo decernendum; ergo *vt recto & iudiciorum ordine cognitio & definitio procederet*,

Hincm. l. de prædest. c. 5.

Rabanus ipse iudex esse non poterat L. Vnica C. Ne quis in sua causa iudicet, & Can. Inter querelas 23. q. 4. vel saltem à causæ cognitione abstinere decebat. Sed quò iudex, & iudicij præses remaneret, Gotteschalci scripta sibi exhibita reticet, ea nimirum, in quibus *ipsum Rabanum Gotteschalcus erroris in fide notauerat.* Duplici proinde iniquitate constrictus, & quòd reum libri suppressione præsidio necessario priuauerit, & quòd præter leges, etiam ciuiles, auctoritate oppresserit. Id si verum est, irritum fit oportet, quicquid eo in Concilio aduersùs Gotteschalcum gestum fuit: & falsò dixit Hincmarus, *ab omnibus Episcopis Germaniæ* Gotteschalcum fuisse damnatum.

Refellitur. Quanquam ista sine indignatione, de tanto viro indignissimè scripta, non recito, ratione tamen refello, & iudicem facio Dissertatorem ipsum, lectorum fortasse non æquissimum. Cuius fundamentum potissimum est, liber ille quo reprehensus est Rabanus à Gotteschalco, quémque putat ante Concilium illud ipsi oblatum fuisse à Monacho. Verùm in alia sum sententia, & duo ad Rabanum scripta Gotteschalci aio distinguenda, libellum confessionis suæ datum in Synodo, & alium postea compositum: cuius initium refert istud Hincmarus: *Tandem legi librum, venerande Pontifex, tuum, in quo reperi*, &c. quo credibile est contentam reprehensionem illam Rabani, ab eodem Hincmaro alibi productam. De libero, inquit, arbitrio mallem ex Augustino & probatis Patribus Ecclesiæ doctrinam haurires, *quàm erroneis opinionibus Massiliensis Gennadij, qui plerisque præsumpsit in locis, infelicis Cassiani perniciosum nimis dogma sequens, niteretis.* Primum omnium inter nos conuenit, librum hunc, quem secundum dico, Synodi tempore Rabano non fuisse oblatum. Deinde agnoscere te puto, responsionem esse ad Rabani opusculum de prædestinatione, quod non priùs à se lectum significat primis illis vocibus *Tandem legi*, siue illud serò in manus Gotteschalci peruenerit, siue per otium illi legendo vacare antea non potuerit: cùm tamen iam inde in Italia ipsi per Eberardum *communicatas fuisse illas ad Notingum, & ad Eberardum epistolas* narrauerit Dissertator. Quæro enim, reprehensorius iste libellus quo tempore sit à Gotteschalco conscriptus? Ante Concilium Moguntinum inquis, quo & oblatus est Archiepiscopo. Istud mihi probari cupio certo auctore, vel euidenti ratione, non simpliciter quasi indubitatum poni, vel illo solenni, *vt credibile est*, stabiliri. Aio ego potiùs post Concilium, in carcere compositum esse, quo tempore duo Rabani opuscula corrumpebat hæreticus: cui respondere neglexit Rabanus, causatus intolerabilem eius superbiam, qua omnes homines præ se contemneret, solo contemptu compensari.

Duo scripta Gotteschalci ad Rabanum.

Hincm. l. de Prædest. c. 5.

Ibid. c. 21.

Raban. epist. ad Hincm.

Rabanus non potuit excludi à iudicio. Verùm ne hac inficiatione cursum disputationis sufflaminare velle me putes; esto sanè, gratis illud condonetur, & fabricatum, & oblatum Rabano priùs librum, quàm veniretur ad Concilium, neque sic tamen Rabanum de tribunali & iudicis officio deturbas. Nam ille quem agnoscis vnicum, fuit responsio, vt patet ad illud opusculum, quo per Rabanum doctrinæ prauæ insimulatus fuerat Gotteschalcus; ergo hic posterior, id est, per recriminationem, vt vocamus, Rabanum notauit erroris: Quàm sit autem futilis apud tribunalia recriminatio, non ignoras. Sed quo iure Archiepiscopum Monachus docere ausus est, & arguere? Non queror superbiam, qua Theologiæ vertici insultare non veretur sciolus & ἀυτοδίδακτος Theologaster: sed quia versamur in iudicio, ordinem peto Hierarchicum, & leges Ecclesiasticas, quæ homini priuato & Monacho permittant eiusmodi opiniones, contra Archiepiscopi sententiam, fide diuina credendas esse decernere, & qui aliter quàm ipse opinetur, Archiepiscopum erroris arguere. Non debuit potiùs ab Ecclesiæ rectore reprehensus Gotteschalcus, Christiana modestia docenti cedere, & si quid opponendum occurreret, moderatè explicare, Christi exemplo quem parentes *inuenerunt in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos?* *Luc. c. 2.*

Rabanum iudicem Gotteschalcus agnouit. Quid quòd Rabanum iudicem legitimum agnouit Gotteschalcus, dum libellum Confessionis ipsi simul & Synodo obtulit: dum nullo signo, nullo verbo recusauit: non petiit vt abesset à Concilio Rabanus, qui suam iniuriam odio priuato vlcisci posset: non est questus vnquam ab incompetenti iudice damnatum se & circumuentum. Negas ita læsum superiorem, posse de inferioris causa cognoscere? Sic negarunt Lutherus & Caluinus Papam, & Ecclesiam Romanam, quæ ab ipsis erroris & superstitionis insimulabatur, de ipsis quicquam posse statuere. Sic reus quilibet affectata læsione iudices omnes eiiciet è tribunali, & per summam iniustitiam iniquitas impunita de legibus triumphabit. Vidisti tu grauissimos Senatores sapientissimi Senatus consulto, non absimili in causa, cùm violati dicerentur à reis, atque adeo suam causam acturi censerentur, nihilominus idoneos iudices pronunciatos. Sic admissus est ad ferendum iudicium Rabanus ab Episcopis, & Concilio ipsis beneuolentibus præfuit, & Synodalem epistolam conscripsit. Factum inquis, tegebat silentio, iniuriam Gotteschalci, & libellum eo consilio celabat, vt iudex, & iudicij præses remaneret. Nugæ. Quod tacebat Rabanus, non poterat clamare Gotteschalcus? Non audebat recusare, si quid vindictæ sibi ab illo metueret? Non licuit eius libelli exemplum apographum per Concilij Patres spargere, ne quid dissimularetur à præside? Habere potuit postea illud exemplar Hincmarus procul dissitus, tum non potuit legere vel vnus episcopus præsens in Concilio? Ac certè aliquando tandem Rabani fraus agnosci debuit, euolutus est liber, lecta reprehensio: quis est questus de iniuria? quis iudicium rescindi petiit? Quis leges Ecclesiasticas & ciuiles, de iudice in propria causa citauit? Non Patres Moguntini, qui rem iudicatam executioni mandari voluerunt: non Episcopi Carisiacenses, qui secundùm eam sententiam & ipsi iudicarunt: non Ratramnus, & alij Gotteschalci asseclæ & amici, qui tam opportunam euadendi iudicij occasionem damnato suggerere neglexerunt. Nimirum seruabatur ea gloria tot pòst seculis Præsidi Dissertatori, vt primus videret, & admoneret Ecclesiam, iniustè fecisse Rabanum, qui præfuerit Concilio; temerè admisisse Episcopos præsidem illum & iudicem; stolidè alios eius tempestatis Episcopos sequutos esse sententiam eius Concilij, in quo hæreseos

conuictus & damnatus est Gotteschalcus, *sanissimæ & diuinæ doctrinæ* magister.

Explicantur leges citata.

At leges opponuntur. Quid enim vetant leges illæ? *Ne quis in sua causa iudicet, vel ius sibi dicat.* Fuit videlicet Imperatorum Christianissimorum illa mens, vt reuincendæ hæreseos, & damnandi hæretici iudicium, Episcopi vnius causam propriam dicerent, non Ecclesiæ, non fidei, non Christianorum omnium? *De possessorio, vel petitorio* interpretantur Iurisconsulti: quid ea re acquirere sibi voluit Rabanus, quid conseruare? An scribens ad Eberardum aut Notingum, vt publicum scandalum vetaretur, sibi vni laborauit? Quid reprehendit Gregorius Magnus in Episcopo Ianuario? Quòd Isidorum virum clarissimum excommunicationi & anathemati subiecerat, *pro nulla alia causa, nisi pro eo, quod ipsum iniuriauerat.* Dolet ergo Pontifex *quod pro vindicta propriæ iniuriæ, quod sacris regulis prohibetur,* spiritalem gladium eduxerit, & terribili anathemate Catholicum hominem afflixerit, arma spiritalia odij sui faciens instrumenta. Quid simile Rabanus? Contumeliæ sibi irrogatæ dedecus vindicare appetiit? At te teste *apud illum fuit altissimum de libello silentium,* quo talis contumelia continebatur. Iræ præcipitis impetu ad excommunicationem Gotteschalci prorupit? At excommunicatum Gotteschalcum hac in Synodo non legimus, tu neque agnoscis in Carisiacensi. Tam procul autem abfuit ab ira & vindicta Rabanus, vt cùm in Episcopatu multos etiam è suis passus sit aduersarios, clementiæ & mansuetudinis virtutem in eo maximè celebret Trithemius. *Enimuerò cùm esset omnium Pontificum suo tempore mansuetissimus, persecutores & æmulos suos nunquam vocauit ad pœnam, nec verbo, nec facto vllam de ipsis vnquam petiuit vindictam.* Frustra igitur sacræ profanæque leges aduersùs Rabanum citantur, quæ sunt ab hac causa alienæ, quas Patribus illis *vita & doctrina famosissimis* notas fuisse, neque omnino Rabanum tangere iudicaras, dubitari non potest.

Gregor. l. 2. regist. indict. 10. ep.

Trithem. in vita Rab. l. 3. sub finē.

Rabanus priuatim hortatur Gotteschalcum ad resipiscentiam.

Sit hoc igitur constitutum, legitimè & recto ordine Gotteschalci iudicio præfuisse Rabanum. A quo facile mihi persuadeo, dum Episcopi singuli Moguntiam adueniunt, & Concilio necessaria comparantur, & ab aliis quoque ipsius hortatu, conuentum priuatim ante Gotteschalcum, quàm audiretur in Synodo, adhortantibus ad libellum satisfactionis porrigendum, Lucidi Presbyteri, & hæreticorum ad fidem reuocatorum exemplo; disputantibus cum obstinato, & Augustini scripturæque mentem catholicè exponentibus; scandalum ex eius doctrina per Ecclesias natum exhibentibus, quod vnum, si tolerabilia essent cetera, sapienti cuiuis, & Dei potiùs, quàm gloriæ suæ amanti, nouitatum omnium fastidium ingenerare debuerat. Christianam Rempub. ne moueret; monente scriptura *ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.* Vbi turbæ reperiantur & discordiæ, inde semper abesse pacis auctorem Spiritum sanctum: quid vni de Christi redemptione contentio, de sua salute & prædestinatione anxietas, de Dei misericordia desperatio? Quæ & similia, non penitùs ex ingenio dici, suspicari licet ex iis, quæ Rabanus scripsit ad Hincmarum. *De Gotteschalco autem pertinacissimo & incorrigibili errore, aliquid contrà scribere, superfluum iudico, quia nec præsentem eum à sua nequitia auellere potui.* Quæ verba in eam partem accipio, vt ex lege fraternæ correptionis, priùs solum solus per se, aut per suos de officio monuerit, quàm Ecclesiæ diceret. Certum verò est obsurduisse ad ista Monachum, instar aspidis surdæ, obturantis aures suas ad vocem incantantium sapienter, Theologica mysteria, Augustini sententias, communes è Patribus locos ventilantem; prǿque libello sapientiæ modestiæque Christianæ pleno, erroris & impudentiæ tesseram interim scriptitasse, quam ad sacrum Senatum deferret.

Prouerb. c. 22.

Raban. ep. ad Hincm.

CAPVT XIII.

Gotteschalcus per Rabanum & Seruatum Lupum in Concilio conuictus, erroris Prædestinatiani condemnatur.

Gotteschalcum hæretico alio comparatur.

VLTA vtiliter nobili Synodo fuisse decreta auctor est Trithemius: sed quoniam tres Rabanicas in vnam commiscet, & temporibus, & rerũ tractatione omnino distinguendas, in solo Gotteschalci iudicio hęrebimus, quod nemo graphicè magis, quàm ipse repræsentat, paulò pòst describendus. De quo quia modò plenè agendum est, abstinere non possum, quin te, Lector, ista perpensurum, inuitem ad Concilium anterius Gallicanum, Aurelianense, in quo hæreticus nescio quis Monothelita, lubricis responsionibus Antistitum interrogationes conatus eludere, à Saluio tandem Episcopo constrictus & conuictus, *cum ea qua par erat ignominia & dedecore è finibus Galliæ eliminatus est,* vt narrat S. Audoënus in vita S. Eligij. Ad eum modum suis argutiis circumuolutus Gotteschalcus, & innocua in speciem chartula professionis, velut ægide contectus, Episcopis fucum facere sperauit: sed eruditè in gyrum rationis reuocatus à Rabano, & Seruato Lupo, perfidiam quam animo concludebat, coactus in apertum educere, cum ignominia solum vertere iussus est, & ad seueriorem pœnam emissus è Germania. Quod ita factum nouimus.

S. Audoën. in vita S. Eligij l. 1. c. 34.

Libellum professionis offert Synodo.

Gotteschalcus legitimè citatus more maiorum, & iussus apud Pontifices fidei suæ rationem reddere, à quo retractationis libellus sperari debuerat, *Rabano Archiepiscopo, & Synodo libellum erroris sui porrigit,* confidentior quàm pro Monacho, gloriæ ducens, vel sua causa laborare Synodum: secundùm quem examinatus à iudicibus, & longiori disputatione agitatus, sempiterna peruicacia defendit errores. Eum libellum (quem primum esse aio) ita citat Hincmarus. *In chartula suæ professionis ad eundem Rabanum, ita dicit.* Iam hic manifesta est *Chartula* istius qua *professionem suam* explicat, ab eo libro quo Rabanum arguit admonetque, distinctio: atque hæc sine dubio fidei professio est, Synodo in Rabano præside oblata, vt hoc etiam facto legitimam eius auctoritatem profiteretur. *Ego Gotteschalcus credo & confiteor, profiteor & testificor*

Hincm. l. de prædest. c. 5.

fiteor ex Deo Patre, per Deum filium, in Deo Spiritu sancto, & affirmo atque approbo coram Deo & sanctis eius, quod gemina est Predestinatio, siue electorum ad requiem, siue reproborum ad mortem. Quia sicut Deus incommutabilis ante mundi constitutionem omnes electos suos incommutabiliter, per gratuitam gratiam suam prædestinauit ad vitam æternam; similiter omnino omnes reprobos, qui in die iudicij damnabuntur, propter ipsorum mala merita, idem ipse incommutabilis Deus, per iustum iudicium suum, prædestinauit ad mortem meritò sempiternam. Duplici nota se prodit hîc Gotteschalcus, loquacitate superflua, quam & alia eius scripta cum tædio exhibét: & orationis obscuritate, quæ propria est hæreticorum, cùm audacia nondum corroborata, monstrosum partum aliquo verborum inuolucro contegunt, ne sui horrorem primo aspectu piorum animis incutiat, priúsque improbetur, quàm possit adolescere. Quid enim, si corticem tantùm tractamus, hac professione innocentius, simplicius, magisque Catholicum est? Sic olim Pelagius Synodum Palæstinam verbi amphibolia delusit. Sic Arius negauit Verbum esse creaturam, sicut alias: exclamauit Nestorius contra Deum bimestrem & trimestrem: tres Deos execratus est Sabellius: Iconomachi adorandas non esse imagines contenderunt. Sed hanc nucem franget Synodus, & nobis nucleum porriget, suo loco proferendum. Nunc quod ad iudicium spectat, quæri potest, sitne ista pars tantùm Gotteschalcani libelli, an totus libellus? Certè ne hilum quidem præterea de illa Chartula in toto Hincmaro legimus: neque quicquam aliud, præter illam reproborum prædestinationem, professa opera, & disputatione theologica reprehensum videmus à Rabano, siue in libro de Prædestinatione ad Notingum, siue in epistola Synodali: quin etiam cum Hincmaro per epistolam, solam eam quæstionem tractauit; vt non temerè de hoc tantùm capite actum hoc in Concilio fuisse, ceteris iustas ob causas in aliud dilatis, asseueraturus videar; adeóque integrum Gotteschalci libellum, prout oblatus est Synodo, sincerè & perfectè ab Hincmaro fuisse recitatum. Reliqua verò quæ Hincmarus idem libro de Prædestinatione passim excerpit, ex altero libello ad Rabanum Archiepiscopum educta esse: Idque cum stilo ipsius Gotteschalci non malè conuenit, cuius Confessionem duplicem breuiorem, & prolixiorem habemus. Sic duplex opusculum ad Rabanum scripsit, breuius offerendum in Synodo, quod deinde amplificatum & verbis, & auctoritatibus, & aliis quæstionibus, quæ prætermissæ fuerant in priore, Rabani eiusdem nomini inscripsit; & fortasse, quod necesse non fuit, ad illum nunquam misit. Cur autem illa professione tres alias quæstiones non attigerit Gotteschalcus, de libero arbitrio, de voluntate Dei, de taxatione sanguinis Christi? diuinationi relinquitur, an suapte ipse sponte, an imperio, an consilio Episcoporum illis memorandis supersederit, vt ea vna disceptaretur, quæ ceterarum fons est & fundamentum.

In eo suam opinionem obscurè proponit.

Rabanus, & Seruatus Lupus aduersùs Gotteschalcum in Synodo disputant.

Lectam igitur publicè professionem, credo equidem multis non intellectam; nonnullis hæreticarum fraudum ignaris non improbatã; quippe terminata etiam disputatione, non omnes probabiliter conuictum duxerunt: Rabanus autem, & eruditissimi quique, Pelagij exemplum veriti, rogando & pulsando clariorem ab auctore expositionem exprimunt, & acriùs disputando Rabanus hominem redigit ad incitas. Quod factum fusissimè sic narrat Trithemius, *Gothescalcus quoque Presbyter quidam, natione Gallus, ex Remorum Diœcesi adueniens, de Prædestinatione Dei nouum & perniciosum seminabat errorem. Dicebat enim tam bonos ad vitam æternæ felicitatis, quàm malos ad vitam æternam ineuitabiliter à Deo prædestinatos esse: & nec illis nocere si peccent, nec malis & præscitis prodesse, si ad melioris vitæ propositum conuertantur, eò quòd prouidentia Dei sit omnino infallibilis.* Illud dogma non ea perspicuitate proposuit Gotteschalcus, sed rem ipsam, & hæretici mentem, & disputationis exitum, non professionis verba perpendens historicus, apertiùs sic enunciat. *Contra quem beatissimus Archipræsul Rabanus, campum disputationis latum ingressus, tam scripturarum auctoritate, quàm euidentia rationis, eum coram omnibus, Deo auxiliante, superauit, & vi argumentationis vsque eò reddidit mutum, quòd nihil pro sua opinione amplius potuit inferre. Benedictus per omnia Deus, qui perniciosissimum dogma erroris per os famuli sui Rabani confutauit.* Alio autem loco idem Trithemius in pulchri certaminis partem Seruatum Lupum vocat, mortuum quasi epitaphio cohonestans. *Is ante biennium præsens in Synodo Moguntiacensi, Presbyterum illum Godschalcum, de libero arbitrio, prædestinatione, & sanguine Christi male sentientem, ac multos conturbantem, fortissima disputatione coram omnibus qui aderant, manifestè vicit & confutauit. Qui etiam ad euidentiorem declarationem veritatis, inter alia quæ scripsit, de his quoque rebus tractatum pulcherrimum composuit.* Quibus in verbis, priora quidem eius auctoritati & fidei concredimus; posteriora autem de tractatu composito, alibi expendemus. Sed hæc obiter. Redeamus ad Rabanum, & exitum disceptationis. Pergit in eius vita Trithemius. *Rationabiliter igitur a sancto Rabano conuictus, superatus, & confusus in conspectu Episcoporum, Abbatum, & ceterorum omnium qui fuere præsentes, correctionem assumpsit, errorémque suum publicè reuocauit.*

Trithem. l. 3. vitæ Rab.

Perniciosissimum dogma Gotteschalci.

Trithem. Chronico Hirsaug. ad an. 851.

Hanc examinis Gotteschalci narrationem, vt nostro etiam iure ad examen reuocemus, magnopere assentior erudito Dissertatori, non esse illam ad omnes veritatis articulos exactam à Trithemio. Nam quòd ait, disputatum à Lupo de libero arbitrio, & de sanguine Christi, ea quæ sunt superiùs à nobis dicta, penitus confutant. Quòd addit errorem à Gotteschalco reuocatum, & assumptam à volente correctionem, Rabano repugnat scribenti *repertum incorrigibilem, & errorem pertinacissimum.* Quamobrem eius pertinaciam carcere putauit coërcendam, veritúsque est ne pestilente doctrina plures inficeret: Quis verò legit vnquam, condemnatum in Concilio hominem hæresi antea professæ renunciantem, & Catholicæ fidei sese restituentem? Demum si resipuit sub Rabano, quæ illum vexarunt intemperiæ, vt iterum deliraret sub Hincmaro, & ne vicennali quidem custodia domari potuerit, vt ad priorem mentem reuocaretur? Sed aliud est quod eidem Dissertatori concedere non possum, quódque, absit verbo iniuria, per mihi ridiculum videtur, quod ait,

Expenditur ea Trithemij narratio.

Dissert. c. 5.

Contra Gotteschalci opiniones directè disputatum est.

L

alia fuisse obiecta Gotteschalco per Rabanum & Seruatum Lupum, quàm quæ dicebat sentiebátque bonus & innocens Gotteschalcus. Disputabant scilicet andabatarum more, & aërem verberabant Theologi, dum obiiceret Rabanus, malè asseri prædestinatione Diuina cogi homines ad interitum; Lupus clamaret, Deum nullo modo asserendum esse peccati auctorem: Gotteschalcus ex aduerso responderet, geminam esse prædestinationem bonorum ad vitam, malorum ad mortem. Stupebant interea barones egregij iudices, viri illi *vita & doctrina famosissimi*, neque fuit in tanto numero qui posset aut vellet errantibus viam comiter ostendere. Peracta demum non disputatione, sed pugna, damnatus est Gotteschalcus, ob sententias à suo sensu abhorrentes, nulla voce reclamans, appellans, Deum hominésque contestatus, & tanquam ouicula ductus est in Galliam, Hincmarum illic iterum, cum suo Concilio dementaturus, & per similem hallucinationem in carcerem compingendus. Comœdia hæc est, an tragœdia? certè fabulam nemo negauerit. Ne ludamus in re seria, veras & germanas Gotteschalci opiniones recta fronte adorti sunt viri sapientes, & eruditi, hominem elinguem reddiderunt in propriis assertionibus, condemnarunt ob ea quæ latebant in chartula professionis, quæ audiebant à disputante clariùs expressa, quæ neque tueri potuit, neque voluit retractare. Ea omnia si manifestissimè chartula professionis non continentur, quod hæreticus versutia & calliditate celabat, ipsi doctrina solertiáque extuderunt, & in publicam Concilij lucem eduxerunt: neque vllum reperiri posse arbitror, qui hac in causa, rebus ita gestis, non malit hæreseos Gotteschalcum, quàm tot tantósque Episcopos & Abbates, non iniustitiæ solùm, sed etiam stoliditatis & stuporis accusare.

Gotteschalcus condemnatur hæreseos.

Fuit hic enim æquissimus iudicij exitus, vt palam conuictus malè de Prædestinatione sentire & loqui, damnaretur hæreseos, & ad proprium Episcopum castigandus mitteretur. Quod tamen factum negari mirum est à prudentissimo Dissertatore, & quidem eò deductum illum esse leui admodum argumento, quòd non omnes historici damnatum expresè referant, eámque rem non omnes iisdem verbis exponant. Illud quidem non scribit Trithemius, quia putat retractasse errorem. *De sententia Synodi sanctæ*, inquit, *ad Episcopum proprium Hincmarum Remis transmissus est, dato priùs iuramento confirmationis, ne in regnum Ludouici, hoc est, Germanicum ampliùs rediret.* Sed Annales Fuldenses, quorum eam partem ab Amanuensi Rabani Monacho scriptam putat Dissertator, conuictum faciunt, & remissum. *Gothescalcus quoque quidam Presbyter de Prædestinatione Dei praué sentiens, & tam bonos ad vitam, quàm malos ad mortem perpetuam ineuitabiliter à Deo prædestinatos esse affirmans, in conuentu Episcoporum, rationabiliter, vt pluririmis visum est, conuictus, & ad proprium Episcopum Ingmarum Remis transmissus est, priùs tamen iuramento confirmans, ne in regnum Ludouici vltra rediret.* Ex hoc fonte riuum suum deduxit Trithemius, & *conuictum* referre non debuit, quia illud ipsum tota narratione docuerat. Sed eam vocem alio sensu Annalista vsurpat, vt condemnatum significet, & quidem *rationabiliter*, hoc est, iure ac meritò, quod de mera disputatione non æquè propriè dixeris. Qui verò Synodalis conuictionis effectus est & finis, nisi hæreseos, vel hæreticorum condemnatio? Da Concilium mihi è quo detectus & conuictus hæreticus, indemnatus excesserit. Neque moueat quòd *plurimis*, non autem omnibus *visa est* rationabilis illa condemnatio: nulla enim sacri aut profani senatus consulta & decreta consensum omnium sine exceptione requirunt; & mirum non est implicatissimas quæstiones, & difficillimos Augustini & Patrum locos, primo aspectu pleno lumine omnium intelligentiam non persuasisse. Salomon Constantiensis pseudoprophetissæ suæ artes & dolos absque Rabano & Concilio non potuit deprehendere, & longè obscuriora religionis mysteria leui manu nullo negotio putas ab omnibus penetrari?

Trithem. l. 3. vitæ Rab. cit.

Annal. Fuldens. ad an. 848.

Eadem condemnatio diuersimodè refertur ab historicis.

Flodoard. l. 3. hist. c. 21.

Progredior ad alios qui damnatum illa in Synodo Gotteschalcum tradunt. Flodoardus referens epistolas ab Hincmaro scriptas ad Rabanum, de Gotteschalco, *quem idem Pontifex*, inquit, *à parochia sua ob hæresim semina quæ spargebat repulsum, ad eundem cum quibusdam complicibus suis direxerat.* Expulsio illa Ludouici Regis auctoritate facta, & quasi quoddam exilium, duo declarat, & Ludouici subditum, patriáque Germanum non fuisse, qui sine dubio natiuam in eum iurisdictionem exercuisset; & non sine comitibus & iuuenculis, doctrinæ suæ mirionibus regiones exteras peragrasse hæreticum. Quid enim solus potuisset? Vnde fuisset auditus absque tibiis circumquaque sonantibus? Itaque Comitatum illum qui vidit, & excepit Hincmarus, non immeritò *scholam* Gotteschalci appellat. Risi dictum à Dissertatore, Flodoardum illo *complicium* nomine deceptum fuisse: neque alios fuisse Gotteschalci *complices*, quàm Prudentium, Ratramnum, Lupum Ferrariensem & alios, eius sequutos sententiam post condemnationem. Quasi nescierit prudens historicus, quod à patre suo, teste oculato discere potuit, vt septimo pòst seculo ab nouo Gotteschalci patrono doceretur. Annales Bertiniani Gotteschalcum aiunt *quædam nostræ saluti valdè contraria, præcipuè sub nomine Prædestinationis, pestiferis dictis & scriptis adstruentem, in præsentia Ludouici Germanorum regis Episcopali Concilio detectum atque conuictum, tandem ad Diœceseos suæ vrbem Metropolim Remorum Durocortorum nomine, cui Ingumarus vir venerabilis præsideret, redire compulsum.* Sigebertus à Fuldensibus accepit, vt *Gothescalcum hæreticum à Rabano Archiepiscopo rationabiliter conuictum* diceret, *sed tamen*, inquit, *in suo perseuerat errore.* Strictè & breuiter Lambertus Schafnaburgensis *ad Moguntiam habito Synodali Concilio Godescalcus hæreticus damnatus est.* Sed à Chronico Hildeseimensi videtur hausisse, quod paulò aliter, *Ludouicus apud Moguntiam habito Concilio Synodali, ibi Godescalcus hæreticus conuictus & damnatus est.* Hincmarum sciens prætereo, qui duobus Conciliis damnatum Pontifici mandat. Quibus, si Moguntinum demis? Amolonem, & patronos Lugdunenses omitto, qui Concilij vnius meminerunt, non potiùs Carisiaci, quàm Moguntini: nam istud illo & maius,

Annal. Bertin. ad ann. 849.

Sigebert. in Chron. an. 849.

Lambert. Schafnaburg. in Chron. an. 848.

Chron. Hildesem. an. 848.

& celebrioris famæ fuit, & eius auctoritate se semper defendit Hincmarus. Quid dicam de recentioribus Catholicis, quorum nullus Synodum hanc commemorat, absque Gotteschalci damnatione, nullus Gotteschalcum absque hæretici nota nominat: vt vehementer dolendum sit, ab vno ex omnibus qui in catholicis castris militant, Dissertatore Præside, argumenta sua ab Vsserio nouatore mutuato, Gotteschalci patrocinium sic suscipi aduersùs Rabanum, & omnium seculorum historiam: vt Rabanus, Seruatus Lupus, & omnes Concilij Patres in disceptando inepti, in iudicando iniqui; Gotteschalcus autem passus iniuriam, & *sanissimam, atque diuinam doctrinam* sequutus fuisse videatur.

Vsserius hist. Gotteschal. c. 4.

Omnium narrationes eòdem recidunt.

Fateor equidem condemnationem illam non iisdem verbis narratam esse ab historicis, sed eòdem redeunt omnia, & si differre multum contendimus, merum erit de syllabis litigium. Nam cùm sententiæ capita sint tria. Primum, damnatio conuictæ hæreseos; secundum, tollendo scandalo necessarium, eiectio è regno Ludouici; tertium epistola Synodali expressum, carcer Monasticus in sua Parochia: quis non videt aliud ex alio deduci, vt qui *conuictum* dicunt, *damnatum* significent, qui *repulsum, explosum, transmissum* narrant, ij faciant *iudicatum?* Carcerem quoque *decreuisse Germaniæ Prouinciarum Episcopos, ne aliis noceret, qui sibi prodesse nolebat*, non semel testatur Hincmarus. Quanquam pœnam hanc postremam, consilio potiùs, quàm iuridica sententia decretam existimo, cùm Episcopi Germani Gallos sententiæ suæ executores facere non potuerint. Fuit quidem ius Rabano, vt *nouæ & noxiæ doctrinæ introductorem* sua in diœcesi deprehensum, damnaret hæreseos; ius fuit Ludouico Regi, vt hominem perniciosum à regno suo exulare cogeret, & in terram natalem amandaret; sed neuter Carolo Regi, vel Archiepiscopo Hincmaro præcepit, vt secundùm latam Moguntiæ sententiam ergastulo clauderetur. Quare in epistola Synodica sic propositum istud caput videbimus, vt tamen Hincmari cognitioni & arbitrio liberum relinquatur. Quantùm autem cerebrosi hominis, & ingenij præfracti exilio, suæ suorúmque tranquillitati consuluerit Rabanus, docet Hincmari iactatio, quem admissa semel furia, nunquam passa est interquiescere. Ita qui discessit è Gallia *quietis impatiens*, docuit in Italia *sciolus*, barbaras gentes circumcursauit *gyrouagus*, Germaniam turbauit *noxiæ doctrinæ introductor*: Moguntia remissus in Galliam est *hæreticus damnatus*, discordiarum Prædestinatianarum quasi fatalem quendam campum, vbi factus *miserabilis Monachus*, digladiantes faceret Theologos, & inuicem consumentes.

Hincm. l. de prædest. c. 2.



CAPVT XIV.

Gotteschalcus ad Archiepiscopum suum Hincmarum cum litteris Synodalibus remittitur.



SI gratiam nouitatis huic operi quæreremus, ad Hincmarum, ad Gallicana Concilia, ad recens editas Rabani epistolas, ad Dissertationem remittendus esses Lector, vbi Synodalis ista suo in ordine collocata est. Verùm aliud postulat historia, genuinas Gotteschalci opiniones inuestigatura, & doctrinæ societatem Hincmarum inter & Rabanum, sæpe visura. Opus Rabani, sed publicum, vt à Synodo, & ab ea auctoritate, quæ dicere potuit, *Visum est Spiritui sancto & nobis.* Quod factum si esset postea imitatus Hincmarus, plus fidei, & minùs æmulationis apud Catholicos inuenisset. Neque refert quòd priuati more scribat Rabanus in titulo, & in cursu epistolæ dicat, *vt audiui.* Non est enim cur à se scriptam dissimulet; imò hinc illi dignitatem auget, quòd ex Concilij præside, se facit secretarium. Quid quòd in quodam Canone Arausicano legimus, *non vt præiudicans quicquam*, tanquam solus de se loquatur Canonis conditor, qui sine dubio Synodi totius est. Et hoc ipso seculo Lupus Ferrariensis, Synodi apud Murittum congregatæ scribens epistolam, ad Ercanradum Parisiorum Episcoporum, *Crederem*, inquit, *me totius boni auctorem tam fructuoso promereri labore.* Sic igitur habet epistola.

Corbeiæ describatur epistola Synodalis.

Concil. Arausic. I. can. 2.

Lup. Ferrar. ep. 115.

Reuerentissimo fratri & consacerdoti Hincmaro Archiepiscopo, Rabanus seruus Christi, & seruorum eius in Domino salutem. NOTVM *sit vobis, quòd quidam gyrouagus Monachus, nomine Gothescalc, qui se asserit sacerdotem in vestra Parochia ordinatum, de Italia venit ad nos Moguntiam, nouas superstitiones, & noxiam doctrinam de Prædestinatione Dei introducens, & populos in errorem mittens; dicens quòd Prædestinatio Dei sicut in bono sit, ita & in malo: & tales sint in mundo quidam, qui propter Prædestinationem Dei, quæ eos cogat in mortem ire, non possint ab errore & peccato se corrigere: quasi Deus eos fecisset ab initio incorrigibiles esse, & pœnæ obnoxios in interitum ire. Hanc ergo opinionem nuper in Synodo apud Moguntiam habita, ab eo audientes, & incorrigibilem eum reperientes, annuente atque iubente piissimo Rege nostro Ludouico, decreuimus eum cum perniciosa sua doctrina, damnatum mittere ad vos, quatenus eum recludatis in vestra Parochia, vnde primùm inordinatè recessit; & non sinatis eum ampliùs errorem docere, & seducere populum Christianum: quia iam multos, vt audiui, seductos habet, & minùs deuotos erga suam salutem, qui dicunt. Quid mihi proderit laborare in seruitio Dei? quia si prædestinatus sum ad mortem, nunquam illam euadam; si autem malè egero, & prædestinatus sum ad vitam, sine vlla dubitatione ad requiem æternam vado. Hæc ergo paucis vobis scripsimus, intimantes qualem eius doctrinam reperimus. Vos etiam valebitis de ore*

Epistola Synodalis Rabani ad Hincmarũ.

eius quod sentit, pleniùs audire, & quid inde agendum sit iustè decernere. Dominus omnipotens sanctitatem vestram bene valentem, & pro nobis orantem in æternum conseruare dignetur.

Consideratur hoc initium Hincmari cum Gotteschalco acturi.

Hæc est Synodalis epistola, & initium literarij commercij, atque sacri fœderis, quod in Gotteschalcano bello Rabanum inter & Hincmarum percussum est. Hoc enim primùm aditu venit in notitiam Hincmari Gotteschalcus, ignotus ignoto, nunquam antea grauis & molestus: quem proinde alio nomine non potuit Hincmarus persequi, quàm quòd nocentem hæresim deponere noluit. Qui verò talis esse decreuerat, quid ab eo iudice sperare poterat indulgentiæ, qui aliquando Abbati Ludouico scripsit, *se nemini, neque sibi, vel proprio sanguini suo, contra diuina parcere iura. Qui contra flagitia veluti murus inexpugnabilis semper obstitit?* Ac fortasse hoc principio si zelo ad tempus recondito, plus olei in semineci vulnera pius Samaritanus infudisset, quàm vini, peruicacis animi duritiem aliqua ex parte molliuisset: aut, quod propius vero est, si quid de obstinatione remisisset Gotteschalcus, Monachus apud Archiepiscopum, inferior apud superiorem, reus apud iudicem, paternæ mansuetudinis viscera in eo foret expertus. Sed votis illis & diuinationibus omissis, epistola quædam nobis exhibet certiùs obseruanda.

Flodoard. l. 3. c. 24. & 30.

Obseruata quadam hac in epistola.

Primùm enim id discimus, nihil esse impositum seni Rabano de Gotteschalci doctrina, qui quod audiit à Notingo, quod ad Eberardum Comitem scripsit in Italiam, hoc ipse suis oculis vidit, & ex hæretici docentis, disputantis, obstinantis ore accepit. Deinde, nihil magis eadem in materia imponi ab eo potuisse Remensi; cui vlteriorem cognitionem nihilominùs integram reliquit, & apud hunc censendus non est mutasse Gotteschalcus, quod peruicaciter contra disceptante Rabano defenderat. Cùm autem habita illa cognitione, Remensis iudicium Moguntini sequutus sit in omnibus, atque per litteras ambo sic egerint semper, vt eam doctrinam & esse Gotteschalci intelligerent, & nota censoria dignam iudicarent, impium est cogitare, coniurasse illos in perniciem innocentis, vt falsa imponerent crimina, & iniquam Catholici ruinam potiùs quærerent, quàm hæretici pœnitentiam. Iam si Rabanus Hincmarum non fefellit, & quod experientia sua didicit, ad nos peruenit ab Hincmaro, quid est causæ cur nos in eo delusos putemus, & ab vtroque præsule veram Gotteschalci doctrinam posteritati traditam esse pernegemus? Cur iam olim studio contentionis calumniati sunt Lugdunenses, blasphemiam per Hincmarum Gotteschalco affingi potuisse? Habemus præterea, de sola Prædestinatione & libero arbitrio actum esse cum hæretico Moguntiæ: (Sunt enim paludes illæ, ex quibus aliarum opinationum sordes defluunt:) hanc verò doctrinam pro *noua, noxia, superstitiosa, perniciosa* fuisse damnatam: plurimos per eam in neglectum bonorum operum, salutis incuriam, & desperationem deuenisse, quod iam antea in Italia Eberardum, totidem penè verbis monuerat. Vlteriùs quod ad pœnam attinet, notamus in dando de Carcere consilio, non tam supplicium ergastuli, quàm silentij necessitatem esse quæsitam, ne sineretur errorem docere, & populum seducere. Id autem cùm & viua voce in familiari congressu, & scriptis vltro citróque litteris, fieri solitum esset à Monacho, prius optimè intellexit Hincmarus, cùm hominem Monasteriali custodiæ mancipauit, ne cum aliis communem vitam ducens, erroris sui faceret esse consortes: posteriùs non satis acutè prouidit & cauit, Rabano ipso reprehendente indulgentiam. Hinc illæ lacrymæ. Ad hæc, vt in opere pulcherrimo Rex partem haberet, adiunctam videmus episcopali auctoritati regiam potestatem, vt quod Ate illa pestifera corruperat, statim curaretur, & tranquillitas publica, procul amandato nouitatum satore conseruaretur. Denique, quòd negotium totum in Hincmari potestate esse, & ab Gotteschalco ipso doctrinam eius posse perdisci scribit Rabanus, non postulat retractari iudicium, tanquam à superiore tribunali, cùm subordinata non essent tribunalia, veténtque Canones Ecclesiæ, vnius Concilij causam ab alio Concilio, nisi maiore, recognosci, fuit autem sine dubio Carisiacum minus Moguntino; neque veretur ne quid temerè à se iudicatum sit, vt ab illo rem gerente maturiùs, corrigatur: Sed cum sciat Gallicanum antistitem sententia Moguntiæ lata non teneri, admonet vt iure suo vtatur in subditum, & sua ipsius potestate damnatum, castiget & reprimat. Nam si fauentem sibi Gotteschalcus Hincmarum reperisset, aut Rothadum, legitimos superiores, Rabanicos omnes iudices miro supercilio, ab eorum terris remotus, contempsisset.

Veram Gotteschalci doctrinam ex audiſtimus.

Eam esse nouam, & noxiam.

Silentio comprimendam.

Sacra & profana potestatis societas.

Rem defert Rabanus ad Hincmari iudicium.

His addo, iudicium istud adeò celebre extitisse, Rabanum Præsulem tantæ auctoritatis, eundem tam strenuè pro catholica sententia aduersùs hæreticum pugnasse, vt ex eo tempore Gotteschalcus ipse aduersarios suos omnes, Rabanicos appellarit, tanquam Rabani magistri discipulos & imitatores. Contemptim id quidem, sed non sine magna Rabani gloria, quem nobilissimo exercitui ducem calculo suo præfecit. Narrat hoc Amolo ex ipsius litteris, improbátque vehementer indignam in miseria peruicaciam. *Nam inter cetera, omnes qui insaniæ sensuum tuorum zelo fidei resistunt, hæreticos appellare non metuis, eósque à bono & erudito viro, atque Catholico Episcopo, Rabanicos nuncupare præsumis.* Furebat in eum hæreticus, cuius virtute, doctrina, auctoritate, claritudine obrutus fuerat, cui nihil par aut secundum habebat quod opponeret; cuius sententiæ sapientes omnes subscribebant. Quis enim tum dubitaret, iure damnatum Gotteschalcum, qui Rabano iudici visus esset hæreticus? Equidem victoriam istam cum pluribus Bonifacij Moguntini martyris triumphis comparandam existimo, vt mirum non sit, de prostrato Gotteschalco nobile in historia Moguntina erectum fuisse Rabano trophæum.

Gotteschalci in Rabanū furor.

Amolo ep. ad Gottesc.

Aduersarios vocat Rabanicos.

Serar. l. 1. histor. Mogunt. c. 33.

Habet & Dissertator suas in hanc epistolam obseruationes, quarum præcipua est, doctrinam, quæ dicitur Gotteschalci, hoc in Concilio damnatam, *non tantùm hæresim, sed horrendam blasphemiam esse,* iam olim in Arausicana Synodo proscriptam, & eam non nisi per calumniam imponi potuisse Gotteschalco, vt ex eius ipsius scriptis patet. Sed ea consideratio ad librum consequentem remittitur, quo vera Gotteschalci de Prædestinatione, déque aliis quæstionibus opi-

Alia quædā Dissertatoris obseruationes percurruntur.

Dissert. c. 6.

nio erit professa opera monstranda; interim ex obseruatione nostra prima, superiùs explicata, nostro iure rogare lectorem possumus, ne Rabanum mendacem, falsarium, impostorem, stupidum, innocentiæ oppressorem iniquissimum esse existimet, donec eius causa fuerit perorata. Leuius est de Hincmaro quod dicit, sed tot locis inculcatum, vt vno saltem explicari debeat. *Defenditur Hincmarus* Ex eo enim quòd in Synodo Moguntina de sola Prædestinatione, non etiam de pretio sanguinis Christi, & Dei voluntate ad omnes saluandos, interrogatus est Gotteschalcus, falsi arguit Remensem Archiepiscopum, vt qui Gotteschalco imposuerit, cum *de omnibus quæ per-* *Hincm. l. de præd. c. 1.* *uersè tunc temporis sensa cognouerat, quatuor sibi elegisse capitula.* Sic autem agit: ante Rabani epistolam ad Notingum, præter geminam præ- *Differt. c. 1. & 3.* destinationem nihil aliud disputauit Gotteschalcus, sed eius epistolæ occasione *alteras duas superaddidit quæstiones in libello suo, quem Rabano obtulit, nam ne tunc quidem cùm in Italiam progrederetur, cogitare potuis quid sibi negotij futurum esset cum Archiepiscopo Moguntino.* Falsò *Calumnia in Hincmarum.* igitur dixit Hincmarus, eum ab ineuntibus studiis, & in ipso adhuc Orbacensi Monasterio, quatuor sibi delegisse capitula. Quæ quoniam ipsa in se *doctrinam sanissimam & diuinam* continent, ob eorum reprehensionem *censura notatus à Lugdunensibus, dehinc abstinuit à tam ridicula obiectione, non tamen ab aliis sibi & sociis, quasi naturalibus versutiis.* *Ibid. c. 2.*

Refellitur. Verùm pro Hincmaro facilè potest responderi, non postulare eius orationem, vt Gotteschalcus à prima ætate, quæstiones omnes Theologicas, tanquam merces quasdam explorarit, & quatuor illas pro viatico secum abstulerit in Italiam; sed hoc velle, ingenij inquieti, & nouitatum amantis sciolum, aliis quæstionibus quæ suo tempore inter eruditos catholicos controuertebantur, neglectis, eas elegisse proposito suo magis conuenientes, per quas in opinionem doctrinæ, & iuuenculorum admirationem deueniret. Quod verum est, siue illas sibi delegerit adhuc in cœnobio constitutus, siue cùm gyrouagus prouincias circumcursabat; vel sua sponte, quia etiam & illæ placerent; vel occasione Rabani censoris, quia sibi nomen ex eius oppositione pararet. At illarum mentio nulla facta est in Synodo Moguntina. Quid inde colligis? Mentitum esse Hincmarum, cùm ait *quatuor elegisse capitula*, cùm tractatum sit vnicum? Vide quid aduersùm te moueas. Te enim narrante *alteras duas superaddidit quæstiones* ante Concilium, in Concilio non agitatas, ergo vel tua Chronologia fallit, vel Hincmarum falsi non conuincit. Quæ necessitas Concilij Moguntini Patres coëgit, omnia malè à Gotteschalco dicta examinare, cùm vnam de Prædestinatione thesim in Chartulam professionis ipse retulisset? De Carisiaco quid ais? Omnes quatuor quæstiones in illo cognitas? Id ego quidem inferiùs probabile faciam, tu non *Differt. c. 8.* agnoscis, & *doctrinam aliquantulum agitatam*, neque planè discussam, aut damnatam profiteris: certum tamen habes iam antea quæstiones illas fuisse superadditas. Ex eo igitur, quòd de illis Moguntiæ silentium fuit, mendacij non potest Hincmarus argui, quòd scripserit, nulla singulari addita temporis nota, Gotteschalcum capita quatuor elegisse. Addis post censuram Lugdunensium abstinuisse ab obiectione ridicula. Ostende propter censuram abstinuisse. Imò certò proba abstinuisse, quando librum de Prædestinatione iis refertum videmus. Nomina legem aut morem, qui scriptores cogat eadem vbique iisdem verbis enunciare.

Alia demum obseruatio, secunda ordine in *Alia in Hincmarū calumnia.* Dissertatione, per se leuissima, eundem Hincmarum tangit, & Hincmari fautorem S. Bertini Annalistam, à quibus fabulosa Gotteschalci peregrinatio in Pannoniam, Dalmatiam, & alias barbaras regiones gratis conficta est, eáque præclarè confutatur hac Rabani epistola, dicentis *Diluitur.* Gotteschalcum *de Italia venisse Moguntiam.* Quasi periodos noui istius Pauli, describere debuerit Rabanus, qui verbo vno *gyrouagum* appellauerat. Italiæ solius meminit, quia illum ibi dogmata noua ferentem per litteras compresserat; quò deinde abierit, superfluum est quærere, historiam non meditanti. Vis falsum æstimari quod tali silentio tegitur? Seruatus Lupus in hac Gotteschalci causa turbatam fuisse ait fidem *in Italia primùm, deinde in Gallia:* non igitur & in Germania. Trithemius Gotteschalcum ait *ex Remorum diœcesi aduenientem, seminasse errorem in Germania*, non igitur & in Italia. Potest ergo non esse fabulosa Gotteschalci peregrinatio, licèt eam tacuerit Rabanus; cùm ne in certissima quidem Christi Domini historia, omnia à singulis Euangelistis scribi requiramus, sed pleraque à ceteris omissa, verè tamen gesta esse, soli Ioanni credamus.

CAPVT XV.

Gotteschalcus ad Synodum Carisiacam priorem deducitur.



NÆ sibi Ecclesiæque Germanicæ præclarè consuluit Ludouicus, *Gotteschalcus transmissus in Galliam.* cùm eiecto turbine & tempestate, regno suo tranquillitatem peperit. Sed ille ipse turbo in Gallia versatus est, & commota tempestas, quando non eruditiorem, sed acutiorem; non clariorem, sed sonantiorem; non quæ meliùs disputaret, sed quæ magis vrgeret, Synodum reperit Gotteschalcus. Rosas calcauerat in Italia, leuiter punctus fuerat in Germania, totis vepribus & spinetis Gallia cruentauit.

Eò reductus Monachus Remos exhorruit, & *In Parochia Suessionensi receptus.* æqui rigidioris amantem Archiepiscopum, atque in lucro posuit in Episcopi sui sinum conuolare, nouitates non ex toto fastidientis. Nemo dixerit an Suessione apud Episcopum manserit, an Orbacum in vetus Monasterium redierit. Dissertator acuta diuinatione *sub manu & custo-* *Differt. c. 7.* *dia Hincmari perseuerasse* scribit, & in Rothadi potestate non fuisse. Quòd si opponis, vt modò dicendum erit, scripsisse Hincmarum Rothado *pro illo accipiendo & adducendo ad iudicium:* respondet *accipienda verba illa fictione manus breuis, quasi receperit & adduxerit Gotteschalcum*, quem reuera non vidit. Eadem confidentia scribuntur ista, nondum vlla in historia Gotteschalci audita, qua si ab omnibus omnium temporum historicis proclamata essent, contra

Flodoard. l. 3. hist. c. 21.

Flodoardi historiam, commemorantis Hincmari epistolas Rothado Suessionico scriptas, Synodales conuentus & ipsi fugitanti. Nam ad Concilium Caritiaci indictum profectionem parans, Rothado mandat, vt nonnullos è sua parochia de publicis criminibus accusatos ducat ad Synodum, absoluendos, vel publica pœnitentia mulctandos. *item pro recipiendo, & adducendo ad iudicium Gothescbalco, quem Domnus Rabanus ad diœcesim Remensem remiserat, qui profectus fuerat ex parochia Suessionica, scilicet Orbacensi Monasterio.* Si verba historici paulùm attentiùs considerantur, intelligemus Gotteschalcum, ab iis quorum custodiæ fuerat commissus, perductum fuisse, non ad parochiam, sed ad diœcesim Remensem; hoc est, ad Rothadum, non ad Hincmarum; ad locum vnde profectus fuerat, hoc est, ad parochiam Suessionensem, & fortasse ad Orbacense Monasterium, vnde *recipere* eum debuerit Rothadus, vt *adduceret ad iudicium*. Quamobrem absenti de absente scripsit Hincmarus; qui ridiculè sanè, neque sine Rothadi ipsius, hominis non amicissimi ludibrio, imperasset seriò ad se adduci, quem ipse in sua potestate semper habuisset.

Perductus ad veram Synodum Carisiacā.

Iam qui lepida ista sine vllius scriptoris auctoritate concinnat, vocatum ait Gotteschalcum *ad Placitum*, non ad Synodum: & R. P. Sirmondum incusat, *quod nullo auctore inter antiqua Concilia Galliæ retulerit anno* 848. Et incertum relinquit, an fuisse positum inter Concilia, an illo anno, an sine auctore reprehendat? Certè Chronologiæ hoc in rerum statu, tam paucis mensibus disiunctæ leuis est iactura: pro Concilij nomine & auctoritate pugnamus. Placitum fateor à Rege conuocatum, ad quod Prouinciæ duæ Remensis siue Belgica secunda, & Senonensis conuenerunt, vt ex earum Archiepiscopis patet, Hincmaro ipso narrante. *Quapropter ad Episcoporum eum præsentiam, qui tum regio mandato pro negotiis Regis apud Carisiacum accersiti erant; in præsentiam etiam Domini Wenilonis qui illuc conuenerat, perducere studui.* & iterum, *Postea à Belgicæ Remorum, ac Galliarum prouinciarum Episcopis auditus.* Sed Episcopi illi eò congregati Synodum faciebant, vt antè de Moguntina docebamus. Quare *Synodalem conuentum* vocat idem Hincmarus, & *à duobus Conciliis damnatum* ait, Moguntino videlicet & Carisiaco: Amolo Lugdunensis agnoscit *propter contumaciam, Episcopatus Concilij auctoritate damnatum*: agnoscit & Lugdunensis Epistolarius. Denique nemo iure queri potest, *nulli auctore inter antiqua Gallia Concilia referri.*

Hincm. ep. 37. ad Nic.

Idem l. de Præd. c. 2.

Amolo epist. ad Gotteschal.

Ex quibus præsulibus composita fuerit Synodus.

Qui verò Concilium istud composuerunt, omnes nosse nos voluit Hincmarus, & tres in ordines diuisit, Episcopos, illustres Clericos, & Abbates. De Hincmaro ipso qui primum possidet locum, quòd in eius prouincia, de eius subdito ageretur, nihil dico, amplissimæ præfationis memor. Vnum est quod hic rogatum te velim Lector, vt quæ de Hincmaro illustrissimo Præsulum apud eius temporis, & sequentium seculorum auctores legis, cum iis conferas quæ profunda *meditatione & collatione* inuenta, nouus Dissertator opere triplici spargit: quale istud est, *gloriæ cupidissimum à tribus annis in Archiepiscopum, nec saltem ætate maturum, regia potestate prouectum, non minimam sibi honoris occasionem fore arbitratum esse, si in causa qua plures Germaniæ Episcopos dubios habuerat, index præesset.* Nimirum Principum consiliarius, præcipuus regni administer, summis negotiis par, Pontificum & Imperatorum mutuis litteris & commendationibus honoratus, Episcoporum Gallicanorum doctissimus, ingenti & necessario cumulo gloriam suam augere ambiit, *miserabilem Monachum* virgis cædendo, & in carcerem compingendo, vt in triumphum, inter præclara facinora, Gotteschalcum inusitato spectaculo monachicè vapulantem duceret. *Egregiam verò laudem, & spolia ampla*: de expoliato & excoriato dorso cerebrosi vnius hæretici; & quidem *nomine & auctoritate Regis* ne quis de summa eius potentia dubitaret. Archiepiscopus alter Wenilo Senonensis, rerum vsu, & frequentibus Conciliis, quibus interfuisse legitur, tanquam sui temporis Osius, venerabilior est, quàm scriptis. Eum tamen salutat Prudentius, *Inter Pastores Christi eminentem vita, doctrinaque eximietate clarissimum.* Lupus autem Ferrariensis ad eum scribens. *Summa veneratione colendum*, *insignem præsulem* vocat, & *insignem* eius *prudentiam* laudans obsecrat.

Hincm. l. de præd. c. 2.

Dissert. c. 7. cit.

Prud. epist. ad Guenil.

Lupus Ferrar. ep. 31. & 73.

Episcoporū nomina.

Sequuntur in Hincmari catalogo Episcopi: Folcoinus Morinensium, qui paulò pòst à Carolo Rege delectus est ad visitandas cum aliis prouincias. Theudericus Camaracensium, qui restitutionem Ebbonis in sedem Remensem libello ad Concilium restituentium Episcoporum misso, approbauerat: estque vnicus absentium Episcoporum libellus, qui recitetur in narratione Clericorum Remensium, aduersùs Hincmarum litigantium. Rothadus Suessionensis, ex ipsius Hincmari scriptis & actis perquàm notus, proprius Gotteschalci Episcopus, quem vt suprà vidimus, monente Hincmaro deduxit ad Synodum. Ragenarius Ambianensium, qui Wenilonis iunioris Rothomagensium postea Archiepiscopi pater, hoc est, Episcopus, Doctor & Magister inferiùs dicitur. S. Immo Nouiomagensiū, qui aliis Conciliis non infrequenter subscriptus legitur. Eum *sanctitatis merito sincerè suscipiendum* salutat Lupus Ferrariensis, cum eo magna, vt videtur, familiaritate coniunctus; qui & ab incursantibus Nortmannis captus & occisus, martyrij titulo decoratur. Erpoinus Syluanectensium, qui Synodo Vermeriensi subscripsit, & Ebbonis restitutionem, cum Lupo Catalaunensi qui sequitur, celebrauit, tum solus, cum Rothado, superstes eorum qui Hincmarum ordinauerant. Yrminfridus, siue Hermenfredus Beluacensis, & ipse pluribus in Conciliis nominatus. Pardulus Laudunensium, Herculis Theseus, hoc est, Hincmari socius & commilito, administer, omnia: quem deinde in Suessionensi II. Hincmarus cum Archiepiscopis duobus, Wenilone nostro, & Amalrico Turonensi iudicem suum nominauit. Teutboldus prouinciæ Lugdunensium, & Lingonicæ ciuitatis, & ipse in Vermeriensi Concilio subscriptus. Quem alterius & Prouinciæ, & Regni Episcopum, mirum est in his Synodis reperiri. Certè cùm Synodum Lingonensem, Carisiacæ alteri non penitùs æquam, respui videbimus in Tullensi, oculos reflectere poterimus ad eius vrbis Episcopum, Hincmarianis partibus ab initio addictum.

Habetur Tom. 2. hist. Franc. script.

Lupus Ferrar. ep. 41.

Gernobius denique Turonicæ Prouinciæ, quem sine dubio ad Comitatum priuata negotia adduxerant.

Alij illustres Clerici.

Secundus ordo eorum est, qui absque Episcopali consecratione, insignem dignitatis locum tunc obtinebant, vt Chorepiscopi, & qui deinde ad diuersos Episcopatus euecti sunt. Rigboldus igitur Remorum Chorepiscopus, ille Gotteschalci ordinator, inter ceteros eius iudices sedit; cum Witao Camaracensium item Chorepiscopo. Wenilo autem iunior, qui postea Rothomagensium Archiepiscopus, Ragenarium supradictum secutus est, quem deinde Carolus Caluus aduersùs Wenilonem Senonensem, in causa sua iudicem elegit, cum aliis tribus Archiepiscopis. Æneas Notarius sacri Palatij, qui aliquantò pòst, laudatus, & postulatus à Clero Parisiensi, in locum Ercamradi defuncti, ab eodem Wenilone Senonensi consecratus est Parisiacæ vrbis Episcopus, vir Carolo Regi, & bonis omnibus apprimè carus, & in pluribus postea Conciliis frequentissimus. Isaac denique tum Laudunensis Diaconus, deinde Lingonensis Episcopus, canonibus suis notus, sed illustrior sanctitate, qua Boni, siue Pij cognomen commeritus est.

Abbatesqui Concilio interfuerunt.

Tertium ordinem faciunt apud Hincmarum Abbates, Ratbertus Corbeiæ, illustris ille scriptor, & primus Sacramentariorum impugnator, *non minus vita, quàm scientia venerandus*, inquit Trithemius. Vt non mireris Ratramni Abbatem quæstionem de Prædestinatione neutram in partem attigisse, defendendo augustissimo altaris sacramento laudabiliter occupatum. Et diuinabit fortasse aliquis, secretum illud, quod ad eum scribens Lupus Ferrariensis *litteris comprehendere tutum non putat, tam autem est cognitu necessarium, vt quàm poterit celeriùs prætenta qualibet alia vtilitate, ad colloquium occurrere inuitet*; ad negotium Ratramni & Gotteschalci pertinere. Sequitur Bauo Orbacensis, quo ex Monasterio Gotteschalcus olim *irregulariter & inordinatè discessit*, atque adeò legitimus eius superior, cum iudiciaria potestate. Halduinus denique Altiuillarensium Abbatum celeberrimus, quo Monasterium regente Teugisus Monachus & Presbyter ex Romana peregrinatione S. Helenæ Augustæ, & aliorum Sanctorum reliquias, tanquam aureum vellus attulit: & erat tum Ecclesia Remensis, ait eius translationis narratio, *absque Episcopali benedictione*, hoc est, absque Archiepiscopo, sub Fulcone vel Nothone œconomis, eo decennio quod inter Ebbonis depositionem, & Hincmari ordinationem interiacet. Quo & ipse Halduinus Caroli Regis iussu à Lupo Catalaunensi Episcopo Presbyter & Abbas ordinatus est, vt olim dicebamus, neque tacet Flodoardus. Hincmaro verò postea translationem S. Remigij celebrante, præsens ipse interfuit, vt vel hinc videamus, Hincmaro fuisse semper beneuolentia coniunctum. Halduino defuncto nemo legitur successisse, neque Altuillarensis Abbas vllus nominatur ante Norgaudum anno 1040. electum, qui sub Leone nono Remensi Concilio adfuit, anno dominico 1049. Est autem verosimile tum temporis susceptam loci curam ab Archiepiscopis Remensibus, eius in S. Niuardi persona fundatoribus. Eum verò semper ratione quadam peculiari obnoxium fuisse Archiepiscopo, ex ipso Hincmaro apparet, qui epistola ad Egilonem Altumuillare Cœnobium *Cellam suam* vocat, & ab Anselmo Monacho res personásque Monasterij ita fideliter describi præcipit, *vt missi dominici nihil ibi falsum possint inuenire*. Altmannum quoque Monachum de ambitu accusatum ad Monasterium suum Altumuillarense redire imperat, *vbi lectioni & orationi, deflendo delicta iuuentutis suæ vacare procuret*. Quæ qui meminerit, non mirabitur inferiùs Gotteschalco carcerem hoc in Monasterio fuisse delectum. Neque fuit omittendus in Historia Hincmari nominatissimus Wlfadus, Remorum Metropolis œconomus, qui ab eodem Hincmaro gradu deiectus, Nicolai Pontificis auctoritate restitutus est, ac deinde iubente Carolo Rege Bituricensi Ecclesiæ præfectus, quòd eum Rex esset expertus in educatione Carlomanni filij *& ingenio strenuum, & moribus probum, & sibi in omnibus fidelissimum*. Agmen claudit Rodoaldus Archidiaconus, putà Remensis eiusdem Ecclesiæ, *cum aliis sequentibus Cleri ordinibus*: quibus admixtos fuisse Monachos, Abbatum suorum comites, res ipsa loquitur, & aliquo loco historia exigit.

Trithem. l. de viris illustr.

Lupus Ferrar. ep. 57.

Halduinus celebris Abbas.

Theogisum vocat Trithem. Chron Hirsaug. ann. 849.

Flodoard. l. 3. c. 11.

Altiuillarense Monasterium.

Hincm. epist. 24. ad Egil.

Flodoard. l. 3. c. 28.

Epist. Caroli Calui ad Nicol. in Concil. Tricass.

CAPVT XVI.

Gotteschalcus in ea Synodo auditus condemnatur.

ITAQVE ad sanctum illud & eruditum tribunal sistitur Gotteschalcus, manu libellum, fronte impudentiam, lingua maledicentiam præferens, hæreticus cataphractus. Erat libellus, fidei professio, vt priùs in Moguntino, farrago fragmentorum ex Augustino & Patribus excerptorum, quibus opiniones suas fulcire conabatur: impudentia & maledicentia, vltimum propugnaculum, quò se reciperet ab aliis deiectus, qui salutem oblatam respuere, & sine missione certare obfirmato animo destinauerat. Qui libellum hunc ait *exemplar eius fuisse, quem in Rabanum scripserat* (scribit Hincmarus, *ad Rabanum*) *ex quo Hincmarus exscripsit fragmenta in opere de Prædestinatione*, planè diuinat, & quanquam minimùm interest id negare, tamen *nullo auctore* dici non patior. Quibus de rebus cum reo sit actum, parebit facilè consideranti, aliam penitus esse iudicij istius, & superioris Moguntini conditionem. Hoc enim Germani tantùm egerunt, ne perniciosa doctrina ab externo homine in regnum & prouincias suas illata, rectam suorum fidem, & salutis studium corrumperet. Quamobrem satis habuerunt doctrinam damnare vt hæreticam, & hominem cum suis deliriis eiicere, nunquam reuersurum; addito ad demensum consilio, priùs vt coërceretur carcere, quàm noxium semen latiùs spargeret; quod caput, sententiam iuridicam non esse monstrauimus, neque supplicij quicquam in eum fuisse decretum. Hic autem coram veris & legitimis iudicibus suis sistitur Gotteschalcus, Archiepiscopo, Episcopo, Abbate, Rege, quo-

Gotteschalcus auditur in Synodo.

Dissert. c. 9.

rum singulis pro modo suo ius est in repertum nocentem animaduertendi; quibus proinde non doctrinam modò, verùm etiam vitam moréſque ſuos præſtare debet. Itaque rogari oportuit à iudicibus, de dubiis articulis, de inordinato diſceſſu à monaſterio, de gradu ſacerdotij contra Eccleſiaſticas regulas vſurpato, de ſparſis per Italiam & Germaniam in fide nouitatibus, de Doctoris officio abſque legitima miſſione, contra Monaſticam profeſſionem aſſumpto. Iuſſus eſt eam exponere doctrinam quæ Synodali Germanorum epiſtola continetur; quam ob cauſam expulſus eſt, & dignus cuſtodia iudicatus. Habitam enim vtriuſque capitis cognitionem docet & iudicum ſententia, & ſecutus carcer, & ratio ipſa, quæ ſubditum tot legum violatarum accuſatum, peruerſi dogmatis introductorem alibi iam deprehenſum, coram audiri poſtulabat.

De capitibus doctrinæ interrogatur

Ductum videtur à moribus quæſtionis initium, iiſque breuiùs tractatis, quoniam facto continebantur, ad canones Eccleſiaſticos, & ad regulas Monaſticas facilè exigendo, quod in clauſtro commodiùs actum foret: plus laboris & otij poſitum in doctrina, per ſe non explicatiſſima, & verſipellis hæretici artibus impeditiore. Quis enim dubitet reſpondiſſe quæ ad ſtabiliendam cadentis cauſæ imbecillitatem facere poterant, Auguſtini dicta detruncata ſine reſpiratione aliqua memoriter decantaſſe, libellum obtuliſſe iis ad vmbilicos refertum? Ac fuiſſe propoſitas quæſtiones omnes quatuor, habemus in epiſtola ad Lugdunenſes ſcripta, *De aliis verò ſententiis, quas & antea prædicaſſe, & tunc in Synodo propoſuiſſe, nec vllatenus mutare voluiſſe firmatur, ignoſcat nobis vnuſquiſque Lector.* &c. Nec audet ex toto negare Diſſertator, ſed tantùm ait *Doctrinam de prædeſtinatione, & reliquis capitulis non fuiſſe notatam, nec aliter reprobatam.* Cuius dicti veritas ex iis quæ narranda ſunt, innoteſcet. Alibi quoque monet Hincmarus, contra Chryſoſtomum declamatum eſſe à Gotteſchalco, *Quem magnum virum in Synodo, & etiam in ſuis ſcriptis Gotteſchalcus reprobus reprehendit.* Fuit ergo eius auctoritas propoſita, igitur de quæſtionibus Theologicis diſputatum. Nam hęc omnia priùs expendi ſeriò & diligenter oportuit, quàm certi quicquam in alteram partē definiretur. Idque ita factum Hincmarus Laudunenſem nepotem expreſsè docet, eius calumniam in mores hæreticorum reiiciens. *Quod de me dicere diceris, Gotteſchalcus hoc de ſcripturis facere conſueuit, illas ſcilicet detruncare, & ad ſuum ſenſum violenter inflectere: ſed & ea quæ in canonicis libris non continentur, auditoribus ſuis proferre, ſicut & ſupra priſcos hæreticos facere conſueuiſſe oſtendi. Et quoniam hæc egiſſe Gotteſchalcus in conuentu Epiſcopali reuictus fuit, idem Concilium, ſicut ſcriptum eſt, qui imponit ſtulto ſilentium, iras mitigat, ſilentium ei impoſuit.* Eodem alludit Ioannes Scotus, qui licèt vnius de Prædeſtinatione quæſtionis meminerit, acriter tamen cum illo diſceptatum, eúmque de gradu deiectum obiicit; eique narrationi aduerſariorum nemo refragatur. *Duas prædeſtinationes & aſſerere cœpiſti mendosè incautus* apud Rabanum, *& defendere contumelioſè ſudaſti ſuperbus,* in Synodo Cariſiacenſi, *& modica conuictus auctoritate fugiſti, & aperiſſima veritate proſtratus occubuiſti. occumbendo ſiluiſti. ſilendo poſteriora prioribus peiora excogitaſti,* ſcribens in carcere, contra interdictum. Aderant inter ceteros Hincmarus, & Paſchaſius Ratbertus, à quibus vehementibus & aculeatis interrogationibus vrgeretur, viri & ardore zeli, & Theologica eruditione præſtantes.

Eccleſ. Lugdun. l. de 3. epiſt.

Diſſert. c. 10

Hincm. l. de prædeſt. c. 16.

Hincm. l. 55 cap. c. 43.

Ioan. Scot. l. de vn. prædeſt. c. 3.

Iudicem conuiciis impetit.

Dum premitur vaniloquus, dum veritas eminere incipit, dum genuina Patrum, & Auguſtini dicta, mens Catholica, pleni loci proferuntur, iam ſubſidente mendacio, & ringente hæreſi, furor ex deſperatione vincendi Hincmarum, adhuc recentem ſatis è Monaſterio, Bauonem ingenio & ſcientia parum celebrem, coram Monachis Orbacenſibus contubernalibus olim ſuis, aut Corbeienſibus Ratramno inſultaturis, certa & pertinax conſiſtendi in priuatis opinionibus obſtinatio, ſuperbia, innatum hæreticis malum, homini ad extremum conuicia & effrenem impudentiam ſuggerunt. Sic enim ſcribens ad Eccleſias Hincmarus. *Multis audientibus nihil dignum ratione vel dixit, vel interrogatus reſpondit: ſed vt arreptitius, cùm quid rationabiliter reſponderet non habuit, in contumelias ſingulorum prorupit.* Hic enimverò de repente occupat Abbates & Monachos, regulari vindictæ aſſuetos, indignatio; exclamant frenum petulanti linguæ iniiciendum, virgas ex regula S. Benedicti expediendas vrgent. Addunt alij, ac fortaſſe Hincmarus, cui ad manum Canones, illud ipſum in Clericos abſque licentia & litteris Epiſcopi ambulantes, in Agathenſi Concilio decretum, cuius etiam culpæ reus eſt Gotteſchalcus. *Et propter impudentiſſimam inſolentiam ſuam, per regulam S. Benedicti à Monachorum Abbatibus, vel ceteris Monachis dignus flagello adiudicatus.* Quas hoc loco partes egerint Monachi, erit inferiùs cum Lugdunenſibus quærendum; modò primæ huius condemnationis, qua peruerſi Monachi vita moréſque corriguntur, regulæ ſunt aperiendæ.

Hincm. epiſt. ad Eccleſ. Lugdun. apud l. de 3. epiſt. c. 24.

Eam ob cauſam damnatur ad virgas.

Nam Canon Agathenſis Concilij, poſtquam verbera decreuit in Clericos malè ambulantes, addit, *In Monachis quoque par ſententia forma ſeruetur: quos ſi verborum increpatio non emendauerit, etiam verberibus ſtatuimus coërceri.* Benedictinam verò regulam optimo iure aduocant Monachi, aduersùs Monachum pluribus in eam modis incurrentem. Hincmarus ad hoc iudicium manifeſtè alludens, eam ſic laudat, poſt Agathenſem Canonem productum. *Quod & ſancta regula eodem Spiritu ſancto, quo & ſacri Canones in venerandis Conciliis, per os Beati Benedicti promulgata, ſecundo capitulo iubet, indiſciplinatos ſcilicet & inquietos duriùs arguere, & improbos, & duros, ac ſuperbos, vel inobedientes, verberum vel corporis caſtigatione, in ipſo initio peccati coërcere: ſicut ſcriptum eſt, Stultus verbis non corrigitur: Et, Percute filium tuum virga, & liberabis animam eius à morte.* Sed & alia poſſint opponi capitula, quorum violatam auctoritatem ſarcire debeat. Nam frequenter admonitus, & à Concilio Moguntino dignus carcere iudicatus, cui ſolet adiungi excommunicatio, non reſipuit. *Si quis frater* (ait regula) *frequenter correptus pro qualibet culpa, ſi etiam excommunicatus non emendauerit, acrior ei accedat correctio, id eſt, vt verberum vindicta in eum procedat.* Monaſterij iugum excuſſit filius Belial, & clauſtro egreſſus, inuito Abbate,

Concil. Agath. Can. 38.

Hincm. l. de non Trina Deit. c. 1

Reg. S. Bened. c. 28.

per Italiam, barbaras regiones, & Germaniam vagatus est, litteris Synodalibus *gyrouagus* appellatus. *Similiter & qui præsumpserit claustra egredi Monasterij, vel quocunque ire, vel quippiam quamuis paruum, sine iussione Abbatis facere, vindictæ regulari subiaceat.* Episcopos iudices suos, & cum iis Abbatem suum, contumacia læsit, & conuiciis, & se noluit recognoscere, vel aliquo modo humiliare profusus, vt epistola Hincmari superiùs citata narratur. *Quòd si quis contentiosus reperitur, corripiatur. Si quis autem frater pro quauis minima causa ab Abbate, vel à quocunque Priore suo corripitur*, &c. *Mox sine mora, tamdiu prostratus in terra ante pedes eius iaceat, satisfaciens, vsque dum benedictione sanetur illa commotio. Quod si quis contempserit facere, aut corporali vindictæ subiaceat, aut si contumax fuerit, de Monasterio expellatur.* Quibus omnibus expensis, quis iniuriam putet homini factam, quando *propter impudentissimam insolentiam suam, per regulam S. Benedicti à Monachorum Abbatibus, vel ceteris Monachis dignus flagello adiudicatus est?*

Ibid. c. 67.

Ibid. c. 71.

Defenditur hæc pars iudicij aduersùs Dissertatorem. c. 9.

Alia omnia videntur Dissertatori clementissimo, cui verbera illa, æquè penè vt ipsi Gotteschalco, putes dolere. *Nec leges*, inquit, *nec Agathenses Canones, nec regula S. Benedicti, nec aliæ quælibet constitutiones quadragenarium Sacerdotem flagris adiudicant.* Quapropter Hincmarus ipse immanitatem illam Monachorum, non Episcoporum & Ecclesiæ iudicio assignat; *quod ab Ecclesia Lugdunensi quasi absurditatibus plenum reprobatum est.* Sed & in epistola ad Nicolaum Papam, puduit Hincmarum ipsum *verbera & depositionem referre, & ex tribus illis pœnis solius reclusionis meminit, & hæc ad durissima verbera damnatio piorum omnium aures offendit.* Constat hæc obiectio multis capitibus perquàm leuibus. Nam vt ab vltimo incipiam, apud Nicolaum egit Hincmarus de reclusione sola, quia eius solius rationem exigebat à Diacono Luidone, vt suo loco dicetur. At non ita erubuit *ea verbera referre*, vt libro vnico bis commemorarit, & Ecclesiæ Lugdunensi narrarit ingenuè. Huic verò Ecclesiæ hac de re satisfaciemus alio capite, non supplicij naturam, sed eius indicendi & exigendi modum reprehendenti. De primo igitur capite dicendum modò, & admiranda in primis acutissimi Dissertatoris solertia, qui opere ineunte, *nullo auctore*, sola sua *meditatione & collatione* præuia, Chronologiam ita concinnauit, vt Gotteschalcum anno 848. quo ad eum scripsit Walafridus Strabo, *maiorem quadragenario* esse dixerit. Equidem cùm id primùm legi tam accuratè expressum, nesciebam eò prouidentiam historici Chronologi tendere, vt anno 849. iniustè virgis cæsus fuisse diceretur, quia id in quadragenarium non licet. Atque hoc indignior est illa verberatio, quòd ei præsedit *Hincmarus à tribus annis ex Monacho Archiepiscopus, nec saltem ætate maturus*: qui iam olim à Ludouico Pio Augusto ad arcana consilia totos octo annos fuerat admotus, adolescens scilicet, aut puer inuestis: quem eximiæ reformationis in Monasterio suo & suasorem, & ducem primum extitisse vidimus, cui vel eam ob rem, si maturitas ætatis defuit, virtutis senium non potest denegari. Malè autem sit illis *Abbatibus & ceteris monachis*, qui similem sui cùm ad virgas poscerent, aut non animaduerterunt esse illum *quadragenario maiorem*, atque adeo extra iactum virgarum: aut regulam suam etiam ad maiores quadragenariis extendi malè iudicarunt. Erat tamen tum apud eos regulæ vsus interpres, & sciebant alio loco de pueris acriter verberandis agere S. Benedictum; productis autem regulis infinitè, nullo ætatis aut ordinis respectu dici, *si quis frater: qui præsumpserit*, & similia. Narrat vita Rabani, Adelhardo dispensatori domus violentas manus à piis defunctorum manibus iniectas, quòd parciùs quàm Abbatis voluntas ferret, eleemosynas erogaret: *Consurgunt mox impetuosè*, ait Trithemius, *hominum defunctorum terribiles vmbræ, prostratumque nimio pauore videntes, indumentis virtute occulta spoliant, & dorso, non solùm vt nobis est consuetudo castigandis, nudato, sed insuper toto corpore miserum cædunt, sensibiliter virgis verberant, percutiunt, horribili vocis imagine consonantes.* Quæ autem patientiæ Gotteschalci par oratio potest inueniri, qui damnatus ad flagella, vir sacerdos & quadragenarius, leges, canones, regulam, consuetudinem non appellauit contra *inhumanitatem Hincmari*, & Monachorum iniustitiam, decernentium aduersùs sacerdotem quadragenarium, quod in solos pueros constitui credit, ignarus disciplinæ monasticæ Dissertator. Et Paulus quidem iam vinctus, iam flagellatus, Ciuem se Romanum esse contestatus est, & iudicum suorum iniquitatem publicauit: Gotteschalcus autem spirans constantiæ simulacrum, tam indignè & acerbè, tam contra leges & regulam pulsatus, de iniuria illi ætati contumeliosissima nullo vnquam verbo questus reperitur. *Nec leges*, inquit, *nec canones Agathenses quadragenarium Sacerdotem flagris adiudicant.* An etiam eximunt? ést-ne lex aut regula pro scapulis, quæ sacerdotem quadragenarium, vt olim ciuem Romanum, virgis cædi prohibeat?

Hincm. l. de non trina Deit. c. 1. & vlt.

Dissert. c. 1.

Trithem. l. 2. vitæ Rabani.

CAPVT XVII.

Sententia in Gotteschalcum lata, & eius executio in Synodo facta, ab æmulorum, præsertim Lugdunensium, calumniis vindicatur.

SIc orando causam, seipse damnabat pessimus aduocatus. Lite contestata, & reo vltra clepsydras audito, Hincmarus cum Concilio loquutus, sententiam pronunciat, hominémque condemnat hæreseos, & morum improborum. Dictantur pœnæ criminibus conuenientes, vtrisque, depositio & excommunicatio; hæresi præterea, carcer & silentium; improbitati virgæ: quæ tamen omnia verbo vno, & retractationis libello redimere liceret. Videntur omnes in eandem sententiam pedibus iuisse, neque de Carisiaca, quod de Moguntina Synodo, dici potuisse, *vt plurimis visum est*: patribus omnibus *impudentissimam insolentiam* Monachi indignè ferentibus. Verùm omnem eius inuidiam refun-

Sententia in Gotteschalcum ab omnibus lata.

Dissert. c. 9. dit Dissertator in vnum Hincmarum, quem præter ceteros amore Gotteschalci acerbissimè persequitur; illam ait *inimica ipsius Hincmari lingua dictatam, aspera manu exceptam, & calamo felle tincto scriptam, non tam seueritate, quàm sæuitia & inhumanitate vsurpatam.* Quæ amplificatio probabilior erit, cùm sæuitiæ illius causam declamator (neque enim historicus) aliam monstrabit præter hæresim & pertinaciam rei; cùm præcedentes simultates, offensiones, minas interiectas in *meditatione & collatione* reperit; cum certis auctoribus, non diuinatione, & coniectura probauerit, non omnia sententiæ capita fuisse à iudicibus dictata, sed ab Hincmaro per Pharaonicam crudelitatem addita. Eius ergo sententiæ, sæpius iam editæ, tenor hic est, & iste titulus.

Titulus sententia præfixus.

Ecclesiastica sententia in pertinacissimum Gotteschalcum, propter incorrigibilem obstinationem illius, in Synodo apud Carisiacum habita, à XII. Episcopis Ecclesiastico vigore prolata. Hæc inscriptio recentis notæ non est, sed ex *antiquis schedis à Nicolao Camuzatio missa* ad eum qui primus edidit, Sirmondum, in Notis ad hoc ipsum Concilium: vt in primis intelligamus, iam ab antiquo Gotteschalcum *pertinacissimum, incorrigibilem, obstinatum* fuisse agnitum: & cum titulum ab eius manu acceptum esse, qui Prudentium Hincmari Theologiæ non fauentem, in Episcoporum Tricassinorum catalogo inter Sanctos refert; cum proinde Gotteschalci opinionibus non adhæsisse fateri debet. Deinde, sententiam illam discimus, non à Monachis vlla ex parte, sed totam ab Episcopis latam; cùm definitiuo suffragio in Conciliis prædití non sint Monachi, sed Episcopi soli Ecclesiæ Principes, & ex eiusdem Ecclesiæ priuilegio, Abbates, quod expressiùs infra repetetur. Præterea, *Ecclesiasticum* in ea *vigorem* laudari, quasi Arius aliquis, aut Eutyches magna factione metuendus in generali aliqua Synodo damnatus sit. Quod referendum videtur ad multiplicis supplicij acerbitatem, cui similem certè ante hæc tempora in historia Ecclesiastica ægrè reperies: vt præteritorum seculorum hæreticis deteriorem oporteat fuisse Gotteschalcum, cuius adeò seuera condemnatio, non rigoris, sed *vigoris* effectus sit. Quis etiam non sentiat præsentem & oculis subiectam impudentiam, exemplo præteriti carentem, zeli asperiùs excitandi potentem fuisse? Denique, quòd ab Episcopis duodecim lata dicitur, sunt autem ex Hincmaro tredecim antea commemorati, leuis momenti est, cùm facile fuerit mendum in numeri notam irrepere: aut si vis, Teurboldi Lingonensis, qui ad Regnum Caroli Calui non pertinebat, sententia potuerit non numerari, licèt eo præsente sit peractum iudicium. Audiamus sententiam.

Tom. 3. Concil. Gallic. in Notis.

Synodi sententia in Gotteschalcum.

Frater Gothescalc, sacrosanctum sacerdotalis mysterij officium, quod irregulariter vsurpasti, & in cunctis moribus, ac prauis actibus, atque peruersis doctrinis eo hactenus abuti non pertimuisti, iudicio Spiritus sancti, cuius munus est sacerdotale officium, per virtutem sanguinis Domini nostri Iesu Christi, noueris tibi esse, si quo modo suscepisti, sublatum, & ne vlterius eo fungi præsumas, interdictum. Insuper quia & Ecclesiastica & ciuilia negotia, contra propositum, & nomen Monachi perturbare contemnens, iura Ecclesiastica præsumpsisti, durissimis verberibus te castigari, & secundum Ecclesiasticas regulas ergastulo retrudi auctoritate Episcopali decernimus. Et vt de cetero doctrinale tibi officium vsurpare non præsumas, perpetuum silentium ori tuo virtute æterni Verbi imponimus.

Implexa est, & obscura hæc sententia, cui lumen aliunde priùs accersendum est, quàm enucleatiùs tractetur. Hincmarus qui eam negari non potest animo perfectissimè comprehensam habuisse, ad illam manifestè respectans, & in Gotteschalcum ipsum scribens, libro de non Trina Deitate, sic loquitur. *Ipse verò pseudo-Monachus, vel alius, hoc vel alio aliquo modo fidei sinceræ adulterator, & apertus hæreticus*, &c. *Qui talia contra Canones sacros præsumit, si gradum Ecclesiasticum videtur habere, eo priuari, vel ab Ecclesiastica communione separari est dignus. Secundum regulam autem sancti Benedicti, improbus, durus, & superbus, vel inobediens, verberum, vel corporis castigatione, non solum in sua pertinacia permanens,* (non iubet expectari regula, vt sæpe monitus in malo animi proposito contumaciter persistat,) *sed & in ipso initio peccati, est coercendus, & à sanis Christi membris censura Ecclesiastica segregandus, ne vna ouis ineuitabili morbo languida, totum gregem contaminet.* Quantò ergo iustiùs illud supplicij genus decernendum fuit in Gotteschalcum, qui in Synodo Moguntina visus est *incorrigibilis*, & in errore *pertinacissimus*: in Carisiaca autem *impudentissima insolentia*, contumeliosus in iudices? Alio eiusdem libri loco importunitate Gotteschalci discipulorum fatigatus, edicit & minatur Archiepiscopali auctoritate, si quis vllum errorem, eorum *pro quibus contra Catholicam fidem, & doctrinam B. Augustini, & contra decreta sancti Cælestini Papæ, contráque ceterorum orthodoxorum traditionem sentiens condemnatus est Gotteschalcus, sequi, & deinceps dogmatizare, & irreuerentiùs in sua obstinatione permanere præsumpserit, vindictæ canonicæ subdendum.* Et post aliqua de obedientia prælatis debita, rediens ad eos qui *pestilentissimè, pertinaciter, & ex studio* fidei decreta *violant atque conuellunt*, quia *ignoranter non valent offendere: Si per contemptum*, inquit, *deinceps offenderint, quod dicimus satis inuiti, quem non correxerint verba, suscipient verbera, & cum gradus priuatione, atque corporis & sanguinis Christi separatione, vt Gotteschalcus pertinacissimus damnatus est, condemnabitur exilij, vel ergastuli relegatione, quatenus cum eo habeat partem, cuius sequi delegit errorem. Sed & regula sanctæ professionis Monachorum, capitulo vicesimo sexto decernit, vt talibus se quolibet modo inconsultè coniungens, sortiatur excommunicationis vindictam.*

Explicatur.

Hincm. l. de non trina Deit. c. vlt.

vel, coniungit hoc loco, vt ex sequentibus patet.

Ibid. c. 2.

Ex his collectè consideratis, luce meridiana clarius est hæreseos, & improbitatis ergò damnatum fuisse Gotteschalcum: & hæreses quidem singulas in Concilio expensas, & proscriptas esse, quæ tamen sententia non exprimuntur, quas & nos breuitatis causa describere prætermisimus, alio loco referendas: Patribus generale nomen *doctrinarum peruersarum* vsurpare contentis, & eum deinceps pro *fidei sinceræ adulteratore, & aperto hæretico* habentibus. Morum quoque peruersitatem communi primùm

Quæ condemnationis causa sententia continentur.

nomine, *in cunctis moribus ac prauis actibus* comprehensam esse; sed tria deinde capita singillatim appellata, quia Ecclesiasticæ Hierarchiæ ordinem magnopere perturbabant, & pessimi erant in publicum exempli. Nimirum, sacerdotale ministerium irregulariter vsurpatum: Ecclesiastica & ciuilia negotia perturbata: & Doctoris officium, contra Monachi propositum, propria auctoritate, & nullius prælati missione præsumptum. Citata verò sancti Benedicti regula *superbum, inobedientem, pertinacem* significari, verbo vno *improbum*. Quamobrem qui docet Amplissimus Dissertator, non fuisse damnatam ea sententia doctrinam Gotteschalci, hoc est, hæreses & errores: omnia quæ conuiciatur Hincmarus de eius mente ferina, ordinum susceptione inscio Rothado, irregulari discessu à Monasterio, peregrinatione in barbaras regiones, contumeliis in Episcopos iactis, & plura eiuscemodi, *commenta penitùs esse, ab æquo iudice reiicienda & exhorrenda*, quia sententia non traduntur expressè, & *causam condemnationis extra sententiam ipsam quærere, prorsus iniquum est:* hæc inquam qui docet & asserit, neque sententiam expendit accuratè, quæ præcipua exprimit: neque monstrare potest, aut cetera ad formulam communem, *in cunctis moribus ac prauis actibus*, non referri: aut in iudiciali sententia satis non esse, si grauissima crimina, quæ maximè supplicium merentur, expressa sint: verùm etiam vlteriùs requiri, vt tota rei vnius & damnati vita specialiter explicetur; aliàs quæ de illo sic tacuerit sententia, ea *commenta esse* accusatoris, *ab æquo iudice exhorrenda*.

Refellitur Dissert. c. 8.

Habemus & ex illis, quinquepartitam esse condemnationem, in qua legimus depositionem, verbera, carcerem, excommunicationem, silentium. De carcere & silentio dicetur alibi pluribus. Depositio, non sine hæsitantia, & vt vocant, hypothesi, irrogata, eam ob causam, quam ineunte libro exposuimus. Licèt enim *irregulariter*, absque Rothadi consensu Rigboldum adiisset consecrandus, tanti tamen non erat defectus ille, vt depositionem mereretur, si aliunde potuit validè consecrare Rigboldus. Iam verò cùm decretum istud sit factum Rigboldo Chorepiscopo præsente, potuit ille factum suum in Concilio rationibus tueri, quas nemo posteritati tradidit; quæ quia iudicibus nonnullis probatæ sunt, aliis & fortasse pluribus improbatæ, controuersia autem de Chorepiscoporum potestate in illud iudicium non deferretur, decuit in medio relinqui, & cum conditione pronunciari, *si quo modo suscepisti* Sacerdotium, eo deiectus es. Quanquam & in eo iudicum moderatio elucescit, quod hæresi & incorrigibilitate spectata, priuari simpliciter & absolutè potuit sacerdotio, etiam secundùm omnes Ecclesiasticas regulas suscepto.

Pœna quintuplex sententia continetur.

Depositio.

In decernenda carcerali custodia, Germanorum consilium secuti sunt Carisiaci Antistites, cum ea clementia, & vt vocant, retento curiæ, vt ea solueretur, & Ecclesiæ communioni statim redderetur, vbi deposita peruicacia errorem agnouisset. Id enim admonet Hincmarus. *A qua damnatione si voluisses ad sensum Catholicum resipiscere, paratus semper fui, & sum, quoniam sic venerabiles iudicauerunt Episcopi, eum in Catholica Ecclesia communionem recipere, sicut ei iubeo necessaria ministrare.* Non fuit igitur perpetuus per sese carcer, nisi eum voluisset Gotteschalcus cum æterno continuare. Nominatur hîc etiam excommunicatio, vt duobus locis superiùs productis; quam obiicit & Amolo Lugdunensis. *Nec doles, quòd ecce tot annis à corpore Ecclesiæ iustæ seueritatis damnatione præcisus, atque omni bonorum contubernio ac solatio defraudatus, remansisti velut stirps inutilis, & palmes aridus igni destinatus.* Audiemus inferiùs, & rogatos per litteras ab Hincmaro, Rabanum & Prudentium, putént-ne Gotteschalcum ad id quod perfectum est admittendum? atque id negantem Rabanum, donec obstinationem posuerit. Nam si non fuit excommunicatus Synodali sententia Gotteschalcus, de præbenda Eucharistia quare dubitauit Hincmarus? Si malè dubitauit iste, quo iure voluit recusari Rabanus? Cur hoc malo animo addi ad sententiam per sese satis acerbam, questus non est Prudentius? Itaque quando colligit Dissertator, ex eo Gotteschalcum hæreseos in hac Synodo non fuisse damnatum, quia non fuit excommunicatus, si quid virium hoc in argumento vult inesse, oportet è conuerso, damnatum hæreseos agnoscat, quia excommunicatum post hæc testimonia negare non potest. Sed quod illam excommunicationem ab Hincmaro dicit inflictam, & iure à Gotteschalco moriente contemptam, nescio quàm verè pro historia, quámque modestè pro veneratione Ecclesiæ audeat asserere. Virgas denique, & silentium, in Rabani de Thiota pseudoprophetissa iudicio audiuerat iam antè Gotteschalcus: vt Doctoris officium malè assumptum sic castigari, nec queri posset, nec mirari. Ac virgarum supplicium non hæresi, sed *prauis actibus ac moribus* fuisse impositum, & Hincmarus exprimit, *vt improbum virgis cæsum:* & sententia, *iura Ecclesiastica præsumpsisti:* & exempla à Canonibus, & regulis sumpta, *secundùm Canones Agathenses, secundùm regulam sancti Benedicti*; & *peruersæ doctrinæ* mentio in depositione, non autem in hac animaduersione facta: & omnino, quòd istud pœnæ genus, pro aduentitio & accidentali ad hæretici condemnationem semper habuerit Hincmarus; atque vbi damnatum Gotteschalcum referre cogitur, hanc partem sæpius omittat, neque vnquam memoret Gotteschalcus.

Carcer Monasticus.

Hincm. epist. 17. ad Nicol.

Excommunicatio.

Amolo ep. ad Gottesc.

Virga improbitati, non hæresi inflicta.

§. VNICVS.

Ecclesiæ Lugdunensis obiectionibus satisfit.

QVÆ obseruatio nemini non obuia, calumniam reuincit à Lugdunensibus in Carisiacam Synodum immissam, quasi contra Ecclesiæ instituta fuerit ob hæresim damnatus ad verbera, quam maiores nostri dedocere satis habebant. Idque inuidiosius ex eo faciunt, quòd vnius de Prædestinatione articuli ergò crudelem lanienam subiit. *Et quid ei de re tanta, vt postmodum ab Episcopis debuerit condemnari? Sed & de ipsis flagellis & cædibus, quibus secundùm regulam sancti Benedicti dicitur adiudicatus, quibus & omninò fertur atrocissimè, & absque vlla misericordia, penè vsque ad mortem dilaceratus.* Modus hic executionis, aliud querimoniæ

Prima obiectio Ecclesiæ Lugdun. l. de 3. epist. c. 24.

caput faciet. Habitemus modò in ipso genere supplicij, quod negant isti debuisse infligi, vel omnino ob errorem hæreticum, vel ob leuem illum quo Monachus laborabat. *Qui si aliquid tam grande & periculosum, contra fidem catholicam dicere præsumpsit, vt necessario Synodali iudicio tali ac tanta damnatione plecteretur*, &c.

L. aduers. Ioan. Scot. c. 4. al. *quasi*

Responsio. Primæ huic calumniæ vt satisfaciam, aio primùm mihi cum illis non malè conuenire. Siquidem agnosco formam illam supplicij ad expiandam hæresim in Ecclesia hactenus inauditi, ab hac Synodo excogitari non debuisse. Addo prætereà excogitatam reuera non fuisse, nec omnino adhibitam ea ex causa, vt superiora monstrarunt. Ac profectò cùm Agathenses Canones sequi profitetur, alios non negligit, in quibus Clericorum contumacia, non hæresis, verberibus coërceri iubetur: cùm dicitur *vt improbus virgis cæsus*, ac deinde ex consilio Synodi Moguntinæ ergastulo conclusus esse, *ne aliis noceret*, supplicia distinguuntur ex causis, & alterum malis moribus & impudentiæ quæ superuenit, alterum errori iam antea satis damnato, assignatur. Meminerant Præsules consultissimi, exilia ab Imperatoribus, non ab Ecclesia, in hæreticorum principes decreta: vexatum ab Hispaniensibus Episcopis Ithacium, quòd Priscillianum seculari gladio subdidisset. Denique nihil in hanc diem postulasse ab hæreticis Episcopos, præter retractationis libellum, quem si maturè & modestè dedisset Gotteschalcus, aut certè professionem erroneam igni tradidisset, tergo suo prudentiùs pepercisset.

Quomodo tractati ab Ecclesia hæretici.

Hi scriptores sibi inuicem contradicunt. Dico deinde, petere me vt ipsis Lugdunensibus inuicem conueniat. Nam aduersùs Ioannem Scotum non diffitetur Ecclesia illa Lugdunensis, errasse hac in re *miserrimum, & infelicissimum Monachum*: sed absque tanta supplicij atrocitate, notum errorem illum, si quis fuit, fieri potuisse, scriptis ad Ecclesias litteris, *propter cautelæ studium, ne eo plures inficerentur*. At eadem Ecclesia Lugdunensis alio in opere planè confirmat *quod illa quæ de diuina Prædestinatione dixit, iuxta regulam catholicæ fidei vera sint, & ideo in hac re dolendum, non hunc miserabilem Monachum, sed Ecclesiasticam veritatem esse damnatam*. Postulo tertiò ab hoc ipso Lugdunensi Epistolario, vt secum ipse consentiat, & nobis constanter edicat, probét-ne an improbet pulsatum flagellis fuisse Gotteschalcum? Explicet cui potissimùm causæ verberationem illam attribuat? Nam ad coniecta in Episcopos conuicia cùm attendit, supplicium exactum laudat, quanquam non sine momo; vult igitur illum hanc pœnam eo scelere promeritum. Cùm autem redit ad opinionem de prædestinatione, virgas illas vehementer odit: putat igitur ob hæresim malè damnatam verberatum fuisse, ac proinde iniuria. Quartò denique, Dissertatorem nostrum, confidenter hæc omnia pernegantem, quia non faciunt ad stomachum, & has Episcoporum contumelias, hanc impudentissimam insolentiam ad *Hincmari commenta*, & fabulas reiicientem, mitto ego ad Lugdunensem Epistolarium, nihil eorum denegantem: quod sanè iustissimè & inuidiosissimè fecisset aduersùs Hincmarum, & totam eius Synodum, si iisdem testibus, *qui præsentes aderant*, falsam esse didicisset conuiciorum & impudentiæ obiectionem, à quibus acerbitatem executionis accepit, & descripsit atrociter. Sed illud tunc inficiari, imò ne dissimulare quidem est ausus, ne omnium sibilis, vt Gotteschalcus virgis, vapularet; quod modò cum omni securitate fictum & commentitium esse affirmat Præses Monetalis, neque timet suscitari octo antè seculis mortuos, vt falsi reuincatur.

L. aduers. Ioan. Scot. c. 4. cit.

L. de 3. epist. c. 24. cit.

Dissertator ab illis scriptoribus falsi reuincitur.

Secunda obiectio Ecclesiæ Lugdunensis L. de 3. epist. c. 24. Queritur secundò Lugdunensis idem, miserabilem Monachum antè ab Abbatibus & Monachis, quàm ab Episcopis fuisse damnatum; priùs secundùm regulam sancti Benedicti, quàm iuxta Ecclesiastica iura actum; priùs flagellis addictum fuisse, quàm carceri. Sic enim narrat epistola quam confutat. *Et propter impudentissimam insolentiam suam, per regulam S. Benedicti à Monachorum Abbatibus, vel ceteris Monachis dignus flagello adiudicatus. Et quia contra canonicam institutionem ciuilia & Ecclesiastica negotia perturbare studuit indefessus*, &c. *ab Episcopis, & secundùm Ecclesiastica iura damnatus*. Hunc narrationis ordinem curiosè speculatus aduersarius, *absurdum* ait, priùs ab Abbatibus in Concilio, quàm ab Episcopis ferri sententiam. Olim ad solum Episcopale iudicium adduci solitos hæresis reos. *Nec priùs ab inferioris loci hominibus, iuxta Ecclesiasticam & Sacerdotalem, siue Monasticam verecundiam obseruari debuisse*. Errat in duobus scriptor, contradicendi libidine. Ingerit enim importunè supplicium illud impositum hæresi, vbi manifestè contumelias legit, & *impudentissimam insolentiam*. Deinde acclamationem illam Monachorum, ex rei indignitate, & zelo præferuido erumpentem, Synodalem putat esse sententiam, in qua dicenda Monachi Episcopis præiuerint. Ridiculè, cùm definitiuo suffragio in Conciliis præditi non sint Monachi, vt diximus: cùm tota sententia, & singulæ eius partes, decretæ sint, dictatæ, & latæ ab Episcopis, vt titulus ipse, imò sententiæ forma declarat, neque tacet Hincmarus cùm scribit, *ab Episcopis, & secundùm Ecclesiastica iura* fuisse *damnatum*.

Responsio.

Tertia obiectio. Reperit Epistolarius tertium aliquid, quod hoc in iudicio reprehenderet; in sua videlicet causa iudices extitisse Episcopos: virgis meritò subditum fatetur, agnoscit eam animaduersionem impensam non hæresi, sed petulantiæ comprimendæ: facinus indignum à Monacho perpetratum, sed vindictam aliis iudicibus fuisse committendam. *Quod autem in Episcoporum contumelias dicitur prorupisse, verè hoc & impium est, & insanum, & omninò iusta vltione damnandum: licèt meliùs ab aliis, quàm ab ipsis.* Quibus *ipsis*? Nam si pars ista sententiæ ab Abbatibus, & Monachis profecta est, vt credit auctor, propriam causam non vindicarunt Episcopi. Sed nos ab Episcopis omni ex parte damnatum facimus. Quid? Non erant Episcopi veri & germani iudices Gotteschalci? Non fuerat priùs ad iudicium Metropolitani remissus, quàm cuiquam contumeliosus existeret? Erat aliud cogendum Concilium ex aliis Episcopis & Abbatibus ad istorum iniurias persequendas? Quid si & ipsos eadem insania, eiusdem spe successus, repetitis conuiciis violasset? an tertio item Concilio fuisset opus, & orbe toto commoto ad miserabilem monachum flagellandum?

L. de 3. epist. c. 24.

Sed

Quarta obiectio, de executionis seueritate.

Sed maxima vis querimoniæ in executionis sæuitia posita est, quam miserabili hypotyposi oculis omnium subiiciunt; & quod ceteri tacuerunt, hoc soli præstant clienti suo Lugdunenses, vt bene nobis & luculenter fustuarium accepisse appareat. *Illud prorsus omnes non solùm dolent, sed etiam horrent, quia inaudito irreligiositatis & crudelitatis exemplo, tamdiu ille miserabilis flagris & cædibus trucidatus est, donec, sicut narrauerunt nobis qui præsentes aderant, accenso coram se igni, libellum in quo sententias scripturarum, seu sanctorum Patrum sibi collegerat, quas in Concilio offerret, coactus est iam penè emortuus, suis manibus in flammam eiicere, atque incendio concremare.* Non est ea narratio, vel potiùs amplificatio ab epistola, sed à rumoribus, qui referentium animo exaggerantur. Simplicior est, ac proinde fide dignior Annalium Bertinianorum historia. *Strenuissimus cultor Karolus, aduocato sanctorum memoratæ diœceseos Episcoporum conuentu, suis aspectibus præsentari decreuit, quò perductus publicè flagellatus, librósque suarum assertionum igni cremare compulsus est.* Sed esto, ad eam quæ sic amplificatur seueritatem, executio sententiæ deuenerit, qua id causa, cuius culpa factum est? *Iugi meditatione, & erudita collatione* non est opus, vt intelligamus, pœnæ per *impudentissimam insolentiam* plus nimiò commeritæ, reo & damnato gratiam à Patribus oblatam, si retractaret errores: paratum extemplo ignem, cui collectiones adulterinas traderet, quibus armatus ad Concilium, tanquam in arenam pugnaturus aduenerat: hortatos Præsules grauissimos ne seueritatem prouocaret, excusso de manibus libello, & ab animis iudicum rigorem, & ab eius mente hæresim recessuram: minimo suo impendio, magno Concilij gaudio, ingenti Ecclesiæ bono illata damna sarturum. Ipsum verò hæretica obstinatione, plagas vsque & vsque concoxisse, præconis ad fastidium. Grandinat vndique in scapulas quadragenariis maiores, pulsantur latera, totum corpus concutitur, riui sanguinis effluunt, inclamant præsentes vt resipiscat, inuitat ignis vt chartas abiiciat, animo linquitur in supplicio, stat in mente contumacia, & luctante cum dorso decorticato spiritu, mauult cruore flammam extinguere, quàm libello pascere. Quantùm boni perdidit, qui malæ causæ fortitudinem hanc impendit! Subacta tandem patientia est, non extorta sapientia; excussæ chartæ, non peruicacia; scripti errores igne absumpti, non impressi in animo. Diceres virgis tanquam malleis defixam altiùs hæresim, nulla vi ampliùs posse reuelli. Ex eo casu *miserabilem Monachum* perpetuò vocant Lugdunenses; ego ex statu. Ac licèt factum istud aduersùs hæreticum præteriti exemplo careat; posterior tamen ætas in iudiciis Ecclesiasticis virgas in hæreticos sæpe vidit expeditas: & fortasse huic æuo proximi iudices oculos retorserunt in Gotteschalcum, famosarum plagarum crepitu, qui tum viuentes excitauit, facilè in posterorum auribus insonante.

Eod. l. de 5. epist. c. 25.

Annal. Bertin. an. 849.

CAPVT XVIII.

Gotteschalcus in carcerem Monasterialem retrusus, quomodo ab Hincmaro tractatus sit.



SEQVITVR sententiæ pars quarta, Moguntino Concilio consulta, Carisiaco decreta, Carcer Monasticus, in quo foueri moliter, & vibices curare posset per otium. Eius causa iustissima, *ne aliis noceret, qui sibi prodesse nolebat*, & tamen hominum oblocutionibus, & inuidiæ obnoxia: quid enim bene agas iudicio malè tibi volentium? Electus prudenter ad eam custodiam locus. Tres, vt vidimus, erant in Concilio Abbates, quibus committi posset: Corbeiæ Paschasius Ratbertus; sed eum adiungi Ratramno, periculosum erat. Bauo Orbaci, ad quem professione pertinebat Gotteschalcus: sed eum primis annis coërcere non potuerat, & ad spiritus frangendos, iamdiu confirmatos in peruicacia, Rothado Episcopo non erat animi satis: neque deerat periculum ne à loquaci & subtili hæretico propinatum calicem Babylonium exhauriret. Supererat Halduinus Altiuillaris Monasterij Abbas in Remensi diœcesi: aptum hîc domicilium, & ad manum Hincmaro, ob rationem antea notatam. Id ipse narrat Pontifici. *Iudiciò præfatarum Prouinciarum Episcoporum, in nostra Parochia, quoniam Rothadus de cuius parochia erat, illi nesciebat resistere, & nouitatis amans, timebatur à nobis ne disceret praua sentire, qui noluit discere recta docere: néve idem Gotteschalcus cum aliis communem vitam ducens, errori suo faceret esse communes, monasteriali custodiæ mancipatus est.* Breuiùs alibi, *Gotteschalcus in conuentu Episcopali reuictus fuit, idem Concilium silentium ei imposuit, mihique illum ad custodiendum commisit.*

In Altiuillarensi Monasterio carceri addicitur.

Hincm. ep. 17. ad Nicol.

Idem l. 55. capit. c. 43.

Quem loci & custodiæ delectum, ab ipso Concilio, subscribentibus sine dubio Rothado & Bauone factum, & vt descripsimus, narratum ab Hincmaro, ita reprehendit acutissimus Dissertator, vt ex illis ipsis verbis probare se putet, custodiam Gotteschalci *ab ipso vsurpatam fuisse contra sanctas regulas, per quas Monachus, nisi ex superioris consensu, à Monasterio suo absolui non debet.* Mira sanè *meditatio!* Cur enim *vsurpatam* ab vno dicit, quæ ab omnibus *commissa* est? Cur *contra sanctas regulas*, si nullo auctore, nullo verbo monstrare potest illud inuitis duobus decretum fuisse, aut vnquam ea de re vel leuiter questos? Tam fuit aut potens Hincmarus *à tribus annis Archiepiscopus, nec saltem ætate maturus*: aut tot Episcoporum, & Wenilonis ipsius Archiepiscopi grauissimi tam seruile ingenium, vt rem indebitam, reclamantibus legitimis possessoribus, *contra sanctas regulas vsurpari* permitterent? Sed quid ex miserabilis Monachi custodia compendij quæsiuit Hincmarus? Quid lucri accepit Halduinus? Quin sibi potiùs suisque gratulati Rothadus & Bauo, grandi se onere liberatos, libentissimis animis totam

Refellitur Dissert. c. 9.

eius curam in alterius humeros reiecerunt. Sed quo iure vituperatur, & *contra sanctas regulas vsurpata* dicitur, facta per Concilium Gotteschalci traditio, postquam eius irregularis & inordinatus è monasterio discessus, *sancta peregrinationis* nomine velatus est? Audi lepidam conclusionem. Ex narratione ad Nicolaum Papam superiùs recitata, *vel Hincmaro teste, miserabilis illius Monachi proprius Episcopus, sicut & proprius Abbas, cuius custodia subtrahitur, à condemnatione illa multùm alieni censendi sunt. Tantùm abest vt hic de prauis moribus, & irregulari exitu, ille irregulari promotione facta se inscio, Gotteschalcum onerauerint.* Breuiter & apertè. Rothadus, teste Hincmaro, satis constans non est iudicatus ad custodiendum Gotteschalcum, ergo, teste Hincmaro, neque Rothadus, neque Bauo illum condemnarunt: ergo illum non accusarunt deserti Monasterij contra sanctas regulas, aut sacerdotij contra canones suscepti: ergo hæc crimina sunt *commenta Hincmari ab æquo indice exhorrenda.* Quibus addo & hanc laciniam, ergo *vel Hincmaro teste, Hincmarus mendaciorum loquacissimus* est; hoc enim verum esse oportet, si stant cetera. Sed ea non stare deprehendet facilè, qui cogitabit potuisse Gotteschalcum ab iis & accusari & condemnari, qui eius custodiam in alios deonerabant; & à pluribus aliis potuisse accusari, si Episcopus & Abbas futuri iudices, actores esse noluerunt.

Corpori necessaria subministrata in carcere. Quàm porro liberaliter pro loci & hospitis merito ibi sit habitus, vnde meliùs discamus, quàm ab eo ad cuius imperium omnia suppeditabantur? Paucis id quidem significat Pontifici. *Ei iubeo quæ sunt corpori necessaria ministrare.* Et hîc vide Canonum obseruantiam, cùm ad Episcopi nutum Abbas gerit omnia. Sic enim statuit Narbonensis. *Secundùm Concilia priscorum orthodoxorum, decreuit fraternitas, vt quicunque fuerit culpabilis inuentus clericus, aut honorabilis de ciuitate, & ad Monasterium fuerit deputatus, sic Abba qui est præfectus cum eo qui dirigitur agat, sicut ab Episcopo manifesta correctione fuerit ordinatum. Aliter si Abba facere elegerit, pro correctione tempus aliquod suspendatur: quia ob hanc causam dirigitur vt emendetur, non vt passim ferculis diuersis saturetur.* Quæ verò sint illa *corpori necessaria*, expressiùs narrat Egiloni Romam eunti, *Et si vos aliquis interrogauerit de ipsius custodia, talem esse veraciter illi respondere potestis. Quicquid fratres in cibo & potu habent, hoc ei quotidie, sine vlla negligentia ministratur. Vestimenta illi ad sufficientiam offeruntur, si vult ille accipere:* (signanter dictum: nam oblatis illis opportunitatibus non semper vti voluit, vt ad extremum dicemus) *Ligna ad focum faciendum illi sufficienter dantur. In mansione in qua degit caminatum habet, & necessarium. Lauacra illi non denegantur: sed postquam in eandem mansionem intrauit, non solùm corpus lauare noluit, verùm nec manus, nec faciem. Antea enim, sicut illi testantur inter quos conuersatus, erat turpissimus, & adhuc quantùm potest in sua turpitudine manet.*

Concil. Narbon. can. 6.

Hincm. ep. 24. ad Egil.

Querela Lugdunensium de carceris acerbitate. Itaque iterum vana est Lugdunensis Ecclesiæ querela *de infelicissimo Monacho, iamdudum illic (nescimus quo ordine) damnato, & annis iam plurimis corporali ergastulo retruso, nomine Gotteschalco.* Quod ergastulum pro more in immensum mali cumulum exaggerat Epistolarius. *Sed & illa eiusdem miserandi hominis tam longa, & inhumana in ergastulum per tot annos damnatio, aliqua, vt credimus compassionis benignitate & consolatione fuerat temperanda, vel etiam remouenda.* Hominem putes Persarum scaphis, aut tauro Phalaridis inclusum, pane arcto & aqua breui in lacrymis, in mensura pastum esse, qui diurnum Monachorum cibum accipiebat. De tempore quòd expostulant, imputet sibi dura ceruix, quod momentaneum facere potuit, si resipiscere voluisset. Quanquam quid illis respondemus, cùm administrationis suæ rationem externis, æmulis, rerum ignaris, nulla re superioribus, nullam reddere debuerit Hincmarus? Quantò autem minùs Dissertatori noui-, monenti *indictam ergastulo retrusionem, monasterialis custodiæ nomine lenitam* fuisse ab Hincmaro scribente ad Nicolaum Papam, cui *sciret suas fraudes & crudelitatem non esse ignotas, à quo duritia Pharaonis, tumoris, dolositatis, & crudelitatis notatus est.* Quæ omnia qualitercunque dicta, neque vllo modo ad Gotteschalci causam spectant, & diu post epistolam Hincmari ad Nicolaum scripta sunt, & ostendi mihi postulo, Hincmarum isto tempore à triennio Archiepiscopum, Nicolao pluribus pòst annis Pontificatum auspicanti, duritiæ, dolositatis, crudelitatis hanc ob rem fuisse suspectum. Nam quia crebrò & præferuidè calumniæ istæ triuiales ingeruntur ab eo, qui Chronologiam ad institutum & voluntatem suam perfectissimè accommodare conatur, palmarem hunc in historia Gotteschalci parachronismum non fero. Peto, inquam, mihi vt probet, contumelias istas Hincmaro scribi gratia Gotteschalci, & eas quibus continentur, epistolas, antè scriptas ad Hincmarum, quàm Hincmarus Gotteschalcanæ retrusionis rationem redderet Nicolao. Id si facere non potest, agnoscat in colligendis illis calumniarum aduersùs Hincmarum sordibus, saturam facere se, non historiam. Et addit consultissimè, *Ideòque*, propter crimina quæ Hincmaro non obiecerat Nicolaus, *non dubitauit tantam inhumanitatem*, qua Monachus gyrouagus, impudentissimus, hæreticus pertinacissimus, in Monasterij carcerem coniectus erat, ibique si vagandi potestatem excipis, nulla re necessaria indigebat, *maximè in quadragenarium Sacerdotem non passurum summum Pontificem.* Et Vlpianum Iurisconsultum, atque Imperatorem Constantium dicti sui auctores citat, quasi de Monacho quadragenario sacerdote quicquam decreuerint. Quod enim notatis legibus edicunt, *ἰδὼς ἀγὲ ἰδιώτ.* Verùm omissis illis non argumentis, sed rixis, reuertor ad historiam.

L. aduers. Ioan. Scot. c. 4.

L. de 3. epist. c. 25. cit.

Querela Dissertatoris c. 9.

Solicitè curata eius conuersio. Quòd si tantam fouendi corporis curam suscepit Hincmarus, nunquid animum neglexisse censendus est, cui vni salubris ille rigor seruiebat? Benedictinæ regulæ caput est, religiosæ plenum caritatis, vt *Abbas omni solicitudine curam gerat circa delinquentes fratres, quia non est opus sanis medicus, sed malè habentibus.* Iubétque immitti occultos quosdam consolatores senipectas, id est, seniores sapientes, qui quasi secretò consolentur fratrem fluctuantem, & prouocent eum ad humilitatis satisfactionem. Id

Reg. S. Bened. c. 27.

verò à se frequenter & cupidè factum testatur antistes. *Per me, ac per fratres meos, sed & per frequentia scripta vt resipisceret, & à suis in Deum blasphemiis sensum, & os suum reuocaret, sæpe commonui; sed apud eum nihil profeci.* Vnius ex illis epistolis argumentum ab obliuione vindicat Flodoardus. *Gotteschalco Monacho, qui erat prolapsus in hæresim, de quibusdam sententiis auctorum, quas ille non bene intelligebat, vel exponebat,* &c. *Cui definitioni subscribere idem Gotteschalcus pertinacissimè recusauit.*

Hincm. l. de non trina Deit. c. vlt.

Flodoard. l. 3. hist. c. 28.

De concedenda communione deliberatur.

Et quoniam per ea tempora pœnitentiæ publicæ spatia decurrentibus, ac proinde excommunicatis, communionem nihilominùs indulgeri solitam certis quibusdam diebus, sciunt Ecclesiasticorum rituum periti; hoc etiam remedium tentari persuasit Hincmaro paterna caritas, & christiana mansuetudo, vt verè securéque diceret, quod postea nepoti suo, *quod meum fuit feci tibi:* si quidem absque fructu erga pertinacem, certè non sine mercede apud Deum. *Etsi enim æthiops niger in balneum intrat, & niger de balneo exit, non tamen balneator denarium, id est, pretium balnei sui perdit.* Ceterum hircino cruore dicitur emolliri durities adamantina, agni sanguine non soluetur quamlibet obstinati animi peruicacia? Sed in re tanta, vir canonum obseruantissimus, suo ingenio quicquam innouare veritus, consilium ab amicis postulat. *Prudentio Trecassino scribens,* ait Flodoardus, *se ab eo consilium quærere velle, de statu & compressione Gotteschalci; intimans quod de ipso actum, vel indicatum fuerat in Synodo, quo eum reclusum tenebat iudicio, & quia multis modis eum conuerti tentauerit, & de moribus ac superbia ipsius; & si in Cœna Domini, vel in Pascha, debeat illum admittere ad audiendum sacrum officium, vel accipiendam communionem.* Idem expetiisse à Rabano verni ieiunij tempore, *appropinquante Paschali solennitate,* ex ipsa Rabani responsione manifestum redditur, ne si vir magnus illud concedendum censeret, vlla esset in beneficio mora. Et quidem qui tum fuerit Prudentij sensus, nulla coniectura possumus assequi; nisi dicamus, meditata iam iniuria & simultate, de qua postea, nihil respondisse percunctanti, ne scripto illo Gotteschalcum lædere videretur, quem ibat defensum. Vnde latentem & de controuersia ad Hincmarum scribere fugitantem, iisdem litteris idem Antistes stimulat & excitat. Rabanus autem illam excommunicato impœnitenti, & adhuc hæretico gratiam contra canones, Ecclesiæ disciplinam, & certam rationem concedi magnopere dissuadet. *Interim donec illud fiat,* (ad Catholicam redeat doctrinam) *non laudo vt communio ei tribuatur. Ecce prædixi vobis, vt in die Domini nostri Iesu Christi non confundamini. Attendite quomodo vos sine crimine esse possitis, qui in Synodo vestra hanc sectam nefandam, simul cum hæretico damnastis, si modò ei incorrectò communicaueritis.* Verbo vno, nulla lex, nullus mos, nulla ratio permittit, homini ob hæresim & scelera excommunicato, hærenti obfirmatè in iisdem sceleribus, ante pœnitentiam, pacem Ecclesiasticam, & id quod perfectum est, redonari. Consilium suum Apostolico dicto confirmat Moguntinus. *Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem, deuita.* Quo deinde Remensis apud Nicolaum Papam vtitur, vt ipsum demonstret, iure consilióque optimo à ceterorum consuetudine per carcerem auelli. *Relinque ergo eum qui talis est,* ait Rabanus, *vt iustam expectet à iudice pœnam, eò quòd in sua contumacia persistens, nullum ad correptionem suam vult accipere consilium.* Et tamen ex hac ipsa diuturna excommunicatione, ad resipiscentiam eum inuitat Amolo ille verè Lugdunensis, iis verbis quæ repetere non piget. *Nec doles, quòd ecce tot annis à corpore Ecclesiæ iusta seueritatis damnatione præcisus, atque omni bonorum contubernio ac solatio defraudatus, remansisti velut stirps inutilis, ac palmes aridus igni destinatus.*

Hincm. l. capit. 55. c. 55.

Flodoard. l. 3. hist. c. 21.

Raban. epist. ad Hincm.

Dissuadet Rabanus epist. ad Hincm.

Secta Gotteschalcinefanda.

Amolo ep. ad Gottesc.

Et hîc breuem obseruationem meretur Dissertatoria diuinatio, quæ habitam cum vtroque Prælato, Trecassino & Moguntinensi deliberationem, super Eucharistia Gotteschalco concedenda perpendens, ponit vt certissimum, *nemini vel minimum dubium subesse posse,* quin Prudentius *moderationis in ergastuli retrusione, & non denegandæ communionis saltem suasor fuerit,* & ea hanc ob causam anno illo donata sit, *donec sub anni sequentis finem, consilio Rabani ab omni communione fuit rescissus, quod ex Rabani epistola constat.* Quibus ex rebus confirmat Gotteschalcum, *non vt hæreticum condemnatum: neque enim dubitasset Hincmarus communione penitùs recisum; & multò minùs consilio Prudentij feriis illis Paschatis admisisset.* Etsi non sum de Vlyssis genere, neminem tamen appellari me patior, & æquales multos numero, quibus grande dubium subsit, nihil à Prudentio fuisse responsum ad Hincmariana quæsita, proindéque eius suasu nihil hac in re fecisse Remensem. Addo, nullo certo auctore monstrari posse, datam vllo die Gotteschalco communionem, & à Rabano non argui præteritum, sed vetari futurum: *Quod ex Rabani epistola constat,* non verò illud aliud, quod affert diuinatio. Consectarium autem vtique ingratiis intrusum, non fuisse condemnatum de hæresi Gotteschalcum, nescio quo nomine sit appellandum, cùm illa ipsa epistola manifestissimè scripserit Rabanus, *in Synodo vestra hanc sectam nefandam, simul cum hæretico damnastis.* Et Amolo, dubitare se dicat, *vtrum respondere debeat homini, de nouis præsumptionibus contra Ecclesiam, & non paruis erroribus iamdudum accusato, & propter contumaciam, vt audio, Episcopalis Concilij auctoritate damnato.* Quid? Ignorabat Hincmarus, magna pars Synodi, quæ aduersùs eum fuerant constituta? Tam religiosus in leuioribus, rem tantam, quanta est excommunicatio, suapte voluntate, & auctoritate addidit? Quando? qua formula? quam nouam ob causam? Quid suadet Rabanus? an vt Gotteschalcum excommunicet, ac non potiùs, vt latam excommunicationem obseruet? Procedit igitur inquisitio illa ex mera Hincmari mansuetudine, & cura fraternæ salutis, qui quod pœnitentibus indulgebat Ecclesia, quæsito titulo in Gotteschalcum conferre conabatur, nulla professæ pœnitentiæ nota laudabilem. Vnde patet quàm vera contumelia, dicatur *sagax Hincmari crudelitas, vt securiùs in insontem sæuiretur.*

Refellitur Dissert. c. 21.

Synops. ad an. 849.

Amolo ep. ad Gottesc.

Iam vt carcerem claudamus, quid Monacho fiet correpto, excommunicato, pertinaci, incorrigibili? Quod S. Benedicti regula præcipit

Oratio facta pro Gotteschalci conuersione.

Flodoard. l. 3. hist. c. 21.

Flodoardi historiam, commemorantis Hincmari epistolas Rothado Suessionico scriptas, Synodales conuentus & ipsi fugitanti. Nam ad Concilium Carisiaci iudictum profectionem parans, Rothado mandat, vt nonnullos è sua parochia de publicis criminibus accusatos ducat ad Synodum, absoluendos, vel publica pœnitentia mulctandos. *Item pro recipiendo, & adducendo ad iudicium Gotheschalco, quem Domnus Rabanus ad diœcesim Remensem remiserat, qui profectus fuerat ex parochia Suessionica, scilicet Orbacensi Monasterio.* Si verba historici paulùm attentiùs considerantur, intelligemus Gotteschalcum, ab iis quorum custodiæ fuerat commissus, perductum fuisse, non ad parochiam, sed ad diœcesim Remensem; hoc est, ad Rothadum, non ad Hincmarum; ad locum vnde profectus fuerat, hoc est, ad parochiam Suessionensem, & fortasse ad Orbacense Monasterium, vnde *recipere* eum debuerit Rothadus, vt *adduceret ad iudicium.* Quamobrem absenti de absente scripsit Hincmarus; qui ridiculè sanè, neque sine Rothadi ipsius, hominis non amicissimi ludibrio, imperasset seriò ad se adduci, quem ipse in sua potestate semper habuisset.

Perductus ad veram Synodum Carisiacé.

Iam qui lepida ista sine vllius scriptoris auctoritate concinnat, vocatum ait Gotteschalcum *ad Placitum*, non ad Synodum: & R. P. Sirmondum incusat, *quod nullo auctore inter antiqua Concilia Galliæ retulerit anno* 848. Et incertum relinquit, an fuisse positum inter Concilia, an illo anno, an sine auctore reprehendat? Certè Chronologiæ hoc in rerum statu, tam paucis mensibus disiunctæ leuis est iactura: pro Concilij nomine & auctoritate pugnamus. Placitum fateor à Rege conuocatum, ad quod Prouinciæ duæ Remensis siue Belgica secunda, & Senonensis conuenerunt, vt ex earum Archiepiscopis patet, Hincmaro ipso narrante. *Quapropter ad Episcoporum eum præsentiam, qui tum regio mandato pro negotiis Regis apud Carisiacum accersiti erant; in præsentiam etiam Domini Wenilonis qui illuc conuenerat, perducere studui.* & iterum, *Postea à Belgica Remorum, ac Galliarum prouinciarum Episcopis auditus.* Sed Episcopi illi eò congregati Synodum faciebant, vt antè de Moguntina docebamus. Quare *Synodalem conuentum* vocat idem Hincmarus, & *à duobus Conciliis damnatum* ait, Moguntino videlicet & Carisiaco: Amolo Lugdunensis agnoscit *propter contumaciam, Episcopatus Concilij auctoritate damnatum*: agnoscit & Lugdunensis Epistolarius. Denique nemo iure queri potest, *nullo auctore inter antiqua Galliæ Concilia referri.*

Hincm. ep. 17. ad Nic.

Idem l. de Præd. c. 2.

Amolo epist. ad Gotteschal.

Ex quibus præsulibus composita fuerit Synodus.

Qui verò Concilium istud composuerunt, omnes nosse nos voluit Hincmarus, & tres in ordines diuisit, Episcopos, illustres Clericos, & Abbates. De Hincmaro ipso qui primum possidet locum, quòd in eius prouincia, de eius subdito ageretur, nihil dico, amplissimæ præfationis memor. Vnum est quod hîc rogatum te velim Lector, vt quæ de Hincmaro illustrissimo Præsulum apud eius temporis, & sequentium seculorum auctores legis, cum iis conferas quæ profunda *meditatione & collatione* inuenta, nouus Dissertator opere triplici spargit: quale istud est, *gloriæ cupidissimum à tribus annis in Archiepiscopatu, nec saltem ætate maturum, regia potestate prouectum, non minimam sibi honoris occasionem fore arbitratum esse, si in causa qua plures Germaniæ Episcopos dubios habuerat, index præesset.* Nimirum Principum consiliarius, præcipuus regni administer, summis negotiis par, Pontificum & Imperatorum mutuis litteris & commendationibus honoratus, Episcoporum Gallicanorum doctissimus, ingenti & necessario cumulo gloriam suam augere ambiit, *miserabilem Monachum* virgis cædendo, & in carcerem compingendo, vt in triumphum, inter præclara facinora, Gotteschalcum inusitato spectaculo monachicè vapulantem duceret. *Egregiam verò laudem, & spolia ampla* de expoliato & excoriato dorso cerebrosi vnius hæretici; & quidem *nomine & auctoritate Regis*, ne quis de summa eius potentia dubitaret. Archiepiscopus alter Wenilo Senonensis, rerum vsu, & frequentibus Conciliis, quibus interfuisse legitur, tanquam sui temporis Osius, venerabilior est, quàm scriptis. Eum tamen salutat Prudentius, *Inter Pastores Christi eminentis vitæ, doctrinæque eximietate clarissimum.* Lupus autem Ferrariensis ad eum scribens, *Summa veneratione colendum*, *insignem præsulem* vocat, & *insignem* eius *prudentiam* laudans obsecrat.

Hincm. l. de præd. c. 2.

Dissert. c. 7. cit.

Prud. epist. ad Guenil.

Lupus Ferrar. ep. 38. & 73.

Episcoporū nomina.

Sequuntur in Hincmari catalogo Episcopi: Folcoinus Morinensium, qui paulò pòst à Carolo Rege delectus est ad visitandas cum aliis prouincias. Theudericus Camaracensium, qui restitutionem Ebbonis in sedem Remensem libello ad Concilium restituentium Episcoporum misso, approbauerat: estque vnicus absentium Episcoporum libellus, qui recitetur in narratione Clericorum Remensium, aduersùs Hincmarum litigantium. Rothadus Suessionensis, ex ipsius Hincmari scriptis & actis perquàm notus, proprius Gotteschalci Episcopus, quem vt suprà vidimus, monente Hincmaro deduxit ad Synodum. Ragenarius Ambianensium, qui Wenilonis iunioris Rothomagensium postea Archiepiscopi pater, hoc est, Episcopus, Doctor & Magister inferiùs dicitur. S. Immo Nouiomagensiū, qui aliis Conciliis non infrequenter subscriptus legitur. Eum *sanctitatis merito* [illegible], *suspiciendum* salutat Lupus Ferrariensis, cum eo magna, vt videtur, familiaritate coniunctus; qui & ab incursantibus Normannis captus & occisus, martyrij titulo decoratur. Erpoinus Syluanectensium, qui Synodo Vermeriensi subscripsit, & Ebbonis restitutionem, cum Lupo Catalaunensi qui sequitur, celebrauit, tum solus, cum Rothado, superstes eorum qui Hincmarum ordinauerant. Yrminfridus, siue Hermenfredus Beluacensis, & ipse pluribus in Conciliis nominatus. Pardulus Laudunensium, Herculis Theseus, hoc est, Hincmari socius & commilito, administer, omnia: quem deinde in Suessionensi II. Hincmarus cum Archiepiscopis duobus, Wenilone nostro, & Amalrico Turonensi iudicem suum nominauit. Teutboldus prouinciæ Lugdunensium, & Lingonicæ ciuitatis, & ipse in Vermeriensi Concilio subscriptus. Quem alterius & Prouinciæ, & Regni Episcopum, mirum est in his Synodis reperiri. Certè cùm Synodum Lingonensem, Carisiacæ alteri non penitùs æquam, respui videbimus in Tullensi, oculos reflectere poterimus ad eius vrbis Episcopum, Hincmarianis partibus ab initio addictum.

Habetur Tom. 2. hist. Franc. script.

Lupus Ferrar. ep. 42.

Gernobius denique Turonicæ Prouinciæ, quem sine dubio ad Comitatum priuata negotia adduxerant.

Alij illustres Clerici.

Secundus ordo eorum est, qui absque Episcopali consecratione, insignem dignitatis locum tunc obtinebant, vt Chorepiscopi, & qui deinde ad diuersos Episcopatus euecti sunt. Rigboldus igitur Remorum Chorepiscopus, ille Gotteschalci ordinator, inter ceteros eius iudices sedit; cum Witao Camaracensium item Chorepiscopo. Wenilo autem iunior, qui postea Rothomagensium Archiepiscopus, Ragenarium supradictum secutus est, quem deinde Carolus Caluus aduersùs Wenilonem Senonensem, in causa sua iudicem elegit, cum aliis tribus Archiepiscopis. Æneas Notarius sacri Palatij, qui aliquantò pòst, laudatus, & postulatus à Clero Parisiensi, in locum Ercamradi defuncti, ab eodem Wenilone Senonensi consecratus est Parisiacæ vrbis Episcopus, vir Carolo Regi, & bonis omnibus apprimè carus, & in pluribus postea Conciliis frequentissimus. Isaac denique tum Laudunensis Diaconus, deinde Lingonensis Episcopus, canonibus suis notus, sed illustrior sanctitate, qua Boni, siue Pij cognomen commeritus est.

Abbates qui Concilio interfuerunt.

Tertium ordinem faciunt apud Hincmarum Abbates, Ratbertus Corbeiæ, illustris ille scriptor, & primus Sacramentariorum impugnator, *non minùs vita, quàm scientia venerandus*, inquit Trithemius. Vt non mireris Ratramni Abbatem quæstionem de Prædestinatione neutram in partem attigisse, defendendo augustissimo altaris sacramento laudabiliter occupatum. Et diuinabit fortasse aliquis, secretum illud, quod ad eum scribens Lupus Ferrariensis *litteris comprehendere tutum non putat, tam autem est cognitu necessarium, vt quàm poterit celeriùs prætenta qualibet alia vtilitate, ad colloquium occurrere inuitet*; ad negotium Ratramni & Gotteschalci pertinere. Sequitur Bauo Orbacensis, quo ex Monasterio Gotteschalcus olim *irregulariter & inordinatè discessit*, atque adeò legitimus eius superior, cum iudiciaria potestate. Halduinus denique Altiuillarensium Abbatum celeberrimus, quo Monasterium regente Teugisus Monachus & Presbyter ex Romana peregrinatione S. Helenæ Augustæ, & aliorum Sanctorum reliquias, tanquam aureum vellus attulit: & erat tum Ecclesia Remensis, ait eius translationis narratio, *absque Episcopali benedictione*, hoc est, absque Archiepiscopo, sub Fulcone vel Nothone œconomis, eo decennio quod inter Ebbonis depositionem, & Hincmari ordinationem interiacet. Quo & ipse Halduinus Caroli Regis iussu à Lupo Catalaunensi Episcopo Presbyter & Abbas ordinatus est, vt olim dicebamus, neque tacet Flodoardus. Hincmaro verò postea translationem S. Remigij celebrante, præsens ipse interfuit, vt vel hinc videamus, Hincmaro fuisse semper beneuolentia coniunctum. Halduino defuncto nemo legitur successisse, neque Altuillarensis Abbas vllus nominatur ante Norgaudum anno 1040. electum, qui sub Leone nono Remensi Concilio adfuit, anno dominico 1049. Est autem verosimile tum temporis susceptam loci curam ab Archiepiscopis Remensibus, eius in S. Niuardi persona fundatoribus. Eum verò semper ratione quadam peculiari obnoxium fuisse Archiepiscopo, ex ipso Hincmaro apparet, qui epistola ad Egilonem Altumuillare Cœnobium *Cellam suam* vocat, & ab Anselmo Monacho res personásque Monasterij ita fideliter describi præcipit, *vt missi dominici nihil ibi falsum possint inuenire*. Altmannum quoque Monachum de ambitu accusatum ad Monasterium suum Altumuilarense redire imperat, *vbi lectioni & orationi, deflendo delicta iuuentutis suæ vacare, procuret*. Quæ qui meminerit, non mirabitur inferiùs Gotteschalco carcerem hoc in Monasterio fuisse delectum. Neque fuit omittendus in Historia Hincmari nominatissimus Wlfadus, Remorum Metropolis œconomus, qui ab eodem Hincmaro gradu deiectus, Nicolai Pontificis auctoritate restitutus est, ac deinde iubente Carolo Rege Bituricensi Ecclesiæ præfectus, quòd cum Rex esset expertus in educatione Carlomanni filij *& ingenio strenuum, & moribus probum, & sibi in omnibus fidelissimum*. Agmen claudit Rodoaldus Archidiaconus, putà Remensis eiusdem Ecclesiæ, *cum aliis sequentibus Cleri ordinibus*: quibus admixtos fuisse Monachos, Abbatum suorum comites, res ipsa loquitur, & aliquo loco historia exigit.

Trithem. l. de viris illustr.

Lupus Ferrar. ep. 57.

Halduinus celebris Abbas.

Theogisum vocat Trithem.

Chron. Hirsaug. ann. 849.

Flodoard. l. 3. c. 11.

Altiuillarense Monasterium.

Hincm. epist. 24. ad Egil.

Flodoard. l. 3. c. 28.

Epist. Caroli Calui ad Nicol. in Concil. Tricass.

CAPVT XVI.

Gotteschalcus in ea Synodo auditus condemnatur.

Gotteschalcus auditur in Synodo.

ITAQVE ad sanctum illud & eruditum tribunal sistitur Gotteschalcus, manu libellum, fronte impudentiam, lingua maledicentiam præferens, hæreticus cataphractus. Erat libellus, fidei professio, vt priùs in Moguntino, farrago fragmentorum ex Augustino & Patribus excerptorum, quibus opiniones suas fulcire conabatur: impudentia & maledicentia, vltimum propugnaculum, quò se reciperet ab aliis deiectus, qui salutem oblatam respuere, & sine missione certare obfirmato animo destinauerat. Qui libellum hunc ait *exemplar eius fuisse, quem in Rabanum scripserat* (scribit Hincmarus, *ad Rabanum*) *ex quo Hincmarus exscripsit fragmenta in opere de Prædestinatione*, planè diuinat, & quanquam minimùm interest id negare, tamen *nullo auctore* dici non patior. Quibus de rebus cum reo sit actum, parebit facilè consideranti, aliam penitus esse iudicij istius, & superioris Moguntini conditionem. Hoc enim Germani tantùm egerunt, ne perniciosa doctrina ab externo homine in regnum & prouincias suas illata, rectam suorum fidem, & salutis studium corrumperet. Quamobrem satis habuerunt doctrinam damnare vt hæreticam, & hominem cum suis deliriis eiicere, nunquam reuersurum: addito ad demensum consilio, priùs vt coërceretur carcere, quàm noxium semen latiùs spargeret; quod caput, sententiam iuridicam non esse monstrauimus, neque supplicij quicquam in eum fuisse decretum. Hic autem coram veris & legitimis iudicibus suis sistitur Gotteschalcus, Archiepiscopo, Episcopo, Abbate, Rege, quo-

Dissert. c. 9.

rum ſingulis pro modo ſuo ius eſt in repertum nocentem animaduertendi; quibus proinde non doctrinam modò, verùm etiam vitam moréſque ſuos præſtare debet. Itaque rogari oportuit à iudicibus, de dubiis articulis, de inordinato diſceſſu à monaſterio, de gradu ſacerdotij contra Eccleſiaſticas regulas vſurpato, de ſparſis per Italiam & Germaniam in fide nouitatibus, de Doctoris officio abſque legitima miſſione, contra Monaſticam profeſſionem aſſumpto. Iuſſus eſt eam exponere doctrinam quæ Synodali Germanorum epiſtola continetur; quam ob cauſam expulſus eſt, & dignus cuſtodia iudicatus. Habitam enim vtriuſque capitis cognitionem docet & iudicum ſententia, & ſecutus carcer, & ratio ipſa, quæ ſubditum tot legum violatarum accuſatum, peruerſi dogmatis introductorem alibi iam deprehenſum, coram audiri poſtulabat.

De capitibus doctrinæ interrogatur

Ductum videtur à moribus quæſtionis initium, iiſque breuiùs tractatis, quoniam facto continebantur, ad canones Eccleſiaſticos, & ad regulas Monaſticas facilè exigendo, quod in clauſtro commodiùs actum foret: plus laboris & otij poſitum in doctrina, per ſe non explicatiſſima, & verſipellis hæretici artibus impeditiore. Quis enim dubitet reſpondiſſe quæ ad ſtabiliendam cadentis cauſæ imbecillitatem facere poterant, Auguſtini dicta detruncata ſine reſpiratione aliqua memoriter decantaſſe, libellum obtuliſſe iis ad vmbilicos refertum? Ac fuiſſe propoſitas quæſtiones omnes quatuor, habemus in epiſtola ad Lugdunenſes ſcripta, *De aliis verò ſententiis, quas & antea prædicaſſe, & tunc in Synodo propoſuiſſe, nec vllatenus mutare voluiſſe firmatur, ignoſcat nobis vnuſquiſque Lector*, &c. Nec audet ex toto negare Diſſertator, ſed tantùm ait *Doctrinam de prædeſtinatione, & reliquis capitulis non fuiſſe notatam, nec aliter reprobatam.* Cuius dicti veritas ex iis quæ narranda ſunt, innoteſcet. Alibi quoque monet Hincmarus, contra Chryſoſtomum declamatum eſſe à Gotteſchalco, *Quem magnum virum in Synodo, & etiam in ſuis ſcriptis Gotteſchalcus reprobus reprehendit.* Fuit ergo eius auctoritas propoſita, igitur de quæſtionibus Theologicis diſputatum. Nam hęc omnia priùs expendi ſeriò & diligenter oportuit, quàm certi quicquam in alteram partẽ definiretur. Idque ita factum Hincmarus Laudunenſem nepotem expreſsè docet, eius calumniam in mores hæreticorum reiiciens. *Quod de me dicere diceris, Gotteſchalcus hoc de ſcripturis facere conſueuit, illas ſcilicet detruncare, & ad ſuum ſenſum violenter inflectere: ſed & ea quæ in canonicis libris non continentur, auditoribus ſuis proferre, ſicut & ſupra priſcos hæreticos facere conſueuiſſe oſtendi. Et quoniam hæc egiſſe Gotteſchalcus in conuentu Epiſcopali conuictus fuit, idem Concilium, ſicut ſcriptum eſt, qui imponit ſtulto ſilentium, iras mitigat, ſilentium ei impoſuit.* Eodem alludit Ioannes Scotus, qui licèt vnius de Prædeſtinatione quæſtionis meminerit, acriter tamen cum illo diſceptatum, eúmque de gradu deiectum obiicit; eique narrationi aduerſariorum nemo refragatur. *Duas prædeſtinationes & aſſerere cœpiſti mendosè incautus apud Rabanum, & defendere contumelioſè ſudaſti ſuperbus*, in Synodo Cariſiacenſi, *& modica conuictus auctoritate fugiſti, & apertiſſima veritate proſtratus occubuiſti, occumbendo ſiluiſti, ſilendo poſteriora prioribus peiora excogitaſti*, ſcribens in carcere, contra interdictum. Aderant inter ceteros Hincmarus, & Paſchaſius Ratbertus, à quibus vehementibus & aculeatis interrogationibus vrgeretur, viri & ardore zeli, & Theologica eruditione præſtantes.

Eccleſ. Lugdun. l. de 3. epiſt.

Diſſert. c. 10

Hincm. l. de prædeſt. c. 16.

Hincm. l. 55 cap. c. 43.

Ioan. Scot. l. de vn. prædeſt. c. 3.

Iudices conuiciis impetit.

Dum premitur vaniloquus, dum veritas eminere incipit, dum genuina Patrum, & Auguſtini dicta, mens Catholica, pleni loci proferuntur, iam ſubſidente mendacio, & ringente hæreſi, furor ex deſperatione vincendi Hincmarum, adhuc recentem ſatis è Monaſterio, Bauonem ingenio & ſcientia parum celebrem, coram Monachis Orbacenſibus contubernalibus olim ſuis, aut Corbeienſibus Ratramno inſultaturis, certa & pertinax conſiſtendi in priuatis opinionibus obſtinatio, ſuperbia, innatum hæreticis malum, homini ad extremum conuicia & effrenem impudentiam ſuggerunt. Sic enim ſcribens ad Eccleſias Hincmarus. *Multis audientibus nihil dignum ratione vel dixit, vel interrogatus reſpondit: ſed vt arreptitius, cùm quid rationabiliter reſponderet non habuit, in contumelias ſingulorum prorupit.* Hic enimuerò de repente occupat Abbates & Monachos, regulari vindictæ aſſuetos, indignatio; exclamant frenum petulanti linguæ iniiciendum, virgas ex regula S. Benedicti expediendas vrgent. Addunt alij, ac fortaſſe Hincmarus, cui ad manum Canones, illud ipſum in Clericos abſque licentia & litteris Epiſcopi ambulantes, in Agathenſi Concilio decretum, cuius etiam culpæ reus eſt Gotteſchalcus. *Et propter impudentiſſimam inſolentiam ſuam, per regulam S. Benedicti à Monachorum Abbatibus, vel ceteris Monachis dignus flagello adiudicatus.* Quas hoc loco partes egerint Monachi, erit inferiùs cum Lugdunenſibus quærendum; modò primæ huius condemnationis, qua peruerſi Monachi vita moréſque corriguntur, regulæ ſunt aperiendæ.

Hincm. epiſt. ad Eccleſ. Lugdun. apud l. de 3. epiſt. c. 24.

Eam ob cauſam damnatur ad virgas.

Nam Canon Agathenſis Concilij, poſtquam verbera decreuit in Clericos malè ambulantes, addit, *In Monachis quoque par ſententiæ forma ſeruetur; quos ſi verborum increpatio non emendauerit, etiam verberibus ſtatuimus coërceri.* Benedictinam verò regulam optimo iure aduocant Monachi, aduersùs Monachum pluribus in eam modis incurrentem. Hincmarus ad hoc iudicium manifeſtè alludens, eam ſic laudat, poſt Agathenſem Canonem productum. *Quod & ſancta regula eodem Spiritu ſancto, quo & ſacri Canones in venerandis Conciliis, per os Beati Benedicti promulgata, ſecundo capitulo iubet, indiſciplinatos ſcilicet & inquietos duriùs arguere, & improbos, & duros, ac ſuperbos, vel inobedientes, verberum vel corporis caſtigatione, in ipſo initio peccati coërcere: ſicut ſcriptum eſt, Stultus verbis non corrigitur: Et, Percute filium tuum virga, & liberabis animam eius à morte.* Sed & alia poſſunt opponi capitula, quorum violatam auctoritatem ſarcire debeat. Nam frequenter admonitus, & à Concilio Moguntino dignus carcere iudicatus, cui ſolet adiungi excommunicatio, non reſipuit. *Si quis frater* (ait regula) *frequenter correptus pro qualibet culpa, ſi etiam excommunicatus non emendauerit, acrior ei accedat correctio, id eſt, vt verberum vindicta in eum procedat.* Monaſterij iugum excuſſit filius Belial, & clauſtro egreſſus, inuito Abbate,

Concil. Agath. Can. 38.

Hincm. l. de non Trina Deit. c. 2

Reg. S. Bened. c. 28.

per Italiam, barbaras regiones, & Germaniam vagatus est, litteris Synodalibus *gyrouagus* appellatus. *Similiter & qui præsumpserit claustra egredi Monasterij, vel quocunque ire, vel quippiam quamuis parum, sine iussione Abbatis facere, vindictæ regulari subiaceat.* Episcopos iudices suos, & cum iis Abbatem suum, contumacia læsit, & conuiciis, & se noluit recognoscere, vel aliquo modo humiliare profusus, vt epistola Hincmari superiùs citata narratur. *Quòd si quis contentiosus reperitur, corripiatur. Si quis autem frater pro quauis minima causa ab Abbate, vel à quocunque Priore suo corripitur,* &c. *Mox sine mora, tamdiu prostratus in terra ante pedes eius iaceat, satisfaciens, vsque dum benedictione sanetur illa commotio. Quod si quis contempserit facere, aut corporali vindictæ subiaceat, aut si contumax fuerit, de Monasterio expellatur.* Quibus omnibus expensis, quis iniuriam putet homini factam, quando *propter impudentissimam insolentiam suam, per regulam S. Benedicti à Monachorum Abbatibus, vel ceteris Monachis dignus flagello adiudicatus est?*

Ibid. c. 67.

Ibid. c. 71.

Defenditur hæc pars iudicij aduersùs Dissertatorem. c. 9.

Alia omnia videntur Dissertatori clementissimo, cui verbera illa, æquè penè vt ipsi Gotteschalco, putes dolere. *Nec leges,* inquit, *nec Agathenses Canones, nec regula S. Benedicti, nec alia qualibet constitutiones quadragenarium Sacerdotem flagris adiudicant.* Quapropter Hincmarus ipse immanitatem illam Monachorum, non Episcoporum & Ecclesiæ iudicio assignat; *quod ab Ecclesia Lugdunensi quasi absurditatibus plenum reprobatum est.* Sed & in epistola ad Nicolaum Papam, puduit Hincmarum ipsum *verbera & depositionem referre, & ex tribus illis pœnis solius reclusionis meminit, & hæc ad durissima verbera damnatio piorum omnium aures offendit.* Constat hæc obiectio multis capitibus perquàm leuibus. Nam vt ab vltimo incipiam, apud Nicolaum egit Hincmarus de reclusione sola, quia eius solius rationem exigebat à Diacono Luidone, vt suo loco dicetur. At non ita erubuit *ea verbera referre*, vt libro vnico bis commemorarit, & Ecclesiæ Lugdunensi narrarit ingenuè. Huic verò Ecclesiæ hac de re satisfaciemus alio capite, non supplicij naturam, sed eius indicendi & exigendi modum reprehendenti. De primo igitur capite dicendum modò, & admiranda in primis acutissimi Dissertatoris solertia, qui opere ineunte, *nullo auctore*, sola sua *meditatione & collatione* præuia, Chronologiam ita concinnauit, vt Gotteschalcum anno 848. quo ad eum scripsit Walafridus Strabo, *maiorem quadragenario* esse dixerit. Equidem cùm id primùm legi tam accuratè expressum, nesciebam eò prouidentiam historici Chronologi tendere, vt anno 849. iniustè virgis cæsus fuisse diceretur, quia id in quadragenarium non licet. Atque hoc indignior est illa verberatio, quòd ei præsedit *Hincmarus à tribus annis ex Monacho Archiepiscopus, nec saltem ætate maturus:* qui iam olim à Ludouico Pio Augusto ad arcana consilia totos octo annos fuerat admotus, adolescens scilicet, aut puer inuestis: quem eximiæ reformationis in Monasterio suo & suasorem, & ducem primum extitisse vidimus, cui vel eam ob rem, si maturitas ætatis defuit, virtutis senium non potest denegari. Malè autem sit illis *Abbatibus & ceteris monachis*, qui similem sui cùm ad virgas poscerent, aut non animaduerterunt esse illum *quadragenario maiorem*, atque adeo extra iactum virgarum: aut regulam suam etiam ad maiores quadragenariis extendi malè iudicarunt. Erat tamen tum apud eos regulæ vsus interpres, & sciebant alio loco de pueris acriter verberandis agere S. Benedictum; productis autem regulis infinitè, nullo ætatis aut ordinis respectu dici, *si quis frater: qui præsumpserit*, & similia. Narrat vita Rabani, Adelhardo dispensatori domus violentas manus à piis defunctorum manibus iniectas, quòd parciùs quàm Abbatis voluntas ferret, eleemosynas erogaret: *Consurgunt mox impetuosè*, ait Trithemius, *hominum defunctorum terribiles vmbræ, prostratumque nimio pauore videntes, indumentis virtute occulta spoliant, & dorso, non solùm vt nobis est consuetudo castigandis, nudato, sed insuper toto corpore miserum cædunt, sensibiliter virgis verberant, percutiunt, horribili vocis imagine consonantes.* Quæ autem patientiæ Gotteschalci par oratio potest inueniri, qui damnatus ad flagella, vir sacerdos & quadragenarius, leges, canones, regulam, consuetudinem non appellauit contra *inhumanitatem Hincmari*, & Monachorum iniustitiam, decernentium aduersùs sacerdotem quadragenarium, quod in solos pueros constitui credit, ignarus disciplinæ monasticæ Dissertator. Et Paulus quidem iam vinctus, iam flagellatus, Ciuem se Romanum esse contestatus est, & iudicum suorum iniquitatem publicauit: Gotteschalcus autem spirans constantiæ simulacrum, tam indignè & acerbè, tam contra leges & regulam pulsatus, de iniuria illi irrogati contumeliosissima nullo vnquam verbo questus reperitur. *Nec leges*, inquit, *nec canones Agathenses quadragenarium Sacerdotem flagris adiudicant.* An etiam eximunt? ést-ne lex aut regula pro scapulis, quæ sacerdotem quadragenarium, vt olim ciuem Romanum, virgis cædi prohibeat?

Hincm. l. de non trina Deit. c. 1. & vlt.

Dissert. c. 1.

Trithem. l. 2. vitæ Rabani.

CAPVT XVII.

Sententia in Gotteschalcum lata, & eius executio in Synodo facta, ab æmulorum, præsertim Lugdunensium, calumniis vindicatur.

Sententia in Gotteschalcum ab omnibus lata.

SIC orando causam, seipse damnabat pessimus aduocatus. Lite contestata, & reo vltra clepsydras audito, Hincmarus cum Concilio loquutus, sententiam pronunciat, hominémque condemnat hæreseos, & morum improborum. Dictantur pœnæ criminibus conuenientes, vtrisque, depositio & excommunicatio; hæresi præterea carcer & silentium; improbitati virgæ: quæ tamen omnia verbo vno, & retractationis libello redimere liceret. Videntur omnes in eandem sententiam pedibus iuisse, neque de Carisiaca, quod de Moguntina Synodo, dici potuisse, *vt plurimis visum est:* patribus omnibus *impudentissimam insolentiam* Monachi indignè ferentibus. Verùm omnem eius inuidiam refun-

Dissert. c. 9. dit Dissertator in vnum Hincmarum, quem præter ceteros amore Gotteschalci acerbissimè persequitur; illam ait *inimica ipsius Hincmari lingua dictatam, aspera manu exceptam, & calamo felle tincto scriptam, non tam seueritate, quàm sæuitia & inhumanitate vsurpatam.* Quæ amplificatio probabilior erit, cùm sæuitiæ illius causam declamator (neque enim historicus) aliam monstrabit præter hæresim & pertinaciam rei; cùm præcedentes simultates, offensiones, minas interiectas in *meditatione & collatione* reperit; cum certis auctoribus, non diuinatione, & coniectura probauerit, non omnia sententiæ capita fuisse à iudicibus dictata, sed ab Hincmaro per Pharaonicam crudelitatem addita. Eius ergo sententiæ, sæpius iam editæ, tenor hic est, & iste titulus.

Titulus sententiæ præfixus. *Ecclesiastica sententia in pertinacissimum Gotteschalcum, propter incorrigibilem obstinationem illius, in Synodo apud Carisiacum habita, à XII. Episcopis Ecclesiastico vigore prolata.* Hæc inscriptio recentis notæ non est, sed *ex antiquis schedis à Nicolao Camuzatio missa* ad eum qui primus edidit, Sirmondum, in Notis ad hoc ipsum Concilium: vt in primis intelligamus, iam ab antiquo Gotteschalcum *pertinacissimum, incorrigibilem, obstinatum* fuisse agnitum: & cum titulum ab eius manu acceptum esse, qui Prudentium Hincmari Theologiæ non fauentem, in Episcoporum Tricassinorum catalogo inter Sanctos refert; eum proinde Gotteschalci opinionibus non adhæsisse fateri debet. Deinde, sententiam illam discimus, non à Monachis vlla ex parte, sed totam ab Episcopis latam; cùm definitiuo suffragio in Conciliis præditi non sint Monachi, sed Episcopi soli Ecclesiæ Principes, & ex eiusdem Ecclesiæ priuilegio, Abbates, quod expressiùs infra repetetur. Præterea, *Ecclesiasticum* in ea *vigorem* laudari, quasi Arius aliquis, aut Eutyches magna factione metuendus in generali aliqua Synodo damnatus sit. Quod referendum videtur ad multiplicis supplicij acerbitatem, cui similem certè ante hæc tempora in historia Ecclesiastica ægrè reperies: vt præteritorum seculorum hæreticis deteriorem oporteat fuisse Gotteschalcum, cuius adeò seuera condemnatio, non rigoris, sed *vigoris* effectus sit. Quis etiam non sentiat præsentem & oculis subiectam impudentiam, exemplo præteriti carentem, zeli asperiùs excitandi potentem fuisse? Denique, quòd ab Episcopis duodecim lata dicitur, sunt autem ex Hincmaro tredecim antea commemorati, leuis momenti est, cùm facile fuerit mendum in numeri notam irrepere: aut si vis, Teutboldi Lingonensis, qui ad Regnum Caroli Calui non pertinebat, sententia potuerit non numerari, licèt eo præsente sit peractum iudicium. Audiamus sententiam.

Tom. 3. Concil. Gallic. in Notis.

Synodi sententia in Gotteschalcum. *Frater Gothescalc, sacrosanctum sacerdotalis mysterij officium, quod irregulariter vsurpasti, & in cunctis moribus, ac prauis actibus, atque peruersis doctrinis eo hactenus abuti non pertimuisti, iudicio Spiritus sancti, cuius munus est sacerdotale officium, per virtutem sanguinis Domini nostri Iesu Christi, noueris tibi esse, si quo modo suscepisti, sublatum, & ne vlteriùs eo fungi præsumas, interdictum. Insuper quia & Ecclesiastica & ciuilia negotia, contra propositum, & nomen Monachi perturbare contemnens, iura Ecclesiastica præsumpsisti, durissimis verberibus te castigari, & secundùm Ecclesiasticas regulas ergastulo retrudi auctoritate Episcopali decernimus. Et vt de cetero doctrinale tibi officium vsurpare non præsumas, perpetuum silentium ori tuo virtute æterni Verbi imponimus.*

Explicatur. Implexa est, & obscura hæc sententia, cui lumen aliunde priùs accersendum est, quàm enucleatiùs tractetur. Hincmarus qui eam negari non potest animo perfectissimè comprehensam habuisse, ad illam manifestè respectans, & in Gotteschalcum ipsum scribens, libro de non Trina Deitate, sic loquitur. *Ipse verò pseudo-Monachus, vel alius, hoc vel alio aliquo modo fidei sinceræ adulterator, & apertus hæreticus,* &c. *Qui talia contra Canones sacros præsumit, si gradum Ecclesiasticum videtur habere, eo priuari, vel ab Ecclesiastica communione separari est dignus. Secundùm regulam autem sancti Benedicti, improbus, durus, & superbus, vel inobediens, verberum, vel corporis castigatione, non solùm in sua pertinacia permanens,* (non iubet expectari regula, vt sæpe monitus in malo animi proposito contumaciter persistat,) *sed & in ipso initio peccati, est coercendus, & à sanis Christi membris censura Ecclesiastica segregandus, ne vna ouis ineuitabili morbo languida, totum gregem contaminet.* Quantò ergo iustiùs illud supplicij genus decernendum fuit in Gotteschalcum, qui in Synodo Moguntina visus est *incorrigibilis*, & in errore *pertinacissimus*: in Carisiaca autem *impudentissima insolentia*, contumeliosus in iudices? Alio eiusdem libri loco importunitate Gotteschalci discipulorum fatigatus, edicit & minatur Archiepiscopali auctoritate, si quis vllum errorem, eorum *pro quibus contra Catholicam fidem, & doctrinam B. Augustini, & contra decreta sancti Cælestini Papæ, contráque ceterorum orthodoxorum traditionem sentiens condemnatus est Gotteschalcus, sequi, & deinceps dogmatizare, & irreuerentiùs in sua obstinatione permanere præsumpserit, vindictæ canonicæ subdendum.* Et post aliqua de obedientia prælatis debita, rediens ad eos qui *pestilentissimè, pertinaciter, & ex studio* fidei decreta *violant atque conuellunt*, quia *ignoranter non valent offendere*: *Si per contemptum*, inquit, *deinceps offenderint, quod dicimus satis inuiti, quem non correxerint verba, suscipient verbera, & cum gradus priuatione, atque corporis & sanguinis Christi separatione, vt Gotteschalcus pertinacissimus damnatus est, condemnabitur exilij, vel ergastuli relegatione, quatenus cum eo habeat partem, cuius sequi delegit errorem. Sed & regula sancta professionis Monachorum, capitulo vicesimo sexto decernit, vt talibus se quolibet modo inconsultè coniungent, sortiatur excommunicationis vindictam.*

Hincm. l. de non trina Deit. c. vlt.

vel con-iungit hoc loco, vt ex sequentibus patet.

Ibid. c. 2.

Quæ condemnationis causa sententia continetur. Ex his collectè consideratis, luce meridiana clarius est hæreseos, & improbitatis ergò damnatum fuisse Gotteschalcum: & hæreses quidem singulas in Concilio expensas, & proscriptas esse, quæ tamen sententia non exprimuntur, quas & nos breuitatis causa describere prætermisimus, alio loco referendas: Patribus generale nomen *doctrinarum peruersarum* vsurpare contentis, & eum deinceps pro *fidei sinceræ adulteratore, & aperto hæretico* habentibus. Morum quoque peruersitatem communi primùm

nomine, *in cunctis moribus ac prauis actibus* comprehensam esse; sed tria deinde capita singillatim appellata, quia Ecclesiasticæ Hierarchiæ ordinem magnopere perturbabant, & pessimi erant in publicum exempli. Nimirum, sacerdotale ministerium irregulariter vsurpatum: Ecclesiastica & ciuilia negotia perturbata: & Doctoris officium, contra Monachi propositum, propria auctoritate, & nullius prælati missione præsumptum. Citata verò sancti Benedicti regula *superbum, inobedientem, pertinacem* significari, verbo vno *improbum*. Quamobrem qui docet Amplissimus Dissertator, non fuisse damnatam ea sententia doctrinam Gotteschalci, hoc est, hæreses & errores: omnia quæ conuiciatur Hincmarus de eius mente ferina, ordinum susceptione inscio Rothado, irregulari discessu à Monasterio, peregrinatione in barbaras regiones, contumeliis in Episcopos iactis, & plura eiusce modi, *commenta penitus esse, ab æquo iudice reiicienda & exhorrenda*, quia sententia non traduntur expressè, & *causam condemnationis extra sententiam ipsam quærere, prorsus iniquum est*: hæc inquam qui docet & asserit, neque sententiam expendit accuratè, quæ præcipua exprimit: neque monstrare potest, aut cetera ad formulam communem, *in cunctis moribus ac prauis actibus*, non referri: aut in iudiciali sententia satis non esse, si grauissima crimina, quæ maximè supplicium mereantur, expressa sint: verùm etiam vlteriùs requiri, vt tota rei vnius & damnati vita specialiter explicetur; aliàs quæ de illo sic tacuerit sententia, ea *commenta esse* accusatoris, *ab æquo iudice exhorrenda*.

Refellitur Dissert. c. 8.

Habemus & ex illis, quinquepartitam esse condemnationem, in qua legimus depositionem, verbera, carcerem, excommunicationem, silentium. De carcere & silentio dicetur alibi pluribus. Depositio, non sine hæsitantia, & vt vocant, hypothesi, irrogata, eam ob causam, quam ineunte libro exposuimus. Licèt enim *irregulariter*, absque Rothadi consensu Rigboldum adiisset consecrandus, tanti tamen non erat defectus ille, vt depositionem mereretur, si aliunde potuit validè consecrare Rigboldus. Iam verò cùm decretum istud sit factum Rigboldo Chorepiscopo præsente, potuit ille factum suum in Concilio rationibus tueri, quas nemo posteritati tradidit; quæ quia iudicibus nonnullis probatæ sunt, aliis & fortasse pluribus improbatæ, controuersia autem de Chorepiscoporum potestate in illud iudicium non deferretur, decuit in medio relinqui, & cum conditione pronunciari, *si quo modo suscepisti* Sacerdotium, eo deiectus es. Quanquam & in eo iudicum moderatio elucescit, quod hæresi & incorrigibilitate spectata, priuari simpliciter & absolutè potuit sacerdotio, etiam secundùm omnes Ecclesiasticas regulas suscepto.

Pœna quintuplex sententia continetur.

Depositio.

In decernenda carcerali custodia, Germanorum consilium secuti sunt Carisiaci Antistites, cum ea clementia, & vt vocant, retento curiæ, vt ea solueretur, & Ecclesiæ communioni statim redderetur, vbi deposita peruicacia errorem agnouisset. Id enim admonet Hincmarus. *A qua damnatione si voluisses ad sensum Catholicum resipiscere, paratus semper fui, & sum, quoniam sic venerabiles iudicauerunt Episcopi, eum in Catholica Ecclesia communionem recipere, sicut ei iubeo necessaria ministrare.* Non fuit igitur perpetuus per sese carcer, nisi eum voluisset Gotteschalcus cum æterno continuare. Nominatur hîc etiam excommunicatio, vt duobus locis superiùs productis; quam obiicit & Amolo Lugdunensis. *Nec doles, quòd ecce tot annis à corpore Ecclesiæ iustæ seueritatis damnatione præcisus, atque omni bonorum contubernio ac solatio defraudatus, remansisti velut stirps inutilis, & palmes aridus igni destinatus.* Audiemus inferiùs, & rogatos per litteras ab Hincmaro, Rabanum & Prudentium, putént-ne Gotteschalcum ad id quod perfectum est admittendum? atque id negantem Rabanum, donec obstinationem posuerit. Nam si non fuit excommunicatus Synodali sententia Gotteschalcus, de præbenda Eucharistia quare dubitauit Hincmarus? Si malè dubitauit iste, quo iure voluit recusari Rabanus? Cur hoc malo animo addi ad sententiam per sese satis acerbam, questus non est Prudentius? Itaque quando colligit Dissertator, ex eo Gotteschalcum hæreseos in hac Synodo non fuisse damnatum, quia non fuit excommunicatus, si quid virium hoc in argumento vult inesse, oportet è conuerso, damnatum hæreseos agnoscat, quia excommunicatum post hæc testimonia negare non potest. Sed quod illam excommunicationem ab Hincmaro dicit inflictam, & iure à Gotteschalco moriente contemptam, nescio quàm verè pro historia, quámque modestè pro veneratione Ecclesiæ audeat asserere. Virgas denique, & silentium, in Rabani de Thiota pseudoprophetissa iudicio audiuerat iam antè Gotteschalcus: vt Doctoris officium malè assumptum sic castigari, nec queri posset, nec mirari. Ac virgarum supplicium non hæresi, sed *prauis actibus ac moribus* fuisse impositum, & Hincmarus exprimit, *vt improbum virgis cæsum*: & sententia, *iura Ecclesiastica præsumpsisti*: & exempla à Canonibus, & regulis sumpta, *secundùm Canones Agathenses, secundùm regulam sancti Benedicti*: & *peruersæ doctrinæ* mentio in depositione, non autem in hac animaduersione facta: & omnino, quòd istud pœnæ genus, pro aduentitio & accidentali ad hæretici condemnationem semper habuerit Hincmarus; atque vbi damnatum Gotteschalcum referre cogitur, hanc partem sæpius omittat, neque vnquam memoret Gotteschalcus.

Carcer Monasticus.

Hincm. epist. 17. ad Nicol.

Excommunicatio.

Amolo ep. ad Gottesc.

Virgæ improbitati, non hæresi inflictæ.

§. VNICVS.

Ecclesiæ Lugdunensis obiectionibus satisfit.

QVÆ obseruatio nemini non obuia, calumniam reuincit à Lugdunensibus in Carisiacam Synodum immissam, quasi contra Ecclesiæ instituta fuerit ob hæresim damnatus ad verbera, quam maiores nostri dedocere satis habebant. Idque inuidiosius ex eo faciunt, quòd vnius de Prædestinatione articuli ergò crudelem lanienam subiit. *Et quid ei de re tanta, vt postmodum ab Episcopis debuerit condemnari? Sed & de ipsis flagellis & cædibus, quibus secundùm regulam sancti Benedicti dicitur adiudicatus, quibus & omninò fertur atrocissimè, & absque vlla misericordia, penè vsque ad mortem dilaceratus.* Modus hic executionis, aliud querimoniæ

Prima obiectio Ecclesiæ Lugdun. l. de 3. epist. c. 14.

caput faciet. Habitemus modò in ipso genere supplicij, quod negant isti debuisse infligi, vel omnino ob errorem hæreticum, vel ob leuem illum quo Monachus laborabat. *Qui si aliquid tam grande & periculosum, contra fidem catholicam dicere præsumpsit, vt necessariò Synodali iudicio tali ac tanta damnatione plecteretur*, &c.

L. aduers. Ioan. Scot. c. 4. *al. quasi*

Responsio.

Primæ huic calumniæ vt satisfaciam, aio primùm mihi cum illis non malè conuenire. Siquidem agnosco formam illam supplicij ad expiandam hæresim in Ecclesia hactenus inauditi, ab hac Synodo excogitari non debuisse. Addo prætereà excogitatam reuera non fuisse, nec omnino adhibitam ea ex causa, vt superiora monstrarunt. Ac profectò cùm Agathenses Canones sequi profitetur, alios non negligit, in quibus Clericorum contumacia, non hæresis, verberibus coërceri iubetur: cùm dicitur *vt improbus virgis cæsus*, ac deinde ex consilio Synodi Moguntinæ ergastulo conclusus esse, *ne aliis noceret*, supplicia distinguuntur ex causis, & alterum malis moribus & impudentiæ quæ superuenit, alterum errori iam antea satis damnato, assignatur. Meminerant Præsules consultissimi, exilia ab Imperatoribus, non ab Ecclesia, in hæreticorum principes decreta: vexatum ab Hispaniensibus Episcopis Ithacium, quòd Priscillianum seculari gladio subdidisset. Denique nihil in hanc diem postulasse ab hæreticis Episcopos, præter retractationis libellum, quem si maturè & modestè dedisset Gotteschalcus, aut certè professionem erroneam igni tradidisset, tergo suo prudentiùs pepercisset.

Quomodo tractati ab Ecclesia hæretici.

Hi scriptores sibi inuicem contradicunt. L. aduers. Ioan. Scot. c. 4. cit.

Dico deinde, petere me vt ipsis Lugdunensibus inuicem conueniat. Nam aduersùs Ioannem Scotum non diffitetur Ecclesia illa Lugdunensis, errasse hac in re *miserrimum, & infelicissimum Monachum*: sed absque tanta supplicij atrocitate, notum errorem illum, si quis fuit, fieri potuisse, scriptis ad Ecclesias litteris, *propter cautelæ studium, ne eo plures inficerentur*. At eadem Ecclesia Lugdunensis alio in opere planè confirmat *quod illa quæ de diuina Prædestinatione dixit, iuxta regulam catholicæ fidei vera sint, & ideo in hac re dolendum, non hunc miserabilem Monachum, sed Ecclesiasticam veritatem esse damnatam*. Postulo tertiò ab hoc ipso Lugdunensi Epistolario, vt secum ipse consentiat, & nobis constanter edicat, probét-ne an improbet pulsatum flagellis fuisse Gotteschalcum? Explicet cui potissimùm causæ verberationem illam attribuat? Nam ad coniecta in Episcopos conuicia cùm attendit, supplicium exactum laudat, quanquam non sine momo; vult igitur illum hanc pœnam eo scelere promeritum. Cùm autem redit ad opinionem de prædestinatione, virgas illas vehementer odit: putat igitur ob hæresim malè damnatam verberatum fuisse, ac proinde iniuria. Quartò denique, Dissertatorem nostrum, confidenter hæc omnia pernegantem, quia non faciunt ad stomachum, & has Episcoporum contumelias, hanc impudentissimam insolentiam ad *Hincmari commenta*, & fabulas reiicientem, mitto ego ad Lugdunensem Epistolarium, nihil eorum denegantem: quod sanè iustissimè & inuidiosissimè fecisset aduersùs Hincmarum, & totam eius Synodum, si iisdem testibus, *qui præsentes aderant*, falsam

L. de 3. epist. c. 24. cit.

Dissertator ab illis scriptoribus falsi reuincitur.

esse didicisset conuiciorum & impudentiæ obiectionem, à quibus acerbitatem executionis accepit, & descripsit atrociter. Sed illud tunc inficiari, imò ne dissimulare quidem est ausus, ne omnium sibilis, vt Gotteschalcus virgis, vapularet; quod modò cum omni securitate fictum & commentitium esse affirmat Præses Monetalis, neque timet suscitari octo antè seculis mortuos, vt falsi reuincatur.

Queritur secundò Lugdunensis idem, miserabilem Monachum antè ab Abbatibus & Monachis, quàm ab Episcopis fuisse damnatum; priùs secundùm regulam sancti Benedicti, quàm iuxta Ecclesiastica iura actum; priùs flagellis addictum fuisse, quàm carceri. Sic enim narrat epistola quam confutat. *Et propter impudentissimam insolentiam suam, per regulam S. Benedicti à Monachorum Abbatibus, vel ceteris Monachis dignus flagello adiudicatus. Et quia contra canonicam institutionem ciuilia & Ecclesiastica negotia perturbare studuit indefessus*, &c. *ab Episcopis, & secundùm Ecclesiastica iura damnatus*. Hunc narrationis ordinem curiosè speculatus aduersarius, *absurdum* ait, priùs ab Abbatibus in Concilio, quàm ab Episcopis ferri sententiam. Olim ad solum Episcopale iudicium adduci solitos hæresis reos. *Nec priùs ab inferioris loci hominibus, iuxta Ecclesiasticam & Sacerdotalem, siue Monasticam verecundiam obseruari debuisse*. Errat in duobus scriptor, contradicendi libidine. Ingerit enim importunè supplicium illud impositum hæresi, vbi manifestè contumelias legit, & *impudentissimam insolentiam*. Deinde acclamationem illam Monachorum, ex rei indignitate, & zelo præferuido erumpentem, Synodalem putat esse sententiam, in qua dicenda Monachi Episcopis præiuerint. Ridiculè, cùm definitiuo suffragio in Conciliis præditi non sint Monachi, vt diximus: cùm tota sententia, & singulæ eius partes, decretæ sint, dictatæ, & latæ ab Episcopis, vt titulus ipse, imò sententiæ forma declarat, neque tacet Hincmarus cùm scribit, *ab Episcopis, & secundùm Ecclesiastica iura* fuisse *damnatum*.

Secunda obiectio Ecclesiæ Lugdunensis L. de 3. epist. c. 24.

Responsio.

Reperit Epistolarius tertium aliquid, quod hoc in iudicio reprehenderet; in sua videlicet causa iudices extitisse Episcopos: virgis meritò subditum fatetur, agnoscit eam animaduersionem impensam non hæresi, sed petulantiæ comprimendæ: facinus indignum à Monacho perpetratum, sed vindictam aliis iudicibus fuisse committendam. *Quod autem in Episcoporum contumelias dicitur prorupisse, verè hoc & impium est, & insanum, & omninò iusta vltione damnandum: licèt meliùs ab aliis, quàm ab ipsis*. Quibus *ipsis*? Nam si pars ista sententiæ ab Abbatibus, & Monachis profecta est, vt credit auctor, propriam causam non vindicarunt Episcopi. Sed nos ab Episcopis omni ex parte damnatum facimus. Quid? Non erant Episcopi veri & germani iudices Gotteschalci? Non fuerat priùs ad iudicium Metropolitani remissus, quàm cuiquam contumeliosus existeret? Erat aliud cogendum Concilium ex aliis Episcopis & Abbatibus ad istorum iniurias persequendas? Quid si & ipsos eadem insania, eiusdem spe successus, repetitis conuiciis violasset? an tertio item Concilio fuisset opus, & orbe toto commoto ad miserabilem monachum flagellandum?

Tertia obiectio.

L. de 3. epist. c. 24.

Quarta obiectio, de executionis seueritate. Sed maxima vis querimoniæ in executionis sæuitia posita est, quam miserabili hypotyposi oculis omnium subiiciunt; & quod ceteri tacuerunt, hoc soli præstant clienti suo Lugdunenses, vt bene nobis & luculenter fustuarium accepisse appareat. *Illud prorsus omnes non solùm dolent, sed etiam horrent, quia inaudito irreligiositatis & crudelitatis exemplo, tamdiu ille miserabilis flagris & cædibus trucidatus est, donec, sicut narrauerunt nobis qui præsentes aderant, accenso coram se igni, libellum in quo sententias scripturarum, seu sanctorum Patrum sibi collegerat, quas in Concilio offerret, coactus est iam penè emortuus, suis manibus in flammam eiicere, atque incendio concremare.* (Eod. l. de 3. epist. c. 25.) Non est ea narratio, vel potiùs amplificatio ab epistola, sed à rumoribus, qui referentium animo exaggerantur. Simplicior est, ac proinde fide dignior Annalium Bertinianorum historia. (Annal. Bertin. an. 849.) *Strenuissimus cultor Karolus, aduocato sanctorum memorata diœceseos Episcoporum conuentu, suis aspectibus præsentari decreuit, quò perductus publicè flagellatus, librósque suarum assertionum igni cremare compulsus est.* Sed esto, ad eam quæ sic amplificatur seueritatem, executio sententiæ deuenerit, qua id causa, cuius culpa factum est? *Iugi meditatione, & erudita collatione* non est opus, vt intelligamus, pœnæ per *impudentissimam insolentiam* plus nimiò commeritæ, reo & damnato gratiam à Patribus oblatam, si retractaret errores: paratum extemplo ignem, cui collectiones adulterinas traderet, quibus armatus ad Concilium, tanquam in arenam pugnaturus aduenerat: hortatos Præsules grauissimos ne seueritatem prouocaret, excusso de manibus libello, & ab animis iudicum rigorem, & ab eius mente hæresim recessuram: minimo suo impendio, magno Concilij gaudio, ingenti Ecclesiæ bono illata damna sarturum. Ipsum verò hæretica obstinatione, plagas vsque & vsque concoxisse, præconis ad fastidium. Grandinat vndique in scapulas quadragenariis maiores, pulsantur latera, totum corpus concutitur, riui sanguinis effluunt, inclamant præsentes vt resipiscat, inuitat ignis vt chartas abiiciat, animo linquitur in supplicio, stat in mente contumacia, & luctante cum dorso decorticato spiritu, mauult cruore flammam extinguere, quàm libello pascere. Quantùm boni perdidit, qui malæ causæ fortitudinem hanc impendit! Subacta tandem patientia est, non extorta sapientia; excussæ chartæ, non peruicacia; scripti errores igne absumpti, non impressi in animo. Diceres virgis tanquam malleis defixam altiùs hæresim, nulla vi ampliùs posse reuelli. Ex eo casu *miserabilem Monachum* perpetuò vocant Lugdunenses; ego ex statu. Ac licèt factum istud aduersùs hæreticum præteriti exemplo careat; posterior tamen ætas in iudiciis Ecclesiasticis virgas in hæreticos sæpe vidit expeditas: & fortasse huic æuo proximi iudices oculos retorserunt in Gotteschalcum, famosarum plagarum crepitu, qui tum viuentes excitauit, facilè in posterorum auribus insonante.

CAPVT XVIII.

Gotteschalcus in carcerem Monasterialem retrusus, quomodo ab Hincmaro tractatus sit.



SEQVITVR sententiæ pars quarta, Moguntino Concilio consulta, Carisiaco decreta, Carcer Monasticus, in quo foueri molliter, & vibices curare posset per otium. (*In Altiuillarensi Monasterio carceri addicitur.*) Eius causa iustissima, *ne aliis noceret, qui sibi prodesse nolebat,* & tamen hominum oblocutionibus, & inuidiæ obnoxia: quid enim bene agas iudicio malè tibi volentium? Electus prudenter ad eam custodiam locus. Tres, vt vidimus, erant in Concilio Abbates, quibus committi posset: Corbeiæ Paschasius Ratbertus; sed eum adiungi Rattramno, periculosum erat. Bauo Orbaci, ad quem professione pertinebat Gotteschalcus: sed eum primis annis coërcere non potuerat, & ad spiritus frangendos, iamdiu confirmatos in peruicacia, Rothado Episcopo non erat animi satis: neque deerat periculum ne à loquaci & subtili hæretico propinatum calicem Babylonium exhauriret. Supererat Halduinus Altiuillaris Monasterij Abbas in Remensi diœcesi: aptum hîc domicilium, & ad manum Hincmaro, ob rationem antea notatam. Id ipse narrat Pontifici. (Hincm. ep. 17. ad Nicol.) *Iudicio præfatarum Prouinciarum Episcoporum, in nostra Parochia, quoniam Rothadus de cuius parochia erat, illi nesciebat resistere, & nouitatis amans, timebatur à nobis ne disceret praua sentire, qui noluit discere recta docere: néve idem Gotteschalcus cum aliis communem vitam ducens, errori suo faceret esse communes, monasteriali custodia mancipatus est.* Breuiùs alibi, *Gotteschalcus in conuentu Episcopali reuictus fuit, idem Concilium silentium ei imposuit, mihique illum ad custodiendum commisit.* (Idem l. 55. capit. c. 43.)

Quem loci & custodiæ delectum, ab ipso Concilio, subscribentibus sine dubio Rothado & Bauone factum, & vt descripsimus, narratum ab Hincmaro, ita reprehendit acutissimus Dissertator, vt ex illis ipsis verbis probare se putet, custodiam Gotteschalci *ab ipso vsurpatam fuisse contra sanctas regulas, per quas Monachus, nisi ex superioris consensu, à Monasterio suo absolui non debet.* (*Refellitur Dissert. c. 9.*) Mira sanè *meditatio!* Cur enim *vsurpatam* ab vno dicit, quæ ab omnibus *commissa* est? Cur *contra sanctas regulas,* si nullo auctore, nullo verbo monstrare potest illud inuitis duobus decretum fuisse, aut vnquam eadē re vel leuiter questos? Tam fuit aut potens Hincmarus *à tribus annis Archiepiscopus, nec saltem ætate maturus:* aut tot Episcoporum, & Wenilonis ipsius Archiepiscopi grauissimi tam seruile ingenium, vt rem indebitam, reclamantibus legitimis possessoribus, *contra sanctas regulas vsurpari* permitterent? Sed quid ex miserabilis Monachi custodia compendij quæsiuit Hincmarus? Quid lucri accepit Halduinus? Quin sibi potiùs suisque gratulati Rothadus & Bauo, grandi se onere liberatos, libentissimis animis totam

F

verò à se frequenter & cupidè factum testatur antistes. *Per me, ac per fratres meos, sed & per frequentia scripta vt resipisceret, & à suis in Deum blasphemiis sensum, & os suum reuocaret, sæpe commonui; sed apud eum nihil profeci.* Vnius ex illis epistolis argumentum ab obliuione vindicat Flodoardus. *Gotteschalco Monacho, qui erat prolapsus in hæresim, de quibusdam sententiis auctorum, quas ille non bene intelligebat, vel exponebat,* &c. *Cui definitioni subscribere idem Gotteschalcus pertinacissimè recusauit.*

Hincm. l. de non trina Deit. c. vlt.

Flodoard. l. 3. hist. c. 28.

De concedenda communione deliberatur.

Et quoniam per ea tempora pœnitentiæ publicæ spatia decurrentibus, ac proinde excommunicatis, communionem nihilominùs indulgeri solitam certis quibusdam diebus, sciunt Ecclesiasticorum rituum periti; hoc etiam remedium tentari persuasit Hincmaro paterna caritas, & christiana mansuetudo, vt verè securéque diceret, quod postea nepoti suo, *quod meum fuit feci tibi:* si quidem absque fructu erga pertinacem, certè non sine mercede apud Deum. *Etsi enim æthiops niger in balneum intrat, & niger de balneo exit, non tamen balneator denarium, id est, pretium balnei sui perdit.* Ceterum hircino cruore dicitur emolliri durities adamantina, agni sanguine non soluetur quamlibet obstinati animi peruicacia? Sed in re tanta, vir canonum obseruantissimus, suo ingenio quicquam innouare veritus, consilium ab amicis postulat. *Prudentio Trecassino scribens,* ait Flodoardus, *se ab eo consilium quærere velle, de statu & compressione Gotteschalci; intimans quod de ipso actum, vel indicatum fuerat in Synodo, quo eum reclusum tenebat iudicio, & quia multis modis eum conuerti tentauerit, & de moribus ac superbia ipsius; & si in Cœna Domini, vel in Pascha, debeat illum admittere ad audiendum sacrum officium, vel accipiendam communionem.* Idem expetiisse à Rabano verni ieiunij tempore, *appropinquante Paschali solennitate,* ex ipsa Rabani responsione manifestum redditur, ne si vir magnus illud concedendum censeret, vlla esset in beneficio mora. Et quidem qui tum fuerit Prudentij sensus, nulla coniectura possumus assequi: nisi dicamus, meditata iam iniuria & simultate, de qua postea, nihil respondisse percunctanti, ne scripto illo Gotteschalcum lædere videretur, quem ibat defensum. Vnde latentem & de controuersia ad Hincmarum scribere fugitantem, iisdem litteris idem Antistes stimulat & excitat. Rabanus autem illam excommunicato impœnitenti, & adhuc hæretico gratiam contra canones, Ecclesiæ disciplinam, & certam rationem concedi magnopere dissuadet. *Interim donec illud fiat,* (ad Catholicam redeat doctrinam) *non laudo vt communio ei tribuatur. Ecce prædixi vobis, vt in die Domini nostri Iesu Christi non confundamini. Attendite quomodo vos sine crimine esse possitis, qui in Synodo vestra hanc sectam nefandam, simul cum hæretico damnastis, si modo ei incorrecto communicaueritis.* Verbo vno, nulla lex, nullus mos, nulla ratio permittit, homini ob hæresim & scelera excommunicato, hærenti obfirmatè in iisdem sceleribus, ante pœnitentiam, pacem Ecclesiasticam, & id quod perfectum est, redonari. Consilium suum Apostolico dicto confirmat Moguntinus. *Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem, deuita.* Quo deinde Remensis apud Nicolaum Papam vtitur, vt ipsum demonstret, iure consilióque optimo à ceterorum consuetudine per carcerem auelli. *Relinque ergo eum qui talis est,* ait Rabanus, *vt iustam expectet à iudice pœnam, eò quod in sua contumacia persistens, nullum ad correptionem suam vult accipere consilium.* Et tamen ex hac ipsa diuturna excommunicatione, ad resipiscentiam eum inuitat Amolo ille verè Lugdunensis, iis verbis quæ repetere non piget. *Nec doles, quòd ecce tot annis à corpore Ecclesiæ iusta seueritatis damnatione præcisus, atque omni bonorum contubernio ac solatio defraudatus, remansisti velut stirps inutilis, ac palmes aridus igni destinatus.*

Hincm. l. capit. 55. c. 55.

Flodoard. l. 3. hist. c. 21.

Raban. epist. ad Hincm.

Dissuadet Rabanus epist. ad Hincm.

Secta Gotteschalci nefanda.

Amolo ep. ad Gottesc.

Et hîc breuem obseruationem meretur Dissertatoria diuinatio, quæ habitam cum vtroque Prælato, Trecassino & Moguntinensi deliberationem, super Eucharistia Gotteschalco concedenda perpendens, ponit vt certissimum, *nemini vel minimum dubium subesse posse, quin Prudentius moderationis in ergastuli retrusione, & non denegandæ communionis saltem suasor fuerit,* & ea hanc ob causam anno illo donata sit, *donec sub anni sequentis finem, consilio Rabani ab omni communione fuit rescissus, quod ex Rabani epistola constat.* Quibus ex rebus confirmat Gotteschalcum, *non vt hæreticum condemnatum: neque enim dubitasset Hincmarus communione penitus recisum; & multò minùs consilio Prudentij feriis illis Paschatis admisisset.* Etsi non sum de Vlyssis genere, neminem tamen appellari me patior, & æquales multos numero, quibus grande dubium subsit, nihil à Prudentio fuisse responsum ad Hincmariana quæsita, proindéque eius suasu nihil hac in re fecisse Remensem. Addo, nullo certo auctore monstrari posse, datam vllo die Gotteschalco communionem, & à Rabano non argui præteritum, sed vetari futurum: *Quod ex Rabani epistola constat,* non verò illud aliud, quod affert diuinatio. Consectarium autem vtique ingratiis intrusum, non fuisse condemnatum de hæresi Gotteschalcum, nescio quo nomine sit appellandum, cùm illa ipsa epistola manifestissimè scripserit Rabanus, *in Synodo vestra hanc sectam nefandam, simul cum hæretico damnastis.* Et Amolo, dubitare se dicat, *vtrum respondere debeat homini, de nouis præsumptionibus contra Ecclesiam, & non paruis erroribus iamdudum accusato, & propter contumaciam, vt audio, Episcopalis Concilij auctoritate damnato.* Quid? Ignorabat Hincmarus, magna pars Synodi, quæ aduersùs eum fuerant constituta? Tam religiosus in leuioribus, rem tantam, quanta est excommunicatio, suapte voluntate, & auctoritate addidit? Quando? qua formula? quam nouam ob causam? Quid suadet Rabanus? an vt Gotteschalcum excommunicet, ac non potiùs, vt latam excommunicationem obseruet? Procedit igitur inquisitio illa ex mera Hincmari mansuetudine, & cura fraternæ salutis, qui quod pœnitentibus indulgebat Ecclesia, quæsito titulo in Gotteschalcum conferre conabatur, nulla professæ pœnitentiæ nota laudabilem. Vnde paret quàm vera contumelia, dicatur *sagax Hincmari crudelitas, vt securiùs in insontem sæuiretur.*

Refellitur Dissert. c. 11.

Synops. ad an. 849.

Amolo ep. ad Gottesc.

Iam vt carcerem claudamus, quid Monacho fiet correpto, excommunicato, pertinaci, incorrigibili? Quod S. Benedicti regula præcipit

Oratio facta pro Gotteschalci conuersione.

Reg. S. Bened. c. 28. Abbati, *Si exhibuit fomenta*, &c. *Si ad vltimum vstionem excommunicationis, vel plagas virgarum: & si iam viderit nihil suam praualere industriam, adhibeat etiam quod maius est, suam, & omnium fratrum pro eo orationem, vt Dominus qui omnia potest, operetur salutem suam circa infirmum fratrem.* Eò respexit Rabanus, & ipse Monachus. Raban. ep. ad Hincm. *Oretur autem pro ipso, vt Dominus qui omnipotens est, operetur salutem erga infirmum fratrem, vt tribuat cor docile, & recta fidei consentiens, quam fidem Catholica per totum orbem custodit Ecclesia: & resipiscat à Diaboli laqueis, à quo captus est, ad ipsius voluntatem, & reuertatur ad sanctam matrem Ecclesiam, vnàmque cum ea sentiat & profiteatur, & ipsam vnitatem pacis, & recta fidei deinceps quamdiu viuat, seruet.* Ex hoc caritatis & commiserationis spiritu, qui cæteriùs paulùm seuerior videbatur Hincmarus, testatur se diuinæ misericordiæ opem, quam sibi præstruebat reprobus, continuis precibus quæsiuisse. Hincm. l. de non trina Deit. c. vlt. *Quod & ego, qualiscunque, & quantulúsque peccator, etiam pro illo, etsi non credebat, dum tempus fuit, agere procuraui.* Cùm ex aduerso fingeret Gotteschalcus, diuinitùs prohiberi se, ne preces pro Hincmaro funderet. Ita pergit insanire furiosus, misereri Hincmarus, orare pro impio sancta fraternitas.

CAPVT XIX.

Quis fuerit istius Carisiacensis Synodi finis & effectus.



FINITA *causa est, vtinam finiatur & error*, inquiebat Augustinus de Cælestio & Pelagio Romæ damnatis. Poterat istud de nouis Prædestinatianis sperari, damnato & coërcito illorum principe, si vel Antistites Catholici summam manum negotio curassent imponere, vel omnes Gotteschalci discipuli Salomonem audissent monentem, Prouerb. c. 19. *Pestilente flagellato, stultus sapientior erit.* Verùm & illorum simplex fiducia, qualis solet esse veritatis possessæ; & istorum turbulenta obstinatio, quæ est anima factionis hæreticæ, pulcherrimos magni negotij progressus interceperunt.

Decretorū, & Synodalis epistola defectus reprehenditur. Et Episcopi quidem, hæretico duobus Conciliis conuicto & damnato, antiquam Ecclesiæ fidem in tuto esse arbitrati, neque vllis præterea expositionibus, aut nouis decretis opus fore, abstinuere condendis. Eiusdem pertinacia & improbitate flagellis longè latéque resonantibus subacta, & carcere compressa, tanti iudicij famam sperantes quaquaversum, absque litteris Episcopalibus spargendam, scribere neglexerunt. Vtrunque parum consultè. Nam rumoribus plagarum acerbitatem inuidiosè augentibus, discipulis doctrinæ fœditatem studiosè tegentibus, neque Carisiaci iudicij æquitas ad absentes, neque damnatæ hæreseos natura liquidè ac sincerè peruenit. Et miramur veras Gotteschalci propositiones, quas Moguntini & Carisiaci Antistites execrati sunt, nobis modò post tot secula obscuras esse, de iis vltro citróque disputari, vix illas, ac ne vix quidem accuratissima speculatione reperiri? Quamobrem iure suo, mea quidem sententia, queritur scriptor Lugdunensis, Ecclesiæ morem hac in re fuisse neglectum, quem vidimus à Rabano religiosè seruatum. Lugdun. Eccles. l. aduers. Ioan. Scot. c. 4. *Profectò dignum fuerat, iuxta antiquum Ecclesiæ morem, vt tantus error, propter cautela studium, ne eo plures inficerentur, cæteris Ecclesiis in diuersis regni partibus constitutis, etsi non in initio, quando tantum malum est deprehensum, vel in fine, quando tanta est seueritate damnatum, saltem postea per litteras Synodicas, & Ecclesiasticas ad omnium fratrum & Coepiscoporum notitiam perferretur. Quòd si more, vt dictum est, Ecclesiastico, semper à Patribus obseruato, factum fuisset, meliùs nunc sciremus, & paratiores essemus, ad redarguenda, & reuincenda, quæ iste eum docuisse proponit.* Siue dissimulat auctor notas sibi esse Gotteschalci opinationes, siue eas reuera ex asse cognitas non habuit, iusta videtur eius expostulatio. Fuisset enim prompriùs & efficaciùs extincta nascens hæresis, omnium Ecclesiarum Episcopis duorum Conciliorum iudicio fauentibus, & istas in religione nouitates, sublato ex oculis architecto, comprimentibus. Quod enim fecit Hincmarus Moguntini Synodica munitus, non æquè curassent cæteri duabus instructi? Deinde, vt ait Lugdunensis, hoc fuit ab antiquo in Ecclesiæ more positum, vt omnes & hæresim cauere, & hæreticorum consortio abstinere discerent. Imò & in excommunicatis illud tum adhuc vsurpabatur, cùm Hincmarus ipse Rainnero Episcopo scripserit Flodoard. l. 3. c. 21. *pro quodam Presbytero, quem Notho Archiepiscopus Arelatensis, ei litteris indicauerat abiectum canonicè, & excommunicatum à Synodo, altero Presbytero in eius loco constituto.* Erat autem excommunicatus, & abiectus canonicè Gotteschalcus: quæ fuit igitur ratio, cur hoc in negotio salubri consuetudini renuntiaret antiquitatis peritissimus Archiepiscopus, qui eius curam susceperat, & fideles omnes necessaria admonitione fraudaret? Dices nullum fuisse ab incarcerato periculum. At litteris cum incarcerato communicatur: & ergastulo detinebatur Gotteschalcus, cùm minaciter scribebat Hincmarus, secundùm regulam monasticam, quidni & addidit Ecclesiasticam sæpius repetitam? Hincm. l. de non trina Deit. c. 1. *Talibus se quolibet modo inconsultè coniungentem, sortiri excommunicationis vindictam.*

Eo defectu sibi nocuit Hincmarus. Nec minùs in eo Remensis ipsius causa priuatim vertebatur, vt arctiore quodam vinculo Synodo se coniungeret, neque ab ea faciliùs auelleretur, quàm Phidiæ nomen à Mineruæ statua. Quamuis enim suam, vt credibile est, culpam intelligens, & plurimos litteris postea conuenerit, & in posteriore conuentu item Carisiaco, capitula in decretorum subsidium ediderit; tamen & priuatæ solùm erant litteræ, eæque tardiores: & Cyrillum scimus cum Anathematismis suis, omissa Synodo Ephesina impugnatum, quando Theodoretus magnam laboris & studij molem, Episcopo vni Concilij præsidi imposuit, quam omnes nullo negotio, minore inuidia refutassent. Sic totum deinceps Theologicæ pugnæ pondus incubuit in Hincmarum; & qui Synodo sua, velut clypeo, tectus ac munitus esse potuit, Synodum per suum peti latus aspexit. Quantò cautior Rabanus, vt senem decuit, qui priuatim nihil egit in Synodo, totam causæ cognitionem, rei damnationem,

doctrinæ censuram retulit ad Synodum, pauca litteris Synodicis comprehendit, non tam de prauitate dogmatum, quàm de impio apud imperitos eorum effectu: denique nemo Concilium ex inuidia Rabani potuit criminari. Non reperio culmen incommodorum ex decreti & epistolæ Synodalis defectu enatum, quòd eam doctrinam quæ verè in Gotteschalco à Concilio damnata est, pauci didicerunt, aut impunè dissimularunt plurimi, cùm aliis alia mandaret Gotteschalcus, & hæretica licentia fidem foro accommodaret. Qua potissimùm in re colloco æstum illum disputationis inter viros graues excitatum, dum hæreticus, qui falsi publico testimonio reuinci non posse se putabat, ea docere se scriberet, vel quæ ab omni reprehensione aliena essent, vel quæ benigna interpretatione in sensum à fide non aberrantem inflecti possent: silente aliquandiu Hincmaro, & vel ignorante, vel intempestiua generositate, quæ non parum officit Ecclesiæ, paratam sibi apud multos inuidiam contemnente. Quapropter caput serpentis, hoc est, veram Gotteschalci blasphemiam & hæresim, ea Synodus sic elisit, vt reliquis corporis partibus vires non ademerit, quibus si fidem non turbaret, certè intentionem multorum concuteret, vt loquitur Seruatus Lupus: hoc etiam grauiore incommodo, quòd sic licuit illum catholicis scriptis defendere, cuius aspectum in errore proprio pij omnes exhorruissent.

Semina disputationis inter Catholicos sententia.

Discipulorum verò Gotteschalci, post eum apud Altumuillare custoditum, duas classes distinguere nos conuenit. Prior ac melior, sed fortasse non numerosior, eorum est qui magistri sui malo edocti, Episcopos bene consulentes audierunt, & ad castra Catholica, è quibus per fraudes & simulatam pietatem fuerant abducti, redierunt. Simpliciores erant illi, & magis antea, vt ait in Synodica Rabanus, *deuoti erga suam salutem*, qui se deceptos mirati, affusum bonæ lucis radium aspexerunt. De quibus hæc narrat Hincmarus Laudunensi nepoti. *Sicque complicum eius, qui iam sicut vermes in putredine scatentes ebulliebant, ira partim sunt mitigata, & congregata sunt à Domino, quasi in vtrem aqua maris, cùm amaritudo peruersarum mentium nondum apud nos, de his quæ Gotteschalcus eos docuerat, erupit exteriùs in vocem praua libertatis.* Quod minuente particula *partim* vtitur, significat magistri afflictione datum non fuisse discipulis omnibus intellectum, ac proinde posterius discipulorum genus indicat, de quibus idem alibi, *ne ille solus periret, sibi consentientes cæperunt vndecunque exurgere, & prauam ab illo remotam doctrinam, & verbo & scripto disseminare. Quo adulterino semine, hæc quibus nobis iubetis respondere, pullularunt capitula.* Iuuenculos puta sciolos & inquietos, quos cum ipso Rabanus eiecerat, bellum maioribus tibiis cecinisse, quasi flagella ducis haberent pro classico. Qui verò fuerint illi pro pura Gotteschalci doctrina scripti libri, nemo dixerit: Ratramnus certè ad illam aliqua ex parte maximè accedit; sed aliunde eandem vel deserit, vel explicat, tacitis Catholicorum obiectionibus vltrò respondens. Ac mirum non est breuem lucis vsuram, immaturis illis & fœdis partubus fuisse concessam, theologis qui deinde in controuersiæ campum aduersùs Hincmarum descenderunt, ad eorum aspectum erubescentibus, eósque maturè opprimentibus, ne ad causæ & seculi dedecus, in posterorum manus venirent: quod de Ioanne Scoto facere neglexit pars Hincmari.

Gotteschalco damnato quid egerint discipuli.

Hincm. l. 55. capit. c. 43.

Idem l. de prædest. c. 2.

CAPVT XX.

Gotteschalcus impositum sibi silentium malo publico violat in carcere.



QVICQVID innouatur in fide, silentio statim opprimendum esse, certa sapientium vox est: siquidem hæreseos venenum omne in lingua est, & in stilo, quem pro lingua absentes habent. Hoc sciebant Carisiaci Antistites, qui propter vsurpatum illegitimè doctoris officium, & ad peruersas doctrinas traductum, Gotteschalco perpetuum silentium virtute æterni Verbi imperarunt. Sed obnixus contrà refractarius, incendium semel excitatum, litterarum suarum flabello ventilauit; & qui custodiæ mancipatus, Altiuillarenses fratres non poterat alloqui, longè dissitos epistolarum commercio conuenit. Animus enim vel sic inquietus, Prouincias litteris peragrabat vinctus; Episcopos ad defectionem sollicitabat depositus; Ecclesias ad sui commiserationem excitabat impœnitens. Quid quòd & tandem Romam pulsare voluit per suos, & quò vt appellaret, non fuit perdiu satis impudens, tam fuit stolidus, ibi vt aliquando speraret absolui?

Gotteschalcus in carcere otiosus non fuit.

Piget hîc referre Dissertatoris miserabilem næniam, factum esse Hincmari crudelitate, *vt miserabili Monacho omnis & docendi, & reclamandi præcluderetur via, vt ore penitus obcluso, nec de doctrina loqui, vel scribere, nec de sæuitia & inhumanitate conqueri, nec ad superiorem iudicem, ipsúmque summum Pontificem appellare posset.* Quæ omnia capitis istius narratio refellet euidentissimè. Nam ad appellationem quòd spectat, quis vetuit ne in ipso Concilij loco eam interiiceret? A Moguntina Synodo ad Carisiacam, non fuit ampla satis ad appellandum mora? Cùm primùm hæreseos reprehensus est in Italia, non potuit doctrinam suam Pontifici probandam offerre? Vnde autem factum sit vt *ore penitùs occluso* saltem scriberet, si quæris à subtili coniectore, respondebit, ad Hincmari epistolam respondisse Prudentium Trecassinum, *& ea responsione (vt par est credere) chartulam & calamum impetrasse*, quòd tum *paulò minus seuerè in ergastulo tractabatur, vt palinodiam recantaret.* Atqui *par est credere* hæc esse somnia. Nam si palinodiam exprimere voluit Hincmarus, sua sponte instrumenta ad scribendum debuit elargiri: quid igitur opus interuentu Episcopi, vt chartulam & calamum subministraret? Num æquè *par est credere* Prudentij eiusdem precibus *caminatum & necessarium* ipsi impetrata? Ostende sis illam Prudentij responsionem, vt intelligamus quid sit *par credere* ab illo fuisse responsum? Imò proba ad eam epistolam quic-

Refellitur Dissertator c. 9.

Dissert. c. 11.

quam omnino respondisse Prudentium. Accepit certè chartam & atramentum, hoc est, scribendi potestatem ab Hincmaro; sed ea pessimè cùm vteretur, nobis mirum est ab eodem non esse priuatum. Quid enim scribebat otiosus in carcere? Doctrinam suam, innocentiam suam, virtutes & reuelationes suas, Hincmari & aduersariorum criminationes.

Scriptis suis plures commouet in Hincmarû. Librum Rabano misisse habemus ex Hincmaro, à quo citatur, nec vlla temporis nota credere me cogit, missum ante carcerem. Dogmata sua Amoloni explicuisse, testis est eius Præsulis eloquens epistola, ad eum reddita. Reuelationes iuuenculo absenti narrasse, sub finem operis discemus ex eodem Hincmaro: aduersarios hæreticos vocasse & Rabanicos in Amolone iam legimus. Libri autem illi Lugdunenses dicti, quàm indulgentes Gotteschalco, tam inuidiosi in Hincmarum; Valentina Capitula Carisiacensibus iniqua: Prudentij conatus tam repente Hincmarianæ doctrinæ obiectus; tota factio æmulorum, Regem, Episcopos, Pontifices, Italiam, Galliamq, aduersùs Hincmarum mouentium, quem auctorem habuit & incentorem, præter Gotteschalcum, in carcere, tanquam contorta occultè machinula ioculatorem, turbas, motus, itus, reditus, decreta, suspiciones, calumnias, offensiones factitantem? Quàm cautè per se suósque emissarios dogmatum pudenda contexit, vt omni cum asseueratione scriberent Lugdunenses, *moderno tempore dicere neminem*, quod duobus in Conciliis Gotteschalcus effutisset? Quàm grauiter atrocitatem verberum, indignitatem carceris, excommunicationis diuturnitatem amplificauit, vt hæc omnia quo diximus modo, tanquam certa describerent iidem Lugdunenses? Quàm miserabiliter persecutiones, quas ab hæreticis patiebatur pro Christo exposuit, vt Amolo cogeretur rescribere, *Amolo ep. ad Gottesc.* *Non pro Domino, vt putas, sed Ecclesiam matrem tuam, eiúsque Præsules patres tuos, sacrilega audacia contemnens, aduersùs Dominum iacularis?* Par est credere (quidni enim & mihi diuinatori esse liceat?) scripsisse ad diuersos, se vinctum esse in Domino, in causa fidei persecutionibus opprimi, venisse in hæreticorum potentium odium, quòd catholicam sententiam eiurare nollet, sibi per summam iniustitiam communionem libertatémque eripi. Huius iactantiæ fidem facit vel vna eius Confessio, quæ prolixior appellatur, in qua tam piè Deum alloquitur, vt putes Augustinum orare; tam subtiliter de Prædestinatione disserit, vt Fulgentium audire videaris; tam ardenter hæreticos (hoc est contraria ipsi sentientes) insectatur, vt Hieronymum tonantem metuas; tam confidenter opiniones suas deprædicat, vt vnum è veteribus hæreticorum malleis, & thaumaturgum arbitreris. Hæc igitur, & his grauiora sine dubio Gotteschalcus, & Gotteschalcani satellites, magna cum Catholicorum Antistitum inuidia spargebant in vulgus, & silentij per indulgentiam præposteram violati linguarium soluit Hincmarus, & Ecclesia.

Gotteschalcus multos scribendo seducit. Nam ex concessa præter debitum recluso homulo garriendi licentia, tria in Ecclesiam mala redundarunt; quorum primum ad vnius Hincmari culpam referre, & id ipsi significare non *Raban. ep. ad Hincm.* veretur Rabanus. *Ego autem, quantùm præsumo, vos admoneo, vt has contentiones noxias in populo Christiano fieri prohibeatis, & ipsum Gotteschalcum huius erroris auctorem, nec scribendo, nec loquendo vltra tam multis nocere permittatis. Miror etiam prudentiam vestram, quòd istum noxium virum, id est, Gotteschalcum, qui in omnibus vituperabilis inuentus est, quia nec Monachi votum, nec sacri ordinis ritum, sed neque prædicandi officium legitimè obseruauit, scribere aliquid permisistis: in quo officio nocere magis potuit, quàm viua voce loquendo. Vnde etiam in plurimis locis, vt audiui, sui veneni poculo non paucos inebriauit, & in erroris insaniam vertit.* *Hincmari indulgentia reprehenditur.* Eò certè maiore Hincmari culpa, quòd non alio, vt dictum est, consilio carcerem damnato struxit sua in Parochia, cùm crederet Rothado non satis fore virium, ad comprimendam eius audaciam. Quomodo autem non noceret, quando scribebat de se, pro se, contra aduersarios, vsque ad dementiam? Neque causa paret, cur amicum sapienter consulentem non audierit, vt silentium Synodali sententia imperatum, vel inuito & reluctanti imponeret. Nisi fortasse regni negotiis apud Regem distentus, priuata illa curare sua in Diœcesi non potuit: aut etiam voluit illa indulgentia & humanitate os obtrectatorum, & eius fautorum loquentium iniqua, obstruere, quod minimè consecutus est. Quid enim loquacius hæresi, quid calumniosius? Indulgebat, ne inhumanus videretur; & visus est inhumanus, quia indulgebat. Excussisset ab eius manibus chartulam & calamum, cuius pedes continebat ergastulo, quis exitiales crocodili gemitus audisset è carcere? Pietatis in Ecclesiam genus erat, in hunc esse crudelem. Interim miseret me Hincmari, qui neque amicis hoc facto placere potuit, neque satisfacere inimicis: qui & à Dissertatore crudelitatis & Pharaonicæ duritiei aduersùs Gotteschalcum, & à nobis remissæ & mollis indulgentiæ arguitur.

Gotteschalcus multos ad scribendum excitat. Deinde, Gotteschalcus multis scribendo, fecit vt multi scriberent. *Sibi consentientes*, inquit, *cœperunt vndecunque exurgere, & prauam ab illo remotam*, (iterum motam, aut si mauis, à Conciliis damnatam) *doctrinam & verbo & scripto disseminare.* Flammam flagellis putabant extinguere, flabella erant, augebatur. Quæsierunt ex aduerso Catholici peritos è suis, qui causam religionis agerent: incalescit pugna, probrosum existimant qui de parte Gotteschalci, librorum numero superari, inducunt in animum quicquid ab aduersariis editum fuerit, impugnare: componuntur libris libri, scriptores scriptoribus, tanquã paria gladiatorum in arenat videt eminus Gotteschalcus *pares aquilas & pila minantia pilis*, & in sinu gaudet paria facere se cum Rabano & Hincmaro. Si tantùm scriptis certatur vtri plus, non autem vtri meliùs & veriùs scribant, dicat statim Apostolus, *Non est bona gloriatio vestra*: Contentio hæc est, non religio: *nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Ridiculè olim Eunomius Basilium sperauit librorum multitudine vincere, quem veritate non poterat: quia plures respondendo fabricabat, quàm Præsul Cappadox impugnando: vir alioqui iudicio historicorum, penè rudis litterarum, ab eo quod propositum erat aberrans, variatis tantùm verbis, & aliter atque aliter repetita eadem sententia περιφράσει.

Eunomij hæretici loquacitas in scribendo.

Socrat. l. 4. hist. Eccles. c. 7. Sozomen. l. 6. hist. c. 26.

Fecit hæc tolutiloquentia contentiosum, & eum æmulati discipuli, neminem vnquam virtutis ergò laudarunt; (nisi de suis aliquem) sed quem contentionis, & disputationis auidum reperterunt, hic illis maximè pius visus est. Si vates foret Sozomenus, non aliter aut Gotteschalci, aut nostra tempora describeret. Itaque tota de dogmatis controuersia, quæ Moguntiæ & Carisiaci à religione incœperat, in lites & scriptitationes, in vanas ingeniorum ostentationes, in opprobria & inimicitias degenerauit.

Imago nostri seculi.

Gotteschalcus causam priuatam facit ex publica.

Hoc pleniùs ex eo potest intelligi, quòd Gotteschalcus querulis epistolis & calumniarum plenis, aduersarios, & in iis Hincmarum præcipuè, à quo proximè exercebatur, hæreseos, ignorati Augustini, inuidiæ, maleuolentiæ, sæuitici accusando, id tandem consecutus est, vt è publica religionis causa, priuatam Hincmari fecerit, Hincmarum adegerit ad se tuendum apud Pontificem, Regem, Episcopos, Hincmaro plurimorum odium conciliarit, aut iamdiu iratis animos ad lacessendum fecerit. Eò ventum denique, vt non iam hæreticus Gotteschalcus, sed Gotteschalco priuatim infensus Hincmarus; non iste zelo defendendæ religionis ardere, sed Gotteschalcum persequendi libidine, in eius perniciem ferri, à viris etiam grauibus, putaretur. Hæc est Ariana tempestas, quæ nauem Ecclesiæ sub Constantino, & Constantio, vnius Athanasij prætextu adeò vehementer exagitauit. Hic Acephalorum tumultus, qui Trium Capitulorũ specie, Chalcedonensi Concilio, & Ecclesiæ bellum indixerunt. Hæc vetus antiqui serpentis astutia, famam Dei seruis eripientis, à quibus se sentit confodi. *Scias hoc esse opus Diaboli*, aiebat olim Cyprianus, *vt seruos Dei mendacio laceret, & opinionibus falsis gloriosum nomen infamet; vt qui conscientia suæ luce clarescunt, alienis rumoribus sordidentur.* Ac nisi obfirmato animo errores Gotteschalci opprimere, & fidei patrocinium, quocunque suo periculo, persequi curasset Hincmarus, exierat de custodia Gotteschalcus, & de veritate mendacium triumphabat. Erat metus ille in proximo, cùm ad Egilonem scriberet. *Et sciatis quia maxima nausea in ista Ecclesia commouebitur, si ad Synodum venire iussus fuerit, aut de ipsa custodia absolutus exiterit. Quæ non pro me dico, quia nulla mihi inde cura est, nisi pro aliis; sed vos probabitis me verum dicere: tales enim surgent, qui adhuc latent.* Sibi autem quàm nihil timeret vir fortis, Nicolao ipsi significat. *Meam quoque exiguitatem & occulte canino dente corrodunt; facilè autem adiuuante Domino portare valebo; quia & mihi paucum superest temporis spatium; & si inter filios Ecclesiæ, permittente Deo, in me acceperint potestatem corporaliter affligendi, diuina gratia adiuuante, exercebunt patientiam.* Eò nimirum deueniunt Theologicæ de talibus quæstionibus contentiones, diu permissæ, nunquam compressæ, vt de doctoribus faciant martyres.

Cyprian. ep. 52. ad Antonian.

Hincm. ep. 24. ad Egil.

Idem ep. 17. ad Nicol.

§. VNICVS.

Silentium hæreticis imponere solet Ecclesia, non autem Catholicis.

Silentium nouatoribus imperandũ, non Catholicis.

FVIT igitur parendum Concilio, fuit audiendus Rabanus, cùm magnopere suaderet, vt *contentiones noxiæ in populo prohiberentur.* Quomodo? Silentio efficaciter imposito. Cui? Gotteschalco ipsi *erroris auctori.* Quali silentio? *nec scribendo, nec loquendo* De Hincmaro autem quid sentit? Eius scripta probat & laudat, sua ad illum mittit, excusat si nihil addit vlterius. Vult igitur Rabanus Hincmarum loqui, silere Gotteschalcum; & hoc appellat *contentiones noxias in populo prohibere.* Ex aduerso tamen, hoc frequenter audimus à Nouatoribus postulari, vt Catholicis doctoribus silentium imperetur, tanquam turbarum auctoribus, quas illi nouitate sua priores excitarunt. Qui verò seculari & politica prudentia se putant excellere, cùm inter nouitatum buccinatores, & repugnantes Theologos disputationis æstus accenditur, optare solent, vt inter vtrosque concordia communi silentio restauretur. Neque vident hoc consilio tam fauere se hæresi, quæ nisi ponatur obex, peruadet omnia; quàm religionem fidémque prodere, cuius ore facienda est confessio ad salutem. Canibus enim latrare vetitis, *fur venit vt furetur, & mactet, & perdat.* Strictè dictum à Felice III. Pontifice, ad Acacium seculari sapientia canem mutum, *Error enim cui non resistitur, approbatur: & veritas quæ non defensatur, opprimitur.* Quantis olim viribus artibúsque egerunt Ariani, vt Nicænum [illegible] deleretur è symbolo, pacem Ecclesiæ hac lege polliciti? Pacem illam quouis bello iniquiorem arbitrati Patres, valdiùs prædicarunt, & tandem constantiæ cessit audacia. Hæreticos hymnos canebant Ariani apud Constantinopolim; Catholici, auctore Chrysostomo, orthodoxos & ipsi modulabantur: inde tumultus nocturni, contentiones, pugnæ, cædes. Cohibere curauit Arcadius, quomodo? Hymnodia turbarum motrice interdicendo. Quibus? Hæreticis; nam canere laudes æquali & sanctæ Triadi perrexerunt Ioannis discipuli. Quid Typo illo suo moliti sunt Monothelitæ, nisi vt vnius, aut duarum in Christo voluntatum & operationum mentio nulla fieret, siue negandæ, siue affirmandæ crederentur, & neutra pars alteri de errore & hæresi contumeliam faceret, non aliter Orientem cum Occidente consensurum iactitantes? Exclamauit ex aduerso Martinus I. Pontifex martyrij candidatus, prodi religionem hoc silentio, & *Catholicum dogma destrui*, si taceretur.

Felix III. ad Acac. apud Baron. an. 483. tom. 6.

Socrat. l. 6. hist. c. 8.

Concil. Rom. sub Mart. I. secret. 1.

Dogma fidei destruitur si tacetur.

Romanum autem sub eo Concilium edixit præclarè, *Bonum esse procul dubio, & omnibus timentibus Deum desiderabile, cohibere dissensiones, & altercationes pro causa fidei: sed non esse vtile & bonum, cum malo destruere bonum; id est, cum hæreticis catholicorum Patrum verba & dogmata.* Hoc aiunt Patres, si fides & hæresis æquè publicari vetantur, vtrunque in eodem probabilitatis gradu constitui, quod perfidiæ est: improbari Patrum dogmata & scripta eiici ex Ecclesia, quod impietatis: pacem hanc non esse, sed proditionem; non mali destructio-

nem, sed boni ruinam; primum gradum ad fidem negandam esse, non loqui; verba ab hæreticis reiici, rerum odio: corde vix retineri, quod os reticere consuescit. Ingratum illud esse Deo, & eius æquissimæ voluntati contrarium, qui *non perdit iustum cum impio:* qui nos iubet *declinare à malo, & confiteri bonum:* qui se & sermones suos neganti terribilem vicissim negationem comminatur. Nihil esse hæreticis instabilius *qui nec sciunt quid credant, aut quid confiteantur, per incessabilem creberrimam suorum dogmatum immutationem, pariterque peremptionem.* Catholicis è contrario eosdem fidei articulos, eodem semper modo efferentibus. Nihil Nouantibus fallacius, *qui per hanc allocutionem simpliciores dolosè surripientes, persuadent malum vti bonum complecti, per Patrum & Synodorum suauem nominis appellationem:* (Augustinum cogita, & Valentinam atque Lingonensem Synodum) *hoc etenim facere similiter sibi proprios discipulos ab initio serpens edocuit, per fictos mores, & blandos sermones.* Quid enim aliud ab eis expectes, qui religionis habitum, externa specie tenus gerunt?

Hæreticorũ leuitas & fraudes.

Neque potest Honorius obiici Martini præcessor, qui *nouitatem vocabuli* à Sergio sublatam laudat & probat, *quod posset scandalum simplicioribus generare,* vúltque Grammaticis examinandum relinqui, *vtrum propter opera diuinitatis & humanitatis geminæ operationes deriuatæ debeant dici.* Fuit enim tum Pontifici suspecta vocum nouitas scandalum generatura, quod silentio prohiberi antè potuit, quàm inter Episcopos pugna crudesceret, Græcorum animis ad innouandum in fide semper inclinantibus. Sed excitato iam incendio, detecta hæresi, patente scandalo, tumultuante discordia, errorem non damnare, probare est: neque vult Christus in Romana Repub. in eiusmodi disceptationibus neutri partium addictos homines, quasi tepidos, nec calidos, nec frigidos, sed omnino catholicorum quilibet sibi dictum existimat, *Qui non est mecum, contra me est.*

Honorij Pontificis defensio.

Sic explicatus magni fortísque Concilij sensus, ad vsum controuersiæ nostræ vltrò se accommodat, neque graphicè magis Gotteschalcana tempora, quàm nostra describit. Vt enim non priùs quieuit Ecclesia quàm Gotteschalcus desineret viuere, & quæ hora linguam manúmque hæretico abstulit, eadem pacem orbi Gallicano reddidit; sic quandiu nouitatibus toties renouandis, toties recoquendis habenæ laxabuntur, nihil bene de Deo pacis & gaudij sperandum erit. Vidit hoc acutiùs, quàm prudentiùs obseruauit Lugdunensis Ioannis Scoti confutator, cum Episcopos Regni Carolini perstringens, ad officium reuocare studuit, *Et ideo si sint tales in partibus regni illius, vbi ille impugnator veritatis non solum non arguitur, vel silentium ei imponitur; sed etiam laudi & honori maximo habetur, qui ei in talibus faueant, maximè viri Ecclesiastici, & nulla pastorum Ecclesiæ vigilantia vel corrigitur à talibus, vel expellitur.* Debuerunt enim Episcopi si potuerunt, si quod in eum ius vsurpare voluerunt, silentium *à talibus* Scoto imponere: idque factum tandem, coacto illo sedem mutare & cælum. Siluit intereà pars Catholica, & eius somnia Prudentio aliísque ventilanda permisit; cur ergo delirantem Gotteschalcum tot libris tueri non destitit Ecclesia Lugdunensis?

Concilij Romani ad hanc controuersiam applicatio.

Eccles. Lugdun. l. aduers. Ioan. Scot. c. 4.

CAPVT XXI.

Gotteschalcus & alia pleraque, & duplicem Confessionem scribit in carcere.

NEMINI dubium est quin plurima per occupatam, vel impetratam scribendi licentiam, ab homine peruicaci & actuoso, in diuturno carceris otio prodierint, quæ vtinam ad nos peruenissent omnia, vt ex eius *chartula & calamo* intima animi sensa disceremus! Nam in multis eorum quæ supersunt fragmentis, adeò fraudulenter cor prauum & inscrutabile tegit, vix vt possit deprehendi. Quanto historiæ damno excidit liber ad Rabanum Archiepiscopum, quem Hincmarus *virosam conscriptionem* vocat, de quo à nobis non semel, neque pauca sunt dicta: & licèt *porrectum* eidem Rabano dicat, & tolerabilem coniecturam præbeat, à Gotteschalco ante Moguntinensem Synodum, in Germania fuisse oblatum, hæreo tamen in eadem sententia, cùm nullo certo argumento cogar vt agnoscam, ante carcerem Altiuillarensem fuisse scriptum; & si quid concedendum videtur aduersario, vt summum, præter libellum professionis Rabano & Synodo oblatum, credi potest breuem aliam controuersiæ expositionem, quæ capitula omnia in quæstionem deducta complecteretur, tum scripsisse, & priuatim Rabano vt præsidi dedicasse: quam deinde maiore otio auctam atque amplificatam, voluerit sub eodem Rabani nomine parere; tum quòd ei primùm fuisset oblata, tum quòd eas quæstiones primus in Italia Germaniáque oppugnasset, ideo princeps aduersariorum iudicatus. Neque moueat quod ex carcere *porrigere* non potuit, qui per suos potuit; sic inscribere potuit, licèt omnino non porrigeretur. Putas Fulgentium libros suos Thrasimundo Regi inscriptos, aut Luciferum Caralitanum contumeliosa scripta Constantio Cæsari porrexisse? Cùm legimus Panegyricos Imperatoribus dictos, credis non nisi præsentibus & audientibus pronunciatos? Itaque nihil obest quin dicamus, librum illum si priùs scriptum volumus, post Carisiacam condemnationem saltem sic amplificatum fuisse ab auctore, vt recens videretur, à quo tractatas discimus quæstiones quatuor, ex fragmentis per opus Hincmari de Prædestinatione sparsis, & à Dissertatore collectis: vt hinc etiam confirmari debeat, quod narratum est, non solam de prædestinatione opinionem Gotteschalci, verùm & tres alias quæstiones, in iudicium Carisiaci vocatas fuisse & damnatas. Quid enim erat causæ cur eas hoc libro & percenseret, & animosè defenderet, nisi vulnus antea Episcopali iudicio accepissent?

Gotteschalci liber ad Rabanum.

Hincm. l. de prædest. c. 5.

Dissert. c. 4.

Alterius quoque scriptionis meminit Hincmarus, & nobile fragmentum describit, quam existimare possumus epistolam esse, ad Monachum quendam sectarium, siue *complicem suum,*

Gotteschalci tractatus de redemptione per baptismum.

eáque potissimùm probare contendit, impios & peccatores Christianos, prædestinatos ad interitum, non morte & sanguine, sed solo Christi baptismo redemptos esse. *Sed à Gotteschalci pitacio, quod ad quendam Monachum composuerat, hinc scriptum reperimus, quod ideo supponemus, vt quæ ille dixerit, & qualiter nos catholicè sentiamus, omnibus qui legere voluerint, demonstremus.* Quæ alio loco reddentur opportuniùs, cùm dogmata requirentur, non nuda historia: cuius modò sufficit ea consideratio, quòd nisi Pitacium illud ab Hincmaro repertum, & ad nos ex parte transmissum foret, duplicem illam redemptionem ab hæretico excogitatam ignoraremus. Inde fieri, vt certò statuere liceat, reliquas eius doctrinæ partes aliis contentas fuisse tractatibus, qui ad nos non peruenerunt: & eos intempestiuè triumphum canere, qui nihil nisi catholicè ab illo assertum ex eo probant, quòd in fragmentis Hincmarianis hæreses ægrè deprehendantur, cùm ne omnia quidem Hincmari excerpta teneamus. Sed hæc aliàs pluribus.

Hincm. l. de prædest. c. 35. v. & c. 29.

Gotteschalci Confessio breuior.

Vsser. hist. Gottesch. ad calcem.

Integrum opus Gotteschalci, præter Confessiones duas, nullum superest, ab Vsserio Armachano, beneficio P. Sirmondi editas ante annos circiter viginti. Iam hic ipse numerus omine non caret, sed infelici, si philosophis fides: & ab Arianis fidei professionem identidem auctam, mutatam, interpolatam, annis & Consulibus notatam, Patres catholici sugillant. Priorem, quæ *Breuior* nuncupatur, bis eodem in opere describere *non ingratum, nec inutile fore* putauit eruditus Dissertator, hoc titulo, *Confessio Gothescalci Monachi damnati breuior:* quam arbitror non procul abesse ab eo libello, quem in Synodo Carisiaca flammis delere coactus est. Quid enim aliud continet, quàm locos aliquot Augustini breues & succinctos, quibus improbos dicit ad mortem æternam irreuocabiliter esse destinatos & prædestinatos; non ad vitã Christi sanguinis pretio comparatos? Quibus additi sunt pauciores ex Fulgentio, & Isidoro, nominatim Geminam Prædestinationem exprimentibus. Quod opusculum sic concludit, absque vlla expositione. *Sic ergo per omnia cum istis electis Dei, & Catholicis, credo & confiteor, prout diuinitus afflatus, animatus, armatus adiuuor, Amen. Falsus enim testis est, qui in dictis quorumcunque aut sensum aut superficiem corrumpit.* Fallor, aut in hac lacinia venenum est, à Monachi fautoribus dissimulatum. Nam cùm locos ab eo productos catholicum in sensum facilè verterent doctores Carisiacenses, monstrarentque qua ratione gemina Prædestinatio, mors malorum ineuitabilis, siue destinatio irreuocabilis, Christi sanguine aliqui non redempti dicantur à sanctis; ille omni reiecta explicatione, crudis verbis vult inhærere, quod est hæreticis familiare, seque *diuinitus afflatum* profitetur ad veri sensus intelligentiam, quam à se vno sic *afflato, sic animato*, spretis ceteris haurire destinatum habet. Id si falsò coniectatur à nobis, edicant Gotteschalcani patroni, quò tandem spectet istud auctarium. Sin magna cum veri similitudine dicitur, hæreticæ superbiæ latebram agnoscant, quam in Prolixiore manifestiùs recludo, licèt pulcherrimo humilitatis velo contectam.

Dissert. c. 11.

al. *Sic & ergo*

Hæreticorũ priuatus sensus.

Posterior siquidem, quæ & *Prolixior*, pluribus Augustini & Patrum auctoritatibus referta, maiore in hæreticos, hoc est Moguntini & Carisiaci Conciliorum Antistites, impetu vibrata, certiore diuini afflatus fiducia constans, tam piè sanctéque fabricata est, vt mirum non sit ea lecta, sed non penitus intellecta, deceptos nonnullos, veræ solidæque virtutis iudices non attentos, existimasse, nihil eo Monacho dici posse humiliùs, nihil eius animo generosius, zelo ardentius, fide constantius, opinione certius. Sed longè alia scriptorum nostrorum mens est, & eorum qui sciunt separare pretiosum à vili, quia in ipsis religiosarum virtutum exercitiis enutriti, & penè nati sunt. Hi enim superbiam, in oratione, ad Augustini exemplum composita; peruicaciam, in animo sapientioribus & superioribus cedere nescio; furorem, in zelo felle & amaritudine imbuto; blasphemiam & hæresim loco fidei, vana omnia & incerta in promissis cognoscunt.

Confessio prolixior qualis.

§. VNICVS.

Rabani Mauri, & Amolonis de ea confessione iudicium.

SECVNDAM hanc, in qua modò habitamus, Gotteschalci Confessionem, quæ Prolixior appellatur, & est, misit ad Rabanum Hincmarus confutandam; quod ille tamen facere contempsit. Verùm paucis verbis Gotteschalcum totum, ab vnguiculo vsque ad capillum cognosci à nobis voluit, dum eius superbiam, & obstinationem, certissimos hæretici animi characteres, indicauit, qui paulò fusiùs exponentur. Et obstinationem quidem clamat omnis pagina: superbiam autem Dissertatoris *meditationi* oppono, qui certum habet, in ea Confessione *non dubium vera humilitatis specimen* editum à Gotteschalco, *licèt eam superbia & elationis arguere voluerit Rabanus.* Meum istud certamen non est, sed Mauguini cum Rabano. Iudicio contendit apud te, Lector, Præses Monetalis cum Abbate Archiepiscopo, *cui parem suo tempore non habuit Ecclesia:* lis est de vera & germana humilitate, *reliquarum virtutum fundamento.* Affirmat Præses Dissertationis auctor, solidam in Gotteschalci Confessione reperiri: notas affert, quòd eam exposcat à Deo; quòd lectorum suorum precibus eam sibi impetrari postulet; quòd vehementer angatur & doleat ob sui nominis personæque vilitatem, vilem esse aduersariis suis veritatem, & ipsius odio Deum nihil, vel perparum diligere. Rabanus his omnibus ad lydium lapidem admotis, adulterinam humilitatem esse contendit, & præter meram superbiam, in homine nihil agnoscit. Neque à certis rationibus, & validis coniecturis derelictus est.

Cum Rabano disputat Dissertator.

Dissert. c. 11. cit.

Nam superbia, & quidem intoleranda, in primis posita est in methodo dicendi, per continuum cum Deo colloquium, qua Confessiones suas scripsit Augustinus: sed quantò alia mente? Accusat seipsum magnus humilitatis doctor. Gotteschalcus parabolico Pharisæo similis, *ascendit orare: non vult Deum rogare, sed se laudare.* Quid enim iste? *Deus gratias tibi ago, quòd non sum sicut ceteri hominum.* Quid autem ille? *De prescientia & prædestinatione tua iamdudum corde credo (tibi gratias) ad iustitiam.* Credas

Intoleranda Gotteschalci superbia.

August. ser. 36. de verb. Dom.

hominem primæ apud Deum admissionis, & profundorum mysteriorum epoptam, cui tanquam rediuiuo Moysi loqueretur Dominus *facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum.* Ita terrena omnia, & ipsam Ecclesiam alloquio suo dedignatur. *Quid enim contra eum scribere habeo*, inquit Rabanus, *qui totam Ecclesiam quasi spurcum aliquid & sordidum, & indignum sua adlocutione abiicit: suam autem locutionem ad Deum solum in cælis præsidentem conuertit; indignum sua adlocutione iudicans, quicquid in terra est?* Si tantùm primo gradu promouet, erit-ne aliquid vltrà quò progredi possit superbia? Audiamus ex Amolone, ad ipsum scribente. *In omnibus quæ dicis & sentis, sicut scriptura tua declarat, nullum omnino hominum, more bonorum, piè & humiliter deprecaris, nullius te sensui & auctoritati summittis*, &c. *Sed ita te sensui tuo credis, & in ipsa veritate speculari & contemplari credis, vt in scriptis tuis nec Deo ipsi supplices, vt tibi quod melius est reuelet.* Subtiliter animaduertunt sancti, Gotteschalcum perpetuis illis cum Deo collocutionibus, non postulare à Deo vt veritatem cognoscat, sed vt quam nosse præsumit, quasi in eius adyta penetrauerit, Ecclesiæ laboranti, si non & ignoranti annuntiet. O barathrum! à curiositate ad contentionem, à contentione ad contumaciam, à contumacia ad hæresim, ab hæresi ad superbiam Dei & hominum contemptricem.

Raban. ep. ad Hincm.

Amolo epist. ad Gotteschal.

Aliud hæreticæ superbiæ vestigium est, quasi haustam de ipso Dei sinu veritatem videri ad homines detulisse primum & solum, vt quintum Euangelistam, & communem vniuersæ Ecclesiæ doctorem. Nam vbi priorem Confessionem in verba superiùs allata conclusit, *credo, & confiteor, prout diuinitus afflatus, animatus, armatus adiuuor.* In posterioris statim exordio sic gloriatur. *Quatenus tandem aliquando mea de parte patefiat electis tuis veritas inuicta, & sine fine benedicta: & facessat iam iámque sicut oportet falsitas deuicta, & prorsus iure maledicta, Amen.* Densis ignorantię tenebris sub Archiepiscopo Theodoro, sub venerabili Beda, sub Alcuino, Rabano & aliis inuolutus antè mundus erat, quàm prodiret in lucem sol ingeniorum Gotteschalcus, & per nouum Apostolum *tandem aliquando veritas falsitatem* effugaret: & quidem apud solos electos, Gotteschalci discipulos, quibus solis *sanissima & diuina doctrina* radius affulsit. Vnde sub opusculi finem. *Facias*, inquit, *me deinceps cum electis tuis gaudere, pro patefacta fidelibus tuis Catholica fidei veritate. Sitque nobis de cetero in te solo gaudium verum, atque sincerum, tripudiúmque solum ac solidum, & gloriatio communis, quòd ab hæreticorum tam graui perfidia, tandem plebs & populus tuus, te miserante, factus est immunis.* Nunquam tanto verborum ambitu prædicationem suam Paulus de tertio cælo deuectus; aut Petrus, non carnis & sanguinis, sed æterni Patris reuelatione illustratus; aut Ioannes, qui fluenta Euangelij de ipso dominici pectoris fonte potauit; aut Apostolorum, vel Apostolicorum virorum vllus extulit. Neque otiosum est, quòd *electos* & *fideles* tam frequenter, támque delicatè nominat, quos solos verè ad Ecclesiam pertinere arbitratur. Quæ omnia si Caluinus, & Caluini asseclæ de se simili epinicio non prædicant, aut æstimant, libri & oculi nostri mentiuntur. Scimus hoc seculo quis dixerit, Deum hactenus per Romanos Pontifices Ecclesiam rexisse; nunc aliam viam inire velle, & vni cuidam homini (de se loquebatur) eius corrigendæ vim & potestatem indidisse.

Facit se nouum Ecclesiæ doctorem.

In Confess. Prolix.

Huc & illud refero, quod sua in persona Gotteschalcus Ecclesiam vexari fingit, vt vnus ipse martyres antiquos repræsentet, tyrannorum iniuria in carceribus, & sub virgis gementes. Cui miseratione præpostera blanditus Dissertator, de flagellis iisdem, de crudeli ergastulo, de Hincmaro, vt Pharaonicæ duritiei, & non humanæ immanitatis carnifice perpetuò conqueritur. *Sicuti iam crebrò per gratiam tuam*, inquit Gotteschalcus, *confessus sum.* Raptatus videlicet ad Rabani & Hincmari tribunalia, & Conciliis in os impudentissimè conuiciatus. Ita liliatas scapulas potuit ostentare Caluinus. Sed ista longè gloriosiora. *Quia profectò nimis ingentem patior dolorem, & maximum diu noctúque perfero mærorem, quòd propter mei nominis vilitatem, vilem hominibus esse vides veritatem: & quòd erga te sinceram, vt debuerant, non seruant caritatem: qui vt tantummodò victores mei esse videantur, nihil vel omnino perparum dilexerunt, & diligunt te, quem negare non refugerunt, neque refugiunt propter me.* Bellum hominem scilicet, in quo tota periclitari debeat Ecclesia! Hic porro locus, cùm ab amplissimo Dissertatore ad demonstrandas Gotteschalci virtutes delectus sit, tuum erit iudicium, Lector, an ex eo *humillimam consternationem, & anxiam trepidationem pro Christi gloria, sanctam indignationem & zelum* potiùs expisceris, quàm inanem iactantiam, & gloriolæ appetitum, quem in veris Christi martyribus legere non meminimus.

De se loquitur vt de martyre.

Quartam nouantis arrogantiæ notam in eo deprehendo, quòd simplex & miserabilis Monachus, ab Episcopis & Conciliis damnatus hæreseos, priuata auctoritate, publicæ opposita, opinionem suam de fide esse definit, contrariam verò condemnat, & *fallacissimum hominum dogma* nuncupat; iudices suos Ecclesiæ Principes, hæreticos vocat, & anathematizat. Quod à Prudentio, Seruato Lupo, Lugdunensibus omnibus factum non reperies. Ita qui solus hæreticus est, hæresim ceteris impingit. Quibus autem verbis? quàm turgidis & superbiæ typho inflatis? *Te precor (Domine Deus) gratis Ecclesiam tuam custodias, ne sua diutiùs eam falsitate peruertant, hæreseósque suæ pestifera de cetero prauitate subuertant, licèt se suósque secum lugubriter euertant.* Possunt hæc meræ battalogiæ argui, & modesta censeri, si cum aliis conferantur. *Ego vero gratis edoctus ab ipsa veritate*, (Audis? non ab Ecclesia veritatis interprete, non ab antiquis Ecclesiæ Patribus, non ab Ecclesiæ pastoribus, etiam in Concilio congregatis) *hic euidenter expressam de Prædestinatione tua fidem Catholicam* (opinionem Gotteschalci, quam breui blasphemiam esse videbimus) *gratis à te piéque satis afflatus, animatus, armatus, misericorditérque simul ac mirabiliter adiutus & tutus, fretus & fultus, fideliter (tibi gratias) credo, fortiter teneo, veraciter patientérque defendo: & quemcunque contraria dogmatisare cognosco, tanquam pestem fugio, & tanquam hæreticum abiicio: & (vt explicem cum mærore maximo, quod consequenter de talibus à beatissimo præceptum constat Augustino) quemcunque*

De articulis fidei decernit.

prorsus inuictissimæ veritati contumaciter repugnare audio, & ei contraria docere conspicio, hæreticum, & fidei Christianæ inimicum, atque ex hoc, omnibus catholicis anathematizandum esse denuntio. Qua auctoritate? quo exemplo? qua fronte post contraria Concilia? Fuit-ne hîc etiam Augustini nomine, quo nihil est demissius, & Ecclesiæ obseruantius abutendum? Fuit-ne illud *gratis* ingratis obtrudendum? Quid est enim *Ecclesiam gratis custodire?* Quis sic loquitur? Et ipsum gratis edoceri, quod in quæstione non est, quàm nouum & affectatum? Ac discemus aliquando ex eius visionibus, quàm sit *mirabiliter adiutus*, Trinitatis personis in os eius singulatim intrantibus, & Spiritu sancto circumfusam barbam adurente. Hanc porro eius superbiam, si qui negligentes, & incuriosi, vel eius plus æquo amantes non deprehendunt, eam certè non potuit prætermittere Lugdunensis Amolo, quin grauiter reprehenderet in aliis etiam eiusdem scriptis expressam: cùm duo in eius malis moribus plurimum sibi displicuisse ait, quorum primum est, *quòd Sacerdotes Dei, & rectores Ecclesiarum, tantis iniuriis, & conuiciis, & maledictis laceras, tanto despectu, & contumacia conculcas, vtique spiritu erroris, & superbia miserabiliter deceptus*, (non potuit breuiùs hæreticum describere) *vt omnino nihil christianæ patientiæ, nihil christianæ reuerentiæ habere videaris.* Qui se tamen forticulum videri vult in flagellis, & in ergastulo, vt vel in hac Confessione patet. Sequitur quod alibi produximus, *Nam inter cetera, omnes qui insania sensuum tuorum zelo fidei resistunt*, (Catholicam fidem euidenter expressam, ab ipsa veritate sibi traditam, modò vocabat hæreticus) *hæreticos appellare non metuis.* & quidem à Rabano Rabanicos. Hominem importunum, cui vacat in luctu & sordibus in summos Ecclesiæ Antistites ludere! Et hoc vanitatis est, quod Rabanicos potiùs quàm Hincmarianos. Nimirum primus in ipsum iaculatus est Rabanus, summæ vir in Ecclesia auctoritatis; & magnos sibi facere aduersarios, gloriosum est. Quis autem Hincmarus eius iudicio? vix claustro solutus, tiro Episcopus, nouitius eruditorum, qui gloriæ vertere debeat iratum sibi habere Gotteschalcum.

Hincm. l. de non trina Deit.

Amolo ep. ad Gottesc.

Inest & superbia in ea sponsione, quam offert hæreticus ad confirmandam opinionem, siue ea Dei tentatio est, siue temeritas, siue impudentia, vel quo alio nomine appellare velis: quæ mox erit à nobis exponenda. Alios alij characteres in eadem confessione inuenient, quibus Rabani causam aduersùs Dissertatorem adiuuent, illùmque iudicent discernere cautiorem *Quid solidum crepet, & picta tectoria lingua:* latere & in spiritali moneta sub aureo folio cuprum & æs, quod spiritalis homo diiudicat: non decipi Christianos, nisi virtutis specie; nunquam magis metuendos lupos, quàm cùm ouillam pellem induerunt. Quid enim Christum tentante Satana in speciē sanctius? Quid Iudæis Christum crucifigentibus religiosius? Quid Libertinis Stephanum lapidantibus, & Saulo Christianos persequente ardentius pro lege seruanda? Petit Gotteschalcus *humilitatis excellentiam, & sinceræ caritatis perpetualiter eminentiam*, quando homines omnes præ se despicit, & inimicos quibus dicitur parcere, omnium criminum reos facit, quòd ipsi sint infesti: *Vt omnibus inimicis meis quicunque sint, inuidia nominis tui siue nescienter, siue scienter nocuerunt*, (quàm perditos esse oportet, qui Dei inuidia homines oderint? Quid aliud in æterna desperatione facit Diabolus?) *imò nocere voluerunt tibi*, (quasi de Pharaone & Antiocho, de Caïpha & Diocletiano loquitur) *nocuerunt autem potiùs absque dubio sibi, vniuersa debita sua indulgeas funditus & ignoscas*, (nisi fortasse Hincmaro, cui mortem celerem, quia optat, prophetat alibi:) *& omnia flagitia simul ac facinora remittas penitus ac parcas. Amen.* Quid impurum & sceleratum de Moguntinis Carisiacisque Episcopis & Abbatibus, à quibus damnatus est, in nostra cogitatione non relinquit? En *humilitatis excellentiam, & caritatis eminentiam.*

Eius vitia detegere difficile non est.

CAPVT XXII.

Gotteschalcus in ea Confessione ad Iudicium Dei pro errorum suorum confirmatione prouocat.



NIHIL magis propriam Gotteschalci, vt & hæreticorum omnium dotem, pertinaciam videlicet, superbiæ sobolem ostendit, quàm pars ea prolixioris Confessionis, in qua conuictus in Conciliis, subactus flagellis, clausus carcere, ab hominum consortio exclusus, per summam impudentiam ad Dei Iudicium prouocat. Sic appellabantur vulgares illæ quæstiones, dimicationis, ferri candentis, aquæ frigidæ, vel calidæ, innocentiæ vel crimini explorando per rudia tempora inuentæ, & nimis simpliciter vsurpatæ, de quibus plura dicere in appendice consilium est. Hoc enim more abusus Gotteschalcus, ad eiusmodi iudicium causam fidei remitti postulat: quod Agobardus Lugdunensis alicubi admonet nisi ineptissimè, & summa cum temeritate fieri non posse, & vt in eo nihil esse regulare appareat, laïcum, & vile examen eligit vir Ecclesiasticus, tametsi deiectus de gradu, sed alieno non suo iudicio: & illud tam ambitiosè describit, vt ambulare in magnis & mirabilibus super se, nemini (si Vsserium & Dissertatorem excipis) non videatur. Sic enim Deum in Confessione alloquutus, orditur.

Gotteschalci pertinacia in prouocatione ad iudiciū Dei.

Append. opusc. 3.

Agobard. l. de diuinis sentent.

Atque vtinam placeret tibi (cunctipotentissime pariter ac clementissime Domine) vt sicut in te credo, & spero (dato mihi gratis posse, sicut iamdudum dare dignatus es, & dare quotidie dignaris etiam velle,) coram vndique electa populorum te colentium multitudine: præsente etiam istius Regni Principe, cum Pontificum, & Sacerdotum, Monachorúmque seu Canonicorum venerabili simul agmine, concederetur mihi, si secus hanc Catholicæ fidei de prædestinatione tua nollent veritatem recipere, vt isto quo dicturus sum, fauente gratia tua, id approbarem cernentibus cunctis examine. Grandis profectò apparatus, & dignum ambitioso circulatore theatrum, cui Concilia duo per Germaniam & Galliam satis non fuerunt. Neque tamen mihi apparet quales porro sint homines ad illud conuocati. Nam

Gotteschal. in Confess. Prolix.

si veritatem, hoc est, propositionem Gotteschalci, *nolunt recipere*, ipsius iudicio sunt *haeretici*; qui nihilominus appellantur *electi*, *& Deum colentes*. Si *Pontifices* sunt, & *Monachorum* Abbates, ij hanc assertionem damnarunt in Concilio: cur ergo ad incertum examen aduocantur? *Principis* est *cum Pontificum* consensu illud *concedere*: at illam potestatem postulat Monachus à Deo ipso, non ab Ecclesia, quam *quasi aliquid spurcum, & sordidum, & indignum sua adlocutione abiicit*, teste Rabano. Sequitur genus examinis à Monacho thrasone delectum.

Raban. epist. ad Hincm.

Delectum genus examinis.

Vt videlicet quatuor doliis vno post vnum positis, atque feruenti singillatim repletis aqua, oleo pingui, & pice, & ad vltimum accenso copiosissimo igne, liceret mihi, (inuocato gloriosissimo nomine tuo) ad adprobandam hanc fidem meam, imò fidem catholicam, in singula introire, & ita per singula transire, donec (te praeueniente, comitante, ac subsequente, dextrámque prabente, ac clementer educente,) valerem sospes exire: quatenus in Ecclesia tua tandem aliquando hinc fidei Catholicæ claritas claresceret, & falsitas euanesceret, fidésque firmaretur, & perfidia vitaretur. Nimirum iacebit in tenebris Ecclesia, donec illi à Gotteschalco per ipsam conuicto hæreseos, deposito, & excommunicato, radius affulserit: Gotteschalci fides duobus Conciliis, duobus in locis, à diuersis Episcopis cognita & damnata, Catholica est: hæc diu ignorata in Ecclesia, etiam eo & præsente coram, & per chartulas professionis examinata, *tandem aliquando clarescet*, statim vbi *in dolia* Gotteschalcus *introierit*, *& per singula transierit*. Illa gratia quæ homines ad bene agendum *praeuenit, comitatur, subsequitur*, certò in Gotteschalci gratiam, fiet gratia miraculorum, & quod ætates omnes in fornace Babylonica miratæ sunt, in doliis Gotteschalci renouabitur, Deo *dexteram prabente, ac clementer educente*. Et ne quid temerè videatur aggredi, ad illud iudicium accedet, *inuocato gloriosissimo nomine Dei*, tanquam priuata pietate preces illas suscepturus sit, & non ab Ecclesia, quæ in illo periculo certos ritus & orationes in iudicij materiam, ipsúmque reum solet adhibere. Quæ & similia qui diligenter attendet, iudicabit quàm verè dictum sit à Dissertatore, huius iudicij nouo iudice, *licèt hanc Confessionem superbiæ, & elationis arguere voluerit Rabanus; non dubium in ea vera humilitatis specimen edidisse Gotteschalcum.*

Dissert. c. 11.

Quid de ista prouocatione sit sentiendum.

Quoniam autem sæpius, & modo non vno, sed semper glorioso, iudicium istud exambitum est à Monacho, ex aliis eius scriptis illud aliter refert Hincmarus: *Petendo vt sibi tria dolia parentur, vnum videlicet dolium plenum feruenti adipe, & alind plenum feruenti oleo, & tertium plenum bullienti pice: & cùm vicissim in vnumquodque dolium vsque ad collum intrans, de illis tribus doliis illæsus exierit, credatur ab omnibus assertio illius esse verissima.* Commodè his omnibus adiicit Rabanus. *Quod neminem præter eum ita optasse legi. Nam tres pueri, de quibus in Daniele scriptum est, non simili pertinacia examen ignis petierunt: sed magis Dei iudicio omnia seruantes, responderunt Regi Babylonis dicentes. Non oportet nos de hac re respondere tibi. Sic enim illi ex fidei firmitate, & professionis humilitate, de igne liberari meruerunt: pertinacia autem istius quem finem habeat, ignotum adhuc constat.* Iudicium istud cum Babylonica fornace præclarè confert, & in Hebræis pueris duo laudat, fidem, & fidei professionem: quod ductum ab Apostolo, *corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*. In illa *firmitatem* miratur, quæ minas flammarum despiciat; huius *humilitatem* prædicat, quæ sine ambitione & iudicium, & iudicij exitum Deo relinquit integrum. Quid simile Gotteschalcus? Affert pro *fide* perfidiam: *optat enim idem erroneus post blasphemiam quam impudenti ore protulit, vt coram vndique collecta populorum multitudine*, &c. Pro *humilitate* superbiam; hoc enim *quod quasi ad Deum loquens petit examen ignis, vt per illud veritas eius fidei, imò perfidiæ comprobetur, magis mihi videtur ex elatione cordis prolatum esse, quàm ex fidei constantia.* His animaduersis exitum Gotteschalci metuit Rabanus, neque videt quò euasura sit *pertinacia*. Sed scrupulosiùs, quàm præfidentis Monachi animus ferat, qui Dei *Dexteram clementer educentem* mente præcipiens, instat, vrget, impellit vt impellatur statim in dolia, quasi certus de miraculo.

Hincm. l. de non trina Deit. c. 1.

Raban. epist. ad Hincm.

Dan. c. 3.

Hebræorum puerorum cum Gotteschalco comparatio.

Vtinam hac (Domine) legentibus, & intelligentibus, huiusmodi (sicut opus est) inspirare digneris affectum, vt exorem te suppliciter, quò celeriter hoc animi mei desiderium meum, sicut indiget Ecclesia tua, perducas ad effectum. Et siquidem te suffragante de cunctis illæsus prodiero, amplexentur veritatem, & execrentur falsitatem. Sin autem, quod ex te, per te, & in te confitendo, sperando, & amando, tuique tantummodò securus, tuæque solummodo gratiæ certus polliceor, vel inchoare trepidauero, vel consummare formidauero, in ignem me protinus mittant, & ibidem meritò perire permittant. Suppliciter tantùm te, Domine, rogo in dulcissimo nomine tuo, vt nemo me catholicorum, (quod absit) reprehendat in animo suo, quia prorsus ausum talia petendi, (sicut ipse meliùs nosti) à me propria temeritate non præsumo, sed abs te potiùs tua benignitate sumo.

Quem iudicij exitum velit esse Gotteschalcus.

His verbis, & *hac ipsa precatione* vtitur Dissertator patronus, *ad confirmandam humilitatem ipsius*, putátque per eam omnem fastus & elationis suspicionem excludi: contra Ioannis Scoti *sarcasmum, de quatuor illis doliis, contemptu magis, quàm vllo argumento refellendum.* Erat autem ille sarcasmus in Gotteschalcum, talis. *Inter illa, vt video, dolia, quæ tibi praeparari iubes, iam inuolutus suffocaris: meritò quippe in oleo atque pice ardere debuisti, qui & lumen caritatis, & mysterium prædestinationis perperam docere non timuisti.* Vide, Lector, vter sapientiùs sanctiúsque de toto illo negotio iudicium ferat, & à fine incipe. Si de se non præsumit, qui Dei gratiam pietate affectata & ambitiosa loquacitate ostentat, certè pro se præsumit, qui miraculum in sui gratiam faciendum confidit, *certus gratiæ Dei & securus*. Atque illud ampliùs, suo miraculó *opus esse*, & *indigere* Ecclesiam profitetur, & exclusa scilicet, fastus omnis & elationis suspicione, petit inferiùs à Deo, vt faciat ipsum *deinceps cum electis gaudere, pro patefacta fidelibus fidei catholicæ veritate*. Ignorarunt enimuerò *catholicæ fidei veritatem*, qui tamen *fideles* erant, antequam Gotteschalcus nasceretur: expectauit Ecclesia noui sideris exortum,

Expenditur illa prouocatio.

Dissert. c. 11. cit.

Ioan. Scot. l. de praedest. c. 3.

ortum, Gotteschalci Orbacensis Monachi, & eius miracula, quæ quandiu defuerunt, in tenebris iacuit. Stupidos sanè mortales, Ecclesiam Gallicanã tot seculis falsa hominum opinione florentem, omnium regionum & temporũ fideles stolidos, qui tali auxilio, tanto tempore *indigere Ecclesiam* non viderunt. Quam verò ob rem indiget? Vt veram de Prædestinatione sententiã discat. Non potest viis aliis edoceri, quàm Gotteschalci miraculo? Nónne hæc mera Dei tentatio est? Non sciuit hactenus, quid sit de ea sentiendum; atque adeo fuit expectandum donec à Monacho in Cóciliis damnato instituerētur per iudicium Dei? Quanta hæc arrogantia est? Quod sensit hactenus Ecclesia, sentítque, aut est conforme opinioni Gotteschalci, superfluum ergo miraculum, & vana de *patefacta fidei veritate* gloriatio: vel ab ea dissentit: hæreticus ergo Gotteschalcus, & hæresi confirmandæ miraculum impiè postulat. Hanc vocas Vsseri constantiam; elationem cordis Rabanus appellat. Cur, inquam, hoc examine *indiget Ecclesia?* Vt aliquid obscurũ declaretur? Hæc obstinatio est. Duobus iam Conciliis damnatus est Gotteschalcus, vt hæreticus, & incorrigibilis: quid vltra postulatur? Vt illis non obstantibus bene sentire Gotteschalcus ostendatur? Hæc peruicacia est. Denique in magnifico illo ambitionis theatro, quid aliud spectamus, quàm superbiam? Verè Hincmarus. *Quapropter, hu quæ Gotteschalcus, alter videlicet pro modulo suo Simon Magus, in scriptis suis frequenter posuit, spiritu furioso exagitatus, & elatis oculis, se mendaciter promittens in mirabilibus super se ambulaturum, petendo vt sibi tria dolia parentur, &c.*

Hincm. l. de non trina Deit. c. 1.

Fraudulentum Gotteschalci consilium.

Fraudem agyrtę istius & ioculatoris præstigias deregit, cùm ait *mendaciter promittere*. Promittebat siquidem, quia minimè concedendum videbat à sapientibus: & quò magis negabant isti, frequentiùs ille, ardentiùs, tumidiùs promittebat: quòd sciret homo vaferrimus ea petitione quæstionis in omnem partem abuti. Nam si foret cõcessa, eáque Deo permittente, agente dæmone, peccatis exigentibus, prosperè cessisset; quantos apud imperitã plebeculam triumphos egisset tota factio de hæreticis Rabanicis superatis? Si verò cecidisset infeliciter, corpore, igne, aut aqua, quod vnum merebatur, luculenter vstulato & cocto, vt antea Carisiaci flagellato; erat expedita apud sapientes excusatio, his rationibus tentari Deum, quibus nullo promisso, nulla necessitate, miracula illigasset: legum ipsarũ testimonio periuros hac via non rarò liberari: Quidni & innocentes posse obrui? Quæ omnia in fusiore tractatu appendicis exponentur à nobis. Sin autem tali excluderetur examine, iam salua cute, extra periculi aleam, gloriari poterat cum Goliatho incircumciso exprobrasse se agminibus Dei viuentis, lacessitos generosè aduersarios, veritatis in campum veritos descendere; humanis Regum viribus potentes, Dei iudicium exhorrescere. Nam si hæreticus est Gotteschalcus, permittant experiri, quem cupiunt perditum: Sin prohibent examinari, probum & Catholicum esse fateantur. Sic ratiocinari potuit vulgus sequacium Gotteschalci, & alia indifferentium multitudo.

Iure negatum est illud examen

Consultissimè tamen negatum est à Rege, & Episcopis iudicium Dei, quod periculo fidem Catholicam obiiceret: quo citra necessitatẽ omnem, præter sacras profanásque leges Deus tentaretur: quod ipsa re, quæ foret exquirenda, obscurum magis, minúsque certum esset: quod paucioribus probatũ sapientibus, multis legibus prohibitum, semper controuersum, & tunc vltro citróque disputatum, nullam fidem facere posset. Meminerant viri grauissimi, Diuiti Euangelico miraculum poscenti ad fratrum suorum conuersionem procurandam, responsum à Patriarcha, *Habent Moysen, & Prophetas*; Et Ochoziæ Regi dictum per Eliam, *Nunquid non est Deus in Israël, vt eatis ad consulendum Beelzebub Deum Accaron?* Nónne enim consultus dæmon fuisse dici potest, cùm ad examen eius præstigiis obnoxium deducta res est? aut leuiùs peccatur Deum tentando, quàm Dæmoni credendo? Nec aduersariis tantùm, sed patronis etiam, & fautoribus ridicula visa est thrasonica Monachi temeritas. Siquidem Prudentius, Ratramnus, Lugdunensium turba, oblatam ab ipso conditionem examinis nunquam postularunt admitti; aut ab Remensibus negatam vnquam exprobrarunt. Quin etiam Armachanus Vsserius qui Caluini sui Patriarchã Gotteschalcum de constantia laudat: & Præses Dissertator, qui suarum opinionum reparatorẽ virtutibus omnibus ornatum ex hac Confessione demonstrat, & istud ignis examen ad *sanctam indignationem, & zelum pro Christi gloria* transfert, nuda huius historiæ expositione contenti, nullam audent ex ea quæstione recusata inuidiam Hincmaro parare: quod facere tamen non omitterent, si postulatio clientis sui tali in causa & tempore æqua videretur.

Luc. c. 16.

4. Reg. 1.

Potuerunt tamen Polychronium Monachum Monothelitã opponere, cui sexta Synodus liberrimè concessit diuini iudicij per mortui suscitationem, examen. Is enim loco publico spectante Concilio populóque, suæ perfidiæ syngrapham, (qualem Rabano chartulam Gotteschalcus obtulit) cadaueri imposuit, antea sanctè protestatus, si non reuiuisceret, fore se in Imperatoris Constantini, & Concilij potestate. Cúmque multas horas precando, insusurrando, clamando, instar Sacerdotũ Baal, frustra insumpsisset, & qui mortuus erat, esset mortuus: tandem exclamante aduersùs eum populo Nouo Simoni Anathema, Polychronio seductori populi anathema: neque tum etiã inuitatus à Concilio, hæresim ex animo vellet deponere, damnatus, & de Sacerdotali ordine deiectus est. Verùm non erat illa probatio præstigiis dæmonum obnoxia; & qualiscunque fuit, exemplo caruit & imitatione: quam Deus & postulari permisit, & concedi voluit, vt hęreticos ostenderet prodigia illa non ad deponendum errorem expetere, sed ad confirmandum, & altiùs in animo imprimendum. Notabimus tamen quamlibet innoxium, & securum experimentum illud, vocari tamen à Concilio præsumptionem dæmoniacam & temerariam: & Simoni Mago factum similem Polychronium, qui eam ob rem dictus à Concilio infantilis intelligentiæ delirus senex. Quæ omnia quantopere conueniant Gotteschalco suorum temporum Polychronio, *stultorum principi*, omnis hæc historia loquitur.

Polychronio concessa probatio.

Sext. Synod. act. 15.

Extat & apud Sophronium in Prato spirituali similis contentio Ephræmi sanctissimi Antiocheni Patriarchę, cum Stylite quodam Monacho Seueriano, sed exitus felicissimi. Nam cùm argumentis Monachum vrgeret Patriarcha; is ad artes hæreticas confugiens, *Accendamus*, inquit, *ignem, & ingrediamur simul: & quem flamma non læserit, ille orthodoxus erit, illum sequi debemus.* Hic Pa-

Exemplum aliud probationis.

Sophron. Prat. Spirit. c. 36.

triarcha plenus Deo afferri ligna, & rogum excitari iubet; & ad Thrasoné, *Descende nunc, & iuxta decretum tuum ingrediamur ambo.* Stupefactus ille pedem reprimit, & sponsione cedit. Ephræmus autem stolam Patriarchalé in flammam coniicit, & tres horas ad consumptionem lignorum in ea retentam, resumit ad extremum nulla parte violatam. Ad hoc miraculum Ecclesiæ se reddit Monachus, & de temeritate, déque hæresi veritas triumphat. Sed hæc sine peculiari Spiritus S. motu, & instinctu tentari nefas est, quem prodigio confirmatum videmus: eóque semper recurrendum est, quod à Petro Apostolo discimus, *Habemus firmiorem propheticum*, & Euangelicum *sermonem, cui bene facitis attendentes.*

2. Petr. 1.

CAPVT XXIII.

Hincmarus contra Gotteschalci doctrinam librum scribit, eúmque ad Reclusos, & Simplices, & ad Rabanum cum eiusdem Gotteschalci scriptis, & epistola Ratramni mittit.

Quæ fuerit Hincmaro causa scribendi.

IVDICII Carisiaci de Gotteschalco claritas, discipulorum factio exacerbata, lucubrationes & cófessiones obstinati, prouocantis audacia, quæstionis ipsius subtilitas, & perplexitas, solicitú meritò habuerút Hincmarú, ne qui de Monachis, & simplicioribus decepti, abducerentur à vera Patrú doctrina, & minùs deuoti erga salutem suam fierét. Nam quò quidque damnatur splendidiùs, eò magis publicè edocetur; quo vetatur cupidiùs, eò curiosiùs inuestigatur; & nisu in cótraria inter homines vsitato, placet hoc ipsum scire, quod iubemur ignorare. Insinuant se & intrudunt in eorum colloquium coniurati, in speciem pij, verbosi, pellaces, & vt plurimùm ingeniosi: delectat nouitas imperitos, Theologica quæstio simplices, & magnum aliquid de se sentire incipiunt, quòd subtilium tractationum capaces existimantur. Ex his duo aut tria verba sæpe inculcata si retinent, Prædestinationem Dei, victricem gratiá, taxationem sanguinis Christi, Augustinum, Prosperum, Semipelagianos; Theologi sunt. Hos adorire vt dedoceas, operam luseris; occupatos habes, seipsis plenos; αὐτάρκεις: defendunt impetu, quod ambitione perceperunt. Et speres fidem iis facere, non esse ipsos, quod esse volunt, & videri, Theologos, doctos, ingeniosos? Apud simplices, & indoctos nihil est errore tenacius. Anthropomorphitas in Ægypti solitudinibus cogita, & Origenistas. Metuebat Athanasius ne eò peruaderet Ariana perfidia, & præuenit longa per epistolam rerum gestarum narratione *ad solitariam vitam agentes.*

Liber Hincmari ad Reclusos & Simplices.

Ad illud exemplum, in simili rerum statu, scripsit Hincmarus Opusculum *ad Reclusos & Simplices*, qui sua in parochia consistebant, *contra Gotteschalci errorem.* Quo docuit de Prædestinatione Dei, quid sit ex Ecclesiæ, & SS. PP. doctrina sentiendum, quàm peruersè geminam prædestinationem Gotteschalcus induceret, quomodo Conciliis duobus damnatus, quam ob rem secúdùm Canones Agathenses, & Regulam S. Benedicti virgis cæsus, qua cautione retrusus esset in carcerem, ne aliis noceret, qui sibi prodesse nolebat. Hæc & similia humili stilo, & lecturis accommodato, non persecutus subtilia, non auctoritatibus Patrum paginas referciens; sed facili explicatione, scripturæ qui proferri solebant locos perstringens. Quæ omnia de lucubratiunculæ hypothesi, etsi duximus ex coniectura, ferunt tamen probabilitatem ex epistola simili, quam scripsit ad Lugdunenses, nisi quod vltrò citróque obiecta, & disputata, necessarium non fuit Simplices edoceri. Et quando versamur in coniecturis, neque est à proposito Athanasij exemplo abludunt, quod postulauit ab Solitariis suis Alexandrinus, ne librum describerent ipsi, aut aliis exscribendum præberent; sed lectum, & relectum ad satietatem, auctori restituerent, quia magnis de rebus exiliter, & ieiunè tractatum à se, nolebat in publicum prodi: nihil sanè prohibet, & à Remensi prouisum existimare, ne quis aduersarius Reclusorum conditione non spectata, opusculi ipsius tenuitate ad contemptum abuteretur. Quanquam quid aliorum oculos verebatur Hincmarus; qui Rabani postea iudicio partum illum subdere ausus est?

Athan. l. ad solit. vitam agent.

Qua ergo via manauit in vulgus, inquies, vt à Ratramno legeretur, & *in epistola ad Gotteschalcum liberrima censura notaretur?* Noua loqueris qui hæc interrogas. Enimuerò quæ illa est Ratramni ad Gotteschalcum epistola? Video equidem in Rabano ad Hincmarum rescribente, citatam *Corbeiensis Monachi epistolam ad amicum suum:* Sed hunc esse Gotteschalcum quo notat indicio? Vnúm-ne illum habuit Ratramnus cui scriberet? Non potuit ea de controuersia cum aliis plerisque, vt fieri assolet, per litteras agere, siue vt ad opinionem suam eos deduceret, siue vt eam contra aduersarios, & Hincmarú ipsum tueretur? Quis igitur diuinat, hunc amicum appellatum fuisse Gotteschalcum carcere inclusum? Iam *liberrima* illa *censura*, cuius libri fuit? quid si non libri, sed epistolæ alicuius? Quid si nec epistolæ, sed viuæ vocis quadam in collatione & disputatione, quæ frequentes tunc incurrebant, expressæ? Quid si nec Hincmari quidem, sed alicuius sententiam eius sequuti, vt Parduli, vel alterius? Siquidem citatum Hieronymi librum de induratione cordis Pharaonis, legimus in epistola quæ Pardulo assignatur, ab Hincmaro nunquá. Quis autem neget à Ratramno, conferri potuisse in Hincmarum siue errore, quòd sic accepisset, siue consilio, quòd partis dux esset, id quod in eius gratiam dictum foret à socio? Sed illud dixerit scripserít-ve Hincmarus, quod docto & Theologo non fuit erubescendum, huic libro cur imputatur? Quo vestigio deprehendis apud Rabanum, librum hunc censuram vllam fuisse commeritum? Imò si rem acriore iudicio æstimas, non deerunt rationes quæ suadeant de alio potiùs opere, quàm de libro ad Reclusos & Simplices Ratramnum, & Rabanú loqui. Postquam enim docuit Moguntinus Antistes; Deum nostræ perditionis auctorem non esse, nósque ab eo postulare *ne nos induci permittat in tentationem noxiam, per quam incidamus in tentationis ruinam*, & multos precando ita dicere *ne nos patiaris induci in tentationem, exponentes videlicet quomodo dictum sit, inducas.* Tanquam inde sumpta occasione, paulò pòst subiicit sententiæ similis, inter Ratramnum, & Hincmarum controuersæ expositionem.

Probari non potest esse confutatum à Ratramno, contra Dissert. c. 12.

Eccles. Lugdun. l. de 3. epist. c. 39.

Raban. ep. ad Hincm.

Quod autem ille Corbeiensis Monachus, in epistola sua vituperauit vos, non rectè Fulgentij

Cod. Laudun. *vituperauit nos*, & ita edidit Sirmond.

sententiam exposuisse, scribendo de vobis ad amicum suum, ita dicens. Nam quod ait dixisse Fulgentium, præparauit Deus malos ad luenda supplicia, pro eo quod est, præparari permisit, inuenit quid diceret, non verò dixit quod debuit. Hæc est Ratramni liberrima censura. Subdit Rabanus. *Et vos seductos esse asserit stilo cuiusdam libelli, qui fertur esse Hieronymi, de induratione cordis Pharaonis, vt diceretis, non Deum indurasse cor Pharaonis, sed indurari permisisse. Non rectè reprehendere vos mihi videtur: quia non Deus cuiusquam cor sua factione indurat, vt semetipsum homo ab errore non corrigat, sed iusto iudicio indurari permittit, aut propria nequitia, aut Diaboli malitia.* Ex his habes Lector quod disputamus, neque Gotteschalcum, in amico, neque librum ad Reclusos in Ratramni censura nominari, & vtrunque qui absolutè, & intrepidè asserit, diuinare. Sed hæc leuia. Vides, quod grauissimum est, censuram censuræ; defensum Hincmarum à Rabano, & vtrunque Ratramno oppositum: vtri parti Theologicæ & Catholicæ interpretationis laurea debeatur, tuum esto iudicium. Redeo in viam.

Cod. Laudun. *cuiusdam.*

Hincmarus librum suũ, & aliorum scripta mittit ad Rabanum.

Cùm ergo animaduerteret Hincmarus assertionem de Gemina Prædestinatione, Prudentio, Ratramno, & quibusdam aliis eruditis, non ęquè, vt sibi improbari; quod Christiana modestia suadebat, Rabanum super ea quæstione consulit, vt in caput suum reuolueretur controuersia, & eò rediret vnde aduenerat. Et ne quid lateat Moguntinum, ad quem antea narrando scripserat, quomodo Monachum ad se remissum susceperit, & qualem eius vesaniam ipse præsens sit expertus, iam fusiùs de eius hæresi scribit, Confessiones Gotteschalci, Prudentij & Ratramni epistolas, suum quoque opusculũ ad Reclusos & Simplices mittit, vt omnibus ritè perpensis, liberè decernat, quid de Prædestinatione Dei sentiendum arbitretur. Admonet eius opuscula corrumpi à Gotteschalco, rogat vt & ipsi, & Prudentio respondere dignetur: cùm præsertim ad ipsum contumeliosè scribere sit ausus hæreticus. Consilium petit, putét-ne ipsi, damnato licèt, & excõmunicato, indulgeri posse, vt sacris officiis intersit, & statis diebus communicet. De libro suo ad Reclusos, quod sit eius iudicium, priuatim rogat: & de Trinitate quomodo loquendum sit; vt vel hinc intelligamus iam nunc in ore doctorũ quæstionem illam fuisse versatam: ad quam tamen Rabanus (qua de causa, obscurum est) nihil respondit. Habemus ea omnia primùm ex Rabani ipsius respõsione, cuius in fronte salutatur Hincmarus, *Merito rectæ fidei ac sanæ professionis ab omnibus Catholicis ritè venerandus.* Et ineunte epistola. *Vester nuntius ad me veniens portauit vestrã epistolam, simul & Opusculum quod fecistis ad Reclusos, & Simplices, qui in vestra Parochia consistunt, contra errorem Gotteschalci. Adferebat etiã secum aliorum scripta, qui propemodum memorati hæretici dogma sequuntur, sed non vsquequaque.* Deinde ex Flodoardo epistolæ argumentum fusiùs enarrante in hæc verba. *Item de doctrina & hæresi eiusdem* (Gotteschalci) *& quid in eum fecerit, postquam in Synodo hæreticus comprobatus fuerat, nec corrigi potuit. Et quid ipse contra doctrinam eius semiat, damnationem-ve ipsius; quæ-ve contra eundem scripserit, huic discutienda direxit. Quærens etiam qualiter de Trinitatis fide, ac prædestinatione, diuersorum sint intelligendæ sententiæ.*

Flodoard. l. 3. hist. c. 21.

In qua epistola asserit hunc B. Rabanum solum tunc temporis de discipulatu Beati Alcuini relictum. Quanto huius historiæ malo thesaurus ille vel penitus exciderit, vel adhuc sub tineis & blattis iaceat, breui sentiemus, cùm germanam Gotteschalci *doctrinam & hæresim* peruestigabimus, ea contentam epistola, & libro ad Reclusos breuiter confutatam.

Rabanus Hincmaro respondet.

Rabanus autem perlectis, & accuratè examinatis omnibus scriptis, quorum copiam fecerat Hincmarus, nihil peruidit in aduersariorũ argumentis, aut potiùs Patrum auctoritatibus, quo dimoueretur à sententia: qui licèt doctrinã Gotteschalci mitigarent, & ad eum sensum inflecterent, qui erroris & hæreseos damnatus non esset; ad veritatem tamen, & ad Patrum sentẽtiam parum accedere visi sunt. Paucis igitur ex Prudentio & Ratramno libatis, opusculum à se scriptum de Prædestinatione ad Notingum Episcopum, & Eberardum Comitẽ, mittit, quale antea scripserat, & quale vult edi, ne mala Gotteschalci manu adulteretur. Additque, quod religiosissimũ Prælatum decet, *si quid in eis emendandum sit, vestro iudicio magis eligo corrigi, quàm hæretici.* Qua cautione fortasse admonemur, voluisse Gotteschalcum sibi licere in Rabani scripta, quod Prudentius aduersùs Ioannẽ Scotum vsurpauit; hoc discrimine, quòd Prudentius Scotum exhibuit integrum, vt fideliter & necessariò corrigere probaretur; Gotteschalcus autem mutilum & corruptum Rabani textum, tanquam correctiorem, proponebat.

Librum de prædestinatione ad Notingum auget additionibus.

Et quoniam dies diei eructat verbum, soléntque librorum scriptoribus noui lucis radij identidem affulgere, ad eos scripturæ sacræ locos, quibus sententiam suam confirmauerat Moguntinensis scribens ad Notingum, alios adiungit hac epistola de Apostolis & Prophetis: *Quatenus tentent hi qui prædestinationem Dei in tam prauum sensum vertere volunt, vt Deum dicant prædestinatione sua auctorem esse perditorum, vtrum ex diuina auctoritate suas inuentiones affirmare possent, an non.* Pluribus Prudentij propositiones confutare, & collectarum sententiarum cumulo contrarias afferre Patrum sententias, sibi negat permittere corporis infirmitatem, & ægritudinem senectutis. Contra Gotteschalci verò superbi hominis, & hæretici incorrigibilis errorem scribere, superfluum esse profitetur; quin potiùs scriptitandi, & per litteras garriendi licentiam hæretico, ceteros infecturo tollendam videri; cõmunione verò non priùs impertiendum, quàm in Ecclesiæ sinum fidémque reuerterit. Fuit Rabano pacis auctor contemptus hęretici iam damnati, cuius hæresim impugnando, dubiam fecit Hincmarus. Damnatum autem in Synodo ab Hincmaro, non tacet, *qui in Synodo vestra hanc sectam nefandam simul cum hæretico damnastis.* Præter quæstionem de Præscientia & Prædestinatione Dei, aliam tractat, *quod ipse Deus omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis vult peruenire: prout potui,* inquit, *& assidua infirmitas me sinebat: sciens quod vos plura inde colligere potestis, sicut eruditio vestra, & valetudo, meam imperitiam & infirmitatem per omnia excellens, vos agere permittit.* Hanc ergo quæstionem in libellum suum immiserat Hincmarus, vtique in Concilio Carisiacensi cum Gotteschalco agitatam. Ad extremum & librum & doctri-

Cod. Laudun. *possint.*

nam Hincmari calculo suo comprobat. *De cetero agnoscat sanctitas vestra, quod illum libellum, quem ad Simplices & ad Reclusos in nostra Parochia consistentes, contra Gotteschalci errorem dictastis, probatum habeo, & secundum id quod ibi scriptum reperi, sentio.* Et in conclusione. *Ceterùm scias me quamdiu vixero semper paratum esse tuæ obtemperare bonæ voluntati, & sanæ consentire doctrinæ.* quæ contesseratio duorum Ecclesiæ militantis Imperatorum, & Gotteschalci tum Conciliis suis iudicum, quibus neque Germania, neque Gallia eruditiores tum habuerunt, nescio cui vel minimùm sapienti possit incertum relinquere, fuerit-ne hæreticus Gotteschalcus, & iure damnatus?

leg. videtur *vestra*.

Librum illum immeritò contemnit Differt. c.12. cit.

Verùm istud operis lectum & probè cognitum Rabano, quantumlibet probatum fuerit, non placet modò Amplissimo Præsidi Monetario, à quo nunquam visum, nunquam, nisi ex hac epistola, & de solo titulo cognitum est: an amore & commiseratione Gotteschalci & eius opinionũ, an odio Hincmari & partium? aut aperiet ipse, aut sapiētes iudicabunt. Interim ad eius contemptum se rapi significat argumento negatiuo, si superis placet, validissimo. *Opusculum illud nec habetur, nec eius meminit Hincmarus in opere suo de Prædestinatione, nec in Epistolis suis, nec alibi vsquam: neque etiam Flodoardus, licèt eius scripta quæ ad notitiam suam seculo sequenti peruenerant, imò & simplices epistolas curiosè, & ad nauseam vsque recensuerit: nullum eius extat monumentum, nisi quod habetur in posteriore Rabani epistola ad Hincmarum:* (illa in qua hactenus versati sumus hoc capite.) *Ita vt suspicioni locus sit, eum ipsum post editos maiore studio, nec minore fuco de Prædestinatione libros suos, opusculi illius, quasi partus abortiui, & præmaturi, auctoris nomine parum digni, suppressionem procurasse.* Quamobrem Rabani approbationem illi datam, paulò pòst *Rabani assentationem* appellat. Sed hanc *suspicionem* eiusdem cum aliis esse farinæ, quas in eo scriptore frequentissimas videmus, nullo videlicet niti fundamento, monstratu facillimum est. Primùm enim, quis hominum certò asseueret, opusculum illud Hincmari de quo agimus, nulla in Bibliotheca inter veteres membranas, & obsitæ antiquitatis monumenta concludi? Pleraque ad hanc controuersiam spectantia Rabani, Amolonis, Ratramni, Prudentij, Gotteschalci, Hincmari scripta, quis nostrûm ante annos triginta viuere putauit, & vnquam ad eruditorum manus & oculos peruentura sperauit? Deinde, si eius auctorem pudere debuit partus adeo deformis, eius tamen post editos de Prædestinatione libros non erat libera suppressio, cùm longè antea & Rabanus in Germania, & Ratramnus in Gallia, vt putat aduersarius, & Reclusi ac Simplices, quæ plurima turba est, penes se apographa habuerint, &, vt credi potest, studiosè seruauerint vel amore Hincmari, vel odio. Addo, quod antea posui, probatum Rabano, nemini postea, nec ipsi eius parenti displicere debuisse. Cur ergo nulla ipsius apud Hincmarum & Flodoardum superest memoria? Respondet pro se Flodoardus, post recensita Hincmari scripta *curiosè & ad nauseam*, fusiùs quàm Dissertatori placeat, qui vel ex iis titulis viri magnitudinem dolet æstimari. *Scripsit præterea plura, ad quæ nos enumeranda non putamus sufficere.* Cur neges in illis pluribus latere ad Simplices opusculum? Pro Hincmaro respondeo, temerè operum suorum indicem ab eo postulari, qui nullum fecit. Aut si vrges, aliquot alia ab eo citata, istud nunquam: aio & istud citatum. Vbi gentium inquis? In aliquo librorum qui non extant. Rides? At contendo ego non plus tibi esse iuris ad negandum seriò & affirmatè libri illius mentionem fieri *vsquam alibi*, hoc est, in libris omnibus Hincmari, siue qui extent, siue qui perierint, quàm mihi ad affirmandum fieri in deperditis. Nam vterque diuinamus, donec reuiuiscant, & quam à me in coniecturis tuis frequentibus fidem postulas, eandem ego in hac vna exigo.

Flodoard. l. 3. c. 29.

CAPVT XXIV.

Gotteschalcus Amolonem Lugdunensem suas in partes attrahere conatus, ab eo contrà ad saniorem mentem & doctrinam inuitatur.

CRIPSISSE Gotteschalcum ad plures è carcere, clausum, iniussum, vetitum, & à plurimis litteras accepisse, cum excommunicato communicantibus qui negauerit, dum effecta ipsa tenentur, solem meridie lucere pari modo inficiabitur. Guntbertum vnum Monachum Altiuillarensem nominat Hincmarus, qui *sæpe Gotteschalco se coniunxit, & litteras ei dedit, & ab eo accepit.* Complures alios idem fecisse ne dubita, eo cupidiùs, quòd vetiti erant; eo cautiùs, quòd puniti; eo frequentiùs, quòd complicum eius factio *sicut vermes in putredine scatentes ebulliebat.* In iis emissarium reperit satis improbum, vt superiorum iussa contemneret; satis audacem, vt deprehensus supplicium non refugeret; qui litteras & scripta ipsius ad Amolonem Lugdunensem Episcopum suo periculo perferri curaret, & miserabilis Monachi causam viua voce ardentiùs commendaret. *Audiens,* inquit Amolo, *& agnoscens quæ in scriptis tuis misisti, & per quendam fratrem nostrum mihi innotescenda vehementissimè flagitasti.* Episcopus hic fuisse videtur: sic enim de eo loqui decet Archiepiscopum, non de simplici Monacho, vel Clerico, & nonnullos habebat fœderatos Gotteschalcus, maximè in Prouincia Lugdunensi, quorum interuentu non ægrè conciliaretur. Nomen autem obuoluit silentio, ne simultatis inter eos, & discordiæ fiat auctor; cùm alioqui eo tempore literarum latores de nomine solerent appellari. Quapropter coniecturæ locus est, vt huic Monachus aliquis Gotteschalcanus, hic Amoloni scripta commiserit. Neque ratione caret ea suspicio, quando duos videtur Amolo distinguere, illum per quem missa sunt scripta, & illum per quem ipsi, multum rogante Gotteschalco, innotuerunt.

Gotteschalcus etiam in carcere scribere potuit ad Amolonem.

Hincm. ep. 24. ad Egil.

Iam si consilium Gotteschalci attendimus, non temerè quæsitus est causæ patronus Amolo, vir per se magnus, nobilis Prouinciæ caput, Lothario Imperatori, non Carolo Gallo Regi obnoxius; Hincmaro senior, Rabano in Episcopali dignitate antiquior, neutri virtute, doctrina, veneratione inferior, cui magna cum reuerentia Guenilo & Gerardus, volente Rege suppli-

Amolo qualis fuerit.

Lupus Ferrar. ep. 81. *Trithem. l. de script. Eccles.*

cant apud Lupum Ferrariensem, pro Berno Ecclesiæ Augustodunensi præficiendo. Et erat Amolo, qui & Hamulus Trithemio, *vir in diuinis scripturis studiosus, & veterum lectione eruditus, atque in secularibus litteris non mediocriter doctus, tam Hebraica quàm Latina lingua clarus, ingenio acer ac vehemens, eloquio scholasticus, atque compositus.* Hic si nonnullis Hincmaro non amicis se ducem præbuisset, quantas in spes assurgebat Gotteschalcus? Verùm si Amolonis ipsius sapientiam inspicimus, incidit Gotteschalcus imprudenter in hominem, improbitati & erroribus grauiter repugnantem.

Amolo Gotteschalci doctrinam perfectè cognoscit.

Ad eum igitur epistolam scripsit miseriæ suæ plenam, vt ad commiserationem, & ferendam opem excitaret; quod significat Amolo causam responsionis suæ reddens, ne nihil consuleret *tam angustiato, tam afflicto, tam anxio & conturbato.* Sic enim lacrymabatur Crocodilus, cui licebat quieto esse, & felici. De quæstione controuersa nonnihil tractasse loco eodem probabile quidem est, sed eius doctrinam alius ex scriptis ad vnguem didicit Amolo, siue quæ ipse ad eum cum epistola misit, siue quæ ab aliis Ecclesiasticis viris & dudum antea, & tunc etiam recens accepit. Enimuerò iam inde à Concilio Moguntino ingenium, & leuitatem hominis in aduehendis nouitatibus nosse incœperat. *Cùm adhuc esses in partibus regni Germaniæ, audiuimus in primis super nomine tuo famam dolendam, quòd videlicet nouitates fereres, & stultas, ac sine disciplina quæstiones ventilares.* Quid vetat credere, Gotteschalcum tunc temporis huc illuc litteras suas spargentem, vt diximus, in Ecclesia Lugdunensi, vt & in aliis, patrocinium aliquod errori suo quæsiuisse, & ei terræ semen mandasse, quæ non pœnitendam ipsi messem deinde attulit? *Deinde perlata est etiam ad nos, studio Ecclesiasticorum virorum, quædam scriptura tua, in qua apertissimè & prolixo sermone, atque vt tibi visum est, etiam testimoniis scripturarum, siue sanctorum Patrum, quid sentires siue doceres multipliciter exsecutus es.* Si licet coniecturis vti, librum ad Rabanum Archiepiscopum, vel Confessionem prolixiorem videtur indicare: aut simpliciùs vnum aliquem ex ignotis huic seculo: nam multis verbis nihil dicendo bonas membranas loquaculus perdidit. Sequitur enim. *Nunc quoque accepimus & alia scripta tua non parua* (quod interpretor, non pauca) *quæ ad Episcopos, vel contra Episcopos qui in Concilio tuæ damnationis adfuerunt, scripsisse vel protulisse videris.* Quod ab hæreticis nostratibus factitatum sæpe vidimus, vt publica disputatione turpiter superati, rei non gestæ narrationem, sed fabulam, more suo modóque confingant, & sic apud absentes de victoria glorientur; hoc videtur actum à Gotteschalco post vtrunque Concilium, ne conuictus, sed iniuria damnatus à suis crederetur. Iis porrò scriptis continebantur ea conuicia & maledicta, quibus Sacerdotes Dei & rectores Ecclesiarum lacerabat & onerabat, spiritu erroris & superbiæ deceptus, atque hæreticos Rabanicos nuncupabat, quod Amolo iure optimo vehementer improbat. Hypothesis verò librorum præcipua fuit, quæstio de Prædestinatione. *In quibus quanta potuisti intentione de vna tantum quæstione, id est, de prædestinatione diuina, quid teneas diligenter explicare curasti.* Siue illa maximè omnium ipsi placeret: siue difficillima & aduersarios potissimùm intricatura videretur; siue illustriorem offerret ex pluribus Augustini locis segetem disputationis & famæ; siue ab eo fonte ceteræ profluerent. Certum tamen est mouendis aliis difficultatibus operæ & stili nonnihil impendisse hæreticum, quando & eas tangit Amolo, & impugnant aduersarij: *Ita factum, vt ex vtraque scriptura tua, siue quam per alios, siue quam te mittente accepimus, plenissimè nobis cognoscere videamur, in quibus quæstionum periculis fluctues, vel, quod nimis dolendum est, naufragetur sensus tuus.* Quamobrem non vereor Amolonem Gotteschalci iudicibus tertium adiungere, qui causa ex eius ipsius scriptis probè cognita, absque gratia vel odio, nullo partium studio occupatus, verè sapientérque pronuntiat.

Gotteschalcus in multis de vna tantùm quæstione tractauit.

Quibus rationibus ad respondendū permoueatur.

Ac vide quàm deliberatò, & maturè ad respondendum inuitatus aggrediatur. Primùm dubius vtrum expediat respondere, rationum momenta vtrinque librat, id sequi certus quò Ecclesiæ causa, & priuatorum salus inclinabit. Manum retrahit à tabula præteritum iudicium, & præsens rei conditio. Rem iudicatam retractare, & per se iniquum, & iudicibus ingratum fore videtur. Homini damnato, contumaci, excommunicato, vel per litteras communicare, vera caritatis peremptio est. *Diu hæsitaui vtrum tibi respondere deberem, homini de nouis contra Ecclesiam præsumptionibus, & non paruis erroribus iamdudum accusato, & propter contumaciam, vt audio, Episcopalis Concilij auctoritate damnato. Importunum namque, & impudens videri posse existimabam, si de causa, quæ prudentium, & reuerendorum fratrum nostrorum inquisitione, cognitione, & sententia definita est, aliquid vltro dicere vel respondere aggrederer.* vel antequam scriberes, & cùm ad me perlata est quædam scriptura tua, *vltro dicere*; vel postquam scripsisti, & alia scripta tua non parua accepimus, *respondere.* Noluit enim vir sapiens ad consilium priusquam vocaretur accedere, & non leuis suspicio mihi est, aliquorum manus & calamos sustinuisse dum viueret, ne se in eam controuersiam immiscerent, qui sanctissimo Episcopo mortuo statim ad scribendum proruperunt. Ex aduerso respondere suadet fratris ea in angustia vehementer rogantis caritas atque compassio. *Et rursum tantam deprecationem, & supplicationem tuam contemnere, & præterire silentio, non videbatur Christianæ esse pietatis & caritatis, per quam præcipuè lex Christi adimpletur in nobis.* Lex, inquam, veri & pij Samaritani exemplo, per parabolam explicata. Quid autem fortius caritate Christi, quæ vrget nos, & euincit tandem, vt bona Coepiscoporum venia, laboranti fratri succurrat, periclitanti salutarem manum porrigat? *Istiusmodi igitur consideratione prouocatus, & de venerabilium fratrum atque consacerdotum nostrorum sincerissima caritate confisus, per quam in Domino vnum sumus, & inuicem commissi nobis ministerij onera & officia communicare debemus, &c. Melius & salubrius existimaui, aliquid tuæ fraternitati rescribere, quàm inutili taciturnitate de illis viderer diffidere.* Vbi eras Amolo, cùm Hincmarum & eius Concilium, dicti Lugdunenses, huic ipsi Monacho peruicaci & hæretico gratificati, fœdè vexauerunt?

Gotteschalcus dudum de nouis erroribus accusatus.

Summa responsionis & ordo.

Itaque deliberata responsione, eloquium exerit Scholasticum & compositum, & captata ægri beneuolentia, vlcus rhetoricè palpat, cui ferrum admoturus est & ignem; *fratrem dilectissimum* salutat in fronte, quem *fraternæ caritati contrarium non ignorat: quia eum fideliter diligit, hoc ipsi cupiens quod sibi.* Non aliter sancti, *Symproniane frater, frater Parmeniane:* & Ephesij Patres Nestorium ad tribunal citando, *pietas tua, sanctitas tua.* Et ipse Paulus, *Optime Feste*, quem bipedum nequissimum esse non ignorabat. Attentum reddit Amolo Lectorem Gotteschalcum, vbi pollicetur *ex illa tota serie scriptorum illius, ea quæ fidei catholicæ maximè contraria esse videntur, breuibus & distinctis capitulis ordinare.* Docilem autem efficere diuiniùs non potest, quàm adhortatione graui & erudita ad ponendam peruicaciam, & maiorum iudiciis atque sententiæ obtemperandum.

Paulinus Ephræmi discipulus Gotteschalco similis.

Ephræmi exemplo, qui *adstanti sibi sub horam exitus vni ex discipulis, magni, & acuti, & nimis curiosi ingenij, solicitè admonens dixit, Caue, Pauline, ne vnquam te summittas cogitationibus tuis.* Quid dicam de oratione illa, qua *Saluatoris largissimam & indeficientem orat gratiam*, vt aptum ad persuadendum ipsi sermonem inspiret, *& animum*, inquit, *tuum preparet ac tranquillet, vt quæ dicturi sumus pia mansuetudine, ac humilitate suscipias?* Quid melius de gratia Saluatoris, tota Gotteschalci schola, cum ambitiosa illa verbositate dixit aut sensit? *Ac seposita animositate, & studio contentionis, libenter quæ vera sunt audias, & non nostra, sed Dei & sanctorum Patrum dicta obedienter suscipias, eisque animum tuum, & sensum sincera pietate summittas.* Hæc aurea non magis Gotteschalco, quàm eius discipulis; nec veteribus magis, quàm nouis, & nuper renatis mandat illustris Antistes. Atque vt ex epistola orationem facere pergamus, magnifico huic exordio succedit, Narrationis vice, collecta, & in breues articulos distincta

Qualis doctrina Gotteschalci.

Gotteschalci doctrina *insana & furibunda, durè & indisciplinatè & immaniter loquens & sentiens*, quam detestatur & horret. Cui proinde Confirmationem non potest adnectere, sed apertam & fortem Confutationem. Et ne de veritate Narrationis, quæ summa virtus eius est, dubitare liceat, non alium auctorem & testem producit, quàm Gotteschalcum ipsum, & eius scripta. *Hæc sunt igitur, quæ in scriptis tuis meritò reprehendenda, & reprehensa, tanquam veræ fidei catholicæ inimica notauimus, & qualiter ad regulam veritatis sint corrigenda, perstrinximus.*

Ex eius scriptis eruta.

Nota *in scriptis* dici, quæ non parua, neque pauca diuersis temporibus accepit, non autem in epistola tua, qua angustiatum & afflictum esse recens didicit. Post hæc quid expectas, nisi vehementem quendam epilogum, ad lapidem silicem mouendum & emolliendum efficacem? qui sic incipit. *Quapropter multùm fraternitatem tuam exhortor & moneo, & paterna pietate, ac fraterna caritate persuadeo, vt reuertaris in temetipsum, conuertaris ad cor tuum, & excutias procul à te errorem istum vanum, & laborem infructuosum, ac perniciosum, restituásque te sanctæ Matri Ecclesiæ, restituas te obedientiæ Domini Sacerdotum*, & quæ sequuntur in eundem sensum & spiritum.

Epistolam

mittit ad Hincmarum.

Ita scriptam epistolam, ne quid peccet aduersùs Ecclesiæ mores, & monastica instituta, simul vt Hincmarum eius lectione, ad pietatem erga miserabilem Monachum excitet & permoueat, non ad Gotteschalcum ipsum excommunicatum & inclusum, sed ad eius superiorem & custodem Hincmarum mittit, ipsi tradendam in manus. *Hunc autem sermonis nostri tenorem, seruato in omnibus legitimo ordine, ac Ecclesiastica auctoritate, non tibi, qui infelici & miserabili lapsu excommunicationem ab Ecclesia excepisti, sed principaliter reuerentissimo & carissimo nostro, Metropolitano Antistiti direximus tuo, confidentes in Domini pietate, quia cùm hæc legerit, & nostræ erga te compassionis affectum cognouerit, non indignatione aliqua aduersum te, sed boni patris & pij pastoris visceribus commouebitur.* Ad hoc etiam iuuit seruatus ordo, vt subtiliter moneret Hincmarum, ipso inscio furtiuas litteras à Gotteschalco ad se datas; suóque exemplo Gotteschalcum doceret, nihil viis illegitimis in posterum simile tentandum. Hæc est ratio & ductus aureæ Amolonis epistolæ, cui meliori iure titulum Ecclesiæ Lugdunensis assignabimus, quàm incertis & obscuris auctoribus, qui deinceps illum immeritò affectarunt. Ea verò tanti momenti ad nostratis controuersiæ notitiam visa est, vt quæ paucis ab hinc annis manu Sirmondi deducta latino schemate in Athenæum se intulit, Gallicum paulò post ornatum ab alia non minùs elegante manu induta sit: vt quæ fidem facit eruditis, quid vera Lugdunensis Ecclesia de Gotteschalci doctrina primùm decreuerit; minùs peritos doceat, de his quæstionibus quid sentiendum sit.

Quædam in ea epistola studiosè notanda.

Istud autem momentum vtiliùs expendes Lector, si præstantissimorum Præsulum triumuiratum in conuertendo ad saniorem mentem Gotteschalco sanctè piéque occupatum, & egregiè, quanquam modis diuersis, consentientem animaduertis. Nam primus vt loco curáque proximus Hincmarus, in custodia quietum vltrò exstimulat, expositis Augustini Patrúmque locis, quibus errorem suum tegebat. Alij à Gotteschalco litteris conueniuntur, & respondet Amolo, vt hominem in viam reuocet: non respondet Rabanus, ne superbiam foueat, & excitet impudentiam. Sed & illud in vtroque iucundum, quòd Rabanus Hincmaro respondet, quæ sint profutura Gotteschalco: Amulus scribit Gotteschalco, quæ cupit ab Hincmaro legi, & cùm vterque Gotteschalcum aspectet, neuter ad eum mittit epistolam. Porro trium omnium vnum idémque est de Gotteschalco iudicium. Vt enim taceam Hincmarum, cuius apertus sensus est, & res agitur, Synodum Carisiacensem calculo suo probant Rabanus & Amolo: Gotteschalcum habent pro hæretico damnato & excommunicato; eius doctrinam blasphemam agnoscunt & execrantur. Rabanus Hincmari opinionem de Prædestinatione complectitur, & ei *quoad vixerit* inhærere, vt *sana doctrina* pollicetur. Amolo Rabanum vocat *bonum, eruditum, Catholicum Episcopum.* Hincmarum verò *reuerentissimum, & carissimum*, Gotteschalci Metropolitanum, *bonum patrem, & pium pastorem*, si vult ipse fieri ouis ex lupo. Hincmarus autem ad Amolonem scribens, *eum carissimum & vnanimem sibi patrem se habere significat.* Apud istos nulla legitur pro Gotteschalco Apologia, nullæ de iniqua

Flodoard. l. 3. hist. c. 21.

eius condemnatione, de crudeli vexatione, de diuturno carcere & excommunicatione querelæ, quales à Lugdunensibus aliis audiuimus; nulla in Hincmarum de crudelitate, dolositate, superbia, contumacia, rebellione, schismate conuicia, quibus velut gemmis & adamantibus distinguitur amplissima Præsidis Dissertatio: sed honorifica omnia pro Hincmaro; vota, preces, adhortationes ad Gotteschalcum vt resipiscat, vt errores & pertinaciam ponat, vt Deo, Ecclesiæ, Episcopo se reconciliet & subiciat: *vt his congruenter perlectis*, inquit Amolo, *& tranquillè apud te tractatis, si diuina gratia aspirante acquiescere volueris veritati, nequaquam diutiùs aberres à caulis, sed boni & summi Pastoris humeris reportatus, vnitati inuenta ac redempta ouis, cum gaudio cælestium & terrestrium, feliciter restituaris.* Fecisset vtinam Deus immortalis, vt aut tantorum virorum sapientissimis consiliis obtemperasset Gotteschalcus; aut Lugdunenses, qui dicuntur, scriptores exemplo suo continuisset Amolo; vel eius successor, concordiam æquè ardenti firmâque dilectione publicè complexus esset! Mortua procul dubio, & sepulta foret cum scriptis Gotteschalci controuersia, pax Ecclesiæ restituta, & hæreticus ab omnibus desertus, rediisset ad Hincmarum; qui quamdiu patronos habuit, leuiora sperauit, & meliora neglexit. Vbi verò laudata illa est *humilitatis excellentia, & sincera caritatis eminentia*, si spretis illis, Hincmarum & Rabanum perpetuò conuiciis lacerauit & conculcauit? Cui bono toties affectata gratuitæ gratiæ commemoratio, si tam fortiter suauitérque oblatam exteriùs, Deo cor interiùs tangere non desinente, obstinatus & impœnitens refutauit?

CAPVT XXV.

Hincmarus à graui calumnia recens excogitata super hac Amolonis epistola, solutis aduersarij rationibus, vindicatur.

Status disputati onis exponitur.



IDIT recens Gotteschalci patronus, qualem securim clientis famæ & opinionibus iniecerit Amolonis epistola, quantum excidium partibus minetur, Moguntino & Remensi Archiepiscopis, adiunctus Lugdunensis; quantæ auctoritatis apud æquos rerum æstimatores, futurum sit sancti & eruditi viri iudicium, amore partium & odio liberum & vacuum, post lecta, & diligenter expensa Gotteschalci scripta, ab ipso Gotteschalco missa, ab Ecclesiasticis viris perlata, grauiter amantérque prolatum. Quamobrem videndum censuit, ne quid detrimenti suæ partes patiantur, & infringendam, si qua vi potest aut arte, producti *nudius tertius*, vt loquitur, scripti auctoritatem. In quo cùm tria insint, epistola ipsa & eius auctor; epistolæ argumentum, siue errores à Gotteschalco retractandi; epistolæ scribendæ occasio, id est, datæ ad Amolonem Gotteschalci litteræ supplices, quibus respondet, & scripta missa ex quibus errores exprimit, quæ refutat: de duobus primis capitibus non litigat Dissertator amplissimus. Agnoscit enim hanc ab Amolone ad Gotteschalcum scriptam esse epistolam, & *hoc bonum, & inopinatum munus nobis à Deo solo præstitum*, gratanter excipit & amplectitur. Non improbat eas opiniones quæ referuntur ex Gotteschalco, improbari & vehementer argui ab Amolone: si quidem fatetur mirum non esse, *à tanto præsule illum quem tot errorum & blasphemiarum, tantaque superbiæ & contumaciæ reum esse crederet, & reuera damnatum, & ab Ecclesiæ corpore resciſſum cerneret, tali censura notatum.*

Hincmarus epistolam Gotteschalci ad Amolonem confinxisse accusatur. Dissert. c. 21.

Pugnat igitur solùm de tertio capite, occasionem scribendi datam Amulo, non à Gotteschalco, vt putamus, sed ab Hincmaro, per se vel per suos, litteras tanquam manu stilóve Gotteschalci confingente, & supposititia nescio quæ scripta ad Amolonem mittente, quæ cum illis erroribus referta comperit Lugdunensis, non potuit non grauiter eis succensere, & in Gotteschalcum scribere, quem tot hæresum deceptus putabat auctorem. Hanc fabulam recentissimæ notæ, cùm sapientes omnes & eruditi, cum stupore & indignatione accipiant, mirati genus responsionis, & nullo penitus auctore, sola *collatione & meditatione* Dissertatoris, asseri tanto in negotio, in causa longè grauissima, vel potuisse falli Amolonem, velut quendam comicum senem; aut voluisse Hincmarum fallere, ad instar nequam alicuius serui, qui strophas concinnet, subtilitatem omnem suam in consilium aduocat, vt se verà narrare *multis certissimis argumentis* suadeat. Sic olim Sophistæ exercitationis gratia declamabant, non pro Helena, sed pro vmbra Helenæ, fuisse inter Asiam Europámque certatum. Equidem cùm susceptæ causæ magnitudinem intueor, & hominem audio ab omni omnium veterum recentiúmque scriptorum auctoritate destitutum, sola mentis acie, & vi ingenij, tam noua & iocosa historiæ ludibria promentem, & quod lepôre ipso lepidius est, annum, quo data est hæc fabula ab Hincmaro, signantem quinquagesimum secundum noni à Christo nato seculi, (mensem & diem ephemerides omiserunt,) in spem magnam erigor nos post annum quinquagesimum septimi & decimi seculi, *nigra* antiquis omnibus inaudita spectaturos, eáque *certissimis argumentis* tanquam validissimis machinis ante oculos nostros constituta. Et memini iam antè nescio quid à nobis dictum, de pictoribus quidlibet audere potentibus, qui quæ nunquam fuerunt, in prima Dissertationis tabula pulcherrimè repræsentant.

Summa probationis aduersarij.

Summa probationis est. Non potuit litteras ad Amolonem scribere, & scripta sua mittere Gotteschalcus: ergo scripsit & misit Hincmarus supposititia. Expectas antecedens pernegari. Velitor priùs in consecutione: non vitilitigandi gratia, sed Hincmari causa; ne fraudum omnium quæ illo seculo fabricatæ sunt architectum facies Hincmarum, verbo aliquo Tertullianæo, vel sexcentis aliis sycophantiis per opus sparsis. Nam quod non fecit Gotteschalcus, quæ necessitas coëgit vt faceret Hincmarus? fieri non potuit à Gotteschalci gregalibus, tam multis, tam vafris, tam impudenter magistro suo studentibus? Non ab Hincmari fautoribus inscio, inconsulto, absente Hincmaro? Non ab aliquo

Refellitur.

neutri parti addicto, seu curiosè sensum Amolonis inuestigante, siue post cognitum, de concordia inter asperè disceptantes acturo? Solum Caroli Regnum cogitas & Remensem Prouinciam: quàm multi per Imperium Lotharij, per Regnum Ludouici, fraudem hanc moliri potuerunt? Nisi fortasse quod nemini vnquam homini venit in mentem, hoc solus mortalium omnium quotquot erant fraudulentissimus Remorum Archiepiscopus excogitauit? aut potiùs, quod nullus eorum qui tum vixerunt, nec Hincmarus ipse longè aliis negotiis distentus, tam fuit otiosus vt adinueniret, hoc noua Dissertatori moneta suggessit, vt emergeret è vado, scriberétque *fratrem illum*, cuius Amolo meminit, *non à Gotteschalco, & cum veris ipsius scriptis missum, verùm fraudulentia Hincmari, vel suorum nequitia cum supposititiis & falsis scriptis interpositum fuisse.* Sed hæc animi gratia: regredior ad priorem propositionem.

Refellitur prima ratio, de arcta Gotteschalci custodia.

Negas id fieri potuisse à Gotteschalco? Quidni? Quia *in eo statu constitutus erat in ergastulum retrusus, ab omnium communione præcisus, sub ditione & potestate Hincmari, ipsiúsque satellitum; non in suo etiam, sed in alieno monasterio, vt nemini colloqui, nihilque scribere posset, nisi quatenus Hincmaro expedire videretur.* Laudo bene, & accuratè satis, conquisitis omnibus circumstantiis expressam moralem, quam vocamus, impossibilitatem. Sed venia tibi danda, virorum optime, quòd monasticæ administrationis ignarus, vt antea quadragenario maiorem Gotteschalcum contra fas virgis admonitum conquerebare; sic modò in carcere obseruatum putas circumsidentibus hastatis satellitibus, quatuor quaternionibus militum, vt Petrum aliquem ab Herode custoditum, aut draconem peruigilem terribiliter inuolantem exoculasse quærentes aditū clanculò nocte concubia satellitibus Hincmari magico murmure consopitis. Ne vera ridere in iis quæ per vitæ laicæ conditionem ignorata, multùm satagis vt describas. Monachus peruicax & callidus, discipulorum fidei securus, ad ceterorum formam domi habitus, si libertatem vagandi excipis, cibo, potu, vestibus, foco liberaliter donatus, frequenter etiam inuitatus ad balnea, qui Confessionem duplicem, scripturas alias, litteras ad quendam complicem suum, ad iuuenculum Monachum, ad alios de suis deliriis & somniis scripsit, & sæpe furtim per Guntbertum dedit & accepit, tot annis semel epistolam vnam ad Amolonem non potuit scribere, & inscio Hincmaro per industrium fratrem mittere? Num istud ita factum Amoloni suboluit? Num Rabanus Hincmarum tot scriptitationes permittentem liberè coarguit?

2. ratio, quòd ea non sit Gotteschalci doctrina.

Ais scripta quæ reprehendit Amolo *certissimè esse suppositita.* Quamobrem? Quia Gotteschalci doctrinam non sapiunt & redolent. Sunt enim alienæ propositiones illæ à S. Augustino, at *doctrinæ Augustini tenacissimus fuit* Gotteschalcus. Certè, etiam sub flagellis Carisiacensibus, cùm Augustini frusta diu tenuit, ne caderent in flammas. Et illas, inquis, neque professio, & libellus Rabano Moguntiæ oblatus, neque Confessiones continent. Hæc quippe solùm scripta ex Gotteschalco delata fuisse ad Amolonem à diuersis, *certissime* quando erit otium demonstrabis. *Et qua etiam illi de Pitacio ad amicum forsan imposuit Hincmarus, (vt cui falli & fallere procliue fuit, teste R. P. Sirmondo) capita illa erroris ab Amolone damnata penitùs euertunt, & illi falsò adscripta & imposita esse probant, vt mox videbitur.* Eò igitur, quando commodùm tibi est, hoc examen remittatur. Iudicet interim Lector, illud, *forsan*, quàm validum sit argumentum ad conficiendam Hincmari fraudem in Pitacio Gotteschalci ad amicum imponendo, vt iam mirari non debeamus, si non sufficit Flodoardus enumerandis omnibus Hincmari scriptis; quando & sua scripsit, & Gotteschalci, vt *certissimo argumento* cui nomen, *forsan*, comprobatur. Quod in scholis logicorum filij explodant & exsibilent, hoc tu seriò proferas ad irrogandā magno Antistiti contumeliam? Nam illud tam sæpe recantatum *falli & fallere* alieno loco, alieno penitus sensu à te semper vsurpatur. Ita Gotteschalcus Patrum dicta corrupit. Sic tu ipse crudelitatem, dolositatem, superbiam, grauia crimina, non nescis semel Hincmaro per Nicolaum Pontificem iratum obiecta, in causa quæ à Gotteschalco abest tota via, & ab eodem Hincmaro, apud eundem Nicolaum placatiorem probè diluta fuisse: quæ tamen nullo loco, nullo in proposito ingratiis obtrudere prætermittis, tanquam vera, & omnibus Hincmari gestis conuenientia. Hoc tu vocas crudelitatem mansuetudine, dolositatem simplicitate, superbiam iudicij proprij demissione superare?

3. ratio, quòd conuicia non sit ausus scribere.

Demonstras tertiò nulla probabilitate dici, Gotteschalcum, etsi maximè voluisset, & potuisset, scripta sua ad Amolonem misisse, vnde sequitur ab alio, nempe Hincmaro, aut eius satellitio missa. Quomodo? Quia *non ea temeritate, seu veriùs, insania scripsisset, vt Ecclesia præsules conuiciis & maledictis laceraret.* Verecundum hominem Gotteschalcum! Qui quæ conuicia reus, mox damnandus hæreticus præsens palam in os iudicibus suis in Concilio sedentibus ingessit, ea chartæ, quæ nescit erubescere, non est ausus committere. Atqui in Confessione Prolixiori aduersarios suos hæreticos appellat, detestatur, anathematizat. Vnum deest sectæ nomen, quod de suo non finxit Amulus: alio igitur in scripto legit, *Rabanicos.* Quod cùm ita sit, quid vetat credere *ea temeritate, seu potiùs insania scripsisse* Gotteschalcum absenti, rerum ignaro, alteri principi subdito Episcopo?

4. ratio, quòd scripta sua Gotteschalcus igne absumpserit.

Probas præterea id omnino à Gotteschalco fieri non potuisse, vt scripta sua ad Amolonem mitteret. Libens audiam ἀδύνατον illud secunda demonstratione confectum. Significat Amolo scripta ad se missa, illa esse quæ suis manibus in ignem coniecit Gotteschalcus, *quæ ad Episcopos, vel contra Episcopos qui in Concilio tua damnationis adfuerunt scripsisse vel protulisse videris.* Et hæc exusta fuisse testatur Lugdunensis, Hincmari epistolæ respondens. Ergo *scripta ad Amolonem transmissa suppositita fuere, nec à Gotteschalco exhinc in ergastulum recluso emitti potuere.* Fateor equidem scripta Gotteschalci flammis fuisse absumpta; & modum teneo, cùm flagris subactus est: & locum, in Concilio; & tempus, anno quadragesimo nono seculi, qui hac epocha nobilitatus est: & eius historiæ testem accipio præter ceteros Epistolarum Lug-

dunensem. Sed non acquiescit animus demonstrationi tuæ, donec omnibus partibus absolutam edideris. Id facies cùm *certissimis argumentis* ostendes, designare Amolonem scripta ad se sic transmissa, eadem esse, quæ Epistolarius addicta flammis fuisse testatus est. Nam si exusto autographo, exemplar aliquod apographum apud discipulos remansit: si alia scripsit antè Gotteschalcus, ab illa professione distincta, vt (quod ipse credis) libellum ad Rabanum, quo eum erroris redarguit: si postea in carcere triennio toto aliqua exarauit, vt duplicem Confessionem, vt Pitacium ad quendam complicem suum, vt plures epistolas per Guntbertum, & eius farinæ socios datas; potuerunt illa omnia, vel eorum pleraque mitti ad Amolonem; potuit Amolo iis respondere; potest ea designare sibi transmissa. Ergo non obstante ignis exustione, Gotteschalci flagellatione, & Epistolarij testificatione, vera, & non supposititia ab Hincmaro scripta ad Amolonem potuere transmitti. Atque id ita factum esse, necessarium facis vt credam. Admones enim de conuiciis & maledictis, quibus Episcopos iudices suos lacerauit: ea certè ante iudicium scribi à reo non potuisse, sed à damnato fuisse scripta, videbat Amolo; alia igitur accepisse se designauit, quàm quæ iudicibus Gotteschalcus obtulerat.

5. ratio, quòd id foret inutile Gotteschalco. Denique Cassiani examinis vim & robur aduocas, quo vno si desint cetera, non malè munitus esse videaris. Cui bono volumina tot erroribus referta, transmissa ad Amolonem? cui bono conuicia in Episcopos ad Episcopum scripta? Quantùm causæ suæ hoc facto noceret Gotteschalcus? quantùm suæ prodesset Hincmarus, si has blasphemias, & eam impudentiam Amolo crederet de Gotteschalco? Est igitur Hincmari figmentum, innocenti Gotteschalco nequiter imputatum. Duæ quæstiones hîc implicantur, fuerit-ne inutile Gotteschalci causæ omnino ad Amolonem scribere, & scripta sua mittere? an sic scribere, & talia mittere? De priori, respondebit successor Amolonis Remigius, qui multis suis tractatibus, vt putat Dissertator, aut quod ego verius arbitror, cunctatione & dissimulatione sua cum Lugdunensibus, qui vocantur, scriptoribus, & Valentino Concilio, mirum quantùm Gotteschalci partibus fauit, controuersiam Amolonis responsione, & Clericorum Lugdunensium silentio sepeliendam excitari & perdiu foueri permisit; Hincmarum non suo quidem, sed amicorum suorum stilo exagitauit: denique quod sub Remigio factum videbimus, id sub Amolone tentatum fuisse non video cur diffitear. De posteriori quæstione satisfaciat Gotteschalcus ipse, aut quis alius gregalium. Ego enim Gotteschalco prudentiam in rebus agendis neque dare possum, neque asserere promisi: qui si prudentiorum consiliis vsus esset, qui secundus est prudentiæ gradus, sibi primum & plurimùm, suo deinde nostróque seculo profuisset.

§. I.

Eadem calumnia rationibus aliis dissipatur.

Probatur contrà hanc POST hæc *multa certissima argumenta*, velut causa feliciter perorata, plausum sibi facit Dissertator patronus, & læto epinicio concludit, *Ex his nemo est, qui non videat, non à Gotteschalco sua scripta innotescere flagitanti, sed fictitia & inimica manu ipsius nomine, solitis Hincmari fraudibus supposita, Amoloni porrecta & transmissa.* *esse in Hincmarum calumniam.* Fateor & hîc ingenuè, quod antea, esse me *neminem* illum, neque fore solum existimo, *qui* hoc *non videam*, cùmque modò meæ sint partes dicendi pro Hincmaro, ab hac ipsa actione initium patrocinij duco, vt id certò certiùs falsum esse conuincam, quod cùm vnus omnium veterum recentiúmque scriptorum Dissertator asserat, & ad suum illud inuentum probabile faciendum, omnes ingenij solertiæque suæ & *eruditiorum collatorum* neruos intendat, omnes verisimilitudinis vias & angiportus scrutetur, omnes topicarum rationum apothecas excutiat; nihil tamen tanto sudore, tantáque studiorum contentione exprimat, præter quinque tam leues, tam nullas coniecturas: & vt penum suam exhausisse; & de pluribus melioribúsque inueniendis desperare intelligamus, eas *certissima argumenta* nuncupet, tanquam mathematicas demonstrationes, & rhetorum *τεκμήρια*, quibus nemo sapiens audeat refragari. Oportebat enimuerò turpissimam fraudem à tanto viro, apud tantum virum, tanto in negotio, tanto famæ omnis & existimationis periculo, tanta conscientiæ iactura factam, nunquam antea auditam de Hincmaro, nunquam postea obiectam, à tot maleuolis scriptoribus, ne à nouatoribus quidem Gotteschalci sectatoribus excogitatam, quam Præses Amplissimus tanquam filiolam suam osculatus sæpe commemoret, sæpe citet, supponátque pro certissima, non infirmis istis & reiiculis commentationibus, aut frigida parenthesi, quam habet Synopsis, (*vt verosimile est*) obstupefactis ad hanc nouitatem Lectoribus offerri; sed vi rationum & pondere effici, vt manibus tangerent vel inuiti, viderent oculis vel cæci, se ipsi damnarent coacti, non agnouisse hactenus, quod claro meridie monstraretur. *Synops. an. 851.* Hoc si non egisti, Dissertator subtilissime, si cum *ingi tua meditatione, & eruditiorum collatione* facere non potes, audi patienter plurimos esse *qui non videant*, & à me nominari posse aliquos qui indignentur, à te per calumniam excogitatum, scripta Gotteschalci ad Amolonem transmissa *fictitia & inimica manu solitis Hincmari fraudibus supposita* fuisse.

Fuisset ea frustra inutilis Hincmaro. Occurrunt & alia argumenta, quæ equidem *certissima* non appello, sed modestiore, quanquam non minùs efficaci vocabulo, valdè probabilia, quibus infamis illa fraus ab Hincmaro repellatur. Cui enim bono stropha nequissima apud Amolonem? Quæsiit Lugdunensis amicitiam? at habebat, vt patet ex aliis ad eum epistolis. Commouere voluit aduersùs Gotteschalcum? Quid istud opus præsertim noto pridem aliunde hæretico? Lugdunensis Episcopi suffragium ambiuit, quò miserabilem Monachum opprimeret? at accepit ea responsione suffragium; ede quid postea egerit, quantò ampliùs vinctum afflixerit, quàm gloriosè de ipsius per Amolonem condemnatione triumpharit. Et hæc erat via aut defendendi sui, aut perdendi hæretici, fingere quæ nusquam essent, calumniam struere sexcentis testibus exsibilandam, veritatem duobus Conciliis publicatam tegere, mendacium furtim fa-

bricatum supponere, quod statim vbi deprehensum foret, (latere autem diu non poterat sanctissimum, prudentissimúmque Antistitem) in perfidi sycophantæ caput iure optimo torqueretur, absoluto Gotteschalco, vt qui nisi per calumniam non posset accusari?

Hincmarus sibi contradiceret scribens ad Amolonem.

Deinde, non plus semel ad Amolonem de Gotteschalco scripsisse probari potest Hincmarus, quando Flodoardus alias eiusdem ad eundem epistolas enarrans, vnicam hoc de argumento refert; est autem, si Dissertatoris Chronologiæ credimus, anno sequenti, quinquagesimo tertio scripta. Sequitur ergo vt priùs, anno quinquagesimo secundo, scribere incœperit ad Amolonem per stropham & fabulam de controuersia, quæ veram Ecclesiæ perturbationem inferebat. Postea autem reprehenso per responsionem Gotteschalco, & Concilij sui gestis per Lugdunensem probatis, cùm partium maximè interesset, perseuerare Amolonem in credulitate quam deceptus hauserat, ipse sua in persona ignominiam suam detexerit Hincmarus, contraria omnia scribens ad Lugdunensem. Ita enim Flodoardus. *Item, de Gotteschalci vita, vel conuersatione, prædicatione, deprehensione, atque condemnatione, rei veritatem exponens.* Si *rei veritatem* hic exposuit, fuit illa certè prioribus *suppositiis* contraria: si priora *supposititia* finxit, & misit Amoloni, posteriore *veritatis expositione* sibi contradixit: si contradixit, debet bis scripsisse: at semel tantùm scripsit; & cum illo rubore & infamia scripsisse, vt præcedentis anni calumniam à se inuentam & transmissam, non coactus, non prouocatus, non accusatus ab Amolone, confessus sit, homo non insanus & stipes, quicquid in eius opprobrium dicat Dissertator. Equidem non possum à me impetrare vt hæc credam, & argumentis aliis, quàm superioribus *certissimis* illis, opus est mihi, vt persuadeatur.

Dissert. c. 25.

Flodoard. l. 3. hist. c. 21.

Esset quæstus illa de iniuria Gotteschalcus.

Progredior vlteriùs. Amuli responsione accepta tam fauente sibi, tam plausibili, quid egit Hincmarus? Reconditam seruauit in sudario, vt talentum seruus ille otiosus & nequam? Non ita profectò, inquis, quando tanto ambitu postulata erat, & quidem per fraudem & calumniam. Quid egit inquam? Quid nouè decreuit in Gotteschalcum, sic etiam à Lugdunensi damnatum? Vnum potes meditari, iubente Hincmaro traditam in manus Gotteschalco legendam, vt graui tanti præsulis exhortatione permotus, & errores eiuraret, & Metropolitani sui communionem requireret. Quid igitur ea lecta Gotteschalcus? An questus est de scriptorum supposititiorum missione ad Amolonem? An exclamauit ignotas, & nunquam assertas opiniones sibi per calumniam imponi? An est Deum & homines obtestatus nunquam à se scriptam Amulo epistolam, nulla à se missa scripta, nullum fratrem cum vehementibus precibus allegatum? Quid asseclæ fautoresque Gotteschalci? Tam benigno loco, tam aperto aduersariorum crimine conticuit loquax cohors & seditiosa? Quod illi ne per suspicionem quidem in Hincmaro arguendum putarunt, hoc fecisse, & perfidè factum stultiùs prodidisse potest Hincmarus? Quot libellis, pitaciis, epistolis tam fœdam sycophantiam in publicum protulissent Gotteschalci familiares? Quibus exaggerationibus Hincmaro, & eius parti creassent inuidiam Prudentius, & si qui alij aduersùs illum conspirarunt?

Lugdunenses fraudem illam non tacuissent.

Nam de Lugdunensibus quid dicam, qui si fictam epistolam, & supposititia scripta nuperrimè ad Amolonem transmissa, in Ecclesiæ suæ tabulariis reperissent, quibus ludibriis tres alias epistolas excepissent? Non negassent illi certè quicquam ad se illa de hæresi perscriptum, sed falsis & commentitiis scriptis à reuerentissimo Episcopo fraudulenter occupatos & delusos indignati essent, & qui vnde vnde sugillandi Hincmari rationes corrogant, in vna illa quæ omnibus foret vberior, habitassent. Atque id considerandum est, habuisse illos præ manibus vt minimùm tria scriptorum genera, quæ causam Gotteschalci tangerent. In primis, hanc de qua loquimur epistolam, & reliqua Gotteschalci scripta, quæ nos vera, vt à Gotteschalco ipso, dicimus, tu falsa & supposititia, vt ab Hincmaro conficta disputas: deinde, germanam ad Amolonem epistolam sequente anno datam, qua *rei veritatem exposuit*, quam communi suffragio vterque veram, & ab Hincmaro missam fatemur: postea, tres epistolas, ad Ecclesiam Lugdunensem missas, quibus Epistolarius ille respondet. Nisi volumus, quod ego non disputo, Hincmari epistolam ad Ecclesiam Lugdunensem, eandem esse cum epistola ad Amolonem, de qua superiùs ex Flodoardo. Quicquid sit, tribus quatuór-ve scripturis inuicem collatis, expeditum fuit contentiosis, & malè Hincmaro volentibus aduersariis deprehendere, si quid adulterinum in iis esset, & ab inimica manu per fraudulentiam & calumniam scriptum. Quo iocorum & salium reperto thesauro, quàm liberaliter eos totis operibus sparsissent, qui longè minora, magisque obscura & dubia cupidissimè redarguunt?

§. II.

Salubris admonitio ad Patronum Gotteschalci.

Vitiū malæ disputationis aperitur.

SED hæc leuia sino æstimari, quanquam ad causam & historiam quam tractamus plurimùm conducunt: grauius aliquid est, quod per huius occasionem exempli monitum te volo, Præses Amplissime, & per catholicum animum tuum, per virtutem quam à te coli gratulamur, etiam atque etiam obtestor; vt seriò attendas, qua methodo agendi, qua disputandi forma in hac pro Gotteschalco aduocatione verseris. Quod enim clientis tui causæ nocet, si vitare aliter non potes, confidenter negas; quod prodest ex aduerso, sine cunctatione affirmas. Aiunt veteres omnes nouique scriptores damnatum fuisse pro hæretico Gotteschalcum apud Carisiacum: illud pernegas. Quo teste, quo auctore? id à te non quæritur; satis est, falsum existimari. Gotteschalcum Amoloni scripsisse, & scripta sua per quendam fratrem misisse, testis locuples est epistola Lugdunensis ipsius, quam pro vera & germana agnoscis. Falsum, inquis, illa supponit, non misit sua Gotteschalcus, sed Hincmarus supposititia. Sed hoc nunquam auditum, absque fide scriptoris vllius eius seculi, vel consequentium omnium, à te primùm excogitatum est. *Vero simile* tamen affirmas, quia hoc inuento difficilis nodus rumpitur. Synodo Carisiaca posteriore scripta, sunt & probata quatuor capi-

tula Gotteschalci erroribus opposita, vt olim Synodis Arelatensi, & Lugdunensi damnata est hæresis Prædestinatianorum. Hæ Synodi fictitiæ sunt, inquis, Carisiaca autem merum Conuenticulum. At Synodum vocat Hincmarus. Quem videlicet falli & fallere procliue est. Arelatensem commemorat Faustus Reiensis Episcopus. *Commentum* illud est *Fausti profundæ calliditatis viri.* Sic omnes qui Gotteschalcum propugnant magni, eruditi, sancti sunt: qui contrà sentiunt & scribunt, animæ viles, nullius pretij, homines nihili. *Nono seculo, qualis sanctus Remigius cum sancto Prudentio, & vtroque Lupo? Qualis verò Hincmarus cum Ioanne Erigena?* Et etiamnum vestrarum partium libris, & iudicio, qui vobis non assentiuntur, fiunt contemptis contemptiores; qui ad vos transeunt, eodem momento docti euadunt ad miraculum.

Prædest. fab. confut. c. 7. p. 1.

Eius iniquitas, & periculum.

Non sic explicatur Theologia, non sic narratur historia, non ita de controuersis fidei Catholicæ quæstionibus disputatur. Infixas altis radicibus in hominum animis opiniones euellere, nouas & antea nunquam auditas inserere, fidem omnium seculorum mutare & vertere, non est disserere, sed conuiciari. Postulat humanitatis reuerentia, vt plurimùm demus humanæ fidei, sequamur auctores vulgò receptos, famam constantem cum sua seculorum aliquot canicie, leuiter ne reiiciamus, credamus factum, quod sapientes alij viderunt, alij crediderunt. Saluo tali fundamento, de quæstionibus dubiis disceptemus. Noua est opinio, quæ consistere non potest, nisi vetera disturbarit. At ego, inquis, noua quæ affero, rationibus euinco necessariis. Quàm sint illæ necessariæ, discis ex hoc specimine, & in iis *argumentis* quæ putasti *certissima*. Deinde propositum tuum præstruis rationibus, neque id verum iudicas, quia probat ratio; sed quod verum esse cupis, rationem quæris qua iure facere videaris. Peruersus ordo ille est, falsitatis parens & iniustitiæ. Sic Iudæi Christum priùs decreuerunt perdere, quàm criminationes, & testes adornassent: inde factum, vt licèt ratio postea monstrarit innocentiam, inuidia tamen peruicerit.

Eo vitio maximè laborant heretici.

Cogita amabo hac via grassatos semper hæreticos, vt quicquid prædestinatæ, si sic loqui licet, in animo suo hæresi contrarium sentiunt, siue in sacris litteris, quæ fidem diuinam exigunt, siue in Patribus historicisque Ecclesiasticis, quibus humana saltem credulitas negari non potest, audacissimè contra communem seculorum omnium sensum abdicent, & exsufflent: nouitatibus autem suis stabiliendis vmbratiles rationes è cerebro suo extundant, quæ insolentia sua simplicibus, & vanissimis sciolis pulchræ, etsi nec solidæ, nec veræ, videantur. Antiquos non replico, neque necessarium est, veterum hæresiarcharum camarinam mouere: de Luthero & Caluino questi sunt innumerabiles Catholici doctores, quòd sacris codicibus vim intulerint, Euangelica verba in prauos, & Ecclesiæ inauditos sensus torserint, veneranda Patrum dicta modò corruperint, modò contempserint: vbi enim placere videntur, Deo simillimi sunt eorum iudicio & præconiis; vbi manifestè repugnant, homines sunt & errant.

Sic Anonymus contra Cyrillum

Vnum illum sectarium Anonymum tibi ob oculos pono, qui recentissimè Nestorij hæresim ab inferis excitare conatus est, num Cyrillum Alexandrinum, & magnum Ephesinum Concilium, hæreticum vocat, & Eutychianæ hæreseos parentem? Eius Thesaurum, Cyrilli esse negat ex coniecturis, *tum quia videtur esse tantùm farrago diuersarum doctrinarum, & quasi scopa dissoluta: tum quia Thomas multa profert loca ex Thesauro Cyrilli, quæ non habentur in eo quem dedit Aubertus.* Cyrilli hæresim amplexatos *viros insignes* nominat Vigilium & Honorium Romanos, Anthimum, & Seuerum Constantinopolitanos, Cyrum Alexandrinum, Macarium Antiochenum, Theodorum Pharanitanum, & *reliquos*, vt loquitur, *Monothelitas.* Contra Cyrillum profert, *veteres Ecclesiæ doctores fide dignissimos.* Vt Ibam Edessenum Episcopum epistola ad Marim Persam, Ioannem Antiochenum, & Theodoretum, in iis quæ contra illum scripserunt. Concilium I. Ephesinum, hæreticum esse probat: *Cælestinum item qui hæretica Cyrilli dogmata confirmauit,* quod *non ipse duntaxat* fecit, *sed & omnes veteres & recentiores Ecclesiæ Doctores, & omnia Concilia subsequentia per mille ducentos annos.* Et alibi Chronologiam suam aliter texit *ab illo tempore* (quo vixit Cyrillus, Cælestinus, Leo) *mille ferè ducenti sexaginta anni effluxerunt, tonitrua audiuntur,* &c. Demum suos ita compellat aduersùs Cyrillum, *Aperite oculos Reformati: conspicite Gabaonitam, panem habentem, sed mucidum; calceos ostendentem, sed detritos: Patrem Nicenum se esse simulantem, sed Chananæum, qui Iosue nostro imposuit, & duces Israëlitarum decepit.* De Concilio autem Chalcedonensi ita loquitur. *Respondetur I. Concilium Chalcedonense in sua definitione, condemnasse potiùs doctrinam Cyrilli, de Incarnatione, quàm confirmasse. II. Concilium Chalcedonense in duas factiones fuisse diuisum, quarum vna erat Eutychianorum, siue Cyrillianorum, altera Orthodoxorum, qui Nestorij quidem doctrinam retinebant, sed eum, vt potè Imperatrici Pulcheriæ exosum, condemnabant.* Sic orthodoxos vocat Nestorianos. Pergit enim quibus potest modis Nestorij doctrinam, vt Catholicam interpretari: Athanasium, Prosperum, Damascenum, Bezam, Polanum, Trilcatium, pro illa citat. *Reliqua Cyrilli,* inquit, *& aliorum Episcoporum Ephesinorum malefacta non persequar, quoniam fusiùs, & clariùs tractabuntur à viro clarissimo, qui primus innocentiam Nestorij, & hæresim Cyrilli detexit.* Est-ne ouum ouo, aquæ aqua similior, quàm Cyrillo Hincmarus in hac controuersia, Nestorio Gotteschalcus? Equidem Carisiacensem Synodum vtranque, cum Ephesina prima neque amplitudine, neque auctoritate confero; sed illam dico à te non aliter tractari, quàm ab hoc istam: neque alio loco habes capitula Hincmari, quàm iste Anathematismos Cyrilli; aut aliter Prudentium citas, & Ratramnum contra Hincmarum, quam hic Bezam & Polanum pro Nestorio. Spectatur hîc etiam Pulcheria Augusta contra Nestorium, quemadmodum apud te Carolus Rex aduersùs Gotteschalcum, neuter vt propter hæresim, sed alia quauis ex causa, damnatus esse credatur.

Pro Nestorio pugnat. c. 5.

De Thesauro Cyrilli. p. 193.

Cyrillo consentientes vocat Monothelitas. p. 186.

Cyrilli aduersarios Ecclesiæ doctores? p. 169

Concilium I. Ephesinū ait hæreticum esse. p. 173.

Cyrilli dogmata fatetur diu viguisse. p. 181. Item p. 168.

Exclamat in Cyrillum. p. 159.

Malè loquitur de Concilio Chalced. p. 222.

Nestorium innocentem facit. p. 233.

Quæ autem monstra rerum? Quæ labes historiæ? Quæ communis sensus iniuria? Qui tandem ij sunt qui tantùm sibi licere volunt in fidem se-

Quàm noxia sit ea methodus disputandi.

culorum, in antiquorum teſtimonia, in iudicia noſtra? Qui ſcientiam ſuam oſtentant in euertenda omnium ſcientia, & ſubtilibus ſuis commentationibus nos deducunt ad Pyrrhonicam ἔφεξιν, aut academicas quæſtiones ab Eccleſia iure proſcriptas, vtpote rectam, & planam viam τοῖς ἀσθενεστέροις? Bonum videlicet factum! anno ſuperiore, *innocentia Neſtorij, & hæreſis Cyrilli detecta eſt*. à viro clariſſimo: hoc anno tanquam nouum ſidus apparuit, Gotteſchalci perſeuerantia *in caritate, humilitate, patientia, inimicorum dilectione, ſaniſſima & diuinæ doctrinæ confeſſione, etiam in tormentis* Hincmari contra Gotteſchalcum *vaferrima artificia, ridicula hallucinationes, Pharaonica induratio*, demonſtrante Præſide Monetali ampliſſimo. Sequentibus annis alia ſeruantur phænomena, Arij Catholica doctrina, Hæreſis Athanaſij; & Nicæni Concilij: Eutychetis Orthodoxia, cum Leonis & Concilij Chalcedonenſis condemnatione: Eunomij & Macedonij ſanctitas, *putidiſſimis fraudibus & inſcitia* Gregoriorum Nazianzeni, & Nyſſeni in Concilio Conſtantinopolitano heterodoxo malè obſcurata, dum Baſilium *ducem ſtupidè oberrantem* ſequuntur. Et quod ſcimus iamdiu meditatum, Lutheri, & Caluini doctrina ſubtilis à Tridentinis Scholaſticis falsò impugnata, à ſuis malè hactenus defenſa, à Romanis doctoribus iniquè reiecta. Tum enimuerò excuſſo certæ, & ſalubris regulæ freno, aſſumpta quidlibet ſentiendi vagandique per opiniones omnium licentia, filij Belial, quam dogmatum perturbationem, quod chaos religionis inducent?

Idem Anonymus c. 6. in fine p. 356

Neque vanum eſſe metum, docet hic idem Arauſicanus Sectarius, qui ſe nomine indignum iudicat, dum inter Corollaria ex diſputatione ſua veterum Traditionum ruinam educit, eo argumento quod mutatis controuerſiæ nominibus, ſuum facilè reddat Diſſertator. *Quandoquidem per mille ducentos annos, & Concilia, & Doctores ferè omnes Chriſtiani, tam veteres, quàm recentiores Neſtorium verè orthodoxum, tanquam hæreticum damnauerunt; Cæleſtinum verò, Cyrillum Alexandrinum, & alios Epiſcopos Concilij Epheſini primi, & Concilij Romani, licèt hæreticos, & auctores Eutychianiſmi, tanquam verè orthodoxos receperunt, colligimus nullam traditionem, quantumuis veterem pro infallibili recipiendam, & veritatem omnibus teſtimoniis, & traditionibus humanis anteferendam.* Hortatur deinde, vt albas mentes, & vt aiunt, tabulam raſam ad tractatum ſuum afferamus, nullo in Neſtorium odio, nullo pro Cyrillo, & Synodo Epheſina amore occupati, de ſuis argumentis iudicium feramus. *Quare hic rogamus, omnes veritatis amatores, vt depoſito omni affectu & odio, ſepoſitis omnibus præiudiciis humanis, & nulla habita ratione eorum, quæ ipſi ſcripſerunt, aut ab aliis ſcripta ſunt pro Cyrillo contra Neſtorium, examen huiuſce doctrinæ ſuſcipere dignentur, ac ſi nihil vnquam de Neſtorio, & Cyrillo audiuiſſent.* Inſanum hominem, qui ſe vnum tot tantiſque viris ſpretis audiri poſtulet! Vidi ego eodem afflatum ſpiritu, qui ſic publicè declamaret. Scio equidem veteris nouique teſtamenti ſcripturas & Patres omnes, huic meæ aſſertioni aduerſari: ſed vos oro atque hortor auditores, meis vt rationibus attentas aures præbeatis. Neque alia eſt nunc etiam ſapientium Turcarum oratio, qui Deum credunt rerum auctorem, prodidiſſe ſe, & loquutum fatentur per aliquem è ſeruis ſuis; ſupereſſe modò inueſtigandum, quis ille ſit ſeruus, & Prophetes, an Moſes Iudæorum, an Ieſus Chriſtianorum, an Mahumetes ipſorum? Eò nos conantur adducere, qui nihil antiquum ſcire deſiderant.

Tenenda ſemper antiquitas.

Non ſic erit, ô iſti, afferemus ad nouitates veſtras animum iudicij proprij vacuum, intellectum captiuatum in obſequium fidei, certis regulis vagam curioſitatem frenabimus, Eccleſiæ decreta, ſeculorum traditiones, receptas ab omnibus eruditis, & rectè ſentientibus rerum geſtarum narrationes, tanquam ſolida meditationum noſtrarum fundamenta ponemus. Sic enim Deus per Salomonem iubet, *Ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt patres tui.* Si cum illis nouæ veſtræ argutiæ aptè & concinnè cohærent, cum laude & gratulatione ſuſcipientur à nobis, vt acris iudicij, & ingenij ſubtilis cogitata: ſi quem lapidum illorum mouent, & commiſſuram cum ſtatutis prioribus refugiunt, quantumlibet ingenioſa videri poſſint, parietem putabimus illitum luto abſque paleis, & dicemus *ad eos qui liniunt abſque temperamento, quòd caſurus ſit.* Ita verſatur in hac quæſtione Hincmarus. *Sequimur autem* (audis, non præimus, non deſerimus,) *quæ Catholica & Apoſtolica nos docet ſancta Romana Eccleſia, quæ nos in fide genuit, catholico lacte aluit, vberibus cælo plenis ad ſolidum cibum nutriuit, diſciplina orthodoxa ad perfectum virum perduxit.* Gotteſchalcum contrà nunquam legimus Eccleſiæ iudicio ſe ſuáque ſubdentem, quæ *ab ipſa veritate* didiciſſe gloriatur. Quamobrem vide per Deum immortalem, Vir clariſſime, quorum veſtigia tua Diſſertatio ſequatur imprudens, quàm periculosè conuicium faciat antiquitati, dum hæc & illa quia ad ſtomachum non faciunt reiicis, & repudias: quàm inauſpicatò noua excogitet, quia placentia loquuntur, licèt cum vetuſtis ſcriptoribus minimè congruant. Perpende ſibi vni tutò nunquam hominem quenquam crediſſe: vt ignium fatuorum, ſic vibrantium ingenij ſcintillarum terminum eſſe paludes, & voragines; ſuſpectum meritò eſſe illud omne, quod tanto impendio probandum eſt.

Prou. c. 22. — Ezech. c. 13 — Hincm. l. de prædeſt. c. 4.

CAPVT XXVI.

Florus Magiſter Lugdunenſis Eccleſiæ Diaconus de Gotteſchalci doctrina rogatus, eam reprobat per Epiſtolam.

Flori duo memorantur.



SIc perorata Hincmari, & Amolonis cauſa, ne decepiſſe alter, alter deceptus in re grauiſſima fuiſſe dicatur, Diaconum Epiſcopo ſuo adiungimus, & ipſum Lugdunenſem, & fama atque eruditione celebrem: ſed qui ſit in hac quæſtione quæſtio; cum magna ipſius gloria pars vtraque ſuum cupiat eſſe; maiore, bona poſſideat. Sed de perſona priùs agendum cum Trithemio. Is enim Flori meminit Monachi S. Trudonis in Diœce-

Trithem. Busæi l. 2. de viris illustr. c. 44.

Diœcesi Leodiensi, cuius hoc subdit elogium. *Vir in diuinis scripturis studiosissimus, & satis eruditus, librorum sancti Augustini amator præcipuus, de quibus sententias suo congruentes proposito, collegit. Omnes epistolas beati Pauli Apostoli ita magnificè exposuit, vt Augustini opus in toto videatur: nihil enim de suo inseruit. Alia quoque nonnulla edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt.*

Refellitur.

Hunc cum eo, quem aggredimur Floro confundit Trithemius, vt multis rationibus probari potest. In primis enim Lugdunensis Flori nusquam alibi meminit. Deinde illum ad ea refert tempora, quibus floruit Florus noster, dum Walafrido Straboni, Fuldensi Straboni, Rabano Mauro, Amalario Fortunato, Ansegiso, Bertranno, qui Ratramnus est, tractatu coniungit. At Walafridus non alium Florum, quàm Lugdunensem, versu ad Agobardum celebrat.

Walafrid. Strab. ad Agobard.

At de flore nouo, qui vos penes ortus, odorem
Spargit vbique sui, hæc loca rumor alit.

Addit præterea, commentarium in omnes epistolas Pauli scriptum à Floro suo; quod idem de nostro profitemur. Edidit ille nonnulla alia; edidit & iste: Duos ergo Floros in vnum malè commiscet. Sed postea, inquies, in eodem Trithemio *Florum quendam* legimus, qui Ioannis Scoti librum De Diuisione naturæ, corrumpendo refellit. Et hoc certiùs eum ignorauit, quòd Lugdunensem fuisse nulla nota indicat, quòd illum contemptim appellat, quòd falsarium esse prodit; vt ex eo loco, tres potiùs Floros, & hunc tertium ignobilem, & obscurum extitisse credere possimus, quàm illam infamiæ notam Lugdunensi adhæsisse.

Flori vtriusque distinctio.

Sed nos Florum illum Scoti aduersarium Trithemio relinquimus; Lugdunensem autem à Monacho Trudonensi distinguimus hoc primùm charactere, quòd alter Monachus est, alter Clericus: ille Leodiensis Diœcesis, hic Lugdunensis Ecclesiæ Diaconus: ille simpliciter Florus, hic Florus Magister nuncupatus, fortasse ab eruditionis gloria, & officio docendi. Deinde, Florus hic nobilis, in epistolas Pauli expositionem quidem scripsit, sed teste Sirmondo, ex decem omnino Patribus, in quibus Augustinus non recensetur, & ex Græcis solus Ephræm Diaconus nominatur. Non est igitur Augustiniana illa, quam & Trithemius Floro suo perperam attribuit; siquidem Bedam habet auctorem, & in eius operum Tomo sexto legitur. Præterea, de quæstione vulgari disputasse Florum Lugdunensem, eo saltem tractatu, quem Hincmarus editum, libro suo de Prædestinatione præfixit, tam certum est, quàm quod certissimum: at Leodiensis ille Monachus eam vllo modo attigisse nusquam reperitur. Quare omisso illo Trithemiano, habitemus in Lugdunensi, & illo eius scripto, quod Hincmari cura ab obliuione vindicauit; nam de refutatione Ioannis Scoti aduersus Gotteschalcum agentis, quam ab hoc Floro abiudicabimus, nihil est hoc loco importunè ingrediendum.

Sirmond. in Notis ad Alcim. Auitum.

A Floro Lugdunensi scripta Epistola est.

Scripsit ergo Florus Magister Episcopi sui fortasse hortatu, vel saltem exemplo, de Prædestinatione tractatum, quem quo nomine appellem nescio, Sermonem, an Epistolam? Sermonem inscribit Hincmarus, cùm ineunte libro de Prædestinatione, continuò totum describit: at in eodem opere *Scriptum* communi voce frequenter nominat. Inclino ego in Epistolæ nomenclationem. Nam ex vetere Treuirensi Codice, in quo Amolonis epistolam ad Gotteschalcum præcedebat, hunc titulum exscripsit Sirmondus; *Responsio ad interrogationem cuiusdam de Præscientia, vel Prædestinatione diuina, & de libero arbitrio.* Deest hîc quidem Flori auctoris nomen: sed cùm idem penitus sit opusculum, paucis quibusdam absque damno sententiæ immutatis, cum eo quod apud Hincmarum Flori nomine insignitur, iam nulla potest esse de parente sobolis istius dubitatio. Est igitur Responsio interrogationi satisfaciens, vt inter eruditos tum temporis agitabantur quæstiones illæ: quod Rabanus, Amolo, Lupus, Gotteschalcus, aliique demonstrant. Et rogatum scripsisse Florum, ex responsionis clausula manifestum est, *Hæc vobis breuiter rescripsi, ad ea quæ iussistis:* Quo etiam verbo rogantis personam commendat, vt Episcopum, aut magnæ alterius dignitatis virum facilè intelligamus. Potest & Excerptum iure nuncupari: si quidem mutilum opus, & capite diminutum est. Quis enim aut Sermonem ad populum, aut epistolam ad amicum sic ordiatur? *Omnipotens Deus, qui verissimè verus, & solus Deus est,* &c. Hinc nimirum auspicari voluit manus abbreuiatrix, sic operæ parcens, vt quæ continent quæstionem, quæque scriptoris de ea sententiam declarant, ea describere satis habuerit. Imo neque omnia. Nam ad extremum productis ex Psalmographo locis quibusdam, præcisè adiicit, *& cetera similia*, quæ verba, sine dubio, Flori non sunt, sed antiquarij, quæ sequuntur id genus describere, superfluum arbitrati.

Quam imperfectam habemus.

Quanti illam fecerint eius temporis eruditi.

Quanta porrò fuerit illis temporibus huiusce libelli auctoritas, duobus è capitibus expiscari licet. Primò, quod eum Prælati, & requisierunt auidè, & studiosè seruarunt, & in suos vsus honorificè verterunt. Siquidem Heriboldus Antissiodorensium Episcopus *ad se à prædicto Floro transmissum* habebat, cùm Hincmaro mutuum dedit, *transcribendum in Synodali conuentu apud Bonoilum.* Ebbo autem Gratianopolitanus, vt gemmam seruabat in scrinio, cùm indidem extulit clericus quidam, & eidem Hincmaro, de tumultu Brionensi reuerso, obtulit. Iam Hincmarus, & integrum exhibet; & identidem particulatim recitat in opere de Prædestinatione, vix vnquam sine laudis præfatione. Denique Hincmari aduersarius ille Collector, siue Compilator capitulorum, quibus in dicto opere respondet, plurima illorum ex Floro excerpit, sed vt arguit Hincmarus, corrumpendo, quod secundum caput est, quo vel scripti, vel scriptoris dignitas declaratur. Quicquid enim fraude mala vitiatur, per se bonum est, & in his concertationibus magnum est à partibus experi. Neque veteres Prædestinatiani librum Augustini nomine confinxissent; neque noui discipulos Augustini se dicerent, si vilis esset, & nullius nominis Augustinus. Felix Vrgelitanus corrupto Bibliothecario Palatino, beati Hilarij librum corrupit: non facturus, si scriptor ignobilis esset Hilarius. *Fama stant bella*, inquiebat ille, & magnis

Hincm. l. de prædest. Præfat.

Corrupta est ab aduersariis.

Hincm. ibid.

Q. Curtius.

viris, seu verè, seu fictè, album militum implere gloriosum putatur, & securum. Quantopere semper cauit noster Dissertator, vt Seruatum Lupum Germanum suis in castris seruaret, quem patefacta veritas eripiet? Quàm magnificè ostentat in limine scriptores omnis generis, Gotteschalcum instar satellitum cingentes, quos pro illo stetisse putat; sed planè in pictura. Nam vt res est, & docet Historia, vnum ex illis omnibus Prudentium, eúmque non ex asse, sibi vendicare potest hæreticus, vt inferiùs apparebit. De Ratramno nihil dico, quem miserabilis Monachi Magistrum agnosco, sed omni ex parte tectum. Conatus igitur est sibi Florum addicere Compilator æmulus Hincmari; vt & qui scriptum idem in Ebbonis scrinio reconditum, locis duobus immutarit. Hincmarus ex aduerso, & Florum Compilatori eripere, & ad se deducere magnopere contendit: & inter vtrunque de Diacono Lugdunensi pugna fuit, vt olim inter Romanos & Carthaginienses pro Sicilia. Quo in certamine & validior, & felicior fuit Hincmarus, dum & Florum citauit sincerè atque integrè, & locos in eo per aduersarium suum violatos solicitè indicauit, ne qua via lectores fallerentur. Illam siquidem obseruationem existimauit ad cardinem quæstionis plurimùm referre: quod mihi tamen, vt ingenuè dicam, non persuadet, sed lectioni vtrique sensum catholicum posse attribui arbitror: eam tamen quæ ab Heriboldo est, magis planam, & perspicuam esse confiteor.

§. VNICVS.

Epistolæ ipsius consideratio.

Eadem cum Hincmaro sentit.

IAM de opusculi doctrina, & auctoris mente, duo vniuersè pronuncio, in quæstionibus duabus de prædestinatione, & de libero arbitrio, quas solas tangit, & Catholicum esse, atque Hincmaro consentire: atque sic Prædestinatiana Gotteschalci dogmata rectà impetere, & iugulare: ipso etiam Gotteschalco, si non nomine, suis certè notis designato. Priorem assertionem tum libelli textus, tum Hincmari testimonium fideliter comprobat. Nam eius iudicio, *& constructione, & sensus veritate, cautè incedit, & catholicè dicit.* Eum quoque sparsim laudat, & pro se aduersùs Compilatorem producit; vt mirum sit posse à quoquam sapiente Gotteschalcanis sodalibus adiungi. Pono exemplum in Prædestinatione, quam Geminam recto sensu dicere non renuit Hincmarus: quid Florus de reprobis? *Præsciuit etiam æternam illorum damnationem, sed ex merito ipsorum, quos in propria malitia perseueraturos præuidit. Præsciuit per propriam malitiam malos futuros, & præsciuit per suam iustitiam æterna vltione damnandos.* Hæc de Præscientia: de Prædestinatione autem quid? *In malis & impiis, non prædestinauit omnipotens Deus malitiam & impietatem, id est, vt mali, & impij essent, & aliud esse non possent: sed quos præsciuit, & præuidit malos atque impios futuros proprio vitio, ipse eos prædestinauit ad æternam damnationem.* Hunc locum corruptum esse queritur Hincmarus, & ex Heriboldi Codice ita reddit. *Sed quia eos præsciuit, & præuidit malos, atque impios futuros proprio vitio, prædestinauit ad æternam damnationem, qua ipsi punirentur iusto iudicio.* Quæ oratio plus nitoris habet, & ἐμφάσεως, neque propriè significat malos ad pœnam prædestinari, sed potiùs pœnam ipsis, quod vult Hincmarus, & Florus exprimit. *Prædestinauit tamen & coronas iustis, & pœnas iniustis, quia vtrunque est iustum.* Et inferiùs. *Pœnam eorum, & præscisse, quia Deus est, & prædestinasse, quia iustus est.* Quamobrem manus adulteræ vestigium non malè deprehendit Hincmarus in illis verbis. *Non enim ille aliquem prædestinauit, vt malus esset, sed verè omnem malum prædestinauit, vt impunitus non esset.* Quantò enim meliùs ex Heriboldo, id est, ex Floro ipso per Heriboldum? *Sed verè prædestinauit pœnam, vt omnis malus impunitus non esset.* Denique ne sim prolixior, quàm proximè ad Hincmari doctrinam accedat, paret ex eo, quod antea indicaui, Collectorem ex Floro, non iam flores, sed spinas colligentem, falsi perpetuò coargui, cum Flori elogio. *Noluit hæc iste Compilator sic ponere, sicut illa Florus in suo scripto bene studuit ponere, & in quantocunque illa verbis conuertit, in tanto à recto sensu peruertit.* Item. *Immutauit Compilator incompositè verba composita, & rectum sensum transtulit in peruersum.* Atque alibi. *Quas sequens sententias Florus, ex cuius scripto, iste quicunque sit Compilator falsidicus, hæc capitula commasticans expuit, ibidem scripsit,* &c. Etiam vsque ad vrbanitatem, & sales hominem insulsum deridet. *Sed iste commutator immutans verba, & sensus Flori, qui sequutus fuerat sensum Augustini, sicut dicitur, Cattus in obscuris cepit pro sorice picam,* &c. Et sexcenta eiusmodi, quibus efficitur, non Florum Hincmaro, sed Collectoris ineptias obiici.

Compilator Flori sensum peruertit. Hincm. l. de præd. c. 11.

Ibid. c. [illegible]

Ibid. c. [illegible]

Ferri autem in praua, & Prædestinatianorum, & Gotteschalci dogmata recta fronte Diaconum, Amolone Episcopo, & Ecclesia Lugdunensi dignum, qui negauerit, illum oportet esse, aut à controuersia penitus imparatum, aut iudicij sui glaucomate turpiter occæcatum. Quis enim hæc legens crebriùs repetita, *In malis non ipse fecit, vt essent mali: Neque enim præscientia Dei imposuit eis necessitatem, vt aliud esse non possent. Non quia aliud esse non potuerunt, sed quia aliud esse noluerunt. Ipsi igitur sibimet ipsis extiterunt causa perditionis. Non ergo omnipotens Deus vlli hominum causa mortis vel perditionis existit. Non enim ille aliquem prædestinauit, vt malus esset.* Et alia id genus, non statim ad Rabanum oculos reflectat, primum Gotteschalci oppugnatorem, & iudicem, qui hæc ipsa in Monacho sciolo grauiter reprehendit, causam perditionis impiorum, in eorum conditorem per summam impietatem ab eo referri? Sed hæc leuia sunt, & obscura, præ meridiano sole censuræ istius. *Qui ergo dicit,* vnus aliquis certo, & destinato ictu petitur, non, *qui dixerit,* non, *qui diceret,* sed qui affirmatè *dicit,* vt existere sciat illum qui dicit, *quòd hi, qui pereunt prædestinati sunt ad perditionem, & ideò aliter euenire non potest: similiter quoque & de iustis, tanquam & ipsi ideò saluentur, quia prædestinati ad salutem aliud esse non potuerunt. Qui ergo hæc tam confusè & insulsè dicit, & illis*

Florus errores Gotteschalci manifestè confutat.

Prædestinatiana dogmata.

tollit meritum damnationis, & istis meritum salutis. Ac per hoc quid aliud agit, nisi, vt & pereuntibus, secundùm illum, sit imposita necessitas perditionis, & his qui saluantur, sit imposita necessitas salutis? Atque ideò nec illi iustè damnentur, quia iusti esse non potuerunt; nec isti iustè remunerentur, quia aliud quàm iusti esse nequiuerunt: vt in vtraque parte, & perditio, & salus non sit ex iudicio propriæ actionis, sed ex præiudicio diuinæ præordinationis. Apertè namque causa perditionis illorum, qui pereunt, in Deum refertur, si ipse eos ita ad interitum prædestinauit, vt aliud esse non possent; quod sentire, vel dicere horribilis blasphemia est. Finge tibi animo, Lector, si potes, illustrioris breuitatis, & aptiùs illuminatæ compositionis epitomen, eorum omnium quæ libro sequente contra Prædestinatianos, & Gotteschalcum prolixè disputabimus. Vide necessitatem antecedentem, inretractabilem & incommutabilem prædestinationem, prædeterminatum irreuocabiliter, & inflexibiliter bonorum & malorum finem, meritorum in bonis malísque exitum, libertatis interemptricem prædestinationem, diuinæ iustitiæ in malis æquè, vt bonis mercede aut supplicio afficiendis excidium, Deum malorum culpæ primùm, & inde pœnæ auctorem. Hoc est quod condemnauit Rabanus, quod tantis clamoribus impugnauit Hincmarus, quod in capita distinxit Amolo, quod exhorruerunt Catholici omnes, quod dissimularunt Gotteschalci aduocati, quod mordicus ad extremum vitæ spiritum retinuit Gotteschalcus. Et his lectis, & maxima ex parte descriptis, vt aliò cogitationem nostram auocet sapiens Dissertator, locos duos alia omnia tractantes subiicit, tandémque frigidè concludit, *vtrobique legi reprobos ad pœnam prædestinatos, in quo sola fuit de Prædestinatione controuersia.* Hem! *in quo sola*, contra Gotteschalcum & sodales. Quasi dicas, contra Marcionem vetus Testamentum abdicantem, *solam* catholicis Patribus *fuisse controuersiam* de Tobiæ cane, caudám-ne habuerit quam moueret? aut ea maxilla, qua Samson Philisthæos prostrauit, asini fuerit, an muli? Sic nouitas illudit ouiculis.

Gotteschalci horribilis blasphemia.

Dissertatoris dissimulatio. c. 11.

Quòd si doctrinam præclarè assecutus Florus, æquissimè damnauit, miserabilis ipsius Monachi personam non minùs graphicè verbis expressit, in epistolæ clausula, fideliter amico consulens. *Hæc vobis breuiter rescripsi, ad ea quæ iussistis. Nunc fideliter deprecor, & exhortor, vt in simplicitate; & sinceritate veræ fidei fundati, claudatis aures vestras, aduersùs linguam nequam illius vanissimi, & miserrimi hominis, qui cùm sit paratus ad contentionem, & contumax aduersùs veritatem, maluit se infelix, diabolico inflatus spiritu, à Christi Ecclesia, & Sacerdotibus separare, quàm sua profana, & inaniloquia deserere.* Tam sunt viui colores isti, quibus ad vnguem repræsentatur Gotteschalcus, tam intimam viri notitiam requirunt, vt existimarim aliquando non alio, quàm Hincmari penicillo duci potuisse, adeóque non exitum epistolæ, sed obseruationem esse Hincmari, *omnes in quorum manus hoc laboris sui opusculum venerit*, alloquentis. Verùm acutiùs peruidit Dissertatoris solertia, non alteri, quàm epistolæ auctori totam illam orationem absque dubitatione tradi oportere: idque multa probant attentiùs speculantibus. Nam Hincmarus non est à lectoribus suis *iussus* scribere; neque scriptoris alterius sermonem edere in lucem, est *rescribere ad ea quæ iusserunt*: neque *opusculum* de quo loquitur *ad omnes in quorum manus venerit*, est Flori sermo, sed liber de Prædestinatione, cui præfigit opuscula, & capitula omnia, pro quibus, & in quæ certamen est. Neque demum apparet causa, cur Flori sermonem hoc fine claudere voluerit, cùm aliorum capitulis tale nihil subiecerit, ad extremum verò tantùm excuset, quòd Gotteschalci, & eius sectariorum pestiferis opusculis proferendis abstineat. Multùm autem interest ad causam, vt aculeus ille in epistolæ cauda vibratus sit in Gotteschalcum à Floro, & id aduersariorum nemo inficiari possit, apud quos libri *de Ebbonis scrinio sumpti* fides vacillare non debet. Itaque conspirante omnium confessione habes Lector verum, & indubitatum Ecclesiæ Lugdunensis de Gotteschalco, totáque eius controuersia iudicium, in certo eius Episcopo Amolone, in primario eius ministro Floro, quorum opuscula si conferre inuicem dignabere, vix ouum ouo similius, quoad doctrinam reperias. Quid igitur vltrà quærimus ab ementitis Lugdunensibus obscuris, incertis, anonymis, inuidentibus?

Florus Gotteschalcum pro hæretico habet, & vitandum monet.

Epistola illius conclusio non est ab Hincmaro, sed à Floro ipso.

Verum Lugdunensis Ecclesiæ de quæstione iudicium.

Clientem suum his dictis obrui non nescit Dissertator, neque mersum in limo profundi potest recreare, nisi eleuata tanti viri auctoritate: cúmque grauem Amolonis epistolam *certissimis quinque argumentis* cassam, & inanem reddere conatus sit, extundendum etiam aliquid fuit *iugi meditatione, & cum eruditioribus collatione* seria, quo vulnus ingens causæ ab hoc scripto metuendum, quantùm quidem per artem, & ingenium fieri poterit, auertatur. Quid igitur hac animi, & subtilitatis contentione dignum excogitat? *Florum tunc doctrinæ Gotteschalci penitus ignarum, neque de eo quicquam, nisi ex aduersariorum calumniis audiisse, hæc verba demonstrant.* Ridiculè profectò! Quid enim? *Penitus ignarus* fuit, qui peritissimè paucis versibus, magna perspicuitate totam oculis nostris subiecit? Gotteschalcum non nouit, qui vt viuam ac spirantem contumaciæ, contentionis, superbiæ, hæreseos, schismatis imaginem, quæ sunt eius lineamenta omnia, nobis exhibet? Et hinc probatur, inquit, *aduersariorum calumnias audiisse*. Audiit certè rumorem de eo sparsum, referentes aliquos, alios scribentes, vt fieri assolet; accepit certius nonnihil ab eo à quo vel rogatus, vel iussus est rescribere; & vt apparet ex scribendi methodo, non priùs animum appulit ad scribendum, quod sapientem virum decet, quàm & quæstionem, & eius auctorem intimè, & certissimè nosset. Ostende tu modò hos omnes nuntios *aduersarios* fuisse Gotteschalci, hos rumores esse *calumnias*. Non habes Hincmarum, quem nomines *mendaciorum* Tertullianæa phrasi *loquacissimum*. Vt enim is nondum cùm ea scriberentur, ad Amolonem de Gotteschalco scripserat; sic ad Florum, vel semel scripsisse, nunquam legitur. Appella igitur de nomine aduersarium illum, & calumniatorem Gotteschalci, qui de eius doctrina Florum Magistrum consulens, sic illam, & illum descripsit, qui priuatim, sine fuco, extra omnem ostentationis apparatum, vni sibi profuturam

Ridicula Dissertatoris responsio. Dissert. c. 11.

Refellitur.

veritatem ab amico erudito exquirens, mendacia subſtrauit, vt qui falleret, falleretur. Quid quòd Florum de calumnia temerè credita nemo vnquam accuſauit; non *venerabilis Hildeboldus* non Ebbo *religioſus*, non Compilator, Hincmari profeſſus inimicus; non omnes quibus notus fuit libellus, ſiue cùm primùm in muſæa reconditus eſt, ſiue cùm poſtea editus & publicatus?

Hæc epiſtola ſerò publicata eſt.

Quando autem editus, ſiue compoſitus eſt? *non conſtat*, inquis, *quo anno, ante librum tamen Eccleſiæ Lugdunenſis contra Ioannem Scotum*. Vnde id habes, ſi de anno non conſtat? Si eundem putas operis vtriuſque ſcriptorem, qua ex cauſa minus maiori præponis? Ego verò poſtponendum arbitror, idque hinc comprobo, quòd in iſto de Gotteſchalcana hæreſi loquens, eam videtur ignorare, & *neſcire quo ordine damnatus ſit infeliciſſimus, & miſerrimus Monachus:* at in epiſtola vtrunque nouit accuratiſſimè; vel alius igitur eſt auctor epiſtolæ, vt mea fert opinio; vel poſt refutatum Scotum, certis teſtibus didicit, quis qualiſque eſſet *miſerrimus* ille *Monachus*, & quo *ordine damnatus*, atque adeo vitandus. Vere igitur dici non poteſt, fuiſſe tum *penitus ignarus*, & eum ex ſolis *aduerſariorum calumniis* noſſe, cùm ſcripſit epiſtolam. Sed verius exiſtimo, diſtinguendos eſſe vtriuſque ſcripti auctores duos, & quandocunque compoſita fuerit hæc epiſtola, ſeriùs fuiſſe publicatam. *Nuperius* inquit Hincmarus librum poſteriorem de Prædeſtinatione componens, hoc eſt, decennio poſt Gotteſchalcum in Synodo Cariſiaca damnatum, flagrante inuidia in Hincmarum, Epiſcopis Regnorum duorum litterato bello diſſidentibus, Capitulis Valentinis aduersùs Cariſiaca ſcriptis, & per Synodos probatis; infeliciſſimo Monacho nonnullos ad ſui commiſerationem mouente, vt Francis inſitum eſt aliena miſeria facilè tangi. Tum profectò ſi vnquam, vel ignorantiam ſuam profiteri debuit Florus, & calumnias illas in Sycophantarum caput remittere; vel exſurgere vnus aliquis vindex innocentiæ, teſtis veritatis, & Hincmari tyrannidem comprimere, cuius metu & gratia, *aduerſary & calumniæ*, pij & catholici viri modeſtiam, & virtutem tandiu opprimerent. Verùm tacentibus omnibus eius æui Præſulibus, ſeruata eſt multis pòſt ſeculis eius aduocationis gloria Præſidi Monetario, qui ex Epicuri intermundiis, & de regno mythicorum, aduerſarios neſcio quos, & calumnias, adueheret vnde & ſuppoſititia Gotteſchalci ſcripta ad Amolonem miſſa, & alia plurima nouæ editionis figmenta, quæ paſſim educimus in apertum, tanquam exoticas merces, nondum in orbe noſtro viſas, aſportauit. Atque idem, vera iſta Flori Diaconi epiſtola ſic improbata, poſteaquam in huius operis decurſu legerit librum Eccleſiæ Lugdunenſis qui dicitur, aduersùs Ioannem Scotum, ab eodem Floro non eſſe compoſitum, ſed ab aliquo alio doctis omnibus ignoto; diſquiret apud ſe, quo tandem iure Diaconum illum cum palmata tunica, inter Gotteſchalci laudatores in veſtibulo depinxerit.

Eccleſ. Lugd. aduerſ. Ioan. Scot. c. 4.

HISTORIAE GOTTESCHALCI PRÆDESTINATIANI, ET CONTROVERSIÆ PER EVM REVOCATÆ LIBER SECVNDVS.

QVI ET *GOTTESCHALCI PLACITA FVSIVS explicata, cum Joannis Scoti congressu.*

PRÆFATIO.

Summa superioris libri.

NEQVE Doctorem sine suis erroribus, neque errores sine doctore, prioribus Conciliis duobus Moguntino, & Carisiacensi damnarunt Ecclesiæ, Germana cum Rabano Mauro; Gallicana, cum Hincmaro; Lugdunensis vera, & indubitata, in Archiepiscopo Amolone, & Floro Diacono. Quamobrem libro superiore sic egimus, vt & reuocandis erroribus idoneus esse Gotteschalcus, & hæreses ipsæ Gotteschalco magistro dignæ viderentur. Verùm contra stimulum calcitrauit pertinax, & superbus, & vt inuidiam iudicibus suis faceret, loquendi methodo paulùm immutata, verbis tectior, sensu æquè blasphemus, animo confidentior, ad iudicium Dei, ab Ecclesia, *columna & firmamento veritatis* prouocare ausus est: id demum scriptis, & factione consecutus, vt & æuo suo patronos inuenerit, & nostro laïcos *iugi meditatione* martyrem asserentes. Quantumlibet tamen suo se atramento sepia texerit, quamlibet vim historiæ, antiquitati, veritati afferant aduocati, docuit hæresim Gotteschalcus; non errauit Ecclesia Gallicana, quæ coërcuit hæreticum; non dormitarunt, aut mentiti sunt historici omnes omnium temporum, vt ab Vsserio, vel Dissertatore, veternum illorum octo pòst seculis excuteretur. Id modò fusiùs monstrandum est, & Ecclesiæ cum Præsulum suorum luminibus, ab Nouantium calumniis vindicandæ.

CAPVT I.

Ad inuestigandam Gotteschalci doctrinam, de vetere Prædestinatianorum hæresi quædam præmittuntur. Et eius primùm exordia ante S. Augustinum nata spectantur.

Cur hæc disputatio incatur.

SI Gotteschalcum vnum spectas, minimum interest scire, Patriarcha Prædestinatianorum fuerit, an resuscitator? eius discipuli, primi Prædestinatiani extiterint, an reexorti, vt loquitur Hincmarus? Modò nobis constet, in explicanda Dei prædestinatione peccasse tum ipsum, tum eius discipulos, eámque eius sectæ explicationem duobus primùm Conciliis, eo præsente, & causam suam agente; deinde communi Ecclesiæ sensu, & Catholicorum doctorum consensu fuisse damnatam. Si verò diligentem controuersiæ narrationem putas oportere iuuari, & aliquid Hincmaro gratificari, qui paginam vtranque hoc in opere facit, ne omnia eius dicta, duobus Tertulliani verbis exsufflentur, nec importunum, nec inutile fuerit Prædestinatianam hæresim in ortu suo speculari. Seculo siquidem viuimus tam infeliciter erudito, vt qui se dici, & haberi doctos appetunt, quotidie cornicum oculos configere conentur, vt non videamus quod videmus, & de iis quæ fuerunt apud maiores nostros certa & definita, eruditè & gloriosè dubitare nos doceant.

Error Prædestinatia-

Non litigo de nomine, vbi rem præcipua ex parte teneo, ac memini Sacramentariorum pri-

norum, nomine antiquior.

mos fuisse Carpharnaïtas, priùs longè quàm Sacramentariorum hæresis nominaretur; hæreticorum Patriarchas fuisse philosophos veteres, antè longè quàm hæreticos Ecclesia Christiana propter errores illorum exploderet: quare catalogum hæresum à Iudæis & Philosophis Epiphanius sapienter auspicatur. Possum eadem ratione & exemplo, Mathematicos gentiles, & Stoicos, Prædestinatianorum Patriarchas appellare, qui operum humanorum, & felicitatis miseriæque necessitatem in stellis, & fato constituentes, non propria nos voluntate, sed irreuocabili quodam superioris naturæ decreto, beatos miserósque, non tam fieri, quàm nasci fabulantur. Vnde Prædestinatus verè suspicari dicit Catholicos, scelerata Prædestinatianorum dicta, quæ confictò Augustini libro leguntur, *viri orthodoxi esse non posse, quæ dantes manus Mathematicis, dicunt humanum genus ita diuinis prædestinationibus subiacere, vt mala omnia quæ geruntur in seculo, Dei dicantur voluntate committi.* Sed hæc, vt vetustate obsita, prætermitto, ne quis criminetur agere me cum Gotteschalco, tanquam Stoïcissante; (quod tamen cum Nouatiano fecit Cyprianus) neque quicquam in Mathematicorum deliriis à Prædestinatis esse mutatum. Fateor enim non conuenire vtrosque in omnibus; imò non omnes Prædestinatos errorem suum eodem modo exponere, quæ leuitas, & licentia hæretica est; sed hoc tamen obseruari cupio, quibus argumentis Patres & Theologi, & fatalem necessitatem impetunt, & libertatem homini asserunt, ea omnia in absolutam, & antecedentem Gotteschalci Prædestinationem posse conferri.

Stoici, & Mathematici parentes Prædestinatianorum.

Prædestin. l. 3.

Hæreses Prædestinatianæ prima lineamenta apud Apostolum. Rom. c. 9.

Alium igitur conuenio noui testamenti Prædestinatianum, illum qui cum Apostolo Paulo disputat in epistola ad Romanos. Nam vt posteriores ex verbis Augustini malè intellectis, Prædestinationem suam; sic iste ex Pauli doctrina peruersè explicata, eundem errorem hausit. Et quemadmodum Augustinus veram Apostoli mentem assecutus, catholicè & diuinè, sed obscuriùs, prædestinationis negotium exposuit, sic iste, & isti, ab Apostolico sensu aberrantes, neque cum Paulo, neque cum Augustino consentiunt. Paulus igitur inter cetera de Iacob & Esau, atque ex illa figura, de Gentilibus ad fidem adductis, Iudæis autem in obstinatione derelictis locutus, admonet illud vtriusque, vt hominis, ita populi discrimen, non ex vllis hominum meritis, sed ex sola volentis, & vocantis Dei miseratione, aut derelictione proficisci. Quia *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Quod certissimè dictum, Patres magno consensu ad electionem ad gloriam, & exinde ad Prædestinationem, atque ad primam vocationis gratiam retulerunt. Subiicit & celeberrimum in tota hac materia obdurati Pharaonis exemplum, quicum Iudæos vult conferri. *Dicit enim scriptura Pharaoni, quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam, & vt annuncietur nomen meum in vniuersa terra.* Quæ verba speculatus Origenes, consecutionem, quæ potest ex eis educi, hoc modo enunciat, vt ex hoc videatur ostendi, quia si ad hoc electus est Pharao, vt per eum virtus Dei declaretur, non fuit in eius potestate quòd periit. Et addit post omnia. *Ergo si cui vult miseretur, & quem vult indurat.* Sic legit Origenes; cùm exclusa hypothetica particula, in vulgata habeamus, *Ergo cuius vult miseretur.*

Exod. c. 9.

Origenes l. 7. in ep. ad Rom. c. 9.

Ad hæc inducit aliquem Apostolus secum disputantem, *Dicis itaque mihi: Quid adhuc queritur? Voluntati enim eius quis resistit?* Et Origenes. *Hoc est inquit, quod asseueras tu, qui contradicis, quia sine causa conqueritur, & arguit homines Deus. Si enim ipse quem vult eligit, & quem vult abiicit, voluntati eius quis resistet, per quem omnia?* Hunc aio ego Prædestinatianum esse, & errorem ex malè accepto Pauli dicto effingere. Atque hoc monet Origenes. *Illud sine dubio contradictio ista molitur, quòd in homine non sit libertas arbitrij, nec habeat vnusquisque potestatem sui, vt saluetur, aut pereat.* Quod sine dubio ab Apostoli mente perquàm alienum est. Inde autem error nascitur, quòd oculis statim in omnipotentiam Dei contortis, de ea voluntate loqui putat Apostolum, cui nemo homo possit obsistere; ac proinde quæ sit absoluta, & irreuocabilis, in tempore omnipotentiam executioni, vt sic loquar, admouens, vt obice quolibet occurrente efficaciter amoto, certè & ineuitabiliter fiat, quod fieri decreuit. Talis fuit Israëlitarum ex Pharaonica seruitute educendorum voluntas, humani cordis duritiem, & Regis potentiam fortiter infringens, & perdomans. Altera autem & diuersa fuit perdendorum Niniuitarum voluntas, hypothetica tantùm, & comminatoria, licèt à Iona absolutè pronunciaretur. Neque hoc Niniuitas ipsos, Gentiles licèt, & in vitia mersos latuit, cùm dicerent. *Quis scit si conuertatur, & ignoscat Deus, & reuertatur à furore iræ suæ, & non peribimus?* Hanc enim voluntati vim amicam intulerunt Niniuitarum ieiunia, Ezechiæ lacrymæ, Mosis preces, Aaronis suffitus; & malè de populo meriti arguuntur Prophetæ, *quasi vulpes in desertis*, qui *non ascenderunt ex aduerso, neque opposuerunt murum pro domo Israël, vt starent in prælio in die Domini.*

Prædestinatianus aliquis cum Paulo disputans.

Duplex Dei voluntas.

Ion. c. 3.

Ezech. c. 13.

De priori autem voluntate antecedenter, & absolutè abiectionem, & electionem decernente, intelligendam esse obiectionem, qui docet idem Origenes, ad eius confutationem eò nos remittit, vbi libertatem arbitrij fusiùs explicat, nouos Prædestinatianos huius discipulos inducit, vt sciamus vnde schola dyscola propagata sit. In libris enim Periarchon, plures ex scriptura sententias producens, quibus à Deo ipso procedere dicitur hominis induratio, & perditio, non omittit Pharaonem principem perditorum. *Ego indurabo cor Pharaonis.* cum hac expositione. *Si enim à Deo induratur, & per hoc quod induratur, delinquit, non sibi ipse extitit causa delicti. Quod si ita est, non videbitur Pharao habere libertatem arbitrij: & iam consequenter asseretur, quòd hoc exemplo nec ceteri quidem qui pereunt, ex arbitrij sui libertate causam perditionis accipiunt.* Et paulò pòst, Apostolicum addens quod attigimus, *ergo cui vult miseretur, & quem vult indurat.* Post hæc, quomodo hæretici libertatis inimici, omnibus illis scripturæ dictis abutantur, sic proponit. *His enim præcipuè nituntur hæretici, dicentes non esse in nostra potestate, vt saluemur, sed naturas esse animarum tales, quæ in omni genere vel pereant, vel saluentur; nec vllo modo possit anima, quæ mala*

Hinc propagati alij Prædestinatiani.

Origen. l. 3. Periarch.

Exod. c. 3.

Anima natura bona aut mala, quæ est hæresis Manichæorum.

facta est, bona fieri; aut quæ bona fuerit, mala effici. In officina veterum Philosophorum ac deinde Manichæorum, fabricatæ sunt naturæ illæ bonæ & malæ, quas ab omnibus asseri, qui libertatem arbitrij tollunt, necesse non est: eundem enim effectum producit absoluta, & antecedens reproborum ad malum determinatio, qua posita *non habent*, vt loquitur Origenes, *potestatem sui, vt saluentur aut pereant.* Ergo naturæ nomine, in vocem Prædestinationis mutato, aiunt alij Prædestinationes animarum esse tales, quæ in omni genere pereant vel saluentur, nec vllo modo possit anima prædestinata ad interitum, salua fieri, aut prædestinata ad vitam, perire. Id qui dicunt, appellat Origenes hæreticos, ait denegare libertatem arbitrij, causam perditionis non accipere ex arbitrij libertate, sed ex voluntate Dei, cui nemo resistit: credere de illis Deum conqueri non posse, aut eos arguere.

Opinio Prædestinatiana tempore Origenis.

Origen. epist. ad Rom. c. 8. l. 7.

Ac ne putemus inanem hanc esse prosopopœiã, ἐναργείας tantùm gratia fictam ab Apostolo: significat apertè Origenes, extitisse suo tempore, qui hoc ipsum sentirent, dum exponens illustrem eiusdem epistolæ locum, *Quos præsciuit, hos & prædestinauit*, &c. postquam multis negauit præscientiam illam, cum vulgo, quasi physicam, esse intelligendam, sed moralem quandam, approbationis, ex vsu scripturæ, subiungit.

Præscientia approbationis.

Et rursum si ad communem referatur intelligentiam hoc quod dicit, quia quos præsciuit, hos & iustificauit, ingentem fenestram patefaciemus iis, qui negant esse in hominis potestate, vt saluus fiat. Aiunt enim: si Deus quos præsciit, illos & prædestinauit; & quos prædestinauit, illos & vocauit; & quos vocauit, illos & iustificauit, nihil culpæ habent ij, qui non iustificantur, quia nec vocati sunt, nec prædestinati, nec precogniti. Non præsto quidem Origenis argumentum; sed hoc aio, ipsissimam Prædestinatianorum opinionem hîc disertis verbis exprimi, & illam Origenianis temporibus auditam fuisse. Non enim dicit, *apud Apostolum aiunt*, neque, *aiebant olim:* longè minùs, *dicerent*, aut quid simile; sed præcisè *aiunt*, quomodo de vigente sententia loqui solemus. Ostendat modò aduersarius, quantùm absint isti, ab iis, qui post Augustinum Prædestinatiani vocati sunt? & originis suæ antiquitate glorientur, quam in Apostolo Paulo, ab obiiciente quodam malè intellecto, sed ab Origene, ceterisque Patribus rectè & catholicè explicato, non obscuris indiciis deprehendunt.

Eiusdem hæreseos pars aliqua apud Philastrium.

l. de hæres. hær. 77.

Sed non est citò deserendus Pharao, diu desertus à Deo, quem Philastrius Brixiensis reduci iubet in scenam, hoc titulo. *Hæresis de induratione Dei*, ante Augustinum, & Adrumetinos Monachos excitata. *Sunt quidam hæretici, qui de Pharaone, ita arbitrantur dixisse Dominum per Mosem. Quòd ad hoc excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam. Et, Indurans indurabo cor Pharaonis, vt non dimittat vos. & ait Apostolus, Ergo neque volentis, neque currentis, sed miserentis Dei est.* Hæretici non sunt, quòd ea dicant dixisse Deum, quæ reuera dixit, & legimus in scriptura. Sed quòd *ita dixisse*, & eo sensu *arbitrentur*, qui Deo, & diuinæ fidei contrarius est. Is autem ab auctore non traditur, & non leuis suspicio est, mutilum esse locum, in quo pars præcipua, hoc est, hæreseos ipsius expositio desideretur. Statim enim sequitur. *Sed hæc non definiens dicit Apostolus; sed disputans, atque edocens, quod verum est, ne ita Deum dixisse, quis æstimet.* Nostrum igitur est ex responsionis, & refutationis genere, naturam obiectionis hæreticæ coniicere: nimirum, bona & mala fieri in nobis à Deo: improbos à Deo positiuè sic indurari, vt omnino, etsi maximè velint, emolliri non possint; electos à Deo salutem consecuturos, licet bene operando currere ad vitam negligant: reprobos à Deo creari, non vt possint saluari, sed vt iram, & iustitiam Dei in seipsis ostendant. Sed hæc, inquit Philastrius, non definiens dicit Apostolus. *Non dicit, vt non curramus, nec, non velimus seruire Deo, sed primùm debemus nostra currere voluntate: deinde non cum præsumptione, & iactantia, quasi nostra virtute, & iustitia condigna, non Christi mereamur saluari clementia.* Quòd ait Philastrius *primùm currere nos*, non docet aut natura, aut tempore voluntatem nostram Dei gratiæ præire: sed id in primis esse cogitandum, quod negant hæretici, qui volunt omnia in nobis non cooperantibus à Deo fieri. Quòd autem ad Pharaonem, & indurationem pertinet, ait, illis verbis erudiri nos, esse tribulationes huius seculi diuitibus necessarias, vt à terrenis desideriis, quibus salute neglecta totos se addicunt, expediti, ad Christi amorem, & salutis suæ curam excitentur.

Fusiùs exponitur Philastrij locus.

Cùm enim tribularetur ipse Pharao, inuitus Dominum cognoscebat, vt scriptum est. Cùmque iterum dimittebatur à Deo, reuertebatur, vt canis, ad suum vomitum. Sic induratum Pharaonem significat, præeunte scriptura, *Videns autem Pharao, quòd data esset requies, ingrauauit cor suum, & non audiuit eos.* Quem indurationis modum tradit & Anastasius Nicænus in quæstionibus in sacram scripturam, & Faustus Reiensis similitudine domestica explicat, dominorum nequam seruo dicentium, *Ego patientia mea te pessimum feci, ego remissione mea malitiam tuam superbiámque nutriui, ego dissimulatione mea cor tuum, vt contra me obduretur animaui. Et hoc modo quod in bonitate domini, virtutis est testimonium, in serui improbitate fit vitium.* Vnde secundùm Philastrium concludendum est, non tantùm à se ipso, & pessimi cordis nequitia induratum fuisse Pharaonem, sed etiam hæreticorum opinionem esse, ipsum à Deo positiuè induratum: aliàs inutilis, & à proposito aliena foret eius expositio.

Exod. c. 8.

Anastas. qq. in scr. q. 29.

Faustus Reiensis l. 2. de gratia. c. 1.

Nos verò in hac Philastrij productione, & Pharaonis induratione, ab instituta quæstione non discedere, docet orta lis inter Ratramnum & Hincmarum, de hac ipsa induratione, cùm hic diceret, Deum indurasse cor Pharaonis, explicandum esse, indurari permisisse: ille hoc reprehenderet dictum, sed Rabano iudice *non rectè: quia non Deus cuiusquam cor sua factione indurat.* Volebat igitur Ratramnus, *Dei factione*, hoc est, actione positiua *cor indurari.* Et hoc *ad amicum suum* scribebat, cùm ad Regem Carolum alia omnia scriberet. *Præsciuit enim Deus quales futuri forent Ægyptij, id est, crudelitatem eorum semper notam habuit, non tamen crudeles effecit. Quamuis Psalmista de eis testetur, quòd conuerterit cor eorum (id est Ægyptiorum, Deus) vt odirent populum eius, & dolos facerent in ser-*

De Pharaonis induratione inter Hincmarũ, & Ratramnum certatum est.

Ratram. l. 2. de Præd.

nos eius. Non tamen eos Deus aut dolosos fecit aut malignitatis odio inflammauit. Sed cùm tales essent, qui & odio sæuirent, & dolo deciperent, per eos populum suum flagellare disposuit; vt qui per prospera Deum reliquerat, flagellis admonitus ad Deum confugeret. Et quæ sequuntur catholica, & proba, nullam Rabani censuram commerita: vt hinc obiter intelligamus, inter Ratramnum, & Gotteschalcum intercedere mysteria, quæ omnibus non propalentur, & vt ait ille, aliud esse vni scribere, aliud omnibus; ita *vana locuti sunt vnusquisque ad proximum suum: labia dolosa in corde, & corde locuti sunt.* Rabanus autem positiuam Dei indurationem multis confutans, ab Origene incipit, quem antea citauimus. *Vide enim quia non dixit, ad hoc ipsum te feci: alioqui ad conditorem referri culpa videretur* (vt vitium illud esset in natura mala:) *sed ait, ad hoc ipsum suscitaui te, vt per animi tui malitiam, quam tibi infrunitè, & sine Dei timore viuendo quæsisti, & in alios irrogetur vtilis ac fructuosa correptio, & in teipsum ad posteritatis exemplum famosissimus conferatur interitus.* Quæ ideo à me proferuntur, vt clariùs appareat, illam veterum hæreticorum de natura animarum bona & mala, memoratam ab Origene opinionem, suo etiam modo, iudicio Rabani, ad Gotteschalci, siue Ratramni sententiam de prædestinatione, referri.

Ratramni, & Gotteschalci dolus.

Psalm. 11.

Orig. cit. l. 7. in epist. ad Rom. c. 9.

CAPVT II.

Prædestinatiani S. Augustini temporibus, & ex eius doctrina malè intellecta exorti.

Hæresis Prædestinatiana, quo ex discursu nata.

AB his initiis, fluctuante inter Dei præscientiam, prædestinationem, potentiam, & arbitrij humani libertatem, Adami peccato vitiatam, sciolorum quorumdam theologia: Cùm omnes probè intelligerent, nasci hominem neminem in tempore, cuius omnia, & singula vitæ momenta & exitum, Deus ab æterno non præuiderit, & pro singulorum modo non prædeterminauerit: quidam illorum hanc præscientiam, & prædeterminationem, à sola Dei voluntate profectam, æternam, irreuocabilem, incommutabilem, vtpote diuinam, perturbatiùs attendentes, crediderunt nulla humana industria, voluntate, potentia, libertate; vlla penitùs ratione mutari posse, quæ semel à Deo præuisa, & præfinita sunt, vt Esau, Pharaoni, Antiocho euenit: atque adeo ad illud exemplum ceteros omnes Deo præsciente, & prædeterminante, necessariò, & absolutè loquendo ad vitam, ad virtutem, ad peccata, ad mortem esse factos, neque in posterum iis relinqui liberum vllo modo, vt aliter viuere possint, aut mori. Nomen quidem fati Stoicis, & gentilibus, bonæ verò & malæ naturæ originem Manichæis reliquerunt, vt hæc omnia Dei regentis absolutæ voluntati, & antecedenter immutabili prædestinationi attribuerent.

Hæresis Pelagiana

Alij hac assertione liberum homini arbitrium eripi rectè iudicantes, Dei autem potentiæ, & misericordiæ soli, nimium aliquid in vitam sortémque nostram donari arbitrati, voluerunt in nostra potestate sic positum esse bonum malúmque, vt actionum nostrarum domini, bene velle, & agere incipiamus ipsi, Deo postea conatus illos fauore, & gratia subsequente. Qua ratione & arbitrij libertas præclarè conseruatur, & bonorum malorúmque finis in Dei iustitiam refunditur, vnicuique nostrûm, prout gessit in corpore suo, siue bonum, siue malum, reddentis, vt loquitur Apostolus. Neutris opposita placuit opinio, & progressu temporum vtrique inuicem hæreseos accusarunt, consentientibus admodum catholicis, qui mediam ingressi semitam, vt necessitatem omnimodam prædestinationi diuinæ; sic omnem bene agendi potestatem arbitrio humano ex se viribúsque suis denegarunt: seruata interim Deo prædestinationis certitudine, misericordiæ pietate, iustitiæ æquitate; homini autem ad bene agendum, aut malè; ad præmij suppliciique meritum, libertate conuenienti. Priores hæretici, neque in factionem coierunt initio, neque apertè dogmata sua perdiu prodiderunt, vt ignoti, & pauci, sic contempti. Maioribus tibiis cecinerunt posteriores Pelagius, & Cælestius, sanctitatis primùm simulatione; deinde fraude & peruicacia sua; ad extremum disputantium contrà doctorum auctoritate gloriáque clarissimi.

quibus principiis nixa.

Eorum princeps Augustinus, indignissimè ferens diuinæ gratiæ diuitias, ad humani arbitrij gloriam, per summam ingratitudinem traduci, totis & gratiæ à Deo sibi collatæ, & ingenij à natura accepti, & doctrinæ multis vigiliis partæ viribus, monstrata omnimoda gratiæ necessitate, & arbitrij nostri ad bene agendum, tum per se se, tum longè magis post Protoplasti vulnus, infirmitate, nisi diuinitus præueniatur, iuuetúrque, illam hæresim fortiter, & feliciter expugnauit. Sponsi sui virtutem, & beneficium asserenti applausit Ecclesia, probauítque magno consensu, quæ de illa gratiæ ad bonum necessitate docuit, qui propriè fuit quæstionis inter Pelagium, & Catholicos disputatæ cardo. Qui tamen disceptantem passim coëgit in alia capita materiæ latissimè fusæ diuertere, suborientibus identidem, vt fit, in æstu disputationis dubiis, & quæstionibus, quarum decisiones ab Augustino prolatas non æquè omnes suscepit Ecclesia, vt illam gratiæ necessitatem, & imbecillitatem arbitrij. Hanc distinctionem manifestè docet Cælestinus Pontifex ea epistola, qua nulli Nouantium nostrorum tacitum S. Augustini scribit elogium, eúmque *inter magistros optimos* numeratum fatetur ab suis decessoribus. Nam post assertiones Catholicas de gratia per Christum, & libero arbitrio expositas, quas editio nostra Romana potiùs à Prospero, quàm à Cælestino scriptas putat, sic concluditur Epistola: *Profundiores verò, difficilioréśque partes occurrentium quæstionum, quas latiùs pertractarunt, qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere*, &c. Hormisdas etiam Papa ad Possessorem scribens, ita loquitur: *De arbitrio tamen libero, & gratia Dei, quod Romana, hoc est, catholica sequatur, & asseruet Ecclesia, licet in variis libris B. Augustini, & maximè ad Hilarium, & Prosperum possit cognosci: tamen in scriniis Ecclesiasticis*

Augustini disputatio, & auctoritas.

Cælest. ep. 8. ad Episc. Gall.

Hormisd. ep. 67. ad Possess.

expressa capitula continentur, quanquam qui diligenter Apostoli dicta considerat, quid sequi debeat, euidenter cognoscat. Ex quibus manifestè patet, 1. Non Augustinum solum gratiæ doctorem esse, sed vnum ex multis. 2. Quæstiones cum hæreticis disceptatas, & in iis Augustini doctrinam laudatam ab Ecclesia, restringi ad liberum arbitrium, & gratiam Dei, necessariam videlicet ad bene agendum. 3. Ad Augustini libros ita nos remitti cum Possessore, vt tamen *expressa capitula*, sola dicantur catholica. 4. Canonicam Apostoli doctrinam illis præferri, quam qui perfectè cognouerit, Augustino opus non habebit.

Doctrina Augustini obscuritas imperitos mouit.

Quoniam ergo ad profundiores difficilioresque quæstiones inter disputandū cum Pelagio de gratiæ necessitate accessit Augustinus, & ad eleuandam humani arbitrij potestatem, de decreto diuino, de proposito & beneplacito Dei, de prædestinatione & reprobatione hominum, de peccati originalis natura, effectis, propagatione, de electione sine meritis præuisis, quia nulla nos habemus ex nobis, sæpe fuit agendum: è nonnullis profundiùs, atque adeò obscuriùs ab Augustino dictis, ansam arripuerunt aliqui, nouitatum in Ecclesiam inducendarum; quibus & *minus intelligentium corda turbarentur*, & pax Ecclesiæ solueretur. In primis Adrumetini illi Monachi, Prædestinatorum duces; quanquam sine nomine: de quibus Historia Prædestinatiana Sirmondi, statim ipso in limine: & accurata expositio libri de Correptione & Gratia, per P. Antonium Vatier Societatis nostræ Theologum nuper in vulgus emissa; nihil vt hîc addi præterea à nobis opus esse videatur. Verus enim Apostoli Pauli, maximè in prædicanda Christi Redemptoris gratia discipulus, ob mysterij primùm altitudinem, deinde ob subtilitatem doctrinæ, & nonnullis in locis obscuritatem, eadem cum optimo Magistro fortuna conflictatus, discipulos frequenter passus est, sub glorioso Doctoris nomine prauorum dogmatum assertores. De prioribus, scriptura malè vtentibus, dixit Tertullianus, *nihil mirum esse, si ex Christi instituto captentur argumenta: quoniam oportet hæreses esse, quæ esse non possent, si non & perperam scripturæ intelligerentur.* Posterioribus autem cum Augustino, vt vocant, *suo*, potest applicari, quod idem alibi scribit, *Scripturas* (Augustinum) *obtendunt, & hac sua audacia statim, quosdam mouent: in ipso verò congressu, firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt.*

Hilar. ep. ad August.

Liber de Correptione & gratia.

Tertull. l. de Resurrect. Carn. c. 40.

Idem l. de præscr. c. 15.

Prædestinatianis hæreticis dedit audaciam.

Prosp. ep. ad August.

Inter hos celebres extiterunt Prædestinatiani, siue Prædestinati, qui opinationis suæ pudore adhuc à publica luce deterriti, visis, non tamen intellectis iis, quæ à tanto Doctore *aduersùs Pelagianos de vocatione electorum secundùm Dei propositum disputabantur,* occasionem auidè arripuerunt, tanquam ex eius disciplina, publicandæ suæ hæreseos, colligendorum asseclarum, & sectæ vel ferò conflandæ, quæ tandem hæresis Prædestinatiana vocata est, & meruit in Conciliis tractari. Vnde Chronologorum Prosperi Tironis, & Sigeberti narratio, *Prædestinatorum hæresim ab Augustino accepisse initium,* siue, *ex libris Augustini malè intellectis.* Quam gloriam adeo vehementer affectarunt, vt liber Prædestinati, qui vocatur, quo primùm con-

Prosper & Sigeb. in Chron.

futati sunt, asserat editum ab ipsis fuisse mysticum librum, velut ab Augustino compositum, quem & auctor ille describit, vt propalet, *qui velut sepulchrum fœtens aforis quidem Augustini nomine dealbatur, intus vero scaturit vermibus mortuorum.* Eapropter, ut sæpe notatum est à nobis, Gotteschalcus locorum farraginem ex variis doctoribus, sed potissimùm ex Augustino, quem & gloriosissimè *suum* vocat, collegit: & Prudentius, atque Lugdunenses, nullos Prædestinatos appellari posse professi sunt, nisi seipsos, vtpote solos Augustini discipulos. Atque istud quod affirmamus, Prædestinatos videlicet hæreticos, & in Augustino erroris fundamentum quæsiuisse, & non nisi perperam explicato reperisse, docent pleraque hæreseos capita ab auctore libri Prædestinati prolata his verbis. *Nonagesima hæresis, quam in præfatione nostra diximus, de nomine Augustini Episcopi esse mentitam, Prædestinatorum nomen accepit. Hi electionem bonorum, & recusationem malorum, Deo decernente definiunt, non homine vel studente, vel negligente.* Et alia suis locis reddenda.

Prædestin. Præfat.

Prædestin. l. 1.

Aduersarios accusant Pelagianismi.

Huc facit, quòd absolutæ prædestinationis fautores aduersariis suis omnibus Pelagianismi calumniam impegerunt, quasi qui Prædestinationis causam, & initium ab ipsis electis accipiant, non à Deo eligente, contra perpetuam Augustini doctrinam, in Pelagianos sexcentis locis inculcatam. Sic Rabanum Maurum à Gennadio, & Massiliensibus, non ab Augustino doctrinam hausisse arguit Gotteschalcus: & solennis hæreticorum fucus est, vt catholicis à quibus oppugnantur, hæresim suæ contrariam imponant. Sic enim Ariani orthodoxos Sabellianismi accusarunt: ita *si quis Nestory perfidiam damnat*, inquit Vigilius Tridentinus, *Eutychetis putatur errori succumbere; rursus dum Eutychianæ hæresis impietatem destruit, Nestory arguitur dogma erigere.* Eodem actus spiritu consilióque Vsserius Armachanus, & ex eo Dissertator amplissimus, in Prædestinatiani erroris mentione, sæpe nominat *Pelagij reliquias, Semipelagianorum technas*, quasi ab iis sit *excogitatum nomen hæreseos Prædestinatianæ.*

Vigil. Trident. l. 1. contr. Eutych.

Obiectio ex iis, qui Prædestinatianos impugnarunt.

Nimirum, inquiunt, certum est apertos eorum hostes, qui Augustino consentientes Prædestinatiani vocantur, in Pelagij errorem incurrisse, vt Faustum Reiensem *celeberrimum fraudulenta illius nequitiæ architectum*, auctorem Prædestinati, verè *antiprædestinatum, & mendacissimum, Gennadium fallacem, deceptum Ennodium.* Quis igitur iure arguat, illi sententiæ oppositos, Semipelagianos appellari? Respondeo, sepositis ad momentum temporis nominibus illis auctorum veterum, qui possunt esse in quæstione: dato etiam animi gratia eo, quod maximè cupit obiectio, Pelagianorum reliquiis illos accensendos esse: consecutionem tamen aptissimè denegari: quippe cùm neque omnes, qui Prædestinatianis aduersantur, Semipelagiani sint, licèt de nominatis illud fateremur; neque si verè isti Semipelagiani fuerunt, ideo minus solidè minúsve, quoad partem illam, Catholicè Prædestinatianos confutarint. Hæc enim argumentatio arte non subtilissima statum quæstionis immutat, & à re ipsa, disputationem traducit ad personas. Non enim hîc

Responsio.

Non quæritur quis, sed quomodo impugnet hæresim.

quæritur à quibus, quis error impugnetur; sed quomodo, quo iure, quàm rectè, quibus rationibus? Neque semper necessarium est, vt *Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus.* Possunt enim vtrique malè sentire de fide, vbi non asserunt pugnantia contradictoriè. Atque hæc est veritatis prærogatiua, vt dum hostes mutuis in sese armis incurrunt, victrix emineat. Vndecunque armatur religio; seruit Ecclesiæ quisquis eius hostes profligat. Ergó-ne si nequam est Hincmarus, ideo bonus Gotteschalcus? Si Faustus Semipelagianus, ideo Catholicus Lucidus? Plus aliquid addo consideratione non indignum, quòd licet aliquos hoc in negotio minùs cautos, vt & in plerisque aliis, ardor præposterus egisse potuerit in transuersum, quemadmodum Eutychetem Nestoriani erroris odium verè fecit hæreticum; id tamen eorum ignorantia, & imprudentia, non sanæ doctrinæ vitio euenerit, quæ recta via gradientes Pelagianorum dexteram, & Prædestinatorum sinistram cautè peritéque declinare perdocet. Id enim fecerunt semper, faciúntque innumeri Catholicarum partium Theologi, etiam qui electionem Dei ad gloriam, meritorum præuisioni postponunt. Non est veritas, quæ mendacio eget ad tutelam. Oportet autem aut Theologiæ penitus ignarum esse, qui ex animi sui sententia credat: aut contentiosum, & inuidum, qui ceteris persuadere conetur, Prædestinationem hypotheticam, & absolutè loquendo reuocabilem, sine Pelagianismo, & Augustini desertione asseri non posse.

Catholici inter contrarias hæreses rectà incedunt.

Augustinus Gotteschalco, & Prædestinatianis non fauet.

Quid quòd veri amans historicus nunquam negauerit, quod diu est cùm obseruaui controuersia incunte, cùm frigidè adhuc, & moderatè, hoc est, simpliciùs disputaretur, ereptos fuisse Gotteschalco per Rabanum Maurum Patres duos, Augustinum, & Prosperum, qui eius sententiæ fidelis executor fuit? Ab Hincmaro quoque, veram Augustini doctrinam Gotteschalco recens in monasterialem carcerem coniecto, explicatam fuisse? ac proinde falsò post hæc lumina gloriatum illum, quod hæreticis solenne est, de obseruata fideliter Augustini doctrina. Frustra quoque esse Dissertatorem, & malæ fidei posse accusari, qui hoc assiduè de cliente suo prædicat, quem præter hæc omnia, legit in Hincmaro, morti proximum, noluisse Augustini, & Prosperi doctrinam subscribendo probare. Consulamus & Prædestinati librum; in eo legemus opusculum per summam impudentiam sub nomine Augustini confictum. Quid opus fuit eo mendacio, si verè Prædestinatianam opinionem docuit Augustinus? Nónne iure dicturus videor, si habuissent illi aperta Augustini pro se dicta, si verè opiniones suas ab Augustino, & Prospero bene intellectis hausisset Gotteschalcus, blasphemiam & hæresim ab Augustino, & Prospero fore traditas? Denique Caluinus, Lutherus, & eorum asseclæ, quos fatetur Dissertator verè, & propriè Prædestinatianos esse, ante illos neminem, quam frequenter, quámque gloriosè hac in re Augustini discipulos esse se iactitant? Quid hic ais, Præses amplissime? Caluino Prædestinatiano fauet Augustinus? Docet ergo blasphemiam, quam agnoscis horrendam. Procul abest à Caluino Augustinus? Quare ergo adiungitur Gotteschalco, Caluini anteambuloni, & laternario? Vide, Lector, vtri plus sanctiúsque Augustinum colant, & diligant, Dissertator, & socij Collatores, qui certum, & indubitatum infamis, & damnati hæretici magistrum faciunt Augustinum: an nos qui abominandam illam relationem inter vtrunque totis viribus negamus & execramur?

CAPVT III.

Prædestinatianus error Concilio Arausicano II. damnatur.

Status quæstionis.

ENTIO me delatum necessitate in locum, quem indicauit Præfatio, & decreuit prætervehi, de Prædestinatianæ hæreseos existentia, quam auctor Prædestinati, Faustus Reiensis, Gennadius, Hincmarus, & nouissimè libello scripto Sirmondus, *historiam* appellant: Vsserius Primas Caluinista, Iansenius Iprensis, & recentissimè Præses amplissimus Dissertator habent pro *fabula*. Nota vox Principis illius opinionis, figmentum esse, & *Semipelagianorum technas, qui nouellæ cuiusdam Prædestinatianæ hæreseos excogitato odioso nomine, ipsius Augustini orthodoxam de Prædestinatione doctrinam prægrauare studuerunt.* Fecit se hac in pugna Sirmondi, nonagenario maioris aduersarium Dissertator clarissimus, cuius te spectatorem esse cupio, Lector, & victoriæ in primis testem; quæ clarior futura est, si telum imbelle sine ictu, videtur seni lacessito, & silentio contemptúque eluditur. Deinde modestiæ iudicem; dum pagina vix vlla in Dissertatore absque contumelia præterit, modò in Sirmondum, quem litterati omnes sine laudis præfatione non nominant; modò in aduersarios suos; modò in veteres Prædestinatorum hostes, etiam eos, qui cælestibus in terris coluntur honoribus. Quem sectæ stilum esse clamant omnes; vt quisquis pro illorum sententia stat, de cælo descendat, ipsorum iudicio: quisquis contradicit, proiecta vilior alga probetur esse, postquam semel in animo constitutum est nouare in fide. Quæstionem igitur illam inter impares duos controuersam, relinquo integram, saltem præcipuo in capite: quod & ratio postulat, & historia nostra permittit: neque propriè & præcisè disputo, an extiterint olim Prædestinatiani hæretici? neque vtrum, qui Prædestinatiani postea sunt appellati, hæretici fuerint? Suppono quod ante natos Vsserium, & Iansenium Dissertatoris Patriarchas, historici tradiderunt, suscepere catholici. Sed exquiro, Prædestinatiani qui sunt à plurimis, & ab Hincmaro nuncupati, quid dixerint, senserintque? Quæ via ad Gotteschalcanæ doctrinæ notitiam necessariò complananda est: quanquam id adeo cautè à me fieri non poterit, quin vel inuita veritas frequenter emineat.

Vsser. hist. Gottesch. c. 2.

Inter Sirmondum & Dissertatorem disputatio de hæresi Prædestinatiana.

Concilium Arausicanum II.

Et ille quidem dogmata ceteris omnibus enucleatiùs distinxit, qui professa opera confutauit auctor Prædestinati, à Sirmondo nuper excitatus è tumulo, & admissus ab omnibus eruditis: sed is mihi videtur commodè, propiùs Gotteschalco admouendus, & initium à Conciliis du-

cendum, quorum maior est auctoritas, & certior positio. In quibus primum occurrit magni ponderis Arausicanum II. tota Ecclesia notissimum; quod hæreseos damnare, temeritatis & impudentiæ est; deserti Augustini, amentiæ: vt vel vnum sufficere possit ad id declarandum, quod superiori sectione ponebamus, in Theologia catholica viam aperiri Pelagianos inter, & Prædestinatos, Augustino ipso duce, qua fides Christiana securè exponatur. Nam hoc in Concilio, & catholicam sententiam, de gratia & libero arbitrio, ex doctrina, & vt plurimùm, verbis Augustini assertam contra Pelagium, & eius reliquias: ac nihilominus absolutam ad malum prædestinationem, contra eos qui temerè Augustino doctore gloriantur, Prædestinatos, damnatam legimus. Neque fuit alia mens Amolonis nostri Lugdunensis, decretum illud Gotteschalco, ad epistolæ suæ, & errorum eius finem obiicientis, quàm vt se agnosceret, & à fide catholica, & ab Augustino aberrare.

Concilij canon productus ex Amolone. epist. ad Gottesch.

Posteaquam enim sanctus Antistes auctoritatem Concilio, ex Cæsarij Præsidis dignitate virtutibúsque conciliauit, in eo *diligenter*, inquit, *de gratia Dei, & libero hominis arbitrio, de præscientia, & prædestinatione diuina, constat esse definitum; qualiter moderatissima, & perpensissima ratione sentiendum, tenendum, & docendum sit.* Quare qui definitionem illam moderatè, & consideratè sequetur (sequuntur autem Theologiæ scholasticæ ductu Catholici) neque incidet in Pelagium, vt vitet Prædestinatos; neque Augustinum deseret, vt absolutam prædestinationem neget. *Vnde hic ad commonitionem prudentiæ tuæ, paucissima verba subnecto, quibus aiunt, Hoc etiam secundùm fidem catholicam credimus, quòd post acceptam Baptismi gratiam, omnes baptizati, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent possint ac debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere. Aliquos verò ad malum diuina potestate prædestinatos, non solùm non credimus; sed etiam, si qui sint, qui tantùm mali credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.* Bifariam spectari potest ita productus Canon, vel simpliciter, vt Concilij; vel vt citatus ab Amolone, & oblatus Gotteschalco.

Concil. Arausic. can. 25.

Explicatur locus Concilij.

In ipso Canone, considerandum in primis, ad erroris damnati notitiam, quod sit illud *malum, ad quod diuina potestate prædestinati* dicuntur? Sine dubio *animæ saluti* oppositum est, vel æterna damnatio, quæ est malum pœnæ; vel medium quo ad illam deuenitur, peccatum, quod est malum culpæ. Affirmare autem aliquos præuisæ culpæ merito, à Deo vindice ad ignem prædestinatos esse, detestationem, & anathema non meretur: id enim dixit, præter alios Patres, Augustinus. Est igitur intelligenda illa prædestinatio, primùm absoluta à præuiso medio; tum coniuncta cum medio: vt qui finem malum absolutè prædestinauit Deus, media etiam ad illum consentanea, nimirum peccata prædestinet. Deinde, videndum quæ sit *diuina* illa *potestas*, quæ prædestinat ad malum pœnæ & culpæ? Profectò illa, quæ opponitur baptizatorum potestati quærendæ salutis, quæque impedit vt possint, si voluerint: & hæc est absoluta, & antecedens Dei voluntas, cuius omnipotentiæ nullo modo resisti potest; adeóque sic prædestinato ad malum, salutis vnquam consequendæ potestatem omnem antecedenter eripit. Tertiò, spectandum quamobrem hypotheticè dicat Canon, *Si qui sint*, qui hoc asserant? Existimo ego hac loquendi forma concipi à nobis debere, absolutè aliquos reperiri, qui prædestinationem hanc *velint credere*; sed ita loqui Patres sapientissimos, vt eorum parcant pudori. Quod & nostro adhuc vsu retentum est, vt etiam præsentibus eius culpæ reis, quæ arguitur, per vrbanam dissimulationem dicamus, si quis ita diceret; si quis hoc ageret: maximè cùm ea inquisitio ad Concilium delata non esset, quæ supponi proinde debuit, non probari. Vexant Dissertatorem optimum hæc verba, vicissim ab illo vexata, dum persuadere conatur, Prædestinatianam hæresim ante Lutherum & Caluinum nullam fuisse, neque ab hoc agnosci Concilio; licèt eius mentionem fieri, negare non possit. Prouidentia scilicet hactenus inaudita, & nulli alteri Concilio concessa prophetia, Patres Arausicani quinto æræ Christianæ seculo errorem illum subodorati sunt, & aliquos *velle credere* suspicati, qui nemini posterorum venit in mentem, ante Lutherum & Caluinum decimo sexto pòst seculo. Num hæc verè Prædestinatiana fabula est? Quartò denique, huius articuli natura perpendenda est: quòd Synodus fida Augustinianæ doctrinæ adsectatrix, transmissis sibi à sede Apostolica capitulis de Gratia, & libero arbitrio, aduersùs eos, *qui aliter quàm oportet sentiunt*, addendum etiam istud crediderit; aliàs, nó omnes errores eradicatum iri; satis esse prouisum per Augustini doctrinam, euellendæ Pelagianorum hæresi; sed alios ex aduerso aduenire, obscuros adhuc tenebriones, Romanæ Sedis cognitione nondum dignos, qui doctrina eadem abutantur, eámque in oppositum errorem, non minùs perniciosum & noxium, detorqueant: illos proinde, quiqui tandem sint, quocunque nomine appellentur, vbicunque gentium lateant, non minùs quàm Pelagij asseclas detestandos esse, & ab omni fidelium cœtu excludendos. Ita nobile Concilium, ita Bonifacius II. Pontifex, qui Cæsarij rogatu Synodum approbauit, vt *consentaneam Catholicis Patrum regulis. Et ideo*, vt admonet codex, vnde hausta est illa confirmatio, *quicunque aliter de gratia, & libero arbitrio crediderit, quàm vel ista auctoritas continet, vel in illa Synodo constitutum est, contrarium se Sedi Apostolicæ, & vniuersæ per totum mundum Ecclesiæ esse cognoscat.* Cuius obseruationis stilus Hincmariana tempora mihi sapit, vt hinc etiam admodum verisimile arbitrer, in hac Gotteschalci controuersia, cupidè à pluribus Canonem hunc vrgeri solitum esse. Quibus ex omnibus habemus, & extitisse qui sic de prædestinatione sentirent, qui proprio deinde hæreseos nomine Prædestinati, vel Prædestinatiani sunt appellati: & illos Augustini doctrinam minimè gentium assecutos esse: & à Concilio Arausicano, ab Apostolica sede, ab vniuersa Ecclesia *cum omni detestatione, anathemate* fuisse percussos.

Prædest. fab. confut. c. 9. p. 2.

Confirmata Synodus à Bonifacio II.

Tom. I. Concil. Gall. p. 225.

Cur ille canon Gotteschalco sit obiectus.

Quòd autem ad Gotteschalcum priuatim attinet, confecta res est. Nam cùm Amulus homo non ineptus, post recensitos eius errores omnes, hunc illi Canonem in os impegerit, & meditandum proposuerit; oportet, aut Prædestinatiana fuligine maculatum fuisse Monachum, vt hoc

ſpeculo opus haberet ad detergendam; aut ridiculum fuiſſe Antiſtitem Lugdunenſem, qui fœdè deliraret in re ſeria, & alia omnia caneret innocenti. Cur enim non æquè Symbolum Nicænum, aut Conſtantinopolitanum; cur non Epheſinam, aut Chalcedonenſem definitionem obiecit, ſi tam fuit alienus à Prædeſtinatis, quàm ab Ario & Neſtorio Gotteſchalcus? Quis autem non videt, illo canone ſummam colligi articulorum ipſorum, quos in Gotteſchalci ſcriptis, & legit Amolo, & acerbè reprehendit? Reſpondes deceptum fuiſſe Amolonem, & Monachi ſcripta cum erroribus ab Hincmaro ſuppoſita. Sed nos eam calumniam, in officina fabulæ Prædeſtinatianæ fabricatam, libro ſuperiore fusè verſauimus: vt hoc loco nobis ſufficiat tacita reſponſionis confeſſio, quæ Amolonis epiſtola confutantur, ea canone Arauſicano cum omni deteſtatione anathematizari.

Concilium iſtud quomodo tractent Hincmarus, & Diſſertator. Animaduertet ad extremum Præſes clariſſimus, quantùm inter ſe, & Hincmarum interſit, in huius Synodi mentione reuocanda. Nam vtriſque obiicitur, Hincmaro, tanquam Pelagianarum partium ſectatori, à Compilatore aduerſario; Prædeſtinatianis, ac proinde omnibus eorum ſectariis, à Sirmondo. Hincmarus igitur pro ſe ſatisfaciens, intrepidè omnes, & ſingulos Synodi articulos commemorat, oſtenditque illorum doctrinam in Capitulis Cariſiacis ita expreſſam, vt ab ea ne latum quidem vnguem diſceſſerit: cúmque locum benefacti, & puræ doctrinæ conſcientia, ſic concludit. (Hincm. l. de præd. c. 21.) *Hinc quoque quilibet, columbino oculo intendens, quæ propoſuerunt ſancti Patres noſtri, & quæ ſubſecuti ſumus; & non accipitrinis vnguibus carpere fraternam, & innoxiam ſimplicitatem quærens, videat, quæ licet breuioribus verbis, propter minùs capacium, minúſque ſtudioſorum inertiam, contexuimus, à reuerenda, & veneranda atque catholica prolixitate tantorum doctorum, nec in aliquo deuiauimus: cùm conſtet quia quicunque nos venenato dente rodere ſine cauſa maluerit, ſe maliuolum, & non nos, non catholicos comprobabit.* At verò Diſſertator, Gotteſchalci contra Hincmarum patronus, cum omnibus quinque & viginti Arauſicanæ Synodi capitibus magno ambitu ſubſcribere paratus ſit, poſtremum iſtud aduersùs Prædeſtinatianos decretorium, quod diſſimulando præterire non poteſt, diutiùs veſtigiis premere non audet: ſed tanquam prunas leuiſſimè præteruolat, ſiue cùm Amolonem deſcribit in Diſſertatione; ſiue cùm Sirmondo reſpondet in Confutatione. (Diſſert. c. 22. 23. Confut. fab. Præ. deſt. c. 9. p. 1.) Priore enim loco vix verbo tangit: poſteriore digreditur in cauſam Concilij cogendi, capitulorum 25. à ſede Apoſtolica tranſmiſſionem, Concilij ab eadem ſede approbationem: in mediam verò turbam canon iſte poſtremus ita coniicitur, vt non citatus, ſed ne prætermiſſus eſſe videatur. Quantò verboſiùs diffunduntur cetera omnia, quæ vel cauſæ fauent, vel negari poſſe [illegible] *meditatio* perſuaſit? Do exemplum paginis ſexaginta, & ampliùs magnificè dilatatum.

CAPVT IV.

Eadem hæreſis Arelatenſi, & Lugdunenſi Conciliis damnata, & à Lucido Presbytero Fauſti Reienſis ſuaſu eiurata.

NAM in Amolonis epiſtola ſatis eſſe putat Lectorem admonere, quod accuratè facit, & titulo, & ſtatim ad marginem, Arauſicanam in ea Synodum ſolam produci, non autem *falſas, & ſuppoſititias Fauſti Synodos, Arelatenſem, & Lugdunenſem*, quæ ſi veræ eſſent, *non fuiſſent prætermiſſæ: maximè dum tempora Leonis Papæ memorantur.* (*Quæſtionis occaſio.*) Quibus verbis ſemen iacit immenſæ cuiuſdam diſputationis, aduersùs Fauſtum Reienſem, & Synodos illas ab eo commemoratas, imò vt commentatur, effictas; idque eò plauſibiliùs facit, quòd grandis fuit ſemper controuerſia Fauſtus inter Eccleſiaſticos tractatores, ad quam præfationis vice pauciſſima delibo.

In Fauſto, ad rem noſtram conſideranda ſunt duo, vita & doctrina: (*De Fauſto, & eius ſcriptis.*) vtrunque impensè laudatum à Sidonio Apollinari, ſed alterum amore, iudicio alterum; (Sidon. Apollin. l. 9. ep. 9.) vtrunque contentioſè vituperatum à Diſſertatore, amore ſuarum partium, & ſtudio. Doctrinam ſuam Fauſtus expoſuit operibus duobus. Prius eſt, de Gratia Dei, & libero humanæ mentis arbitrio, in quo *Pelagianum dogma deſtruere conatus, labitur in errorē*, vt ait Ado, videlicet Semipelagianorum, indebitum aliquid homini, ante gratiam tribuentium. (Ado in Chr. ad an. 492.) Poſterius, epiſtola non longa ad Lucidum Preſbyterum non ignobilem, Prædeſtinatianæ hæreſeos ſectatorem, (alias enim omitto ab Henrico Caniſio relatas) (Henr. Can. tom. 5. antiq. lect.) qua feliciter amici pœnitentiam, & conuerſionem conſecutus eſt, cuicitque vt errores notatos ſingulatim retractaret. Extat opus vtrunque in Bibliotheca Patrum: (Bibliot. PP. Tom. 4.) Epiſtola autem vtraque apud Hincmarum, Baronium, Henricum Caniſium, in Conciliis Gallicanis, à nemine hactenus falſi accuſata. (Hincm. l. de præd. c. 1. Baron. an. 490. tom. 6. Concil. Gall. tom. 1. p. 148.) Et libri quidem de Gratia multos è Græca Latináque Eccleſia Patres habuerunt aduerſarios, epiſtola neminem; eſt enim verè catholica, illi hæretici; quod ſolerter diſtinguendum eſt, ne vnius operis vitio, damnetur alterum, quod fit à Diſſertatore. Inter hæc, Leontius Arelatenſis Epiſcopus Concilium coëgit ex ſanctiſſimis Epiſcopis, (*Concilia Arelatenſe & Lugdunenſe.*) in quo Fauſtus epiſtolam ſuam probandam curauit; ac deinde iuſſu Leontij, acta Concilij redegit in ſcripta, eique Leontio cum libris ſuis obtulit, cum adpoſita præfatione, quæ in Bibliotheca PP. hoc titulo inſignitur. (Fauſtus Præfat. ad Leontium.) *Profeſſio fidei contra eos, qui dum per ſolam Dei voluntatem alios dicunt ad vitam attrahi, alios in mortem deprimi, hinc fatum cum Gentilibus aſſerunt, inde liberum arbitrium cum Manichæis negant.* Quæ eſt aperta Prædeſtinatorum hæreticorum periphraſis. Huic Concilio ſucceſſit Lugdunenſe, Epiſcopo Patiente, qui priori ſubſcripſerat: cui Concilio Lucidus libellum retractationis, ſeu epiſtolam, quam à Fauſto monitus ſcripſerat, obtulit. Illis ſiquidem Conciliis narrat Baronius

in

Baron. loco cit. *in hoc incubuisse Patres, vt errores exploderent, illorum potissimum, qui ex doctrina S. Augustini malè ab ipsis percepta, sine in prauum sensum calumniosè detorta, prauas deduxissent conclusiones, quasi ex necessitate prædestinationis, fatum introduxisset: sine alios errores, quos ante hanc Synodum S. Prosper confutauit.* Memineris Lector S. Prosperum fusè citatum fuisse à Rabano, aduersùs orientes Gotteschalci errores, cùm adhuc apud Eberardum Comitem hospitaretur. Notat autem Annalista, errores illos ab Episcopis condemnatos, *nulla prorsus de S. Augustino habita mentione, ex quo fonte improbè illi, atque falsò assererent esse deductos: cùm reuera non ex S. Augustino ista proferre, sed prauis eorum sensibus conuicti sint.* Agnoscunt ea Concilia, quicunque Fausti, & Lucidi epistolas memorant, nemine hactenus refragante, aut de recantata per Lucidum palinodia dubitante: omnes igitur saltem tacita confessione, credunt Prædestinatianorum hæresim suos S. Augustino errores imponentem, in Arelatensi, & Lugdunensi Conciliis fuisse proscriptam.

Prædestinatiani prauè Augustinū interpretantur.

Sed quoniam peruulgata hæc apud eruditos opinio, Dissertatoris nostri sententiæ plurimùm aduersatur, neque potest Arelatense istud Concilium hæreseos arguere, vt ille Nestorianus Nouator Ephesinum, ad negationem sibi in talibus vsitatam, tanquam ad Epicuri lintrem confugit, & primus, quod sciam, idémque solus, positiuè negat, fuisse vnquam Arelatense tale, aut Lugdunense Concilium, sed in Fausti Reiensis incude fabricatum, asserit: nunquam epistolam à Lucido Presbytero ad Faustum datam, aut à Lugdunensi Concilio probatam, sed merum Fausti figmentum, qui vtrunque composuit; vnus omnia, & Faustus, & Fausti amicus; & hæreticum vrgens ad pœnitentiam, & ab hæresi rediens ad Catholicam; suo nomine probatus in Arelatensi Concilio, in persona Lucidi receptus in Lugdunensi; qui sunt mimi delectabiles, illudentis Fausti, & illusi seculi, aliàs non sanè stupidi. Argumenta quibus ea probatur fabula, vt plurimùm negatiua sunt, quibus Nouatores vti solent aduersùs Traditiones Ecclesiasticas vetustate nebulosas. Ingreditur in probationem hoc aditu. *Harum primicerius Faustus, suis fraudibus, & hæresi notissimus, duo Concilia, Arelatense scilicet, & Lugdunense, in Catholicos mendaciis suis supponere, & fingere non erubuit.* Thesis hæc est, & florentissimi tum Monasterij Abbate, & Episcopo scilicet dignissima. Neque dissimilis probatio *Vt suppositionis, & fallacia huius innotescat veritas, sufficeret aduertisse, horum suppositorum Conciliorum neminem seculo illo, nec tribus sequentibus meminisse, præter illorum architectum Faustum: nec etiam posterioribus seculis, præter Hincmarum, eiusdem hæresis, & fallacia non ignobilem patronum.* Vnde concludit *neminem fore, qui non penitus reiiciat, & explodat ea omnia, quæ à perfidis illis calumniatoribus asserenda & confirmāda perfidia sua adstructa fuisse euincuntur.* Iniuriam non interpretabitur vir clarissimus, si suo sibi argumento repercutitur. Nam cùm plurimi sancti & eruditi seculo illo Faustum vehementer impetierint, nemo conficta ab illo fuisse Concilia commemorauit; sequentibus seculis, nemo eius fraudis insimulauit, & si eorum mentionem Amolo nullam

A Fausto Reiensi conficta falsò dicuntur.

Prædest. fab. Confut. c. 7. p. 1.

fecit, si Lugdunenses iis non appellaris, negarunt *posse inueniri toto tempore, quod fuit inter Augustinum, & nonum seculum, vllam talem hæresim in Ecclesia extitisse*, aut, *vllum SS. Patrum Conciliū statuisse* contrarium, id vnum solidè colligi potest, ignota illis fuisse hæc Concilia, vt alia sexcenta, quæ quotidie de situ, & tenebris eruũtur.

Eccles. Lugdun. l. aduers. Ioan. Scotum c. 4. & l. de tenenda verit. script.

Est autem negantis argumenti conditio lubricæ admodum assertionis; vt cùm negas extitisse vnquam, omnia tibi scire necesse sit, quæ vnquam extiterunt: quis autem mortalium id nouit? Et doctissimum quemque sic agentem, rubore potest suffundere quiuis alius, litteris leuissimè tinctus, vel exemplo, vel teste vno eius quod negatur exhibito. Supra mortalem igitur sapere oportet scriptorem decimo septimo exortum seculo, qui Ecclesia audiente, certò & confidenter asserat, duo Concilia, quæ seculi quinti auctor Episcopus, eruditione, & moribus illustris, scribit habita; quæ Hincmarus *vir doctus*, citat in celebri disputatione aduersùs doctos, & ardentes æmulos; quæ temporum nostrorum lumen Baronius, limatissimo vir iudicio, & fabularum hostis perpetuus, in opus immortale retulit; quæ Sirmondus, cuius *eximiam in antiquitatibus nostris peritiam* laudat ipse Dissertator, tomis Conciliorum Ecclesiæ Gallicanæ inseruit; quæ hactenus negata vnquam præcisè fuerunt à nemine, fictitia & fabulosa esse: & id asserat, quia, quicquid afferant ceteri omnes, negare penitus decreuit, ante Lutherum & Caluinum extitisse vnquam Prædestinatianam hęresim, quam plures alij nominant, & agnoscunt. Sed quis credat tam nauiter impudentem fuisse Faustum, vt luce palam, tot aduersariis, tot æmulis voces eius singulas aucupantibus, fabulas narraret de Conciliis imaginariis, in celeberrimis & frequentissimis duabus vrbibus congregatis, quæ ab iis ipsis Episcopis legerentur, tanquam mulesiæ, qui conflare Synodos debuerant? Quis non miretur, ab eorum nemine vel indignante, vel ridente, os hominis importunissimi, & vanissimi conuicio verberatum?

Argumentum negatiuum infirmum est.

Ibid. c. 5. p. 1.

Quid sit gestum nescimus, inquis, non enim omnes scriptores, qui sale congruo hominem defricuerunt, ad posteros peruenere; quod de Cæsarij commentario dolemus, à Felice Pontifice approbato, qui de Gratia & libero arbitrio, contra Pelagij reliquias sanctè & catholicè disputabat. Audio, & hoc ipsum negantis argumenti futilitatem ostendit, cuius vsu sibi volūt interdictum, qui nos ea ratione vetant differere. Age autem, cui bono somnia illa Faustus somniauit? Vt operibus, inquit, suis auctoritatem Catholicam conciliaret. Quibus? Libris duobus de Gratia, & humanæ mentis arbitrio. Non est ita, neque id vel verbo tractatum est in Arelatensi Concilio. Quibus igitur? Epistolæ suæ ad Lucidum, ac deinde Lucidi libello. Sit istud, nam vtrunque Catholicum, vtrunque Arelatensis & Lugdunensis Conciliorum tractatui conforme. Tanti autem erat epistolæ priuatæ approbatio, vt Ecclesia Gallicana falleretur, & Concilium ex Episcopis vndecim grauissimis æquè ac sanctissimis, quod nusquam foret, confingeretur? Quam potiùs viam iniisset Reiensis, si sibi suæq; Epistolæ ludibrium parare voluisset? Si se grauissimæ excommunicationis periculo, ob palmare in re tanta mendacium, offerre statuisset?

Illud non est probabile.

§. VNICVS.

Fausti Reiensis Episcopi sanctitas asserta.

[*Soluitur obiectio contra Faustum.*] [Isid. l. de viris illustr. c. 27.]

ATENIM vir fuit Faustus *profundæ calliditatis.* Quid autem inde consequitur? ergo Arelatense & Lugdunense Concilia architectatus est. Ridiculè. Scripsit Isidorus Fulgentium libris septem respondisse *Fausto Pelagianæ prauitati consentienti, & obniti eius profundam destruere calliditatem.* Eam videlicet, qua Semipelagiani erroris venenum, pia in speciem, & diserta oratione, tam subtiliter in animos legentium insinuatur, vt non sine labore deprehendi, non sine sapientiorum consilio caueri possit. [Sidon. l. 9. ep. 9. cit.] Cuius rei testem Sidonium aduocare possumus, qui quanti hos ipsos Fausti libros fecerit, longa docet epistola, ne leuissimo quidem næuo in iis adnotato. Scimus & nos præstantes Theologos, quibus Faustus per omnia catholicus visus est, [Bellarm. l. de script. Eccles. sec. 5.] neque id tacet Bellarminus: & omnino in duobus eius libris permulta legimus, ad explicationẽ controuersiæ huius eximia: vt audacter affirmare non verear, vltra meritum modò illum ab aduersariis vexari, ne doctrinæ eius sana parte, qua maximè vrgentur, penitùs opprimantur. Profundioris autem calliditatis est, prolixa illa & eloquens Pelagij ad Demetriadem epistola, [*Pelagij ad Demetriadem epistola*] quam & maiores nostri Hieronymo adscripserũt: quæ tam blandè naturæ bonum, & liberi arbitrij vires gratiam Christi præuenientes commendat, vt Iuliana Mater, Augustini monitis [August. ep. 143.] indiguerit, ne eo deciperetur, quem *paruum* putabat *errorem.* Eadem calliditas in Cassiano, in Iuliano, & aliis apparet, éstque illius hæreseos ea natura, facilè vt obtegatur, quæ & pro natura hominum honorificè, & pro gratia Dei multa magnificè sentire videtur, & loqui. Quam ergo calliditatem, in ipso hæreseos genere insitam, Faustus scribendo vsurpasse dicitur ab Isidoro, ea per Dissertatorem ad omnes vitæ Fausti partes extenditur, qui si doctrina, [*Ars mala Dissertatoris.*] & virtute conspicuus fuit, *non minùs simulata doctrina, quàm pietate subdola conspicuus* dicitur; si scripsit ad Leontium Arelatensem Archiepiscopum hæresim Pelagianam condemnans, *solita versutia Pelagium, eiúsque blasphemias detestari profitetur.* Si Lucidum ab errore Prædestinatiano ad fidem reduxit, *eadem fallacia eidem falsitati adstruendæ, & obtegendæ suo nomine epistolam edidit ad Lucidum.* Vt Faustus totus, nisi fraudulentia nihil penitus esse videatur. Sic dolositatem, & crudelitatem in vna Rothadi Suessionensis causa Pontifex iratus Hincmaro semel obiecit, Dissertator centies in omnibus gestis ad nauseam recenset, & Hincmarum facit ex dolis, & crudelitate concretum. Vt si Petrum ex vno scelere, perpetuò periurum, Paulum ex vna persecutione, semper furiosum, Magdalenam ex vna libidine, semper incestam fuisse, quis volet contendere. Quamobrem profundè callidus potuit esse scribendo Faustus, & nihilominus de Conciliis Arelatensi, & Lugdunensi veraciter loqui: potuit incautiores aliquos orationis artificio decipere; & tamen Lucidum fideliter ab errore reuocare, & retractationem ementito eius nomine non confingere.

[*Fausti sanctitas ab antiquitate... liquidius vngata.*] Et si quidem ab Auito Viennensi, Fausti probitas simulata describitur, à Sidonio & ipso Episcopo, sanctóque, vt vera laudatur: si putat Baronius *decessisse inglorium, & miratur ab aliquibus imprudenter sanè inscribi Sanctum;* [Barom. an. 490. tom. 6.] inscribitur tamen in vetusto codice apud Henricum Canisium: & à recentiore nostro Adone, Andrea Saussaio ad IV. Kal. Octobr. scribitur *sanctè fine decessisse, multis doctrinæ, & piæ conuersationis titulis gloriosus, quem ipsa Reiensis Ecclesia, ex antiquo more, cultu sanctitatis honorat. Cuique integra manere sanctitatis suæ iura Cardinalis Baronius, re tandem maturiùs perpensa, confessus est.* [Henric. Canis. antiq. Lect. tom. 5.] [Sauss. in Martyrol. Gallic. 28. Sept.]

[*Posterior Baronij sententia de sanctitate Fausti Reiensis.*] Lubet huc inferre Cardinalis Baronij testimonium à Saussaio notatum, curis secundis modestè, & prudenter expressum, quod licèt prolixius videri possit, non æquat tamen paginas sexaginta, & quod excurrit, à Dissertatore in S. Fausti ignominiam, & varia conuiciorum genera, sine fine expensas. Iubet enim ad pauca illa de Fausti sanctitate sibi non credita, quæ modò citabamus, hæc adiici. *Ista quidem priori editione ex adductis diuersorum scriptis affirmasse, non indecens quidem fuit. At verò ex postea cognitis, & adductis rursus ad iudicium ipsum reuocandum, haud existimamus indignum, cùm tamen de eius scriptis immota maneant sententia Patrum.* [Habetur in append. tomi 10. reposita tomo 6. loco citato, in vltima editione Coloniensi.] Præclarè mores distinguit à doctrina, vitam à scriptis. Doctrinæ censuram manere vult integram, & erroris Semipelagiani reum perstare Faustum, quòd scripta, & plurimorum aduersùs eum lucubrationes manifestè probant. Sed quòd versipellem vulpeculam vocauit, quòd vafrum eius consilium, & fraudes nominauit, hoc cupit indictum. *Quòd enim ad hæc vsque tempora nostra, eundem Faustum continuit inter sanctos Martyrologium Gallicanum, à quo ipsum Molanus primùm expunxit. Quòd etiam, vt accepimus, Ecclesia Regiensis in Gallia, vbi ipse sedit Antistes, semper eum, vt Sanctum coluerit, celebrans eius natalem decima septima Ianuarij: ibique in eius memoriam antiquitus erecta basilica, eius nominis titulo insignita, hactenus cum cultu fidelibus frequentetur; quódque tot seculis Christiano orbe spectante, Ecclesia Romana tacente, nemine penitus (quod sciatur) contradicente, ista eidem Fausto exhibita intelligantur, opinari non prohibemur, de eodem Fausto accidere potuisse. (quod de multis viris sanctis asseritur) quòd delinquens errauerit, cùm quæstio illa fuerit auctoritate sedis Apostolicæ definita, & eius opinio aliorum Patrum sententia condemnata, ipse suum errorem fuerit scriptis contrariis detestatus, quæ potuerint, vt alia quamplurima, periisse: vel ipsum ante suorum scriptorum factam ab Ecclesia Romana damnationem, diem obiisse, (incertus est enim eius obitus annus) habentem in animo in his sequi, quod sequendum doceret Ecclesia. Ita quidem ipsum animo compositum fuisse, aliísque innotuisse, inde facilè potest intelligi, quod semper (vt indicant acta Conciliorum Arelatensis, & Lugdunensis superiùs recitata) communicationem habuit cum sanctissimis orthodoxis Galliarum Episcopis. Maneant igitur Fausto integra iura sua, nec ex nostris scriptis sentiat præiudicium, neque priuato iudicio liceat nouitati conuellere antiquitatem.* Hæc Baronius, postquam eadem appendice Sardum quendam scriptorem egregiè defricuit, quòd is Luciferum Caralita-

Ibid. repositum tom. 4. ad an. 571

Reposi. tom. 9. an. 760.

num in sanctos referret, & templo etiam honoratum fuisse confingeret: vt hæc ipsa refutatio, posterioris eius de Fausto sententiæ non infirma sit confirmatio. Postquam etiam eo quo scripsit loco, *sanctus Hincmarus*, deleri iussit *sanctus*. illóque facto monstrauit, in hac nomenclatione temerè nouúmque nihil aut demi, aut adiici oportere.

Negligi non debuit à Dissertatore.

Audisti vir clarissime, magni viri & fidelis historici retractationem purpura sua illustriorem, à perfecta rerum notitia, & maturiore iudicio expressam, insigni sapientia modestiáque publicatam, quam scire aueo in primis notám-ne habueris cùm tuá scriberes? Affirmas? Non arbitror, neque tantam virtuti prudentiæque tuæ fieri patior iniuriam, vt quem scieris in Ecclesia Gallicana, spectante & ferente Romana, inter Sanctos cultum, tam indignis contumeliis, tanta támque prolixa stili acerbitate turpificare volueris, *Non missura cutem, nisi plena cruoris hirudo.* Negas? Istud equidem credo libentiùs; sed non parum admiror, te qui aduersùs Faustum omnes voluminum angulos, & bibliothecarum arculas scrutatus sis, in locum tam splendidum non incurrisse: qui ad Prudentij Trecassini asserendam sanctitatem nihil intentatum omiseris, pro Fausto, vel dubitando, nihil mouisse: qui Ratramni scripta ex Lobiensi Monasterio non sine impensis, Notarij publici manu subscripta eruere potueris, publicam de Fausto Ecclesiæ Reiensis opinionem, quam nullo sumptu nosse poteras, neglexisse. Multùm profectò apud te periit scriptoribus omnibus, qui Gotteschalci partibus aduersantur; ac nisi Faustus Lucido scripsisset epistolam, Sanctum esse patereris: si autem vel syllaba Gotteschalcum iuuare posset, iam ipsi libri de Gratia tam facilè absoluerentur, quàm deuotè Ioannes Maxentius Eutychianus, & Monachorum Eutychianorum patronus, excusatur, quòd epistolam Hormisdæ Papæ, vt securiùs refutaret, supposititiam esse confinxerit, & vt ab alio, quàm à Pontifice compositam, vexarit. Sed tanti non est fauere Gotteschalco.

Ioan. Maxentius excusatur à Dissertat. Confut. fab. Præd. c. 8. p. 2.

Comparatur Dissertator cum Baronio.

Oro deinde, vt teipsum in hoc Baronij testimonio, tanquam in modestiæ Christianæ speculo intuearis. Nam acerrimo iudicio pretiosum à vili separare pergit, neque aut mores arguit, propter reprehensibilem doctrinam; aut epistolæ conuiciatur, propter libros de gratia, vituperatione dignos. Tu doctrinæ prauitate mores vis infici, quasi tum & antea nemo benè potuerit viuere, qui malè sentiret; quod ego de Semipelagianis pernego, quorum sanctitatem vitæ, ipsi doctrinæ hostes agnoscunt, & laudant: & si chronicam tuam, & historicam mentem placet concutere, inuenies peculiare illud Semipelagiano errori fuisse, nullum vt hæreticum habuerit professorem; cùm, qui sunt illum professi, ante condemnationem orbe christiano publicatam, & admissam, vixerint; qui autem postea vixerunt, illum repudiarint. Epistolam verò ad Lucidum, catholicam, & à Concilio probatam, confuso nomine Fausti doctrinæ malę incusas, & saturam facis: vt quicquid vnquam Faustus scripsit & docuit, erroribus librorum de gratia putetur aspersum. Deinde publicis monumentis, & communi hominum iudicio vinci se patitur Cardinalis, vt Fausto cultum & gloriam restituat, quam non solus eripuit. Tu Gotteschalcum tuum pro sancto habes, & catholico, Rabanum & Hincmarum pro hæreticis, contra seculorum octo, & scriptorum omnium fidem: neque potes vel vnum appellare, qui apertè neget hæreticum fuisse Gotteschalcum. Apertè dico, vt ipsos etiam Lugdunenses excludam. Multis igitur se non opponit Baronius, ingens illud lumen Ecclesiæ; tu nouus homo solus omnibus aduersaberis? His adde tertiò, ad scripta deperdita benigno, & probabili argumento confugere Baronium, vt plurium sententiæ suffragetur; possunt enim reuera periisse scripta Fausti, gratiam Dei libero semper & in omnibus arbitrio præponentis, & non minùs reliquias, quàm Pelagium ipsum execrantis. At tu cum negante illo argumento tuo, id quod nusquam modò paret, iubes nos credere, fuisse nunquam; & quoniam non extant ampliùs ea scripta, quibus Arelatensis, & Lugdunensis Conciliorum, atque Lucidi retractationis memoria contineatur, præterquàm apud Faustum, ideo pugnas contentiosè, fabulas esse, & Fausti vnius commenta. Nónne eodem iure poterat Baronius Fausti patronis respondere, falsò & temerè, vt sanctum coli, quem constaret hæresim docuisse, absque pœnitentia: pœnitentiæ enim nullum apud auctores vestigium posse monstrari?

Denique hominem doctissimum considera, qui libris euoluendis, iudicandis, scriptitandis incanuit; ad quē ex orbe toto Christiano missa veterū tabulariorum monumenta, eius lima perpolita & probata sunt; qui post annos triginta in cōparanda Annalium materia positos, duodecim præterea, tomis totidem concinnandis edendisque tradidit, iam septuagenarium, S. R. E. Cardinalem, publica fidelium omnium voce laudatum, vix vt priuatus censeri possit ac debeat, suum tamen *iudicium priuatum* appellare, *nouitatis* incusare, *præiudicare* nolle *antiquitati*. Nos verò ad hoc exemplum, quid sumus? *Quid dicis de teipso?* Et ecce primo eruditionis tuæ specimine, cùm theologicæ palæstræ limen tangere incipis, noua mira prædicas, ficta Concilia, ementitas litteras, supposititia scripta Amoloni oblata, errantem Rabanum, sanctum Gotteschalcum, Hincmarum hæreticum, sine fronte Sirmondum. Quorsum hæc & similia? Vt *priuato* & laïco *iudicio liceat nouitati* periculosæ, *conuellere antiquitatem* Ecclesiasticam? Patereris hoc tu in Curia Monetaria, si quis leges morésque antiquos inductis nouitatibus auderet conuellere? Audes hoc tu, frequens eorum censor, quos *nullo teste, nullo duce, recens proprio marte* nonnihil afferre arbitraris?

CAPVT V.

Exponendæ Prædestinatianorum doctrinæ præstruitur iudicium de libro qui Prædestinatus inscribitur.

Liber Prædestinatus.

POST Concilia, & Faustum Reiensem Conciliorum occasione nominatum, maximè consulendus nobis est, qui primus Prædestinatianos aggressus, sub Catholico nomine adhuc latentes detexit, & vehemente stilo confudit. Is est auctor, quem Hincmarus, Hyginum; vetustum Augiæ diuitis

exemplar, Primasium; Sirmondus eius reparator, ex subiecta operi materia, Prædestinatum maluit appellare; quo & nos vtimur nomine, quòd ceteris eruditorum consensu repudiatis, in vsum incipiat induci. Hunc auctorem ad lucubrationem illam ante annos mille & ducentos impulerunt duæ potissimùm rationes; altera, quòd vestibus ouillis tecti inter Catholicos lupinam feritatem exercerent. *Vtinam mihi verbis ista dixisse sufficeret, & non, quod est cum suspirio memorandum, manifestum sit miscuisse belluas gregi dominico, qui tanta subtilitate clandestino hiatu se se Catholicis immerserunt, vt ipsi magis ciues Sanctorum, & domestici fidei æstimentur, qui inimici Ecclesiæ & hostes dolosissimi comprobantur.* Altera, quòd Augustini nomen immeritò affectarent, & eius nomine fictos libros, tanquam factionis suæ mysteria, in domos clanculò immitterent: adeo erant à vero Augustino imparati. *Silerem fateor, & nequaquam stylo percurrente ista detegerem, si totiens vt tacerent admoniti, saltim mediocriter contentionis suæ impetum temperassent; non etiam audacter sub Augustini nomine libros ederent, & scriptorum suorum iaculis membra immaculata matris nostræ Ecclesiæ vulnerarent.* Eum librum nobis exhibet ad vnguem auctor zelo ardens, illúmque *intermissis aliis prauitatibus, solum* aggreditur confutare, *quia in modum symboli eis quos deceperant, tradebant.* Quid est in modum symboli tradi? *Non discutiendum, sed credendum.* Quæ sunt aliæ prauitates? *vitiati libri, variæ epistolæ, quas memorati Hipponiensis Episcopi esse confingunt.* Datus est in modum symboli, qui nulli datus, *nisi sub sacramento. Vide ne prodas, ne des legendum imperitis: Regnum Dei paucorum est. In hoc apparet, quia te Deus prædestinauit ad vitam, si hunc libellum tu, sicut animam tuam serues. Maxima pars mulierculararum à vobis hunc meretur libellum accipere. Denique quæ eum prodidit, femina corpore, sed vir animo, dum istum à vobis libellum sub sacramento suscepisset, scriptum legens exhorruit, & his quos Catholicos nouerat, examinandum dedit. Legimus eum & nos, quod semper tenuistis, & iuuante Domino, blasphemias eius euidenter detegentes, Catholicos admonemus, vt hunc libellum fugiant, execrentur, & æterno anathemate feriant.* Eius itaque confutationem aggressurus, hac apostrophe compellat Ecclesiam. *Itaque, ô sancta mater Ecclesia, pura fidei genitrix, contra occultos hostes tuos, contra nouos barbaros, pacificum habitum mentientes; contra eos qui per te, contra te arma corripiunt, nostras vires exalta, & volentes inire certamen adiuua: contra hos præcipuè, contra quos nullus adhuc scribendo pugnauit, cùm illi scriptis suis, sub Sacerdotis Augustini nomine, totum penè iam vulnerauerint mundum.*

Prædest. Præfat. operis.

Liber fictus nomine Augustini.

Præfat. l. 3.

Præfat. operis cit.

L. 3. p. 201.

Præfat. l. 3. cit.

Non quæris, Lector, quo animo istud opus ex Hincmari scrinio productum, sit à Nouantibus exceptum, quibus exclamationibus salutatum? Inter ceteros Præses amplissimus, Antiprædestinati nomine, nec immeritò, nec inurbanè dignum censet, *non Semipelagianum, seu, ex vulgaribus Pelagianorum reliquiis, sed merum Pelagianum, & studiosissimum Iuliani discipulum, & sectatorem* vocat; exaggeratè quidem, & inimicè, sed non penitùs iniuria; quippe qui non paucis, nec obscuris erroribus scateat. Solitos ait Pelagij discipulos aliena scripta supponere, & corrumpere. Verissimè dictum, & ad hæreticos extendendum, vt probat de Prædestinatianis ille ipse liber adscriptus Augustino, *inimicus hominum, contra Catholicam fidem confictus, liber dolosus, circumdatus fallaciis, adulter integræ definitionis, quique, vt sanctus Cyprianus ait, falsa ostendat, vt vera subripiat.* Hunc ergo, qui sub Augustini nomine describitur à Prædestinati auctore, & refellitur, agnoscit Dissertator esse fictitium; & profectò obesi sensus eum oportet esse, qui verum Augustini partum existimet, neque materia, neque stilo doctorum coryphæo similem. Neque video, vtrum potiùs mirari debeamus, primum libri eius architectum, qui tam prauè mimum egerit, vt sic Augustinum simulari crederet: an populum Prædestinatianum, qui Thersitem hunc pro Nirei filio domum admitteret, & mira stoliditate credere vellet, non discutere. Hactenus vtrique nostrûm rectè conuenit: hîc biuium incipit, & diuersa gradimur via.

Dissertatoris de eo libro iudicium.

Conf. fab. prædestin. c. 4. p. 1. & 2.

Prædest. Præfat. l. 3.

Illum enim quem dicimus infelicem libri Augustiniani fabrum, putat Dissertator ipsum illum esse auctorem Prædestinati, qui tale architectatus sit commentum, *vt veram Catholicæ fidei doctrinam plausibilius laceraret.* Inexpectata sanè positio, & primo aspectu incredibilis, nisi testibus omni exceptione maioribus, & validis rationibus stabiliatur. Aliter enim nemo prudens sibi persuaserit tam publicè, tam ardenter, tam inuidiosè, cum larua luctari ausum hominem non insanum: claro meridie librum aduersariis exprobrasse, iamdiu toto orbe sparsum, domos factionis ingressum, pro symbolo pueris, & ancillis traditum, quem tamen recèns ipse confinxisset, vt *eorum doctrinam plausibiliùs* nullo repugnante, neque de intolerabili calumnia expostulante *laceraret.* Hoc igitur tam præter expectationem, & sensus communis fidem, quàm necessariis rationibus euincit Dissertator? *Calumnia non minimum argumentum,* inquit, *quod auctor anonymus, & libelli, qui eo auctore, vniuersum vulnerauerit mundum, solus vnquam meminerit.* Hoc erat cur tantum paradoxum inueheres? Auctor libri Augustino adscripti anonymus est, inquis, igitur à Prædestinato confutatore confictus. Sic agamus in visis, & cognitis. Libri Abbatis ad Abbatem, Abbatis ad Episcopum, Abbatis ad Præsidem anonymi sunt, ergo ab illis ficti à quibus eruditè refutati. Nihil enim habent homines scilicet otiosi quod agant vtilius, quàm vt leuis litteraturæ libros effingant, quibus euentilandis tempus & operam perdant; & hoc impunè faciunt, aduersariis calumniæ patientissimis, & compositione librorum abstinentissimis, qui voluminibus aduersùs nouitates suas conscriptis nihil soleant opponere. At, inquis, libri illius ita peruulgati *solus vnquam meminit.* Cognitos habes sequentium seculorum scriptores omnes, & ad vnguem perlectos, etiam qui blattas pascunt in bibliothecis, etiam qui exciderunt, quorum ne nomen quidem peruenit ad posteros? ficta tibi videntur opera omnia, quæ in solis Diogenis Laërtij, Athenæi, Photij libris memorantur?

Et de libri auctore diuinatio.

Aliud præterea Dissertatoris inuentum est, ad eleuandam scripti illius, eiúsque auctoris fidem,

Ex eo libro non malè

Prædestinatianorum errores edijcuntur.

hos libros scriptos esse, non contra Prædestinatos seu Prædestinatianos hæreticos, (qui nulli fuere) sed contra Catholicos, absolutam Dei prædestinationem, cum S. Augustino afferentes. Percurrit deinde propositiones singulas, vt eas demonstret iam antea, Augustino & Prospero à Pelagianis, & eorum reliquiis obiectas fuisse. Quæ disputatio à proposito meo longiùs discedit: vbi non qualitatis, sed facti quæstio est; illúdque præclarè monstrat, quod aduersarij nouitatis contendunt, Prædestinatorum hæresim ex S. Augustini sensu corrupto, siue *ex libris malè intellectis* originem duxisse. Quod igitur in confesso est, quódque vnum modò ad hanc historiam quæritur, scriptor iste quocunque nomine appelletur, cuiuscunque sectæ sit, quomodocunque agat in aduersarios suos, verus libri parens est, in quo hæretici quidam Prædestinati nominantur, eorum vera dogmata referuntur, ab eo qui primus illos refellit, paulò post mortem S. Augustini, ante Chalcedonense Concilium, & Eutychetis errorem, cuius nusquam meminit. Atque idem scriptor eosdem errores falsò adscribi ait S. Augustino, *quem quis nesciat orthodoxum semper fuisse doctorem, & tam scribendo, quàm disputando omnibus hæreticis obuiasse?* Quamobrem nemo me imprudentiæ accusabit, si Prædestinatorum dogmata ex eo præcipuè libro educam; adscita etiam aliquando Fausti auctoritate, & quidem fusiùs quàm Sirmondus, quòd id ad causam Gotteschalci, quam digito tangimus, pertinere arbitrer.

Prædest. Præfat.

Sirmond. in hist. Prædest. c. 4.

CAPVT VI.

Hæreseos Prædestinatianæ primum caput, de ipsa Prædestinatione, cum quibusdam consectariis ex eo libro depromitur.

Qualia Prædestinatorum dogmata.

OCCVPAT me hoc in ingressu blasphemiarum horror, quas illo in opere lego, quas audio, quas inuitissimus enuncio, neque te Lector, aliter affici vnquam crediderim: vt omni ex parte detestanda sit opinio, quocunque pallio vestiatur, quæ tot sacrilegia, vel iubet asserere; vel non prohibet. Deus immortalis! hæc aliquando audita esse in Ecclesia? hæc modò non caueri? hæc specie pietatis & diuinæ gloriæ legi, quibus nihil execrabilius, & à Dei bonitate, atque hominum salute remotius portæ inferi vomuerunt?

Prædestinationem ad vitam, & ad mortem esse irreuocabilem & absolutam.

Primus igitur & capitalis circa prædestinationem absolutam, antecedentem, & irreuocabilem error est, *ita homines prædestinatos ad mortem per Dei præscientiam, vt illis nec passio Christi, nec baptismatis redemptio, nec fides, nec spes possit, nec caritas subuenire. Orent & ieiuniis ac eleemosynis occupentur, nulla inquiunt, poterunt ratione liberari, quia non sunt prædestinati ad vitam. Econtra, hi quos prædestinatio præscia futurorum dispunxit, negligant, contemnant, & iustitiam fugiant; sic isti, etiam nolentes trahuntur ad vitam, sicut illi volentes ad vitam pertingere, expelluntur in mortem. Sic istis non petentibus datur, sicut illis petentibus denegatur.* Eius rei ratio multiplex est, 1. Quia *hoc non quasi personarum acceptor constituit, sed quasi præscius omnium futurorum. Non enim per acceptionem personæ, sed per præscientiam Deus prædestinationem suam fixit atque constituit.* Cuius exemplum est in Iacob & Esau, quos absque vlla meritorum præuisione, prout placuit, discreuit. 2. Quia omnipotentiæ Dei nemo potest resistere, vt aliud fieri possit, quàm quod decreuit. *Inuictus enim in sua voluntate permanet Deus, cùm homo assiduè superetur. Si ergo inuictum confitemini Deum, confitemini & hoc, quia quod eos voluit, ille qui condidit, aliud esse non possunt. Quòd si aliquem vult Deus bonum esse, & bonus non est, ergo homo vincit Deum. Vincit enim Deum, si Deus eum vult esse bonum, & bonus non est.* 3. Quia cuiusque salus à Deo pendet, non ab homine ipso; cùm sit illa gratuitum Dei donum, non hominis eligentis arbitrium. *Salus enim Dei non hominis voluntati seruit, ipse enim scit cui quid faciat. Nec enim antecedit humani arbitrij libertas gratiam Dei, sed antecedit gratia Dei, humani voluntatem arbitrij.* 4. Quia certus & definitus est prædestinatorum ad vitam numerus, cui certè neque inuito, neque non præsciente Deo nullus vnquam addetur. *Prædestinatio enim Dei iam & numerum iustorum, & numerum constituit peccatorum, & necesse erit constitutum terminum præteriri non posse.*

Prædest. l. 2. pag. 92.

Pag. 93.

Ibid. pag. 94.

Pag. 100.

Ibid. pag. 96.

L. 3. p. 114.

Hinc sequitur 1. Deum prædestinasse homines ad bonum & malum morale.

Ex qua prædestinatione finali, siue electione, & reprobatione, sequitur 1. vt Deus prædestinet ad media, hoc est ad bonam, & malam vitam, ad virtutem & vitium, atque adeo ad malum culpæ & peccatum. *Nobis vt quid impingitis crimen, ob hoc quod dicimus, prædestinasse Deum homines, siue ad iustitiam, siue ad peccatum; ne videretur ipse sibi quasi non prouidè facere homines, qui facerent quod nolebat? Quid putatis vos in eo quod bene agitis esse laudandos? cùm ideo lex loquatur vt timorem incutiat: ceterum nihil fit, nisi quod voluerit Deus: quem voluerit esse sanctum, sanctus est, aliud non erit, quem præscierit esse iniquum, iniquus est, non erit aliud.* Quod præclarè confutans auctor, illustriorem facit aduersariorum opinionem. *Infert bellum creatura creatori, & dicit, ipsum prædestinasse, quod punit; ipsum vt fieret constituisse, quod prohibuit.* Quid est autem, quod prohibetur à Deo, quod punitur, nisi peccatum? ergo prædestinauit, & constituit fieri peccatum. *Peccatum ergo inter prædestinantem, & operantem discerne, vt illius factum malum hic, quasi alienum à se, aut damnet, aut corrigat. A iusto autem Deo aliena sunt vniuersa quæ damnat.* Iam si iussus homo, imò prædestinatione absoluta coactus malè agit, minister tantùm est; at principalis causa, qui iubet & prædestinat: vnum vtriusque peccatum; ab isto igitur non puniendum, qui & ipse reus est facti. *Vnde si prædestinatio in peccantem ostenditur, nihil iusto iudici probatur debere peccator: quia cuius adseritur prædestinatio, huius etiam operatio comprobatur.* Debet aliquid iudici iusto, qui iustè ab eo iudicari potest & puniri; quemadmodum de martyre dixit Ambrosius, *qui nihil legibus debeat, & grauiora latronum sustinere cogatur supplicia.* Si peccatum prædestinat Deus, illud suo modo

L. 1. p. 94.

L. 3. p. 111.

Ibid. p. 119.

Ambrof. in ps. 118. serm. 21.

operatur: quo ergo iure in alio vindicat, quod ipse facit, & nisi constitueret fieri, omnino non pateretur? *Videtis-ne obsecro, quàm grauiter blasphemetur his assertionibus Deus? Si enim prædestinationis eius vis eousque adducitur, vt eius dicatur praeordinatione peccatum, fructus malus non nisi ex impia radice procreatur. Erit ergo secundùm Manichæum alius Deus malorum, alius bonorum: vt quæ bona sunt, bono adscribantur; & quæ mala sunt, malo. Ne videamur peius Manichæis inclamare blasphemium, cùm vnum, eundémque Deum, quem bonum confitemur & iustum, hunc prædestinasse omnia scelera æstimemus.* Et quoniam Iudas in exemplum prædestinationis ad interitum, & ad peccatum, adducitur à prædestinatis, multis probat inferiùs tantum sacrilegium Deo prædestinatori adscribi non posse, sed soli Iudæ traditori: *non enim Deus ipsum* Ibid. p. 136. *talem, vel prædestinauit, vel talem esse voluit.* Ex quibus patet, id ex priori propositione sic deduci, vt etiam illud ipsum conceptis verbis, ex necessaria rerum connexione pronunciarint aduersarij, quod & in sequentibus articulis animaduertere est.

2. *Saluari aut perire etiam inuitos.* Sequitur enim 2. velint nolint homines, ad locum tandem ire sic destinatum, vitam, aut mortem sempiternam. *Dicunt, etiamsi voluerit* Prædest. l. 1. hær. 90. *bonum facere, qui ad malum prædestinatus est, ad bonum peruenire non poterit; nam qui ad bonum prædestinatus est, etiamsi neglegat, ad bonum perducetur inuitus.* Et paulò apertiùs alibi. Idem l. 3. p. 132. *Idcòque aiunt, quos semel Deus prædestinauit ad vitam, etiamsi neglegant, etiamsi peccent, ad vitam perducentur inuiti: quos autem prædestinauit ad mortem, etiamsi currant, etiamsi festinent, sine causa laborant.* Eius rei ponunt exemplum in Iuda, & Saulo, quorum prior post patrata miracula, Idem l. 2. p. 95. *Collega Apostolorum, Christi discipulus, tamen quia prædestinatus est ad mortem, mortem æternam inuenit.* siue, *vno ictu subitò interiit.* Posterior post persecutionem membrorum Christi, & multa scelera perpetrata, *tamen quia prædestinatus ad Apostolatum, euasit subitò vniuersa crimina, & ab inferioribus inferis ad superiora superiorum ascendit.* Siue, *vno ictu subitò vas electionis factus est.* Istud verò axioma necessariò pendet à primo; imò ipsum primum est, verbis tantùm aliqua ratione mutatis. Fac enim prædestinatum ad interitum, putà Iudam, aut Pharaonem, saluari; iam volentis erit & currentis, non miserentis Dei; vincet homo Deum, & eius omnipotentiam, cui tanta in re efficaciter resistet; determinatus non erit prædestinatorum numerus, cui noui ex improuiso addentur hospites; nisi simul ais eadem opera excludendos totidem à vita beata, Paulum forte aut Petrum, præter & contra prædestinantis ordinem & arbitrium; quo nihil magis potest esse à præscientia, & potentia Dei remotum.

3. *Non esse curanda opera bona vel mala.* Consequitur 3. de bonis malis-ve operibus minimè curandum esse. Nam perditissimus quisque, si prædestinatus est ad vitam, mori non potest; optimus, & virtutum omnium cultor studiosissimus, si tandem prædestinatus est ad mortem, qua spe ad vitam aspirat? *Quid ergo tu,* Prædest. l. 2. p. 95. *qui in peccatis permanes expauescis? Si te Deus dignatus est, sanctus eris. Aut quid tu, qui in sanctitate viuis, solicitus redderis, quasi tua te solicitudo conseruet? Si Deus noluerit, nunquam corrues, vterque de Deo securi estote. Cessa de te, ô homo, cessa, inquam, de tua virtute esse solicitus, & de Dei tantùm confide voluntate securus. Nihil enim boni tu Deo obtinebis inuito: sed si te dignabitur Deus, vt in bono permaneas, saluus eris.* Quam humanæ mentis fraudem confutaturus auctor, ita præfatur, *hæc est omnis summa* L. 3. p. 134. *vestri consilij: hinc decipitis mundum: hinc penetratis domos, & captiuatis mulierculas oneratas peccatis, quæ circumducuntur variis desideriis, semper discentes, & nunquam ad scientiam Dei peruenientes.* Certum autem est, ex illo ludibrio omne bonæ operationis studium à nostris mentibus abigi, quando & superfluum est in prædestinatis, & irritum atque inane in reprobis. *Quis hanc fidem habens, Sacerdotum* Prædest. Præfat. *benedictionibus caput inclinare desideret, & eorum sibi precibus, & sacrificiis credat posse succurri? Si enim hæc nec prodesse volentibus, nec obesse nolentibus incipiant credi, cessabunt omnia Dei Sacerdotum studia, & vniuersa monitorum adminicula, vana videbuntur esse figmenta. Atque ita vnusquisque suis erit vitiis occupatus, vt criminum suorum delectationem, Dei prædestinationem existimet, & ad bonum à malo transitum, nec per Sacerdotem Dei, nec per conuersionem suam, nec per legem dominicam se posse inuenire confidat.* Equidem cùm hæc attentiùs considero, fateor mihi hærere aquam in exquirenda ratione, cur absolutam Prædestinationem aulicorum ingeniis contrariam esse, putet Dissertator, & Hincmarum, vt aulicum assentatorem, ei opinioni contrarium extitisse; cùm nihil frequentiùs apud aulicos, quàm illa prædestinatio audiatur; sitque ad fouendam eorum mollitiem accommodatissima, dum puluillos sub omni cubito assuit. *Prædestinationis credulitas aulicis grata.*

Respondent, occultam hominibus esse Dei prædestinationem, ideóque nihilo seciùs cuilibet mentem, & laborem ad virtutes colendas, *Prædestinatorum responsio.* & orationem admouendum. *Sed dicis ideo orare debet, quia nescit ex qua parte sit. Quis non* *Refellitur.* *putet rationabiliter, ac sapienter fuisse responsum?* inquit Faustus. Qui perfugium illud duabus euertit rationibus: quarum prior est. Quisquis *Faust. Reiens. l. 1. de grat. c. 4.* absolutè, & irreuocabiliter de se decretum esse putat, quantumuis penitus ignoret, quam in partem destinatus sit, eum tamen horrore concuti, desperatione pulsari, & vt est semper humana imbecillitas sibi culpæ conscia, in peius tremendo inclinare. *Sed quid orare homini proderit, in vna duarum conditione omnimodis constituto? Nam etsi ad quam partem fuerit deputatus ignorat; vtranque tamen partem defixam esse, & immutabilem non ignorat. Quid refert si nondum nouerit locum suum, qui definitissimè nouit, quia nullum iam recipiat, vel dextra periculum, vel sinistra profectum?* Equidem confirmare possum in eorum aliquos incidisse me, qui ad hanc cogitationem, non solùm totis artubus contremiscerent, quod esset optandum ad operandum salutem in timore & tremore: sed etiam de bonorum operum, & quærendæ perfectionis ardore plurimùm remitterent: quia quicunque status nobis constitutus sit, in altero culpa, in altero bona vita finalem non sortitur effectum. *Causa desperationis.*

Posterior Fausti ratio est. Illud genus responsionis, auctores suos manifesta cōtradictione im- *Petendum non est, quod*

fieri non potest.

pedire, qui bona opera exigant ab eo, qui absolutum hoc decretum mutare nequeat: quique, etsi maximè cupiat, & conetur, omnino saluari non possit. Hoc enim necessariò debet credere, fieri posse, quod ipsi petendum suadent. *Quod si adhuc tam confusa persuasio orationem necessariam putat, indubitanter agnoscat, quia contra definitionem suam, & de salute ad perditionem; & de perditione transire poterit ad salutem. Quid est hoc? Pulsare debere me iudicas, & aperiendum mihi esse desperas? Alterutrum ergo faciat; aut fructum orationis neget; aut legem statuta perditionis excludat.*

§. VNICVS.

Alia eiusdem capitis consectaria.

4. Legem superfluam esse, & tantùm terrere.

SEQVITVR præterea 4. vt lex omnis, & mandatum Dei vanum sit, simplicioribus quidem territandis aptum; sed reipsa mercede vel supplicio consequente penitus vacuum. Quantumlibet enim quis iura omnia diuina, & humana violet, si prædestinatus est ad vitam, eum saluari necesse est. Quare Prædestinatiani *nolunt Dei iura, vel ab studentibus custodiri, vel à negligentibus violari.* Hoc est, superfluum illud existimant, & ad vitam mortémque æternam indifferens. Sunt enim eorum verba in libro Augustiniano. *Quid putatis vos ô fragiles, ô caduci, miseri & mortales homines, si quid bene agitis esse laudandos, aut forte delinquentes, esse damnandos? cùm ideo lex loquatur, vt terrorem incutiat. Ceterum nihil fit, nisi quod voluerit Deus; quem voluerit Deus sanctum esse, sanctus est, aliud non erit: quem præscierit iniquum esse, iniquus erit; aliud non erit.* Quam hæreseos partem eleganter impugnat auctor, exemplo Noëmi, homines ad auertendum diluuium adhortantis: cuius certè prædicatio intra vanum terrorem non stetit. Potuit igitur decretum quale tandem cunque fuit diuinæ prædestinationis, prædicationi cedere, & reuocata per præconem pœnitentiæ pietas, illud ipsum malum amoliri, quod Deus certò nouerat euenturum. *Datis itaque centum annorum induciis processit lex, quæ perituros diceret posse pœnitendo saluari. Si enim prædestinatio finibus suis terminum fixit, iniusta est lex, quæ fines cupit inuadere alienos.* Quæ sic expono. Duo sibi inuicem aduersantur, prædestinatio absolutè, irreuocabiliter, atque ab omni re alia independenter de futuro decernens, qualem faciunt aduersarij: & prædicatio legis, futurum sub conditione constitutum affirmans, vt si ad mandatorum obseruationem reditur, vitari possit. Ergo, si verè immutabilis est prædestinatio, quo iure illam lex prædicata mutare conatur? Sin autem iure, & Deo ipso, qui prædestinationem decreuit, imperante, lex prædicatur, vt per pœnitentiam auertatur diluuium, certò potest prædestinatio reuocari, quod Iona prædicante Niniuitæ fecerunt.

Prædest l. 1. hær. 90.

Idem l. 2. p. 92.

Prædicatio Noë.

Idem l. 3. p. 110.

Prædestinatio prædicationi opponitur.

Pergit auctor. *Ergo vt prædestinationem constituas, tuam illam absolutam, præcepta conuince, da legi repudium, vt regnum prædestinationis inducas. Lex enim imperare omnibus semper voluit, & nunquam vlli seruire.* Natura legis est vt imperet. At eam prædestinatio fatalis vult opprimere. Nam si est irreuocabile, & penitus necessarium ex prædestinatione diluuium, quid tandem efficiet pœnitentiæ prædicatio, etiam à Deo imperata? Num hic est fallentis prouidentiæ ludus, vt prædicando, clamando, ædificando, mortales eò vocet, quò si maximè velint, nunquam in æternum poterunt peruenire? Vt promissis minisq; suadeat stragem cataclysmi conuersione morum auertere, qui si millies conuertantur, si fiant ipsa sanctitate sanctiores, ne Deus quidem ipse facere poterit, vt ea non obruantur? *Eligite nunc Catholici, cui colla subdamus. Si legi, negemus prædestinationem ab imperio suo legem excludere. Quia lex dicit, Custodi præcepta mea, & viues. Prædestinatio autem dicit. Vasa iræ iam aptata in interitum: & vasa misericordiæ, quæ vocantur ad vitam: vtrunque scriptum est: quid nunc faciamus, eligite. Si iam sunt vasa iræ aptata à Deo vt peccent;* (nota determinationem ad medium, vt certò deueniatur ad finem, quæ est mors secunda) *& sunt vasa misericordiæ aptata ad vitam vt viuant, fundamus nos omnes prædestinationis imperio, & legem cum suis prædicatoribus expellamus. Et ne fortè hoc ausu facinoris nouum putetis esse peccatum, fecit hoc ab initio omnis turba peccantium.* Mundo Noëmum contemnente, Iudæis Prophetas suos, Gentilibus Apostolos interficientibus, quòd legem supplicia comminantem prædicarent. *Quæ si voluissent adulationis voce regnum prædestinationis inducere, exclusa lege iustitiæ, nullus fuisset occisus. Illi enim si vos nostri temporis monitores audissent, habuerant illis in his verbis adulando seruire, & sicut vos facitis, per legis eos testimonia malè interpretata decipere.* Est igitur adulatrix prædestinatio, cupiditatum ancilla, deceptrix animarum, scelerum fomes, inimica legis, deliciarum lena, vanissimæ spei mater, auctor desperationis.

Prædestinationis descriptio.

Iam verò quoniam hæc omnia credere mens humana refugit, ac nisi subtilitate quadam molliantur, fidem apud sapientes, & cordatos viros nunquam repertura sunt, aliquo temperamento condiuntur ab hæreticis, dicentibus apud Hincmarum, *quia secundùm præscientiam, Deus homines damnet pro meritis suæ vitæ, quæ non habuerunt morte præuenti, sed habituri essent, si viuerent.* Et licèt piè iustéque vixerint, nihil eis prosit, sed tandiu reseruentur, donec ruant & pereant. Quod ad eorum mentem sic edissero. Difficile quidem est liberum hominis arbitrium negare, si non in omnibus, in plerisque certè, ad quæ gratia non trahit vel inuitos. Certum est etiam, neque legem Dei pulsantem, & docentem interiùs, neque prædicationem exteriùs sonantem, superfluè semper, & in priuatis omnibus actionibus adhiberi. Sed hoc volumus, totam vitæ complexionem, & eius finem, in potestate nostra non esse. *Non est* enim *in hominis voluntate via eius* collectè sumpta, neque viæ terminus, quo ad sempiternam vitam mortémque transitur. Quamobrem, qui sunt prædestinati, quia peccaturos illos aliquando præuidet Deus, ante tempus illud, dum gratia fruuntur, illis periculis subtrahuntur per mortem vndecunque felicem: vt ille qui *raptus est ne malitia mutaret intellectum eius.* Reprobi similiter, qui per spatia quædam, & interualla temporum piè viuunt, ex eo quòd ad interitum præ-

5. Homines damnari pro meritis, quæ haberent si viuerent.

Hincm. L. de Prædest. c. 15.

Sap. c. 4.

destinati sunt, in vita seruantur vsque ad peccatum, quo præstitutam irreuocabiliter damnationem merentur & incurrunt. Infantes quoque vi prædestinationis eiusdem, ante baptismum oppressi, damnantur ad pœnam etiam sensus, ob ea peccata, quæ habituri essent, si diutiùs viuerent. Ceterùm prædicationem Dei iussu susceptam, ipso Deo volente & agente, irritam fieri, vt efficax sit malorum prædestinatio, manifestè docet Isaias, cui post creditam missionem dicitur: *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, ne fortè videat oculis suis, & conuertatur, & sanem eum. Et dixi, Vsquequò Domine? Et dixit, donec desolentur ciuitates.* Nam si priùs conuerterentur, immutabile de eorum ruina decretum vanesceret.

Is. c. 6.

Refellitur error.

Sic illi Deum negantes pium & iustum, vt omnia scientem faciant per præscientiam, & omnipotentem per prædestinationem: quasi in simplicissima perfectionis totius scaturigine, aliqua posset esse inter dotes, & attributa contentio. Pium quidem negant, qui videatur omnibus vitæ momentis insidiari, vt quando ad punctum illud improbitatis deuentum fuerit, statim manum iniiciat, & obtorto collo in ius pertrahat: ne si paulò diutiùs hæserit in terris peccator, consilium mutet, & mentem. Iustum autem, qui non iam factis, sed faciendis, & quidem liberè, pœnam irroget: quòd nemini vnquam tyranno venit in mentem perficere, quod nulla vnquam scriptura futurum prodidit, nulla vnquam historia factum narrauit. At si *miserationes eius super omnia opera eius*. cur hominem non saluat propter opera bona vel præsentia, vel futura, qui damnat propter mala etiam futura? Quàm est absurdum, realis effectus causam, & parentem facere, id quod futurum reipsa nunquam est? Deus, inquis, tandiu reseruat, donec ruant in peccatum. Ecce iam ruerunt innumeri, & eos tamen ad pœnitentiam excitat, impellit, vrget, & per prædicatores clamat, *Nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur & viuat. Si iustus egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, vita viuet, & non morietur.* Quorsum illud totum Ezechielis caput, cui pleraque similia in vtroque testamento reperiuntur, si Deus tempus illud aucupatur, quo damnare eos possit, quos ad pœnitendum inuitat? Neque verò aliud antea prædicauerat Iudæis per Isaiam, quos ab obduratione præuisa ex eorum vitio, per hanc eius denunciationem volebat auocare. *Dices populo huic, audite audientes, & nolite intelligere.* Hoc est, audietis quidem, sed non intelligetis. *Excæca cor populi huius*: id est, prædica excæcatum iri. *Aliud est*, ait Faustus, *quod vult Deus, alind quod permittit Deus. Vult itaque bonum, & permittit malum: præscit vtrunque: iusta, bonitate adiuuat: iniusta, pro arbitrij libertate permittit.* Neque magnum sententiæ tuæ momentum afferunt particulæ illæ *ne*, &, *vt*, quæ his in locis consequentiam loquuntur, non causalitatem. *Raptus est iustus* ætate nondum matura, atque inde factum, ne longiore vita in malitiam, & scelera prorueret. Excæcatus est vitio suo populus: vnde euenit, vt culpa sua conuerti ad Deum noluerit. Obscurior erat Christi prædicatio parabolica; quid ergo mirum si à talibus auditoribus non caperetur?

Ezech c. 18.

Faust. Reiens. l. 2. de grat. c. 3.

CAPVT VII.

Secundum hæreseos caput, circa liberum arbitrium Adami peccato amissum, & de gratia Dei.



SECVNDVS error, qui & ipse primi appendix est, πεισμα perfidiæ, liberum arbitrium in homine nullum esse, perditum quippe primo Adami crimine. Et hanc eius iacturæ causam primam afferunt. *Per præuaricationem itaque primi hominis periit ab hominibus libertas arbitrij.* 2. Quia fides & virtutes ceteræ, opera sunt gratiæ solius, non libertatis humanæ. *Dicunt nullum ad Christi fidem accedere, nisi fuerit à Patre tractus inuitus.* 3. Quia sic definiuit scriptura. *Non est in homine via eius. Cui vult Deus miseretur, & quem vult indurat: Non est enim volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Quid opus est ambagibus? *Nihil fit, nisi quod voluerit Deus.* 4. Quia illud patet experientia. *Et hoc miror*, inquiunt, *quod clausis oculis transitis hostis insidias, vos qui dicitis voluntatem hominis aliquid adquirere posse virtutis: non attendentes, quantæ ruinæ castitatis per diabolum fiant, quantáque crimina concupiscentiæ, auaritiæ, liuoris, ac perfidiæ, quotidie perpetrentur. Si integra enim esset libertas arbitrij, ista non fierent.* 5. Quia Pelagianum est, libero arbitrio aliquas in iustificatione partes tribuere. *Sed vos hæresem Pelagianam iterum renouatis, cùm dicitis, per libertatem arbitrij homines finem ponere posse peccatis: excluditis enim gratiam per libertatem arbitrij. Aut enim libero arbitrio liberamur, aut gratia Dei eripimur. Eligite quid dicatis. Si gratiæ Dei totum dederitis, vnum sapimus: si libero arbitrio, sciatis nos vobis consentire non posse.* Acuti Theologi! qui cùm ad Apostolicum illud oculos intendunt, *gratia Dei sum id quod sum*: nolunt attendere ad aliud, *non ego, sed gratia Dei mecum.* 6. Denique quia *non antecedit arbitrij libertas gratiam Dei, sed antecedit gratia Dei libertatem arbitrij.* Istud cùm verissimè dicatur, & libertatis post auxilium gratiæ operationem contra Prædestinatos ipsos demonstret, in illius tamen pronunciati confutatione auctor implicatus videatur, & obscurus, paulò apertiùs differendum est.

Liberum arbitrium nullum esse.

Prædestin. l. 1. p. 101.

Idem l. 1. hær. 90.

Idem l. 3. p. 111.

Idem l. 2. p. 100.

Ibid. pag. 101.

Sic igitur illud dogma enunciatur ab auctore in Elencho hæresum. *Dicant* (Prædestinati) *ita antecedit gratia liberum arbitrium, vt antè accipiat homo, quàm petat: antè inueniat, quàm quærat: antè ei aperiatur, quàm pulset.* Quod admodum catholicè dictum videtur. Ex aduerso autem disputat scriptor noster. *Nos in isto loco & vobis, & illi qui hæc dicit occurrimus dicentes, antecedit voluntas hominis gratiam Dei. Non enim dixit Dominus, accipietis priùs, & sic petite: inuenietis priùs, & sic quærite: aperietur vobis priùs, & sic pulsate. Sed dixit, Petite & dabitur vobis, &c. Maior quidem est gratia Dei quàm voluntas hominis: sed prior est voluntas hoc loco, quàm gratia.* Exclamat statim aduersarius, in Pelagianum, & hæreticum: at ipse contra sub ad-

Quomodo gratia dici possit prior, & posterior voluntate hominis.

Prædest. l. 1. hær. 90.

Idem. l. 3. p. 150.

uersariorum verbis hæreticum nonnihil latere contendit. *Qui dicitis, antecedit gratia voluntatem, bene sonatis, sed malè percutitis.*

Explicatur auctor Prædestinati. Has ergo tenebras, vt dissipemus, & quod mirum videbitur, scriptorem nostrum hoc loco purgemus ab hæresi, Prædestinatos autem monstremus hæreticos, distinguimus gratiam excitantem, à gratia vocationis perfectæ, siue iustificationis. In priore sensu, omnem primam cogitationem, & instinctum boni, à gratia voluntati aduenire, præclarè auctor asserit, cum catholicis omnibus, ipsísque Prædestinatianis. Nam cùm opposuerunt aduersarij, *Vana est, & infructuosa voluntas hominis. Vanum est humanæ voluntatis arbitrium.* Id non negat, quod omnino negaret Pelagius, sed respondet, *Si ad comparationem diuinæ gratiæ hoc diceretis, vnum diceremus.* Id est, si hac oratione tantùm explicare velletis, quomodo prima gratia comparetur, vobis assentirer. *Non enim humanam voluntatem diuinæ gratiæ præponimus: omnia enim quæ bona sunt, non homini superbienti, sed Deo adscribimus miserenti.* Præuenit gratia, ídque non ex iustitia, sed ex sola misericordia: præponimus non merito tantùm, sed etiam ordine. *In quo consentimus medico, qui nos gratis curare volens, clamat ad nos quotidie, venite ad me omnes, qui laboratis: ideo audis vocantem, vt te exhibeas respondentem. Homo enim si consensum suum à vocatione Dei subtraxerit, perit: qui non fuerit saluatus, aut vocantem contempsit, aut inuitantem renuit; aut ab his, quæ ei abstinere mandata sunt, neglexit.* Alludit sine dubio ad illud celebre, *vocaui & renuistis*, &c. Neque gratiam tantùm excitantem, sed etiam sufficientem agnoscit, cui reipsa voluntas humana resistat. Vocanti siquidem respondere, inuitantem renuere, gratis curare medicum qui dicit, excitare, & præuenire gratiam docet, eámque libertati præponit ordine. *Velle enim nostrum non exclusit gratia, sed incitauit, & dormientem quotidie excitat voluntatem. Ergo & quod vis, Dei est; & quod petis, Dei est; & quod consequeris, Dei est, quia in hac parte anticipat gratia voluntatem.* Si quid aliud vsquam significat, errat.

Ibid. p. 147.

Agnoscit gratiam præuenientem.

Ibid. p. 145.

Prouerb. c. 1.

Vt & sufficientem.

Ibid. p. 152.

Prædestinatiani cooperationem arbitrij negant. Verùm inter litigantes hosce illud non controuertitur, detur gratia quæ præuenire, & excitare debeat voluntatem, an non? Sed de modo quo recipitur illa, quóque agit in homine. Nam cùm aiunt Prædestinatiani, antecedit voluntatem gratia Dei, bene quidem sonant, sed quia gratiam solam excluso omni labore nostro intelligunt, malè omnino percutiunt. *Ideo enim dicitis, antecedit gratia voluntatem, vt homo nec incipiat velle bonum*, vocatus respondendo, *sed expectet vt trahatur*, vel inuitus, vel non cooperans. *Expectet vt nolens fiat bonus, & cùm sit malus, dicat, Deus hoc vult, quia gratia eius ad me non accedit.* Quibus in verbis non vnus error delitescit. Nam si nolens homo fit bonus, vbi est libertas? Si nec incipit velle bonum, etiam vocatus, vbi est cooperatio? Si Deus vult illum esse malum, vbi bonitas, vbi misericordia, vbi sanctitas Dei? Si gratia eius non accedit ad hominem, quoties nec incipit velle bonum, vbi gratiæ illæ sufficientes, & vox Dei exprobrantis, *vocaui & renuistis?* Vides quantò sit noster hic θεολογώτερος, magísque

Ibid. p. 149.

Christianus? Quanto iure meritóque hanc aduersariorum propositionem impugnet? *Quid nunc faciemus de te, qui non petis?* etiam vocatus, inuitatus, excitatus ab anticipante gratia. *Deus te noluit, aut tu noluisti Deum? Deus te noluit esse iustum, aut tu noluisti esse iustus?* Non enim vnquam deserit Deus, nisi antè desertus, ex Augustini, & Ecclesiæ doctrina. *Ideo te interrogo, ô sanctissime prædestinator, vt vnum è duobus facias. Aut enim te fateberis vinci, aut Deum blasphemare conuincêris. Si enim permittis te vinci, dic nobiscum, homo noluit bonum, & ideo malus est: quia si voluerit petere,* (excitatus, & inuitatus, id enim semper intelligendum, quod frequenter expressum est) *dabitur ei gratia Dei,* qua ad perfectam iustificationem deueniat. *Si autem dixeris: ideo malus est, quia Deus voluit* illum esse malum, *non quia homo noluit* esse bonus, *probasti blasphemasse Deum, quem malum velle confirmas: & necesse erit, vt blasphemantem Deum, anathematiset Ecclesia.* Atqui audita est ea nostris temporibus blasphemia, delicatè lapsus suos excusantium, quod tum temporis Dei gratia caruissent.

Ibid. p. 153.

Blasphemia, quòd Deus nolit nos esse bonos.

Datus est ex mera gratia Redemptor. Rursùs ad primam, & generalem nostræ vocationis causam quod spectat, hoc etiam modo, secundùm scriptorem Prædestinati, gratia libertatem antecedit, quòd Deus de cælo descendens venit quærere, & saluum facere, quod perierat. Id autem illustri cum facundia explicat in hunc modum, quem placet totum exscribere. *Non enim nos iuimus ad sanctum peccatores, sed ad peccatores sanctus aduenit: nec nos rogauimus vt veniret, sed non rogatus aduenit: & vt ascenderet ad Deum homo, Deus descendit ad hominem: exinaniuit se, vt nos repleret; humiliauit se, vt nos exaltaret; pauper factus est, vt nos diuites faceret; esuriit panis viuus, vt nos reficeret; sitiit fons perennis, vt nos aridos melliflui, & æterni fontis vnda perfunderet; tentus est, vt nos dimitteremur; ligatus est, vt nos solueremur; venditus est, vt nos redimeret; spineam coronam accepit in capite, vt spinas & tribulos primæ maledictionis eriperet: exspoliatus est, vt nos vestiret: in cruce suspensus est, vt nos à cruciatibus æternæ mortis auferret, damnans de ligno crucis, lignum concupiscentiæ: pandit immaculatas manus, pro manibus incontinenter extensis: pro concupiscentia gustu, esca fellis accipitur, & mors vita pro vita mortis infertur. Nobis enim vicit, non sibi. Semper enim ipse victoriosissimus fuit, est, & futurus est. Hoc loco eum qui dicit, antecedit voluntas hominis gratiam Dei, execramur vehementer.* Istud ipsum est, quod aiunt Theologi, nos Adami peccato, inter cetera, commeritos esse Redemptoris priuationem: neque illum creaturæ vllius merito nobis potuisse comparari: sed mera, & perfectè gratuita Dei voluntate, hanc debiti partem humano generi ante omnia relaxari oportuisse. *In hoc est Caritas; non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris.* Et sic arbitrium nostrum inobedientia protoplasti sauciatum, refecit, & sanauit. *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Quis accusabit aduersùs electos Dei? Deus, qui iustificat,* non homo, licèt non sine homine. Habemus igitur, quod declarandum

Ibid. p. 150.

Illustris oratio.

1. Ioan. 4.

Rom. c. 8.

fuit, libri nostri auctorem Anonymum, Pelagianæ labis expertem, Prædestinatianos autem hæreticos in ea propositione, antecedit gratia voluntatem: gratia, inquam, præueniens & excitans. Idém-ne de conuersa propositione dici potest, antecedit voluntas hominis gratiam Dei?

Qua in re voluntas gratiam antecedat. Idem profectò, si attendimus quid gratiæ nomine velit auctor intelligi. vocationem scilicet perfectam, & iustificationem suis omnibus numeris absolutam, quæ confertur per Ecclesiæ sacramenta, Baptismum, & Pœnitentiam, quæ non dantur inuitis, aut nescientibus, sed volentibus, & petentibus, eóque sensu voluntas, & interiùs concepta, & exteriùs prodita, præcedit gratiam, regenerationis, & reconciliationis. Hunc eius dicti sensum esse manifestè apparet ex ipsius scriptoris oratione. *Prædest. l. 3. p. 146.* *Si salus Dei, non voluntati hominis obtemperat, sed anticipat gratia Dei voluntatem, ostendite nobis quis nolens consequutus sit baptismatis sacrosancta mysteria, & postea cœpit per gratiam velle quod noluit: aut quis vnquam nolens egerit pœnitentiam, & posteaquam reconciliatus est, sic cœpit per indulgentiam.* Et paulò pòst. *Item p. 148.* *Ite cum Catechumenis, & cum pœnitentibus vestris ad omnium Ecclesiarum Pontifices, & si videritis eos nolentibus gratiam baptismatis tradere, aut nolentibus pœnitentiæ imponere manum, sciatis vos esse Catholicos. Sin verò nec baptismatis gratiam ausi sunt tradere, nisi veram & integram explorauerint voluntatem; nec manum imponere pœnitenti, nisi confessionem voluntariam ostendenti, quid insania vestræ vanitate adtracti dicitis hoc loco, antecedit gratia voluntatem?* Ea ratione nemo accipit, nisi qui prior petit: nemo inuenit, nisi qui sic quærit; nemini aperitur, nisi pulsanti: sed hoc ipsum petere ab Ecclesia, & eius Prælatis, quærere, pulsare, interiore instinctu prior Deus dedit, qui inuentus est à non quærentibus, & stetit ad ostium, & pulsauit.

Iterum probatur bonorum operum incuria in Prædestinatianis. Cur autem ista disputat auctor noster, quæ dubia non videntur? Magni videlicet ea sunt momenti ad percipienda duo Prædestinatiani erroris capita, quorum prius est, cooperationis humanæ, & bonorum operum euersio per nouitios illos doctores, expectandæ gratiæ prætextu, inducta. *Ibid.* *Nos in his duobus locis, dicimus priorem voluntatem, quàm gratiam, in baptismatis consequutione, & in pœnitentiæ conuersione: vt non vestro consilio ducti homines incipiant declinare cor suum ad excusandas excusationes in peccatis; dum vnus dicit, si vult Deus, veniat ad me indulgentia peccatorum: & si voluerit me in numero gregis sui addere Christus, fiet.* Audiuimus frequenter, & nos iisdem afflatos nouitatibus, qui dicant, si me Deus conuerti voluerit, certò conuertar: expecto dum victrice gratia compellar ad meliora: & eam interim otiosi in sordibus hærentes expectant. *Huic dicimus, nisi volueris ex toto corde tuo credere, non ad te veniet indulgentia, neque gratia hæc, vt gregis diuini particeps fias. Item in peccatis permanentibus, si dicatur, pœnitentiam agite; adpropinquat regnum Dei: hi cùm dixerint, si Deus dignatur dare veniam peccatis, in eius potestate est: his dicimus, nisi volueritis ex toto corde vestro pœnitentiam agere, ad vos Dei indulgentia nunquam adtinget.* Neque aliter vetus illud dictum intellexerunt maiores nostri, cùm simplici animo enunciabant, facienti quod in se est, à Deo gratiam non negari. Sed aiunt, Trahi oportet ad Christum, cùm ipse dixerit, *Nemo venit ad me, nisi quem pater attraxerit.* *Ioan. c. 6.* Hæc est illa victrix gratia, quam trossuli nostri auidis auribus excipiunt prædicatam: quam prædicantibus, scriptor noster inclamat, *Ideo dicitis hoc testimonium, vt nullus monita Sacerdotum studiosa aure suscipiat, nullus festinet ad matris Ecclesiæ gremium, & duorum testamentorum vberibus coalescat,* hoc est, conciones frequentet, *omnes fugiant domum Dei, & quis ad quod voluerit vitium occupetur: expectans quando mittat manum pater de cælis, vt eum trahat inuitum, & nolentem, atque contradicentem,* prauis saltem operibus, *& non consentientem faciat electum, & sanctum. Hæc vestra adsertio, vestrúmque deprehenditur dogma.* Quo quid perniciosius, & ad pessumdandam hominum salutem, & fouenda peccata efficacius diabolus adinuenit?

Prædest. dogma, homines per gratiam Dei, sine sua cooperatione saluari. De cooperatione humanæ voluntatis, quam iidem Prædestinati denegant, licèt hic articulus cum superiore coniunctus sit, apertiùs tamen tradit Faustus Reiensis, cùm ait, eos deuotæ seruitutis obedientiam non requirere, sed hoc docere, *solam per se gratiam, effectum humanæ salutis operari. Totum, inquiunt, solius est gratiæ;* *Faust. l. 1. de gr. c. 3.* Vt ea ratione humanæ libertatis consensum, & cooperationis laborem excludant. Vnde in epistola sua petit à Lucido, *Idem epist. ad Lucid.* *vt cum gratia Domini, operationem baptizati famuli semper adiungat, & eum qui prædestinationem, excluso labore hominis asserit, cum Pelagij dogmate, detestetur.* Multus est idem Faustus in eo errore conuellendo, per quem non orationis solius, sed omnium bonorũ operum labor expellitur, & profligatur. *Idem l. 2. c. 6.* *Nescio, inquit, vbi, aut quando ab opere feriari, quando otio debeat derelinqui, qui etiam in paradiso iubetur operari.* Sed vrget maximè dicto & exemplo Apostoli. *1. Cor. 15.* *Gratia Dei sum id quod sum; & gratia illius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboraui: non ego autem, sed gratia Dei mecum. Vide quomodo ad gratiæ donum, semper adiungit laboris obsequium. Non ego autem, quia mentionem laboris solius intulerat, citò ad amplexum matris gratiæ recurrit, dicens, sed gratia Dei mecum. Primas partes soli gratiæ piè deuotus adscripsit: media quoque labori, magister obedientiæ deputauit. Quæ prius singillatim distincta protulerat, quàm bene in sermonis fine connexuit?* Subiicit regulam, multis aduersariorum calumniis obuiantem. *Ac sic apud regeneratos, quando gratia sine labore, vel labor sine gratia in scripturis ponitur, supprimitur, non separatur.* Præclarè, & ex catholicorum omnium consensu, qui liberum hominis consensum ex hoc loco stabiliunt, & nostram in bonis operibus cooperationem conficiunt. *Si non esset operator,* inquit Augustinus, *Deus non esset cooperator.* *August. l. de lib. arb. ad Valent. c. 17.* Bernardus autem expressiùs. *Paulus inquit, Non ego, sed gratia Dei mecum. Præsumens se non solum operis esse ministrum per effectum, sed & operantis quodammodo socium per consensum.* *Bern. l. de gr. & lib. arbitr.* *Denique & Paulus de se pronunciat. Dei adiutores sumus.* *1. Cor. 3.* Contra hæc pronunciat Theodorus Beza, *ineptos esse sophistas, qui ex hoc insigni loco ineptè conuerso, volunt liberi arbitrij meritum stabilire.* At sophistæ illi, Patres

sunt omnes, quibus Beza scilicet sapientior est: inepta conuersio, Verus est, Ecclesiæ toti ad vsum ab antiquo proposita, quam Grammaticus identidem vellicat. Denique concludit Faustus noster, demonstrando præcipitium in quod sententia illa libertatis peremptrix corruit. *Dumque laboris seruitium, & orandi causas adimis, ianuam salutis humano generi intercludere te agnosce, & dum Pelagij impietatem noscis refugere, ad Manichæorum dogma pestiferum, qui liberum arbitrium totum denegant, te intellige declinare.*

Faust. cit.

Manichæorum est liberum arbitrium negare.

Posterior consequentia quam ex loco Prædestinati colligimus, est, homines per Ecclesiam ad baptismum, & ad pœnitentiam esse cogendos: electos certè, & prædestinatos; nam id in reprobis fuerit superfluum. Vt quemadmodum gratia interiùs vel inuitos & nolentes trahit, ne prædestinatio Dei fiat irrita; sic & Ecclesia non volentes, imò nolentes baptizet, & reconciliet, quia illud ad perficiendam prædestinationem est necessarium. Dicente nimirum Augustino, *compelle intrare, inueniatur foris necessitas, nascetur intus voluntas.* Quam insania vanitatem explodere facile foret, nisi nos in næniis istis diutiùs immorari tæderet.

Non volentes ad baptismum, & pœnitentiã esse trahendos.

CAPVT VIII.

Prædestinatianorum error tertius circa voluntatem Dei saluandi homines.

Non omnes homines vocari à Deo.



ERTIVS Prædestinatorum capitalis error, alius est eiusdem trunci stolo, non humanæ tantùm saluti, sed etiam diuinæ pietati oppositus. Non omnes homines ad vitam vocari à Deo, sed prædestinatos solos. Quod argumentis putant stabiliri. 1. Quia Dei eligere est; ergo & vocare quos elegit. *Et nos culpatis quia dicimus, non vocantur, nisi prædestinati. Antecedit enim gratia Dei voluntatem hominis.* 2. Quia non prædestinati licèt maximè velint, non possunt omninò saluari: cui bono igitur eorum vocatio, quæ necessariò irrita futura est? 3. Quia *omnes quos scit dignos salute redemptionis suæ Deus, hos ad salutem prædestinauit: & hos tantùm saluat, quos se ad salutem prædestinasse cognoscit:* vnde sequitur, vt & hos tantùm vocet, cùm salus vocationem, vocatio prædestinationem consequatur. Hîc autem quæro ab hæresi loquente pugnantia, qui sint illi *prædestinati* à Deo, quia *scit dignos salute?* quando dignos? per quid dignos? nam si antè sunt digni, quàm prædestinentur, gratiam antecedit libertas arbitrij; & Deus personarum acceptor est; & ex operibus, non ex vocante dicitur, *Iacob dilexi.* Vbi igitur illa generis humani massa damnata, si homines aliquos in ea videt & scit dignos, qui prædestinentur, antequam reipsa prædestinentur? vbi merè gratuita Dei electio, si ex parte sua dignitatis aliquid attulerunt eligendi? Quid hîc Augustinus quem tantoperè iactatis? imò quid Apostolus cùm comparatione sua figuli, ex eadem massa luti vasa in honorem, & alia in contumeliam facientis? *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit,* non vidit, non sciuit, *partis Sanctorum in lumine.* Respondent scire, & præscire dignos per gratiam futuros. *In opere enim suo Deus omnes homines antè prævidit, & quid vnicuique competeret, prævidendo constituit: & quia præsciit cunctorum generaliter gesta, antequam fierent, merita disponendo, quasi facta conspexit.* Merita ne dixeris, sed gratiam meritorum parentem, quæ ex illa certò, etsi liberè secutura præuidet. *Et idcirco res quasi oculatas, & sibi in manifesto positas, tunc quando præsciit, prædestinauit, & constituit qui conformes fierent imaginis filij eius.* Præclarè, & ad eorum Theologorum sententiam commodè, qui post futurorum meritorum præuisioné censuerunt eligi, & prædestinari homines ad gloriam. Qui sunt igitur illi, quibus hæc opinio Semipelagiana videtur, quam eorum maiores absolutæ prædestinationis assertores, Pelagianorum hostes infensissimi amplectuntur, & tantò antè significant? *Non enim per acceptionem personæ, sed per præscientiam Deus prædestinationem suam fixit atque constituit. Iam quos præsciit nullo modo conuerti, hos prædestinauit ad mortem: quos præsciit omni modo conuerti, hos prædestinauit ad vitam.*

Prædest.l.2. p. 58.

Ibid. p. 98.

Coloss. c. 1.

Agnoscunt decerni gloriam meritis prævisis. Ibid. p. 91.

Ibid. p. 93.

Ceterum illam hæreticorum propositionem, non omnium esse vocationem, sed tantùm prædestinatorum, eo potissimùm argumento, confutat auctor, quòd veteris nouique Testamenti scripturæ omnes, omnibus gratiam offerant, omnes ad creatoris cognitionem, & pœnitentiam vocent, omnes ad studia virtutum impellant. Est enim vox Christi. *Venite ad me omnes. Hic qui clamat, vt omnes ad eum veniant, ignorauis doctrinam vestram. Nam non diceret, venite ad me omnes: sed diceret, veniant ad me qui sunt prædestinati ad salutem, vt saluentur: recedant à me, qui sunt prædestinati ad mortem, vt puniantur.* Sic Apostolus *legis peritus noster, omnibus se omnia factum dicit, vt omnes lucrifaceret: & videns quia omnes homines vult Deus, non tamen omnes homines Deum volunt, futurum iudicium memorans, clamat dicens, Omnes nos oportet manifestari ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bona, siue mala.* Valida ratio. Omnes homines, etiam qui non venerunt, rationem reddent, Christo iudici; sunt igitur à Christo vocati; non enim ad eius tribunal pertinent, si tanquam alieni sunt ab eo neglecti, nulla prædicatione conuenti, nullo imperio constricti. Ac licet satis aperta videatur Pauli denunciatio, *vult omnes saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Quia tamen identicæ propositionis calumnia potest ab obstinatis eludi, Petrus eam aliter concipit, *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Non vult aliquos perire, hoc est, neminem vult perire, ergo omnes vocat ad pœnitentiam, non eos tantùm, quibus scribit Apostolus Princeps: nam Dei patientiam ad mundi finem extendi eam vnam ob rem docet. Vetus quoque testamentum gentes omnes ad audiendum inuitat, *Audite hæc omnes qui habitatis orbem, quique terrigenæ, & filij hominum, simul in vnum diues & pauper.* Itaque *Prophetæ, omnes vocant, Apostoli; omnes vocant, Christus, omnes vocat, in toto orbe terrarum Sacerdotes Dei innumera-*

Ex prædicatione error ille conuincitur.

Prædest. l. 3. p. 145.

Ibid. p. 149.

2. Cor. c. 5.

1. Timoth. c. 2.

2. Petr. c. 3.

Psalm 48.

Prædest. l. 3. p. 124.

biles, omnes vocant ad gratiam, & ad misericordiam Dei, & ad indulgentiam: soli duo aut tres homunciones, cæcum habentes æor, egrediuntur cum his libris Apostaticis, quos viri Catholici esse confingentes, totum vulnerant mundum, quibus nouum blasphemiæ genus inducentes, dicunt, quòd Deus non omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: atque loci huius obscuritatem passi, tanto lumini, támque immenso splendori, tenebrarum suarum volunt inferre caliginem. Quòd duos aut tres homunciones nominat, non est conuicium, aut mera paucitatis sectariorum exprobratio, qui vel pauci, nimis sunt: sed nobile illud argumentum, quo tractatores controuersiarum communem Ecclesiæ orbe toto diffusæ consensum, exiguo secus sentientium manipulo, solent opponere. Sic olim Pacianus Nouatianos alloquebatur. *Ecclesia plenum est caput, & corpus, & solidum, & toto iam orbe diffusum: sicut ciuitas, inquam, cuius partes in vnum: non vt vos estis Nouatiani, quædam insolens portiuncula, tuberque collectum, & à toto corpore separatum.* Et de Fortunato, Nouati satellite, eiúsque factione scribebat Cyprianus, *Denique si nomina ab eis quæreres, non haberent vel quos falsò nominarent: tanta apud eos etiam malorum penuria est, vt ad illos nec de sacrificatis, nec de hæreticis viginti quinque colligi possint: & tamen ad decipiendas aures simplicium, & absentium, mendacio numerus inflatur; quasi etsi verus esset hic numerus, aut ab hæreticis Ecclesia, aut ab iniustis iustitia vincatur.*

Paucitas sectariorum. — Pacian. ep. 3. ad Sympron. — Cyprian. epist. 55.

Eadem opinio ex eo confutatur à Fausto Reiensi, quòd gratiam suam omnibus offert Deus, omnes ergo vocat. Aiunt illi quidem iis tantùm dari gratiam, qui trahuntur à gratia, & efficaciter, etiam inuiti, coguntur operari: sed illud à veritate prorsus alienum est. *Nemo inquit venit ad me, nisi Pater, qui me misit, attraxerit eum. Quis tam immemor salutis suæ sit, qui attrahentis misericordiam negare præsumat? Sed ille verè impius est, qui eam non omnibus ingeri, non omnibus testatur impendi. Hoc loco attracti salutem, attrahentis putat esse violentiam. Apparet illum non nosse nisi catenas obnoxiæ seruitutis, qui deuota nescit vincula caritatis.*

Ex gratia omnibus oblata. — Faustus l. 1. de grat. c. 17.

CAPVT IX.

Prædestinatianorum quartum caput circa Redemptionem Christi, & Ecclesiæ Sacramenta.

QVARTVM errorum caput Prædestinatiani in taxatione sanguinis Christi posuerunt, dum Iesum Christum pro omnibus hominibus passum, & mortuum esse negauerunt; ea decepti ratione, quòd infinitum tanti operis meritum eorum numero, qui reipsa saluantur, circumscriberent. *Cùm autem pro omnibus mortem filij eius legitis, miror quomodo, omnes, intelligatis, cùm paucos vix ad salutem cernatis attingere.* Addúntque, in scriptura plerumque, *omnes*, nihil plus quàm *partem maximam* significare. Verùm cùm *multos* in Euangelio *vocatos* legunt isti, *paucos* autem *electos*, pergúnt-ne asserere, solos ad vitam prædestinatos vocari? Et ratio quæritur, etiam in malis. Pars maxima, inquiunt, prædestinatur absolutè ad malum culpæ & pœnæ: illis hinc iam si maximè velint, non licet esse, & mori non improbis; quam igitur ob rem eos vocet Deus, quò peruenire omnino non possunt? & cur pro illis moriatur Christus, si vocandi, si saluandi non sunt? Atque vt Dei omnipotentiæ faciunt iniuriam, qui credunt prædestinatos ad mortem, posse viuere; sic in sanguinem Christi peccare dicendi sunt, qui frustra fusum putant pro morituris: quasi aut irrita fuerit Christi destinatio, aut pretium inæquale numero captiuorum. Sed huic rationi eodem persoluti pretij exemplo rectè Faustus occurrit. Legatus aliquis, aut Sacerdos, vrbem captiuam à victore redimit numerato pretio, etiam ampliore quàm belli iura, & miseria captiuorum exigerent: omnibus parata gratia est, omnium solutav incula. Si qui tamen sunt in illis quibus sua placeat seruitus, & hosticum patriæ suæ anteferant, an quicquam de beneficij gratia, de pretij amplitudine, de redemptoris magnificentia detrahunt? *Quinimo sicut redemptori gratus potest esse, qui rediit, ita de contemptu reus est, qui remansit. Volentes enim redemit, voluntatum remunerator: iustus enim arbiter Deus voluntarium cupit redire, quem non inuitum meminit corruisse.* Et vt breuiter Prædestinatus noster, *qui venerit, imputabit diuinæ clementiæ, prædestinanti pariter, & vocanti: qui autem non venerit, imputet suæ negligentiæ, contemnenti pariter, & nolenti.* Plura non affero, quia hæc propositio à Catholicis postea disputantibus quomodo sit emollita, dicetur alibi. Tantum enim horroris aspectu primo in animos Catholicorum iniecit, vt ea producta ex omnium sensu dixerit Faustus, *Hoc omnimodis catholica detestatur Ecclesia.* Et Prædestinatus ea ex libro Apostatico vt vocat, recitata, exclamarit; *Nullum in libro vestro locum sine blasphemiis inuenimus.*

Christum pro omnibus non esse mortuum. — Prædest. l. 1. p. 100. — Matth. c. 20. — Faustus l. 1. c. 16. — Prædest. l. 3. p. 174. — Faustus l. cit. — Prædest. ib. p. 188.

Hæresis eadem leui flexu, à Christi redemptione & sanguine, ad sacramenta progreditur, perniciosiore tamen blasphemia. Nam si non omnibus, aliquibus certè prædestinatis, & electis vtilem voluit esse passionem: at baptismum futilem, & omnibus modò inefficacem esse pronunciat, idque duobus articulis explicat. Primus est, effectum baptismi, qui est peccatorum remissio, non reipsa dari, sed tantùm in spe, siue promitti. *Dicunt, omnia non in re, sed ita in spe fieri, vt quod dicit Apostolus, spes quæ videtur, non est spes, etiam hoc mysteriis applicent dictum, & dicant, ea quæ percipiuntur, videntur quidem esse, sed non sunt.* Quod cùm sit obscurius, sic alibi auctor idem exponit. *Damnabilitas etiam eius* (libri) *eousque peruenit, vt vniuersa mysteria Saluatoris euacuet. Dicit Baptismum Christi fructum vllum penitus dum traditur, non habere. Spes, inquit, quæ videtur non est spes, id est, remissio peccatorum; & quicquid in præsenti promittitur, non est, quia in futuro seruatur: hic tamen, id est; in hoc mundo, non accipitur. Dicit enim Apostolus, Spes quæ videtur, non est spes.* Idem intellige de Pœnitentia, quæ remissionem peccatorum non conferat, sed futuram promittat. Qua igitur ratione

Baptismo non sanctificari reprobos. — Idem l. 1. hær. 90. — Idem l. 3. p. 102.

tione prædeſtinati illi qui perire non poſſunt, iuſtificantur? Quomodo transferuntur ad vitam, ſi iuſtificationem, & caritatem *in hoc mundo non accipiunt?* Huic quæſtioni quomodocunque ſatisfacere ſe putant apud Fauſtum, diſtinguendo peccantes poſt baptiſmum, atque inde perituros, ab iis qui baptizati, gratia & prædeſtinatione Dei ſaluabuntur. Priores enim aiũt, effectu baptiſmi carere, quia ad eum ſine fide acceſſerunt. *Quicunque, inquis, poſt baptiſmum pereunt, in Adam pereunt, quia in baptiſmo non crediderunt.* Quid eſt *in Adam?* originali macula nondum deleta. Quid? inter Galatas baptizatos, ac deinde ſeductos, faſcinatos, inſenſatos, neminem putas prædeſtinatum fuiſſe ad interitum? At omnibus tamen ex æquo prædicat Apoſtolus: *omnes enim filij Dei eſtis per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu: quicunque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Idem potuit Corinthiis ſcribere, apud quos zelus & contentio, ebrietas & inceſtus, ſacrilega Euchariſtiæ participatio reperiebantur, ob quam *dormiunt multi* hoc eſt, mortui ſunt, & perierunt. *Quomodo ergo fieri poteſt, vt innouatus homo, deletam veteris hominis cautionem ſecum retineat? Quomodo fieri poteſt, vt cum debito Adæ in Chriſto abſolutus reſurgat? Quomodo fieri poteſt, vt de ſacri fontis irriguo, cum adoptiuo Dei adhuc mortem vita parturiat?* Da mihi prædeſtinatum tuum ad vitam, qui poſt baptiſmi gratiam perdiu in criminum cœno volutatus, ad extremum trahitur inuitus, nolens fit bonus, & moritur: da prædeſtinatum ad mortem, qui perceptam baptiſmo ſanctitatem ſtudioſè conſeruat, orationibus, vigiliis, ieiuniis, bonis operibus perpetuò intentus, ac tandem vincente infirmitate labitur, & perit: quid cauſæ eſt cur illum potiùs, quàm hunc credidiſſe in baptiſmo, & originis peccato mundatum fuiſſe aſſeras? Quid eſt autem *in baptiſmo credere?* Cum fide ad baptiſmum venire. *Quia hoc ipſum ad baptiſmum venire, & ſalutem deſiderare, iam fidei eſt.* At *nónne tu paulò antè dicebas, ad capeſſenda Dei dona ſtudium hominis non requiri? Ecce tu ipſe manifeſtiſſimè profiteris, ſine accipientis deuotione, irritam eſſe munificentiam largientis? Tu, inquam, ipſe confirmas, ſine merito fidei, Id eſt, ſine cooperatione voluntatis humanæ, gratiam nihil prodeſſe, & quomodo dicis, totum ſibi Deus de ſtatu hominis reſeruauit, & nihil homini dedit?* Ita Fauſtus Reienſis.

Fauſt. l. 1. de grat. c. 15.

Galat. c. 3.

1. Cor. c. 11.

Articulus alter, quo inutilitas baptiſmi à Prædeſtinatianis conficitur, eſt lex illa membrorum legi mentis contraria, quæ aquis luſtralibus non extinguitur. *Dicunt, plus obfuit ad nocendum Adam generi humano, quàm Chriſtus in ſubueniendo. Nam Adam, aiunt, quòd nocuit ita manet, vt hoc nec paſſio Chriſti, nec baptiſmatis ſanctificatio poſſit auferre.* Præcedentis propoſitionis conſectarium iſtud eſt, vt putant, cùm ideo ſpe, non re, per baptiſmum nos dicant eſſe ſaluatos, quia *baptizati iterum carnaliter concupiſcunt, & illos motus corporis patiuntur, quia ſpe non re conſecuti ſunt inſtaurationis auxilium: Si enim re conſecuti fuiſſent, poſt baptiſmatis gratiam non eſſet peccati poſſibilitas, nec voluntas. Verùm quia virtus baptiſmatis tanta eſt, vt vniuerſa peccata deleat, pullulatio tamen peccatorum baptiſmatis vnda non abluitur.* Rem demonſtrant exemplo: *Motus ille ita remanet in baptizato, ſicut radix capilli, cùm fuerit nouacula in ſuperficie emundatus & raſus. Raſus enim eſt vt emundaretur locus, non eſt eradicatus, ne vlterius naſceretur. Si enim ex integro per baptiſmum omnis præuaricationis Adæ fragilitas tolleretur, baptizati omnes nullo caloris motu traherentur ad crimina, nullus ſordibus inquinaretur humanis, nullus concupiſcentiæ ſtimulo pungeretur. Sed quia ſpe ſalui facti ſumus, quod adhuc non videmus, per patientiam expectamus.* Eminent hîc quædam obſeruatu non indigna. Nam in primis fatentur iſti baptiſmo vniuerſa peccata deleri; quid igitur antè de originali negauerunt in reprobis? Deinde radi aiunt per baptiſmum peccati caput, non eradicari. Hoc verò baptizatis omnibus commune eſt, non ſolis reprobis priuatum. Quare ſi relicta concupiſcentia minorem oſtendit paſſionis efficientiam ad ſaluandum, quàm Adami ad perdendum, non magis prædeſtinatos integrè ſaluauit Chriſtus moriens, quàm reprobos. Tertiò, non vident illud optare ſe, quo diſcrimen omne inter prædeſtinatos & reprobos, ſaltem in baptizatis auferatur. Cupiũt enim per baptiſmi gratiam tolli poſſibilitatem, & voluntatem peccandi: hoc facto quis baptizatus poterit à Deo iuſto reprobari? Quin etiam Deum arguunt, quod baptiſmum non fecerit humanæ viæ terminum, & Chriſti mortem vt mancam, & infirmam blaſphemant, quòd id facere non potuerit. Quis eſt enim viæ terminus, niſi quo in felicem ſtatum intramus, quo peccatum neque velle, neque poſſe liceat? Spem igitur in baptiſmo, non rem accipimus, quę eorum eſt interpretatio. A quo? à Deo, cuius gratia & baptiſmum. Qui? Baptizati omnes. Ergo & reprobi, qui quicquid conentur & agant, re ſalui eſſe non poſſunt. At quomodo poteſt bonus Deus ſpé ſalutis illis concedere, quos abſolutè, antecedenter, & irreuocabiliter conſtituit perdere? Fauſtum Reienſem grauiter reprehendit Diſſertator noſter, quod Deum dicentem audiens, *ſi gens illa pœnitentiã egerit pro peccato ſuo, & ego pœnitentiam agam ſuper malo, quod locutus ſum, vt facerem ei.* Comminationem illius mali, voce minimè Deo conueniente *pium mendacium* appellauerit: *optat iudex miſericors, cæleſtis decreta conſilij pio immutare mendacio, ſi reus medicinam feſtinet adhibere peccato.* Quantò turpiùs Deum mendacem faciunt abſolutæ prædeſtinationis auctores, qui ſpé eius rei hominibus infundat, quam conſequi quolibet conatu & labore omnino non poſſint?

Plus nocuiſſe Adamũ, quàm Chriſtus profuerit.

Præd. l. 1. hær. 90.

Idem. l. 2. p. 102.

Ierem. c. 18.

Fauſtus l. 2. de gratia c. 10.

Cur autem minùs potuiſſe dicitur Chriſti redemptio, quàm Adami præuaricatio? Quia concupiſcentiam non eradicat ab Adamo inductam. Hoc eſt dicere, quia poſt baptiſma poſſumus, & velle, & operari malum. *Et cui habebat dari lex Dei, ſi poſſibilitas mali fuiſſet ablata? aut quis de cuſtodia mandatorum Dei præmium peteret, ſi præuaricari non poſſet? ſicut nec mutus de taciturnitate, nec ſpado de virginitate laudatur. Carent enim laude in bono, quibus ad malum tranſitus denegatur.* Quid eſt enim concupiſcentia, niſi cos virtutis, vigilantiæ mater, cuſtos humilitatis, materia patientiæ, gloriæ & triumphorum ſeges? quàm facile fuerat Deo, vel eam tollere funditus, vel ligare, vt loquuntur, ſi cælum vile & parabile eſſe voluiſſet? Vide Apoſtolum quo nihil Deo gratius; in tertium cælum ita rapitur, vt ab Angelo ſatanæ nihilominus colaphizetur, id eſt, concupiſcentiæ motibus vehementer agitetur.

Cur relicta ſit homini concupiſcentia.

Prædeſt. l. 3. p. 105.

Displicet nimirum tumultus ille viro perfecto, & eum stimulum retundi extremis precibus orat, nec impetrat. Quidni? Quia *virtus in infirmitate perficitur*, quantò grauior est infirmitas, & tentatio, tantò fortior, & tibi à me donatur, & apparet mea virtus, & fortitudo. Quare ne postula liberari tentatione, sed vtere gratia. *Sufficit tibi, Paule, gratia mea.* Quantò negatum est vtiliùs, vt mereretur, potentiùs vt vinceret, tutiùs ne extolleretur? Est enim Paulo *datus hic monitor ad premendam superbiam; vti in curru triumphali, triumphanti datur monitor suggerens, hominem te esse memento.*

Humana libertatis ratio descripta à Fausto Reiensi. l. 1. de grat. c. 10.

Ad hunc locum, imò ad præcipua omnia sectæ Prædestinatianæ capita referri potest ingeniosa Fausti Reiensis prosopopœia, qua virtutes diuinas quatuor in hominis fabrica occupatas inducit; ostensurus illum iustissimè, etiam cum abusus periculo, ratione & libertate fuisse donatum. Potentiam quidem operi præsidentem, hominem proposuisse faciendum: requisiisse Sapientiam, vt munerum & opum cælestium capax subiectum fieret. At Potentiam Præscientia comitatam, extimuisse ne periret, & inclinaret in malum, si libero arbitrio donaretur: tollendam igitur ab eo peccandi potestatem, vt opus esset perpetuum. Huic consilio repugnasse Iustitiam, & voluisse talem fieri, *quem in dexteram non trahat necessitas, sed voluntas, qui mandata custodiat voluntarius, & periclitari non possit inuitus. Cui custodia precepti, aditus sit, & causa premy. Cooperante adiutorio, etiam suo opere fiat dignus, & cum bona conscientia, sit beatus. Nam nisi fuerit tribuentis iusta liberalitas, non erit accipientis perfecta felicitas.* Ita demum hominem à Deo factum, cuius Potentiæ fuit, vt immortalem ex nihilo conderet; Sapientiæ, vt capacem rationis efficeret: Bonitatis, vt ad beatitudinem præpararet: Iustitiæ, vt non antè eligeret, quàm probaret. hoc est, præsciret qua se ratione in probatione, inter virtutem, & vitium medius, cum gratiæ adiutorio gereret. Præuisionem enim meritorum prædestinationi præponit Faustus, quod & multi Scholastici.

fort. leg. mortalem

Dogmata Prædestinatianorum collecta.

Habes, lector, hæreseos Prædestinatianæ tabulam, ex auctore Prædestinati, & Fausto Reiensi fideliter expressam, quæ duodecim articulis, velut totidem cornibus, pietatem omnem, & salutis nostræ studium ventilat, & prosternit. Affirmat enim 1. Sic homines singulos absque vlla futurorum meritorum consideratione à Deo, absoluto, antecedente, immutabili decreto ad vitam aut mortem sempiternam prædestinari, vt omnino damnari non possint, aut saluari. 2. Et quia ad illum finem per media opera peruenitur, ad ea ipsa sic prædestinari, vt neque boni, neque mali tales sint, quia esse volunt, sed quia illos Deus esse vult. 3. Quamobrem eos saluari aut perire, nolentes & inuitos oportet, ex mera Dei voluntate antecedente; & si quibus præsentia peccata desunt, ob quæ pereant, damnari etiam ob ea, quæ patraturi essent, si diutiùs viuerent in terris. 4. Cui bono igitur virtutis studium, aut fuga vitiorum, nullam paritura mercedem? 5. Cur leges, & præcepta nobis imponit Deus, eáque per Prophetas, & Apostolos prædicari iubet, præmio pœnáque propositis, nihil aliud quàm vanum terrorem in superstitiosis mentibus ingeneratura? 6. Iam si nihil fit, nisi quod voluerit Deus, libertate arbitrij nostri caremus. 7. Totum ergo salutis nostræ negotium est solius gratiæ, sine labore, & cooperatione nostra, inuitos etiam attrahentis. 8. Quare cùm absoluta prædestinatio in opus reducitur, non omnes homines à Deo vocantur ad vitam, sed soli prædestinati. 9. Non enim pro redimendis omnibus sanguinem profudit Christus, sed pro solis prædestinatis. 10. Neque qui lauacrum regenerationis intrant, sanctificantur omnes, sed soli prædestinati. 11. Quanquam neque hi ipsi modò, hoc in seculo baptismi fructum percipiunt, sed tantùm spem in futuro possidendi: qua spe careant necesse est, qui ad mortem prædestinati sunt. 12. Vnde patet humano generi plus nocuisse Adamum peccando, quàm Christus moriendo profuerit: maximè si concupiscentiam præterea spectamus, inductam ab Adamo, non sublatam à cruce Christi, aut nostro baptismate. Et de veteribus Prædestinatis hactenus: reuiso Gotteschalcum.

CAPVT X.

Ventum ad exponendam Gotteschalci doctrinam, & nonnulla in eam rem prænotata.

Veras Gotteschalci opiniones nosse difficile est.

DEVENIMVS tandem ad præcipuum huiusce operis articulum, veras scilicet, & germanas Gotteschalci opiniones, quas patronus Dissertator, *sanissimam & diuinam doctrinam* appellat, multùm dissentientibus Rabano & Hincmaro, cum Conciliis suis. Fuit autem necessaria Prædestinatianorum veterum consideratio, vt imaginem æstimaremus de prototypo, & reexorti Prædestinatiani placita, de primis sectæ architectis intelligeremus. Nam licèt à maiorum suorum vestigiis aliquantùm recesserit Gotteschalcus, vt est hæresis suæ credulitatis arbitra; ab iis tamen accepit nouator animus vnde erraret. Verùm sentio quàm difficilem in locum, obscurúmque deuenerim, quando primum, & præcipuum controuersiæ caput est, in quo sita sit controuersia? Ita suo se atramento sepsit hæretica sepia. Est igitur eas in tenebras immittendus aliquis lucis radius, qui sapientium iudicio probetur, non partium odio respuatur.

Sua dogmata tegunt haretici.

Obscuritatem faciunt duo. Ipsa primùm hæresis, opus tenebrarum, quæ adhuc tenere lucem fugit, quia informis est; faciem mutat, quia teneri metuit; ne attentiùs spectata, verùm de se fateri cogatur. Hinc fraudulentæ illæ, & insulsæ æquiuocationes Arij à Constantino interrogati, credere se sicut scripserat: non ea quam tradebat charta; sed quam gestabat sinu reconditam. Pelagij, gratiam Dei necessariam ad bona opera coram Palæstinis Episcopis confitentis: sed eam gratiam in donis naturæ diuinitùs concessis subdolè ponentis. Arianorum, Verbum non esse creaturam,

Socrat. l. 1. hist. c. 25.

ſicut ceteras: quo dicto creaturam eſſe non negabant. Hinc & illæ variæ fidei profeſſiones Coſſ. & diebus notatæ, verbis compoſitæ, in ſpeciem ita orthodoxæ, vt plurimos, eóſque non è ſimpliciſſimis deluderent. Quid dicam de frequentibus opinionum mutationibus, temperamentis, expoſitionibus, dum pro loco, próque tempore negant, ſilent, mitigant, implicant, quæ antea, & alibi apertè protulerunt? Hos Proteos, quis teneat & alliget? Quis illam Orci galeam deripiat? Quis camelis iſtis gibbum ſuum oſtendat in limpida?

Quomodo id factum à Gotteſchalco.

Qui Gotteſchalcum diligenter ſpeculabitur, Patriarchis ſuis candidiorem, & in ſe tegendo minùs ſolertem non deprehendet. Teſtis eſt duplex illa Confeſſio, qua Diſſertatori patrono non tantùm innocens, Catholicus, Auguſtinianæ doctrinæ ſtudioſus; ſed etiam Chriſtianæ humilitatis, & caritatis inſignibus ornatus apparet. Et is quidem, ſi magiſtrorum ſuorum dogmata ab inferis omnia excitare voluiſſet, confecta res erat: Prædeſtinatiani titulus totam hæretici proderet officinam. Sed ad innouandum, eodem quo illi progreſſus ingenio, illos eadem libertate, & vanitate nonnunquam deſeruit, qua ipſi Eccleſiam. Hæc prima, ſed non potiſſima obſcuritatis cauſa, quæ maiorem vim accipit à duplice ſtatu hæretici, cuius maximam hoc loco rationem habere cogimur. Nam ante Concilia duo recenſita, imò in ipſis Conciliis, puram putam hæreſim aperta fronte, nuda oratione præ ſe tulit: inde æquiſſimo omnium iudicio ſine hæſitatione damnatus. Verùm deinde Phryx plagis ſapuit, & vel ſuo malo, vel amicorum conſilio edoctus, opiniones non mutauit, ſed cautiùs celauit; neque ſenſa catholica aſſumpſit, ſed verba fucum factura catholicis: & hoc denique apud credulos euicit impoſtor, & pertinax, vt ob ea damnatus videretur iniuria, quæ ſenſus à fide non alieni eſſent capacia. Itaque quàm modò in eius mentem penetrare neceſſarium eſt, tam operoſum veritatem inuenire, cùm & priora eius ſcripta perierint, & poſterioribus contecta ſint. Supereſt ergo, vt iſtorum verba, ad illorum ſenſum reducantur, & quocunque ſe modo explicet, & loquatur, intelligamus ſemper malè ſentire, qui nunquam hæreſes retractauit.

Duo tempora in eo conſideranda.

Scriptorum interitus obſcuriorem facit diſputationem.

Altera obſcuritatis, & laboris noſtri parens eſt ſcriptorum penuria, & interitus, qui partes omnes quæſtionis in vtranque paginam diſputatæ, plurimùm illuſtrarent, ſi temporum iniuriæ ſupereſſe potuiſſent. Nam præter Gotteſchalcum, quem ex paucis opuſculis poſt damnationem ſcriptis ſemicognitum habemus, ingens opus Hincmari de Prædeſtinatione, libris tribus expoſitum, quanto diſceptationis damno excidit? Liber ille ad Recluſos & ſimplices, probatus à Rabano, Gotteſchalci aſſertionibus oppoſitus ex aduerſo, & plura alia monumenta, quibus enumerandis ſufficere non potuit Flodoardus, ſi modò extarent, claro meridie diſputaremus. Non enim dubito, quin tam fuerit Hincmari ſcriptis notus Gotteſchalcus, quam Publ. Clodius, & Catilina Ciceronianis. Qua obſeruatione argumentum illud euertitur, quod pro validiſſimo habet Diſſertator, quódque libro ſuperiore negatiuum, & infirmum vocabamus. Nihil mali, & erroris obiici poſſe Gotteſchalco, quod in opere poſteriori de Prædeſtinatione, & in epiſtolis Hincmari, non legatur. Nam cùm in opere iſto Poſteriore, non tam aduerſùs Gotteſchalcum, quàm contra Collectorem quendam pro ſe diſputet: in priori autem, teſte Flodoardo, *maximè contra Gotteſchalcum atque Ratramnum Monachum Corbeienſem* egerit, nónne credibile eſt innumera ex vtroque aduerſario fuiſſe producta, & in hoc ingenti volumine poſita, quæ deinde repeti, & eandem crambem recoqui neceſſe non fuit? Falsò, inquit, abſurdæ ſententiæ adſcribuntur Gotteſchalco ab Amolone, & Hincmaro, quando illæ neque Confeſſionibus duabus Gotteſchalci, neque fragmentis eius ab Hincmaro collectis, continentur. At tu, omnia quæ Gotteſchalcus perperam ſcripſit, eſſe ab Hincmaro collecta; vel omnia, quæ ſunt ab Hincmaro collecta, illis quæ ſuperſunt operibus exprimi certiſſimis argumentis, quæ promittis, conficere debes, ſi negatiuo illi virium aliquid ineſſe deſideras. Puta ſic agere me pro Ario hæreticorum funeſtiſſimo. Blaſphemiam in Dei filium non protulit Arius. Illa enim in eius ſcriptis oſtendi non poteſt, neque illorum temporum hiſtoricus Euſebius eam commemorat. Sed recitat non ſemel Athanaſius. Quid tu mihi Athanaſium nominas perpetuum Arij aduerſarium, & mendaciorum loquaciſſimum, vt cum Tertulliano loquar? Sed ex eius ſcriptis referunt auctores alij. Suppoſititia ſunt illa ſcripta, inſcio & exulante Ario conficta; vt patet ex vera Arij, & Euzoij profeſſione fidei ad Imperatorem Conſtantinum data, & à Concilio Ieroſolymitano probata. Quid eſt cauſæ, ſi quid poteſt illud argumentum, cur Arius catholicus & innocens, Athanaſius & Alexander ſanctitatis inimici, hoſtes innocentiæ, non cenſeantur? Qua tu alia methodo contra Hincmarum pro cliente tuo Gotteſchalco litigas? Iam non requiro quinque illos aut ſex, epiſtola ad Lugdunenſes, memoratos, in quibus Ioannes Scotus & Amalarius: non chronica Prudentij, & libros alios, quibus contra partes Hincmari ſcriptitandis immortuus eſt: non epiſtolam Ratramni à Rabano citatam: aut librum Nicolai Pontificis (ſi quem ſcripſit) de veritate geminæ Prædeſtinationis, & pleroſque ſimiles: ij tamen ſi manibus noſtris tererentur, quantùm præſidij ad hunc tractatum adferrent?

Argumenti negatiui infirmitas.

Flodoard. l. 3. hiſt. c. 15.

Monſtratur exemplo.

Socrat. l. 1. hiſt. c. 15. cit.

Qui autem magno Dei beneficio ſuperſunt ad controuerſiam ſpectantes, poſſunt & ipſi tenebras in hiſtoriam inducere, niſi ſolerter diſtinguantur. Leue quippe fit, vulgare illud dicere, ab aliis oppugnari, ab aliis defendi Gotteſchalcum, niſi deinde à quibus, & quomodo quidque fiat, addatur. Latum enim diſcrimen eſt actores inter & patronos. Impugnant ſiquidem Rabanus, & Hincmarus iudices, audita cauſa, lata ſententia, re iudicata, quæ apud omnes pro veritate habetur. Quibus accedit Amulus Lugdunenſis, tanquam cauſæ arbiter, ab ipſo Gotteſchalco rogatus, & delectus iudex honorarius. Defendunt autem Gotteſchalcum ij, quibus & facti notitia deeſt, ad cognitionem; & iudicij auctoritas, ad abſolutionem. Nam præ ſe ferunt Lugdunenſes aduocati miſerabilis Monachi dogmata, propter quæ damnatus eſt, ignota ſibi eſſe: & præter ordinem; non tantùm Eccleſiaſticum, ſed etiam ciuilem agunt, cùm cauſam

Conſiderandæ conditio diſputantiū.

Alij enim ſunt iudices, Alij externi & ignoti.

Mutatus in progressu quæstionis status.

retractare, & ad suum tribunal aduocare volunt. Quare, illorum cum Gotteschalco disputatio, longè alia est, ab istorum disputatione cum Hincmaro, quæ sequentis libri materies futura est. Nam illa quæ huius hypothesim facit, Catholicorum Præsulum est, aduersùs hæreticum damnatum, & excommunicatum: hæc Theologorum catholicorum, cum Antistite catholico. Illa ex mero catholicæ veritatis zelo Rabanum, & Hincmarum, contra ignotum antea Monachum excitauit: hæc humanis veriùs, quàm diuinis rationibus, viros doctrina præstantes, cum doctissimo, & sui seculi celeberrimo Episcopo commisit. Quapropter hoc loco, vbi de germana Gotteschalci doctrina quæstio est, non æquè debet attendi, quid isti dicant, quid explicare, aut mitigare conentur: quantùm, quid illi obiiciant, & tanquam veræ fidei inimicum reprehendant. Quod quidem vt fateor ex libris quos versamus, non semper apertissimè nobis constare, & ratione requirendum esse, quod fugit obtutum: ita decet aduersarios non negare, in libris qui exciderunt, verosimiliter clara luce expositum fuisse, & à Lugdunensibus ignoratum aut dissimulatum; certè non fideliter, & omni ex parte detectum.

Quomodo singula propositiones spectentur à certantibus.

Inde sequitur, propositionibus in disceptationem adductis aspectum duplicem esse tribuendum. Possunt enim absolutè, quales sunt in seipsis citra omnes disputationum tricas, & animorum contentionem, aut doctrinæ ostentationem: possunt cum respectu ad Gotteschalcum, & hæreticum eius animum, discordiarum studium, incorrigibilem peruicaciam, considerari. Posteriorem modum sequuti sunt iudices Rabanus & Hincmarus. quibus cognitæ fuerunt fraudes versipellis, vt neglecto verborum inuolucro, ad verum hæretici sensum penetrarent; & id fortiter premerent, non quod apud simpliciores prodebant verba, sed quod perspicaciorum iudicio tegebatur. At Lugdunenses, & ijomnes, quibus Hincmarus Gotteschalco vltra modum videtur infensus, priore modo nonnullas eius propositiones speculari, cùm sensus tolerabilis patientes vident, illúmque de subtiliore theologia dum eruunt, propè est vt Gotteschalcum, damnato Hincmaro, absoluant. Eius generis est decantata illa gemina Prædestinatio, ab Augustino, Fulgentio, & aliis catholico sensu antè nominata, quàm Gotteschalcus nasceretur. Sensum illum Prudentius, Seruatus Lupus, Lugdunenses, viri catholici proferunt: admittit Hincmarus ipse. Et tamen ita loqui obstinante Gotteschalco, ita loquendum esse, ita sentiendum constanter negare perseuerat idem Hincmarus. Cur ita? Quia propositionem non nescit absolutè spectari à Lugdunensibus; sed eam relatiuè ad Gotteschalci sensum prauum, & impium speculatus, iure & sapienter improbat. Fatetur bene sentire Lugdunenses, sed eo rerum statu, loqui periculosè; Gotteschalcum autem verbo abutentem, arguit bonum sensum in speciem profiteri, cùm antea blasphemum ediderit, & etiamnum in pectore foueat, qui virus nunquam euomuit. Vnde vrget obstinatiùs vocem excuti, vt error aboleatur. Idem existimandum est de quibusdam aliis propositionibus, quas mirari potest aliquis magno quodam impetu per Hincmarum obiici Gotteschalco: in quibus non spectat Remensis, quid corrigere possit theologia, quam non ignorat; sed quid reapse sentiat hæreticus. Quod nos à cognitore, & iudice, iure fieri credimus, licèt sensus in aduersario damnatus non semper liquidò appareat. Quam regulam si placet vniuersæ Dissertatoris meditationi applicare, aberrantem, vt plurimùm, à scopo videbimus, dum calumniam putat, & fraudulentiam, quoties Hincmarus Gotteschalco ea obiicit, quæ vel obscuriorem habent errorem, aut ad catholicam mentem possunt inflecti. Quæ perpetua, & fortasse voluntaria est Lugdunensium hallucinatio, dictum solum, non autem simul dicti auctorem attendentium.

Exemplum est gemina prædestinatio.

Distinguenda sunt ab impugnantium doctrina.

Obseruari præterea cupio, quod tamen per se se apertum est, in litigantium oratione, duas semper inesse partes; aduersarij positionem, quæ arguitur erroris; & eius confutationem. In priore, actor suam hæretico ignominiam in os impingit: in posteriore, propriam sibi tali de quæstione doctrinam exponit. Posterioris huiusce minor cura esse debet historico, cuius est facta narrare, non theologiam Plurimos tamen quasi rem magnam hoc agere videmus, vt seposita propositione erronea, deflectant ad examinandam refutationem: quæ quia potest aliquando esse non proba, triumphant in eius ipsius refutatione, & patroni culpam, rei innocentiam interpretantur. Nimirum si malè curat medicus, ideo febre non iactatur æger, non turget hydropisi? Quàm multa quotidie apud philosophos falsa & vana, falsis rationibus impugnantur? Sabellio contrarium errorem opposuit Arius; at Sabellium Catholicum non fecit. In Ephesino Concilio Nestorium Eutyches validè impugnauit; sed in oppositam hæresim cùm incidit, Nestorium vera dixisse non ostendit. Itaque quod Amolo sensum potiùs, quàm vocem sequutus, Prædestinationem ad interitum admitti posse asserit, non est quòd illum sibi Dissertator, & Gotteschalco suo arroget, tanquam huic faueat, contra Hincmarum. Nam præterquamquòd ab Hincmari mente illo in articulo non recedit, vt suo loco monstrabitur: nobis id sufficit nosse, quod impugnat, quódque in Gotteschalci scriptis lectum à se profitetur, nimirum *horribiliter blasphemare* eos qui dicunt, *prædestinationem Dei necessitatem irreuocabiliter imposuisse nonnullis, vt omnino, quod ad salutem suam proficeret, operari non possint.* Sic Ioannis Scoti deliria omni contemptu ludibrióque excepta, apud æquos iudices nostram disputationem lædere non possunt: quia non petimus ab Erigena quomodo sit explicanda quæstio, sed, quæ fuerit Gotteschalci de quæstione sententia.

Falsæ opiniones aliquando malè refutantur.

Huiusce tractatus ordo monstratur.

Denique huiusce tractatus ordinem, & instituti nostri progressum, ex his tibi Lector, probatum iri confido, cùm memoria præterita repetendo, cogitabis dictum hactenus historica methodo, de Gotteschalci rebus gestis, doctrina, moribúsque, absque curiosa opinionum peruestigatione, quam certam & constantem

apud te fore tum putaui, cùm duobus iudiciis cognitam atque damnatam, pro re iudicata proponerem. Quid enim habent suis in negotiis homines, cui securiùs fidem suam commodent, quàm senatus decreta, & iudicum sententias? In eodem quoque narrationis cursu, deprehendisti multa hæretici animi signa, nouitatis studium, scientiolæ ostentationem, superbiam, obstinationem, quibus facilè ad id credendum inducaris, quod de eo Synodi statuerunt. Vidisti quales quantósque habuerit iudices, Rabanum Maurum, Hincmarum, Amolonem: & ex eorum confutatione, quæ sunt illis in Gotteschalci gratiam obiecta ab externis, sentis omnino fundos esse rerum in eius causa gestarum testes: & posse, ac verò etiam debere à nobis in posterum eorum testimonium, omni exceptione maius, cum securitate vsurpari. Audisti libatam hæreseos Prædestinatianæ contentionem, quæque illi assignantur propositiones, eas Augustini, ac omnino catholici vllius doctoris esse non posse. Denique peruidere incipis, cur omissâ aliquantùm serie temporum, Amolonem huc attraxerim: Prudentium, Ratramnum, Lupum, & alios in sequentem librum dilaturus. Isti nimirùm ad agitatam præcisè cum ipso Gotteschalco controuersiam non spectant; sed eius occasione exorti, in alium statum torserunt; & si non caritate, certè fide & religione cum Hincmaro ceterisque coniuncti, disputarunt. De Ioanne Scoto non loquor, cuius extraordinaria oppugnatio & doctrina, peculiares fecit aduersarios, neque amicis hilum profuit.

CAPVT XI.

Quæstionis de Prædestinatione diuina cum Gotteschalco disputatæ status, & sensus exponitur.



VT has obseruationes in vsum adducamus, lubet absolutè spectatam vtriusque contendentium doctrinam priùs expandere, quàm ad monstrandam methodum, qua disputata est, accedamus. Hinc fiet, vt si quid in disputatione implicatius, & obscurius, vel ab Hincmaro, vel à nobis eius vestigia prementibus occurrerit, ad hunc locum, parandæ lucis gratia, debeat admoueri.

Hincmari de Prædestinatione doctrina. Hincmariana igitur positio, ad subtilioris Theologiæ formam, ita concipi debet. In 1. rationis instanti videt Deus massam generis humani damnatam, omnes in ea, & singulos æquè reos, æquè damnatos. 2. Infinita misericordia excitante, vult antecedenti & generali voluntate omnes saluos fieri, & neminem perire. Instanti 3. vniuersè omnibus Saluatorem dare decernit, cuius ope & gratia, omnes, & singuli peruenire possint ad salutem. 4. Tum quosdam speciali sua gratia, ante meritorum præuisionem eligit, siue vt loquitur, prædestinat, qui actu & reipsa aliquando saluentur, aliis in communi damnationis massa relictis, absque positiuo decreto illos in ea deserendi. 5. Et illis & istis prædestinat media ex gratia Saluatoris, quibus ad salutem possint peruenire: atque illis quomodo sint vsuri singuli per præscientiam perfectissimè nouit; & proinde, quem ad finem omnes, & singuli peruenturi. 6. Finis ille est vita, & mors, gloria & pœna, singulorum meritis ita retribuenda, vt electos ad illam prædestinet, malis autem pœnam prædestinet. 7. Hoc ita cognito, positiuè vult illis vitam, & gloriam speciali decreto; hos autem perire permittit. Atque decretum illud æternum, immutabile, infallibile est: quo certus prædestinatorum numerus definitur. 8. Quibus præparatis, in tempore singulos in vitam immittit, cum plena arbitrij libertate, & gratia Saluatoris, vt possint, si ea volunt vti, saluari; si recusant, damnari. Præscius interim futurorum, & certissimè sciens quæcunque ipsi liberrimè sunt acturi. 9. Denique in vitæ exitu, quos reperit in caritate, & gratiis bene occupatis, illos ad vitam educit; ad quam prædestinati sunt: alios in impietate per gratiam repudiatam morientes, suppliciis addicit, quæ sunt illis prædestinata. 10. Atque illi duo sunt ordines, ab æterno nulla sua voluntate electi, & derelicti: sed in tempore, libera sua voluntate ad terminum electionis, & desertionis peruenientes. Sic Hincmarus.

Gotteschalci de eadem doctrina. Gotteschalci autem systema, & ipsum per gradus dispositum, sed magis lubricos, hoc est. 1. Videt Deus massam humani generis in Adamo peccante damnatam, qualem cogitabat Hincmarus. 2. Positiuo decreto antecedenter necessario, quosdam ex illa massa prædestinat ad vitam, quosdam prædestinat ad mortem: siue decretum duplex illud sit, siue vnum, sed geminum, hoc est, duas illas partes complexum. 3. Statuit Saluatorem dare prædestinatis ad vitam. 4. Vult efficaciter & prædestinat media vtrorumque fini consentanea, & per præscientiam cognoscit quomodo necessariò illis sint vsuri. 5. In tempore autem ingrediuntur in vitam singuli, necessariò antecedenter determinati ad alterutrum finem; vt aliter quàm decreuit antecedenter Deus, esse non possint. Hi sunt duo mundi: vasa iræ, & vasa misericordiæ: populus præparatus ad iram Dei. 6. In vita, necessarium est illos iustificari; at isti reuera nunquam iustificantur, aut incorporantur Ecclesiæ, quia reprobi sunt. 7. In vitæ exitu saluantur alij per Christi gratiam, alij propter demerita sua damnantur. Ita Gotteschalcus, qui dum postremum hunc articulum sæpe repetit, & alios subdolè tegit, fucum facit incautis.

Inuicem comparantur. Hic vt vides conueniunt in nonnullis. Neuter enim electionem, saltem voce, à prædestinatione distinguit: de adultis solis vterque disputat, omissa infantium in originali noxa percuntium mentione: Prædestinationem bonorum soli gratiæ assignant ambo, eámque meritorum præuisioni præponunt: & illam non minùs ille, quàm hic, certam & infallibilem vult esse, licèt aliter explicet. Nec minùs hic, quàm ille, actualem reproborum damnationem peccatis eorum attribuit, & diuinæ iustitiæ. At in præcipuis capitibus differunt. In positiua reproborum prædestinatione ad mortem, quam horret Hincmarus cane peius & angue: ne illos Deus ad mortem cogere censeatur. In determinata antecedenter malorum reprobatione, vt aliter si maximè velint, esse non possint. In prædestinatio-

ne ad media mala, infelicem exitum necessarium paritura. In Saluatore solis electis dato. In Dei voluntate de omnium salute, ad electos solos reducta. In his stabiliendis confutandis-ve, si apertè & religiosè laborassent, nobis manifestior, & vtilior theologiæ modò foret eorum disputatio, neque tot libris quæreremus, quid improbet Hincmarus, quid asserat Gotteschalcus? Sederemus opinionum partis vtriusque arbitri, non inuestigatores. Nunc autem istud doctrinæ speculum sic propositum, perplexitate rerum, varietate testimoniorum, artibus hæretici, fautorum calliditate, puluere disputationis tam fœdè obscuratum est, vix vt veram Gotteschalci effigiem agnoscas. Quærenda tamen est, & in ipsa disputationis methodo legitimus quæstionis de Prædestinatione status ponendus est.

Non quæritur an duæ prædestinationes, An vna, sed gemina, dici debeat.

Primis temporibus duas prædestinationes bonorum ad vitam, & malorum ad interitum, quales hîc exposuimus, nudè & crudè prædicauit miserabilis Monachus, cùm est in Italia reprehensus à Rabano, neque Moguntiæ contra propositionem aliam disputauit Seruatus Lupus Germanus: & æquè reiecta vtraque, & damnata est: vt omnis penitus necessitas, & coactio Dei in homines, bonos malós-ve, prædestinatos, aut præscitos, à fide nostra exterminetur: vt quæ videlicet cuiusuis prædestinationis fatum inuehat & contineat. Verùm in progressu disputationis animaduertit impius, in scripturis vix legi prædestinationem, nisi in bonam partem: prædestinare autem ad malum à suprema bonitate videri alienum: indéque conficiebant aduersarij, emendatiùs loquentibus, vnam vt summum prædestinationem, bonorum scilicet ad vitam admitti posse: ipse quasi mutata mente, quam nunquam exuit, aliter loquutus, vnam prædestinationem esse dixit, sed geminam; quemadmodum vna est caritatis virtus, sed gemina, hinc Deum, inde proximum complexa: séque Isidori sic loquentis auctoritate, putauit esse securum. Hinc de gemina prædestinatione, tanquam de vera quæstione ab incautis, & aliò abreptis, disputatum est, possit-ne dici gemina, an simplex sit? & in verbo quæsitæ sunt argutiæ. Ita factum docet Ioannes Erigena, cùm & mutasse sententiam obiicit, & alteram nihilo meliorem, cum illo suo caritatis exemplo subiecisse, reprehendit. Pars eius refutationis prior ad historiam, ad disputationem posterior attinet. Illam ergo sic exequitur. *Sed quia, hæretice, iam de prima tua congressione, qua duas prædestinationes, & asserere mendosè cœpisti incautus, & defendere contumeliosè sudasti superbus*. (alludit ad contumelias in Episcopos, Carisiacis virgis retusas) *& modica conuictus auctoritate fugisti*, (hoc est, facilè conuictus ita loqui desiisti) *& apertissima veritate prostratus occubuisti, occumbendo siluisti*, (in Concilio cùm quid responderes, non habebas:) *silendo posteriora prioribus peiora excogitasti*. (& posterioribus scriptis in carcere publicasti) *Vt enim non te piget negare, te prædicasse duas prædestinationes*, (quamobrem condemnatus fuisti) *quod tamen dixisse à multis conuinceris*: (vt iam mirari non debeamus artificium, quo animi tui sensa texisti in posterum) *ita non te pudet iterum proferre, vnam esse, sed duplam. Vt quid imprudentissimè debilis, eneruatus, omni veritatis auxilio desertus, lites renouas*, (iam Concilio Carisiaco sepultas) *quibus conaris te à prima illa impudentia latenter subtrahere?* Patet ex his actum in Conciliis duobus non fuisse cum Gotteschalco de gemina prædestinatione, sed de duabus: atque adeo non esse illum quæstionis statum, quem inprolixa Confessione, mutando & dissimulando proponit.

Gotteschal. Confess. prolix.

Ioan. Scot. l. de vnic. prædest. c. 3.

Non vtrum dicenda sit prædestinatio reproborum ad mortem.

Iam aduersarij, cùm disputando illam potissimùm reproborum prædestinationem vrgerent, & eo quo docebat hæreticus sensu, diuinæ bonitati penitus repugnare monstrarent, homo subdolus, quasi concessa ab iis priore bonorum prædestinatione, qualem sibi fingit, de sola posteriore disputat, & in ea explicanda verbosiùs immoratur, ipsúmque prædestinationis vocabulum in Augustino, sensum autem ad malum, in scriptura contineri demonstrat. Atqui non est illa quæstio, dicatúr-ne reipsa, aut possit dici etiam de reprobis prædestinatio, quæ si de malo pœnæ intelligitur, etiam ad bonos pertinere potest. Et in iudicio Rabanus prioris prædestinationis, quæ bonorum est, sensum ab eius mente conatus est excutere, neutra vt decretum habeat positiuum, quo vlli homini quamcunque in partem vis, aut necessitas inferatur.

Apud Hincmar. l. de Prædest. c. 5.

Propter merita mala præscita.

Et quia non bonitati solùm, sed etiam iustitiæ Dei contraria videtur impiorum reprobatio, si mala eorum opera excludantur, (nam de originis peccato nihil hîc quæritur) ad mentionem prædestinationis illius ad mortem, solet causam adiungere, *propter præscita certissimè ipsorum propria futura mala merita. Præsciuit illos pessimum habituros ortum, peiorem obitum, prædestinauit autem eos ad luendum perenne tormentum.* Quasi ea de re dubitarent Catholici, aut vnquam ab eorum vllo reprehensus fuisset, quòd reprobos non propter merita mala, & finalem impœnitentiam iniustè reipsa damnari crederet. Nunquam hoc in controuersiam venit apud Rabanum, & Hincmarum, vtrum electi merita bona, propter quæ saluentur, mali mala, ob quæ damnentur, habere debeant: cùm potiùs eo ex capite Gotteschalcanam hæresim execrentur maximè, quod bonorum operum, & meritorum studium, malorum fugam impediat: quippe cùm fatalis prædestinatio, absque illorum intuitu, quemlibet termino suo absoluta necessitate affigat.

Gotteschal. Confess. Breu. Hincm. c. 5. cit.

Non vtrum pœnæ illis prædestinatæ, an illi pœnis.

Animaduertit autem versipellis, aduersarios in cursu disputationis fateri, non quidem improbos pœnis prædestinatos esse, sed pœnas ipsis ex iustitia prædestinatas. Hanc verbi argutiam Gotteschalcus, & eius patroni, tanquam memorabile controuersiæ caput arripientes, mirantur, *quo sensu, vel qua ratione possit intelligi, vt Deus peccatoribus prædestinauerit pœnas, & peccatores non prædestinauerit pœnis.* Non sunt hæ subtilitates dignæ Conciliis: aliud sine dubio repertum est in Gotteschalci doctrina, quod excommunicatione plecteretur, & carcere. De maiorum nostrorum prudentia, & eruditione malè sentimus, si quæstionem tanta animorum contentione agitatam, in ventos, & ridiculam de verbis disputationem euanescere dicimus. Itaque vt malæ huic vulpi suos inse-

Gottesch. Confess. prolix. Lugdun. aduers. Scot. c. 14. Prud. in Epil.

cutores fallenti effugium omne intercludamus, ſtatum quæſtionis dilucidè ſic proponimus.

Conſtituitur verus quæſtionis ſtatus.

Tota & vera lis eſt, Prædeſtinatio qualem Prædeſtinatiani veteres in Eccleſiam inducere voluerunt, & nos aliqua ex parte ſuperiùs in opinione Gotteſchalci, repræſentauimus: nimirum, antecedens poſitiuum Dei decretum, & fatum, irreuocabile abſolutè, vim & neceſſitatem hominibus inferens, quo boni ſic eliguntur ad vitam, reprobi ſic mittuntur ad interitum, vt tales eſſe cogantur, neque aliud eſſe poſſint. Illam tuetur Gotteſchalcus, cum patriarchis ſuis Prædeſtinatianis, & omiſſâ, vel per fraudem, vel per ignorantiam electorum ad vitam parte, quaſi in illa conuenirent cum ipſo Catholici, de ſolis reprobis, in quæſtione tantùm dubitari fingit. Conſtanter negant Catholici, & vniuerſè, ſecluſa electorum, & reproborum diſtinctione, contendunt; nullum penitus hominem abſolutè, neceſſariò, antecedenter, ſiue ad vitam, ſiue ad mortem prædeſtinari à Deo: qui proinde affirmant, ſic in vitæ ſtadium omnes, & ſingulos ingredi, ſic in eo currere, & laborare, vt nullus ſaluari, nullus perire abſolutè loquendo non poſſit.

Secundùm illum impugnatus eſt Gotteſchalcus.

Secundùm aſſertionem illam plenam atque integram, actum fuiſſe à Rabano aduersùs Gotteſchalcum docet, & epiſtola ad Notingum, & Synodalis ad Hincmarum. Idémque in Floro Magiſtro ſpectauimus, ſententiam ſuam de Gotteſchalco ferente. Eadem eſt Prudentij Trecaſſini opinio, ſi non de Gotteſchalci doctrina, quam ſe ignorare profitetur: at certè vniuerſè, de eo qui reprobos neceſſariò ob prædeſtinationem perire arbitratur; idem de electis cenſendum eſſe, ob eandem prædeſtinationem, neceſſariò, & ineuitabiliter ſaluatum iri: quo dicto iuſtitiam diuinam violari præclarè docet, Scoto reſpondens, qui rem tantæ abſurditatis in ſolis reprobis audire refugiebat.

Prudent. Recapit. c. 27.

Scotus l. de vnica prædeſt. c. 11.

Aliter pauſō ab Hincmaro, & Scoto.

Quam igitur ob rem, inquies, Ioannes Erigena, & Hincmarus vnam illam poſteriorem de reprobis propoſitionem, ad interitum prædeſtinatione compulſis, reprehendunt in Gotteſchalco? Communis vtrique ratio ſatisfacit, tam frequenter cantilenam eandem de reprobis prædeſtinatis iteraſſe Prædeſtinatianum, vt illam caput, & arcem dogmatum ſuorum facere videretur, à qua proinde machinis omnibus deiiciendus fuit. Scotum tamen facilè conceſſero, profunda eius calliditate deceptum, putaſſe illum duas prædeſtinationes eiuraſſe: cùm reipſa duplam ſiue geminam affirmando, ſuum eundem ſenſum mutatis verbis enunciarit. Nam in gemina illa Gotteſchalcana, reperiuntur partes duæ, bonorum & malorum; quas tum maximè intelligebat, cùm pro duabus prædeſtinationibus certabat. Hincmarus autem, qua ſe ratione cum Gotteſchalco geſſerit, priori opere de Prædeſtinatione, Deus ſcit. Poſteriori, ſecundam partem pro ſtatu quæſtionis accepit, quando non iam cum Gotteſchalco, ſed cum Lugdunenſibus congrediebatur: vbi licèt diſtinctè prædeſtinationem bonorum, à malorum prædeſtinatione non ſeparauerit, & in hac neganda verſari totus videatur: auctoritatibus tamen, quas affert plurimas, vna æquè conficitur, ac altera: neque magis homini libertatem eripit, prædeſtinatio ad mortem antecedens, & abſoluta, quàm eiuſdemmodi prædeſtinatio ad vitam. Quapropter, ſiue Prædeſtinatianæ propoſitionis pars tantùm altera, ſiue vtraque, pareat in Gotteſchalco; ſiue duas prædeſtinationes aſſeruerit, ſiue cautiùs vnam tantùm, ſed duplam, ſiue geminam; ſeu quo alio modo ſe nonnunquam texerit, oſtendendum nobis eſt ſenſu, & mente ſemper, ſæpe etiam verbis Prædeſtinatianum extitiſſe.

CAPVT XII.

Gotteſchalcus in primo capite de Prædeſtinatione diuina, idem quod Prædeſtinatiani veteres, docuiſſe monſtratur.



ILLVD conficio primò, ex principiis, quibus doctrinam ſuam Gotteſchalcus confirmat, & ſtabilit: quæ ſi ſunt paria cum Prædeſtinatianis, concluſiones profectò, ex illis ſimiles oportet educi. Deus omnia quæcunque voluit fecit. Eius voluntati nemo eſt, qui poſſit reſiſtere. Nihil fit, niſi quod Deus vult fieri. Quod eos voluit, qui condidit, aliud eſſe non poſſunt, & ſimilia, Prædeſtinatianorum axiomata ſunt, malè intelligentium. Quid autem Gotteſchalcus ad Rabanum? *Omnes quos vult Deus ſaluos fieri, ſine vlla dubitatione ſaluantur: Nec poſſunt ſaluari, niſi quos Deus vult ſaluos fieri. Nec eſt quiſquam quem Deus ſaluari velit, & non ſaluetur. Quia Deus noſter omnia quæcunque voluit fecit.* De reprobis quoque tam eſſe illos ait *irreuocabiliter, & incommutabiliter perditioni deſtinatos, ſicut Deus ipſe incommutabilis, & inconuertibilis eſt.* Cui *tam atroci impietati*, cuius in Confeſſione prolixiori, prolixa eſt poſitio, *Eccleſiam fidem contradicere* auctor eſt Amolo, ſéque ipſam *horrere & deteſtari*. Prædeſtinatianis in ore ſemper fuit comparatio Paulina, vaſorum iræ, quæ ſunt aptata in interitum, quæ aiunt apud Fauſtum Reienſem, in vas honoris non poſſe aſſurgere. Eundem quoque Pauli locum multis lectionibus variatum producit in eadem Confeſſione.

1. Ex principiis Prædeſtinatianis.

Hincm. l. de Prædeſt. c. 24.

Amolo epiſt. ad Gotteſch. art. 5.

Gotteſch. Confeſſ. Prol.

Fauſtus l. 1. de gr. c. 12.

2. Ex verbis ipſis Prædeſtinatianis, quæ quantumlibet occultare nitatur, in eius tamen ſcriptis lego, *incommutabilis iuſtitiæ iudicium: Deus incommutabiliter prædeſtinauit: irretractabiliter ſaluari: in prædeſtinatione, quam diſpoſuiſti incommutabiliter irretractabili prædeſtinatione.* Quæ & ſimilia, quid aiunt aliud, quàm quod veteres, *nihil fit, niſi quod voluerit Deus?* Et id quidem Prædeſtinatiano ſenſu, & animo: non illo theologico, quem in hypotheſi præſcientiæ, & prædeſtinationis diuinæ omnes agnoſcimus, ſcilicet conſequenter, & in ſenſu compoſito falli, & mutari penitus impoſſibile eſſe. Ponit enim error Prædeſtinatianus cauſalitatis, & effectus ordinem abſolutum, inter prædeſtinationem, & reprobationem, ſiue ſortem ſingulorum.

2. Ex modo loquendi.

Raban. epist. ad Noting. Præfat.

Noui quoque Prædestinatiani *perditionis suæ conditorem asserunt auctorem, dicentes, quod sicuti, qui per præscientiam Dei ac prædestinationem vocati sunt ad percipiendam gloriam vitæ æternæ, non possunt non saluari:* quam propositionem tanquam omni sensu concessam assumit Gotteschalcus, vt antea dicebamus: *Ita & illi, qui ad æternum interitum vadunt, prædestinatione Dei coguntur, & non possunt euadere interitum.* Audis *coguntur?* siue, liberi non sunt, vi prædestinationis, & præscientiæ antecedentis, & influentis necessariò in effectum, ad pereundum boni, ad viuendum mali. Hoc est Gotteschalcanum *immutabiliter, irretractabiliter,* per inuictam potentiam, secundùm immutabilem naturam. Quæ dicta vocat Amolo *dura & indisciplinata, immaniter de diuina prædestinatione sentire, & loqui: in Deum grauiter, & horribiliter blasphemare. Errorem, vel potiùs immanissimam impietatem,* quæ *meritum damnationis illorum, Dei culpam facit, qui illos tales esse constituit.* Hîc lubet reuocare in memoriam Prædestinati, quem suprà euoluebamus, hoc in proposito exclamationem, illi Amolonis simillimam, *quàm grauiter blasphematur his assertionibus Deus?* Et subiectam eiusdem erroris refutationem, in exemplo Iudæ. *Non enim Deus ipsum prædestinauit, vel talem esse voluit.* Vbi vides & veteris illius Prędestinatianorum aduersarij consensum cum istis nouis, & Rabani atque Amolonis in eadem refutatione concordiam, quæ demonstrat ex eodem fonte hæresis illius notitiam hausisse vtrunque: vt commentum illud Dissertatoris, de commentitiis scriptis ad Amolonem missis, & fictis ab Hincmaro, iam omni ex parte ridiculum appareat.

Amol. epist. ad Gottesc. art. 4.

Prædest. l. 3. p. 136.

3. Ex modo eum refutandi.

Hincm. lib. de Prædest. c. 10.

3. Idem quoque Hincmarus alicubi sic confutat Gotteschalcum, licèt eius verba non producat, quasi qui dixerit, ideo fieri impium, & ideo transgredi ad peccatum, *quoniam impius & transgressor est à Deo præscitus.* Quæ omnia cum vocibus superiùs auditis, non inefficaciter adhibeo ad thesim comprobandam. Certum enim sapienti cuilibet esse debet, viros graues & eruditos, magni nominis Archiepiscopos, celebres scriptores Rabanum, Hincmarum, Amolonem, Florum Magistrum, Ioannem Scotum, & ceteros, non cucurrisse in incertum, aut aërem verberasse: nec illi Syro militi similes, à quo temerè, & sine consilio Achabus interfectus est, sagittam in incertum emisisse, quæ casu fortuito vulneraret hæreticum. Sed eo coram audito, perlectis attentè illius scriptis, in ipsissimos eius errores, tanquam in scopum, rectà collineasse: adeóque reipsa dixisse Gotteschalcum, quod eius aduersarij ab eo dictum reprehenderunt: errores scilicet veteribus Prædestinatianis attributos, quos ille aliquando puros & liquidos, aliquando verbis fallentibus paulùm obscuriores enunciauit. Atqui sic eum refellunt communiter Rabanus, Amolo, Florus Diaconus, vt execrentur blasphemiam referentium malorum impietatem, & perditionem, in prædestinationem, velut in causam: necessarium est igitur vt illud senserit Gotteschalcus, si eius aduersarios & iudices stolidos & iniustos fuisse non putamus.

Obiectio ex Eccles. Lugdun. l. de 3. epist. c. 41.

Scio equidem Epistolarium Lugdunensem huius à posteriori rationis efficacitatem infringere conari, cùm scribit epistolam Rabani ad Notingum *assumere non necessariam, neque vllatenus ad rem de qua quæritur pertinentem disputationem.* Vnde contemnendæ eius epistolæ ansam arripuit Dissertator. Non enim illud quæritur, ait Lugdunensis, *vtrum impios Deus, & iniquos prædestinauerit ad ipsam impietatem, & iniquitatem, id est, vt impij & iniqui essent, & aliud esse non possent. Quod nullus omnino moderno tempore, dicere vel dixisse inuenitur. Quod est vtique immanis, & detestabilis blasphemia, vt Deus sua prædestinatione, quasi auctor sit impietatis, & iniquitatum, aliquos impios, & iniquos esse coëgerit.* Verùm historiæ nostræ peritus nullo negotio tempora disputationis distinxerit, illud quo scripta epistola est à Rabanō ad Notingum, cùm adhuc simpliciter, & stolidè desipiebat Gotteschalcus, ante Conciliorum plagas & censuram: & illud quo Hincmarus eam epistolam ad Lugdunenses misit, cum tectiùs loquebatur in carcere. Priori tempore, Rabanus cum Gotteschalco disputauit, & dubitari non potest quin verum & legitimum quæstionis statum aduersùs hæreticum assumpserit. Posteriore, Lugdunenses catholici cum Hincmaro, statu quæstionis mutato, contenderunt, quod sequente libro fusè monstrabitur. Quare disputationem Rabani velut absurdam, arguere non potuit Epistolarius: sed vt summum, Hincmari consilium, qui alienam ab ea re, de qua tum inter ipsos agebatur, quæstionem intruderet. Quamobrem hæc ipsa epistolarij calumnia in Rabanum, illud quod volumus ostendit, hæc docuisse Gotteschalcum, quia docentem impugnauit Rabanus, & à Gotteschalco *immanem & detestabilem blasphemiam* fuisse prolatam. Imò, inquis, negat præcisè quenquam *omnino moderno tempore illud dicere vel dixisse.* Fateor istud quidem negare; sed quia auctoritate certatur, quod negat Epistolarius Lugdunensis ignotus, aut certè inuidus; hoc affirmant Rabanus Moguntinus, Amolo Lugdunensis Episcopus, Florus Diaconus Lugdunensis, testes locupletissimi. Vtris credimus? Nec prætereat vox illa mystica, *moderno tempore,* qua talem hæresim à suis solùm temporibus non excluderet, si prioribus seculis eiuscemodi nihil auditum sciret in Ecclesia. Veteres ergo Prædestinatianos tacitè, & ex obliquo iste Lugdunensis agnoscit.

Dissert. c. 2.

Responsio.

Veteres Prædestinatiani agnoscuntur.

4. Valet hæc obseruatio ad dirimendam penitus contentionem ex reliquis eiusdem epistolæ partibus inter vtrunque excitatam. Rabanus enim ex dogmate Gotteschalci perniciosas complures conclusiones manare admonet, homine non dicam theologo, sed vel Christiano indignas. Qui locus sic incipit, *Multiplici ergo reatu iste constringitur, qui prædestinationis bonum, in prauum sensum commutans, nefandis sermonibus blasphemare contendit.* Septem deinde subiicit consectanea, blasphemiæ & horroris plena, de quibus quomodo se purgarit Gotteschalcus, aut an omnino vnquam id facere tentauerit, ne coniectura quidem assequi possumus. Epistolarius autem Lugdunensis, pessimæ causæ patronus non optimus, singulos illos articulos manu tractat, & irrita atque inani consecutione deductos esse dicit potiùs, quàm ostendit. Quia diuersum orbem versat, neque in ipso cardine quæstionis cum Rabano conuenit. Omisso enim dogmate prædestinatiano, de quo inter Rabanum,

4. Ex quibusdam consequentiis per Rabanū eductis. epist. ad Noting.

Lugdun. de 3. epist. c. 24.

& Gotteschalcum lis erat, & ex quo fluunt blasphemiæ, aliam quæstionem de reprobis propter merita mala prædestinatis ad mortem, inter Lugdunenses, & Hincmarum disputatam aduehit, è qua consecutiones illæ impiæ non emanant. Itaque vterque verè ait, verè negat; quia de diuersis loquuntur: sed Lugdunensis cum dolo, & hallucinatione; quia fuit eius, quæstionem assumere de Rabani proponentis manu, non aliam illi Epistolæ adfingere. Quemadmodum Rabanus, quam audiit ex Notingo prædestinationis explicationem, illam ipsam confutat, neque nouam de suo excogitat: futurus certè alias, & ineptus, & iniustus. Has ego consecutiones, numero septem, ne sim æquo prolixior, apud Rabanum relinquo; quas si paulùm attentiùs legere, & cum Lugdunensis responsionibus conferre dignaberis, in affirmante Rabano, duo cogitabis, Lector, & sic expositam à Gotteschalco prædestinationem fuisse, vt antea à veteribus Prædestinatianis: & ex illa explicatione tales educi blasphemias, quæ ex veterum Prædestinatianorum doctrina æquè eruuntur. In Lugdunensi verò negante, duo nihilo minùs spectabis, & ab eo catholica mente sensúque prædestinationem explicari, vt subdola Gotteschalci verba in speciem loquuntur, at non ex animo: & ex illa explicatione tales consecutiones non posse produci. Ita neque Rabanum, iniuriosum esse senties; neque Lugdunensem, verè patronum; sed Gotteschalcum in medio solum, hæreticum & blasphemum.

CAPVT XIII.

Eadem absurda ex Gotteschalci, quæ de Prædestinatianorum decretis, consequuntur.

§. Ex iis quæ consequuntur.



ON est tamen prætereundus hic consequentiarum locus, apertus & tutus: cùm fallere non soleat causarum, & effectuum regula, vt securè possimus affirmare, eiusdem effectus aut eandem, aut cognatam esse causam. Quamobrem si doctrina Gotteschalci hoc idem efficit, quod Prædestinatorum; si ex eius placitis idem deriuatur, quod de veterum illorum fontibus, quis negauerit easdem ab vtrisque aquas hauriri, sordidas sanè ac lutulentas?

Prædestinari ad bonitatem, & ad impietatem.

Raban. epist. ad Noting.

Lugdun. de 3. epist. cit.

5. Atqui, vt apertè veteres dicebant, prædestinari homines siue ad iustitiam, siue ad peccatum: Ita Gotteschalco Rabanus obiicit, dixisse *prædestinationem Dei siue ad bonum, siue ad malum in omnibus operari*. Siue vt loquitur Lugdunensis Epistolarius, *prædestinari ad ipsam impietatem, & iniquitatem: idest, vt impij, & iniqui essent, & aliud esse non possent*. Et vt aduersùs eundem Gotteschalcum scribit Amolo, eum refutans. *Non ait secundum praiudicia sua, sicut ista insana, & furibunda doctrina asserere conatur, ad nihil aliud nisi ad subuersionem audientium. Omnipotens enim Deus non est auctor malorum meritorum, nec malorum hominum, nec Angelorũ; sed ipsi sibi sunt auctores mali, quod propria voluntate gesserunt.* Quod ex Gotteschalci ipsius dictis adducit Ioannes Scotus, duas eius prædestinationes enarrans, bonorum ad vitam, malorum ad mortem. *Vna quippe, vt ait, iustorum est, altera impiorum: in tantùm, vt nemo, nisi necessitate immutabili, vnius* (Prædestinationis) *neque ad iustitia meritum, neque ad finem eius, vitam videlicet æternam, possit peruenire: Nemo, nisi alterius necessitate fati* (siue prædestinationis fatalis) *nec in meritum impietatis, nec in eius terminum, æternum quidem supplicium compellatur cadere. Quæ stultissima, crudelissimáque insania, primò auctoritate diuina refellitur; deinde veræ rationis regulis annullatur.* Insana quidem positio est, & furibunda doctrina, sed consequenter insanit, & furit Gotteschalcus. Quippe cùm prædestinationis effectus sit vita & mors æterna, medium necesse est interuenire, merita bona aut mala: & vt vitam, & mortem efficit prædestinatio, antecedenter, necessariò, absolutè, irretractabiliter; ita oportet medium illud antecedenter, & absolutè adhiberi, sine quo nunquam peruenietur ad finem.

Ioan. Scot. l. de vnic. prædest. c. 1.

Obiectio ex Hincm. l. de Prædest. c. 15.

Dices, alienum fuisse ab hac blasphemia Gotteschalcum, vel Hincmaro ipso teste, qui hoc mutatum à reexortis Prædestinatianis in veterum decretis disertè asserit, *Prædestinatos eos ad interitum, non ad peccatum*. Certè de reproborum interitu, nisi cum meritorum malorum mentione, nunquam loquitur Gotteschalcus. Quid est autem magis catholicum, quàm profiteri reprobos, non nisi propter præterita peccata damnari? posita semel illa in Deo præscientia, & consequente prædestinatione, decretum illud non mutari, nisi mutabilem velimus esse Deum, quod blasphemum est? Quid autem aliud tota Confessione sua prolixa, & verbosa docet Gotteschalcus? Respondeo ex Hincmaro, fucum hunc esse, & ab eis tantùm *colorem* erroris mutari, *sed odoris atque saporis intelligentia idem redolere, cùm non nisi per peccatum, peruenire possit ad interitum.* Prædestinato enim absolutè, & antecedenter fine, non potest non eodem modo medium vnicè necessarium prædestinari: si mors æterna propter peccatum irrogatur, vt verè irrogatur, quidquid de interitu dixeris, in peccato reperiri necesse est. Gotteschalcus autem, qui ante iudicium hoc sensit expressè, vt constat ex Rabano, & nunquam, ne in Confessione quidem adeo figurata, & subdola retractauit, in secundo statu suo, non est ita considerandus, quum ambiguè & obscurè loquitur, quin vera eius intelligentia ex primo repetatur. Quare solo colore, & fuco verborum, non verò sensus sapore prædestinationem hæreticam mutat, & pueris ineptisque ludificandis, reprobos ait *propter futura certissimè peccata ad mortem meritò sempiternam prædestinari*: quod nos catholicè dici posse agnoscimus: sed hoc animo dictum à Gotteschalco, etiam damnato, & in custodia posito, pernegamus.

Responsio.

Operum bonorum studium esse negligendum.

6. Ex eadem, & ad finem, & ad medium, antecedente, absoluta, & fatali necessitate, bonorum operum in animis hominum contemptionem excitari, disputatum est aduersùs antiquos Prædestinatianos. Hoc ipsum Rabanus quàm sæpe, & ante Concilium, & in epistola Concilij, reprehendit in Gotteschalco? Quem alium nisi Gotteschalcum, aut ex eius schola

Hincm. l. de Prædest. c. 17.

modernum Prædestinatianum, designat Hincmarus, cùm scribit. *Ne quisquam male, sicut diabolus, scripturas interpretans dicat, quia certus est numerus prædestinatorum, qui prædestinati ad vitam sunt, quicquid faciant, quamlibet negligentes viuant, perire non possunt. Hoc enim & veteres Prædestinatiani dixerunt.* Quid aliud in ipsius Gotteschalci libris legebat Amolo, cùm ad eum scriberet, *Et Episcopos ad quos scribis*, (è carcere post imperatum silentium) *quasi misericorditer adhortaris, vt hoc prædicent populis, vt quia iam præfinitam damnationem euadere non possunt, saltim aliquantulùm Deo supplicent, vt statutas eis modicum mitiget, & leniget pœnas.* Olent hæc verba stilum Gotteschalci, ac longè ampliùs, insulsa & seipsam perimens adhortatio. Primùm enim Deus, qui damnationem irretractabiliter præsciit, & prædestinauit, eius mensuram & modum, si non præsciit, ignorauit: si præsciit, & prædestinauit, quomodo eo immutato, mutari potest? Damnationem intacta penitus Dei natura per orationem priuatam mitigare possumus; plena & perfecta pœnitentia auertere non possumus? Cur tota fatalis est, pars eius arbitraria? Deinde, quibus tandem illud suadebunt Episcopi & Prædicatores? Reprobis scilicet irreuocabili sententia damnandis. Qui sunt illi? quo charactere ab aliis distincti? Quam exteriùs præferunt imaginem bestiæ, vt agnoscantur non pertinere ad centum quadraginta quatuor millia signatos? Est-ne Christianorum vllus, cui liceat de salute sua desperare, vt veretur cum Ecclesia canere, quod omnes quotidie concinunt in publica fidei professione, *& expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi seculi, Amen.* Omnibus igitur, quod deterius est, in commune, quia nemo homo prædestinationis suæ partem nouit, auctore Gotteschalco prædicandum est, non vt qui stant, videant ne cadant; non vt improbi confugiant ad pœnitentiam; sed vt orent, quò mitiores, & tolerabiliores ipsis æternæ pœnæ fiant. Hîc verò iure Lugdunensis exclamat, *O-o quid tibi peccauit humanum genus? quid tibi peccauit Ecclesia? quid in ipsa Ecclesia tot proximi, & fratres tui, vt eis tam magnam, tam patentem ianuam pietatis Dei obstruere, & obserare coneris? Quis vnquam fidelis Ecclesiasticus vir ita prædicauit, vt hæc iam attentè, & obstinatè inculcare, & confirmare non erubescas? Verè non est Christiana, sed Pagana, imo Diabolica ista duritia: quam si bene cogitare, & recognoscere posses, profectò signares cor tuum, & manum tuam poneres super os tuum*, vt ab hac iniquitate vel cogitanda, vel proferenda penitus abstineres.

Amolo epist. ad Gotteschalc. n. 5.

Amolo ibid.

Diabolica duritia.

Prædicationem esse superfluam.

7. Admonet capitis alterius prædicatorum mentio. Nam diuinæ legis obseruationem insuper haberi vidimus à primis Prædestinatianis, contráque eos allatam à disceptantibus eiusdem legis prædicationem, Deo imperante, & mittente factam, qua vitam æternam promisit benè agentibus, mortem minatus est peccantibus. Et hoc æquè omnibus annunciatum, vt sciamus Dei decretum humanæ voluntati esse suppositum; non irreuocabile, non irretractabile: posse omnes homines, & singulos saluari, aut perire; vt voluerint ipsi, non vt Deus immutabiliter decreuit, & cogit inuitos. Quæ verò alia est Rabani, Hincmari, Amolonis in Gotteschalcum argumentatio, quàm vt innumeris scripturæ locis demonstrent, omnes ex æquo homines vocatos esse ad iustitiam: prædicatam pereuntibus pœnitentiam; positos in arbitrio mentis humanæ bonorum, & malorum fines, & sexcenta eiuscemodi meridie clariora? Omnes igitur superiores articulos, habet Gotteschalcus cum Patriarchis suis Prædestinatianis communes, reexortus ipse Hincmari seculo Prædestinatianus.

Deum lætari in perditione reproborum.

8. Sed quia seruum pecus imitatores appellantur, & maiorum suorum inuentis aliquid addere ingeniosum putant hæretici, dignum perfidiæ suæ colophonem imponit impius, apud Amolonem ita scribentem. *Sexto loco similiter detestati sumus, quòd Deum, & Sanctos eius in perditione eorum, quos æterna damnationi prædestinatos assiduè repetis*, (legentis fastidium hæ voces denotant) *dicis, exultaturos, & gauisuros: cum è contrario apertissimè scriptura dicat, Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum.* Nitebatur autem hæreticus dicto Prouerbiorum, *Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo.* Cui vt respondeat Lugdunensis ita præfatur. *Protulisti quidem, velut ad muniendum sensum tuum, testimonia de scripturis, sed incongruenter, & non eo sensu, quo ibi posita sunt.* Ac deinde productum locum ita exponit; *Ridere & subsannare Deum in interitu impiorum, cùm eorum superbiam, & contemptum digna punitione humilians atque condemnans, omnem creaturæ vanitatem, & elationem aduersùs creatorem, irrisione & subsannatione dignam esse monstrat.* Quemadmodum Abrahami obedientiam cognouisse se dicit, cùm orbi vniuerso spectandam immolato voluntariè filio exposuit. Notátque Amolo dictum à scriptura, non, *de interitu vestro ridebo*, sed, *in interitu vestro: scilicet, non pro illo, sed in illo: id est, non pro illis, qui culpa sua perierunt, sed quia in eorum iusta perditione, in contemplatione beata, & rationalis creaturæ, laus accrescet & gloria creatoris: exultante omni electa creatura, non in tormentis miserorum, sed in æquitate, & veritate iudiciorum diuinorum.* Addítque in articuli fine dignum Archiepiscopo monitum. *Cùm igitur tam magna, & ineffabiliter maiori cautela, vt aliquatenus intelligi possent, diuina verba indigeant, non facilè à quoquam proferenda sunt, velut pro se, ne forsitan bene tractata, inueniantur contra se.* Quibus verbis Gotteschalci scioli, & eius similium temeritatem in tractanda scriptura, prudenter insimulat.

Amolo ibid. art. 6.

Sap. c. 1.

Prouerb. c. 1.

Gotteschalcus scripturam malè citat.

Explicatur locus Prouerbiorum citatus.

Scriptura cautè citanda.

CAPVT XIV.

De libertate arbitrij, quod est secundum Prædestinatianorum caput, eadem quæ illorum fuit, Gotteschalci sententia.

Ex prædestinatione absoluta sequitur iactura liberi arbitrij.



DE libero arbitrio præiudicat contra Gotteschalcum præcedens opinio, quæ ceterarum caput est, & basis. Quam enim libertatem expectes ab eo, qui nos antecedenti necessitate prædestinari docet à Deo; hoc est cogi, & omni sensu incommutabili determinatione adigi ad bonum, & ad malum, virtutis & culpæ, præmij & pœnæ? Sed ne gratis errores illi videamur affingere, de hoc eius dogmate peculiarem instituimus disquisitionem, & ostendimus priorum Prædestinatianorum exemplo, libertatem arbitrij humanæ naturæ, per Adami peccatum vitiatæ, ab eo denegari.

Gotteschalci artes.

Sed illud hæretico more, vt omnia, hoc est, cum fuco, & fallacia, eáque duplice: quarum prior est in ipsa re, vt in vna tantùm parte, videlicet in bonis operibus libertatem adimere videatur, cùm reuera tollat, & in malis: qui antè docuit, æquè prædestinari à Deo ad malum, vt ad bonum; ad iustitiam, vt ad peccatum. Posterior est in modo proponendi. Nam cùm fides doceat, & catholici omnes maximo consensu tradant, nos sponte naturæ corruptæ labi in malum: at assurgere ad bonum non posse, sine præueniente, & adiuuante gratia: id ipse habere, aut non habere liberum arbitrium interpretatur, vt saltem verbis catholicus appareat, si non sensu: quasi in vnam significationem duo illa, toto cælo diuersa conueniant. Præterea longa, & barbara oratione, in libello ad Rabanum Archiepiscopum per Hincmarum citato, nihil dicit de suo, sed hoc tantùm, id esse tenendū, quod docet Augustinus contra Pelagium, diuersis in opusculis, & maximè in libro Hypomnesticō. Fugiendas erroneas opiniones Gennadij, & nimis perniciosum dogma Cassiani, qui modò Semipelagiani vocantur. Quid autem ipse asserat, incertum relinquit, an omnino libertatem arbitrij cum Prædestinatianis perimat; an deuio quodam calle, & solis ibicibus peruio gradiatur?

Hincm. l. de Prædest. c. 21.

Docet libertatem arbitrij tantùm ad malum superesse.

Hincmarus autem, Epistola ad Lugdunenses scripta, eius opinionem ita concipit. *Dixisse miserabilem Monachum, quod postquam primus homo libero arbitrio cecidit, nemo nostrum ad bene agendum, sed tantùm ad malè agendum, libero potest vti arbitrio.* Quod sic explicat Lugdunensis. *Tanquam in nobis non sit liberum arbitrium, nisi ad malum; ad bonum autem, sola in nobis Dei gratia, absque libero arbitrio operetur.* Et paulò pòst fusiùs. *Cùm autem dixisse arguitur, quod nemo nostrûm, id est, fidelium, nisi tantummodo ad malè agendum libero vti possit arbitrio, quid aliud tali dicto, & tali nouitatis præsumptione asseritur, nisi quòd humanæ mentis arbitrium, quod ante peccatum ad verum bonum amandum, & desiderandum, & fruendum, erat liberum, ita primo homine peccante vitiatum sit & perierit, vt deinceps tantummodo ad malum manserit in homine liberum arbitrium: ad bonum autem agendum siue habendum, nullum sit hominis liberum arbitrium, sed tantùm diuina gratia bonum?* Recta est huius Lugdunensis expositio, nisi quòd eam ad *fideles* solos restringit, satis inutiliter, & intempestiuè; neque malè concipitur censura, hanc esse *nouitatis præsumptionem.* Quæ tantùm homini displicet, vt eam indignatus vel audiri in Ecclesia, statim ad catholicum sensum reducat, non Hincmari docendi gratia (non enim petit Remensis ab Ecclesia Lugdunensi, quomodo thesis illa corrigenda sit) sed erroris illius delendi, quem dolet propalari. *Si enim dixisset generaliter, nemo hominum, & addidisset, sine Dei gratia, & ita subiungeret, libero bene vti potest arbitrio, esset catholicus sensus, & catholica omnino assertio.*

Lugdun. l. de 3. epist. c. 21.

Nouitatis præsumptio.

A Prædestinatianis est illa sententia.

At Gotteschalcana, quam versamus, bifariam diuiditur; de priore parte, in qua tota difficultas est, & error manifestus, vt breuiter dicamus, quæ spectat ad liberi arbitrij ruinam ad bonum, Prædestinatiana illa est, opinio, si putat in opere bono nihil agere liberum hominis arbitrium, sed gratiam Dei solam: quod eo pronunciato significatum voluerunt antiqui, *totum gratiæ est*: vnde colligebant, tantùm misericordem esse Deum in eos, quos acquirit; iustum tantùm in eos, quos relinquit. Quibus Faustus Reiensis respondet. *Iustus est, & circa eos quos suscipit reuertentes, quos non deserit laborantes, quos dignos efficit libertate, fideliter seruientes. Hæreticus autem ideò circa malos negat misericordem, quia non credit oblatam fuisse salutis copiam, his qui delabuntur in mortem. Ideo circa bonos non asserit iustum, quia nihil eis æstimat pro humili deuotione conlatum*, id est, pro humilitate, qua gratiam acceptarunt, & cooperatione qua laborarunt. *Misericors ergo est, quia & malis ingerit rationis intellectum, & bonitatis affectum:* licèt illo non vtantur, & ex eo contemptu peccent. *Iustus verò, quia obedienti proponit præmium.* gloriam & gratis, & meritò æternam. *Ecce quomodo sibi admirabili commercio diuina, & humana sociantur: ad obedientiam pertinet labor, fructus verò laboris ad gratiam.* Multa docet hoc loco Faustus, sanè catholica, & pia. Omnibus & singulis, etiam pereuntibus, gratiam offerri à Deo: velle igitur Deum etiam illos saluos fieri. Gratiam sic oblatam ab iis respui, adeóque damnari: sufficientem igitur esse, non efficacem. Prædestinatianum igitur est, Fausto iudice, & hæreticum, negare gratiam, etiam pereuntibus, offerri: bonos illi gratiæ cooperari: atque sic cooperantibus, & collaborantibus mercedem reponi. Sic demum explicari, quomodo totum gratiæ sit, etiam obediente per liberum consensum homine. Dixerat enim antea. *Cùm responderimus totum planè gratiæ est; sed omnibus eam offert, atque ingerit ad salutem, omnium conditor ac redemptor.* Idem verò cum aduersariis Fausti sentire Gotteschalcum nemo dubitabit, qui lecta attentiùs eius Confessione duplici, deprehendet in electis nunquam exprimi merita, & laborem cooperationis; ingratiis, & vt plurimùm, alieno loco gratiam, gratuitum donum, gratis, & similia, in omnibus eius opusculis cum affectatione re-

Faust. Reiens. l. 2. de gr. c. 14.

Gratia sufficiens.

Idem l. 1. c. 4.

peti, & inculcari: vt dum gratus aduersùs Deum videri affectat, & humanæ libertati, & bonis operibus, contra Dei iustitiam, & Ecclesiæ doctrinam, sit iniurius. Vt maximè ad eum referatur, quod de suis dicebat idem Faustus. *Cùm dixerint, totum gratia est, quis non ad tam reuerendum nomen omni cordis inclinetur affectu?* Esset enimuerò indignum prorsus, & perfidum, si de Dei gratia soli pro rei magnitudine sentirent hæretici, & magnificentissimi sponsi gratiæ quicquam eriperet sensus Ecclesiæ. Gratiam certè omnes excitantem, præuenientem, adiuuantem, subsequentem, victricem, coronantem profitentur catholici, gratiam pro gratia, secundam pro prima bene occupata, postremam pro antecedentibus, vberiorem quàm pro meritis, perseuerantem præter merita, cum profundissima grati animi significatione agnoscunt, déque sibi hactenus collatis, & in posterum conferendis gratias habent, & agunt immortales. Sed aureo gratiæ nomine hæresim propinari, à priscis moderniśque Prædestinatianis, humanam cooperationem negligi, opera bona profligari non patiuntur.

Idem ibid.

Et quidem Epistolario ipso Lugdunensi multùm assentiente, cui tam videtur opinio illa insolens, & intolerabilis, vt credere non possit hoc dicere vel sentire potuisse Gotteschalcum. *Quod genus erroris nec apud hæreticos, nec apud quenquam Catholicorum nos cognouisse, vel audisse meminimus: ita vt etiam de isto hoc nobis, vt iam diximus, incredibile videatur.* Quod & ab illo abiudicare conatur, rationibus perquàm infirmis & leuibus. Ioannes autem Scotus aduersùs Gotteschalcum agens, tres hæreses commemorat; Pelagianam, quæ *libertatem arbitrij sine dono gratiæ, ad perficiendam hominis iustitiam sufficere* contendit: & alteram Anonymam, quæ *gratuitæ gratiæ donum ita confirmat, vt eo solo in homine operante, omni conatu liberi arbitrij contempto, omnis fidelis fastigium iustitiæ contingat. Vna igitur donum gratiæ contemnit, altera donum libertatis arbitrij; ambæ impietate pares, secta verò dispares.* Quanquam & inter eas aliquod reperit in impietate discrimen. Quia *vnus, id est, solius gratiæ prædicator, prima quidem fronte venenum suum sub specie pietatis occultat: alter, id est, laboris assertor, protinus extantem tumorem improbæ elatione manifestat. Hæc professio, insinuando solum laborem, ipso sui titulo detestanda: illa magis sub religioso colore metuenda est. Hæc sacrilegium suum ipsis suis auribus prodit: illa virus suum imis visceribus pene antequam sentiatur, infundit.* Verbo vno, & Pelagiana, & illa hæresis, quæ sine nomine explicatur, exitiabiles sunt: sed hæc eò peior, quò occultior. Video equidem de hac posteriore, litem Scotum inter, & eius aduersarios Prudentium, atque illum, qui Florus Lugdunensis putatur excitatam, dum negant isti extitisse illam vnquam, aut certè sibi penitus ignotam esse fatentur; quam narrat Prudentius, in B. Augustini libro de nonaginta hæresibus quæsitam, non inuenisse. Quam ego disputationem ab instituto meo remotam esse professus initio, sic tamen egi, vt & credibile facerem extitisse aliquando, & ea iure supposita, disputarem. Ac eam profectò quin è Fausto Reiensi Scotus hauserit non dubito. Is enim in ipso

Duæ extremæ opiniones hæreticæ.

Ioan. Scot. l. de vnic. prædest. c. 4.

Ecclesf. Lugdun l. aduers. Scotum c. 4. Prudent. item aduer. Scot. c. 4.

Faust. Reiens. l. 1. de grat. c. 1.

operis de gratia, & libero arbitrio aditu, cùm consilium suum lectori debuit aperire, *vt sollicitus quisque cognoscat*, inquit, *multò aliud esse salutari gratiæ officium laboris adiungere; aliud verò nudum ab que patrocinio gratiæ laborem, temeritate vana asserere.* Id est, vt omnes intelligant, quantùm inter se differant, qui dicunt cooperandum esse gratiæ, ab iis qui volunt operandum sine gratia; quia Pelagius, qui istud temerè asserit, *ita ex parte alia cecidit, dum arbitrij libertatem integram prædicat & inlæsam; sicut illi qui eam ex toto asserunt fuisse euacuatam:* Gratia sola in nobis sine nobis bonum quodlibet operante. Atque illi, meo iudicio, non alij sunt, quàm Prædestinatiani, quorum celebre pronunciatum est, totum esse gratiæ, humanæ scilicet voluntatis operatione seclusa. Cuius hæreseos nomen non aperuit Faustus, neque retulit Scotus, quia semper fuit obscura: illam autem nosse dissimulant patroni Gotteschalci; quia in ea clientem suum vident.

Tertia hæresis, quæ suo & nouo nomine Gotteschalcana vocatur à Scoto, inter extremas illas media esse dicitur, quia *mira diabolica subtilitate ex duabus prædictis hæresibus manat; dum earum videtur esse partim negatiua, partim confessiua.* Quod modis duobus explico. Prior est, vt arbitrium liberum neget cum Prædestinatis in cooperatione gratiæ, & bonis operibus; affirmet autem in malis operibus, cum Pelagianis, dum fatetur habere nos arbitrium ad malum. Posterior est, qui magis ad Scoti mentem accedit, quia dum boni omnis moralis *necessarias ineuitabiléśque causas in prædestinationibus diuinis*, siue duabus, siue vna gemina duas partes complexa, constituit, eo facto, & gratiam Dei tollit, quia necessariò subministrat media, quorum fines prædestinauit irreuocabiliter: & liberum arbitrium euacuat, cui sublata omni electione, & finis & mediorum necessitatem omnem imponit. Nam si prædestinatio est causa necessaria, cogens ad vitam, & ad mortem; neutra in libero arbitrio relicta est, quod aiunt Prædestinatiani. Rursus, si sola prædestinationis necessitas admittitur, donum gratuitæ gratiæ necessarium non est ad faciendam iustitiam, quod aiunt Pelagiani: Sic vtrique hæresi noua hæresi repugnat Gotteschalcus. Iam verò, idem Gotteschalcus pro electorum prædestinatione, gratuitum Dei donum, & quidem solum, absque laboris humani necessitate agnoscit; facit igitur pro Prædestinatianis, contra Pelagianos: atque idem in impiorum prædestinatione fatetur relictum ipsis liberum arbitrium, quo possint vti ad malè agendum, per quod necessariò damnantur: Stat igitur hac in parte pro Pelagianis, contra Prædestinatianos.

Tertia hæresis media, Gotteschalci.

Lugdunensis impugnator Erigenæ sententiam illam sibi esse cognitam negat: perstricto Hincmaro, quòd eam Ecclesiis examinandam, & damnandam non proposuerit. Cuiuscunque autem sit, *manifestò horribiliter in Deum blasphemare* asserit, *quem ad peccata compellendo, vtique peccati auctorem esse confirmat.* Et hoc ad vtranque partem opinionis initio exhibitæ persuadit. Nulla enim potior ratio est, cur dextræ prædestinationis vi & necessitate, gratia bonum in nobis sine nobis operetur; quàm cur sinistræ prædestinationis, eadem necessitate, sublato

In ea distinitur abominibus.

lato

lato libero arbitrio cogamur ad malum: atque ita Deus prædestinatione sua absoluta sit auctor peccati. Prudentius hanc esse Gotteschalci opinionem dissimulans, satis habet dicere, se *Gotteschalcanam hæresim nec defendere, nec tenere.* Quippe qui liberum arbitrium cum prædestinatione ad supplicium, propter crimina liberè commissa, consistere asseuerat. Illa eadem blasphemia mirum in modum Dissertatori Præsidi displicet, quamuis Gotteschalcanam non esse, probare non possit efficaciter. Itaque Gotteschalcum miserabilem Monachum hoc loco, quanquā diuersis modis, patroni omnes deserunt. Nam cùm fateantur illud sine blasphemia dici, & cogitari non posse, Lugdunensis Epistolarius frigidè negat, credibile esse id dictum à Gotteschalco: Lugdunensis alius iudicium hac de re suum sustinet: Prudentius Gotteschalcum deserere palam profitetur: Dissertator ex horrore blasphemiæ, cupit eius immunem fieri Gotteschalcum, nec euincit: solus igitur Gotteschalcus *sanissimam* hanc *& diuinam doctrinam* tenet, & defendit.

Neque illā inter ceteras tacet Hincmarus

Sed eam, inquies, blasphemiam illi non obiecit Hincmarus, siue de eius erroribus scribens ad Nicolaum Papam; siue eos Egiloni commemorans Romam eunti, & ea de re acturo cum Pontifice: siue cùm capita colligit, in quibus peccat Gotteschalcus; tria enim tantùm numerat, quartum istud de libero arbitrio prætermittit. Respondeo, obiici à Rabano, ab Amolone, ab Hincmaro; sed ab hoc non vbique, quia non semper necessarium credidit, ob rationes nobis ignotas. Verùm & hoc caput ab illo frequenter cum ceteris aut significari, aut nominari, nescio qua fronte negari possit. Nam statim initio libri de prædestinatione, notat illum sibi *elegisse quatuor capitula.* Ac deinde alibi, quatuor veterum Prædestinatianorum capitula, cum nouis Prædestinatianis conferens, secundum ordine, id quod versamus de libero arbitrio recitat. Tum etiam epistola ad Egilonem tertia, istud ipsum fusè edisserit, in hæc verba. *Liberi arbitrij opera siue bona, siue mala, nihil valere ad meritum, sed siue ad vitam, siue ad mortem, cuncta Dei prædestinationem agere ab ista doctrina enucleatur: à qua & reprobis tollitur meritum damnationis, & iustis meritum aufertur salutis. Ac per hoc nec illi iustè damnantur, qui iusti esse non possunt: nec isti iustè remunerantur, quia aliud quàm iusti esse non possunt.* Cur autem in Capitula Carisiaca liberi arbitrij mentionem intrusisset, si de illo nulla esset cum Gotteschalco disputatio?

Hincm. l. de prædest. c. 1.

Ibid. c. 15.

Idem epist. 3. ad Egil.

CAPVT XV.

De duobus postremis Prædestinatianorum articulis, hoc est, de salute hominum, & Christi redemptione, quid senserit Gotteschalcus.



CAPITA duo simul hîc complectimur, vt faciliùs seiungamus. Sunt enim & in Gotteschalco implicita, & à Gotteschalco implicata, fastidioso & tenebricoso multiloquio, cui iure occinas, *Quis est iste inuoluens sententias sermonibus imperitis?* aut illud non minùs verum & æquum. *Nunquid qui multa loquitur, non & audiet? aut vir verbosus iustificabitur? Tibi soli tacebunt homines. & cùm ceteros irriseris, à nullo confutaberis?* Subiiciamus oculis verba, è quibus sententia hæretici apertiùs eruatur. Quæstio duplex est, velit-ne Deus omnes vniuersè homines saluos esse? Fuderit-ne Christus sanguinem pro saluandis omnibus? In vtraque ad negantem partem deflexerunt Prædestinatiani veteres, vt fusè monstrauimus. Quid Gotteschalcus? De priore ita censet. apud Hincmarum.

Gotteschalcus quæstiones implicat

Iob. c. 38.

Ibid. c. 11.

Ait obiectio octaua Gallorum, apud Prosperum, *quòd non omnes homines velit Deus saluos fieri, sed certum numerum prædestinatorum. Et item obiectio secunda Vincentianorum, Quia Deus nolit omnes saluare, etiamsi omnes saluari velint. Et Gotteschalcus modernus Prædestinatianus in libro ad Rabanum Archiepiscopum Moguntinum. Omnes, inquit, quos vult Deus saluos fieri, sine dubitatione saluantur: nec possunt saluari, nisi quos Deus vult saluos fieri. Nec est quisquam, quem Deus saluari velit, & non saluetur; quia Dominus noster omnia quæcunque voluit, fecit. Ipsi omnes itaque salui fiunt, quos omnes vult saluos fieri.* Lacinia hæc est, vt antè vidimus, irretractabilis & necessariæ prædestinationis, eadémque ratione suadetur, præscientiæ, quæ tantùm illos tales præuidit; omnipotentiæ, quæ eosdem solos prædeterminauit, quibus si adderentur alij, præter scientiam eius & voluntatem, mutaretur, & sic moreretur. Quare scripturæ quæ aiunt velle Deum omnes homines saluari, explicantur & contrahuntur, ad omnes qui saluantur. Quod effugium vt intercludat Hincmarus, in tertio suo capitulo, istis erroribus opposito, ita scripsisse se admonet, *Deus omnipotens omnes homines sine exceptione vult saluos fieri:* non aliam ob causam, nisi *quia Gotteschalcus nouorum Prædestinatianorum primicerius, in præfato suo libello ad Rabanum scripserat, omnes, & omnes debere intelligi, id est, omnes qui saluantur, de quibus dicit Apostolus, qui vult omnes homines saluos fieri; & omnes qui non saluantur, quos non vult Deus saluari: sicque hac interpretatione peruersa, & Apostolica verba, & Prosperi apud auditores suos peruertebat sententias.* Cui propositioni inter ceteras Patrum auctoritates, Cælestinum Papam non semel opponit, ex officio Romanæ Ecclesiæ in die Parasceues, probantem, vocari omnes ad salutem, quia pro omnibus etiam Gentilibus, & Iudæis Ecclesia supplicat. *Obsecrationum sacerdotalium sacramenta respiciamus, quæ*

Docet non velle Deum omnes saluari.

Hincm. l. de prædest. c. 24.

Hincm. ibid.

Cælestinus post epist. 8. c. 11.

Hincm. ibid. & Epist. c. 5.

L

ab Apostolis tradita in toto mundo, atque in omni catholica Ecclesia concorditer celebrantur, vt legem credendi, lex statuat supplicandi. Cùm enim sanctarum plebium præsules mandata sibi legatione funguntur, apud diuinam clementiam humani generis causam agunt, & tota secum Ecclesia congemiscente, postulant & precantur, vt infidelibus donetur fides; vt idololatræ ab impietatis suæ liberentur erroribus; vt Iudæis sublato cordis velamine lux veritatis appareat; vt hæretici catholicæ fidei perceptione resipiscant; vt schismatici spiritum rediuiuæ caritatis accipiant; vt lapsis pœnitentiæ remedia conferantur; vt denique Catechumenis ad regenerationis sacramenta perductis cælestis misericordiæ aula reseretur. Istis omnibus initium salutis peteretur à Deo, si humano generi vniuersè salutem Deus offerre non censeretur? Quo in argumento duo notat Hincmarus: neminem credi exceptum, cùm agitur apud diuinam clementiã humani generis causa. *Vnde ad locum dicit Ecclesia, Deus qui saluas omnes, & neminem vis perire; licèt quidam iniquitate, & obduratione propria pereant.* Deinde, fieri preces istas ab Ecclesia, *specialiter in die crucifixionis Domini nostri Iesu Christi, ostendente pro quibus sit crucifixus, quósque vult saluos fieri,* de quo modò dicendum. Postquam præterea obseruauerimus, hanc precandi formulam, Cælestino Papa priorem esse, non occasione primorum Prædestinatianorum introductam: Hincmari seculo piè sanctéque vsurpatam, vigere adhuc in Ecclesia inter sanctissimos maximéque venerandos totius anni ritus. Quamobrem si quid potest valétque Cælestini & Hincmari, aduersus veterem nouámque Prædestinatianam hæresim argumentum, certò conficitur, ab omni æuo ex *Apostolica traditione* illam Ecclesiæ Romanæ, & Catholicæ fuisse, & esse sententiam, quíque alia vel vnquam senserunt, vel modò aiunt se credere, plurimùm laboraturos, vt Ecclesiæ satisfaciant de hæresi.

Omnes à Deo vocari Apostolica traditio est.

Christum non esse passum pro omnibus.

Obscurior est in Gotteschalco de Christi redemptione difficultas, quæ & hanc etiam inuoluit, de omnium salute; nisi quòd in fidelium baptisatorum consideratione potissimùm insistit: ex quibus patens est ad omnes alios regressus. Nam si ne Christianos quidem omnes, sed paucos tantùm ex iis prædestinatos ad cælum, Christus vult saluare, neque pro iis omnibus, quibus fidem & baptismum impertit, mortuus est, quis alios omnes Christiani nominis aut ignorantia, aut contemptu, & odio perditos, tam pretioso sanguine frustra profuso redemptos existimet? Profectò, vt de omnipotentia Dei iure optimo dicitur, *omnia quæcunque voluit, fecit*; ita pro efficacitate passionis, & gloria redemptoris omnino dicendum, omnes quos redemit, saluauit: ille nimirum qui dixit, *Ego cognosco oues meas, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Absit procul à me,* inquit huc alludens Gotteschalcus, *vt vel illud solummodo velim somniare, nedum semel susurrare, vt vllum eorum perpetualiter secum periturum, antiquus rapere valeat anguis, pro quibus redimendis tam pretiosus Deo patri Domini Dei nostri filij sui fusus est sanguis. Amen.* Et in metrica ad Ratramnum epistola.

Ioan. c. 10.

Gotteschal. apud Hincmar. l. de prædest. c. 35. & epist. 37.

Epist. ad Ratramn.

Quorum nemo perit, quos sanguinis vnda redemit
Agni cælestis, qui vitam contulit illis.
Felix, agnorum fueris qui extremus eorum:
Nec leo, nec prædo, lupus ac draco, latro, nec ambro
Hinc rapiẽt quenquã, vel vi, vel fraudibus vnquã.

Quam sententiam fideliter expressit Amolo, cùm hunc errorem primũ obiiceret. *In primis displicet nobis valdè, quod dicis & asseris, neminem perire posse Christi sanguine redemptum.* Planè ad mentem, nec procul à verbis hæretici, apud Hincmarum cum Deo sic loquentis. *Claret itaque satis apertè, quoniam nullus tibi perit, quisquis redemptus est per sanguinem crucis tuæ.* Vnde conficitur, quicunque perit, non esse redemptum; nam si redemptus esset, perire non posset: & quod sequitur, Christum pro illo non esse passum & mortuum. Sic enim explicat Amolo, duplicem assertioni Gotteschalci sensum attribuẽs, vtrunque erroneum. *Hoc dictum*, inquit, *dupliciter fidei catholicæ aduersatur. Si aut neminem ex numero Christianorum, postquam semel in Christo baptizatus, & particeps redemptionis Christi effectus est, perire posse confirmas.* Quod, inquit, scripturæ, rationi, & experientiæ nimiùm certis exemplis confirmatæ certissimè repugnat, innumeris post baptismum in hæreses, vel peccata criminalia prolapsis, in impœnitentia finali morientibus; quod huic ipsi miserabili Monacho videbimus euenisse. Atque Hincmarus capite bene longo, & operis de prædestinatione postremo, sexcentis Patrum auctoritatibus fusissimè probat, *Christum pro omnibus passum esse, licèt non omnes eius passionis mysterio ad vitam redimantur æternam.* Vt ex hoc capite contra hæreticum tria euincamus, Passum esse pro omnibus omnino hominibus Christum, qui ante incarnationem fuerant, quíque post incarnationem futuri sunt: & ita passum, vt vi mortis, & copiosæ apud Deũ redemptionis, saluari omnes & singuli potuerint semper, & possint, etiam qui actu pereunt: omnes quoque & singulos etiam baptizatos, etiam qui actu saluantur, atque adeo prædestinatos, perire posse. Neque verò probari potest, vllum vnquam catholicorum Patrum dixisse, aut Ecclesiam dictum probasse, fideles baptizatos, qui infallibiliter damnantur, non potuisse saluari.

Amolo epist. ad Gottesc. a. 1.

Hincm. l. de prædest. cit. c. 35.

Amolo.

Non posse perire eos pro quibus Christus mortuus est.

Hincm. l. de prædest. in Epilog. c. 6.

CAPVT XVII.

Errores Gotteschalci de fidelibus reprobis morte Christi non redemptis.

VT in prioribus articulis, sic in postremo de Christi redemptione, maxima ex parte sequutus Prædestinatianos antiquiores Gotteschalcus, ingenio etiam suo nonnihil indulsit, vt nouitatem antea inauditam adueheret, qui genuinus est hæreticæ mentis character. Quare, hoc loco si quæritur ab illo. Quid? etiámne qui lauacro sanctæ regenerationis perfunduntur, licèt prædestinati non sint, & vi prædestinationis sinistræ perire cogantur, Christi sanguine redempti non sunt? Hic est enim sensus alter Gotteschalcanæ assertionis, quam versamus, ab Amolone propositus. *Aut non credis, omnes qui vera fide, & deuotione per baptismi gratiam regenerantur, Christi esse sanguine redemptos, imo in Christi morte, & sanguine baptizatos; licèt postea plurimi ex eis, vel per hæreses, vel per alia diuersa crimina pereant.* Varia respondet impius, & se ipse contradictionibus inuoluit. 1. Verè redemptos esse, at non morte, verùm baptismo,

Reprobos Christianos non morte Christi, sed baptismo redemptos esse.

Amolo.

est enim secundùm Apostolum, baptismus etiam redemptio; redemptos, inquam, sed non perpetualiter. Hoc est, vt æterna vita possint aliquando perfrui: quod dogma pluribus, vt solet, edisserit, apud Hincmarum.

Gottesc. apud Hinc. l. de præd. c. 35.

Gotteschalcus autem post præposita testimonia, quæ proferuntur ex scripturis, Dominum passum fuisse pro omnibus, ita dicit. Qui verò, inquiens, propter hæc testimonia, vel alia his similia, generaliter pro omnium tam scilicet electorum, quàm reproborum salute, & redemptione Dominum passum esse dicit, ipsi Deo Patri contradicit. Et reliqua, vsque dum ad ista peruenit, vt diceret. Veruntamen, quia electi & reprobi, propter peccatum originale, & omne insuper actuale, tamdiu detenti sunt, detinentur, detinebuntur sub diabolo captiui, donec redimerentur, atque redimantur diuinitus per gratiã baptismi: quandocunque, quicunque fuimus in Trinitatis nomine baptizati, tunc sine dubio, vel electi vel reprobi communiter exitimus redempti, id est, de dominio dæmonicæ ditionis eruti & liberati: & quotiescumque, quicunque baptizantur, & deinceps in diem iudicij baptizabuntur, tunc à diabolica prorsus captiuitate redimuntur atque redimentur, id est, eruuntur & liberantur, eruentur & liberabuntur. Hinc est illud Apostoli Petri, de magistris mendacibus, & sectas perditionis introducentibus, celerémque sibi perditionem superducentibus: Eum, inquit, qui emit eos, Dominum negantes. Baptismi enim Sacramento eos emit, non tamen pro eis crucem subiit, nec mortem pertulit, neque sanguinem fudit. Quòd autem baptismi perceptio, redemptio nuncupetur, Doctor gentium manifestè fatetur. Nolite contristare, inquit, Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis. Et in eadem superiùs ad Ephesios epistola, In quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto. Hinc etiam S. Hieronymus asserit, redemptionem, inquiens, veterum peccatorum in aquis baptismi reperit. Sed huiusmodi redemptio, quæ communis est, & electis, & reprobis, non redemit, nisi à peccatis præteritis. Cui postremo dicto Hincmarus Augustinum opponit, docentem etiam à futuris peccatis fideles redimi per baptismum, eo sensu, *non vt baptisma quoties peccatur, toties repetatur; sed quia ipso quòd semel datur, fit vt non solùm antea, verùm etiam postea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur.* Quid enim aut pœnitentia, aut eleemosyna prodest ad salutem absque baptismo? Redit deinde ad hæreticum. *Deinde Gotteschalcus prosequitur in præfatis suis blasphemiis. At illa quæ propria, & specialis est solorum omnium electorum, quam eis tantummodò crucifixus impertiuit, pius redemptor ipsorum, sicut à præteritis, ita nimirum & à præsentibus natos, & nascituros, viuos & mortuos, videlicet omnes pariter electos redemit, eruit, abluitque peccatis. Ipsi prorsus, ipsi sunt mundus pro quo passus est Dominus, vt ipse dixit, Panis quem ego dedero, caro mea est pro mundi vita.*

2. Petri 2.

Ephes. 4.

Ephes. 1.

August. l. 1. de Nupt. & Concup. c. 33.

Ioan. c. 6.

Expenditur locus Gotteschalci.

Multiloquium istud, ex eius pitacio, quo Monachum quendam amicum instruxit, exceptum, *iugi meditatione* indiget, vt aut intelligatur, aut emendetur, quando in eo peccatum non deest. Quare Præses Dissertator, fusissimè primam Amolonis censuram, à Gotteschalci doctrina conatur amoliri, quem otiosè consules, Lector, non tamen, si placet, absque breuiore commentarij huiusce nostri appendice. In qua primùm annoto, significari non obscurè, & supponi à Gotteschalco, pro nullis infidelibus mortuum esse Christum; quando duobus in ordinibus electorum, & reproborum, de reprobis fidelibus tantùm disputat: tanquam superfluum sit de infidelibus anquirere, de quibus nullam litem esse sibi persuadet. Neque de eius opinione dubitari potest, quando Hincmarus, proposito Prudentij articulo in epistola ad Wenilonem, Christum esse passum pro omnibus, ex toto mundo in eum credentibus; non autem pro illis, qui nunquam in eum crediderunt, aut credituri sunt, addit continuò. *Sed & Gotteschalcus in hanc venit sententiam.* Quod libentissimè Dissertator agnoscit. 2. Christianos bifariam diuidi. Nam cùm omnes redempti sint; alij temporaliter tantùm, alij perpetualiter dicuntur redempti. Primi reprobi sunt, qui tantùm ad momentum temporis gratia donati, ea tandem excidunt, & in perpetuum damnantur; quod ob prædestinationem antecedentem necesse est euenire: alij gratiam percipiunt, ad vitam æternam profuturam: ij sunt ad gloriam absoluto Dei beneplacito prædestinati. 3. E duobus illis ordinibus fidelium, solos prædestinatos ad vitam, Christi sanguine redemptos dici posse, ac proinde pro solis illis Christum esse mortuum. 4. Alios autem, id est reprobos, non redimi cruce, morte, sanguine, sed baptismo. Quod cùm conceptis verbis asserat Gotteschalcus, viderit Dissertator, qua ratione scribat, *omnes qui per baptismi sacramentum Christi corpori inserti sunt, verè & propriè Christi sanguine redemptos esse:* quod verissimè dictum, posteriore dicto corrumpit, hoc *nullum Christianum impugnare, & Gotteschalcum ipsum specificè asseruisse.* Quæ enim assertionis forma, & species est, cùm contradictoriè scribat Gotteschalcus, *Baptismi sacramento eos emit; non tamen pro eis crucem subiit, nec mortem pertulit, neque sanguinem fudit?* Rectè patronus quid dicendum fuerit, & quid ipse dictum cupiat, exprimit, vt fingat reum non esse. Sed nos historiam petimus, non artem oratoriam.

Dissert. c. 21.

Supponit infideles non esse redemptos.

Hincm. l. de prædest. c. 33.

Fideles & redemptos in duo membra partitur

Gotteschalci & Dissertatoris contradictio

5 Quærimus igitur, & merum ænigma est, quid sit illud Latinæ & Romanæ, hoc est, catholicæ linguæ hactenus incognitum, *redimi baptismo, non cruce & morte?* Nam cùm Christianè loquuti dicimus, fideles Christi morte, sanguine, passione redemptos esse, hoc dicimus, vi, efficientia, merito Passionis Christi, gratias nobis parari, quibus peccato, & dæmonis seruitute liberari, atque in libertatem iustitiæ, & gloriæ filiorum Dei transferri possimus. Christi sanguinem, esse veluti λύτρον, & pretium Deo Patri, pro nobis in meliorem statum asserendis, persolutum: de quo dixit Petrus *non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi, & incontaminati.* Et alibi, *eum qui emit eos Dominum negantes:* τὸν ἀγοράσαντα, qui mercatus est, & soluit pretium: vitam scilicet & sanguinem in Cruce. An simili ratione dicimur empti baptismo? Quo? Cuius? Christi, an nostro? Si primum; quid virium haberet Christi baptismus in Iordane, nisi sanguine tinctus esset in loco Caluariæ? Quis inquam Christi baptismo redemptionem nostram assignauit? *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Qui venit per aquam*

Absurdè dicuntur redempti baptismo, non cruce.

1. Petr. 1.

Apocal. c. 1. 1. Ioan. 5. *& sanguinem Iesus Christus: non in aqua solùm, sed in aqua, & sanguine.* Si secundum, quid est aliud baptismus noster, quàm Christi Passionis effectus, redemptionis applicatio, infiniti meriti particula, in nostræ salutis initium collata? Non ergo redimit principaliter baptismus, sed Christi mortui meritum, per baptismum: non lauat aqua; sed Christi sanguis per aquã. Vnde enim baptismus vim sanctificantem accipit? à morte Christi. Rom. c. 6. *Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus.* Quid agimus cùm in fontem beatæ natiuitatis immergimur? *Consepulti sumus cum illo, per baptismum in mortem: vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Quid plura in re aperta & triuiali? Nemo sine Christi sanguine baptisatur. Quid est ergo, *redimi baptismo* eum, pro quo sanguis non sit effusus?

Actum à potestate non distinguit Gotteschalcus. 6. Obseruari etiam placet, actum in Gotteschalco, à potestate non distingui, cùm adeò studiosè tempus notat, quo tempore redimimur: *Quandocunque*, inquit, *quotiescunque* baptizantur, *tunc* rediminuntur; *quotiescunque* baptizabuntur, *tunc* redimentur. Quò tendit hæc diligentia, nisi vt doceat, non antè redemptos esse actu, quàm baptizentur actu? Cùm reuera Christus moriens actu redemerit, & dederit eis *potestatem filios Dei fieri?* Ioan. c. 1. Hac ratione Constantinus, Constantius, Victorinus, & similes, tunc tantùm à Christo fuerint redempti, cum aquis lustralibus tincti sunt. Neque id absurdum, si non sunt in Christi morte, & sanguine redempti aut baptizati. Eodem iure, desertor Iulianus, cum sacrilega temeritate Christiani baptismatis characterem delere conatus est, redemptus esse desiit: sic in *magistris mendacibus, & celerem sibi perditionem superducentibus* desultoria fit, & ad eorum arbitrium versatilis Christi redemptio: non vt tantùm reddatur inefficax & inutilis in ipsis, quod omnes fatemur; sed etiam vt nulla sit amplius & expirauerit, cùm baptismi gratia exciderunt. *Desultoria redemptio.* Illud dogma imperitiæ an malitiæ miserabilis Monachi adscribas, iudicabis Lector; certè cogentem prædestinationem multùm promouet, & satis consequenter errat. Nam si, qui soli actu baptismum percipiunt, actu redempti sunt à Christo, iam infideles omnes baptismi expertes qui fuerunt, aut erunt, redempti actu non sunt. Præterea, quicunq; baptismi redemptione, per apostasiam à fide, aut mortale aliud crimen semel excidunt, ij spem salutis, & eius recuperandæ potestatem penitus amittunt, quia non potest baptismus iterari. Et miramur non posse saluari *perpetualiter*, qui temporariam salutem, ad quam vnam præordinati erant, seruare noluerunt, atque hinc iam ne illam quidem possunt reparare? Sed dum se putat è vado emergere, in lutum profundiùs ingreditur. Vt enim familiaribus exemplis rem illustremus, cùm filio pater opimam hereditatem comparat, actu dat illi potestatem, vt aliquando diues possit viuere. At idem filius actu fit diues, cùm mortuo parente in thesaurorum possessionem succedit, quam tamen deserere potest, & aliis heredibus fruendam relinquere, aut præcipiti nepotatu irreparabiliter dissipare. Medicus non tunc tantùm salutem parat ægro, vel recuperandæ sanitatis potestatem facit, cùm medicatam potionem in os infundit: sed cùm primùm illam miscet, inde propiùs cum propinat, & offert; postremò efficaciter cùm ori admouet, & in stomachum traiicit. At non isti soli, quem actu curat, salutis potestatem facit, cùm medicinam apparat: sed iis etiam qui oblatam abiicient; qui ad eius aspectum nauseabunt; qui haustam euoment; qui morte præuenti, ne tangere quidem poterunt. Hæc refer ad Christum morientem, & per aquam & sanguinem, actu poculum parantem, quo peccatum humanæ naturæ insitum, originale toxicum tolli possit ab omnibus, & singulis, sed actu in tempore tollatur à paucis.

7. Progrediamur vlteriùs: Hæc ipsa potestas acquirendæ iustificationis, & suscipiendæ redemptionis baptismalis, à quo parata est? Certè à Christo. *Non alios posse baptizari, quàm qui actu baptizantur.* Quando? quo vitæ tempore? qua actione? Nam crucis & mortis momentum excludit. Quibus parata est? Non infidelibus, inquit, qui actu non suscipient. Sed iis *quicumq; deinceps in diem iudicij baptizabuntur.* Itaque vt ij soli, qui specialem habent redemptionem, *quam eis tantummodò crucifixus impertiuit*, perpetualiter saluari possunt; ita soli quos *emit baptismo*, saltem temporaliter, peruenire possunt actu ad baptismum: ergo soli qui baptizantur actu, possunt baptizari; qui non baptizantur, neque modò possunt, neque vnquam potuerunt baptizari, quia nunquam sunt *empti baptismo*. Præclarè. Et quemadmodum antecedens prædestinatio cogit electos ad vitam ingredi: sic antecedenti necessitate isti ad baptismum adiguntur, neque possunt non baptisari; quomodo neque saluari possunt, quia non sunt ad salutem perpetuam, sed tantùm ad temporalem prædestinati. Eruditè. Sed hoc nesciebat Paulus, cùm apud Festum, Felicem, Agrippam, Athenienses, & in ipso Cæsaris tribunali, Christum prædicaret; nesciebat, inquam, eos omnes non posse ad baptismum applicari, non esse illos emptos baptismo: & stultè sperabat sui similes facere, exceptis vinculis. Act. Apost. c. 26.

8. Denique, vt hoc cænum mouere desinamus, quid illud est in multiloquij cauda, *crucifixus electos omnes sicut à præteritis, ita & à præsentibus, natos, & nascituros, viuos & mortuos redemit?* *Pro quo mundo passus sit Christus secundùm Gotteschalcum.* Hoc, vt arbitror, significat, omnes omnium seculorum electos Christi sanguine redemptos esse. Rem videlicet nouam, & inauditum mysterium! Sed apertum quod sequitur. *Ipsi sunt mundus, pro quo passus est Dominus.* Vt in Ioanne cùm legimus, *ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed pro totius mundi:* 1. Ioan. 2. & quoties alibi mundum totum audimus redemptum à Christo, solos electos intelligamus. Sic in Paulo; *vult omnes homines saluos fieri*, hoc est, omnes electos: & iterum in Ioanne, *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, id est, omnem electum. Cui oppositus est mundus alius, de quo ibidem, *Et mundus eum non cognouit.* Et alibi, *Testimonium eius nemo accipit. Quod exponens Augustinus, ita dicit: Nemo, est quidam populus, præparatus ad iram Dei, damnandus cum Diabolo. Et iterum loquens de duobus mundis. Totus mundus Ecclesia est, & totus mundus odit Ecclesiam. Mundus igitur odit mundum, iniquus reconciliatum, damnatus saluatum, inquinatus mundatum.* Ioan. c. 3. Gottesch. Confess. Breu. Illo de mundo loquentes aliquos audimus hoc tempore, creari homines nonnullos à Deo, professa opera, vt eos damnet. Quod in

Gotteschalco scriptum expressè, non meminit legere. Sed adeo effœta non est hæresis, vt ad maiorum dicta nihil adiiciat, qui & ipsi Patriarcharum suorum doctrinam interpolarunt.

CAPVT XVII.

Error Gotteschalci Prædestinatiano similis circa Ecclesiæ Sacramenta.

Sacramenta Ecclesiæ frustratoriè dari reprobis.



ALTERA Gotteschalci responsio, ad quæstionem in qua versamur, hæc est quæ in Amolone sequitur assertio, prædestinatos ad mortem, etiam cùm ad lustrales aquas admouentur, baptismi tamen effectum non percipere, neque verè & propriè vnquam esse Christianos, quia reprobi sunt. Hoc *in eius scriptis meritò reprehendendum, & reprehensum*, sic enunciat Antistes Lugdunensis. *Secundo loco displicet nobis valde, quia verissima, & sacratissima Ecclesiæ sacramenta, videlicet exorcismi, & baptismi, Chrismatis, & Eucharistiæ, ac manus impositionis, perfunctoriè, & frustratoriè omnibus, qui post perceptionē eorum pereant, dari confirmas; dum eos sanguine Christi, sine quo ipsa mysteria, iam non mysteria, sed quædam velut vacua, & inania ludibria sunt habenda, redemptos negas. Cùm è contrario Apostolus, & veritatem redemptionis Christi, & verum diuinorum mysteriorum effectum, etiam in eis qui irreparabiliter pereunt, doceat esse conlata.* Erit fortasse cui hæc propositio non ab Gotteschalco asserta, sed ab Amolone per ratiocinationem deducta videatur; quod & ea loquendi ratio ferre solet, *confirmas, dum negas*; id est, ex hoc illud euincitur. Sed licèt verè alterum deducatur ex altero, &, vt antè dicebamus, consequenter erret hac in parte: hanc ipsam tamen assertionem ab hæretico expressam, demonstrat inferiùs, significato etiam argumento *vnde hunc errorem confirmare nititur.* Neque verò mens fuit & consilium Amoloni, perfectam & partibus omnibus absolutam disputationem inire cum Monacho, nihil vt emitteret, quod ad euertendas hæreses aliquo modo conduceret: sed id vnum, excerptas ex eius libellis opiniones offerre, & paucis singulas refellere; non vt error funditùs sublatus pareret, sed vt agnitæ veritati deposita contentione manus daret. Adde, fuisse istud veterum Prædestinatianorum placitum, quorum sectatur vestigia Gotteschalcus, *quod ab iis qui non sunt prædestinati ad vitam, non auferat percepta baptismi gratia originale peccatū.*

Amolo ad Gottesc. a. 2.

Hincm. l. de prædest. c. 15. & Epil. c. 3.

Sed, inquis, hoc ipsum caput à nouis Prædestinatianis *transiliri* fatetur Hincmarus ipse; cur ergo tangi dicitur à Gotteschalco? Nimirum, alia est magistri ratio, discipulorum alia: quod est ingenium hæreseos, atque hic maximè, vbi metus accessit ab Ecclesiæ rectoribus. Non enim omnia palam effutire ausi sunt sodales Gotteschalcani, vt nec ipse semper eodem modo Gotteschalcus. Quare hunc errorem oportet in aliquibus Gotteschalci scriptis ab Amolone lectum fuisse, quæ nobis deinde perierint. Quanquam & addere possumus, caput illud Prædestinatianorum veterum quod *transiliri* à nouis scribit Hincmarus, idem non esse cum isto, quod in Gotteschalco improbat Lugdunensis, vt non ægrè considerantibus patebit.

Obiectio ex Hincmaro. Ibid. c. 15. cit.

Responsio.

Sed id omnino credi non potest, inquit Dissertator, cùm alia omnia de redemptis baptismo reprobis ab illo sciamus asserta. Enimuerò nemo vnquam hæreticus pugnantia loquutus est? Et hoc ipsum est, quod reprehendimus, sibi contrarium esse Gotteschalcum. Nónne veteres Prædestinatiani, renouari hominem aqua baptismatis dixerunt, qui tamen originale peccatum, hoc est, veterem hominem non exuisset? Id qui dicunt, nónne & sibi ipsis repugnant, & baptismum frustratoriè hominibus dari affirmant? Pergit Dissertator pro cliente dicere. *In fine eiusdem articuli, scriptis illis* (Gotteschalci) *inserta memoratur falsa regula intelligendarum scripturarum, de corpore Christi vero & simulato; quasi diuinorum mysteriorum, & sacramentorum simulatio denotetur: quod horrendum, & huc vsque inauditum.* Ita videlicet argumentabatur Gotteschalcus. Christi corpus morale faciunt baptisati omnes. Sed ea est scripturarum regula, vt intelligamus duplex esse, alterum verum, alterum simulatum. Quinam verum constituunt? Verè baptizati, vero & reali effectu baptismi rite donati, prædestinati ad vitam. Qui verò simulatum? Exteriùs tantùm aqua perfusi, baptismi gratiam deleta originis culpa non consequuti, prædestinati ad mortem. Si putas illos verè baptizatos, erras. Externam lauationem circumferunt; intus meræ sordes sunt & abominatio, ex Adamo contracta. Argumentum illud euertit Amolo, docens, in scripturis falsorum Christianorum simulationem de vita, & moribus intelligi, non autem de mysteriis, & sacramentis. Consentit Amoloni Dissertator, & aliam explicationem *horrendam & huc vsque inauditam* vocat. Quam proinde Gotteschalco adscribi posse negat, quia eius *doctrina sanctissima, & diuina est.* Peccauit videlicet Amulus, qui *horrendam & inauditam regulam* à tanto doctore tradi potuisse existimarit. Existimauit tamen, & traditam affirmauit, & nos, pace Dissertatoris exorata, sancto viro credimus.

Obiectio ex Dissertatore. c. 22.

Corpus Christi verum, & simulatum.

Huic monstro affine est, & aliud, Reprobos illos, corpus Christi simulatum, baptismo non elutos intrinsecùs, verè & propriè Christianos non esse, sed Christianorum laruas, & simulacra fidelium. Istud quoque postremum à Gotteschalco assertum, credimus Amoloni nostro, sic obiicienti. *Tertio loco displicet nobis valdè, quia & diuinarum scripturarum testimoniis, & sincerissimis sanctorum Patrum dictis tam peruersè abuteris, vt hæc omnia, quæ manifestissimè aduersus diuinam veritatem, & paternam fidem disputas, ex illis non rectè intellectis, multipliciter affirmare contendas.* Repete memoria, Lector, veterum hallucinationem suos errores *in libris Augustini malè intellectis* quærentium: cogita prauam scripturarum expositionem, verbis Amolonis iam antè Gotteschalco fuisse obiectam: & in illo doctrinæ conuenientis cursu veritatem conspice. Pergit Amulus. *In tantùm, vt illos qui ex numero fidelium pereunt, nec tunc, quando in primis ad percipienda mysteria regenerationis, & dominica oblationis, vel in paruula ætate ab aliis oblati sunt, vel ipsi in maiori fideliter accesserunt, affirmes Christo, & Ecclesiæ non incorporatos, nec membra illius quæsita, & saluata ouis effectos, ac per hoc nunquam fuisse Christianos. Nam quomodo est Christianus, qui non*

Reprobos baptisatos, non esse incorporatos Ecclesiæ, nec Christianos.

Amolo ad Gottes. a. 3.

pertinet ad corpus Christi, qui non est membrum Christi? Perniciosum sanè dogma, & ciuili, atque Ecclesiasticæ vitæ, si vllum aliud, repugnans, quod ingratas solitudines, & beluarum consuetudinem, vrbium & Ecclesiarum frequentiæ præferendas persuadeat: in quibus tam paucos reipsa Christianos, & Ecclesiæ incorporatos versari sciamus, quàm paucos electos esse nobis veridica scriptura declarat. Et certè tolerabilius fuerit inter Turcas, & Saracenos indubitatos viuere, quorum vim & fraudes cauere docet, & linguæ stridor, & cultus corporis, & religionis superstitio: at in ipso fraternitatis medituillio, inter sacras profanásque epulas, dulcissima caritatis sacramenta, in negotiis, & contractibus, in sempiterno conuictu & societate, peregrinos assiduè comitari, sequi, præire, ab extraneis à fide circumsideri; non Christianis, sed Christianorum sacramentorum sacrilegis simulatoribus perpetuò misceri, hoc verò omni molestia importunius, omni immanitate funestius esse arbitror. Iam si ex illis Christianorum ludibriis aliqui ad ordinum gradus, ad Ecclesiasticas dignitates euehuntur, (nam superior assertio *Chrisma, & Eucharistiam, & manus impositionem* loquebatur) Deus sancte! quæ rerum omnium perturbatio, quod religionis chaos, quæ animarum carnificina in eam Ecclesiam inducitur, quam videre Christus optat *non habentem maculam, neque rugam?* Quis sacro vnguine se tinctum affirmabit? Quis verè porrectam sibi Eucharistiam gratulabitur? Quis Ecclesiasticis clauibus soluta sibi peccata confidet? En quò Prædestinatiana sanctitas, & humilitas; quò *diuina doctrina* Gotteschalci nos deducit; qui cùm negat pro reprobis Christum esse mortuum, omnes timere cogit, ne pro ipsis sit tantùm baptizatus; quando *tolerabilius erit in die* Matt. c. 10. *iudicij terræ Sodomorum & Gomorrheorum*, quàm illi mundo simulatè Christiano, licèt ipse se velit, & optet esse maximè Christianum: vasis præparatis ad iram, quæ vnicè cupiunt & conantur fieri vasa misericordiæ: hominibus baptismo redemptis, in quorum perditione lætatur Deus, & exultat.

CAPVT XVIII.

Collecta breuiter Prædestinatianorum, & Gotteschalci doctrina, humani generis iudicio exponitur.

Propositum capitis.



HACTENVS duo præstita sunt, & expositi fusiùs nouorum Prædestinatianorum errores, veteribus suppares: & ij principi illorum, & primicerio Gotteschalco, certis auctoribus attributi. Præstanda supersunt duo, & omnis illa doctrina in cumulum erigenda, vt oculos vehementiùs feriat; & vera eius origo, in ignorantiam malitiámque Gotteschalci, vnicum scholæ dyscolæ caput, refundenda; vt apertè intelligamus, hominem importunum, neque theologum esse potuisse, quod volebat; neque catholicum esse voluisse, quod poterat. Itaque vt ab acerui heterodoxi compositione incipiam, mentem, & oculos à Gotteschalco, & priuato quolibet abduco, (sic enim antè cum Prædestinatianis actum:) sparsam huc vsque doctrinam colligo, non quasi assertam à Prædestinatianis veteribus, non vt excitatam à Gotteschalco, non disputatam aut damnatam ab scriptoribus, & Conciliis; sed tantùm in libris quibusdam, à quibusdam auctoribus descriptam: &, si vis, ab Epicuri intermundiis ad nos vsque deuectam. Et ne quis vt Gotteschalcanam proponi putet, ordinem muto, meisque verbis obscuriora quædam, & paulùm inuoluta explico.

Gotteschalci doctrina breuiter exposita.

In orbe terrarum, tanquam in vasto naturæ vtero, duæ gentes inuicem oppositæ fuerunt, erúntque semper; mundi duo, nunquam seiuncti loco, semper discordes animo, & mundus odit mundum; alter numero, alter virtute superior. Prædestinati vocantur, & Reprobi; appellat Apostolus vasa misericordiæ, & vasa iræ, in magna domo à figulo, luti sui potente, præparata ad gloriam, apta in interitum. 1. Positiuo, antecedente, necessario decreto, quod prædestinationem communi vocabulo dicimus, tam bonorum ad vitam, quàm malorum ad mortem, ad manifestandas in illis diuitias bonitatis suæ, in istis rigorem iustitiæ suæ declarandum. 2. Quod quidem decretũ tam est irreuocabile & immutabile, quàm Deus ipse incommutabilis & inconuertibilis est. 3. Quia neq; præscientia eius falli potest, nec omnipotentiæ resisti; qui si ea in re mutari posset, certè mori posse censeretur. 4. Est tamen illud in prædestinatis vtrisque discrimen, quòd boni merè gratuito Dei beneficio, exclusa omni meritorum consideratione, absolutè prædestinantur ad cælum: reprobi autem propter futura mala certissimè præscita, prædestinantur ad ignem æternum. Sed vtriusque finis causa est prædestinatio irretractabilis, & isti saltem secundariò prædestinantur ad ea peccata præscita, sine quibus non damnarentur: illi verò absque opere, & labore suo, per meram Dei, à quo prædestinati sunt, gratiam saluantur. 5. Vnde fit vt sic prædestinati, nullo modo damnari: neque sic reprobati, vlla vnquam ratione saluari possint, quicquid tandem agant vtrique, & conentur. 6. Neque possunt isti Deum orare, vt saluentur; quia posito decreto priore, id omnino fieri non potest: sed tantùm petere, vt pœnæ illæ quæ sunt ipsis ineuitabiles, fiant tolerabiliores. 7. Neque necessarium est, aut valdè vtile diuinam legem illis prædicari, aut ab iis bonorum operum curam & studium suscipi; quia iam de iis ab æterno, irreuocabiliter decretum est, vt pereant, & malè agant quò pereant. Sicut de bonis constitutum est, vt necessariò, quicquid egerint, saluentur. 8. Quid enim dicet prædicatio omnis, nisi Dauidicum illud, *declina à malo, & fac bonum?* At neutrum possunt reprobi: neutro indigent boni, irreuocabili necessitate fines suos consequuturi. 9. Miserandum hominum genus, quorum perditionis causa est, ipse naturæ conditor, quando eos ab initio incorrigibiles esse, & pœnæ obnoxios in interitum ire fecit; imò & professa opera creauit, vt perderet: & licèt piè iustéque aliquandiu vixerint, tandiu reseruat donec ruant, & pereant. 10. Pessimo, iterum dicam, fato geniti homines, qui dum reseruantur, dum tentatione impelluntur, vt ruant in peccatum, tam sunt à

Deo derelicti, vt nullo penitus auxilio gratiæ fulciantur, quo si velint, possint non ruere: sic antecedenter impossibile est, vt non ruant; & tamen puniuntur, quòd ruerint: fatali necessitate prædestinationis, coguntur Dei mandata violare, vt pereant; & tamen ob ea violata pereunt, & damnantur. 11. Accedit ad infelicitatis cumulum, quòd de horribili eorum perditione, Deus & sancti omnes in æternum lætabuntur, & de intolerabili gemitu triumphabunt, quia iustissimum illud erit incommutabilis iustitiæ decretum. 12. Ne verò mira ista videantur, scire debemus, protoplasti casu omni nos ad bonum faciendum libertate excidisse, eámque ad malum solum reseruatam. Vnde quòd mali peccant & pereunt, libertate arbitrij id faciunt; quòd autem boni saluantur, gratia merè gratuita, tracti & coacti, absque cooperatione sua id consequuntur. 13. His ita positis, necessarium est, vt Deus non velit omnes homines saluos fieri, sed eos solos, qui reipsa saluantur: aliàs eius voluntas, & omnipotētia irrita esset, & humanæ libertati supposita. 14. Neque pro omnibus vniuersè Christus sit mortuus, sed pro iis tantùm, qui passionis beneficio actu saluantur. 15. Redemit quidem baptizatos omnes (nam de Infidelibus, quæ potest esse quæstio? quæ de illis, qui eius aduentum præcesserunt?) sed eos qui post baptismum pereunt, baptismo redemit, vt ait Petrus Apostolus, non morte, nec sanguine: & quidem tunc redimit, cùm baptizantur: sed ea redemptio temporalis tantùm dici potest, non illa perpetua, quæ propria est electorum. 16. Neque putes illos per baptismum verè, & propriè Christianos fieri, aut Ecclesiæ incorporari, qui tantùm fiunt tales simulatè. 17. Et ita Baptismus, Eucharistia, & alia sacramenta, illis perfunctoriè tantùm, & frustratoriè conferuntur, fiuntque non vtentibus ad salutem, quod Iudæis olim ritus sui, egena elementa, nihil ad perfectum adducentia, neque quicquam ampliùs, quàm momentaneum aliquod bonum paritura.

Diuersorū de ista indiciuum idem. Hæc est turris Babylonica mole sua corruens, suósque architectos confundens. Hæc Nabuchodonosoris statua, cui caput aureum, Deus prædestinans bonos ex mera misericordia, & malos ad iustitiam declarandam: pectus argenteum, Christus fideles etiam perituros, baptismo emens: venter & femora ærea, & ferrea, prædestinatio necessaria cogens etiam ad pœnam, & peccatum: pedes lutei & fictiles, Christiani non Christiani, Sacramenta cassa & inutilia. Ad eius dedicationem si qui Deus generis humani senatum cogat, sic opinor apud eum licebit agere. Audite Philosophi ex porticu, Pharisæi non ex Mose, Mathematici siderum interpretes, Manichæi naturarum artifices, Turcæ, milites, de vita temporali, & omnibus ad eam pertinentibus, quam solam aut nostis, aut amatis. Credimus nos, *omnia certa, & in æternum dicta lege decurrere, fatis duci, aut trahi:* quantùm & quomodo cuique viuendum sit, *prima nascentium hora,* Deo antecedenter, incommutabiliter, necessariò ita prædestinante disponi, vt nulla vi, nulla arte mutari possit, aut vitari. Quid censetis? Exclamabunt statim, Omnes, Omnes. Attendite aulici Christiani, politici sapientes, cincinnati trossuli, delicatæ mulieres, viduæ in deliciis viuentes, Deus homines singulos in vitā ea lege voluit ingredi, vt iam ab æterno positiuè, necessariò, irreuocabiliter de finibus bonorum, & malorum decreuerit: vt prædestinati ad cælū, damnari non possint; prædestinati ad inferos, saluari non possint. Est-ne postea necessarium, aut vtile, ad Euangelij regulas viuere, carnem suam crucifigere cum vitiis, & concupiscentiis, Dei & Ecclesiæ præceptis obseruandis inuigilare, salutem suam in timore, & tremore operari? Quid censetis? Respondebunt, Frustra hæc omnia: nihil fit enim nisi quod voluerit Deus. Dic tu Prædestinate, frater Gotteschalc, Wicleffe, Caluine, Deus necessariò prædestinatos saluat, sed gratis; etiam inuitos trahit ad benè operandum, quia eius omnipotentiæ à nullo duro corde resisti potest: liberum enim arbitrium Adami peccato amissum, iam ad bonum nihil est. Est & aliud hominum genus, quod prædestinatum est ad interitum, necessariò damnandum cum diabolo, & Angelis eius. Super hoc enim respexit Dei præscientia, protulitque sententiam, quæ in posterum, quicquid agat & conetur, mutari non potest: neque est ad vitam æternam Christi sanguinis pretio comparatum. Quid videtur? Dicent, Hoc decretum relegimus, & Augustino consentientes, subscripsimus. Dic tu Præses amplissime, Dissertator accuratissime, de omnibus, de singulis articulis, quid censes? Non peto quid Gotteschalcus, quid Rabanus, quid Prudentius. Tu quid? aude & scribe. Hæc est sanissima & diuina doctrina: ita sentit Augustinus, ita sentio G. M. Si post tantùm studij, meditationis, collationis, dicis *Non liquere;* quantumlibet amplia; dum reuiso Gotteschalcum, & ad tot errorum fontem digitum intendo.

Senecal de Prouid. c. 5.

CAPVT XIX.

Ruinæ Gotteschalci ad peruersitatem doctrinæ fontes reclusi.



COGITANTI mihi quid causæ fuerit, cur in illud hæresum barathrum præceps rueret miserabilis Monachus, prima occurrit, post curiositatem, ambitionem, & alios eiuscemodi mores antea narratos, sacræ scientiæ ignorantia, huius tractatus propria, quam tamen ipsi non imputo, si vera de se narrat, (cur autem mentiatur, etiam apud amicum?) Sic enim canentem alibi audiemus. *Prima errorum causa, Theologiæ ignoratio.*

Inscitiæ plenus, multóque errore voluptus;
Sermone incultus, veteri quoque iure solutus: *Gottesc. epist. ad Ratram.*
Quamlibet hoc modico vsus sim sub tēpore pauco.
Namque Magisterio vix vno subditus anno,
Nec didici deinceps, dubiis ambagibus anceps,
Stultorum princeps, abrupta per omnia preceps.
Nemo fuit mihi dux, ideo minimè patuit lux.
Proinde scientiola scintillula cùm mihi inesse
Vix queat, &c.

Hæc ex humilitate, inquies. Sed nunquid contra veritatem? non enim virtutes inuicem opponuntur. Quid igitur ait? Magistrum in rebus theologicis, hoc est, in Patrum libris euoluendis annum vix vnum audiuisse: intermisso deinde studio in varias occupationes distractum fuisse, vix horulæ spatium sibi ab Abbate

concessum, pauca vt scriberet.

Distractus in varias occupationes.

Quia vix vacat hora, residat
Qua mea rusticitas, vt saltim hinc fingere ternas
Litterulas liceat, quoniam imperium patris instat
Ad patrandum aliud, cùm hoc tunc protinus illud.

At hominem totum requirit Theologia, & vnicus ab omni æuo naturæ conatus est, effectus gratiæ, Augustinus occupatorum doctissimus, & doctorum occupatissimus. Auidus tamen sciendi Gotteschalcus, *per abrupta* voluminum, & materiarum *præceps*, *sine duce* & moderatore, quid *lucis* & scientiæ solidæ sperare potuit, aut consequi? dum expers otij, tricarum aliarum plenus, adeuntium molestiis, vt fieri solet, iracundè & fastidiosè deuoratis, libros suos raptim, vt Ægyptij canes Nilum cursim delibat, sitim excitat, non extinguit, *sciolum* se facit, non scientem. Illud, inquis, ad Superiorum voluntatem, quorum arbitrio se deuouerat. Hoc laudo, & probo. Sed hoc cùm imperarent Superiores, sacræ doctrinæ magisterium profiteri nolebant. Tam imparatus à scientia, tam probè renuitatis suæ conscius, qua fronte ausus est in adyta occultissimorum mysteriorum penetrare, res subtilissimas ingenio impari tractare, intrudere se in officium alios docendi, quod ipse nunquam didicerat? Qua peruicacia tot Episcopis grauibus, & eruditis non cessit admonitus, conuictus, damnatus? factus verè *stultorum princeps*, & alpha, vtinam & omega! Quid Patres ambitiosè citamus, & Concilia? Nullus Oceanum illum absque Theologiæ triremi feliciter tentauit: albent sciolorum naufragiis scopuli: & si qui modò per Theologiæ Scholasticę contemptum, ad Patrum cognitionem aspirant, volare promittunt, non ingredi, sed Icarum facturi veritatem ex fabula. Vis nosse ex Theologiæ ignoratione, in cruda atque indigesta Patrum lectione, quàm fœdè sit hallucinatus Gotteschalcus? Accipe pauca è multis exempla, eáque non recondita, quoniam cum tirone mihi res est, in quæ nullus modò Theologiæ dupundius impingat.

Docuit quod non didicit.

Theologia cognitio necessaria ad Patrum lectionem.

Ex Theologica scientia defectu in multis peccauit Gotteschalcus.

Prædestinationem diuinam Theologorum aliqui ante præuisa merita constituunt, quæ perpetua est Augustini sententia; alij præuisis meritis supponunt, sed vtrique merita, vtrique Dei beneplacitum, & merè gratuitum beneficium agnoscunt. Illi quidem, quia è massa perditionis erui nonnullos, qua immersi ceteri relinquuntur, sine meritorum anticipata cognitione, id profectò ex pura bona voluntate est. Isti autem, quia gratias eligi, quibus electi cooperentur, & similes aliis non offerri, quas non minùs, quàm ipsi amplecterentur: sic autem comparata merita, quæ sunt eius dona, æterno præmio coronari, quis non videt ex eodem beneplacito, & gratuito dono profecta? Rursùs merita isti apertè loquuntur; illi sic volunt ante merita prædestinari, vt tamen prædestinata gloria in tempore, non nisi meritis postea comparatis, donanda sit. Gotteschalcus in gratiam, & gratis, & gratuitum donum prædestinationis adeo est intentus, vt meritorum mentionem nullam faciat: arbitratus Dei gratiam imminutum iri, si quicquam toto in negotio tribuat electis, eámque putat Augustini esse sententiam. Præterea vidit positiuum decretum prædestinationis ad gloriam in electis, eadémque ratione positiuo decreto reprobari alios putauit, quasi librum mortis habeat Deus, non minùs quàm librum vitæ. At nemo negat reprobari eos, qui non eliguntur ad gloriam; eam tamen reprobationem ita fieri, vt Deus illos positiuè decernat deserere, non omnes agnoscunt. Reprobantur ergo negatione ipsa electionis, quæ aliis conceditur; vt è duobus naufragis, qui saluatur, positiuo beneficio vita donatur; alius mergi dicitur, auxilio non oblato. Deinde, vtranque prædestinationem sic explicatam, legit Gotteschalcus certissimam, indubitatam, infallibilem esse, & putauit necessariam dici; neque necessitatem consequentis & consequentiæ, antecedentem & consequentem, absolutam, & hypotheticam diuisi sensus aut compositi, sciuit vnquam distinguere, quæ philosophorum nostratium filij habent pro elementis. Similiter, maximè pertimuit ne omnipotentia Dei, ne voluntas, ne præscientia violaretur, si diceret saluari posse, quem Deus per reprobationem saluari non vult: damnari posse, quem Deus prædestinatione vult saluari. Hinc solicita illa cura, ne Deus dicatur mutari posse, mori posse: quasi Deus moralia ista antecedenter, & absolutè fieri velit & decernat, aut omnibus rebus, quas vult, necessitatem imponat. Legit certè in Enchiridio Augustini, quem librum præter ceteros mirificè laudat, expositionem Apostolici dicti, *vult omnes homines saluos fieri*: tanquam diceretur, *nullum hominem saluum fieri, nisi quem saluum fieri ipse voluerit; non quòd nullus sit hominum, nisi quem saluum fieri ipse voluerit, sed quòd nullus fiat, nisi quem velit.* Præclarè, vt credebat, & ad sententiam ipsius percommodè. Sed quod sequitur, quanto vertiginis spiritu hominem torsit? *Et ideo sit rogandus, vt velit, quia necesse est fieri, si voluerit.* Quid enim? rogandus modò *vt velit*, quod vult ab æterno? Si noluit in prædestinationis irretractabilis decreto, quare rogandus vt velit, & mutet, & mutetur? Si rogare debent, vt salui fiant, certè possunt fieri: non est ergo tam inconuertibile decretum, quàm Deus ipse. At *Deus omnia quæcunque voluit, fecit.* Non possunt rogare prædestinati ad mortem, vt prædestinati fiant ad vitam, sed tantùm vt eis pœnæ tolerabiliores reddantur. Quid igitur vult *Augustinus multoties noster*, cùm ait, rogandum à quolibet, vt ipsum velit saluum fieri: Si necesse est fieri si voluerit, necesse est non fieri si noluerit. Quod ergo iam necesse est non fieri, quomodo potest esse necesse fieri? Has ambages quàm facilè extricent Scholastici: Voluit conditionatè: necessitas conditionata est, & absolutè necessarium est conditionatam hanc veram esse; si Deus hoc vult, necesse est hoc esse: vult autem si conditio hæc ponitur, quam tuæ libertati commisit. Præscit verò à te per abusum libertatis negligendam, cùm posse tibi per eius gratiam suppeteret; inde peccato tuo pœnas prædestinat, quod cùm posses delere, & vitare, noluisti. Nam & in hoc dupliciter errat Prædestinatianus iste, quòd reprobos docet saluari non posse, etiamsi velint. Putat enim nullas donari gratias, vt possint, qui sufficientes nusquam legitur agnouisse; & tamen posse velle fatetur, cùm ait, *etiamsi velint*; vnde autem aut volunt, aut velle possunt, nisi à Deo? & ipsum velle, quid aliud est, quàm salutis ini-

D. Th. 1. p. q. 23.

Gottesch. Confess. Prolix.

August. Enchirid. c. 103.

Contrarius Gotteschalco.

D. Th. 1. p. q. 19. a. 8. ad. 1.

Gratia sufficiens.

tium? Vult ergo Deus illos ſaluari, licèt actu non ſaluentur; & media ſubminiſtrat, quibus vti poſſunt: poſſunt ergo ſaluari; habent ergo liberum arbitrium ad bonum: & ſubſidia illa libera voluntate reſpuunt, vnde fit vt in peccato ſuo moriantur: pereunt ergo liberè, non per cogentem prædeſtinationem; ipſi perditionis ſuæ cauſa ſunt, non eorum conditor Deus, non prædeſtinatio ad pœnam. Quæ omnia fides & theologia catholica, per auxilia ſufficientis gratiæ, nulli negata in peccandi periculo, & per eorum non vſurpandorum libertatem, humanæ conditioni ingenitam, leui negotio ſolet expedire. Sic ad hoc propoſitum, vult Gotteſchalcus cum Prædeſtinatianis, liberum arbitrium ad bonum homini periiſſe, & nihil eſſe ampliùs. Cur ita? Quia ſolum ex ſe ſe nihil poteſt, & qui poſſe bonum ſine gratia putat, Pelagianus eſt. Hoc optimè. Sed reſpondeant Theologi, gratia non reſuſcitat mortuum arbitrium, ſed excitat & facit potens actionis bonæ: gratia non dat homini arbitrium, quo antè careret; ſed benè eo vtendi poteſtatem, quam amiſerat. Inuenit naturalem libertatem gratia, libertas ſuperuenientem gratiam amplectitur, & ſupra naturam ſe erigit, ſine qua peccando infra naturam ſe deprimeret. Poſſum innumera iſtiuſmodi proferre, à Gotteſchalco ex ignoratione veræ theologiæ peccata, vt quod inſtantia rationis in Deo non diſtinxit, quod actum cum poteſtate confudit, & alia quæ longum ſit enumerando percenſere.

Secunda errorum cauſa, malignitas ad corrumpendos auctorum locos.

Verùm leue ſit, imperitum ad hæc magna, & auguſta veniſſe, niſi etiam prauus & malitioſus acceſſerit; non vt diſceret iam ſcripta, ſed vt corrumperet. Nam, ſi fas ita loqui, antecedente & inretractabili animi ſui prædeſtinatione, quam præſcientia non regebat, (quomodo enim regeret ſine ſcientia?) libatis tantùm hinc inde Auguſtini collectionibus, ad ſtudium Prædeſtinatianas nouitates attulit, contenditque diſcere, non quàm bene ſentiret, ſed quomodo ſenſa ſua confirmaret. Hoc hæreticis omnibus catholica ſchola ſemper obiecit; hoc frequenter de Prædeſtinatianis ſuis queſtus eſt Hincmarus; hoc de Gotteſchalcanis ſodalibus ſæpe narrauit,

Hincm. l. de prædeſt. c. 24.

ſancta Scripturæ ſententias, & apertiſſima catholicorum dicta detruncare, ad ſuos ſenſus violenter inflectendo, quia ex eis contra conſcientiam ſuam praua dogmata, quæ diſſeminant, conantur aſſerere. Monentem ſapienter Amolonem ſuperiùs non ſemel audiuimus, non fuiſſe ab imperito Gotteſchalco ſcripturas temerè tractandas: quòd tela contra veritatem ex illis educta, in iacientem reflectantur. Exemplum eſt apertum in Salomonis dicto, *in interitu veſtro ridebo*: quod intelligebat Gotteſchalcus *de interitu*, cùm hæc toto cælo differant, doceátque Lugdunenſis, riſus ille in Deo qua ratione debeat intelligi. Sic Auguſtinus, ceterique Patres cum Eccleſia, tam potentes ad permouendum gratias aliquando immitti confitentur, vt ſint malleus conterens petras, & vox Domini confringentis cedros, neque eis vnquam ab vllo duro corde reſiſtatur; quod explicant falſi Auguſtini diſcipuli, quos Prædeſtinatianos appellamus, *reſiſti poſſit*: id verò nunquam dixit Auguſtinus, neque ex actus omiſſione, negauit potentiam, Sed ne fruſtra moremur in ſingulis, illuſtris eſt Hincmari cautio, tam remota à calumnia, nemo vt vnquam falſi eam coarguerit.

Ibid. c. 5.

Præmonemus etiam Gotteſchalci, & complicium eius fore conſuetudinem (audis? non ſemel, non aliquando, ſed vſitatè factum, & conſuetè,) *vt catholicorum teſtimonia, prelatis doctorum atque librorum nominibus, excerpta detruncent, & ad ſuos ſenſus, ſicut & ſcripturarum ſententias, inflectere curent, quatinus auditorum ſibi ſenſus, ſi minùs cauti fuerint, conciliare praualeant.* Sequitur conſilium, & conueniens malo remedium.

Quomodo corruptela ſcripturarū cauantur.

Vt, ſecundum Apoſtolum, omnia probantes, & quæ bona ſunt, retinentes, quæ ipſi dixerint, quæque auctorum exemplis confirmare voluerint, conferentes, ea quæ illi detruncata, vel compilata ad ſuam ſententiam confirmandam proferunt, in libris auctorum, de quibus teſtimonium donant, videant ſi meraca veritate ſint excerpta, quæ proferunt; vt ne his incautè credentes, quæ prolata ſunt, per vias quæ bona quidem videntur eſſe, ſed earum finis ad interitum ducit, in infidelitatis voraginem demergantur. Dictum commodè & ſecurè, ſi bibliothecam circumferrent ſinguli, ſi perpetuò vacaret tot auctores verſare & euoluere, ſi non timerent plurimi, quæ auidè & inconſideratè hauſerunt, dedoceri. Sic Rabanus ab Hincmaro monitus, eius opuſcula per Gotteſchalcum corrumpi ac vitiari, eorum exemplar tranſmittit, *& ſi quid in eis*, inquit, *emendandum ſit, veſtro iudicio magis eligo corrigi, quàm hæretici*.

Raban. epiſt. ad Hincm.

Tertia hæreſeos cauſa, obſtinatio.

Iam malitiæ [illegible], obſtinatio, non peperit, ſed confirmauit errores; neque errantem fecit Gotteſchalcum, ſed hæreticum. Quid eſt enim Gotteſchalcus, niſi viuum ac ſpirans pertinaciæ ſimulacrum, figmentum ex leuitate animi, ſuperbia, ignorantia, pertinacia, quatuor pugnantibus elementis conflatum? Quis verò hominem graphicè magis expreſſit, quàm ipſe ſe, cum aduerſariis hæreſim impacturus, hæretici definitionem hanc probauit.

Hæretici definitio ex Gotteſch. Confeſſ. Prolix.

Hæreticus is eſt, qui diuinæ legis, vel ignorantia, vel contemptu raptatus, aut noui pertinax inuenitur erroris, aut alieni ſectator, catholicæ veritati magis vult aduerſari, quàm ſubiici. Nam ſacræ ſcientiæ ſupinam ignorantiam; Eccleſiæ in legitimis iudicibus, Epiſcopis & Conciliis contemptum; hauſtos à priſcis Prædeſtinatianis errores; ſempiternam obſtinationem; ſuperbiam Deo & hominibus aduerſantem, tota hiſtoria ſpectauimus. Eóque progreditur perditus, vt ſuam illam Confeſſionem, fidei regulam faciat: cui quiſquis aſſenſum præbere noluerit, non iam conuictu, colloquio, amicitia, ſed ne diſputatione quidem dignari velit; quin potiùs *tanquam peſtem fugiat, tanquam hæreticum abiiciat.* Ille videlicet in Italia Rabani ſcriptis, Moguntiæ Seruati Lupi diſputatione, Cariſiaci Hincmari & Epiſcoporum aliorum rationibus conuictus, & ad incitas redactus, iam cum vllo hominum de ſuis opinionibus conferre, & agere dedignatus, Confeſſionem offert, cui ſubſcribere omnes debeant, vt olim Prædeſtinatiani in modum ſymboli. Hoc eſt *veritati ſubiici*? Hoc non eſt Eccleſiæ Catholicæ præfractè, contumaciter, obſtinatè *aduerſari*? Et lubet præfidentis orationem audire. *Porrò conflictum cuiuſlibet eorum, ſi ſemel his lectis, & intellectis cedere noluerit, & inſtar Pharaonis induratus (hæretico videlicet more) tam manifeſtæ veritati acquieſcere contempſerit: (ſi-*

cundùm consilium, vel potius præceptum Pauli, Apostoli) iam mihi vitandum censeo, quia qui huiusmodi est, subuersum & proprio iudicio condemnatum esse video. Neque respondeant patroni, iure cum aduersariis manum conserere nolle Gotteschalcum, qui clarè multis ostendit, geminam prædestinationem dici posse, malos ad interitum non minùs prædestinatos esse, & dici, quàm bonos ad gloriam. Hîc enim non vocum, sed rerum nouitates veniunt in controuersiam; neque de ludicris quibusdã quæstionibus disputatur: quas vt puluerem in oculos iuuenculorum iniicit blasphemus; sed de veris atque profundis fidei Christianæ articulis agitur: de quibus quicquid ipse dixerit, vult sibi vni sine dubitatione, cæcum in modum credi Gotteschalcus, eas res verè à se definitas esse, miraculo probare promittit, quod est audaciæ, superbiæ, obstinationis stupendum prodigium.

Quarta, Ratramni magisterii. Sunt illæ interiores naufragij causæ, in ipso Monachi miserabilis ingenio, moribúsque insitæ; quibus accessit exteriùs turbo quidam vehemens, qui eius nauem, sponte iam sua à recto cursu aberrantem, illisit ad scopulos. Exorta nimirum eius occasione inter catholicos eruditos controuersia: qua cùm videret Hincmarum inuidia numeróque aduersariorum fatigari, ac pene obrui, admirabili mentis stupore, disputationem totam in commodum suum retulit, quæ manifestè fatali eius necessitate ad blasphemias, & hæreses amandata, in leuiculis minutiis occupata est. Præ ceteris autem Ratramnum aut magistrum, aut amicum, & opinationum suarum participem habuit, virum doctrina, quàm virtute clariorem, tegendorum errorum artificem eximium, cuius exemplo instructus artem simulandi apprimè didicit. Vtcunque enim vocem hanc accepturi sint aut fautores Gotteschalci, aut amici Ratramni, non vereor dicere, opiniones Gotteschalci, modum eas proponendi, obstinationem in propugnandis, impudentiam in Rabano insectando, contemptum Hincmari, è Ratramni disciplina prodiisse, quæ discipulum nacta studio sciolum, natura peruicacem, inquietum ingenio, moribus ferum, ambitione præcipitem, tragœdias illas omnes excitauit. Atque illud mihi facilè persuadeo, rediturum ad sanam mentem Gotteschalcum, si Ratramno duce, magistro, consiliario, non esset vsus: aut si modestiam illi, & obedientiam suasisset Ratramnus. Si hoc tibi pluribus probari, Lector, postulas, post cognitum è scriptis suis Ratramnum, non deerunt plausibiles rationes, quibus istud efficiam.



CAPVT XX.

Doctrinam Gotteschalci de Prædestinatione Ioannes Erigena Scotus impugnat.



FVIT Gotteschalci doctrina, quæ modò à nobis exposita est, pomum discordiæ, in quo legendo, versandóque ad arbitrium, ingenia theologica perdiu sudarunt: quorum vnum profero Ioannem Erigenam cognomento Scotum, (sic enim frequentiùs modò vocatur, quàm Eriugena; Erinigenam solus dixit Vsserius.) Is enim propriè & Gotteschalcum solum, absque alterius eius sectæ reprehensione, & duas illius prædestinationes, atque vim earum cogentem impetiit: hoc enim præscriptus illi libro titulus de Vnica Prædestinatione postulat, vt quæstio cum vno Gotteschalco disputata tractetur. Et quamuis serùs in auxilium disceptantium aduenerit, non dedecet tamen, vt primus hic à nobis opponatur antagonista, Monacho Monachus, Theologastro Philosophaster, poëtæ, fabulator, in carcere mortuo, peremptus, vt aiunt, in schola. Denique si multa somniauit Gotteschalcus, non pauciora delirauit Erigena, cùm errores refutauit erroribus, & vterque à suis desertus est. *Cur hic actum de Ioanne Scoto.*

Pugnabat in Gotteschalcum pars Hincmari non infeliciter; & sic fuerat hactenus agitata quæstio, vt certam fidei doctrinam pars vtraque de scripturis, & Patribus exquireret, licèt non pari successu. Sed quoniam genus hoc telorum, subtilitate & duritia repugnantium hebetatur sæpe ac retunditur: Episcopi quidam Hincmaro fauentes, ad rationum & demonstrationum, quibus nihil obiici posset, firmamenta confugiendum rati, magno, vt ipsis quidem videbatur, consilio Ioannem Erigenam, natione Scotum, vnde illi cognomen, enixè rogant, hortantúrque, vt aduersùs damnatum in Conciliis Gotteschalcum, strictè & pressè scribere aggrediatur: simul illum aduersariis erepturi, simul suis partibus ex tanto viro momenti plurimùm allaturi. Florebat enim Scotus doctrinæ secularis gloria, in aula Caroli Calui, literio graculus, philosophus phantasticus, aulicus transmarinus, dictus à suis Chrysostomus, meliori, vt arbitror, iure, quàm Gotteschalcus à Strabone, Fulgentius. Is cùm Regi aduersus in mensa sederet aliquando, & in Gallicanam vrbanitatem nescio quid peccasset, Carolo facetè roganti, *quid inter Scotum & Sotum interesset?* sine mora respondisse dicitur, *Mensa.* Hoc cum alio non absimili exemplo, tanquam festiui specimen ingenij, narrat Matthæus Westmonasteriensis, quod impudentem potiùs parasitum, quàm litteris politum Monachum decet. Ex illo interim apophthegmate certam eius patriam discimus, ne Pitseus audiri debeat, in Relationibus historicis scribens, genere Britannum fuisse, ex vrbe Meneuensi, & perperam à quibusdam cognominari Scotum, arbitratus eo cognomine cum alio Scoto confundi. Nec certior Pru- *Quis ille fuerit.* *Matth. Westmon. ad an. 884.* *Pits. 1. Relat. Histor. æt. 10.*

dentius Trecassinus, Hibernum facit; vt in hac etiam soli natalis obscuritate, possit aliquo modo cum Gotteschalco conferri.

Qua de causa in hanc pugnam sit immissus.

Vndecunque autem in Galliam externus homo accesserit, narrat epistola ad Lugdunenses, quæ Parduli censetur esse, cùm inter catholicos de libris quibusdam orta esset contentio, de libris hypomnesticõ, vtrum sint Augustini? de libro De induratione Pharaonis, sit-ne Hieronymi? multis precibus inuitatum, & velut adactum fuisse Ioannem Scotum, vti de controuersia florente scriberet: quòd speraretur eximium aliquid de tota quæstione, & certa multa de incidentibus dubiis monstraturus. Vetus enim gentis nostræ vitium est, vt externa omnia, & excipiamus auidè, & præ natiuis efferamus: atque hinc nimiùm auctoritatis, & gloriæ homini Insulari accreuerat, Prudentio ipso teste, Hispano homine, qui Gallis eruditione inferiorem fuisse profitetur. *Te solum omnium acutissimum Gallia transmisit Hibernia, vt quæ nullus absque te scire poterat, tuis eruditionibus obtineret: Sed absit vt Celtica eloquentia, tot tantisque fluuiorum exundationibus debriata, tuas nubilationes admittat.* Sic ergo scribit Pardulus. *Sed quia hæc inter se valde dissentiebant, Scotum illum qui est in palatio Regis, Ioannem nomine, scribere coëgimus.* Hui! *coëgimus scribere*, qui cogendus erat non scribere, si operam vltro suam detulisset. Non arbitror id expresè factum ab Hincmaro, qui & scriptum, & scriptorem liberè deinde contempsit, vt videbimus: sed, vt in talibus fieri solet, vsurpatum fuisse ab aliquo in ea supplicatione nomen Hincmari, cui vt bonarum partium duci, gratificari censeretur. Quare cùm Scotus opus illud suum Hincmaro & Pardulo inscripsit, tanquam ipsis *eligentibus, iubentibus*, ab *obediente* compositum; ea verba ex vrbanitate, & longè inferiori scriptoris conditione profecta, non debent ad viuum resecari. Vix ergo processit in campum vir peregrina specie, philosopha sententia, ingenio insulari, corpore tenuis, ingens animo, vt Tydeus quidam Statianus, cùm hostium oculos stilósque in se auertit, donec multis confossus vulneribus, pugna tandem cedere coactus, suorum triumphos retardauit.

Eccles. Lugdun. l. de 3. epist. c. 39.

Prudent. l. aduers. Scot. c. 14.

Ioan. Scot. Præfat.

Errores Gotteschalci clarè tradit.

Superfluum sit operam ponere in percurrendo eius libro, quem primò editum habemus ab Amplissimo Præside Dissertatore: maximè cùm negare nemo possit ac debeat, pluribus illum scatere contra fidem erroribus. Pauca tantùm delibo ad historiam nostram pertinentia; atque illud in primis, quòd hæresim Gotteschalci planè, & apertè docet, in cogente & libertati vim inferente prædestinatione positam esse, quod Hincmarus in Lugdunenses agens clarè non tradidit: ac proinde illa opinione libertatem humani arbitrij destrui, & tolli meritum hominis, Deique iustitiam. Imò, quod nemo alius obseruauit, necessitatem, quam diuinæ prædestinationi affingit hæreticus, non tantùm referri ad homines, qui per eam fato quodam & ad media trahi dicantur; sed etiam, quod summæ impietatis est, ad Deum pertingere, vt ipse eadem necessitate ad agenda illa quæ prædestinata sunt cogatur: quod antea dicebamus ex Stoïcis, semel scribi, & constitui fata à Deo, quibus ipse semper illigetur & pareat: Quamobrem ex his meliùs exponitur pars illa hæreseos Gotteschalcanæ, qua in Amolone aiebat, reprobos *tam irreuocabiliter, & incommutabiliter esse prædestinatos perditioni, sicut Deus ipse incommutabilis, & inconuertibilis est.* Vt quàm necesse est Deo, Deum esse; tam necesse sit Deo, bonos ad vitam, malos ad mortem antecedenter, & absolutè mittere: & quemadmodum est impossibile, omni antecedente necessitate, Deum solui & perire; sic omni modo qui cogitari possit, impossibile esse prædestinationem illam conuerti, & mutari. *Quam sanissimam & diuinam doctrinam* si quis vocare volet, viderit Deo, & rationis lumini, quomodo satisfaciat.

c. 4.

c. 2.

Amolo epist. ad Gottesch. a. 5.

Modesta Scoti professio.

Quantumcunque autem ridicula hoc in opere deliria, & repugnantes catholicæ veritati assertiones legamus, ob id tamen hæreticus dici non potest, qui sapientiorum Antistitum censuræ se suáque dicta subiecit, quod à peruicacia Gotteschalci nunquam potuit impetrari. *In hoc*, inquit alludens ad Augustinum, *opusculo nostro, quod ad testimonium vestræ orthodoxæ professionis, vobis iubentibus scribere curauimus, quæ vera esse perspexeritis, tenete, & Ecclesiæ catholicæ tribuite:* (hoc est, non scientiæ meæ, sed Ecclesiæ fidei assignate: vel, Ecclesiam docete:) *quæ falsa, respuite, & nobis, qui homines sumus, ignoscite: quæ dubia, credite, donec aut respuenda esse, aut vera esse, aut semper credenda esse præcipiat auctoritas:* aut Romani Pontificis, de quo ita sæpe loquitur Hincmarus: aut Concilij alicuius, & Ecclesiæ, cuius decretis obtemperare sic decreuit Erigena, vt in ipsa etiam de Eucharistia quæstione, ob quam apud Lanfrancum, & posteros malè audiit, nihil existimem protulisse, nisi quod Ecclesiæ catholicæ iudicio vellet suppositum, licèt inter Theologos, tum temporis nimia libertate controuerteretur.

Epist. dedic.

Notabile dictum de hæresibus. c. 1.

Neque possum omittere præclarum eius de hæresibus dictum, quo nouis subinde emergentibus, & excitari debemus & recreari. *Quoniam verissimè dictum est, oportet multas hæreses esse, vt probati, manifesti fiant inter vos: vtamur etiam isto diuinæ prouidentiæ beneficio. Ex his enim hominibus hæretici fiunt, qui etiamsi essent in Ecclesia, nihilominus errarent. Cùm autem foris sunt, plurimùm prosunt, non verum docendo, quod nesciunt; sed ad verum quærendum carnales, & ad verum aperiendum spiritales catholicos excitando. Sunt enim innumerabiles in sancta Ecclesia Dei probati viri; sed manifesti viri non fiunt inter nos, quandiu imperitiæ nostræ tenebris delectati, dormire malunt, quàm lucem veritatis intueri. Quamobrem multi, vt diem Dei videant, & gaudeant, per hæreticos excitantur. Vtamur ergo etiam hæreticis, non vt eorum approbemus errores, sed vt catholicam disciplinam, aduersus eorum insidias asserentes, vigilantiores, & cautiores simus; etiamsi eos ad salutem reuocare non possimus.*

Res fidei ad philosophiã malè reuocat.

Alia verò ex parte cùm vitiis non carere se, quod humanum est, fateatur Scotus ipse, & forsasse, quod olim de Ouidio poëta dictum est, vitia sua non tam ignorauerit, quàm amauerit; si vis, Lector, & eius scribendi methodum, & errorum fontes, & libri ordinem, & aduersariorum scopum in quem potissimùm iaculati sunt, vno intuitu cognoscere; hæc omnia docebit

assertio vna in operis fronte proscripta. *Quadruuio regularum totius philosophiæ quatuor, omnem quæstionem solui.* Hoc est, quatuor philosophicis regulis definiri, & terminari causas omnes, etiam in fide & religione Christiana emergentes. Vnde sequi volunt eius aduersarij, quod mundi sapientia non contineatur, & explicetur, id fide diuina credi, & intelligi non debere. Quo axiomate quid falsum magis, & perniciosum dici potest? *Cui fides Ecclesiæ, è contrario respondet,* vt optimè Lugdunensis scriptor, *veritatem æterni iudicij, & ordinationis Dei, quæ vocabulo prædestinationis exprimitur,* (addo & maxima sanctissimæ, & certissimæ fidei capita, humanæ & angelicæ intelligentiæ captum superantia) *non esse requirendam à philosophis, sed ab Apostolis, & prophetis Dei; nec in mundanæ doctrinæ quadruuiis, sed in vna & vera via, quæ dicit de semetipsa, Ego sum via, & veritas, & vita.* Quod pluribus Patrum auctoritatibus, & Conciliorum exemplis egregiè probat Prudentius, in quibus *cùm inter confligendum pars aduersa dialecticis, imò sophisticis conclusionibus niteretur, sancti procul dubio Spiritus incordatione à Patribus cautum est, vt defensores propugnatorisque simplicis fidei, nequaquam sophisticis illusionibus, sed scripturarum sanctarum euidentissimis allegationibus vterentur.* Sunt autem illæ Scoti regulæ quatuor, *quas,* inquit, *latialiter possumus dicere diuisoriam, definitiuam, demonstratiuam, resolutiuam: quarum prima, vnum in multa diuidendo segregat: secunda, vnum de multis definiendo colligit: tertia, per manifesta, occulta demonstrando aperit: quarta, composita in simplicia separando resoluit.* Quæ quidem principia, vt ad parandam scientiam maximè vtilia, & necessaria esse, negari non potest: sic ad stabiliendam Christianorum fidem idonea esse, & frequenter aduocanda, vt *omnis quæstio* inde *soluatur,* nemo sapiens dixerit. Quid enim diuidendum est in vna fide? Quid definiendum in obiecti vndecunque infiniti contemplatione? Quid demonstrandum in visione obscura per speculum in ænigmate? Quid opus demum alia resolutione, quàm quæ ad primam veritatem, & auctoritatem reuelantis ascendit?

Eccles. Lugdun. l. aduers. Scot. c. 1.

Prudent. l. contra Scot. c. 1.

Regulæ quatuor ad comparandam scientiam.

Hæc pauca de viro, qui dum communem controuersiam disputando persequitur, factus est ipse materia disputationum; qui pluribus deliriis, nonnulla non mala obscurauit: qui tam benignam sui refellendi materiam aduersariis præbuit, vt & impune, & cum gloria, potuerint aliqua etiam notari censura, quæ reuera dubiæ notæ sunt, aut non improbi sensus capacia. In quibus cùm se faciat importunum scriptor Lugdunensis, à Duuallio Theologo Parisiensi *piè & catholicè* Erigenam explicante, improbatur.

Exponi potest in aliquibus.

Duual. in l. Eccles. Lugd. aduers. Scot. ad c. 4.

CAPVT XXI.

Prudentius Trecassinus Episcopus duplici opere Joannis Scoti doctrinam primus oppugnat.



OTVIT igitur veniæ nonnihil donari Scoto, si in rerum perplexarum inuestigatione noua methodo tractanda verbis nonnunquam offendit, aut sensu. Neque erat inauditum in Ecclesia, scriptores odio hæreseos, quam exagitant, in aduersam partem æquè falsam plus iusto deflectere: quos tamen eam ob incuriam grauiore censura non notauit Ecclesia. Visum aliter æmulis Hincmari, Scoti aduersariis, Gotteschalci occultis fautoribus, qui tota ira sua dignum opus arbitrati, omnes eruditionis suæ machinas ad illud euertendum admouerunt. Non tamen sine aliqua auctoris gloria, quòd hostibus timendus apparuit: ac nisi Scotus ipse sparsis hinc inde deliriis sibi nocuisset, ingens vulnus accepisset Gotteschalcana factio. Neque id tacitum habet Lugdunensis, qui dicitur Florus, cui dolet magnos animorum motus eius libri lectione fieri; & alios ad vnicæ prædestinationis assertionem, incunctanter abripi, alios ad mediam ἐποχὴν reuocari.

Cur aliqui aduersus Scotum scripserint.

Qui primus in eum lapidem iecit, Prudentius, vt opinor, est, Episcopus Trecassinus: cùm simile vero sit, librum ex Caroli Calui regia profectum, eius prouincias peragrasse, & ante multò inter Ecclesiasticorum virorum manus cucurrisse, quàm Lugdunum ad Lotharij regnum transiret, & Lugdunensis Theologi mentem ad scribendum stimularet. Ac fortasse tunc tantùm innotuit Lugduni, cùm pullulantes ex eodem scriptore quæstiones aliæ, de corporibus Angelorum, de inferorum cruciatibus, & similes contentiosiùs agitatæ, plurium Theologorum sensum exquiri suaserunt. Hincmarus certè, Prudentij Recapitulationem priùs vidit & legit, quàm quisquam alius egisset in Scotum, vt ex iis, quæ infrà producentur, nullo negotio colligi potest. Neque moror Dissertatoris Chronologiam, & tempora, & res ipsas ad animi sui propositum trahere soliti. Quomodo enim probaturus est, aut hunc Prudentium, aut illum Florum, anno seculi eius 52. ante Carisiaca Capitula, & Concilium Valentinum Scoto repugnasse scriptis tam luculentis; cùm & Scoti liber, & breuissimum Prudentij opusculum, anno demum 60. vix in notitiam Hincmari venerint; & illa Flori disputatio, nunquam Hincmaro cognita fuisse videatur? Patior tamen illum industria sua in concinnandis temporum articulis frui, & quem mihi proposui ordinem disputationis obseruo.

Prudentius Scotum primus impugnat.

Itaque cùm nouo schemate ornatus liber ille Scoti prodiret, & prout erant affecti singulorum animi, dubia fama spargeretur: eius Excerpta ad Wenilonem Archiepiscopum Senonensem peruenerunt: quæ lecta, cum opinionibus Prudentij suffraganei sui aduersari comperisset, ad eum misit, vt si quæ sanctorum Patrum doctrinæ parum consentanea viderentur, ea ipsorum

Id factum Wenilonis Archiepiscopi hortatu.

rum auctoritate, & dictis conuelleret. Sic enim narrat ipse Prudentius, Epistola operis sui dedicatoria, ad Wenilonem. *Misisti mihi quandam schedulam, decem & nouem Capitula continentem, ex libro cuiusdam Scoti selecta, à nostro, vt ais, se quodammodo intellectu diuertentia, rogans, & monens, vt quæcunque in eis à vero exorbitantia comperissem, vnicuique de libris Euangelicis, & Catholicorum doctorum auctoritatibus deuianti Capitulo, congrua depromerem abundè responsa.* Rem aliter quàm Prudentius, quod per mihi mirum est, narrat Præses Dissertator: qua fide? ipse viderit, si potiùs sibi credi vult, quàm Prudentio. *Selectas ab aliquo, & exceptas fuisse centum circiter propositiones, ab orthodoxa fide* (dixerat Prudentius, à suo intellectu quodammodo) *fere omnes alienas, plurimas eo ordine, quo sub 19. capitulis à Ioanne Scoto in libro suo emissa sunt: quas Wenilo perspecta earũ nequitia, Prudentio transmisit.* Fœnori data fuisse oportet *nouem & decem capitula*, à Prudentio ipso commemorata, vt excreuerint in *centum circiter* Præsidis Monetalis, quæ neque à Wenilone missa, neque à Prudentio recepta, probare potest anhistorica Dissertatio. Neque vltra nouem & decem Capita Prudentij liber excurrit, quia suis aduersarium vestigiis premit: ex quibus in Recapitulatione propositiones septem & septuaginta, suo ipse genio colligit, quas expendi cupit à Scoto, & emendari. Sed eas ab alio *selectas*, à Wenilone *perspectas*, Prudentio *transmissas* fuisse, noua & nondum audita historia est, *ingis meditationis, & cum eruditioribus collationis* partus. Ceterùm, quod testatur Prudentius, postulasse Wenilonem, vt in iis capitulis, vniuersè sine discrimine, *quæcumque exorbitantia comperisset* Prudentius, confutaret; ostendit nihil præcipuè in illis improbatum fuisse ab Archiepiscopo, & incertum relinquit, vtrum vnam cum Hincmaro, an duas cum Gotteschalco prædestinationes agnosceret.

Prudent. Epist. dedic. ad Wenil.

Refellitur Dissertator. c. 19.

His acceptis, & cognita Wenilonis voluntate, Prudentius ad ea refutanda mentem calamúmque appellit. Erat is Gothica seueritate, zelo feroci, æmulatione Hincmari, morbi diuturni molestia, partium, si sic loqui fas est, incendio ardentissimus, & otium litterarium, quod infirmitati corporis debebat, in scriptitandis contra partes Hincmari opusculis auidissimè occupabat, vt libro sequente discemus. Duo igitur aduersùs Scotum conscripsit, Correctionem, & Recapitulationem, istud contractius, illud fusissimè expansum. Existimaui aliquando, neque adhuc ex toto piget, compositam, & in vulgus emissam primùm Recapitulationem; deinde interiecto aliquo temporis spatio Correctionem: idque factum, vel vt Weniloni citiùs satisfaceret: vel vt venienti, quod putabat, malo maturiùs occurreret; interim dum maiore otio, consultis Patrum plurimorum libris, non iam manu, sed pleno modio exundantem refutationem metiretur. Est enim grauioris operæ, & longioris otij Correctio: at Recapitulatio αὐτοσχεδιαστὸν, & promptum occupati theologi responsum, curiosis in promulsidem propinata; vt eam saltem haberent pro Enchiridio, qui ad prolixiores libros solent nauseare. Ac sanè vel paulùm attento lectori, Recapitulatio videri potest delineatio potiùs, & ichnographia Correctionis, quàm eius collectio, & ἀνακεφαλαίωσις. Neque dici verè potest Recapitulatio in omnibus Correctioni respondere, vt vel in illius limine apparet, vbi de quadruuio regularum. *Respondemus*, inquit, *nec illud quadruuium, nec vllas mundanæ sapientiæ species, ad omnem quæstionem soluendam sufficere, absque Dei gratia, & fide quæ per dilectionem operatur.* Vide respondens Correctionis caput, si gratiæ Dei ad tractandam theologiam, aut fidei caritate formatæ fiat vlla mentio. Atque cùm illa falsa sit propositio, (potest enim Theologus de abditissimis sacræ scientiæ mysteriis, & ingentia volumina conscribere, & dictata in scholis explicare, & assertiones ponere, atque propugnare, absque habituali gratia Dei, sine qua non est fides, quæ per dilectionem operatur) credendum est maturiore consilio in opere posteriori reticeri, quod præferuidè in priori fuerat enunciatum. Atque hunc quem dico compositionis ordinem, dispicere mihi videor in ipso Prudentio, dum scribit in Correctione, non contentum se capitum 19. excerpto, *librum eundem diligenti curiositate perquisisse, cuius serie salebrosas tantorum errorum torsiones valeret faciliùs intueri:* quàm adhiberi diligentiam ad Recapitulationem, neque fuit necesse, neque factum significat. Meminisse autem conuenit eiusdem Prudentij Epistolam, de qua sequente libro, priùs longè ad Rabanum fuisse missam ab Hincmaro, quàm omnis ista cum Scoto pugna inciperet.

Opusculis duobus respondet.

Recapitulatione priùs quàm Correctione.

Prudent. Recapitul. c. 1.

Correct. c. 1. sect. 1.

Ibid. Præfat.

Coniecturales sunt hæ rationes, non penitus abiiciendæ; sed grauissima Hincmari auctoritas mihi omnino persuadet, quicquid de compositione dicamus, priorem certè publicationis locum Recapitulationi deberi, quam constat inter hominum manus aliquandiu versatam esse, Correctione aut nondum confecta, aut adhuc delitescente, & hominum rumusculos è fautorum musæis aucupante. Sic enim Remensis de Scoti Capitulis 19. *Et quoniam audiuimus, quia ipsi qui illa reprehenderant,* (Valentini Concilij Antistites) *contra ea scribunt, expectamus donec videamus si aliquis fuerit, qui ipsa nitatur defendere, vel quid contra illa scribens, nitatur adserere.* Quis potest esse *scribens* ille, nisi Lugdunensis qui modò extat, Flori nomine? *Alia nihilominus capitula LXXVII. quodam offerente suscepimus, quorum superscriptio talis est. Recapitulatio totius operis. Et capitulum primum habetur huiusmodi. Dicis quadruuio regularum quatuor,* &c. *Quarum auctores, vel potiùs sibi compugnatores, & in quibusdam, veritatis impugnatores, iactitantur à multis Prudentius Episcopus, & Ioannes Scottigena. Sed nos nec credere, nec confirmare volumus, quod documentis certioribus confirmare non possumus.* Quod tum erat adhuc incertum Hincmaro, id nobis modò constat, Recapitulationis auctorem esse Prudentium Episcopum. Quando autem erat incertum? Decennio toto post condemnatũ Carisiaci Gotteschalcum ipsum; post Concilium Tullense ad Saponarias, senescente controuersia, fatigata inuidia, cùm posteriorem de Prædestinatione librum elucubraret, cùm aduersùs Scotum nihil esset à Lugdunensi scriptum, tanquam recentissima inter duos tantùm, Scottigenã, & Prudentium disceptatione, in vulgus spargi cœperunt, tam Scoti 19. quàm Prudentij 77. Capitula contẽta Recapitulatione, sine nomine,

Serò publicata Recapitulatio, & ante Correctionem.

Hincm. l. de Prædest. c. 31.

& incertis auctoribus, vt fieri solet. Tunc ergo prolixam Correctionem nondum publicauerat Prudentius, quam ignorauit Hincmarus, & spõte non indiligens eiuscemodi volitantiũ libellorum auceps, & æmulorũ vigilantia scriptis omnibus eius opinioni contrariis instructissimus.

Obiectio Dissertat. c. 13.

Coniecturæ huic nostræ opponuntur duo, quibus validè impellatur. 1. Chronologia, suam Epocham ab ipso Prudentio notatam proferens, post triennium Epistolæ Leonis ad Episcopos Britanniæ missæ: & post biennium Epistolæ Prudentij ad Hincmarum & Pardulum Episcopos scriptæ. 2. Idem Prudentius de vtroque opere suo scribens, cui sanè fides integra, si cui vlli debetur. Nam opusculo breuiori titulum hinc fecit, *Recapitulatio totius operis*, sanè prolixioris. Quod in Correctionis fine, se collecturum his verbis promiserat. *Libet quàm breuiter, quámque succinctè, capitulatim singula adnotare, quò legentis audientis-ve intentio, lecta, vel audita, memoria tenaciùs valeat commendare.* Ergo scripta Correctio est, longè ante Tullense Concilium ad Saponarias, & posteriorem de Prædestinatione librum Hincmari: & Recapitulatio post Correctionem, cuius est Recapitulatio, teste auctore ipso Prudentio.

Prudent. l. aduers. Scot. Conclus.

Responsio.

Respondeo, his rationibus, vt summum, probari posse, priùs Recapitulatione compositam esse Correctionem, sed non publicatam. Quanquam omnis Prudentij Chronologia, vt olim fuit Hincmaro suspecta, sic illud auctoritatis pondus apud nos habere non debet, quod liber aliquis partium studio vacuus mereretur. Ad secundam rationem dici potest, *opus* illud in titulo nominatum, cuius esse notatur Recapitulatio, non esse ipsius Prudentij Correctionem, quæ nondum erat confecta, vel publicata: sed Ioannis Scoti tractatum Capitulorum 19. siue de Vnica prædestinatione. Ad illa autem, quæ de conclusione Prudentij prolata sunt, non absque probabilitate respondetur, post absolutum opus Correctionis, Recapitulationem, mutato consilio factam esse eius appendicem, quæ priùs absolutè per se spectata opusculum erat, & non incongrua Scotici libri refutatio. Posterioribus enim curis, iísque sapientioribus, mutari sæpe scribentium consilia, docet hoc ipsum opus Dissertatoris, à quo priùs adornata est Dissertatio, quàm veterum auctorum opera prælo apta possideret. Ex istis tamen prior Tomus conflatus est, reiecta in tomum posteriorem Dissertatione vtraque cum Synopsi: ne miremur nonnulla ex posteriore Tomo in priorem translata, dum facit *ὕστερον πρότερον ὁμηρικῶς*: vt maior seruiat minori secundùm oraculum; imò minor, siue secundo-genitus Tomus, primogeniti iura, patre brachia decussante, accipiat.

Recapitulatio modestior est Correctione.

Quicquid crediderimus (nam id leue est aut ad historiæ, aut ad controuersiæ notitiam, & leui manu tractatum à nobis) videtur Recapitulatio sedatioris animi opusculum, modesti theologi doctrina, grauis admonitio Episcopi, meo iudicio, dignior vocari Correctio, quàm alius ille maior liber, maius malum. Nam nisi æmulatio, & inuidia commotis certantium animis faces subdidisset, sufficiebat illa, quæ & Scoti dogmata conuelleret; & Prudentij opiniones patefaceret; & contradictionibus aduersarium implicaret; & aliquo etiam aculeo pungeret. Nolo equidem calculo meo quæ dicit omnia in Recapitulatione, comprobare; sed dignam Episcopo theologo modestiam laudo, quam in Correctione requiro, cum caritate in proximum. Et si quidem Hincmaro videtur, non minùs quàm Scotus *veritatis impugnator* in Recapitulatione, quantò iustiùs in Correctione debet ipse corrigi? Sed tempus est, vt ad hanc introspiciendam propiùs accedamus.

CAPVT XXII.

De maiori opere Prudentij aduersùs Ioan. Scot. quod Correctio appellatur.

SCRIPSIT igitur Prudentius maiore otio, pleniore Scotici libri notitia instructus, grandiorem librum, quem nos Correctionem vocamus, quia Ioannis librum in eo corrigere se profitetur. Magna siquidem diligentia quæsitum à se librum illum, & summa fide, aut conceptis verbis citatum, aut vbi loquacior est, expressa breuiùs sententia relatum, narrat Weniloni Archiepiscopo, cui & consecrat. Vtriusque operis, Scotici inquam & Prudentiani, copia modò communis omnibus est, *cura & studio* Cl. Viri *Gilberti Mauguini* Præsidis & Dissertatoris nostri, cui primò controuersiæ nostræ vel instrumentum istud, vel *nicuṃe*, referet acceptum posteritas. Editum autem ait ex Codice MS. Bibliothecæ Thuanæ: cui non consentit in omnibus Codex alter MS. Altiuillarensis Monasterij, in quo Gotteschalci memoria diu perennare debuit: cuius priorem partem cum Epistola dedicatoria, manu sua descripsit R. P. Sirmondus: & istud obseruationum in hunc Prudentij librum, volo esse principium.

Libri Prudentij prima editio.

Nam in Altiuillarensi Titulus sic habet. *Liber Ioannis Scoti correctus à Prudentio.* At in editione Mauguini duplicem lego Titulum, quem nemo veterum agnoscit, & sine dubio ab ipso editore est, qui sibi cudendorum Titulorum ius arrogat. *S. Prudentij Episcopi Trecassini, De Prædestinatione contra Ioannem Scotum cognomento Erigenam.* Nunquam ita scripserunt Monachorum vetustissimi. Sequitur Titulus alter. *Seu liber Ioannis Scoti Correctus à Prudentio.* Benè admonet, qui edidit Dissertator, *hunc titulum ab auctore hic appositum esse.* Et verò solum exhibet Codex Altiuillarensis. Prior ergo titulus ab auctore non emanauit: & quod secundum hunc sequitur, alienum est, imperfectum, ineptum. *Sine à ceteris Patribus, videlicet à Gregorio, Hieronymo, Fulgentio, atque Augustino.* Ineptum dico, quia credibile non est Prudentium inter Patres seipsum retulisse, vt scriberet, *à ceteris patribus.* Alienum autem, quia auctorum nomina in titulo recitari non solent, sed in alio Codice ad calcem sunt apposita. Imperfectum denique, quia si nominandi fuerunt Patres, vnde sumpta Correctio est, nominibus quatuor contentus esse non debuit vir gentilitiæ ostentationis, & oratoriæ amplificationis non negligens.

Non consentit cum textu Codice MS.

Dissert. c. 19.

Iam in Altiuillarensi Codice, titulo succedit Cautio, qua liber legendus est, de qua postea, quam in auersa tituli pagina repertam, Præses Mauguinus extra ordinem, cum veterum de

Alia vtriusque Codicis diuersitas.

Prudentio testimoniis constituit. Sequitur epistola sine inscriptione, sed in textus serie, nominato eo ad quem scribitur, qui fuit mos temporum. Illi Epistolæ idem editor nouo more Præfationis nomen dedit. Docet illa quidem, & scribentis animum, atque institutum, & aduersarij qualitatem, & causam scribendi, sed prorsus Epistolari forma, & ductu: quemadmodum duas Hincmari epistolas ad Carolum Regem, vtrique ipsius operi de Prædestinatione præfixas, præfationes non appellamus. In ipso verò contextu Codicis Altiuillarensis, prima Ioannis Erigenæ citatio, quæ incipit, *Conficitur inde veram philosophiam*, &c. Ad marginem scripta est: reliquæ suo loco in textu, cum nota propria. Secunda verò citatio, quæ incipit, *Cuius disciplina regulis*, cum subiecta S. Gregorij auctoritate ex homilia Paschali, in eodem Codice Altiuillarensi desideratur. Et ne singula percenseam, in fine sic legitur. *Totum opus diuiditur in capita viginti.* Oportet ergo inter capita referri & Epilogum, qui si ab ea serie excluditur, nouem & decem tantùm numerantur. Postea capitalibus litteris additur *Operis conclusio*. Est autem talis. *His in nomine & adiutorio Dei pro captu, & viribus nostræ pusillitatis.* Et quæ sequuntur in editione Mauguini. Post hæc describitur tota Recapitulatio, excepto 77. capite. Postremò Catalogus auctorum ex quibus desumpta est Prudentij Correctio, in hunc modum. *Auctores à Prudentio citati. Ambrosius, Augustinus, Beda, Bonifacius, Cassiodorus, Fulgentius, Gregorius,. Hieronymus, Innocentius, Isidorus, Leo, Philippus in Iob, Prosper, Synodus Afric. Zosimus.* Cur ergo tot auctoribus suppressis, in quatuor nominibus hæsit aut Codex Thuani, aut Præses editor?

Codicis Altiuillarensis antiquitas.

Quibus expletis, attributa eius libri possessio Monasterio Altiuillarensi sic exprimitur. *Lib. S. Petri Apostoli, & S. Niuardi Archiepiscopi. Alt. Villaris Monast. Sichelmus senior dedit S. Petro ad Altum Villare.* Qua ex inscriptione, Codicis huius nostri, & antiquitatem, & auctoritatem ostendo. Licet enim temporum iniuria, & tabularij Altiuillarensis iactura, perierint Abbatum nomina, qui Halduino successerunt, vsque ad Norgaudum, vt olim dicebamus, eiúsque Monasterij memoria ab Archiepiscopo Hincmaro, vsque ad Guidonem Castulionensem interciderit, superest tamen Sichelmi Presbyteri nomen, in excusatione Remensis Cleri, statim post obitum Hincmari missa ad Prouinciales Episcopos; quem nihil vetat existimare Monachum fuisse, & Abbatem Altiuillarensem, quando ex eo Monasterio delectus est Guntramnus Præpositus eius cœnobij, qui litteras illas perferret ad Præsules. Extitisse autem oportet celebrem, qui solo nomine sit cognitus: & antiquum, cui distinguendo Senioris cognomen datum fuerit à posteris.

Sichelmus Presbyter.

Tom. 1. Concil. Gall. in formul. p. 643.

Cum cautione legendus liber.

Itaque donatus ab eo liber Prudentij, Monasterio Altiuillarensi, in quo perdiu vixit, & mortuus est Gottescchalcus, hanc in fronte præfert cautionem, agnitam à Nicolao Camuzatio, & Dissertatore Mauguino. *Iste liber, qui quasi ad defensionem fidei, contra infidelitatem loquitur, & testimonia scripturarum, & catholicorum nomina profert, cautè legendus est; atque in eius lectione, Apostoli est sequenda sententia, qua dicit, Omnia probate, quod bonum est, tenete. Nam compositor eius Prudentius, de quibusdam Ecclesiasticis dogmatibus, non sensit catholicè, sicut alia eius scripta demonstrant.* Conuenit hæc censura cum Hincmari testimonio, scribentis de Recapitulatione, Prudentium cum Scoto, *in quibusdam* esse *veritatis impugnatorem*. At Camuzatius vir optimus, & decoris Ecclesiæ Trecassinæ, vt debuit, studiosissimus, de illa cautione sic censet. *Hoc iudicium tanti viri sanctimoniam, limatámque, & sanam doctrinam minuere non debere: ex alicuius fortasse capite profectum, cuius non erat ea doctrinæ capacitas, vt operibus D. Prudentij perlegendis peruidendísque sufficeret: quæ mysteriis ex reconditissimis Theosophiæ adytis, ac penetralibus pœitis refertissima sunt: quod perspicuè palam erit, cùm memoratus liber è tenebris in lucem prodierit.* Putat Amplissimus Dissertator, præeunte vt solet, Vsserio, hac Camuzatij nota satis supérque confutatam censuram cautionis antiquæ, quod æquus Lector ægrè concesserit, si perpendit. 1. Præferri ab istis duobus Gottescchalci Patronis notam recentissimam, vetustissimæ cautioni; quod præiudicium nouitatis est. 2. De rebus duabus sibi penitus ignotis pronunciare Camuzatium; quod prudentiæ leges non patiuntur. De eius videlicet primùm doctrina, qui Cautionem proposuit: *fortasse*, inquit, *non erat ea doctrinæ capacitas.* Quid si erat summa? Quid si eius doctrina, par aut maior ipso Prudentio? Quid si vulgatam tota Gallia de Prudentij fide opinionem illo scripto tradidit imperitioribus ne fallerentur? Hæc enim argumentis *fortasse*, & *verosimile est*, æquè confici possunt. Deinde, de hoc ipso Prudentij libro, cuius Proœmium à Nicolao Fabro accepit ille quidem, & descripsit, non autem librum integrum ad vmbilicos, vt de suo adierit Vsserius. Nunquam enim eo lecto probéque cognito scripsisset, missum fuisse ad eum à Guenilone *libellum Origenianis erroribus scatentem, quem Ioannes quidam Scotus concinnarat, & ex Gottescchalci Orbacensis Monachi scriptis expresserat.* Neque istud caret oscitantia, *missum libellum*, cùm schedulam, & capitula selecta viderit accepisse Prudentium; librum verò, *si quà forte inueniri posset diligenti curiositate perquisisse, quò certiùs refutaret.* Quis ergo Camuzatium docuit hoc libro, & aliis scriptis fuisse tractata *mysteria ex reconditissimis Theosophiæ adytis?* Imò tam fuit hactenus obscurus hic Prudentij liber, vt Camuzatio longè recentior eruditiórque V. Cl. Andreas Saussayus, quem honoris causa nomino, scripserit nuper in Martyrologio, examinatum & refutatum à Prudentio Ioannis Scoti librum, *erroribus Origenianis, Gottescchalcique nuperi hæretici deliriis scatentem.* Vter ergo plus à nobis fidei meretur, Camuzatius, qui neque hunc Prudentij librum, neque vlla eius scripta legit; an vetustissimus ille auctor Cautionis, qui & hunc librum, & *alia eius scripta* ad quæ Lectores remittit, habuit notissima? 3. Pro *limata & sana* Prudentij doctrina testem à Camuzatio produci neminem, & illam ex reliquis eius gestis ab eodem notatis probari non posse: cùm idem ex aduerso ab æqualibus, & *veritatis impugnator*, & Gottescchalci *hæresis acerrimus defensor* appellatus sit, vt in Annalista Bertiniano videbimus. 4. Cautionis mentem non esse assequutum Camuzatium. Illa enim

Camuzat. Prompt. antiquit. Tricass. Eccles. in Prudentio.

Prudentij liber ignotus Camuzatio.

Vsser. l. de hist. Gotesch. c. 8.

Prudent. epist. ad Wenil.

Andr. Sauss. in Martyr. Gallic. ad 6. April.

ſenſum non Catholicum *ex aliis ſcriptis* colligi poſſe ſignificat; de libro autem Correctionis, priuatim nihil affirmat, niſi *cautè legendum*: hic verò *ſanam doctrinam* ex hoc vno libro *perſpicuè* viſum iri affirmat, cùm lucem aſpexerit; quæ diuinatio eſt.

Obſeruationes quædam Diſſertatoris in hunc librum. c. 19.

Præmiſſis duabus hiſce notis, quas è re noſtra eſſe putaui, venio ad expendendas obſeruationes Diſſertatoris Clariſſimi, quibus librum hunc Correctionis, quem in Præfatione *præcipuum* vocat, eorum, vt opinor, qui pro gemina prædeſtinatione ſcripti ſunt, illuſtrauit, vt & notiorem faceret, & gratiorem. Et is quidem viro perquam diligenti, & Gotteſchalci ſtudioſo faciet iniuriam, qui negauerit tam eſſe ſubtiles illas, nihil vt ſolertius; tam ſelectas, nihil vt melius; tam denique cauſæ ſcriptoris acommodatas, nihil vt vtilius reperire potuerit. Itaque opus iſtud Prudentianum lubet ex illis æſtimare, & lectori æſtimandum proponere: erit enim, vt ſpero, qui tantum in iis pondus ineſſe non credat, quantum ſibi Vir Ampliſſimus perſuaſit.

1. De amicitia Scoti diſſimulata à Prudentio.

Nam prima quæ Chronologiam ſpectat, & incerta eſt, & nullius ad operis commendationem momenti. Secunda eſt, Prudentium, vt olim Hincmarum, & Pardulum, *licèt ſibi amicitia ſingulari coniunctos, & regia auctoritate præcellentes*; ſic modò Ioannem Scotum *pariter amicum, & Regis indiuiduum comitem, & menſæ, & cubiculi, ſolo diuinæ gloriæ zelo, & veritatis intuitu, liberrimis & acutiſſimis veritatis iaculis confixiſſe*. Generoſa ſanè virtus, ſolius religionis ergò inimicitias cum cariſſimis quibuſque exercere, & humanas rationes poſthabere diuinis. Verùm hoc à Prudentio factum, ea tantummodo gratia, quibus argumentis euincat, non video. Verba certè quæ producuntur, alia duo demonſtrant, cùm *acutiſſima iacula*, de quibus dicendum erit, tum neceſſitudinem, quæ antea inter illos interceſſit. *Blaſphemias tuas, Ioannes, atque impudentias eò moleſtiùs accepi, quò te familiariùs amplectebar, peculiariùs diligebam.* Et ſanè credibile eſt hominem eruditum, regia gratia florentem, in comitatu, & palatio aſſiduum; & ſi placet addere, externum; cum externo, erudito, Palatinis noto Epiſcopo, arcto amicitiæ fœdere fuiſſe coniunctum. Hanc igitur amicitiam à Diſſertatore accipio, & huic obſeruationis parti addo præterea, hoc nihilominus antea diſſimulatum eſſe à Prudentio, ad Wenilonem ſcribente, tanquam de obſcuriſſimo, & maximè ignoto vultu hominis, accepiſſe ſe *decem & nouem capitula ex libro cuiuſdam Scoti ſelecta*. Neque aliter de Gotteſchalco loquitur, *Percurſo tuæ peruerſitatis libro*, inquiens, *quem ſub nomine cuiuſdam Gotteſchalci, aduerſus omnes catholicos effudiſti.* Credas in ignota quadam regione, ſub alio ſole iacere Gotteſchalcum, apud Altiuillarenſes Monachos, non ita procul Trecis tum habitantem: putes Gotteſchalci nomen antea nunquam auditum, qui Wenilone præſente Cariſiaci damnatus, tota Gallia famoſus habebatur. Neque diu fingit ignorantiam, cùm paulò pòſt ſatis ſibi ſupérque notum ſignificet Scotum, allocutus iis verbis, quæ *notari* cupit Diſſertator. *Furibundus procedis*, inquit, *multis hoſtem conuiciis impetens, & maledictis laceſſens, qui ſi ea legeret, ſibique facultas ſuppeteret, fortaſſis aut mitiora, aut congrua reſponderet.* Quæ ſine Gotteſchalci notitia non poſſunt prudenter efferri. Quorſum verò iſta, aut cui bono tam ſolicitè diſputata?

Prudent. 1. Correct. c. 1.

Ibid. c. 3.

2. Obſeru. de Hæreſi Prædeſtinatiana.

Vt ex illis momenti maioris obſeruationem aliam expendamus, qua *inter Ioannis Scoti ineptias, & mendaciorum ludibria*, recenſetur, quòd *primus omnium, qui ſeculo illo ſcripſerunt, B. Auguſtini, & totius Eccleſiæ doctrinam de vera Chriſti gratia ſemper victrice, tanquam hæreſim libertati humanæ inimicam, & Pelagianæ oppoſitam, infamauerit.* Nimirum vbi tribus hæreſibus memoratis, duas extremas, mediam Gotteſchalcanam eſſe dixit Scotus, ad vnam duarum, quæ Prædeſtinatianorum fuit, reſpondet Prudentius, *Tertiam quam Pelagianis contrariam aſſeris, nec legimus, nec audiuimus.* Antequam vlteriùs in obſeruationis integræ propoſitione progrediamur, notari cupimus, verba illa *primus omnium, qui ſeculo illo ſcripſerunt*, à Prudentio non eſſe, ſed ab ipſo Diſſertatore. Nuſquam enim Prudentius aut *primum* vniuerſè, aut *ſeculi ſui primum*, Auguſtini doctrinam Scotum impugnaſſe dixit; ſed tantùm, ipſum inuenta, vt vult, noua hæreſi innominata, Pelagianæ oppoſita, denotare voluiſſe *Catholicos B. Auguſtini ſequaces*. Quod tamen ſi verum eſt; ſi Ioannes Scotus *primus omnium, qui ſeculo illo ſcripſerunt B. Auguſtini ſententiam infamauit*, ſequitur aduersùs Auguſtini doctrinam non malè affectos fuiſſe Rabanum, & Hincmarum, qui priores multa ſcripſerunt; & per calumniam obieciſſe Gotteſchalcum Rabano, ſuam ipſum doctrinam à Caſſiano potiùs haurire, quàm ab Auguſtino. Sed pergo in obſeruatione proponenda, ex propenſiſſima Diſſertatoris voluntate. Ex eo, quòd Prudentio fuit ignota hæreſis illa tertia, quam à Scoto dicit excogitatam, inuicto argumento concludi, *commentitiam eſſe Prædeſtinatianorum ſub gratiæ nomine fatalem, & cogentem neceſſitatem prædicantium hæreſim, ita adhuc ſeculo illo ignotam, vt nouam ſuperſtitionem Rabanus, Gotteſchalcanam, quaſi ipſi propriam, Scotus* appellarint. Ad hæc reſpondeo, poſt diſſimulatam familiaris hominis, & peculiariter dilecti amicitiam, poſt occultatam nominatiſſimi Monachi notitiam, poſt ementitam Hincmari, & Parduli conueniendorum voluntatem, quam in Epiſtola videbimus, nihil perſpicere me quod non præterea diſſimulari poſſit à Prudentio; qui dum negat in Auguſtini catalogo de nonaginta hæreſibus, hanc à ſe inuentam, ſuſpicionem mouet ibi quæſiiſſe, vbi certò ſciebat non inueniendam. Nam Philaſtrium, Gennadium, Hyginum, ſiue Prædeſtinatum, ex toto fuiſſe incognitos homini *adprimè litteris erudito*, quis mihi perſuadeat? Illam denique, ſi verè Prudentius ignorauit, ea ſaltem parte doctior fuit Hincmarus, qui & perfectè ſciuit, & fortiter impugnauit. Itaque *qui noſtro iam ſeculo Prædeſtinatianam hæreſim* agnoſcunt poſt Hincmarum, & Scotum, & veteres modò nominatos, non habent in ea Prudentij ſolius diſſimulatione *veritatem*, cui cogantur *acquieſcere*, vt *eos iam conuictos, & ſolos pudeat reluctari.*

Prudentij diſſimulatio.

3. Obſeru. de patrocinio, & ſententia Gotteſchalci.

Quarta obſeruatio proximè hiſtoriam noſtram eſt, legentibus Prudentij Correctionem, & Recapitulationem omnino conſtare, ipſum *Gotteſchalci patrocinium, & defenſionem nullo modo*

suscepisse : Imò verò illius sententiam ei penitus fuisse ignotam. Et amplius, *Ioannem Scotum falso imposuisse Gotteschalco, quod in prædestinationibus diuinis necessarias ineuitabilésque causas constituere conaretur, & sic voluntatis arbitrium, & gratiæ auxilium destruere.* Tribus partibus stat obseruatio; quarum primam aio verissimam esse, si recta spectatur oratio, quicquid de obliqua intentione credatur: tam enim parum Gotteschalco patrocinatur in speciem, vt de media hæresi à Scoto dicta, præcisè pronunciet, *quam Gotteschalcanam nouo vocabulo nuncupas, nec defendimus nec tenemus.* Et alibi. *Nec minùs, detestamur eos qui prædestinationibus necessitates; & vim inferri creaturis somniant. Quamuis enim Deus cuncta præscierit, & de omnibus creaturis secundum præscientiam suam prædestinauerit, nullam tamen eadem præscientia, & prædestinatio ad aliquid impellit.* Præcipuus enim Prudentij labor in eo positus est, vt ostendat, assertis duabus prædestinationibus, vel gemina prædestinatione, bonorum ad vitam, malorum ad interitum, non sequi, libertatem homini eripi, quod præfractè, & perquàm inconcinnè disputat Scotus. De Gotteschalci sententia, nihil amquirit, quæ licèt verbis videatur conuenire, sensum tamen habet reconditum, vt vidimus. Atque sensum illum Scotus impetit, sed malè. Prudentius sensu relicto, prauam argumentationem euertit: & quod erat inter Scotum & Gotteschalcum certamen, iam mutato statu inter Scotum, & Prudentium intercedit. Ceterum in summa conueniunt. Arbitrij enim liberi æqua est apud vtrunque professio; excitantis gratiæ necessitatem ad inchoandum bonum, quam maximè vrget Prudentius, in Scoto videre est. Superest igitur sola nominis quæstio, inter vtrunque agitata, (quod quidem controuersiam nostram spectat) possintne dici reprobi, prædestinati ad pœnam, vel interitum: non Gotteschalci sensu, qui prædestinationem cogentem, & necessariam faciebat; sed catholicorum, partis tum Hincmarianæ, tum Lugdunensium. Quare nos ex hoc loco, à Gotteschalci controuersia discedere, cum Prudentio incipimus, & primum gradum in quæstione catholicorum figere, quæ sequentem librum factura est. Secundum obseruationis membrum per se leue, si verum est, (nam dissimulationis memoria recens est,) eandem consecutionem validiùs confirmat. Tertius articulus de impostura Scoti, satis fusam habet è superioribus confutationem; nec video quo modo hæc inter se vinciantur. Prudentius non suscepit patrocinium Gotteschalci, scribens aduersùs Scotum, ergò Gotteschalco Scotus imposuit. Quantò enim certiùs ita licet agere. Scoto *Gotteschalcanam hæresim* impugnanti, respondet tantùm Prudentius, eam se *nec defendere, nec tenere*; ergo talem hæresim Gotteschalco Scotus non imposuit. Quæ si fictitia non dico fuisset, sed credi illo tempore potuisset, quem campum aperuisset aduersario ad excurrendum in figmentum, in calumniam, in insaniam mentis monstra fabricantis; qui proinde tali actione magnum suis partibus pondus addidisset?

Prudent. Correct. c. 4.

Idem Recapit. c. 10.

Hinc fit digressio à controuersia Gotteschalci.

CAPVT XXIII.

Qua methodo Joannem Erigenam Scotum tractet Prudentius.

POSTREMO, tractandi modus occurrit obseruandus, de quo strictissimè Dissertator noster, vt qui spinas calcare sesentiat, *Ioannem Scotum tanquam hæreticorum omnium peripsema, liberrimis, & acutissimis veritatis iaculis confixit. His siquidem verbis opus suum exorsus est, ex quibus sit reliquorum iudicium. Blasphemias tuas (Ioannes) atque impudentias, quibus in Dei gratuitam gratiam, iustitiámque inflexibilem procax inueheris, percurso tua peruersitatis libro, quem sub nomine cuiusdam Gotteschalci, aduersus omnes catholicos effudisti, eò molestiùs accepi,* &c. Iterum verò ad finem capitis, multis ex Prudentij opere recitatis, *anathema*, inquit, *Ioannis Scoti, ea qua decet Sanctos caritate, inter cetera sic repellit.* Quæ ipsissè nimis, & strictè notata, possunt meo iudicio in meliori lumine collocari. *Iacula* enim existimo vocari contumelias, quarum omnium specimen dat in vnica: *veritatis iacula* quærenda sunt in expositione sensus Scotici: *acutissima iacula* in quibusdam obiectionibus monstrabuntur: Et quidem hæc omnia ex Apostoli regulis, *caritatem quæ decet Sanctos* suis dotibus instruentis.

4. *Obseru. de modo tractandi.*

Nam caritas Sanctorum *patiens est, benigna est, non irritatur.* Eam sic exprimit Prudentius iam inde in Epistola dedicatoria, quæ Præfatio nuncupatur. *Deprehendi, quantùm diuinitùs inspiratus potui, Pelagij, Celestij, eorúmque sequacis ac defensoris acerrimi Iuliani, per omnia defensorem Ioannem Scotum, tanta impudentia orthodoxæ fidei, patribúsque catholicis oblatrantem, ac si vnus spiritus Iulianum, Ioannémque docuerit; vnus idémque spiritus in eis fuerit, nec dispar spiritus per eorum linguas tot tantásque blasphemiarum nauseas euomuerit.* Hæc fusiùs de Pelagij imitatione, cùm antè dixisset in scripto aduersarij, reperisse se *Pelagiana venena perfidiæ, & aliquoties Origenis amentiam, Collyrianorúmque hæreticorum furiositatem.* Vt iure optimo dicat Dissertator Scotum *tanquam hæreticorum omnium peripsema* tractari. Nam in singulorum deinde capitum refutationem consimili benignitate ingreditur. *Tú verò tanta auctoritati impudenter obuians secunda fœtorum tuorum exhalatione, conaris tuis argumentationibus obruere veritatem, & dicta luce clariùs patentia, nebulosis conclusionibus offuscare. Tertiò vanitatum tuarum ludicro. Quartò mendaciorum tuorum ludibrio. Quintò blasphemiarum tuarum tomo. Sextò superuacuitatum tuarum articulo. Septimò nausearum tuarum tædio. Decimus blasphemiarum tuarum titulus est. Vndecimò portentorum tuorum monstro. Quartadecima phantasmatum tuorum periodos hæc habet. Quintus decimus laruarum tuarum horror tali inscriptione signatur. Septima decima naniarum tuarum habet titulum. Octauus decimus proteruiarum tuarum tumor ita*

Prudentius contumeliis Scotum proscindit.

In Epist dedic. ad Wenil.

Cod. Altiuill. meliùs *fumositatē. sequitur* enim, *desicentes quondam fumos noua rursum accensione erumpere.*

prænotatur. Nona decima porro elusionum tuarum de igne æterno disputat, quæ quamlibet sui quantitate minor ceteris videatur, impietate tamen maiores æquiparat: quippe quæ ab eis nec sensuum prauitate, nec blasphemiarum asseueratione secernitur. Laudamus pictores, qui similia dissimiliter exhibent: disertos viros, qui idem modis variis efferunt; & caritas ipsa nunquam sine prolis fecunditate depingitur. Mutat loquendi formas Prudentius, non agendi. Neque sunt ædes aliter intus ornatæ, quàm parent exteriùs. Vnum offero schema, ex quo alia pro rata portione æstimentur. Dixit Ioannes Erigena, in igne æterno non minùs habitaturos beatos, quàm miseros. Commentum illud risu, & sibilis alius exploderet: Prudentius seriò & ferociter exclamationibus conglobatis. *O insaniam inauditam! ô vecordiam detestandam! ô hebetudinem exhorrendam! ô subtilitatem omni obtusione duriorem! ô virulentiam omni abominatione extricrandam! Quid est (ô mortalium superbissime) quod ausus es tanta impudentia declamare?* Memini dictum præclarè à Seneca, quod ad hoc propositum in aliquammultis applicari possit, de duobus humanæ vitæ censoribus, viro sapienti Democritum potiùs imitatione dignum esse, quàm Heraclitum: *huic omnia quæ agimus miseria, illi ineptiæ videbantur; humanius est deridere vitam, quàm deplorare.* Equidem non dubito, quin pleraque deliramentorum suorum exponentem in Aula Scotum, ridere maluerint Episcopi nostri, quàm seriò examinatum damnare: ac fortasse illorum vnus fuit ipse Prudentius, cùm opinionem de paradiso & inferno, planè absurdam *ipso narrante audiuit* tacitus & patiens, quam hoc libro *vesaniam, & virus lethiferum* appellat, *haustum ex damnabili lectione, veritati atque auctoritati catholicæ fidei* repugnans; de quo tamen nulla in tot Conciliis habita est quæstio.

Prudent. Correct. c. 17.

forte execrandam.

Seneca l. de Tranq. animi c. 15.

Prudent. Correct. c. 17.

Secundò, notauimus in Dissertatore, conuicia hæc dici *iacula veritatis*: Caritas autem Apostolica *non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati.* Eam dotem assecutus est Prudentius, si quæ in bonum aliquem sensum inflecti potuerunt, vt verè dicta, libenter amplexus est: non autem, si prauas expositiones, & in deterius exaggeratas ostentare maluit, vt inuidiam aduersario crearet; quod profectò est *gaudere super iniquitate.* Rem exploremus in exemplis quibusdam. Præscientiam & prædestinationem, quo sensu vnum idemque esse posuerit Scotus, aut docet, aut excusat in Epistola dedicatoria, & manifestè alibi vtrunque distinguit; in eam tamen confusionem multis, & frequenter inuehitur Prudentius. Atque ex eo quòd præscientiam à natura Dei non discernit, eum arguit *cum Cicerone & Stoicis Dei præscientiam conari euertere.* Quo nihil magis ab eius mente alienum fingi potuit. Hominem dixit Scotus *ad Deum sine laboris studio, & cooperantis gratiæ dono peruenire non posse*: nimirum vt hominis ipsius liberam cooperationem significaret; nam alibi profitetur bona opera *inchoari* & fieri absque gratia non posse. His tamen dissimulatis, Pelagianum hoc loco Prudentius facit, quasi qui gratiæ excitantis, & *præuenientis* necessitatem excludat. Verè dixit Scotus, *compelli* neminem à Deo vt ad peccatum, ita neque ad bene operandum:

Iniquior est in eius opinionibus explicandis.

Recapit. c. 5.

Correct. c. 10.

Recap. c. 4. & 15.

idque contra Gotteschalcum, absolutæ & antecedentis necessitatis assertorem. Prudentius aliò mentem disputantis torquet, & tanquam de morali necessitate sit actum, longa dissertatione impios demonstrat terroribus, & afflictionibus ad virtutem *intrare compelli.* Dixit Scotus verissimè. *Nulla temporalia iura hominem definiunt ad peccandum*: hoc est, cogunt & adigunt. Prudentius multas diuersarum gentium leges contrà producit, quibus malum aliquod permittitur: quasi permittere sit cogere, & vt aliter loquitur, *decernere peccare*: aut ius & æquum dici possint Antiochi & tyrannorum *decreta pro abolendis Dei veri sacris & legibus.* Dixit eodem loco Scotigena, *pronos ad peccandum suppliciis terreri* per leges, quæ *per hoc non minùs misericordiæ quam vindictæ transgressoribus suis efficiant.* Id omnino intelligi eo sensu potest debétque, quo dixit ex Platone Lactantius, *nemo punit quia peccatum est, sed ne peccetur.* Et Seneca copiosiùs, in iniuriis vindicandis tria sequi legem, quæ & Princeps sequi debet, *aut vt eum quem punit, emendet; aut vt pœna eius ceteros meliores reddat; aut vt sublatis malis, securiores ceteri viuant.* Vnde misericordiæ semper aliquid aut in addictum, aut in ceteros redundat. Ex aduerso Prudentius, tanquam dictum sit, pœnas peccatoribus ob peccatum ipsum non infligi, respondet ipsum *tenere quorumdam improbitatibus*, & eam *peruersitatem fidei catholicæ iamdudum seueritate damnatam, & Patrum reuerenda canicie rescissam* fuisse. In his atque similibus locis, interpretationis obliquæ malignitatem affectatam à Prudentio, vocat nouus virtutum arbiter, *caritatem quæ decet Sanctos*: qui apertissimas Gotteschalci perturbationes habuit antè pro virtutibus.

Correct. c. 5.

Ibid. c. 14.

Ibid.

Lactant. l. de ira Dei c. 18.

Seneca l. 1. de Clement. c. 22.

Postremò *iacula* eadem vocauit Dissertator *acutissima*, quæ possit aliquis in nonnullis rationibus retusa ostendere. Sed meum illud institutum non est, neque scutum obiicio, quo Scotum ab illis tegam. Hoc tantùm quæro, sempérne à Prudentio mittantur in scopum tanto dignum acumine? an non etiam aliquando in dicta leuiora incidant, quæ probent quærere illum quid oppugnet, non quid destruendum sit; & velitigare velle, cùm disputare non potest? Certè *caritas quæ decet Sanctos*, Apostolo teste, *non agit perperam*, non est leuis & temeraria; *omnia credit*, non est suspicax, facilè aliis assentitur, quandiu id licet absque erroris periculo. Quid hîc Prudentius? Verè scripsit Scotus *nihil dignè de Deo dici*, nomina & verba humanæ intelligentiæ nuncia, sermonis elementa, de Deo propriè dici non posse, sed tantùm per similitudinem, per quam oculos, aures, brachium, manus, spiritali naturæ attribuimus: & *eis vti humanæ ratiocinationis post peccatum primi hominis laboriosam egestatem.* Quid hîc reperiet Prudentius, quod vellicet? Nominatam ab illo potiùs *humanam ratiocinationem*, quàm *diuinorum eloquiorum auctoritatem.* Acutissimè! Cur enim? Quia Philosophi *tantæ rei sublimitatem perspicere, aut suis ratiocinationibus inuenire nunquam valuerunt. Sed si quædam competenter protulerunt, diuinæ gratiæ computandum est. Ceterùm sanctam Trinitatem cognouisse, aut suis disputationibus comprehendisse non dicentur.* Quid hæc ad Scoti mentem? Quid ad quæstionem? Da toto illo capite quod oppugnatur,

Quærit occasiones arguendi satis leues.

Scot. c. 9.

Prudent. Correct. c. 9.

appellatum augustissimæ Trinitatis mysterium: ostende *humanam ratiocinationem* aut philosophis solis assignatam, aut in tali speculatione separatam à gratia. Proba hîc illam opponi diuinis eloquiis, cùm eodem loco *signis verbalibus humanæ locutionis consuetudine vti* dicat *diuinam humanámque industriam*, cúmque ipse similitudines suas è sacra scriptura hauriat. Id vnum docet Scotus, quod nemo homo non sentit, res diuinas non nisi ieiunè, & impropriè ab hominibus mente concipi, & sermone exprimi; siue diuinitus inspirati loquantur, sunt enim sensa diuina humanis vocibus concepta: siue ex rebus naturalibus ad earum auctorem ratiocinando conscendant; quod cum eius gratia facere possunt, etiam per illud quadruuium regularum quatuor totius philosophiæ; in quo vidimus antea litem temerè motam, quòd fidem per dilectionem operantem non adderet. Item alio loco dixit Scotus, *Deum ab eis, quæ fecit, naturalia munera non tollere*. Quod de essentialibus, & essentiam consequentibus intelligi voluit, cùm addidit, nullam esse naturam rationalem, quæ non velit fugere miseriam, & peruenire ad beatitudinem: quod certè in ipsis inferis ad miserorum tormentum perennat. Contrà Prudentius, fieri cæcos à Deo, surdos, mutos, hebetes, quos vulgò moriones vocant; dictum esse à Deo, *Tollite ab eo mnam*. &, *Perdam sapientiam sapientium, & intellectum populi reprobabo*. Hoc est disputare? Hoc refellere? Dixit Scotus, qui aliter quàm sancti Patres de prædestinatione sentiunt, eos labi *ex vtilium disciplinarum ignorantia, quas ipsa sapientia suas comites, inuestigatricésque fieri voluit*. Respondet Prudentius, eo dicto illius superbiam exprimi, qui dixit, *in cælum ascendam, ero similis altissimo*. Et hominum, qui *posuerunt in cælum os suum*. Cur hoc? quia non defuit sanctis Patribus eruditio disciplinarū: quia *nullo comite indiguit Dei sapientia, nec per eas inuestigatur Deus*, sed per Spiritum sanctum. O acumen! Et cùm verba ipsa sugillari nequeunt, ad mentem recurritur. Vt cùm dixit Scotus, *Prædestinasse Deum impios ad interitum, aut interitum impiis; id est, ante secula definisse certum numerum eorum, qui in sua impietate interituri essent*. Ad hæc Prudentius. *Respondemus id nos amplecti, atque fateri, explosa tamen tergiuersatione tua, quæ aliud quàm sonet intelligis*. Quo in Epilogo legi possunt, quæ dicit *ea quæ decet Sanctos caritate*.

Scot. c. 15. — Prudent. Correct. c. 15. Recapit. c. 39. — Scot. c. 18. — Prudent. Corr. c. 18. Recapit. c. 61. — Scot. Epil. — Prudent. Recapit. c. 75.

Respondetur obiectioni, ex similitudine Gotteschalci.

Audio tamen obiicientem, & nos ipsos neglectis Gotteschalci verbis in speciem aureis, ad eius sensum sæpe prouocasse, & illud ipsum præstandum probasse: Ioannem autem Scotum, & ipsum Amolonem, vt de Hincmaro sileatur, & Rabano, conuicia in eundem, & grauia & frequentia iactauisse: quam igitur ob causam id in Prudentio superiùs reprehensum est, stulto secundùm stultitiam suam respondente? Non est operosum satisfacere, simpliciter negando parem esse in vtroque capite Scoti, & Gotteschalci rationem. Ille enim palam sensus animi sui prodit, etiam absurdos & phantasticos, vt in eorum confutatione, à verbis discedere necesse non sit; hic autem venenum toxicum gemmeo cratere miscet, vt necessariò aliunde petenda sit orationis simulatæ interpretatio, & è latebris coluber eruendus. Quod quantùm nocet, non famæ Gotteschalci, sed eorum consilio, qui modò clamant innocentem, & summè Catholicum; tantùm Ecclesiæ prodest, & eruditissimis Episcopis, qui duobus in Conciliis auditum, hæreseos damnauerunt; & fidelium omnium deinde per consequentes ætates auctoritati, qui eum hæreticum fuisse aut scripserunt, aut crediderunt. Accusationem enim Gotteschalci, non aliud esse arbitror, quàm Apologiam Ecclesiæ; & eius apologiam, hoc tempore factam, fidenter appello, Ecclesiæ post octo secula accusationem. Ad conuicia quod pertinet, certè aduersùs hæreticum, excommunicatum, contumacem, turbarum omnium auctorem, & incentorem, grauissimorum Patrum zelo plus licuisse dicent sapientes, quàm vni Prudentio, contra virum in catholicis castris militantem, à nemine adhuc accusatum aut damnatum; adeò remotum à pertinacia, quæ vltima est hæretici animi nota, vt Episcoporum, & Ecclesiæ catholicæ iudicio se suáque subiiciat. Quo igitur iure in eum, *tanquam hæreticorum omnium peripsema* inuehitur, & acerbissimo sarcasmo Correctionem loquitur, cùm *acutissimis iaculis configit*, & mactat? Et quidem Gotteschalcus in contumelias primus impudenter erupit, siue in Concilio, quando flagris redhostierunt iudices; siue in scriptis, quod vehementer reprehendit Amolo: vt ausus sit, non tantùm Episcopos nominare hæreticos, sed etiam anathematizare, Monachorum omnium peripsema, & nullis vnquam lustrationibus purgatum bidental. Quid tale Scotus in Prudentium? Quid in vllum nominatim Episcopum, qui se profitetur *Catholicæ Ecclesiæ vigilantissimis pastoribus* obtemperare, *annuente orthodoxissimo Principe Domino venerabili Carolo?*

Actum est in Gotteschalcum vt hæreticum, non in Scotum.

Gotteschalcus contumeliosè prior egit, non Scotus.

Scotus moderatè in Gotteschalcum scribere non promisit.

Adiice si placet ad extremum, caritatem in Gotteschalcum, & orationis temperatæ modestiam, à Ioanne nullo verbo esse promissam, à qua tamen rariùs discessit: at Prudentius à carceribus ad metas perpetuo cursu, & impetu contumeliarum fertur in aduersarium, nulla vt pagina, si infinitas citationes excipis, conuiciis, tanquam luto, Scoti quadruuium non conspurcetur. At is tamen, vbi de ignorantia liberalium disciplinarum agitur, velut grandi affectus iniuria, mansuetudinem induit, locis omnibus obseruandam. *Veruntamen filij humilitatis, & veritatis, nequaquam talibus iniuriis commoneantur, vt conuicia conuiciis, & contumelias contumeliis referant: Quin humiliores effecti, quicquid sibi magistra humilitate, & veritate datum gratis nouerunt, ad dantis gloriam, & honorem retorquere penitus elaborent*. Hæc admonitio si sancta est, cur in praxi negligitur? Si negligenda, cur scribitur, laudatur, simulatur? Sic egerunt alij tractatores Ecclesiastici, Athanasius, Irenæus, Augustinus, Optatus, Hilarius, innumerabiles alij? Rabanus etiam inuitatus ad pugnam in Gotteschalcum, detrectat, ne superbiam hæretici asperiùs cogatur retundere. Amolo doctrinæ censor delectus, fert iudicium, propositiones suis nominibus indigitat, hortatur ad pœnitentiam. Scriptor Lugdunensis Scoti capitula Theologicè, id est, eruditè, & sæpius moderatè ad veram Ecclesiæ doctrinam expendit: hoc est docere, & corrigere. At qui nihil nisi blasphemias, hæreses, fœtores, proteruias,

Prudent. Correct. c. 18.

laruas, & horrores præloquutus, instructionem subiicit, nónne si non pro pane, saltem cum pane lapidem, cum pisce serpentem porrigit? Veniamus igitur ad sedatiorem, licèt non molliorem; ad magis theologum, & minùs aliquantò contumeliosum censorem, donec iterum Prudentius reuocetur in scenam.

CAPVT XXIV.

Ioannis Scoti doctrinam Lugdunensis scriptor secundus aggreditur, qui Florus Diaconus non esse monstratur.

Lugdunensis Ecclesia nouitatibus non acquiescit.

NOVITATES canentem hæreticum, sapiente censura per sanctissimum Præsulem suum, & Diaconum eruditissimum coërcuit Ecclesia nobilissima: iisdem nouitatibus ineptè per alias nouitates oppositum Erigenam, saniore Theologia modò per vnum ex alumnis suis reducit in viam. Digna sanè Bernardi elogio, vtroque in congressu, neque tunc primùm illud commerita, *haud facile vnquam visa est repentinis nouitatibus acquiescere, nec se aliquando iuuenili passa est decolorari leuitate Ecclesia plena iudicij.* Placet ante omnia iudicium illius expendere, in athletæ delectu, quem immittit in campum, & suo nomine, tanquam glorioso stemmate cohonestat. Dicitur enim liber aduersus Ioannem Scotum, Ecclesiæ Lugdunensis esse, ne tantæ matris partus degener, aut expositus esse videatur. Additur & Flori nomen ad titulum, vt Ecclesiæ magnitudinem agnoscas, cui tales ministri seruiant. Verùm vt ingenuè fatear, non puto placituram Ecclesiæ vetustatis amantissimæ inscriptionis nouitatem, nuperrimè à Dissertatore Præside, in horna eius operis editione excogitatam, in hunc modum: *Flori Magistri, & Ecclesiæ Lugdunensis liber aduersus Ioannis Scoti Erigenæ erroneas definitiones.* Cur enim firma auctoritas certo libro, incerto auctori, per titulum datur, & vncialibus litteris, miniato charactere transfertur ad posteros? Sufficiat, quòd veteri damus inscriptioni, vt ab Ecclesiæ Lugdunensis gremio eductus esse credatur liber, quamuis id certa nulla ratione confirmari possit: Quo iure, quóve exemplo nominis illius nouitas adducitur, & antiquitati per inconcessam temeritatem vis infertur?

Bernard. epist. 174.

Huius libri auctor exquiritur.

Dic enim amabo, quamobrem tibi nobísque persuasum velis, Florum Magistrum Lugdunensis Ecclesiæ Diaconum, huius lucubrationis auctorem esse, & parentem? Id inquit, *ex communi omnium sententia, nullo reclamante, communi omnium calculo comprobatur.* Plura quid petimus? Breuiter omnia, sed præfidenter. Appella tamen nominatim aliquos ex omnibus. *Inter reliquos Matthæi Westmonasteriensis in Floribus historiæ; & hoc seculo R. P. Sirmondi in Notis ad Auitum Viennensem; tum maximè, ex peruetusti Codicis manuscripti Corbeiensis inscriptione.* Apponitur & clausula, *& aliis* eorum more, qui dignitatum, & possessionum suarum titulos ambitiosè ostentantes, exhaustis omnibus numerando, supprimente charactere, *&c.* in alios infinitos cogitationem nostram emittunt. *Omnes* igitur istos tres, conuenire incipio à Codice Corbeiensi, cui & implicandus R. P. Sirmondus, cuius in reparandis illis scriptoribus magna est auctoritas, & à Manuscriptis tota, quos ingenti labore, ardente studio, incredibili patientia, summo rei litterariæ bono è veteribus Monasteriorum Bibliothecis eruit. Is Scotum & Florum locis duobus nominat, primo in Notis Conciliorum Galliæ, ad Concilium Valentinum: Vbi Scoti librum de vnica prædestinatione, capitum 19. iacere *in Corbeiensi Bibliotheca* admonet, *contra quem*, inquit, *non solum scripsit Florus Magister, Ecclesiæ Lugdunensis Diaconus, cuius refutatio Ecclesiæ Lugdunensis titulo vulgata est: verùm etiam Prudentius Tricassium Episcopus*, &c. Secundò in Notis ad Alcimum Auitum; vbi studiosè plura Flori opuscula enumerans. *Eiusdem præterea Flori*, ait, *liber est aduersùs Ioannem Scotum, qui Ecclesiæ Lugdunensis nomine est editus.* Neutrubi, vt vides, Corbeiensi Bibliothecæ Florum attribuit, vt per mihi mirum sit, in illa Bibliotheca ab indagatore curiosissimo non fuisse lectum librum Flori, è qua dicitur erutus à Dissertatore; & repertum Ioannis Scoti librum, cuius inuentio ab eodem Dissertatore penitus reticetur. Itaque his locis absque critices opera, qua maximè præstat doctorum elegantissimus, (quod tum expédi necesse non erat,) simpliciter Florum Lugdunensem, opusculi aduersus Scotum facit scriptorem: qui modò tamen, ex alterius manuscripti fide Remigium nominantis, in hunc magis inclinat, addita etiam Maldonati viri doctissimi fide: ac viso denique Matthæi Westmonasteriensis testimonio mox proferendo, existimat Floro nihil certaminis aut commercij fuisse cum hoc Scoti opere.

Præfat. in librum, & Dissert. c. 20.

Non esse Florum Lugdunensem diaconum, probatur aduersùs Dissertatorem.

Sirmond. Not. ad Concil. Valent. Tom. 3. Concil. Gall.

Idem Not. ad Auitum, pag. 63.

Sirmondi opinio.

At hoc, inquis, affirmat *Corbeiensis codex peruetustus*, Thuani codice *emendatior, nec mutilus.* Huc nimirum properabam, vt Thuani codicem, Corbeiensi opponerem, in quo nulla Flori mentio, neque in Bibliotheca Patrum, quò ascendit, neque in Andrea Duuallio, qui notis theologicis illustrauit. Quòd illo *emendatiorem, nec mutilum* dicis esse Corbeiensem, magnam sanè suspicionem moues, hunc ipso iuniorem esse, & ad eius comparationẽ *peruetustum* vocari non debuisse: & omnino *emendatior* est Thuani titulus infrà repræsentandus. Scis autem quid Critici soleant de sciolis dicere, antiquorum libros temerè interpolantibus: meministi probatam à te Camusatij censuram, pro *ignota passaque* Prudentij doctrina, quam cautè legendam monebat antiquissimæ notæ præfixa Cautio, non textus corruptela. Et eam Cautionem cùm expenderemus, non vno scriptam in codice, & loco aduertebamus, in signum receptæ communiter de dubia Prudentij doctrina opinionis: vnicus autem Corbeiensis codex, si Flori nomen præfert, tacent ceteri, quam firmam fidem facere censendus est?

Superest igitur Matthæus Westmonasteriensis, quem non semel, neque dubitanter opinionis tuæ producis assertorem, imò vt ab eius calumnia Flori memoriam vindices, non sine labore & diligentia, cuilibet definitioni Scoticæ, à Floro impugnatæ, prænotas & Capitulum, &

Matthæus Westmonasteriensis citatus pro Dissertatore, contra ipsum facit.

sectionem libri Ioannis Scoti, in quibus habetur; vt iis consultis, malè historicus dixisse nobis comprobetur *Florum Ioannis Scoti scripta deprauando damnasse.* Audiamus igitur Anglicani scriptoris narrationem, qualem tu ipse describis. *Rogatu eiusdem Regis* (Caroli Calui) *Hierarchiam Dionysij Areopagitæ de Græco in Latinum transtulit: & alium librum edidit* (an eiusdem rogatu? non indicat.) *Quem περὶ φυσικοῦ μερισμοῦ* (aliàs περὶ φύσεων μερισμοῦ) *id est, de natura diuisione intitulauit. Quem esse vtilissimum ait ad varias quæstiones ferè insolubiles enodandas. Si tamen ei in quibusdam ignoscatur; in quibus à Latinorum tramite deuiauit, cùm in Græcos acriter oculos intendit: vnde & hæreticus à quibusdam putatus est. Scripsit enim contra eum Florus quidam, (qualis ille fuerit ignoratur,) qui & eius scripta deprauando damnauit. Sunt enim reuera in prædicto libro perplurima, quæ nisi diligenter discutiantur, aliena à fide catholica iudicantur.* In hoc tu testimonio certam sententiæ tuæ confirmationem legis; ego euersionem: & nisi plus nimio te amas, te iudice causam obtinebo.

Math. Westm. in Flor. Hist. ad an. 883.

Explicatur narratio Westmonasteriensis.

Siquidem obseruo in primis, duos tantùm Ioannis Scoti libros commemorari; neque plures, vt videtur, agnoscunt Anglicani scriptores, etiam qui hanc historiam penè ad verbum ex Westmonasteriensi transcribunt, Guillelmus Malmesburiensis, & Rogerius de Houeden: nimirum translationem Dionysiacæ Hierarchiæ, & De naturæ diuisione: cùm tamen alios ab eo scriptos, vel vnus de Eucharistia memoratus à Lanfranco, & à te ipso, manifestè edoceat. Deinde, illum de quo Westmonasteriensis agit, procul ab hoc libro, quem tractamus differre. Nam neque isto de naturæ diuisione tractat, aut sic inscribit; neque vspiam vtilem facit ad quæstionum insolubilium enodationem: neque nimia Græcorum affectatione à fide Latinorum aberrat: neque vlla diligentia propositiones eius aliquæ ab errore vindicari possunt; neque demum ab aduersario deprauatus est. Quæ omnia in opere alio περὶ φύσεων μερισμοῦ, quærent eruditi, cùm resurrexerit: debuit in isto monstrare Dissertator, si voluit à nobis credi, de eo locutum historicum. Præterea, Florus ille libri De naturæ diuisione deprauator & censor, tam obscurus vt solo nomine ad Anglos peruenerit, miror equidem si Florus ille est, ab officio Diaconus, ab eruditione Magister dictus, iam inde ab Agobardi temporibus Walafridi Strabonis carmine laudatus in Germania, cuius vel vnum sermonem tanti fecit Ebbo Gratianopolitanus Episcopus, vt pretiosè seruaret in scrinio; Heriboldus Autissiodorensis, vt libenter ab ipso Floro acceptum donaret Hincmaro; Hincmarus Remensis, vt eum totum describeret, & in operis sui fronte exponeret; Lugdunensium asseclæ, vt locis duobus corrumperent; Collector Hincmari aduersarius, vt cum magno auctoritatis pondere citaret. Alius ergo Florus est, meo iudicio, qui Scoti librum alium deprauauit & damnauit, hunc nostrum nullus Florus attigit. Denique, quanquam hoc opere statui, à tricis Chronologicis manum abstinere, confert tamen ad historiam quam verso, quærere, quo anno Florus Magister Scotum oppugnarit? anno Christi 852. inquis, ante Carisiacēsia Capitula, ante Concilium Valentinum, ante posterius Hincmari opus de prædestinatione, quod anno 60. tantùm inchoatum est. Quid? Lugdunensis Florus, tanta vir doctrina, tanta auctoritate, cuius breuis sermo non minima pars controuersiæ factus est, in grandi & erudito opere, contra celebrem aduersarium tantò antè edito, notus non fuit, aut Lugdunensibus sociis, & Collectori aduersario Hincmari; aut Hincmaro ipsi, qui solus Prudentij Recapitulationem cognitam habebat post annum eius seculi sexagesimum?

Guillelm. Malmesb. hist. l. 2.

Roger. de Houed. annal. part. prior.

Walafrid. Strab. Carm. ad Agobard.

Scriptus hic liber non est eo tempore, quo ponitur à Dissertatore.

Ac profectò risum mihi sæpenumerò mouit illa Dissertatoris fictio, quales Sophistæ veteres exercitationis gratia declamabant, quid dicere potuerit Hecuba, quid Priamus? Est enim ea ipsius narratio, quasi Concilio interfuerit, & sciat, vt ait ille, quid Iuppiter in aurem Iunoni dixerit. *Excerptis ex Ioannis Scoti libro de Prædestinatione definitionibus, ad Ecclesiam Lugdunensem perlatis, & in eius celeberrimo Collegio pia & fideli attentione expensis, & pertractatis (vt de quatuor Carisiensibus Capitibus habetur in libro de tenenda veritate scripturæ, in principio) Responsionis, seu Refutationis parandæ cura Floro Magistro, doctissimo illius Ecclesiæ Diacono delegata est.* His tam seriò, & grauiter positis, certum equidem habeo voluisse auctorem verum dicere: dixisse autem priùs non credam, quàm mihi probauerit. 1. Quæ missa sunt ad Lugdunenses, quibus Florus ille respondere dicitur, esse Excerpta, siue propositiones sub 19. capitulis, quales accepit Prudentius: cùm Excerptorum nusquam meminerit responsio. 2. Florum, (sic enim appellemus) *nullam aliam habuisse libri Scoti notitiam.* cùm scribat ipse, *Venerunt ad nos cuiusdam vaniloqui, & garruli hominis scripta,* diuersa videlicet ab excerptis propositionibus. Addátque *humanis ipsum, & philosophicis argumentationibus disputasse,* quod nisi lecto libro non potuit affirmare, *nulla ratione reddita, nulla scripturarum, siue sanctorum Patrum auctoritate prolata,* quæ in excerptis propositionibus desiderari, iustè non quereretur. Cur autem Prudentius in Excerpta illa, ante plenam libri notitiam scribere noluit, Florus Prudentio longè θεολογώτερος, ausus est scribere? Censuram petunt propositiones, refutationem opus solidum, accuratissimè expensum. 3. Propositiones illas in Lugdunensis Ecclesiæ Collegio, hoc est, in publico & communi omnium virorum Ecclesiasticorum consessu fuisse expensas, & pertractatas. Nam id si de Carisiacensibus Capitulis credere volumus factum, quia scribitur; de illis Excerptis negare possumus, quia tacetur. Neque verò eadem fuit ratio Capitulorum Carisiacensium, & harum propositionum. Nam Capitula in Concilio definita, publica Episcoporum auctoritate *perlata* sunt *ad Ecclesiam nostram, id est, Lugdunensem.* Propositiones à priuato è libro Scoti excerptæ, à priuatis Lugdunum missæ, non sunt publico ritu cærimoniáque susceptæ, neque postulatum, vt communis Ecclesiæ Lugdunensis de iis sensus responsione publica proderetur. 4. Curam respondendi ab illo consessu alicui fuisse delegatam: cùm scriptor nusquam id exprimat, quod tamen plurimum valuisset ad auctoritatem publicam operi conciliandam: Sic Hincmarus, & Lupus, iubente Carolo Rege; Scotus, iu-

Narratio ficta à Dissertatore. Præfat. libri ad Lectorem.

Vberius expenditur.

Liber hic scriptus, non est publica auctoritate.

bentibus Hincmaro & Pardulo, Prudentius iubente Wenilone rem magnam à se tentatam profitentur; iste ne verbo quidem subindicat. Cur igitur, inquies, Lugdunensis Ecclesiæ nomine vulgatus est? Potuit priuato consilio susceptus, & confectus, legi publicè & probari, & Ecclesia sua dignus censeri: quemadmodum in Synodo Palmari sub Symmacho, apologiæ priuatim ab Ennodio scriptæ, data est in consessu Synodalis auctoritas. Potest etiam de antiquitate, & fide illius tituli dubitari. Nam, vt verum fatear, suspecta mihi est ea explicatio, diuersis vbique signata characteribus, *Venerunt ad nos, id est, ad Ecclesiam Lugdunensem.* De qua libro alio fusiùs nonnihil dicetur. 5. Ad id operis delectum fuisse Diaconum Florum, qui nunquam pro modestia diceret, *necessarium duximus, vt studio caritatis,* (non igitur obedientiæ merito) *& debito nostri loci atque ordinis* (quorsum hæc Diaconus?) *eius insolentiæ auctore Domino responderemus.*

Auctor huius libri non est Remigius Antistes. Facit hæc oratio plena dignitatis, vt quando ex superioribus constat, opus istud ad Florum Diaconum nihil pertinere, de eius Præsule Remigio breuiter inquiramus, eiúsne liceat auctorem virum grauissimum, & consultissimum existimare? Id certè non facilè concedet Dissertator meus, qui cùm se accuratissimum chronologum esse velit, & videri, Remigio Archiepiscopo non potest opus assignare, quod in libri serie Amolonis Lugdunensis Epistolæ ad Gotteschalcum præponit, & ad annum eundem 852. opusculum vtrunque reducit. Addò & illud ex eius mente, de qua suo loco deliberandum erit, cùm opuscula cetera Ecclesiæ Lugdunensis nomen præferentia, vni Remigio deberi putet omnia, tantam negotiorum molem homini occupatissimo, & publicis rebus plurimum exercito, in Conciliis præterea frequentissimo imponi non posse, vt librum hunc iustum animi tranquilli, & soluti exercitium vltra ceteros tribuamus. Non enim hæc lucubratio, vt huius seculi infinitæ, nuda locorum è scriptura, & Patribus petitorum congeries est, sed alta theologia, solers meditatio, subtilis disputatio, quam qui suscipit, hoc agat oportet, aliud nihil. Vt summum igitur Remigio dandus hic liber videtur, vt Regi alicui victoria de hostibus, quia eius auspiciis, & opibus parta. Quamobrem quisquis ille est, in summæ dignitatis persona verba scripsit superiùs producta, & eius vices induit, cui seruiit.

Dissert. c. 20.

Longè minùs Prudentius Trecassinus. Omnium verò minimè probanda est opinio, quam Nicolao Fabro V. Cl. & doctissimo assignat Vsserius, cui & aliquando adhæsisse se testatur, scriptores duos, totidémque opera in vnum commiscens. Ait enim *Floro Prudentij nomen inditum, ob studij videlicet similitudinem, vel imitationem exempli.* Adeóque non esse alium Florum Magistrum, ab illo Prudentio Episcopo Trecensi; neque opus aliud Prudentij aduersùs Ioannem Scotum, quàm istud inscriptum Ecclesiæ Lugdunensi. Quam etiam in sententiam pedibus discedere videtur Duuallius nobilissimus Parisiensis Theologus. Sed ea tum fuit toleranda, cùm nobis seculi felicitate licebat esse minùs peritis: cùm instrumenta belli literati è maiorum sepulcris nondum erant eruta, quæ docerent, Florum Lugdunensem esse, Prudentium Trecensem: ab hoc priuatim, ab Ecclesia Lugdunensi publicè aduersùs Ioannem Scotum disputatum esse: non à Floro, sed à Galindone Hispano homine, Prudentij hominis Hispani assumptum esse nomen, more seculi inter literatos adulantes, vt Goteschalco Fulgentius, Ioanni Scoto Chrysostomus cognomen fuit: sed huic hæsisse cognomen suum, non illis, quia ad Gallicanum Episcopatum adscito, barbara nomenclatio displicuit.

Vsser. l. hist. Gotesch. c. 8.

Duuall. not. ad l. de 3. epist.

Auctoris huius libri commendatio. Itaque donec eruditi nostri solem aliquem è tenebris eduxerint, manebit anonymus scriptor ille, & cui genus, vt ait poëta, materna superbum nobilitas dedit, incertum de patre feret; & saluus atque incolumis perstabit Titulus Thuani Codicis, Dissertatorio melior, in Patrum Bibliothecam transmissus. *Lugdunensis Ecclesiæ Liber, aduersùs opinionem Ioannis Erigenæ cognomento Scoti.* Et initium. *In nomine Domini N. Iesv Christi, incipit libellus aduersùs cuiusdam vanissimi hominis, qui cognominatur Ioannes, ineptias & errores,* &c. Excusso vtrobique Flori nomine; cùm alioqui auctor memoria dignus sit immortali, theologus supra hanc ætatem, & scholasticis propior, in quo primùm philosophica lingua *quiadditatem* lego, nominatam essentiam rerum: Augustinianæ doctrinæ non ignarus, Christianæ maiestatis contra philosophiæ secularis argutias fidelis patronus, tantò profundior Prudentio Theologus, quantò Prudentius in Ecclesiastica doctrina Scoto superior. Rursùm Prudentio contumeliis iactandis aliquantò inferior est, vtroque Scotus: non deest tamen acetum in pectore, sed Lugdunense Scotico efficacius est, dilutius Trecassino; quo carere omnes, salua veritate, & iubente caritate debuerunt.

Tom. 4. Biblioth. PP.

CAPVT XXV.

Annotata quædam in Scriptoris istius consilio, modóque tractandi.

Quid in summa considerandum in hoc scriptore sit.



Vò minùs cognitum habemus hunc auctorem, eò magis amoris expertes, & odij æquum de opere ipso iudicium feremus. Scribit Lugdunensis Theologus, aduersùs Scotum Regi Carolo gratum. Ad pauca hæc verba refero, quicquid animaduersione historica dignum hîc existimo. Lugdunensem, & Regem cùm nomino, regnorum duorum inter se simultates significo, de quibus aliàs, quarto libro. Scotum cùm appello, eum dico qui *quasi Scholasticus, & eruditus admirationi habetur,* in partibus Hincmari. Lugdunensis & Scotus Athletæ duo: hic apertâ vi in aduersarium irruit, & inuolat; ille modò clanculùm subit, & supplantat: modò latus præbentem affligit, & insultat. Scotus Gotteschalcum vult esse hæreticum; Lugdunensis Scotum & videri. Pugnat ille philosophia, hic theologia: vterque solers & acutus: alter solidior, quia fide nititur: alter non semper vanus, quando rectam rationem consulit. Sic autem conuenire debent ambæ disciplinæ, vtraque vt sociam adiuuet, neutra opprimat. Fit tamen istud ab huius Theo-

logia percupidè & ardenter, quia & benigna est occasio, & regnorum partiúmque æmulationi seruitur. Rem apertiùs quasdam in partes disseco, & exemplis confirmo.

Gotteschalco fauet occultè per dissimulationem. c. 4.

Suadet Theologia, quod manifestè prauum est, etiam in amico, damnari, vt alia securiùs dissimulatione tegantur. Quamobrem hic Gotteschalcum, & eius hæresim ex toto modò deserit, modò ignorat, modò negat esse. Hæresim, inquit, prædestinationibus necessitates, & vim inferente, Gotteschalcanam nominat, *à quodam videlicet miserrimo & infelicissimo Monacho, iamdudum illic (nescimus quo ordine) damnato, & annis iam plurimis carcerali ergastulo retruso, nomine Gotteschalco: qui si aliquid tam grande, & periculosum contra fidem Catholicam docere præsumpsit, vt necessario Synodali iudicio tali ac tanta damnatione plecteretur*, &c. Quàm dissimulanter relinquit in dubio, fuerit-ne reus Gotteschalcus, an potiùs accusandi iudices, qui sic condemnarunt? Vtri parti fauet? Quantò rotundiùs Amolo, certus Lugdunensis Archiepiscopus? *Diu hæsitaui, vtrum tibi respondere deberem, homini de nouis contra Ecclesiam præsumptionibus, & non paruis erroribus iamdudum accusato, & propter contumaciam, vt audio, Episcopalis Concilij auctoritate damnato.* Sic agit veritas. Vos autem quousque claudicatis in duas partes, hæresim probare non ausi, agnoscere metuentes? *Quod autem dicit præfatum Gotteschalcum prædestinationibus necessitates, & vim inferentem, si ita hoc dicit, quasi illa prædestinatio reproborum ad interitum, alicui eorum vim, & necessitatem imponat ad malum, id est, vt ineuitabiliter mali sint, & omnino aliud esse non possint, hoc omnino alienum est à fide Catholica.* Præcisè proscribit hæresim; quid enim aliud audeat? Semper tamen amici personæ parcit, *si ita dicit.* At hoc ita dicere Gotteschalcum significat Amolo, cùm præter cetera superiùs allata, grauiter illum admonet Agathensis Canonis, vt suo loco monstrauimus. Pergit auctor. *Qui autem vim & necessitatem peccandi, Deum intulisse homini, vel inferre dicit, manifestè horribiliter in Deum blasphemat, quem ad peccata compellendo, vtique auctorem peccati esse confirmat.* Ad marginem scribit Dissertator, *Neoterici hæretici.* Quos sanè non lacessit locus iste, sed illum, qui tum erat *Neotericus hæreticus.* Et quidem in eum, vt videtur, clarè insilit, sed mox impetum sustinet. *Quod iste delirat, quòd huius* (reproborum) *prædestinationis prædicatio, necessitatis ad peccandum sit inrogatio; quàm sit calumniosum, & vanum, putamus quod ex his, quæ dicta sunt omnibus clareat.* Ecce puluis iterum in oculos iniectus. Certum enim est necessitates, & vim, à duabus prædestinationibus non potiùs inferri, quàm ab vna; in quo hallucinatus est Scotus, si præcisè ratio prædestinationis spectatur: cúmque illo maximè argumento Scotus prædestinationem reproborum, quæ secunda est, euertere conetur; sequitur secundùm Lugdunensem, vanum esse, & per calumniam dici, reprobos ad malum prædestinatione impelli: vt hinc vlteriùs credatur fictitium esse, quod de Hæresi Gotteschalcana commemorauit. Quid igitur habemus ex istis theologica subtilitate implicatis? Hoc primum, hæreticam & horribilem esse blasphemiam dicere, prædestinatione diuina fieri

Sincerius agit Amolo epist. ad Gottesch.

Necessitatẽ Prædestinatianam execratur.

necessariò, vt ineuitabiliter mali sint, & aliud esse non possint. Deinde, *si hoc ita dicit* Gotteschalcus, cum *manifestè horribiliter in Deum blasphemare.* Tertiò, id nullo modo affirmari ab eo præcisè, qui prædestinari dicat reprobos ad pœnas peccatorum, non ad ipsa peccata. Quæ cùm dicit Theologus, audire mihi videor Prudentianum illud, *Gotteschalcanam hæresim nec defendimus, nec tenemus.* Sed porro agendum erat, vt vel Lugdunensis iste, vel antè Prudentius, articuli secundi subsumptum eriperet Scoto; Atqui hoc ita dicit Gotteschalcus; & omnem disputationis segetem vna falce resecaret. Istud, quod quæstionis nostræ caput est, si non audent illi, quia frustra tentauerint, homines æquales Gotteschalco, adprimè eruditi, Hincmari æmuli, partibus infensi; quis alius octingentis pòst annis natus, nouus homo, contra veterum omnium fidem, confidentissimè negauerit in ea hæresi fuisse Gotteschalcum?

Non defendit apertè Gotteschalcum.

Eadem industria Theologica circa Prædestinatianæ hæreseos existentiam versatur, in qua neganda versat ipse se, & magnam triumphi ansam Dissertatori nostro præbet, vt Fausto insultet *inter reliquias Pelagianorum antesignano*, qui fictitiam hæresim, & eius condemnatrices Synodos duas Arelatensem & Lugdunensem fabricarit. Ita breuissima illa & verissima diuisione, istis omnibus crucem fixit Erigena. Fatetur ergo Lugdunensis, quod theologum decet, hæreticum esse, libero arbitrio denegato solam gratiam prædicare. Sed hanc hæresim extitisse vnquam negat; imò inuentam putat à Scoto, vt *B. Augustinum latenter quasi hæreticum accuset*, quod bono philosopho nunquam venit in mentem aggredi, à quo dicitur Augustinus *piissimus doctrinæ pater, pulcherrimum exemplar eloquentiæ, acutissimus veritatis inquisitor, studiosissimus liberalium artium magister, prouidentissimus animorum exercitator, humillimus persuasor.* Quod Augustini encomium, à Scoto profectum, vterque oppugnator dissimulandum putauit, vt probabiliùs impugnati Augustini accusaretur, & ipsi soli Augustinianæ doctrinæ sectatores viderentur. De re non disputo: Marcionis, Valentini, Manichæi naturas duas Angelorum, & hominum non ignorat hic scriptor, & Prædestinatianis exprobratam Manichæorum vesaniam vidimus: liberum arbitrium, absque gratiæ mentione, sublatum à Simone Mago, & à Bardesane Syro, notat in hunc locum Duuallius: adeóque non expressè illos hanc hæresim docuisse. Qui & addit, textum illum explicans. *Nec potest inueniri toto hoc tempore, quod fuit inter illum* (Augustinum) *& nos, aliquam talem hæresim in Ecclesia extitisse.* Dictum hoc inquam exponit Duuallius, *quia si qui fuerint, ab Ecclesia tanquam hæretici perpetuò sunt habiti: ita vt particula illa (nulli) excludat Catholicos, non autem quos Ecclesia condemnauit.* Quæ quidem expositio, quia vereor vt eruditis nostris displiceat, videant vtrum ista meliùs sapiat. Fateor ego negari extitisse hanc hæresim, vt nuper à Prudentio; & tam accuratè, & doctè negari, vt alicui affectatæ ignorantiæ suspicionem mouere possit. Verùm & hoc omisso, licere arbitror Theologo aliquid in historia ignorare; neque amentatum istud mihi argumentum videtur, Nescit Theologus Lugdunensis extitisse

Prædestinatianam hæresim extitisse cur neget. Ibid. c. 4. Dissert. c. 11.

Augustini encomium ex Ioanne Scoto. c. 18.

Duuall. in hunc locũ.

Argumenti negatiui imbecillitas

Prædestinatianam hæresim, quæ libero arbitrio denegato solam gratiam prædicaret. Nunquam igitur illa extitit in Ecclesia. Ergo qui extitisse dicunt aliquam, ij *B. Augustinum latenter, quasi hæreticum accusant, & illos qui eum sectantur.* Sic enim possit agere quilibet, Augustinus Presbyter cùm à Valerio sene Coëpiscopus ordinaretur, idque factum statim à Paulino magnopere probaretur, tres omnes illud Concilij Nicæni Canone prohibitum esse nesciebant; ergo non erat Nicænus canon qui prohiberet. Episcopi Africani cum Augustino Canonem Nicænum, aut Sardicensem, de appellationibus ad Romanam sedem, ignorarunt: ergo Canon qui eas confirmaret, nullus erat. Et ne discedam à proposito, Andream Duuallium huius opusculi commentatorem in sacra scientia pentathlum, & Collegij Sorbonici per se clarissimi, sidus eximium esse nemo nescit. Hic tamen Gotteschalcum *in Concilio Moguntinensi damnatum ab Episcopis, & ex illorum decreto flagellis violenter cæsum* postquam scripsit; alibi refert *fortasse tantùm in Senonensi vapulasse*, sic enim appellat Concilium Carisiacum, quòd ei putet Wenilonem præsedisse: & hanc historiæ ignorationem magno viro nemo exprobrat, aut vllus negat eam ob rem, verè præsentem in Concilio Carisiaco stetisse Gotteschalcum, & eius peruicaciam flagellis fuisse perdomitam. Hæc & id genus alia, licet hi, & alij complures ignorarint, non tamen vera esse desinunt; ergo si Lugdunensis hic scriptor, aut Prudentius etiam, dissimulatione seclusa, verè & ex animo nescierunt extitisse olim Prædestinatianam hæresim, ideo-ne statim ab hæreseon catalogo, & ex rerum præteritarum memoria expungenda censebitur? Non est igitur quòd his amplificationibus, aut dissimulationibus moueamur.

Apud August. ep. 36.

Duuall. cit. in hunc locum.

Idem in l. de 3. epist.

Iam æmulatio abutitur Theologia, tanquam administra, eámque aduersarios in inuidiam, & odium publicum, quoad fieri potest, vocare cogit. Quo iure? viderit Zelotypus. Postquam enim finxit accusari à Scoto Augustinum quasi hæreticum, in Episcopos Carolini regni declamat, à quibus fouetur, & laudatur. *Quis dignè possit dolere, & horrere istud contagij, & pestilentiæ malum, quod ab illis partibus* (audis Lugduni loquentem sub imperio Lotharij?) *Tam effrenatè & infrunitè, tam impudenter & audacter, contra ceteras partes Ecclesiæ Dei quietas inter se, & pacificas, & tranquillas exurgit? Vbi tale monstrum & prodigium iamdudum à fidelium auribus arcendum sedet, & disputat, & congerit tot mendacia erroris, tot conuicia contra fidem veritatis, & nulla Pastorum Ecclesiæ vigilantia, vel corrigitur à talibus, vel expellitur.* Hanc meretur inuectiuam, aut de fugillata Augustini doctrina temerè suscepta suspicio; aut de vnica prædestinatione, quòd ea sit Deus in Deo; aut quòd mors & miseria non sint à Deo, qui *mortem non fecit*, hactenus refutata opinio? Turbarum auctor & incentor malorum Scotus est, qui respondet, an Gotteschalcus, qui Ecclesiam aggreditur? Quare venia hæretico data, stantem in Ecclesiæ communione censura vexat & lacerat? Vult *corrigi* Scotum *à talibus*, hoc est, imponi viro silentium, ne militare pergat in partibus: cupit *expelli*, quia vel vmbram *hominis scholastici & eruditi* metuit; neque verò vespæ illæ à misero Scoto lancinando, vellicando, cruentando priùs quieuerunt, quàm ex Aula Caroli, & regno, in Angliam suam expulerint. Vis aliud exemplum concitatæ in æmulos inuidiæ? *Siue ex suo sensu hoc dixerit,* (Scotus) *siue ab aliis audierit, nos tamen veraciter scimus, quia iste est error moderni temporis apud plurimos, dum non putant prædestinationem Dei, nisi in parte electorum in scripturis inueniri.* Tanquam in Trinitatem augustissimam, aut aduersùs Incarnationem Verbi peccatum sit ab Hincmari parte, *errorem* vocat, & monet *adquiescendum, & obediendum esse humiliter veritati, & non quod semel nobis persuasum est, contentiosè defendendum:* quasi iam iámque proximè hæresim pertinacia locaret errantes: cùm tamen legamus in Hincmaro, non vocem geminæ prædestinationis, sed hæreticum Gotteschalci in eius assertione sensum reprehendi. Ac eodem loco probat Lugdunensis ipse, verborum leuiorem haberi rationem oportere, vbi res ipsa tenetur: quid ergo vocat *errorem*, vbi non de verbo, sed de sensu catholico, cum hæretici peruicacia contenditur? Quare verbi vsum aduersariis remittit Hincmarus, de verbi sensu cum hæretico certare non permittunt Lugdunenses?

Lugdunensis æmulatio in Episcopos regni Caroli. c. 4.

Scotus iniustè hoc loco vexatus.

Alio exemplo declaratur æmulatio. c. 11.

Hincm. l. de prædest. c. 19.

§. VNICVS.

Alia eiusdem propositi exempla.

HIs addo, exasperati & nocentis animi partum esse, aut leuium rerum exquisitas reprehensiones, aut acerbiores quàm res exigant, exaggerationes, vt metus sit, ne dum isti, suorum plus æquo amantes, stilis tanquam spiculis, aduersaria scripta & singulos apices scrutantur, sæpe paratragœdientur in nugis. Eam noxam vidimus in Prudentio, neque satis hic cauet Lugdunensis: & omnino pars illa hoc vnum totis doctrinæ suæ neruis efficere conata semper est, vt aduersa Pelagium sequi videretur, eúmque calumniæ genium transmisit ad posteros. Id specta in hominis voluntate, & libero arbitrio; neque censuram de meo accipe, sed à Duuallio, virtute doctrináque spectato, cuius in hunc librũ Notæ, nouitatibus renatis vetustiores sunt. Scotum ergo reprehendit aduersarius, quòd doceat, *cùm de libero arbitrio hominis agitur, quo vel bona ad salutem, vel mala ad perniciem suam diligit, talem voluntatem, mentis esse naturam.* Quem in locum Duuallius. *Non assequitur mentem Ioannis Erigenæ Ecclesia Lugdunensis, quantùm ipse possum conijcere. Nec enim dicit primò Erigena, voluntatem, & animam eiusdem esse naturæ; sed solùm, voluntatem ipsius mentis, & animæ, in dilectione sui ipsius, agere vt naturam, non autem vt liberam. Secundo, piè pariter & catholicè sentit Erigena,* (attende quomodo à Parisiensi Theologo corrigatur Lugdunensis, qui eo loco de Erigena dicebat, *Non rectè dicit, quia nec rectè sentit.*) *cùm dicit, libertatem in homine post peccatum remansisse: vigorem autem & potestatem illius amisisse. Arguit autem eum Ecclesia Lugdunensis, quòd accipiat libertatem, vt seruituti peccati opponitur. Erigena tamen eam pro facultate ad vtrumlibet tam ad bonum, quàm ad malum accipit, quam in homine post peccatum remanere, ex Augustino certum est: ita* vt

Conatur Scotum ostendere esse Pelagianum.

Sed aliquãdo perperam vt c. 4.

Duuall. Not. ad hunc locũ.

vt disputatio hoc loco videatur esse de nomine. Quæ tamen pro magna multis agitatur.

Scoto prauum sensum professa opera affingit.
Ibid. c. 4.

Eadem pagina Scotus arguitur, *posteaquam inaniter, & fallaciter dixit, post peccatum, homini libertatem remansisse*; quòd aliam subiecerit conclusionem, *Semper naturam inchoare posse, & perficere non, nisi per gratiam.* Cui hunc donat sensum, *Quod si ita dicit, quasi inchoatio totius boni semper homini deputetur, Deo autem tantummodo eius perfectio: vt primam partem boni agendi sibi vendicet homo, secundam Deus: talis sensus omnino Pelagianus est, & contrarius Euangelicæ atque Apostolicæ veritati.* Dictum verissimè, & si hoc putauit Erigena, purum putum Pelagium sapuit. Id tamen asseuerare non ausus Lugdunensis, post confirmationem eius rei, quam nemo catholicus reuocat in dubium, subdit, *Si istius verba alium sensum rectum, & recipiendum habent, ostendat ipse qui scripsit.* Imò ostende tu qui *alium* peruides; non enim ita scriberes, si nullus esset *rectus & recipiendus*: explica benigniùs, qui *studio caritatis* duci te profiteris; qui *quid magis sentiendum esse teneas* docere promittis. Nec erat obscurus, si lucem potiùs adulta die quæsisses, quàm tenebras. Nam toto capite id maximè probat Scotus, seruandam omnino esse liberi arbitrij cum gratia, in bonis operibus concordiam; cùm prædestinatio cogens & vim inferens *Dei dona destruat, hoc est, liberum voluntatis arbitrium, & gratiæ auxilium: quibus duobus profectò plenitudo iustitiæ hominis, & inchoatur & perficitur.* Anchoatur autem & perficitur per gratiam, quæ naturali libertati superueniat oportet, vt possit in actum erumpere. *Non est enim volentis, neque currentis bona opera vel inchoare, vel agere, vel perficere; hoc enim est miserentis Dei donum.* In his Scotum à se non procul abesse superiùs fatebatur Prudentius. Tu quid? Quomodo rem explicas? *Habet homo post illam damnationem liberum arbitrium, quo propria voluntate inclinari potest, & inclinatur ad malum.* Hoc in quæstione non est. *Habet liberum arbitrium quo possit assurgere ad bonum.* Scripsit Scotus. *Libertatem post peccatum remansisse.* Hoc tu appellas *inaniter & fallaciter* dictum. Et addis. *Vt autem assurgat ad bonum, non esse propriæ virtutis, sed gratiæ Dei miserentis.* Dicit Scotus. *Non nisi ad gratiam Dei pertinere, vt homo accedat ad eum, aut non recedat ab eo.* Quid plura? *Habet*, inquis, *liberum arbitrium, vt possit benè velle, vt possit benè viuere, vt possit Deo adhærere. Sed vt benè velit, vt benè viuat, vt Deo adhæreat, non est sua virtutis, sed gratiæ Dei miserentis.* Quid Scotus? *Non est hominis bona opera vel inchoare, vel agere, vel perficere, sed miserentis Dei donum.* Confirmas ex Augustino. *Cùm voluntas credendi aliis præparatur, aliis non præparatur à Domino, discernendum est, quid veniat de misericordia eius, quid de iudicio.* Huc alludens Scotus ait. *Non in omnibus, sed tantum in prædestinatis dono gratiæ præparatur, adiuuatur, custoditur, finitur, coronatur: in nullo autem generaliter diuina prædestinatione vrgetur, captiuatur, sed peccato & originali & proprio impeditur, occulto, iusto tamen Dei iudicio.* Quid videtur Theologe? Qua parte Scotus tendit ad Pelagium, qua tu non sequaris? Quod scriptum vlterius postulas quo se *rectum & recipiendum* ostendat? Quid necesse fuit vitium in Scoto quærere vnde abest, cùm vera mala quamplurima vltro alibi offerat? Non erit aliàs opus meditatione, vt scribas, *Quod si ita dicit:* ipsa se prodent eius deliria. Hîc dissimulas quod laudes, vt implices quod reprehendas. Redeo ad Duualliũ.

Scotus idem hoc loco sentit, quod Lugdunensis.

Malè reprehenditur Scotus quòd liberum arbitrium medium donũ esse dicat.

Scot. & Eccles. Lugd. c. 7. Duuall. ibid.

Reprehenditur Scotus quòd scripserit, *liberum arbitrium inter media Dei dona deputandum, ideóque eo peccari potuisse.* Hic Parisiensis Theologus media dona intelligit *inter naturam & gratiam.* Sic viam à Scoto ad Pelagianismum sterni: *si enim libertas est medium donum supra naturam, sequitur auxilia gratiæ non esse necessaria.* Vero tamen *caritatis studio* Theologiam suam excutit, si quid potest ad Erigenæ tutelam reperiri, cùm Lugdunensis ad eius dedecus nihil relinquat intactum. *Verùm si per liberum arbitrium, intelligat Erigena actiones liberas, nonnihil potest excusari; cùm illæ à D. Thoma 1. p. q. 57. a. 4. medij ordinis inter naturales, & supernaturales esse dicantur.* Si quid hîc licet tentare post oraculum, videtur posse alio præterea modo impetum aduersarij refutare Scotus Erigena, vt media Dei dona vocet, non quæ inter naturam sint & gratiam, sed quibus benè aut malè vti possumus, proximè mentem ipsius Scoti conceptis verbis expressam, dum humanorum bonorum triplicem distinguit ordinem. *Sunt enim magna bona, quæ homini à Deo donantur, sunt media, sunt minima. Et quidem magnis nullus malè vtitur:* sunt enim ea virtutes. *Mediis verò bonis*, quales sunt disciplinæ & artes; *& minimis*, vt sunt membra corporis, *pro arbitrio vtentis & rectè vtitur, & peruersè.* Quæ ipsa est Augustini doctrina, fusè ab eodem Scoto recitata: Vbi hæc expresè legimus, *Neque illa bona quæ à peccantibus appetuntur, vllo modo mala sunt; neque ipsa voluntas libera, quam in bonis quibusdam mediis numerandam comperimus.* Quod cùm probè intelligeret Lugdunensis, propositionem ita concepit, vt ex eo quod medium est Dei donum, sequatur, eo posse peccari. Quid illo dicto verius? Quid meliùs expressum? Quæretur tamen nodus in scirpo, & quod improbare theologia non potest, æmulatio vellicabit. *Iste*, inquit censor, *licèt donum Dei dicat esse liberum arbitrium; tamen naturale illud tantummodò asserit, more Pelagianorum.* Hæc calumnia est. *Naturale* asserebant Pelagiani *tantummodò* absque superueniente redemptionis gratia ad bene operandum sufficere. Vbi hoc Erigena? Dona naturæ, inquit Lugdunensis, distinguenda sunt à donis gratiæ. Nam præter mentem rationalem, & intellectualem, præter ea quæ naturaliter corpori humano dedit, dat etiam Deus homini fidem, spem, caritatem, pietatem. Quid hæc ad institutum, vbi de naturalibus & mediis donis agitur? Quo loco negat Scotus hæc esse munera Redemptoris? *Vnde & ipsum liberum arbitrium fides catholica, fides vera, inter dona gratiæ deputat.* Adiicit Dissertator ad marginem, *De arbitrio verè libero.* Quid ais Theologe? Stat Scotus in naturali dono, medio dono, quo malè vti possumus: bonæ actionis, ac ne cogitationis quidem, hîc apud eum vlla mentio. Dic ergo qui scripturæ locus, qui Canones Conciliorum, qui Patres hunc fidei articulum tradiderint? Qui fide Catholica credendum

Scot. c. 7. cit.

Augus. l. de lib. arb. c. 18. & seq.

asseruerint, illud liberum arbitrium, *quod naturaliter homini Deus inseruit quando eum creauit*, esse donum gratiæ, quâ distinguitur à natura. Quo enim alio æquiuoco Pelagius Palæstinis illusit Episcopis? Addit, tunc *indiguisse gratia conditoris, vt in bono permaneret*. Hoc videlicet in quæstionem vertitur. *Et primi peccati merito amissa libertate infirmatum, vitiatum, atque corruptum, nisi gratia Dei sanari, & liberari non posse*. Quò excurris extra lineam? His omnibus subscribit Scotus, & tamen salua ea veritate, asserit liberum arbitrium medium esse Dei donum, eóque posse peccari. Concludit itaque, & saltat extra chorum. *Et ideò, sicut diximus, insanus & Pelagianus error est, si quis liberum arbitrium, quod in Adam periit peccando, amisso & dono naturæ, & dono gratiæ, aliter putat esse liberum, nisi fuerit Christi gratia liberatum*. Quorsum ista? Vis intelligamus aliter putasse Scotum? Hæc iniuria est, neque apicem in toto opere inuenies, quo vel significarit quod arguis. Adami peccatum cui bono hîc nominas, cùm liberum arbitrium ante lapsum consideret, qui dixit ideo medium esse donum, quia eò labi potuit; & antecedente toto capite, non aliunde peccatum esse docet, quàm à libero propriæ voluntatis arbitrio, quæ quia summa non est, mutabilis est? (Scot. c. 6.)

(*Non dixit mediocre donum, sed medium.*) Et hinc noua cauillandi occasio. Pergit enim Erigenæ conuicium facere, quòd liberum arbitrium, quale in prima hominis molitione Adamo datum est, præclaris dotibus instructum, *tale inquam & tam magnum bonum, non inter summa, sed inter mediocria Dei dona esse asserat deputandum, in quo multùm à veritate discordat*. Hoc est disputare, hoc refellere? Propè est, vt Erigenam vndecunque absoluas, qui sic accusas in omnibus. *Mediocre donum* non dixit Scotus, sed *medium*. Qualitatem attendit ille, tu quantitatem. Non mutauit naturam gratia creatoris, sed perfecit. Ingens verè donum, sed mutabile; ad superna & diuina erectum, sed liberum: bonorum operum potens, sed simul & malorum, inter vtraque constitutum; inde *medium*, & tunc etiam *summum*. Apostolos vide, qui primitias spiritus celeberrimo die, spiritu vehementi, in igne, & linguis acceperunt: quis illius doni magnitudinem non suspiciat, & veneretur? Liberum tamen arbitrium tanto miraculo, tanta támque admirabili gratiæ profusione *ad superna & diuina erectum*, secundùm naturam inter *media dona* remansit. Cur ita? quia *eo peccari potuit*. Et reipsa peccauit Petrus, sed leuiter: & peccare timuit Paulus, tam grauiter, vt reprobus efficeretur. At censor vocem mutat inferiùs, ne peccatum appareat. *Non ergo medium, inquit, sed summum donum erat*: vt *medium* & *mediocre* synonyma faciat. Et hæc verbi calumnia est, cùm hæ voces sub eodem genere simul, aut sub diuerso seiunctæ sumi possint. Vis *mediocre* & *medium* ad quantitatem, aut ad qualitatem pertinere? Non possunt illa stare cum *summo*. Vis mediocre quantitatis esse, vt hoc loco accipis; medium in qualitate spectari, vt à Scoto sumitur? Idem arbitrium & summum est, & medium, adeóque iniusta tua reprehensio, & perpetua hallucinatio, dum quod in natura consideratur à Scoto, traducis ad gratiam.

(*Liberi arbitrij definitio malè reprehensa.* Scot. & Lugdun. c. 8.) Liberi autem arbitrij definitionem ab eo traditam sic exagitat. *Et in tantùm disputator iste auditorum sensibus, & auribus abuti præsumpsit, vt auderet velut quidam fabricator, & figulus mendaciorum, nouam liberi arbitrij definitionem, velut luteam, & lutulentam fingere*. Qua relata, subiungit. *Ecce quale liberum arbitrium docet, vtique Pelagianum, non Christianum*. Vbi Duuallius. *Non est quòd hac in re Erigena arguatur, cùm præclari Theologi libertatem in voluntate, & ratione posuerint. Durand. in 2. dist. 24. vbi facultatem voluntatis, & rationis esse docet, magis tamen rationis*. (Duuall. ibi.) Euanescunt igitur in fumum & aërem, Duuallio iudice, superiores illæ contumeliæ, & Pelagianismi tam importunè intrusa obiectio. Quæ tamen inferiùs repetuntur, cùm non potest concoquere dictum à Scoto, mentem humanam esse tria, non autem habere tria, libertatem, motum, intelligentiam. Quam opinionem licèt melior philosophia repudiet, cum D. Thoma; non patitur tamen Duuallius asperè tractari; quia *hoc sensu dixerunt non ignobiles Scholastici, inter quos est Scotus in 2. q. 18. q. 1. & ibidem Maior; mentem, id est, animam; scientiam, id est intellectum; & voluntatem, realiter à se inuicem minimè distingui*.

(*Differtatoris admonitio ad Theologos.* Differt. c. 11.) Priùs autem quàm hinc discedam, lubet hîc etiam Præsidem Monetalem audire doctè, & grauiter Theologos admonentem, *qui libertatis essentiam in indifferentia, & æquilibrio ita constituunt, vt vnà cum Pelagio, & Iuliano* (Pelagium enim & Iulianum non cauerent, nisi ab illo admoniti,) *asserant voluntatem illo ipso tempore quo peccat, potestatem proximam habere recedendi à malo, & faciendi bonum, vt constet ratio libertatis, nec inter facultatem, & ipsius exercitium distinguunt. Et qui nouas & indisciplinatas liberi arbitrij definitiones fingere vel propugnare non erubescunt: vt intelligant, quibus artibus tam grauem Ecclesiæ Lugdunensis sententiam & censuram, non eludere, sed effugere valeant, vt tandem acquiescant Christi gratiæ semper victrici, ne maledictum illud incurrant*. Ad ista non aliter modò respondere necessarium putant illi Theologi. Finge ad Tribunal tuum sisti reum aliquem adulteratæ monetæ, atque is locupletibus testibus, firmissimis coniecturis, sua etiam vacillatione conuictus, sic agat causam. Factum non diffiteor, pœnam non deprecor; sed feci absque indifferentia, necessariò adigente me victrici semper apud me cupiditate ditescendi: illo ipso tempore quo peccaui, potestas proxima mihi defuit recedendi à malo: tum non potui regiis legibus obtemperare; non potui non peccare: necessitatem cur vindicas? Ita determinatam voluntatem, aliunde quàm à seipsa, vt à tali opere desistere, vel abstinere non potuerit, quo iure castigas? Tu ab hoc scriptore Lugdunensi & Gotteschalco benedictus, hoc de homine quid statues?

(*Lugdunensis in Scotû contumeliosus.*) Plura possum afferre stili lædere affectantis exempla, nisi lectoris parcam fastidio. Nonnulla tantùm subiicio de contumeliis in Ioannem Scotum coniectis, in quibus licèt Prudentio sit moderatior, ideo in eius comparatione superiùs laudatus à nobis, licentiùs tamen exundat aliquando, & satiram scribit dum promittit theolo-

giam. Genius ille rabularum est, vt nisi mordeant & lacerent, indiserti esse videantur. Quo more, qua lege, quo consilio inter oracula sapientiæ, subsellia theologiæ, in ipsam diuinorum mysteriorum inquisitionem, secularis, & clamosi rabiosa fori iurgia deuocantur? Qui locus eloquentiæ caninæ, vbi *foris canes* esse iubentur? Noster hic sanè Lugdunensis candida initio spondet omnia, brachium toga continet, *studium caritatis, debitum loci* loquitur; laudat nonnulla, modestiùs aliqua improbat: pacem ostentat. *Si itaque disputator iste, hæc nobiscum fideliter, & simpliciter teneat, nulla erit necessitas quæstionis, nullus exigetur labor syllogisticæ disputationis; sed sola in nobis regnabit tranquillitas pacis.* His dictis, quid superest, nisi vt armis vtrinque positis, salutent inuicem in osculo sancto, fœdus feriant, & pacatis animis in sua recedant, vt Rubenitæ olim & Gaditæ, posteaquam vno se & eodem cum Israëlitis ceteris colendi Dei desiderio teneri monstrauerunt? At vbi disputando assurrexit oratio, stilus incaluit, zelus efferbuit, Deus sancte? quò candor, quò caritas, quò pacis tranquillitas euolauit? Id quoniam ex superioribus obscurum esse non potest, & fastidiosissimè toties hæc crambe recoquitur, vno tantùm exemplo monstrare placet, & ex prolixa amplificatione flores aliquos excerpere. *Ecce ad quid perducta est ista diabolica disputatio, vt homo qui vult videri Christianus, paganis & diabolicis argumentationibus omnem fidem præscientiæ, & prædestinationis diuinæ, quantùm in se est, subuertat & destruat.* Dixit enim Scotus, peccata, mortem, pœnas, priuationes esse, & à Deo propriè non præsciri: quod ab Origene in Epistolam ad Romanos scribente multis ostendi sensu receptissimo, sub initium libri monebamus. At huius rei Lugdunensis ignarus, & fortasse Origene nunquam cognito, ita prosequitur. *Quod quid est aliud dicere, quàm aperte insanire? Et propterea affirmat diabolicæ præsumptionis audacia, Deum solas rerum substantias & scire, & præscire, & prædestinare potuisse. Cur tam apertum mendacium, imò tam inauditam, & impiam blasphemiam iste impius proferre ausus est, contra totius sanctæ Ecclesiæ fidem, contra scripturarum cælestium veritatem, contra omnipotentem Dei maiestatem, ore sacrilego, & verbis impiis obstrependo? Quid est autem quòd in tantùm consilium, & deceptionem Diaboli imitari, & adiuuare conatur?* Patrum nostrorum ætate cum Luthero & Caluino pauci sic disputauerunt Theologi, cur iste in Catholicum hoc impetu? Quia illi hæreticos publica auctoritate damnatos, rationibus impetierunt; iste huius damnationem extorquere vult, & dolet videri catholicum. Imò idem ipsum tota Lotharianorum Episcoporum factio, summis viribus, semper molita est, vt omnem eruditionis opinionem Ioanni Scoto detraheret, & philosophicarum argutiarum amoribus irretitum, Catholicæ fidei nocumento esse clamaret: ac proinde à cœtu fidelium exturbandum, & ob insanas opiniones anathemate feriendum. Quod Episcopi Carolini necessarium nunquam crediderunt, ob rationes modò nobis ignotas: vt illorum zelum & ardorem præpostеrum, ab istis prudentia & caritate correctum esse laudare possimus.

Lugdunens. c. 2.

Iosuë c. 22.

Idem c. 10.

Itaque fide nostra iam persoluta, qua recepimus initia Gotteschalci eiúsque prædicationem, vsque ad errorum in Conciliis damnationem, & supplicium de eius peruicacia sumptum enarrare: patefactis quoque miserabilis eiusdem Monachi hæresibus Prædestinatianis, quibus opposita Ioannis Erigenæ Scoti refutatio, duos aduersarios excitauit, Episcopum Prudentium, & Theologum Lugdunensem, recta quidem in Scotum ipsum fronte, ex obliquo autem pro Gotteschalco disputantes: requirit historiæ series, vt relicto ad momentum temporis Gotteschalco ipso, tumultum, eius occasione quæstionis inter catholicos Antistites exortum attentiùs speculemur, ad infelix turbarum caput postremo demum libro reuersuri.

Hactenus dictorum collectio.



HISTORIAE GOTTESCHALCI PRÆDESTINATIANI, ET CONTROVERSIÆ PER EVM REVOCATÆ LIBER TERTIVS:

QVI ET

FLEXVS CONTROVERSIÆ INTER Catholicos disputatæ.

PRÆFATIO.

Huius libri, & disputationis aspectus.

VBI bellum externum cum hæresi desiit, ciuile incipit, Catholicorum inter se. Quid enim interest Diaboli, de fide agatur, an de caritate perdenda? Contentio primùm, vt inter litteratos, amica: mox asperior, qualis inter æmulos. Iacebat error cum auctore prostratus: sed non excitata semel discordia. Victo apud Altumuillare Nouitatis corpore, vagatur liber spiritus, & disputando, dubitando, scriptitando, proxima quæque, mox etiam remotiora corripit. Neque caueri potuit, quin ea quæstio in aliquos incideret, qui saperent plus quàm oportet sapere. Veritati, rerum subtilitas nocuit, dum nonnulli gloriosum putant eò ferre ingenium, quò penetrare non possunt. Temeritas hæc, eruditio vocatur: & cui ingenioso non placeat hic titulus? Illi si superuenit amor, aut odium, partes & factio; iam non disputatio, sed rixa est. Eò deuenit Gotteschalcana lis, aliter multò quàm quæ propria Gotteschalci. Hunc enim vidimus nudam, & nullis verborum inuolucris hæresim ante Synodos proponentem: castigatiùs deinde verecundiúsque locutum. Nunc verò ante Carisiacam alteram Synodum, modestiam, & caritatem habemus in scribentibus: post Synodum, & Capitula, quid occurret in Lugdunensibus, nisi fel, & indigna Theologis acerbitas? Facient igitur libros duos partes illæ duæ, & earum cardo, Synodus Carisiaca posterior cum Capitulis: quibus peruenietur ad statum in quem subducta est controuersia, & in quo, postquam garrire Gotteschalcus desiit, conquieuit.

Duo genera, & tempora certantium. In hoc igitur ingressu ponendum est, quod eorum librorum series apertè monstrabit, Carolum Regem externis bellis miserum in modum vexatum, hisce ciuilibus, & theologicis finem imponere conantem, plures Regni sui theologos sententiam de quæstionibus disputatis rogasse. Idem fecisse & Hincmarum, consultis ex regno Lotharij viris Ecclesiasticis: quòd omnes sperarentur in Gotteschalci hæretici condemnationem consensuri. Præter illos autem inuitatos, nonnulli, vt fit, seu quærendi negotij, seu comparandæ sibi gloriæ causa, siue denique disputandi libidine, ne soli tacere viderentur, in eam vltro quæstionem se intruserunt. Vt duo scriptorum genera distinguenda sint, iussi, aut rogati; & spontanei: priores sunt, Seruatus Lupus, Prudentius, Ratramnus, Amalarius, Scotus, Lugdunenses aliqui: posteriores, Lugdunenses alij, qui De tenenda veritate scripturæ, quíque Absolutionem quæstionis, scripserunt. Et ante Synodū quidem inuitatu Caroli, pauciores, iique animo tranquilliore disputarunt. Quæ autem post Synodum & Capitula, classicum personante Galindone Prudentio venisse Lugduno dicuntur auxiliares copiæ, sequente libro lustrandæ, hostiliter sæuierunt, tot etiam armatæ Conciliis: eam ob causam placet in posterum vtrisque partibus, Remensium, & Lugdunensium nomen antè à nobis inditum, vsurpare frequentiùs: & in Lugdunensibus præcipuos, Epistolarium, & Scripturarium appellare. Age igitur his omnibus vniuersè aliqua præmittamus, quæ posteriori huic disputationi facem præferant, singulorum certantium consideratione mox sequutura.

CAPVT I.

Prospectus sequutæ disputationis, & aliorsum detortæ quæstionis occasio.

In hac disputatione disceditur à Gotteschalco.



ITAQVE Gotteschalcus, prostratus & confossus excessit è prælio, neque iam contra hæreticum certatur, aut cum eo quæritur, quod fuit hactenus præcipuum disceptationis caput, vtrum de finibus bonorum & malorum prædestinatiana fata decernant? Sed, vtrum propriè reprobi prædestinari dicantur ad pœnam, culpa sua incurrendam, si absolutè loquendo illam vitare liceat? Secundus hic impetus est, priore mollior & primus controuersiæ flexus, quem vnum aduersariis obiicere se fingebat veterator Gotteschalcus, cùm suppressa posteriori dogmatis parte, libertatis assertrice, reuera gradum figeret in priori. Affirmant igitur Lugdunenses, & magnis animis, & testimoniorum aceruis comprobant: negant, at non pertinaciter Remenses. Nam aliquo sensu admittit Hincmarus; ætatem & imbecillitatem corporis causatur Rabanus, ne pluribus confutare cogatur. Vellem neque vacasset Hincmaro: Nam si libertas arbitrij salua relinquitur (& relinquunt illi, sublatam ab hæretico,) quid refert, reprobi qui sunt, prædestinati ad mortem dicantur, an præsciti tantùm? Sic ad nomen traducta quæstio, & vtrique digladiantur de verbo: frustra monente, & nonnihil indignante Seruato Lupo, scriptorum moderatissimo. Prætermitto dictum aliud inutilis subtilitatis, sint-ne mali pœnis prædestinati, an pœnæ malis? Id enim libatum potiùs est à plerisque, quàm tractatum.

Status quæstionis prima mutatio.

Secunda mutatio.

Sententiam suam Patrum auctoritate stabiliunt omnes. Hinc alia status mutatio. Quærunt enim plerique, non quid ex fide sentiendum; sed primariò, quid à Patribus, ac præsertim Augustino sit expressum? Iam tumultus intenditur, fabulæ putes [illegible]. Nam licuit Patribus hac in parte diuersa sentire; licuit sensa sua diuersis, & nonnunquam obscurioribus verbis exprimere; tibi locum illum & illum sic exponere integrum est; & aliter mihi: quod loco vno his vocibus extulit Augustinus, quo tibi videtur fauere, alio aliis prodidit, & apertè meus est: hæc ad fidei regulam, quid conferunt? Hæreamus in opinione Gotteschalci, de ea quid fides decernat sine disputatione discemus.

Quæstio accidens.

Ceteris Patribus antecellit Augustinus, quem *si doctorem habueris*, inquit Trithemius, *etiam deficientibus ceteris, sufficit ipse tibi*: præsertim vbi de gratia agitur, cuius eximius magister est, ipsa in Pontificibus & Conciliis probante Ecclesia. Gloriosum est eius censeri discipulum: illum omnes magnis clamoribus sibi vendicant, vt Homerum olim Græciæ ciuitates: nihil absque Augustino docetur, etiam ad pugnantia inter se vocatur Augustinus, ἀλλοπρόσαλλος, medicurrius, vnde dictum ferunt antiqui Mercurium. Quis hunc partis & opinionis suæ ducem non ambiat? Sed & hîc pugna. Nam in libris Hypomnesticō facit apertè pro Remensibus; quæritur, sint-ne illi legitimi partus Augustini? Affirmant isti, negant illi, etiam vsque ad conuicia: vt & de libro qui Hieronymo adscribitur, de induratione Pharaonis: *Quod mendacium esse cito probare poterit, qui*, &c. *Quod etiam mendacium fore inuenieris si*, &c. At in confessis operibus Gotteschalco accedere dicitur Augustinus: in aliis parti alteri fauet, & vtrique contendunt aduersos locos, aut sensus, esse corruptos. Quàm longè absumus à Gotteschalci prædestinatione, quam sola fides satis opprimebat? Quæstio igitur auulsa est à cardine. Istud quanquam vel cæcis patet per sese, in litis disceptatione quam instituimus; hinc tamen non inutiliter confirmatur, quòd, vt antè monstratum est, genuinam Gotteschalci opinionem ignorarunt Lugdunenses, aut certè dissimularunt. Nam cùm Amolo, & ipse Lugdunensis, lectis illis & accuratè perpensis, doctrinam eius *insanam & furibundam* vocet, *durè & indisciplinatè loqui & sentire* affirmet; Lugdunensis in Scotum, hoc ait esse *calumniosum & vanum*; Epistolarius negat credere se ita sensisse Monachum. Sic damnantur Concilia duo, quorum posterius agnoscit Amolo, & quidem, quod mirabilius est, neutra parte audita damnantur. Præterea Augustino abuti Gotteschalcum, illustris auctor est Rabanus, in ipso hæreseos exortu; ex quo testimonia quædam in eum libellum intruserat, quem Synodo Moguntinæ, & Rabano, ac deinde Carisiacæ & Hincmaro obtulit. Quid de illis Lugdunensis Epistolarius? Sententias illas *suas non esse, sed Ecclesiasticas: illa quæ de diuina prædestinatione dixit, iuxta regulam catholicæ fidei vera esse.* Vnde id habet? Nam Lugdunum liber ille nunquam vidit, Synodi Carisiacæ flamma consumptus: Prudentius ipse Altuillarensi Monasterio vicinior, Gotteschalcanam hæresim neque negare, neque tueri ausus est; Rabanus, & Hincmarus, qui libellum legerunt, alia testantur. Discedunt igitur manifestè à Gotteschalco Lugdunenses, quod nos in causa Scoti spectare primùm incœpimus.

Lugdunensibus ignota opiniones Gotteschalci.

Seruato quæstionis statu adsciscí possunt remotiora ornamenta.

Accidunt illa, inquies, vt in litibus vsuuenire solet, quæ multas iudicum sententias non rarò priùs exigunt, quàm ad decretoriam veniatur. Nodum quæstionis non soluunt illæ quidem, sed laxant. Vetas inquiri qui sit Patrum sensus? Hic liber sit-ne Augustini? quo tempore editus, an post, an ante Retractationes, aut Episcopatum? Faciunt ista nonnihil ad controuersiæ caput, & disputantibus exercendi ingenij, & monstrandæ eruditionis campum patentem aperiunt; tum etiam lucubrationes grata varietate distinguunt: orbe angusto claudi, non scriptori minùs, quàm lectori molestum est, & fastidiosum. Fateor equidem quæ obiicis, prodesse ista, ornatum & venustatem operibus conciliare, vt gemmas vestibus, vim addere & pondus antedictis: neque manum more Stoico contractam in pugnum semper amo. Sed illa cupio accidere quæstioni iam antea solidiùs definitæ: volo esse ornamenta controuersiæ, non autem solum substratum. Constituatur hoc primum, de propositis quæstionibus, quid Ecclesia, quid fides statuat? Hoc posito, exspatiemur quantùm libuerit per auctoritates veterum Patrum, per disciplinas, etiam si placet, seculares, per varia ingeniorum ornamenta, sic tamen vt Helicem nostram sem-

per intueamur, vt ad thesim identidem regrediamur, vt in centro pedem figamus, dum circulum alio pede describimus. Paucorum hoc est, & sapienter doctorum: multi fallacem auram captant, vt iuniores canes in venatu, & luduntur aberrántque. Hincmarus Fulgentij testimonio se sentit vrgeri: de Fulgentij auctoritate tractat, sed in cursu. Librum Hypomnesticon, siue Hypognosticon ex Augustino non recipiunt aliqui aduersariorum; illum ipse asserit Augustino, sed paucis, & in prolusione: neque pluribus est opus, cùm eum citando, & laudando Gotteschalcus, & Ratramnus partium principes agnoscant. Non sic alij, etiam qui pro Hincmaro, quos siue disputationis æstu abreptos, siue à solidiore doctrina minùs paratos, video Sisyphi saxum versare, & conniti, tanquam in summa negotij, vt liber Hypognosticon ad Augustinum referatur. *Quæ autem inter nostros inde sit maxima contentio, vobis significo*, inquit Epistola secunda de tribus. *Quidam dicunt Augustinum edidisse libellum, quem hypognosticon intitulauit*, &c. Quid videtur? Quæstio tam leuis, tanta contentione agitata, ornamentum disputationis apud istos facit, an subiectum? Non circumueniuntur vmbra, & imagine quæstionis, dum tentat Gotteschalcus euadere? Euadet autem, hoc est, hæreticus censeri non poterit, dum isti pro libello Hypognosticon bellum gerent, cuius vnius suffragio vtri vincant, non decidetur.

Lugdun. Eccles. l. de 3. epist. c. 39.

Hæreses vtrinque obiectæ.

Tangit eundem quæstionis statum alia obseruatio, qua si mutari negas, aliorsum certè deflecti agnosces: quòd inuicem hæreses sibi obiiciunt vtrique, Remenses Prædestinatianam Lugdunensibus, Lugdunenses Pelagianam Remensibus; & hoc conantur studéntque, vt verum credatur: Hincmarus Collectori Capitulorum exprobrat doctrinam Gotteschalci; Episcopi Valentini Hincmaro, & sociis, Ioannis Scoti errores. Et duorum quidem istorum, Gotteschalci inquam & Erigenæ, ex iis quæ superiùs fusè produximus, obuia cuique sunt errorum deliramenta. Quare si vir viro compositus stetisset in gradu, Hincmarus Gotteschalco, Scoto Lugdunensis, aut Prudentius, debellatum erat, & salua caritate, fides viderat. Sed dum Hincmarus in Capitulorum suorum defensione hoc nimis anxiè laborat, vt geminam prædestinationem, etiam extra Gotteschalci sensum, falsò dici demonstret: dum Lugdunenses in eorundem Capitulorum oppugnatione subdolè, & malignè quærunt, quomodo Pelagianum errorem in illa contrudant, nouus exoritur conflictus Catholicorum, hæreseos phantasma vtrinque petentium. Interim velatur hac zeli specie stili acerbitas, & religiosum creditur, in errantes iactare conuicia. Quid asperius dici potest Prudentio in Scotum, quo ab horrore vix respirauimus? Quid amarius Lugdunensi Epistolario in Hincmarum? Quid in eundem Hincmarum Compilatore ferocius, si tamen alius est ab Epistolario? In hunc certè Hincmarus priuata offensa commotior est; in alios benignior, licèt nunquam taciturnus. Gotteschalcum semper excipio; quanquam vrbanitatis atticæ est, quòd eius sectatores *scholam dyscolam*, & *Synagogulam*, ob paucitatem appellat.

Hîc verò duo se mihi iucunda exhibent: prius, quòd cum hisce conuiciis, & hæresum exprobratione, pacem omnes & caritatem loquuntur, omnes cupiunt aduersarios, quos hæreticos, crudeles, insfrunitos, deliros appellarunt, *pacificè & tranquillè, deposita omni contentionis animositate* ad lucem veritatis à se expositam adducere. Quod exemplum strenuè æmulata Synopsis, & Dissertatio, post oppressum sexcentis opprobriis Hincmarum; eius doctrinam absque dubio, sine scrupulo, erroneæ, hæreticæ, venenatæ, aulicæ, superbæ charactere insignitam; post laudatas Gotteschalci opiniones, etiam in tormentis professas, vt *sanissimas & diuinas*, inhumanitatem Hincmari, Carisiacensem sæuitiam, carceris crudelitatem, mentem ferinam, duritiam, impœnitentiam commemoratam, postulat ab iis qui doctrinæ Gotteschalci aduersantur, vt in ea quæstione, quæ nostro seculo nimia contentione (cuius ipse pars magna est) inter eiusdem matris filios agitatur, vsque ad Generale Concilium cum moderatione versentur. Interim caritatem, & pacificam operis Coronidem promittit in titulo, cuius nullum est in opere ipso vestigium. Si persuadere voluit, erat de pace agendum cum pace: Caritatis vulnera contumeliæ sunt, non fomenta. Vide Seruatum Lupum quicum disputationem ingrederis; is cum pace incœpit, & finiit. Atque vtinam in his rixis homo homini sit Lupus!

Pax & caritas frustra ab vtrisque ostentata.

Dissertatoris simulatio.

Posterius est, quòd hæretici isti suas singuli Ecclesias præclarè administrant, Concilia celebrant Pelagiani cum Prædestinatianis permixti, Remigius cum Hincmaro, Wenilo cum Ebbone, Valentini cum Carisiacis: neutros Ecclesia pro hæreticis habet, non Prudentium aut Hincmarum, non Remigium aut Pardulum; in vno Gotteschalco hæsit infamia. Mutuis quoque litteris negotiorum & Ecclesiasticorum, & ciuilium communionem ineunt vrbanam, & honorificam: Quæ res audaciorem fecit Hincmarum, vt negaret contumeliosa in seipsum Capitula, fuisse ab vllo ex Episcopis collecta. *Litteras namque quorumdam eorum, quidam nostrûm fraternas, & benignas suscepimus, nostrásque illis remisimus, & nihil tale de eorum parte perspeximus, audiuimus, intelleximus, sensimus, vel percipere valuimus.* Non sic actum cum Gotteschalco, vtpote excommunicato, qui cùm ad Rabanum, & Amolonem scripserit, respondit vterque quæ ipsi profutura essent, sed Rabanus Hincmaro, non illi ipsi; Amolo illi quidem, sed per Hincmarum, & addita causa, quia hæreticus damnatus, & excommunicatus est. Neque Lugdunenses ipsi tam misericordes patroni, vel vna litterula miserabilem Monachum alloquuti leguntur. Quamobrem si controuersiæ disceptatores hæretici sunt, vt dicuntur, quomodo contra Canones inuicem communicant? Si legitimè communicant, quomodo contra caritatem hæretici dicuntur, quod non sunt? Fateamur ingenuè, zelus hic est, sed non fidei; contentio est, sed non pro religione: quærendum igitur est aliquid extra Theologiam, quod Theologicarum virtutum suprema suum non agnoscat.

Communione inuicem omnes coniuncti.

Hincm. epist. 1. ad Carol. Reg.

Enimuerò cur hæretici censeantur, qui scripturam sacram, Patrum sententias, Conciliorum decreta, Romanæ sedis definitiones toto

Non debuerunt censeri hæretici.

pectore amplectuntur? *Sequimur autem*, ait Hincmarus, *quæ Catholica & Apostolica nos docet sancta Romana Ecclesia, quæ nos in fide genuit*, &c. Ita qui censeant, doceántque, si possunt hæretica nuncupatione dedecorari, vbinam gentium catholicos inuenies? Quid Scoti oppugnator Lugdunensis? Num in eius deliramenta inuehitur, vt Lectores *agnoscant veraciter quantùm necesse sit, in his maximè periculosissimis temporibus & extremis, inhærere firmiter Scripturæ sanctæ immobili veritati, obedire humiliter sanctorum Patrum fundatissimæ auctoritati, claudere, & obstruere auditum indisciplinatæ, & vanissimæ verbositati?* Paucioribus olim dicebat Hieronymus, *Ego cathedræ Petri communione consocior.* Idem profitetur Epistolarius Lugdunensis; Idem Prudentius in epistola ad Wenilonem, & magno consensu Valentini Patres; nihil fuit igitur de hæretico sensu à catholicis animis metuendum. Præterea cùm hæreticos faciat erroris obstinatio, qui superiorum, & meliorum doctrinæ, iudicium suum subiiciunt, parati in viam redire, si monstrentur errare, eos tu hæreticos appellabis? De Capitulis suis ita protestatur Hincmarus. *Denique si talium, vt diximus, sententiis concordare Capitula quæ excerpsimus, demonstrare non potuerimus, parati sumus doctioribus, & Catholicis aurem accommodare, sensum subdere, & sine contentione nos doctrinæ illorum subiicere.* Hoc ab eo dictum scribit Synopsis, *cum aliqua modestiæ, & humilitatis specie.* Ego verò nec *speciem* illam in Lugdunensibus parere aio, licèt Hincmariana aliqua fateantur Patrum auctoritatibus niti: adeò se putant oracula fundere. Addo etiam, nec *speciem* esse, sed meram modestiam, & humilitatem, quam in re longè leuiori pari sententia exprimit. *Sed quæ sentimus humiliter proferentes, parati sumus, si quis conuenientius nobis ostenderit, sine contentione sano intellectui cedere, & libentissimè non modò consentire, quin etiam discere.* Conferat modò Dissertator, qui se vocat historicum, Gotteschalcum suum, nouæ editionis Sanctum & Martyrem, cum Hincmaro, quem gloriæ auidissimum vocat: neque dissimulet intolerandam hæretici professi superbiam, quam superiùs produximus.

Hincm. l. de prædest. c. 5.

Eccles. Lugd. & aduers. Ioan. Scot. Præfat.

Hincmari modestia. ep. ad Car. Reg. cit.

Idem ep. 39.

CAPVT II.

Priuata quædam vtriusque disceptantium partis vitia perstringuntur.

Extrinseca quæstioni consideranda.



SVNT alia quæstioni intima, extrinseca alia: intima voco, vt statum quæstionis, vt Patrum veterum sententiam, vt fidei regulas: de his modò dictum. Exteriora, vt methodum, stilum, animos, institutum scribentium, & id genus circumstantia. Hæc libamus ad promulsidem, & vt paucis multa, si quid iudico; pars Hincmari sincerior est, & apertiori marte pugnat; pars Lugdunensium, siue mauis Gotteschalci, callidior & furandæ, si posset, victoriæ magis idonea. Suaue est, sed rarum, pugnantes spectare animo quieto, & neutris addicto. Insitum est hominibus in oppositione partium, vt non actores tantùm, sed spectatores etiam, & qui referunt historici ipsi, in alteram studiosiùs propendeant. Natura hæc est; vitium fuerit si dissimulatione aut fictione veritatem produnt, & iustitiam. Transit apertè ad Gotteschalcum clarissimus Dissertator opere triplici; sed vt athleta, non vt iudex: quippe quo neminem, ne Gotteschalcum quidem ipsum, magis addictum partibus legamus. Ego me fateor Hincmari studiosum: sed veritati, & simplicitati litare certum habeo, non personis.

Indignabatur Hincmarus cum suis, miserabilis vnius Monachi peruicacia commoueri Ecclesiam; hæreseos duobus Conciliis recens damnatæ tot superesse reliquias; non imperitam solùm plebeculam pestilente spiritu afflari, sed Clerum ipsum, & Cleri capita Episcopos nonnullos, pulchro Patrum & Augustini nomine prolectari. Et vt erat zeli aliquantùm feruidioris, & ordinis Ecclesiastici studiosissimus, Episcoporum & Abbatum, qui Conciliis interfuerant auctoritati, plures alios adiungi optabat, vt error tandiu rationi obluctatus, saltem multitudini cederet. Eam ob rem missis ad Rabanum litteris, & libellis de controuersia, inuitauit ad hæresim refellendam: dum Gotteschalcus ex aduerso, Amolonem suas in partes, & scriptis & nuntiis inuitabat. Aliis quoque litteris Hincmarus idem, Lugdunenses ad bellum istud sacrum excitauit, de quæstione, & condemnatione hæretici *simpliciter, & sinceriter aperiens & exponens.* Neque omissi Lupus & Prudentius eruditione illustres. Accessit & Carolus Rex, à quo ad exerendum stilum permoti nonnulli, siue componendæ controuersiæ studio, siue curiositate discendæ; videmus enim laïcos his mysteriis eò cupidiùs inhiare, quò iustiùs ab illis arceri debent: & si Carolus Magnus nostra studia feliciter attigit, Constantinus Arianam controuersiam nimiùm calluit; Iustinianum Acephali, Heraclium Monothelitæ, Manuelem postea Comnenum Theologicę subtilitates perdiderunt. Caluum nostrum & ipsi in lubrico spectabimus, licèt sustinente Deo, vestigium non fefellerit: sed si ad hæc sacra Hincmarus illum plus æquo admouit, non tulit impune. Sic existimo tamen, si sociorum auxilia solus collegisset Hincmarus, prudentiorem futurum fuisse delectum. Verùm aliqui eius comites, dum auidiùs, quàm cautiùs subsidia vndecunque contrahunt, catholicam legionem turba auxerunt, non robore, & pudendis nonnullorum scriptis debilitati magis, quàm muniti, facilem hostibus ea ex parte dedere victoriam. De Ioanne Scoto nihil hîc fastidiosiùs repetendum; sed ea vincendi cupido tam immoderata, optimæ causæ quantùm nocuerit, docet historia.

Multi sine delectu ad scribendum inuitati.

Flodoard. l. 3. hist.

Ad hæc illa tam frequens, tam incauta status in quæstione mutatio, quam capite superiori ostendimus, fraudi fuit veritati, vel ipsius Hincmari, vel sociorum eius incuria; qui omnes in damnata Conciliis propositione consistere debuerant, non diuertere ad alias; non eas quibus Ecclesia fidei diuinæ certitudinem nondum asseruerat, pertinacissimè tueri. Quod in earum opinionum vna, iure Lugdunensis admonet, *Si autem placet, vt & nobis multùm placet, vt etiam istorum sententia ex pietate veniens non renuatur, nulla ergo contentione pro aliis aduersùs*

Malè discessum est à vero quæstionis statu.

Eccles. Lugdun. l. de 3. epist. c. 10.

alios litigetur; non vna sententia pro altera damnetur. Erat premenda, & in bono lumine collocanda Prædestinatianæ necessitatis falsitas, arbitrij in captiuitatem adducti reposcenda libertas; exclamandum in eorum blasphemiam, qui perditionis suæ conditorem asserunt auctorem; qui prædestinatione nos ad malum, & peccatum cogi à Deo criminantur; qui prædicandum reprobis suadent, non vt salui esse conentur, sed vt tolerabiliùs torqueantur; & eiusdem modi alia, quæ tangere non est ausus Prudentius, ad quorum aspectum cohorruit Lugdunensis, quæ malè impugnauit Scotus, quæ breuiter perstrinxit Amulus. At ex Hincmaro clarè exposita non habemus. Nemini enim notum modò est, quid libro ad Reclusos & Simplices, aut tribus libris de Prædestinatione aduersùs Gotteschalcum, & Ratramnum maximè agitauerit: Sed in opere posteriori de prædestinatione, quàm obscurè, ne dicam confusè & obtusè Gotteschalcum ferit? Quanta cum fiducia Prædestinatianam hæresim appellat, quam neque satis explicat, quanquam opportunissimo loco, neque certis argumentis extitisse vnquam probat, quanquam necessaria quæstionis ἐπαγγεῖς. Quid autem profuit tot paginas perdere, tot Patrum dicta prodigere, aliorum locos tam accuratè describere, ne gemina prædestinatio admittatur; quam tamen bono sensu fatetur agnosci potuisse? Imperiti ducis est occupatam loci eminentiam deserere, & ex æquo cum hoste congredi.

Pars Gotteschalci corrumpit auctores, quos citat.

Peccant igitur imprudenti zelo, & simplicitate Remenses: sed fraudibus & malignitate pars Gotteschalci, vt verè dici possint, illi docere voluisse, isti nocere. Nam siue confirmant sua Gotteschalcani, siue confutant aliena, dolis non rarò vtuntur, & artibus, & quidem multiformibus. In primis enim cùm Augustinum, & Patres lingua sua loquentes adducunt, mutilos, & truncatos, & interpretatione corruptos locos offerunt, quod hæreticorum proprium esse, iam antè monstrauimus in Gotteschalco; sed ne solus crimen illud contraxisse existimetur, Ratramno Hincmarus Hilarij & Augustini obiicit corruptelam. *Inter quos, & Ratramnus Corbeiæ Monasterij Monachus, ex libris beatorum Hilarij & Augustini, dicta eorumdem detruncando, & ad prauum sensum suum incongruè inflectendo: sicut & Macarium Antiochenum Episcopum, de quamplurimis Catholicorum libris fecisse in Sexta Synodo legimus, ex hoc volumen quantitatis non modicæ, scribens ad Hildegarium Meldensem Episcopum, compilauit.* Cuius imposturæ manifestum exemplum Synodo quinque Prouinciarum ostendisse se narrat inferius. Vniuersè autem omnibus Gotteschalcanis eam notam inurit Remensis, quod iam olim attulimus. *Præmonemus etiam Gotteschalci & complicium eius fore consuetudinem, vt catholicorum testimonia prelatis doctoribus atque librorum nominibus, excerpta detruncent, & ad suos sensus, sicut & scripturarum sententias, inflectere curent: quatinus auditorum sibi sensus, si minùs cauti fuerint, conciliare præualeant.*

Hincm. l. de non trina Deit. in Prol.

Ibid. c. 2.

Idem l. de præd. c. 3.

Quo discrimine vtrique, Patres & Augustinum citent.

Qua ex obseruatione nubeculam animo tuo, Lector, ab ineunte controuersia fortasse insidentem facilè dissipabis, quomodo factum sit, vt tanta ambitione tantisque clamoribus pars vtraque Patres, eorùmque apicem Augustinum sibi arrogarit? Quis enim modò non intelligat, falsò & corruptè à nonnullis Gotteschalci fautoribus, verè & legitimè ab Hincmaro proferri? Quapropter prædicante adhuc in Italia Gotteschalco, signanter scribebat Rabanus, quod suo loco relatum est, excerptis testimoniis ex Augustino conatum esse suam sententiam affirmare, reipsa tamen non affirmasse. Cur hoc? Quia Doctor Catholicus est Augustinus, Gotteschalcus hæreticus: quia aduersùs hostes gratiæ scribit Augustinus, Gotteschalcus illam, quantùm in se est, destruit. Quamobrem ex aduerso qui Gotteschalcum oppugnant, ij sunt Catholici; defensores gratiæ Dei, Augustini testimoniis suam sententiam verè solidéque confirmant. Eandem ob causam in Synodo Carisiaca, cùm falsò allegati Augustini conuictus fuisset idem hæreticus, scripsit ad eum Hincmarus, *de quibusdam sententiis auctorum, quas ille non benè intelligebat, vel exponebat, maximè Prosperi: quorum sensum per sententias præcipuè beati Augustini exponit.* Itaque Flodoardi iudicio, à quo lecta est ea epistola, non tantùm hæreticus est, & pertinax Gotteschalcus, sed etiam Patres malè allegat & explicat; Hincmarus autem Prosperum per Augustinum, religiosum discipulum per magistrum, aptè conuenientérque exponit, & vtrunque *manifestè* sibi fauere contra Gotteschalcum demonstrat. Hæc licèt Gotteschalcum priuatim tangant, omnibus tamen aduersariis Lugdunensibus obiici debent, vt meminerint contrariorum contrariam esse rationem, & si scriptura, Patribus, Augustino Gotteschalcus abutitur, Hincmarum ex aduerso Scripturæ, Patrum, Augustini testimoniis rectè intellectis pro veritate diuina, & paterna fide disputare.

Raban. epist. ad Eberard.

Augustinus stat pro Hincmaro.

Flodoard. l. 3. hist. c. 28.

Multis fraudibus Hincmarū impugnant aduersarij.

Deinde, quod spectat ad succidendos aduersæ opinionis neruos, præter illam textus corruptelam, plures alias artes euentilat Hincmarus, quibus à Collectore, & eius sociis se queritur oppugnatum. Magnum profectò veri præiudicium est, non posse falsi argui, nisi quod antè falsatum sit. Auctoris mentem eo facto non impugnas, sed fraudem tuam. Hoc est errantem euangelica caritate corrigere, si fingis errare, vt propales? Quicquid coneris, non efficies vt ille sit hæreticus, neque vt tu Christianus. Id autem ausos in Hincmarum antagonistas, ipse locuples testis admonet. *Capitula* (Carisiaca) *sicut à nobis excerpta sunt, suis scriptis inserere noluerunt, ne ab illis legerentur, in quorum manus illorum Capitula* (Valentina) *deuenirent.* Quod vt maiori cum sinceritate, quæ veritatis & innocentiæ comes est, caueret Remensis, in vestibulo libri posterioris de Prædestinatione, omnia sibi obiecta, & ad diluendum tradita, ipsis aduersariorum verbis proponit, ne dissimulando quicquam tegere velle videatur. Pergit ergo. *Sed quædam de his, quæ in Capitulis à nobis excerptis habentur, alio sensu, & aliis verbis tetigerunt, vt abominanda illa monstrarent.* Actionem doli mali in æmulos intentat, à quibus teguntur verba, vt sensus corrumpatur. Si me vis tangere, quid me subtrahis, vt idolum mei subdas? Qui flagitium istud in re litteraria tam intrepidè aduersariis obiicit, neque ab vllo vnquam ipsorum, vel per suspicionem, aut per calumniam, eiusdem criminis insimulatus est, nónne prudentum omnium iudicio procul ab

Hincm. epist. ad Car. Regem.

eo abesse censetur? Nónne iure creditur aperto marte semper, & claro die, quod animi generosi est, cum hostibus conflixisse? Quid ergo causæ est, cur Dissertator noster bono suo clienti errores impositos asserat ab Hincmaro, & non tantùm corruptos in eius scriptis locos, sed efficta etiam scripta eius nomine, & congesta hæresum portenta, per dolum & calumniam, ipse inaudita hactenus fictione & calumnia, sine teste, siue probabili ratione affirmet, eo tantùm consilio, quòd aliter horrendis blasphemiis liberari non potest Gotteschalcus? Subdit Hincmarus, *Quædam autem suppresserunt, & taliter inde memoriam habuerunt, quasi nos contra sanctorum Patrum sensa, in Africana, & Arausica Synodo senserimus.* Nolebant enim probare, quod verisimilibus argumentis improbare non poterant. Fuisset nimirum Hincmaro gloriosum, vel vno in capite non reprehendi ab æmulis. Fumum hunc inuidebant. *De quodam etiam Capitulo, quasi ludificatio aliqua in sacris mysteriis esse possit, ita scripserunt, vt legentes hoc à nobis dictum fuisse intelligere possint, de quo nihil est à nobis memoratum.* Vbi fides? vbi caritas? vt ementitis erroribus onerare gestiant, quem debitis laudibus fraudauerunt? *Inseruerunt etiam in eisdem scriptis suis, de quibusdam sexdecim capitulis, quasi nobis debeant imputari, de quibus nihil audiuimus.* Quid ais Lector? Satis-ne sunt isti ad audendum proiecti, ad nocendum inflammati? Frontém-ne seruarunt in causæ suæ patrocinio, quam in alienæ oppugnatione perdiderunt? Possúnt-ne luculentiorem in fama, conscientiáque plagam accipere, quàm dum aduersarios hac arte lædere conantur? Hoc ipsum expertus olim fuerat Prosper à primis Prædestinarianis, quod modò Hincmarus à suis.

Prosper l. respons. Vincent. Præfat.

Quidam Christianæ ac fraternæ caritatis obliti, in tantùm existimationem nostram solent lædere, vt suam se euertere, nocendi cupiditate, non videant. Contexunt enim & qualibus sententiis possunt, comprehendunt ineptissimarum quarumdam blasphemiarum prodigiosa mendacia, eáque ostentanda, & ingerenda nobis publicè priuatímque circumferunt, asserentes talia in nostro esse sensu, qualia diabolico continentur indiculo. Et miramur adeò prouidè solicitéque cauisse Hincmarum, vt liber hic de Prædestinatione, quem diuina nobis prouidentia, tanquam magni naufragij pretiosam tabulam seruauit, incorruptus exiret in lucem, ne qua manus inimica publicatum adulteraret? Anticipata Lectorum approbatione, harpyiarum vngues immundo contactu omnia fœdantes timuisse?

Hincm. l. de prædest. Præfat.

Si nacta occasione aliquis æmulus recta hinc eraserit, & forte praua superinduxerit, aut scriptorum imperitia secus transscripserit, alienum nobis errorem ne imputent.

Eius dicta malignè detorquent, & interpretantur.

In his autem lacessendi & nocendi viis, vnam miror ab Hincmaro prætermissam, malignitate quàm subtilitate periculosiorem; hoc tempore, maleuolentiæ vestigiis præter ceteras tritam. Quòd Hincmari sententias per se se catholicas, verbis vsitatis, purè putè Latinis conceptas, ita versant, torquent, frustatim dissecant, vt tandem, vel ingratiis sensum aliquem extundant, & à veritate, & ab auctoris mente distantem. Hoc licèt paulò diligentiùs intuenti, non rarò apud Lugdunenses occurrat, nonnullis tamen exemplis declarare necesse est. Scripsit Hincmarus in Capitulorum suorum primo, Adamum à Deo conditum fuisse sine peccato, cum libero arbitrio, *quem in sanctitate permanere voluit.* Hoc vt reprehendat Scripturarius Lugdunensis, queritur nullam gratiæ diuinæ fieri mentionem, *tanquam per ipsum tantummodò liberum arbitrium, in sanctitate & iustitia potuisset permanere.*

Eccles. Lugdun. l. de ten. verit. scr. c. 3.

Vnde verò id colligis? Cur ad eius propositionem virulentum illud *tantummodò* adiicis? quæ vis illa est, vt negari censeatur, quod loco non necessario reticetur? Legisti apud Hincmarum duas hac de quæstione paginas, in quibus gratiæ, & præuenientis, & adiuuantis necessitatem Remensis non agnoscat? In altero Capitulo docet Hincmarus, esse in nobis *liberum arbitrium ad bonum præuentum, & adiutum gratia.* Hoc catholicè dictum, sic tamen exagitat, vt *obscurum & ambiguum* esse velit, quia non exprimit, *vtrum nobis semel in baptismate tanta gratia tribuatur, quæ ad totum tempus vitæ nostræ sufficiat? An quotidie imploranda, & accipienda sit? & vtrum ea ad aliqua bona, an ad omnia indigeamus? Vnde*, inquit, *melius fuerat tacere, quàm de re tanta tam ineptè, & inutiliter loqui.* Hoc non est ridiculè disputare? Sic agi debuit cum Synodo integra; aut etiam cum priuato Archiepiscopo, quem Catholicum & eruditum esse constabat? In quarto Articulo significat Hincmarus omnes homines à Christo saluari, ex eo quòd naturam omnium in se suscepit: qua ratione nihil solidius dici potest.

Idem c. 13.

Ex aduerso Scriptor contendit, assumptionem illam non fuisse ex necessitate, sed ex gratia. Quis enim hoc negat, quis in medium ponit? Veritatem naturæ humanæ assumpsisse, non vitium. Quid istud ad rem qua de agitur? Incertum esse vtrum de quolibet homine conuenienter dici possit, quòd omnium hominum naturam nascendo assumpserit. Quò digreditur subtilis philosophus? Quid hac circuitione opus est? Dic semel in quo peccatum sit, ab illo, qui putat, ab eo naturam totam redemptam esse, à quo tota assumpta est? Quò tandem abiit catholicorum inter se amor & caritas? Modis omnibus laborat Athanasius, vt Dionysium Alexandrinum Arianis eripiat, & quædam ab ipso duriusculè scripta in Catholicum sensum inuertit.

Athanas. ep. de sent. Dionys.

In Luciano illustri martyre, idem tentarunt aliqui, ne Arius sectatores suos Collucianistas iure vocare videretur. Qui piè Cassiano fauent, Abbati Chæremoni Collationem illam ingratam, quàm ipsi qui nudè narrat, malunt assignare.

Cassian. coll. 13.

Et vt commodè ad hoc institutum scribit Hincmarus, *Sanctus Augustinus hæreticorum, & reprehensorum suorum scripta, si in eis quiddam benè dictum inuenit, benignissimè acceptauit; & plura ad rectos sensus interpretari elaborauit; nulla autem de recto sensu in prauum inclinare tentauit.*

Hincm. epist. ad Carol. Regem.

Isti autem noui Iacobi, & subdoli supplantatores, auctorum calcaneo insidiantur, cúmque sit optabile de hæreticis catholicos facere; id vnum moliuntur, vt è catholicis hæreticos veteratoriè efficiant.

Suppressis nominibus suis, Hincmarum impetunt aduersarij.

Denique, vt hîc aliquando desinam, fraudem aliquam tegunt, tot Lugdunensis Ecclesiæ nomen mutuati scriptores: si tamen mutuati, & non ab imperitis aliquibus in illud falsò immissi. Cur enim suppressis nominibus propriis, tan-

quam laruæ in certamen procedunt, *nec se se Ænea iactanit vulnere quisquam?* Nónne Capitulorum Valentinorum auctori suam obscuritatem Hincmarus obiicit, in solem & puluerem fidenter prouocato? *Quis verò sit Capitulorum istorum compositor, cui quasi à nouo cogimur respondere, ipse se prodet, cùm necessario vrgebitur ad lucem venire: quia operator tenebrosorum operum, inter quæ ab Apostolo, & hæreses describuntur, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius.* Quæ maledicendi licentia per easdem tenebras grassata, infelicem alium noctis partum edidit, contumeliis & calumniis refertum librum, quem summopere timebant improbi legi, & videri ab Hincmaro. *Peruenit ad nos, quoniam isti nebulones, qui in totum adhuc sicut prauè sentiunt, in publicum proferre non præsumunt, librum aduersus nos occultè conscribunt, quem ad nostram notitiam peruenire, & ad lectionem nostram, aduersùs quos scribunt, detractant perducere.* In eo præter cetera calumniabantur scripsisse Hincmarum, *quia liberum arbitrium funditus in homine, primo peccante, sit perditum.*

Hincm. l. de prædest. Præfat.

Ibid. c. 23.

Scriptores anonymi.

Age verò quæ tandem causa est, eiuscemodi scriptoribus latebrarum tam studiosè captandarum? Vt metum incutiant, ex obscuritate, vt noceant impune, vt errent inuerecundè. Nam aduersarium ignotum timere prudentes malunt, quàm negligere: generosi verò animi cum laruis luctari dedignantur: à quibus autem arguuntur maligni, eos sine rubore audiunt refellentes. Huius rei quanquam leuius exemplum inter manus est. Proximis enim annis ex vnius sectæ officina prodierunt libri duo, Seruatus Lupus reuocatus in lucem, & recentissima Dissertatio cum Synopsi. In illa editione, cum Lupo Ferrariensi Benedictini ordinis Abbate, ab ipso limine confunditur; in ista, etiam adductis rationibus distinguitur. Fingamus ab eodem auctore, de hodierna controuersia scripturiente, librum vtrunque profectum esse. Is certè absque verecundia sibi ipse contradixerit. Rursus eadem Dissertatio, Seruatum Lupum eius libelli auctorem, facit Presbyterum, & Clericum Moguntinensem; fortasse quia scripsit Trithemius *cum Rabano claruisse* quasi sedem potiùs, quàm tempus ea vox significet, quemadmodum Augustinus cum Hieronymo, Athanasius cum Siluestro, Chrysostomus cum Epiphanio vixisse non malè dicuntur. Rogatus igitur opinionem suam confirmare Dissertator, si nomen suum silentio texisset, locupletibus testimoniis destitutus, & silere coactus, non erubesceret. Pars autem Hincmari tam ingenuè, & detecta fronte pugnat, vt ea etiam nomina, quibus aliquid ad dedecus obiiciunt aduersarij, Amalarium putà & Ioannem Scotum, celata nolit. Ei quippe laborat, qui dixit, *Qui me sequitur, non ambulat in tenebris.* Vbicunque latebram vides, fraudem metue; veritas vltro se præbet æstimandam. His expositis, quorum cognitio totam occupat controuersiam posteriùs excitatam, licèt occasione prioris, ad singulares scriptores veniamus.

CAPVT III.

Ventum ad singulos scriptores, initio ducto à Seruato Lupo, quo nomine duos probabiliter appellari monstratur.

SERVATVM Lupum modò nominabamus, vt commodiùs quæstio fieret de exemplo: cui per intempestiuam doctrinæ copiam, ex Opusculis nuper luci redditis, accessit obscuritas, hoc loco necessariò discutienda. Quis ille sit Seruatus Lupus libellorum, qui modò extant, auctor? An vnicus homo nomen illud sortitus sit, an plures? Si plures, cui tandem illorum tribuenda sint opuscula? Si pluribus, quæ cui assignanda? Nouum scriptorem noua decet disquisitio, cum ipso in lucem redeunte prognata. Siquidem qui primus ante annos quadraginta, eorum editionem adornasse dicitur, frater Antonius Grimbert Monachus Elnonensis, ad vnum scriptorem, eúmque Ferrariensem Abbatem Lupum, refert omnia: Secundam qui perfecit Præses Amplissimus Dissertator, in duos auctores Lupos diuidit, & vt bonus pater-familias, suam vnicuique portionem assignat: ac ne quid sibi debitum periisse Ferrariensis queratur, Beati titulum, Hincmaro ereptum, illi liberaliter elargitur. Tertia editio eáque perfectissima, vt è Sirmondi manu, primæ similior, integras illas lucubrationes, sub vno & eodem Seruati Lupi nomine repræsentat: neque prohibet Sirmondus, quin vni Ferrariensi omnes donentur. *Lis est de paupere regno*, aiebat ille. De minutis quatuor tractatibus, tanquam de Augustini & Hieronymi genuinis aut spuriis tomis certat Critica; quorum primo, qui de Tribus quæstionibus est, cùm laudem aliquam dederis; in Collectaneo quid reperies, præter auctoritates paucorum Patrum non exquisitissimas? Nam Epistolæ duæ ieiunæ, & strigosæ ad Carolum Regem, & ad Hincmarum nulli auctori splendorem possunt superaddere. Augent quæstionis tenebras Trithemius, quique post illum, & ex illo vnius tantummodò Seruati Lupi meminerunt, & in eum solum, quicquid duobus ab aliis tribuitur, conferunt. Ad huius ego disputationis necessitatem ex instituto compulsus, eò libentiùs dico sententiam, quò minùs nouitatis insimulari possum; & duobus pronunciatis rem conficio, quæ ex vtrisque partibus inuicem contendentibus arcesso. Nam posita personarum à scriptoribus distinctione, si de personis agitur, quibus Seruati Lupi nomen fuerit inditum, aio duas esse, cum erudito Dissertatore, & hoc capite aduersùs Trithemium comprobo: si de Scriptoribus, qui opusculorum quatuor parentes dici debeant, vnum agnosco Ferrariensem Abbatem, cum Grimberto, & Sirmondo: ídque certis rationibus aduersùs Dissertatorem sequenti capite confirmo.

Varia hac de re opiniones.

Tres editiones opusculorum Seruati Lupi.

Vera sententia capita duo.

Itaque duos fuisse Lupos, qui ad historiam nostram pertineant, efficaciter demonstro ex ipso Trithemio, qui dum vnicum nominat, ea

Duo fuerũt Seruati Lupi nomine.

Trithem. in Chron. Hirsaug. an. 851.

Raban. Præfat. in epist. ad Rom.

de illo narrat, quæ necessariò duos efficiunt. Enimuerò Lupus ille Trithemianus, is esse dicitur, *ad quem Rabanus adhuc Abbas, scripsit olim libros octo in epistolam ad Romanos.* At hic Monachus erat, non Clericus & Presbyter nudè dicendus. Sic enim Rabanus ipse, *Transmisi sanctitati vestræ quendam Collectarium, quem nuper rogante Lupo Monacho, atque tunc Diacono, confeci.* Ergo cùm Trithemius Lupum suum simpliciter presbyterum vocet, non debet idem censeri cum eo Lupo, de quo Rabanus, & ad quem librum misit. Si respondes, & Monachis Presbyteri nomen simpliciter aliquando concedi: memini enim legere me Bertramum Presbyterum, qui est Ratramnus Corbeiensis Monachus; & Almannum Presbyterum, qui Altiuillarensis Monachus his ipsis temporibus fuit. Quæro ego ex te vicissim, Lupi mentionem ex quo auctore velis haurire? Ex Rabano libros ad eum mittente? At is tum nihil amplius erat quàm *Monachus & Diaconus.* Ex Trithemio ista de eo narrante? At cùm ea scriberet, plus aliquid fuerat, scilicet Abbas, & Presbyter. Abbates autem solo Presbyteri nomine vulgò signatos, aut à Trithemio sui ordinis gloriam laudabiliter, neque vltra meritum exquirente, Presbyterum vel Monachum ἁπλῶς nuncupari, qui celebris Cœnobij fuerit Abbas, multùm egeris si probaueris. Seruatus ergo Lupus à Trithemio qui Presbyter dicitur, non est Abbas & Monachus; at cui Rabanus Commentarium Epistolæ ad Romanos obtulit, erat tum Monachus, ac postea Abbas: duos igitur oportet extitisse Lupos, vno Trithemij encomio comprehensos.

Seruatus Lupus Moguntinus disputauit præsens in Gotteschalcum.

Trithem. ibid.

Secundò, Seruatus Lupus, apud Trithemium, in Synodo Moguntina Gotteschalcum *multos conturbantem, fortissima disputatione coram omnibus qui aderant, manifestè vicit & confutauit:* ac deinde *ad euidentiorem declarationem veritatis, de his quoque rebus tractatum pulcherrimum composuit.* Is est, sine dubio, libellus de Tribus quæstionibus. Atqui eum qui composuit, neque Moguntiæ fuit in Concilio; neque turbarum in Germania motarum à Gotteschalco notitiam habuit; neque contra Gotteschalcum *de sanguine Christi malè sentientem* scripsit, qui in eadem cum illo magna ex parte sententia est de illa taxatione. Tria dico, & postrema duo ex ipso scriptoris opusculo euidentem habent probationem. Primum à Trithemio probari mihi postulo, illum ipsum Seruatum Lupum, qui tractatum composuit, coram in os Gotteschalco ruborem iniecisse, & omnino illi Moguntinæ Synodo interfuisse. Nam cùm inferiùs simus monstraturi, libellum hunc Lupi Ferrariensis partum esse; ostendat Trithemius, quæ causa Gallum Abbatem, in aula Caroli Regis versantem, exciuerit tum Moguntiam ad Synodum; à qua reuersus, & scribens in Gallia *de his rebus,* quarum *qui per se ipsos non possent, optauit, vt per se fierent certiores:* ea tamen modestia dicam, an incuria, an obliuione, vt suæ de hæretico victoriæ, ac omnino Synodi, aut Moguntiæ, aut Germaniæ nullo penitus apice meminerit? Alter igitur est intelligendus apud Trithemiũ, qui Moguntiæ disputauit cum Gotteschalco; ab eo qui de his rebus tractatum composuit.

Idem paulò post mortuus

Tertiò, narrat Trithemius, Seruatum Lupum biennio post Synodum Moguntinam, anno videlicet 851. *migrasse ad Dominum.* At diu postea & vixisse, & floruisse Lupum Abbatem Ferrariensem, pluribus apertè probat Dissertator amplissimus, vt hunc solem facula nostra iuuari sit superfluum.

Trithem. ibid.

Ex solo Trithemio distinctio Luporum adstruitur.

Dicet aliquis, contra auctoritatem Trithemij temerè non eundum, cui eruditionis, & exquisitæ diligentiæ, quæ duæ sunt historici dotes eximiæ, laudem nemo sapiens negauerit. Cui ego satisfacio, fidem suam hac dissertatione multis in rebus seruari Trithemio. Nam quod narrat, Seruatum Lupum virum fuisse doctissimum, qui Gotteschalcum malè sentientem, fortissima disputatione manifestè vicerit in Concilio, coram omnibus qui aderant; quíque biennio pòst diem obierit: hæc omnia ab vno ipso nobis tradita, absque præcedentis vllius scriptoris auctoritate, fidenter accipimus: & ex iis, ac proinde sola illius fide, Seruatos Lupos duos extitisse affirmamus: qui omnino vni Ferrariensi nostro Abbati nomen illud concederemus, si Concilium Moguntinum in Chronico Hirsaugiensi non nominaret, nec illi præsentem faceret Lupum Seruatum, quem in Catalogo eorum, qui Concilio interfuerunt, præteriit. Quin & nobilis Dissertator liberaliùs agit cum Trithemio, qui quia *cum Rabano claruisse* scribit, addit de suo, Moguntinensem fuisse Presbyterum, Rabano amicissimum, vt anteà notabamus.

Qua fides nec in historia Trithemio debeatur.

Respondeo præterea, si qua in re alia dissentimus à Trithemio, id à nobis temerè non fieri, cùm illuc rationum pondere trahimur; & aliunde sine conuicio, plenam & perfectam huius controuersiæ, & historiæ cognitionem non habuisse, multis signis conuinci potest. Nam Rabani Synodum vnam tantùm agnoscit, in qua & Thiota pseudoprophetissa cæsa, & Gotteschalcus damnatus sit: quod posterioribus historicis non persuasit, qui tres Rabanicas Synodos commemorant. Deinde, conuictum à Rabano Gotteschalcum in Concilio, narrat correctionem assumpsisse, & errorem suum reuocasse; quod alienum esse à vero, prior admonuit Dissertator, & nos alia ratione probauimus. Præterea, Rabanum ait modò dedicasse Seruato Lupo libros 8. in Epistolam ad Romanos, modò in omnes Pauli Epistolas libros 23. quod opus Rabanus ipse *in triginta libris consummatum esse* testatur. Sic Ratramnum, siue Bertramum dicit scripsisse, De Prædestinatione librum vnum: Ioanni Scoto Bedæ discipulo, & Alcuini collegæ attribuit librum de Diuisione naturæ, qui vulgò ad Ioannem Erigenam Scotum refertur. Neutrum opus Hincmari de Prædestinatione commemorat. Eum autem monet claruisse sub Carolo Magno, & Ludouico eius filio Imperatoribus, anno Natiuitatis Dominicæ 800. cùm scribere debuerit, sub Ludouico, & Carolo eius filio. Et Flodoardus creatum Episcopum narret tantùm anno 845. ante quem magistratũ, vt priuatus & Monachus, ita perdiu obscurus vixit. De Floro quoque Magistro, de Rabani in causa Gotteschalci Epistolis, de Prudentio, de Ioannis Scoti Vnica prædestinatione, de omni illa Lugdunensium scriptorum cohorte, altum in eo silentium. Possumus ergo sine scelere hac in historia Trithemij auctoritatem ad pondus sanctuarij reuocare: multùm assentiente Dissertatore, qui vno saltem loco, vbi fuisse conuictus

Trithem. l. de script. Eccles.

Flodoard. l. 3. hist. c. 3.

Dissert. c. 5.

per Rabanum Gotteschalcus narratur, *obiter notat non talem esse Trithemij auctoritatem, qui postremo seculo scripsit, vt errorem prætensum publicè in prædicta Synodo reuocasse credendus sit Gotteschalcus.*

Nostra parùm interest sint-ne duo Lupi, an vnicus.

Ratiocinabitur hic tamen non inscitus aliquis. Si tam multa peccauit in illa historia Trithemius, quàm certa fide tenere debemus, extitisse Seruatum Lupum Germanum, qui Moguntiæ in Synodo Gotteschalcum confutarit, cùm solus illud tradat, qui fallitur in aliis? Postulat nodus iste Alexandrum; Tibi quisquis es, satisfaciet Amplissimus Præses Dissertator, qui vt vides, propè est vt neget omnino aduersùs Gotteschalcum de dogmatibus fuisse ab ipso Rabano, quantò minùs à Lupo disputatum, quicquid Trithemius retulerit. Eleuata igitur in hoc articulo Trithemij fide, perge porro, & eundem Dissertatorem roga, vnde igitur, & qua, quámque firma auctoritate tam constanter asseueret extitisse Lupos duos, & in iis Germanum vnum Moguntinensem clericum, Rabani amicissimum? Sudabit opinor, & Lupum auribus tenebit: qui si euanuerit, quanto Synopseos historicæ & Chronicæ, Dissertationis item Historicæ & Chronicæ damno superstit vnicus, nobis Seruatus Lupus Abbas Ferrariensis, quo solo historia nostra contenta est?

§. VNICVS.

Infirmæ aliqua rationes pro eadem diuersitate tuenda dissipantur.

Duos esse infirmis rationibus probatur à Dissertatore.

RETINERE tamen fugientem duabus rationibus contendit, quas stuppeas esse, & rumpi faciles, operosum non est ostendere: non quòd de Lupo Presbytero dubitare modò velim, quem Trithemij fide hactenus semper probabiliter admisi; sed quòd eam verisimilitudinem, quæ ex Dissertatoris placitis plurimùm labat, ne verisimilibus quidem argumentis stabiliri ab eo, qui rem veram esse vehementer cupiat, ferre non possim. Præter ordinem molior nihil. Hoc habent in vsu philosophi, vt quorum opinionem amplectuntur, eius probandæ modos frequenter explodant. Bene siquidem bona dici oportet, & proximum falsò videtur, quod veritate non fulcitur. Bis igitur vtroque Tomo Dissertator clarissimus in eadem quæstione, & duorum Luporum firmissima assertione versatur, quòd eam modis omnibus firmari partium intersit: imò si Theologo laïco fides est, ipsius catholicæ fidei, quæ vacillat, & ruinam minatur, si ab ouili Christi Lupus vnus abducitur.

Dissert. Tom. 1. Præfat. ad lect. de vtroque Lupo.

Prima igitur ratio, illi peculiaris, à nomine ducitur. *Nec Lupo nostro Ferrariensi cognomen*, inquit, *Seruati additum, vsquam reperietur.* Si enim Germanus Presbyter Lupus Seruatus semper appellatur (sic enim scribit, & cognomen putat.) Lupus autem Gallus Ferrariensis Abbas nunquam Seruatus vocatur, certè constat duos esse homines, duobus nominibus designatos. Cuius rationis vanitatem non aliunde ostendo, quàm ex ipso Dissertatore, qui posteriore Tomo, quem prius scriptū esse notauimus, antè dixerat, Lupo Ferrariēsi Abbati cognomen Seruati additū fuisse in duobus Codicibus MSS. Corbeiensi, & Diuionēsi. Falsum igitur est ipso teste, *nusquam*

Tom. 2. Dissert. c. 16.

reperiri: & reipsa Codicum illorum fide, Seruati Lupi nomen æquè Ferrariensi Abbati conuenit, vt Lupo Germano. Imò inquit, nam hoc *nomen ex scribarum, vel alterius monachi errore profectum* est. Angusta hæc rima est, non euades. Fateor à scribis & Monachis profectum, ostende tu id *errore* factum. Nam eo seculo penes Monachos sedem fixerat Scientia, pauci vt nominis vllius scriptores extra Monastica septa claruerint: in describendis libris gloriosissimam & vtilissimam ponebant operam scribæ Monachi, quos modò auidiùs, quàm gemmas venamur, vt veteribus Monasteriis optimam restitutæ doctrinæ partem debere se profiteatur Ecclesia: qui Veterum tractatus aliundè recens eruuntur, non antè, quàm cum Manuscriptis Monasticis studiosè collati, auctoritatem in eruditorum Athenæis accipiant. Et omnem eorum auctoritatem & fidem, quia id isti proposito nocet, verbo vno sperat obliterare Dissertator, sartam tectâm in Ratramni opere, & vbicunque iuuabit, conseruaturus. *Errore* factum inquit. Quo, & vnde? *Ea vt videtur occasione*, (sæpius enim diuinat, quàm feliciùs,) *quòd veteres omnes qui de scriptoribus Ecclesiasticis egerunt* (nomina vel vnum Sigeberto Gemblacensi, qui seculo abhinc quinto vixit, antiquiorem) *solius Lupi Seruati meminerint*, (dic meliùs, vnius Lupi Seruati) *nullus Lupi Ferrariensis* (quid enim si alium à Lupo Ferrariensi veteres Seruatum Lupum non agnouerunt?) Omitto reliqua quæ de libris concludunt, nos modò versamur in personis. Quis verò hinc colligat, *errasse* Scribas & Monachos, qui Lupo Ferrariensi, Seruati nomen addiderunt?

Qua sit Codicum MSS. fides.

Illa igitur responsione neglecta, ex pluribus aliis Scribis & Monachis idem comprobo, Seruati Lupi nomen, Abbati Ferrariensi competere. Nam primus eius editor Antonius Grimbert ex Elnonensi Codice, siue Monasterij S. Amandi in Pabula, omnibus quatuor Opusculis communem hunc titulum præfigere non veretur. *Antiquissimi Scriptoris Lupi Seruati Abbatis ordinis S. Benedicti*, &c. & tota Epistolari Præfatione, non alium quàm Ferrariensem laudat, ac ne nominat quidem, quasi Trithemianus Seruatus perierit. In eadē opinione est Aubertus Miræus, fusè citatus à Dissertatore, qui cùm mihi non displiceat in Scholis ad Sigebertum, nisi quod obiisse tradit anno 852. ne Trithemio quidem consentiens: in Auctario tamen minimè probatur, quia cum Trithemio vtrunque confundit, & Seruatum Lupum Ferrariensem Concilio Moguntino interfuisse asserit. Quam partem ad confutationem deligere debuit Dissertator. Denique nuperrimè P. Sirmondus ad Seruati Lupi editionem more suo, id est, accuratè præfatus, Seruati Lupi nuncupationem Abbati Ferrariensi indubitanter asserit, ex huius epistola ad Nicolaum Papam super Herimanno Neuernensi, de quo plura Conciliorum Tomo 3. cui Codex Floriacensis Titulum hunc præfigit *Scriptum Seruati Lupi ad Nicolaum Papam*: quam profectò Trithemij Seruatus non scripsit, anno sui seculi 51. mortuus. Ex quibus omnibus concludo Seruatum Lupum, Abbatem Ferrariensem appellari, atque adeo ex Seruati cognomine duorum Luporum distinctionem malè colligi: & peiùs affirmari, nomen illud Lupo Ferrariensi errore scri-

Lupus Ferrariensis Seruatus dictus est.

Editio Lupi Seruati an. 1648.

Aubert. Mir. in Sigeb. c. 93. Idem auctor. c. 268.

Seruati Lupi Epistola ad Nicolaū Papam.

scribarum & Monachorum esse inditum: pessimè autem in vtroque tractatu & Tomo, negari *vsquam reperiri cognomen Seruati, Lupo Ferrariensi additum* fuisse.

Secunda ratio aquè infirma.

Argumentum alterum profundioris meditationis, & altioris consilij est, quod Dissertatoris & sectæ vniuersæ rationes, cum Religionis & fidei catholicæ rationibus ita coniungit, vt toti ouili Christiano metuendum sit, nisi Lupi duo admittantur, opusculorum quatuor auctores, Seruatus Moguntinensis Presbyter, & Abbas Ferrariensis. Quod ita conficit. *Siquidem ex illa confusione, catholicæ veritatis testes minuuntur: cùm è contra ipsius stabilitas, vel ex eo maximè constet, quòd vbique, tam in Germania* (per Seruatum Lupum) *quàm in Gallia* (per Ferrariensem) *sicut & in Lugdunensi* (per Remigium, de quo & nos postea,) *doctrina illa vnanimi sanctissimorum virorum testimonio confirmata & corroborata extiterit.* Huic rationi tomo posteriore sic conceptæ, & priore postea Tomo, iisdem verbis repetitæ, confirmatio superstruitur ex authentico Vincentij Lirinensis dicto. *In ipsa catholica Ecclesia magnopere curandum est, vt id teneamus quod vbique, quod semper, quod ab omnibus creditum est: hoc est etenim verè propriéque catholicum.* Id quoque facere nos admonet Dissertator, si sequamur *vniuersitatem, antiquitatem, consensionem.* Putes agi de sanctissimæ Trinitatis mysterio, cum Ario vel Sabellio; aut de Incarnationis Dominicæ œconomia, cùm Nestorio vel Eutyche. Ita laborat vt Catholica veritas, ne vnius quidem hominis testimonio, minuatur. Quàm sit tamen ea ratio ridicula, & ad id quod conatur auctor efficiendum, penitus inutilis, sole clariùs tibi, Lector, ostendo.

Differt. c. 16. & Tom. 1. Præfat. de vtroque Lupo cit.

Vincent. Lirinens. Common. c. 3.

Refellitur.

In primis enim à iure procedit ad factum. Est enim eius in eo vis posita. Debent fuisse Lupi duo distincti homines, vnus in Germania, alter in Gallia. Ergo duo fuere distincti. Nimirum quæ expedit fuisse omnia, verè fuerunt, neque quicquam extitit, nisi quod existere debuit? Debent Christiani omnes ex Euangelij regulis mores suos componere; aliter si fiat, eius auctoritas minuetur: componunt igitur omnes. Non debet in Ecclesiam vlla doctrinæ nouitas eius pacem turbatura introduci: nulla igitur introducta vnquam est, neque modò à quibusdam nouis scriptoribus introducitur. Quis sic disputauit vnquam? Poëma scribimus, an historiam? Quærimus quid extitisse bonum sit & vtile, an quid reapse extiterit? Causæ prosit an noceat vixisse tunc Lupum vnicum, an duos, spectari non debet: agnosci duos, vel confundi in vnum, inutile est, si ad historiæ fundamentum non penetratur, & quod extitit in rebus, quod verè factum est, certis argumentis ante monstratur. Nam quòd catholicæ veritatis testes minui debeant, aut augeri, non facit vt tempore Gotteschalci duo Lupi libros de controuersia scripserint, aut vnus tantùm in ea sit versatus. Facto posito, de iis quæ sequuntur, disserimus. Et tamen tua hæc est (ô bone) plerisque in articulis methodus narrandi, vt primùm quid patrocinium à te susceptum lædat aut promoueat intueare; deinde rationes apud animum tuum disquiras, quibus id ipsum factum esse perneges, vel affirmes. Æquum fuit vt Gotteschalcus non nisi petita & obtenta ab Abbate suo venia Romanam peregrinationem pietatis causa susciperet. Ita factum narras sine teste, sine auctore. Credi non expedit damnatam fuisse duobus in Conciliis Gotteschalci doctrinam. Negas actum de illa, contra Synodicæ Moguntinæ, & aliorum scriptorum fidem. Obfuit Gotteschalco eius scripta ab Amolone lecta fuisse, & grauiter damnata. Affirmas vera non fuisse, nec ab ipso missa, contrarium profitente Amolone; sed ab Hincmaro supposita, idque somnium recentissimæ & tuæ vnius meditationis, rationibus probare conaris. Atqui *mendacis est argumenta conquirere*, ait Optatus Mileuitanus. Turpe fuit Prudentio Capitula Carisiaca, quibus subscripserat, paulò pòst oppugnare. Negas subscripsisse, *licet asserat Hincmarus.* & nescio quibus argumentis, oculato testi fidem abrogare contendis. Dissertationem peragrantibus nihil crebrius occurrit exemplis eiuscemodi, quæ manifestum faciunt quod obiicimus, & inculcamus, Gotteschalcum tuum ita concinnasse, vt olim Cyrum suum Xenophontem, non vt historicæ seruires veritati, sed vt sectam tuam institueres; quod nos à prudente philosopho lubentes accipimus; in historico, qui tanquam *ingestum summa fide, nec minima diligentia* tradit, ferre nec possumus, nec debemus.

Malè & præposterè argumentatur Dissertator.

Optat. Mileuit. l. 1.

Dissert. in Epil.

Patet eiusdem argumenti leuitas, mihi certè ridicula, ex eo quòd assertio de Lupis duobus, tanquam fidei & religionis Christianæ basis, & columna ostentatur, qua remota Christianitatem omnem collabascere necesse sit. Da enimuerò vnum tantummodo Seruatum Lupum extitisse, da nullum: Fac leuia hæc opuscula vnius esse scriptoris, fac duorum, fac neutrius, sed tertij alicuius nondum cogniti: Finge quatuor tractatus per se se non eximiós, neque mole grandes, nunquam ab vllo homine fuisse compositos, quid tantùm aut Ecclesiæ, aut Theologiæ, addo etiam Gotteschalci, quam versamus, historiæ perierit? Verùm grande est & factiosum, quòd tanto ardore vnde vnde doctrinæ alicuius testes extricantur, quòd magnificè numerantur, ambitiosè præferuntur in imagine, tanquam in ferculo triumphi: quòd de eximiis eorum laudibus nulla pagina tacetur, ceteris aduersæ opinionis auctoribus omni conuiciorum genere protritis. Et meminimus qui superiore seculo pusillum gregem se suósque appellarint: qui Patres Ecclesiæ suis dogmatis repugnantes, magno contemptu reiecerint: qui etiamnum Ecclesiam suam Catholicam, licet non Romanam, esse iactitent.

Opinionis vniuersitas ridiculè probata.

Consilium Dissertatoris.

Vide enim Catholicæ titulum opinioni suæ quàm inuicto argumento, ne dicam parenthyrso, vindicet Dissertator. *Catholicum est quod vbique*, hoc est, Moguntiæ in Germania, Bethlehem siue Ferrariæ, & Lugduni, in Gallia Celtica tenetur. Vastum enimuerò terrarum tractum, cui reliquum Lotharij imperium, Ludouici & Caroli Regna, Britannicæ Insulæ vnde Ioannes Erigena, Norcia, Pannonia, & Gentes barbaræ à Gotteschalco lustratæ, Hispania, totus Oriens, Asia, & Africa comparari non possint! *Catholicum est quod semper.* Atqui de vno seculo nono lis est, neque eo toto, sed quandiu Gotteschalci perturbatoris vita factió-

Malè producitur Vincentius Lirinensis.

O

que durauit: priùs, & postea altum silentium, siquidem Prædestinatiana hæresis, vt doces, fabula est, neque ante Lutherum & Caluinum vlli Prædestinatiani extiterunt. *Catholicum est quod ab omnibus creditum est.* A quibus *omnibus?* Lupis duobus: nam & duos distinguere, & in duos opera illa partiri oportet: *ex confusione* nimirum aut personarum in vnam, aut lucubrationum in vnum auctorem *catholicæ veritatis testes* vno *minuuntur*, vt si Lupus vnus Dissertatoris parti defuerit, *Catholica* esse desinat: Age verò, gratis concedamus, omnes qui in liminari tabula stant, sedent, genibus nituntur, doctrinæ illius esse sectarios, ideóne numerus ille faciet Catholicam? Hincmarum audi, qui nouos illos Prædestinatianos in tribus Prouinciis, ne denarium quidem numerum testatur attingere. *Quantum rescire possumus, diuersi ordinis & habitus, diuersæque professionis, nec ad decimum numerum peruenerunt, in tribus tantùm Prouinciis*, ex quibus Valentinum Concilium coaluit. Et post pauca. *Nouiter garrientes, vt diximus, quantum cognoscere possumus, in nouenario numero remanent, & ad decimum non perueniunt; sicuti & nouem leprosi, qui vno ad gratias referendas reuerso, ingrati Domino remanserunt.* Egregiam verò *vniuersitatem!* obsitam *antiquitatem*; admirabilem *consensionem* catholicam, quæ in tabula ne nouem quidem exhibet! è quibus nemo vnus Gotteschalcum defendit in omnibus. Hincmarus autem ex aduerso amplissimè pro doctrina sua ex vrbe Roma orbis & fidei capite, & ex Italia 17. Prouinciis, ex Gallia totidem Prouinciis, in Africa è 6. Prouinciis, in Hispania vnde Prudentius Galindo, è 7. Prouinciis, in Illyrico, & Thracia è Prouinciis 19. ex Asia Prouinciis 11. è Syria Ciliciæ Prouinciis 10. è Ponti 8. Prouinciis, in Ægypto è 6. Prouinciis, è Britannia 5. Prouinciis, ex illis inquam omnibus testes citat, omni exceptione maiores, vt Cælestinum & Leonem, Ambrosium, Cyprianum, Augustinum, Gregorium Nazianzenum, Basilium, Hieronymum, Chrysostomum, Athanasium, & alios, qui de quatuor controuersis articulis non alia, quàm quæ Hincmarus ipse, docuerunt. Hæc est vera *vniuersitas*, hæc *antiquitas* indaganda; hæc amplectenda *consensio*: quanquam & ipsa hîc superfluè declarata, quia Pauperis est numerare pecus; ad hæreticorum exemplum, qui in ea capitum enumeratione sunt importuni & vani, vt in Nouatianis primo libro, alia occasione videbamus.

Nouem tantùm in tribus Prouinciis eam sequuti sunt. teste Hincmar. l. de prædest. c. 34.

Ex aduerso Hincmari sententia catholica est. Ibid.

Denique rationis eiusdem futilitatem inde comprobo, quòd vt ingenuè dicam, nondum perspicio quid sit illud, quamobrem tantopere religionis intersit, Lupum alterum ab altero discernere. Et Remensis quidem, illo quem modò producebamus loco, suos articulos exprimere non omittit, tanto consensu iam olim ab vniuersis probatos & traditos. Dic igitur & tu, Præses Amplissime, per Deum immortalem, quæ tandem cogat necessitas ex vno Lupo duos facere? *Ne catholicæ veritatis testes minuantur.* Cuius *veritatis?* vt *doctrina illa vnanimi testimonio confirmata existat.* Quæ *doctrina?* Nam ex quo discessi à Gotteschalco, eiúsque *Synagogula*, non video *veritatem & doctrinam*, quam duorum Luporum distinctio possit catholicam facere; aut potiùs quæ contra catholicorum aduersarios disceptetur. An, merè gratuita Dei misericordia eligi quosdam, & prædestinari ad vitam, reliquis in massa damnationis relictis? An, omne boni operis & salutis initium à Deo esse, neque absque præueniente, & adiuuante gratia Redemptoris, ad quicquam benè agendum posse assurgere liberum arbitrium? Catholica profectò Doctrina, sed quam ab ipsis Euangelij incunabulis in Ecclesia saxa & lapides loquuntur; quam si Lupi nostri, & omne seculum nonum taceat, præcedentes & subsequentes ætates magnis clamoribus personabunt. Quid igitur? Geminam esse prædestinationem? dici reprobos ad interitum prædestinari, quemadmodum prædestinati ad gloriam dicuntur electi? Hæc est illa *veritas*, quæ nisi opusculorum quatuor, Lupi duo credantur auctores, verendum est ne *catholica* non sit? Perge porro. Non velle Deum omnes homines saluari, sed tantùm ex omni hominum genere aliquos, qui reipsa saluantur? Christum pro multis quidem, sed non pro omnibus passum esse & mortuum? Eas tu propositiones *vnanimi testimonio confirmatas* dicis, in quibus, te ipso teste, non conueniunt Lupi tui, altero passum pro solis electis asserente, altero pro fidelibus omnibus? Quas Lugdunensis tuus Epistolarius, postquam studio contentionis approbauit, contrarias tamen Hincmarianas fateri cogitur pias esse, & si à Patribus asseruntur, amore pacis posse recipi? Dic ergo quæ sit *veritas catholica*, quæ *doctrina illa*, quæ vtriusque Lupi, & opusculorum confusionem timeat, ne sui testes minuantur? Suas enim opiniones de iisdem Capitulis Hincmarus *catholica vniuersitate, antiquitate, consensione* confirmat & corroborat: alia capitula non tangunt Lupi: Stultum sit extra quæstionem aliud aliquid fingere, cui probando Lupi vnius testimonium non sufficiat, sed *non minimùm intersit in his opusculis Lupum vtrunque, Seruatum à Ferrariensi discernere, ne Catholicæ veritatis testes minuantur.* Si nihil adfers expressius, ostentatio illa est, & imperitorum formido, non Theologica dissertatio.

Quid probatura sit Luporum distinctio, non explicat Dissertator.

Sit igitur huius capitis summa, extitisse aliquando secundùm Trithemium benè explicatum, homines duos Lupos, quorum alter in Concilio Moguntino, cum Rabano Gotteschalcum disputando prostrauit, & biennio pòst defunctus est; alter oblatos accepit à Rabano commentarios in Epistolas Pauli. Et hic Monachus, atque Abbas Ferrariensis est, Galliæ notissimus. Vtrique communem esse Seruati Lupi appellationem: ea proinde non distingui. Posse demum, absque catholicæ veritatis dispendio existimari, aut duos nunquam fuisse Lupos, aut ab vnico scripta esse opuscula, quæ Seruati Lupi nomine circumferuntur. Et hâc in alteram disputationis partem ingredior.

Summa huius dissertationis.



CAPVT IV.

Opuſcula ad hanc quæſtionem ſpectantia Seruati Lupi nomine publicata, vni Ferrarienſi Lupo aſſignanda eſſe probatur, quibuſdam prænotatis.

Indicantur opuſcula 4. Seruati Lupi.



ON eſt nullius momenti hæc aſſertio, cui viam ſuperiori capite ſtrauimus, & aliqua clariùs tradendæ modò præmittere, curioſo, vt arbitror, Lectori non erit ingratum. Primum eſto: De quibus agimus opuſcula, non eſſe plura quatuor, commodè ſatis inuicem cohærentia. Nam primo, qui libellus eſt De Tribus quæſtionibus, omnium præcipuus, & laudatiſſimus, De libero arbitrio, de Prædeſtinatione, de redemptionis gratia hominibus applicata temperatè modeſtéque diſputatur. Secundum, Collectaneum inſcribitur, quo De Tribus iiſdem articulis, Patrum ſententiæ & auctoritates, ſeculi & peritorum more colliguntur, paucis ab ipſo ſcriptore interiectis, quibus aliquando dicta inter ſe colligat: aliàs obſcurioribus ſententiis aliquid lucis infundit. Prius opus omnium eruditioni impenditur, vt ea poſita conquieſcat in hominum animis commota tempeſtas. *Cùm comperiſſem ſi non concuti fidem, turbari certè quorundam intentionem, qui per ſe non poſſent, optaui vt per me fierent certiores.* Poſterius ad eandem tendit concordiam, ſed ſtudioſis tantùm ſcribitur. *Multis laudabiliter ſtudioſis deſiderantibus cognoſcere, ipſis auctorum verbis, quem exitum habeant quæſtiones, fideliter morem geſſi; vt & piè quærentium eruditio, largiente Dei gratia, capiat incrementum, & diuerſa ſentientium contradictio mitigetur.* Iſtud ergo prioris quaſi ſupplementum eſt, vt cùm in illo multa auctor ipſe de ſuo protulerit, in hoc fontes recludat vnde hauſta ſunt, & veterum Patrum puris verbis antedicta confirmet. Nondum hinc colligo vnum eſſe operis vtriuſque ſcriptorem, cùm à duobus confici potuerit: eſt enim nonnihil in ordine modóque tractandi diſcriminis, quod ſit-ne conueniens diſtinguendorum auctorum fundamentum, diſquiretur. Tertium opuſculum eſt Epiſtola ad Carolum Caluum Regem, qua minùs quidem, quàm libello primo fusè; copioſiùs tamen quàm opuſculo quarto, quæ eſt Epiſtola ad Hincmarum, de Prædeſtinatione tractatur: & quidem in iſto ſola ea quæſtio tangitur: in priore autem opuſculo epiſtolari, de ſanguine Chriſti difficultas ſaltem libatur.

Liber de tribus quæſtionibus.

Collectaneũ de tribus quæſtionibus.

Epiſtola ad Carol. Regem.

Epiſtola ad Hincmarũ.

Annoto deinde, à nullo eorum qui ante annum hunc Chriſtianum, quo iſta ſcribimus, 1650. operum iſtorum quocunque modo meminerunt, duos illorum Auctores diſtinctè tradi; quin potiùs ad vnum communiter ab omnibus referri omnia. Incipiamus à Gotteſchalco. Is cùm ab vno Lupo ſibi fuiſſe reſponſum clarè edicat, ea tamen cautela, neutri vt parti plenè ſit ſatisfactum, Lupum auctorem libelli De Tribus quæſtionibus abſque dubio ſignificat, ea ratione qua primo explicatum eſt libro. Ceteros libellos aut habuit ignotos; aut neglexit hoſpes Altiuillarenſis carceris. Qui verò eadem tempeſtate in ea quæſtione, tanta animorum contentione verſati ſunt, neque Lupi nomen, neque illius tractatum, quod per mihi mirum ſemper fuit, vnquam nominarunt. Epiſtolarius autem ille Lugdunenſis, aut multùm fallor, aut arauit in eius vitula, cùm credibile ſit poſt Lupum ſcripſiſſe, neque laudandi occaſio defuit, ſed voluntas. Ab eo tempore, nulla eſt, quod equidem ſciam, Lupi memoria, ad vndecimum ſeculum, quo Sigebertus Gemblacenſis hæc de eius libello. *Lupus Seruatus librum compoſuit De Tribus quæſtionibus, id eſt, de libero arbitrio, de Prædeſtinatione bonorum & malorum, de Sanguinis Chriſti quadam ſuperflua taxatione vel redemptione, vſque ad ſalutem impiorum. Nam ſuper hac re orta eſt quædam fidei turbatio anno Domini octingenteſimo quadrageſimo nono*: quo damnatus eſt apud Cariſiacum Gotteſchalcus. Sequutus deinde Trithemius, ſeculo decimo quinto, cùm hæc ad verbum deſcripſiſſet in Catalogo illuſtrium virorum, addit de ſuo. *Alia inſuper nonnulla edidit, ſed ad meam notitiam non venerunt.* Factus autem doctior alio in opere. *Scripſit*, inquit, *nonnulla ingenij ſui opuſcula, de quibus ad meam notitiam pauciſſima peruenerunt. Extat eius volumen De Tribus quæſtionibus lib. 1. & quædam Epiſtolæ, nec non & alia.* Has ego Epiſtolas interpretor paucas aliquas, & fortaſſe duas illas, quæ tertium & quartum opuſculum conficiunt, cum paucis aliis. Nam iuſtum illud Epiſtolarum volumen ad diuerſos variis de negotiis, quod Papyrius Maſſonus primus edidit, *quaſdam Epiſtolas* vocare non debuit Trithemius, neque ſic vnquam loquitur. Ex hoc vno Epiſtolarum libro, Lupum Abbatem notum habent Bellarminus, & Baronius; ab aliis recentibus Chronologis, Genebrardo, Gualtero, Gordono, ne appellatur quidem. Aubertus Miræus Sigeberti commentator, vt antè notauimus, ſcriptorem vnum agnoſcit, cum Sigeberto, ſed malè cum Trithemio non diſtinguit ab alio Seruato Lupo. Quæ ſit Antonij Grimbert, & Sirmondi ſententia iam diximus.

Vni auctori à veteribus tribuuntur omnia.

Gotteſchal. epiſt. ad Rattamn.

Sigebert. de ſcript. Eccl. c. 93.

Trithem. l. de vir. illuſtr.

Idem. l de ſcript. Eccleſ.

Bellarm de ſcript. Eccleſ. ſec. 9. Baron. Tom. 10.

Addendum tamen ſingula opuſcula apud ipſos variè inſcribi. Grimbertus enim ſic incipit. *Seruati Lupi Preſbyteri, & Abbatis ordinis S. Benedicti. In librum quem De Tribus quæſtionibus compoſuit, Præfatio.* Editoris, vt apparet, additamentum iſtud eſt. Simpliciùs Sirmondus. *Seruati Lupi Preſbyteri De Tribus quæſtionibus liber.* Trithemium olet titulus ille, *Preſbyteri.* Sequitur in Sirmondo *Seruati Lupi Collectaneum De Tribus quæſtionibus.* In Grimberto ad extremum ponitur, *Collectaneum Seruati Lupi Abbatis De Tribus quæſtionibus.* Notat tamen manu ſua Sirmondus, in Corbeienſi Codice, poſt Epiſtolã ad Regem, ſequi ſine titulo. *Multis laudabiliter*. &c. Quod eſt initiũ Collectanei; quod ad eum ad hanc formam cum epiſtola mittere potuit Lupus, qui ſuam opinionem Regi placere cuperet. Tertia igitur ordine apud Sirmondum eſt, *Seruati Lupi ad Carolum Caluum*

Seruati Lupi nomen ſingulis opuſculis præſcriptum.

Regem Epistola. Et inscriptio præfixa. *Domino Glorioso Regi Carolo sincere fidelis Lupus*. Notat & hic in Corbeiensi Codice, ita conceptum titulum. *Incipit libellus Lupi Seruati de Prædestinatione ad Carolum Regem*. In Grimberti editione sic legimus. *Eiusdem Lupi Seruati ad Dominum Regem Epistola*, & inscriptio in ipso Epistolæ corpore describitur, vt in omnibus Lupi Ferrariensis Epistolis factum videmus. Vltimi opusculi prospectus hic est apud Sirmondũ. *Seruati Lupi Epistola ad Hincmarum Remensem*, & salutatio eodem modo extra textũ Epistolæ. Apud Grimbertum autem, *Epistola Lupi Seruati Abbatis ad B. Hincmarum Remensem Archiepiscopum*. Et prima compellatio eadem ratione in textu Epistolæ. Quæ errore Typographico sic incipit, *Sacramenti mihi diu multùmque*: quem mirum est à vidente Dissertatore non corrigi, vt reponeret *Scrutanti mihi*: qui longè grauiorem mutationem in eum locum inducit, mox declarandam.

§. I.

Opusculorum istorum Editio postrema non satis fideliter curata.

In editione Dissertatoris aliqua notantur. MERETVR enim obseruationem tertiam singularis eius editio, & inscriptionum ab aliis diuersarum exquisita curiositas. Ad editionem quod pertinet, bis factam dicere possumus libelli De Tribus quæstionibus, quem cùm Tomo 2. hoc est, in Dissertatione ipsa, penè ad verbum descripserit, tanquam vnicum doctrinæ Catholicæ thesaurum, & nobile de prostrata parte Hincmari trophæum; nihilominus Tomo 1. continenti oratione iterum repræsentat, nósque vult intelligere sua *cura & studio* duo prima opusculorum à se primò vitæ esse restituta. *Vtrumque autem opusculum*, inquit, *tam libellum, quàm Collectaneum, nunquam antehac excusum, in publicum proferimus, ex duplici perantiquo manuscripto Codice*. (*Dissert. c. 16. cit.*) Non dico quid ipsi hac in re negotij, priuatim cum Sirmondo intercesserit. (*Contradictio editoris.*) Ad marginem tantùm oculos reflecto, *Iam excusum ex Manuscripto Codice S. Amandi*, videlicet ab Antonio Grimbert. Cùm in textu ipso dixisset antea, libellum De Tribus quæstionibus *extare iam excusum ex Manuscripto Codice S. Amandi in Pabula*. (*Ibid. c. 15.*) Et inferiùs excusans proliziorem eius operis citationem, *quia*, inquit, *non adhuc in lucem prodiit hic libellus*, & ad marginem, *Iam excusus extat ex Manuscripto Codice S. Amandi in Pabula*. Istud ipsum fusiùs docet Tomo 1. Præfatione ad lectorem, de vtroque Lupo: vt nulla probabilis ratio nobis appareat, quamobrem toties contradictione professâ se maluerit implicare, quàm è textu suo tria verba delere. (*Opusculum quartum præposterè collocatum. Tom. 1. pag. 19.*) In eadem editione spectandum est, Epistolam ad Hincmarum, cuius tota in Dissertatione nulla fit mentio, extra opuscula alia, Tomo 1. perquam aliena sede, inter Gotteschalci Confessiones, & Sermonem Flori Magistri, non collocari, sed intrudi: vt intelligamus non esse disposita simul & semel omnia, sed extructum esse opus per vices, prout materies ædificio idonea ministrata, & cognita est.

(*Opusculorũ Tituli à Dissertatore ad arbitriũ mutati.*) Sed de vmbra contendere mihi videor, dum oculos ad se rapiunt notatæ litteris vncialibus inscriptiones, libellis singulis magna *cura, & studio* attributæ. Deus sancte! Quid hoc rei? Nihil hîc prioribus simile video, qui quanquam voce aliqua differant, in vno tamen Seruati Lupi nomine probè conueniunt. Obiecimus frequenter, ab hoc Auctore sic historiam fabricari, vt non semper ex rebus gestis constet, sed ex iis, quas ita gestas esse, proposito ipsius conducat. Eius fraudis nobile habes in manibus exemplum. Nam eius animo penitùs sedet non vni, sed duobus Lupis opuscula quatuor addicere. Sed repugnant tituli ab antiquo recepti, quibus omnia sub vno nomine censentur: quo facto vni tantùm Lupo concedi ab aliis simul omnia non ignorat, sed clarissimè peruidet, qui præcisè scribit, *obseruandum, licèt in vtroque Manuscripto Codice Titulus præ se ferat nomen Lupi Seruati, vel Seruati Lupi, ne minimum tamen subesse posse dubium, geminum hóc opusculum*, (De Tribus quæstionibus Collectaneum, & Epistolam ad Carolum Regem) *germanum & legitimum esse fœtum, non Lupi Seruati Moguntinæ Ecclesiæ Presbyteri, sed Lupi Abbatis Ferrariensis in Prouincia Senonensi*. (*Dissert. c. 16. cit.*) De illa certitudine, nullo auctore asserta, cui *ne minimum dubium subesse potest*, paulò pòst dicetur: id nunc annoto, fateri aduersarium quod antea negauerat, in Codicibus Manuscriptis Seruati Lupi nomen præfigi. Ad hæc autem quid ipse? Non quod factum oculis videt, sed quod fieri cupit, excogitat, & historiam sibi, non se historiæ subiicit. Sic enim titulos opusculorum omnium minerua sua, spreta auctoritate præcedentium manuscriptorum architectatur. (*Libell. De Tribus quæstion.*) *Lupi Seruati Moguntini Presbyteri De Tribus quæstionibus*. Moguntinum esse nemo vnquam dixit, non ipse eius auctor & notor Trithemius: libellum hunc nemo vnus præcedentium omnium sic inscripsit: sed id nisi fiat, quomodo Lupi duo scripsisse dicentur? Quicquid ergo veteres omnes dixerint, placet modò ita titulum confingere; quia deliberatum est opuscula ista in Lupos duos distribuere. Prudenter sanè: Pergamus. (*Collectan. De Tribus quæst.*) *Collectaneum B. Lupi Abbatis Ferrariensis ordinis S. Benedicti De Tribus quæstionibus*. Paucis verbis triplex nouitas inducta. *Beatum Lupum* quis hactenus fecit? quis Pontifex nominauit? Quod accepit Martyrologium? *Seruati* prænomen qua auctoritate obliterat, quod apud Manuscriptos Codices legi fatetur? Periculum scilicet est, ne cum Moguntinensi confundatur, cui soli Seruato esse licet: seruiat igitur oportet historia, distinctionis consilio. *Abbatem* dixit Grimbertus, at sequentia non addidit, licèt omnino velit significata. Modestè ille quæ scripta non reperit, tacuit, quanquam ad sensum suum facerent: hic magnificè laciniam illam traxit, quia Collectaneum Lupo Ferrariensi iubet attribui. Sic instituto Titulum accommodat, non Titulo institutum; Perperam sanè, siquidem Collectaneum, libelli superioris fratrem esse germanum, eodem patre genitum, facilè credetur inferiùs. Iam ad Epistolas. (*Epist. ad Carol. Reg.*) *B. Lupi Abbatis apud Ferrariam Monasterium ordinis S. Benedicti Epistola, seu libellus ad Regem Carolum Caluum*. Eadem quæ in superiori Pontificis laïci Beatificatio, verbositas maior, duplicis lectionis in vnam coagmentatio, quod nulla Critice legitimum censuerit. (*Epist. ad Hincm. Rem.*) *B. Lupi Abbatis Ferrariensis ordinis S. Benedicti Epistola de Prædestinatione ad Hincmarum Remensem Archi-*

episcopum. Titulus epistolio pene æqualis, grandia quædam promittit, cùm nihil de re tanta dici possit exsuccum magis, & exsangue. Rides hîc, Lector, Beati Titulum ereptum Hincmaro, ad Lupum transferri. Neque nescis à Grimberto rerum Monasticarum haud paulò peritiore, quàm esse debeat Iudex monetarius, Hincmarum *Beati*, & *Sancti* prænomine, in Præfatione sæpius honorari. Qua de canonizatione viderint Pontifices; silentio tamen illam obrui, Dissertationis vniuersæ plurimùm intererat, ne tota duorum Tomorum moles, inauspicato illo nomine destrueretur. Nam si Beatus est Hincmarus, profectò miser & miserabilis est Gotteschalcus. Si sanctus Hincmarus, non crudelis tyrannus, non Pharao induratus, non hæreticus: ergo hæreticus, excommunicatus, impœnitens Gotteschalcus, non sanctus & martyr. Porro leuissimæ huic Epistolæ præfationem præponit, vt moneat scriptam anno 849. qui fuit annus flagellati Gotteschalci, *ad consultationem Hincmari*, postquam is *censuram passus est à Ratramno Corbeiensi*, de qua in Epistola Rabani: quæ omnia prudens lector ad libros de Diuinatione remittet.

Hincmarus Beatus, & Sanctus inscriptus.

Quare in vltima obseruatione, statum quæstionis ex antedictis eminentem, pono in vnico libello De Tribus quæstionibus, cum vnico aduersario Dissertatore. Nam cùm hactenus scriptores omnes, qui Lupum inter Auctores recensuerunt, vni homini, non duobus opuscula hæc de Prædestinatione donauerint; cùm omnes Seruatum Lupum, sine alterius distinctione, qui tantùm Lupus dictus fuerit, appellarint; cùm doceat Dissertator opuscula tria, Collectaneum videlicet, & Epistolas duas ad Carolum Regem, & ad Hincmarum, vnius esse Lupi Ferrariensis lucubrationes; non potest nisi de libello De Tribus quæstionibus, qui *tractatus pulcherrimus* à Trithemio dicitur, quæstio esse, cum eo qui distractum ab aliis, alteri Lupo, qui Moguntinæ Synodo interfuit, assignandum esse disputat. Nos autem cum aliis, Ferrariensi Abbati restituimus, neque patimur, vt anno Iubilæo, quo agri, & vineta ad pristinos dominos redibant, de legitima & antiqua possessione Lupus Abbas deiiciatur, à Præside Monetario, cui herciscundæ hæreditatis cognitio nullo iure competit.

Solus liber de Tribus quæstionibus Lupo Ferrariensi detrahitur à Dissertatore.

§. II.

Libellum De Tribus quæstionibus Seruato Lupo Abbati Ferrariensi assignandum esse rationibus monstratur.

EX præuiis hisce notationibus, nemo prudens non intelligat, quod in titulo professi sumus, vni Ferrariensi Lupo deberi tractatus omnes quatuor; quia tamen eæ ad pleniorem confirmationem viam sternunt tantummodo, & rationibus contraria probare se putat aduersarius, ad eas nobis quoque progrediendum est: maximè cùm de eius armamentario eruantur. Sunt enim hæc illius opinionis firmamenta. 1. *Libellum De Tribus quæstionibus esse Lupi Seruati Moguntinensis Presbyteri testes sunt Sigebertus & Trithemius*, verbis quæ iam antè protulimus, in quibus *Moguntinensis* nunquam legitur, sed *Presbyter* absque addito. 2. Quod *nulla subesse potuit ratio, in eadem controuersia sæpius, & tam variè scribendi*. Quo argumento conficere debet, Lupum Ferrariensem, cui tria assignat opuscula, quartum non potuisse componere. 3. Hæc opuscula duo (Collectaneum scilicet, & Epistolam ad Carolum) diuersi auctoris esse, ab eo qui libellum scripsit De Tribus quæstionibus, *& stili, & ordinis quæstionum, imo etiam sententiarum arguit diuersitas. Maximè vbi de sanguine Christi agitur, auctor* de Tribus quæstionibus *pro solis electis*, Collectanei verò *pro omnibus fidelibus effusum constanter asserit. Ioannem Chrysostomum aliter sentientem, ille laudat, hic non audiendum decernit.* 4. *Quin etiam non eadem scripturæ versione vsi sunt auctores illi: vt patet ex famoso illo Apostoli testimonio Rom. 9. vers. 22. & 23. Quod ille ex versione, qua vsus est S. Augustinus; hic autem ex diuersa, communi scilicet, retulit. Item vterque celeberrimum Cælestini Papæ de S. Augustino testimonium diuersa lectione refert.* Ex quibus manifestum est eundem vtriusque scripti auctorem dici non posse; atque adeo libellum De Tribus quæstionibus Seruato Lupo, Collectaneum cum Epistolis, Lupo Ferrariensi debere donari. Pluribus deinde monstrat efficaciter Epistolam ad Carolum Regem à Lupo Ferrariensi profectam esse, quod nos in dubium nunquam reuocauimus.

Argumenta quibus opinionem suã probat Dissertator.

Tom. 1. Præfat. de vtroque Lupo.

Ego verò contrariam opinionem iamdudum professus, positis iis quæ cum Trithemio superiùs disputata sunt, eam oppositis rationibus ita confirmo. 1. Certum mihi est, libellum De Tribus quæstionibus, non esse Lupi eius, qui Moguntinæ Synodo interfuit; ad Ferrariensem ergo referendus est. Semper enim visum fuit incredibile, ab eo qui turbas à Gotteschalco in Germania concitatas præsens ipse vidisset, omissam Germaniæ mentionem, cùm Italiam & Galliam turbatas nominauit: ab eo qui Gotteschalcum *fortissima disputatione coram omnibus qui aderant* in Synodo *manifestè vicisset*, editum fuisse librum, quo Gotteschalci opiniones, vt putat Dissertator aduersarius, propugnarentur: ab eo qui Moguntinensis esset Presbyter, Rabano subditus, imò *familiaris & amicissimus*, vt loquitur idem disputator, opus fuisse compositum contra Rabani, & Synodi vniuersæ sensa, illúdque confidenter publicatum, postquam à Rabano ipso accepisset in Gallia turbari à Gotteschalco: ab illo demum *venerabili Presbytero*, qui summa esset familiaritate cum Rabano coniunctus, susceptum munus, quod Episcopalis potiùs esset officij, vt *harum rerum qui per se non possent, per ipsum fierent certiores*. Quarum rerum? Quæ gestæ essent in Synodo? Quis eas ignorare potuit Moguntiæ, vel in tota Germania, vnde ad Synodum conuenerant trium Prouinciarum Episcopi? Quæstionum agitatarum? at de doctrina vel nihil, vel leuissimè tractatum esse, disputat aduersarius: & si est actum, ab Episcopo qui Synodicam scripsit, an à Presbytero simplice conuenit absentes edoceri? Hoc sibi arrogare ausus est vir aliàs modestus, citra Episcopi consensum, contra sententiam? Opinionem, quæ vltrò citróque inter Theologos Catholicos disceptatur, damnare absolutè, & *præclara præsulum lumina* perstringere non est veritus, *tametsi sint*, inquiens, *in aliis magnæ auctoritatis, in hac sententia non sunt penitus audiendi*. Sic egisse *venerabilem Presbyterum* aduersus Episcopum suum, Rabanum illum Theologorum sua tem-

Vera sententia, eiúsque prima probatio.

Seruatus Lupus Presbyter Germanus, non est auctor libri de tribus quæstionibus

Trithem. in Chron. cit.

Maximè secundùm dicta Dissertatoris.

Dissert. c. 2

Seruat. Lup. l. de 3. quæst. n. 27.

pestate coryphæum, cui præterea *familiaris & amicissimus* esset, equidem mihi persuadere non possum: atque hac prima ratione fateor me ab ea sententia dimoueri. Quantò enim fuerit tolerabilius, si de Episcopis non suæ diœceseos, & quibus subditus non sit, illa Ferrariensis Lupus dicere censeatur?

Obiectio. Licuerit, inquies, de Hincmaro: fuit enim Lupus in aula, non aulicus assentator: sed eadem immodestia peccare in Rabanum magistrum suum vir modestissimus dici non potest. Quamuis ergo in philosophicis Theologicisque rebus, vt Presbyterum ab Episcopo suo, sic discipulum à Magistro dissentire posse concedatur: tamen traditam olim sibi opinionem à præceptore, cum contumelia, & acerbitate verborum, reiici à Lupo Ferrariensi, non possum ab animo meo impetrare vt credam. Qui sic ergo sentit & loquitur de Rabano, non est eius alumnus Abbas Gallus, sed verosimilius Germanus Presbyter. His ego satisfacio: si producta verba contumeliam interpretari malumus, quàm disputantis ardorem, neutri Lupo satis conuenire: non Germano, quia Rabani subditus fuit & amicus: non Gallo, quia eiusdem discipulus. Verùm illa in mitiorem partem si accipimus, de Abbate nostro id aio, potuisse liberè opinionem Rabani deserere, quam in Gemina prædestinatione neganda, cautè & verecundè prodebat Archiepiscopus, cùm de Prudentio diceret, *quia hoc nusquam in sacris litteris ita mixtim positum inueni, eius traditionibus adsentire non acquiesco.* Ac fortasse cùm liber ille scriberetur, è viuis Rabanus excesserat; quo tempore liberiora sunt discipulorum de sententiis sibi traditis iudicia, cùm se propriè tum magistros fieri arbitrentur. Nam ad dominum migrauit Moguntinus anno 856. Auctor autem libri De tribus quæstionibus, non significat se, vt credit Dissertator, anno 49. scribere, sed tantùm, eo anno turbatum esse in Italia & Gallia inauditis quibusdam quæstionibus, cùm Ecclesia in pace ageret, quam ei Saluator reliquerat. Quòd si diligentiùs attendimus, non initia disputationis liber iste, sed æstum & rixas indicat, concalfactis animis, & ad discordiam tendentibus. Quod non malè ista declarant. *Ne puerili animositate contra inuicem pro inani gloria iactantia litigantes corripiamur ab Apostolo.* Et alibi. *Verùm hoc quidam velut blasphemum, vehementer execrantur & damnant.* Et paulò pòst. *Verùm ne me irridendum, & respuendum pronuncient.* Si quis autem affirmatè dixerit, post Capitula Carisiaca, & Prudentij contradictionem in ordinatione Æneæ propositam, in ipso feruore controuersiæ, magni nominis Abbatem ad componenda dissidia librum hunc elucubrasse, quis falsi conuincet? quibus argumentis de illa opinione deiiciet?

Responsio.

Raban. epist. ad Hincm.

Liber hic non est scriptus an. 849

L. de tribus quæst. q. 2.

Ibid. q. 3.

2. Probatio. Ferrariensi plures fuisse causas scribendi. Secunda ratio ad Seruatum Lupum Ferrariensem propiùs accedit in hunc modum. Cùm diuersæ appareant causæ in eadem controuersia sæpius, & variè scribendi, admodum probabile mihi est, libellum hunc de Tribus quæstionibus, qui solus in quæstione est, non minùs quàm ceteros, quorum pater dubius non est, à Lupo Ferrariensi fuisse conscriptum. Nam super iis quæstionibus consultus à Gotteschalco, debuit respondere: quod fecit breuiore scripto, magno iudicio, neutram in partem propendens ex toto, vt primo libro vidimus. Post eius condemnationem, aucti tumultus augendi tractatus occasionem dederunt. Vt omnibus copiosè & accuratè ediceret, quod vnum priuatim edocuerat. Inde opusculum de Tribus quæstionibus. In quo cùm leui manu veterum Patrum testimonia libasset, & multa prætermisisset, desiderantibus studiosis plura, ex ipsis auctorum verbis, pro more seculi, discere, Collectaneum compegit, *vt & piè quærentium eruditio caperet incrementum, & diuersa sentientium contradictio mitigaretur.* Quod cùm Remenses nonnulli, ardentiores quàm eruditiores parum probarent, quòd Geminam prædestinationem, & Christum non pro omnibus passum assereret; spargeréntque in vulgus, ipsum *de Deo non piè fideliterque sentire*: quidam etiam suspicari se dicerent, superiora ab eo scripta esse, *inaniter, hoc est, vanæ gloriæ studio*, quo cuperet *innotescere*; coactus est ad Carolum Regem, quicum dudum in vrbe Biturigum, de Tribus illis quæstionibus *strictim* egerat, sententiam suam perscribere. Et quoniam illis in partibus primas tenebant Hincmarus, & Pardulus, visum postremò est inter eos tumultus, breuissimè de gemina prædestinatione, quæ potissimùm agitabatur, magna cum sinceritate, salua semper amicitia, sensa animi sui illis aperire. Quæ omnia tam commodè de Lupo Ferrariensi narrantur, quàm importunè ad Lupum alium torquentur. Collectaneo certè cum libello de Tribus quæstionibus, tanta intercedit necessitudo, vt nescio cui mediocriter eruditos oculos habenti persuasurus sit Dissertator, in duos scriptores vtrunque opus debere diuidi; & Lupum Ferrariensem, ab ea testimoniorum congerie disputationis illius campum ingredi voluisse.

Collectan. Præfat.

Quæris quamobrem tam multa vnus de controuersia scripserit? Ego cur tam pauca Lupus? & in eo religiosissimi Abbatis singularem laudo amplectórque modestiam. Nam fuisse importuniùs lacessitum, lancinatum, punctum à crabronibus, & vt loquitur, à *mordaciter querulis* ostendunt, non tantùm quæ modò referebamus, sed etiam ista commotioris aliquantùm stomachi. *Nec docto viro (Isidoro) verbi calumniam vlteriùs, nisi contentione impudentissima commouebunt: à qua tamen vt tandem aliquando conquiescant, & docturi, priùs ad doctores accedant, docendi non indicaturi, recenseant sententiam Dei*, &c. In his autem ingeniorum contentionibus, cùm illi quorum etiam minimùm interest, quósque vitæ, aut studiorum suscepta ratio procul ab iis submouet, non rarò se videri velint, & in eas intrudant, non coacti, non rogati, vt nouit Dissertator Præses Monetalis Amplissimus; si qui semel probabili ex causa in eos se fluctus coniecerunt, abstinere non possunt, quin illos assiduè voluant, reuoluántque, agitent agitati, opportunè importunè disputent, amicos partium suarum doceant, moneant, hortentur, incitent. Hincmarum vide & Prudentium in illa controuersia; vt & his temporibus, tot lembos & myoparones è Portu identidem soluentes, & easdem semper merces huc illuc circumferentes; cùm æquius putent Regioportuenses sodales repetitionibus suis fastidium, quàm contemptum silentio generare. Lupus

Lupus Ferrar. lacessitus ab aduersariis.

Ibid. q. 1.

autem Ferrarienſis, & pulſatus à Gotteſchalco, & prouocatus ab æmulis, & rogatus à Rege, quod neceſſitati putauit ſatis eſſe, hoc temperatè reſpondit, præterea nihil; neque in grandi Epiſtolarum numero, vlla occaſione, vel per vmbram, quæſtionum illarum meminiſſe voluit, non ad Gotteſchalcum ſcribens, non ad Hincmarum, ad Ratramnum & Pardulum, ad Prudentium, & Guenilonem, aut ad Regem ipſum Carolum. Quod certo indicio eſt, deliberata mente, & obſtinato animi propoſito, quantùm quidem per famæ conſeruationem licuit, vitaſſe contentionum ſcopulos, nec niſi æmulorum obtrectationibus coactum, ad eos appuliſſe potiùs, quàm alliſiſſe.

3. Probatio, ſtili vbique ſimilitudo.

Tertia ſententiæ noſtræ confirmatio, Lupum Ferrarienſem omnino tangit, & eos aduocat iudices, quibus ex iuſto Epiſtolarum volumine notus eſt; quòd libellus De Tribus quæſtionibus, Ferrarienſis Abbatis ſtilum manifeſtè redoleat; quódque idem libellus, cum ceteris opuſculis, & omnia inuicem, ſtilo, ſententiis, verbis etiam ſæpe conueniant. De ſententiis ſequenti ſectione dicetur: Stilum & verba hîc conſidero, & laudatiſſimum tractatum De Tribus quæſtionibus, confero primùm cum ſtilo Ferrarienſis Lupi, quem exhibent Epiſtolæ ad Altuinum Monachum Senonenſem, quas qui legerit, non aliò referet Grammaticam obſeruationem rebus ſeriis immixtam.

L. de 3. quæſt. q. 2. n. 35.

In eadem ſententia, inquit, *ſtudioſi qui cultu orationis plurimùm delectantur, recognoſcant licet, non eloquentiæ nitorem ſolùm, ſed etiam clauſulam numeroſè cadentem.* Et mox. *Quod vtiliter ampliſſimus orator Tullius, ſuo propoſito ſubtiliter monſtrat exemplo.* Atque iam antea Tullij Virgiliíque dicta laudauerat, planè ad morem Abbatis Lupi, & Priſcianum *in ſuo mirabili de Grammatica opere*, citauerat;

Ibid. n. 32. & q. 1. n. 21.

In quibus cui Lupus non olet, is muccoſis naribus eſt. Mihi certè, cùm primùm in hoc opus incidi, nondum perſpecta controuerſia, nihil vnquam magis quàm ſtilus Abbatis occurrit; vt illud ipſum in ſchedas ſtatim coniecerim. Qui iiſdem in Epiſtolis viderit, quàm grato animo Dei gratiam excipiat, in reddenda ſanitate, oculos reflectet ad huius opuſculi præfationem.

Lupus Ferrar. ep. 20.

Exuberante circa me, vt ſemper & in omnibus, diuina gratia. Et poſt pauca. *Fauente Dei clementia, firmiſſima fruor quiete.* Et nobilius iſtud ad

Idem ep. 41.

Immonem *Velim credatis me hactenus id agere, vt quod Deus me fecit, quódque ſuis beneficiis donauit, totum eius gratiæ aſſignem, & vt ea in me conſeruans amplificet, ſummis precibus flagitem.* Qui Auguſtinum, aliàs quidem magnificè, ſed Epiſtola ad Gotteſchalcum, de orationis perſpicuitate laudatum meminerit.

Idem ep. 30.

Hactenus quid hæc verba obſcuritatis pariant non video, quippe clariſſimus, auctórque diuinæ auctoritatis obſeruantiſſimus, &c. Ad iſta libelli, mentem reuocabit,

L. de 3. quæſt. q. 1. n. 24.

Ipſe Auguſtinus, quem neſcias vtrum rerum inuentione magis, an dicendi facilitate mireris, &c. *Omnia verò vt mea fert opinio, quanquam ſint clariſſima & vtiliſſima*, &c. His ac ſimilibus dictis vtrobique Lupi Abbatis veſtigia non ægrè deprehendet, qui ad eius lectionem mediocre *ingenium* afferet.

Iiſdem pene verbis eadē ſententia vbi; prolata.

Eundem quoque librum De Tribus quæſtionibus, ceteris opuſculis, quæ indubiè Lupi Ferrarienſis eſſe agnoſcuntur, accenſeri ob ſtili æqualitatem debere, oculi ipſi loquuntur. Vbique enim ductum initium ab Adamo, quem Deus rectum fecerat: vitiatum eius peccato liberum arbitrium, eodem vbiq; modo explicatum, in Tribus quidem quæſtionibus copioſiore Theologia, in aliis neruoſiore, vt & contractiore: Addito etiam breui D. Ambroſij dicto, *Fuit Adam, & in eo fuimus omnes: periit Adam, & in illo omnes perierunt.* Et periit *ſponte, nullo cogente, abſque nulla neceſſitate:* Sic enim vbique ruina illa notatur. Inde in omnibus eius vitiata natura eſt *ex vtroque ſexu progenitis: in ſe omnes vtroque ſexu natos condemnauit: omnes eum ipſo duntaxat vtroque ſexu progeniti conditionis dignitatem amiſimus.* Ex eo tempore poteſt homo ſi velit *vel ſubtrahendo ſibi cibum, ſe perimere; peremptum autem non poteſt viuificare, nec ſeipſum poterit reſuſcitare, cùm occiderit. Ita potuit homo voluntate delinquens vſum in bono liberi arbitrij perdere; ſed id etiamſi velit non poteſt ſuis viribus reſumere. Cano peccati nos, etiamſi volumus expedire non poſſumus, vt reſurgamus.* Eſt-ne aqua aquæ, ouum ouo tam ſimile, quàm iſta inter ſe? Prædeſtinationem autem quomodo explicant omnes illi libelli? Prædeſtinatos ad gloriam, Dei gratia & miſericordia eligi, ceteros *iuſto iudicio, quanquam rectiſſimo in damnatione debita relinqui.* Vt in libello Trium quæſt. habetur. *Ante conſtitutionem mundi*, ait Epiſtola ad Carolum, *elegit ex ea* (maſſa generis humani corrupta) *quos à debita pœna per gratiam liberaret: ceteros autem quibus non hanc gratiam miſericordia impendit, in damnatione, quam ipſi meruerant iuſto iudicio dereliquit. Et ſic in vtriſque*, ait Collectaneum, *creationis bonum ſemper nobis conſtabit, & vel in aſſumptis miſericordia, vel in relictis iuſtitia eminebit.* Sic mali etiam dicuntur Prædeſtinati ad pœnam; hoc eſt, *in meritò damnata maſſa iudicio relicti, non liberati à perditione per gratiam.* Non tamen impellit in perditionem: & *prædeſtinauit non ad ſupplicium impellendo, ſed à peccato, quod meretur ſupplicium, non retrahendo.* Nam *quos rectos origine condidit, voluntas propria vitiauit; quos non liberat clementia, ſic punit iudicio, vt non ipſe, ſed ipſi conuincantur ſuæ damnationis auctores.* Ita, *quem vult indurat, hoc eſt, in propria duritia derelinquit: quemadmodum indurauit cor Pharaonis, non ad culpam cogendo, ſed gratia emollitum à peccato non retrahendo.* Neque aliter alibi: *Indurat illos quos per gratiam non emollit. Illi verò quos indurat, id eſt, non emollit, qui in damnatione relinquuntur, dicuntur vaſa in contumeliam. Hos B. Auguſtinus non dubitat dicere prædeſtinatos ad pœnam.* Idque multis in libris, qui & in Tribus quæſtionibus, & in Collectaneo fusè citantur. Communiter autem Prædeſtinatianorum vim cogentem reiiciunt omnes. *Non intelligens fatalem perituroruns neceſſitatem, ſed immutabilē relictorum deſertionem. Nemo enim opinetur aut iuſtis aut reprobis prædeſtinationis veritate fatalem neceſſitatem induci; cùm in vtriſque ſuſpicionem neceſſitatis libertas voluntatis excludat.* Non enim *vt hoc eis Deus tam magnum beneficium non conferat, fatali neceſſitate prohibetur, neque vt aliis conferat, perſonarum acceptione mutatur.* Nimirum præſcit Deus *quæcunque aut facturus eſt, aut permiſſurus, vtraque nulla neceſſitate;*

Collect. q. 1. pag. 45. epiſt. ad Carol. p. 37. ad Hincm. 19.
L. de 3. quæſt. q. 1. p. 16. Ep. ad Car. p. 37. ad Hincm. p. 19.
Epiſt. ad Car. p. 38. Collect. q. 2. p. 52. I. de 3. quæſt. q. 1. n. 9. pag. 17.
L. de Trib. quæſt. q. 1. p. 24.
Epiſt. ad Car. p. 38.
Collect. q. 1. p. 45.
Collect. q. 1. p. 4..
Epiſt. ad Hincm. p. 19.
L. de Trib. quæſt. q. 2. p. 29.
Epiſt. ad Hincm. p. 20.
Epiſt. ad Car. p. 38.
Ibid. p. 38.
Epiſt. ad Hincm. p. 20.
Collect. q. 1. p. 45. ex Auguſt.
L. de Trib. quæſt. q. 2. p. 27.

altera, communione iniustitiæ nulla. Denique eodem modo tertia quæstio de redemptione electorum tractatur. Neque omittendum in libello de Tribus quæstionibus, & in Collectaneo, priùs Augustinum laudari, quàm ex Enchiridio citetur caput 100. *Hæc sunt magna opera Domini.* Priùs item ex Cælestino Papa laudari Augustinum, quàm citetur. Et Ioannem Chrysostomum pro contraria sententia vtrobique produci. Et in Collectaneo & Epistola ad Carolum Regem, Fausti Reiensis, cum encomio Gelasij Pontificis, damnationem recitari. De quo breuiter alibi auctor idem, eius librum sibi concedi postulans. *Faustum dirigi postulaui, non quem refellit Augustinus, sed quem notat in decretis Gelasius.* Ceterum hæc scribit auctor *anxiè diùque scrutatus*, cùm amplius non ageret *Ecclesia in pace, quam ei reliquit Saluator.* Et disputare placet *scrutanti diu multùmque de Prædestinatione de qua in pace*, inquit, *in qua vocati sumus à Deo, quærimus & deliberamus, quid probabiliter esset sentiendum.* Aut etiam *quid clarissimi tractatores, & defensores inuictissimi, super memoratis quæstionibus sensissent.* Quo explicato audet concludere. *Hanc fidem quam expressi in supradictis quæstionibus, tenuerunt Ecclesiæ Catholicæ inuictissimi defensores.* Tota denique dissertatio viri moderatissimi, omni ex parte tendit ad pacem & concordiam. Nam aliquando liberum relinquit, vt *eligat vnusquisque quod optimum ei Deus occulta inspiratione suggesserit; aut magistra eius scriptura manifesta ratione prætulerit.* Aliàs doctiorum sensui opiniones suas subiicit, *propter alia etiam negotia Ecclesiastica*, inquit ad Carolum, *euocatis ad conuentum doctioribus, quibus quid rectè, perperam-ve sentiam, subtilior plurium tractatus poterit inuenire.* Imò ab Hincmaro ipso doceri postulat, si quid errat. *Ego quod sentio simpliciter vobis aperui; vos interim si in aliquo diuersi estis, ne grauemini reuelare.* Quæ omnia luce meridiana clariùs ostendunt, libellos istos omnes, ne opusculo quidem De Tribus quæstionibus excepto, non alium ab Ferrariensi Abbate Lupo parentem agnoscere.

Ibid. q. 2. p. 31. Collect. q. 1. p. 41.

Collect. q. 3. p. 59. epist. ad Car. p. 40.

Lup. Ferrar. ep. 112.

L. de 3. quæst. Præfat.

Epist. ad Hincm. p. 19.

L. de 3. quæst. Præfat.

Epist. ad Car. pag. 40.

L. de 3. quæst. q. 3. p. 56.

Epist. ad Car. p. 40.

Epist. ad Hincm. p. 20.

§. III.

Obiectiones ex quarundam partium dissimilitudine petitæ soluuntur.

1. *Obiectio de ordine quæstionum*

FRATRES inquam esse, sed in præclara vultus similitudine, lineamentis aliquibus dissimiles. Nam si nulla re differrent, idem essent, non similes. Sic enim natura quotidie filios gignit ita sibi inuicem, & omnes parentibus similes, vt proprium aliquid singuli sibi vendicent, quo distinguantur. Hac in parte momenti plurimum ponit Dissertator ad discernendos auctores, ego ad libros. Quàm enim leue est quod de *ordine quæstionum* obiicit? in Tribus quæstionibus liberi arbitrij explicationem, tractatui de Prædestinatione præponi; ex aduerso in Collectaneo, & in Epistola ad Carolum Regem postponi. Est enim arbitraria illa dispositio, & absque capitali incommodo, articulus alter alteri præfertur, aut posthabetur. Scio equidem non probari Hincmaro transpositionem illam factam à Prudentio, *Conuenientiùs quippe anteponitur illud Capitulum, in quo de Prædestinatione Dei loquitur, quæ ante omnia secula extat & tempora, illi Capitulo, in quo dicitur de libero arbitrio, quod homo in seculo, & in tempore non penitùs, vel in totum perdidit, sed infirmauit.* Hoc fortasse peruidit Lupus, & in posterioribus opusculis, ordinem prioris immutauit. Vt autem Prudentius ordinem Capitulorum Carisiacensium inuertendo, non tamen eadem Capitula non impugnauit: ita Ferrariensis modò liberum arbitrium, modò Prædestinationem in fronte collocando, non ideo ius patrium in vtrunque libellum perdidit.

Hincm. l. de prædest. c. 21.

Maius est in sententiarum varietate pondus, si verè obiicitur. Nam in Tribus quæstionibus pro solis Electis mortuus dicitur Christus: in Collectaneo pro fidelibus omnibus, etiam non electis. Hæc autem diuersa esse, & ab vno homine sapiente proficisci non debere, quis non videt? Ego me illum esse non inuitus profiteor, qui diuersitatem eiusmodi non videam, quæ hæc opuscula in duos auctores cogat diuidere. Quid enim ait libellus de Tribus quæstionibus? Fusum Christi sanguinem pro multis, non pro omnibus: sed illos multos ex omnibus gentibus, & omni hominum genere, conflatos esse; ac ideo dici fusum pro omnibus, ex quibus collecta est Ecclesia, quæ non habet maculam, neque rugam. *Posse tamen probabiliter dici* mortuum esse Christum pro omnibus, qui fidem suscepturi essent, siue electis, siue reprobis. Si verò probetur scripturarum testimoniis Christi sanguinem prodesse aliquid, etiam perditis, *non solum nihil resistere se, verum etiam libenter in eam sententiam transiturum.* Et hac occasione Chrysostomum laudat, de quo postea. Quid porro Collectaneum? Ecclesiam sanguine mediatoris nullum habentis peccatum, ab omni peccato redemptam esse: id est, omnes eos de quibus Apostolus, *pro nobis omnibus tradidit eum.* Postea dedisse animam *pro multis*, hoc est, pro his qui credere voluerint. Omnes quidem vniuersè homines, ac non fideles tantùm, intellectos à Chrysostomo, sed nullo id scripturæ testimonio probatum. Quid in his ita secum pugnat, vt ab vno calamo, diuersis locis, variis occasionibus fluere non possit? Vtrobique pro Ecclesia mortuus est Christus: vtrobique illa Ecclesia ex fidelibus omnibus componitur: & quod illic ex diuinis eloquiis probabile dicitur, hîc vt verum assumitur: hîc scripturæ testimoniis non probari à Chrysostomo dicitur, quod si valeat demonstrari, libenter illic pro vero admittetur. Vide quo iure concludas, ergo ista scribi debuerunt à diuersis.

2. *Obiectio de opinionũ diuersitate.*

Lib. de 3. quæst. q. 3. n. 38. 39.

Idem censet epist. ad Car. Regem p. 40.

Collect. 3. p. 57.

In hoc proposito citatur Chrysostomus. Diuersimodè inquit, ergo à diuersis: nam illum producendo *alter laudat, alter non audiendum decernit.* Hoc primum cogita lector, in vtroque Chrysostomi testimonium proferri, & quidem vnius Chrysostomi, & vnum testimonium Homil. 4. in Epist. ad Hebræos, vt indicat ipse Dissertator. Deinde methodum citandi accipe. In Tribus quæstionibus: *Ponam*, inquit, *vnum quod cum eis facit testimonium, & eos omnes, vt opinor, in gratiam reduxero*: hoc est, nobis qui alia sentimus reconciliauero, *Ioannes Constantinopolitanus doctrina, & sanctitate iuxtà insignis Episcopus*, &c. Quid Collector? *Ioannes tamen*

Chrysostomi citatio in vtroque libello facta.

Chrysost. hom. 4. in epist. ad Hebr.

Lib. de 3. quæst. q. 3. n. 40.

Collect. q. 3. p. 55.

Constantinopolitanus explanans locum illum, &c. *Verùm hanc intelligentiam diuinis non roborauit eloquiis.* Hoc-ne vocas *decernere non audiendum?* An quoties in scriptis non vno modo idem auctor citatur, continuò illorum auctores diuersi requiruntur? Non laudauit Chrysostomum Collector. Esto: igitur falsò operis in quo laudatur, scriptor esse dicitur. Putas ita ratiocinari Collectorem ipsum. Opinionem suam Chrysostomus scripturæ testimoniis non confirmauit, ergo vera non est. Verùm, non ideo laude dignus non est Chrysostomus, quòd eam Collector omiserit: nec ideo Chrysostomi opinio scripturæ & Patrum testimoniis destituta est, quod ea Chrysostomus referre prætermiserit: nec ideo demum vtrunque opus idem Ferrariensis Abbas non composuit, quòd iam in priore laudatum Chrysostomum, in posteriore laudandum non putauerit. Ceterum priusquam hinc pedem efferam, cupio te, Lector, animaduertere, hoc quodcunque tandem discriminis est, in tertia sola quæstione reperiri potuisse: vnde facilè colligas, mirabilem esse in aliis duabus, quæ principem locum tenent, inter duos hosce libellos consensionem.

3. Obiectio de varietate citationũ. Et quando in citationibus versamur, ex illis etiam auctorum diuersitatem probat Dissertator in hunc modum. Scripturæ testimonia illis in libris ex diuersa versione afferuntur, nam Apostoli locum ad Romanos c. 9. alter eadem qua Augustinus versione, alter communi producit. Cælestini etiam Papæ de S. Augustino dictum diuersa lectione refert vterque: ergo duo sint qui sic loquuntur, oportet. Mirum profectò quod nulla profertur ab aduersario differentia, sine similitudine. Non est enim otiosè prætereundum, quòd idem Apostoli dictum, iidem Augustini loci, idem Cælestini de Augustino elogium, idem citandi Augustini modus, videlicet cum præconio, vtroque in opusculo agnoscitur. *Responsio.* Respondeo igitur, nihil in citanda scriptura variis è versionibus, valdè diuersum reperiri. Nam liber De Tribus quæstionibus, Augustini versionem ita sequitur; vt communem expressè loco eodem tradat. (Lib. de 3. quæst. q. 2. n. 33.) *Sed fortè nec ex hoc loco diuersa sentientium sopitur intentio, quia pleraque exemplaria, non, vasa iræ perfecta in perditionem habent; sed vasa iræ apta in interitum: quasi verò propterea non possint vasa iræ prædestinari in perditionem, quòd apta sint in interitum.* Sentiebat verbi calumniam opponi posse, non esse à communi versione discedendum, & suspicionibus obnoxiam inusitatæ lectionis curiositatem videri. Hoc crimen à se vt amoliatur, ad communem versionem redit, & eiusdem cum Augustiniana citatione, roboris esse demonstrat. Et ne quis obex ab illa citatione concordiæ ponatur, in Collectaneo vtranque vsurpat, communem pro se, alteram in Augustino mox supposito. (Collect. q. 1. p. 47.) Epistola quoque ad Carolum *vasa in contumeliam perfecta, vel apta in interitum.* (Epist. ad Carol. p. 38.) Et ad Hincmarum, *vasa iræ perfecta, siue parata, siue apta in interitum.* (Ad Hincm. p. 19.) Est igitur valdè credibile vnius esse auctoris opera, in quibus omnibus curiosa verborum distinctio semper obseruatur, licèt iure suo, modò hanc, modò illam versionem scriptor adhibeat. Idem existimandum de Cælestini Pontificis elogio Augustinum laudantis. Quamuis enim alibi, *inter magistros simpliciter* dicat; alibi, *inter magistros optimos iuxta magis vsitata exemplaria* legat, alius tamen non est, quia receptam quoquo modo lectionem licet vsurpare. (Lib. de 3. quæst. q. 2. art. 33. Collect. Præfat. p. 42.)

Diuersæ versiones citari possunt ab eodem scriptore. Cuius rei exempla in officio Ecclesiastico, (quid enim remotiora conquiram?) quotidie obueniunt. Nam vulgare Matutinarum precum Inuitatorium vide quantùm differat, ab eodem Psalmo, in Nocturnum tertium Epiphaniorum immisso. (Psalm. 94.) Neque Psalmus nonagesimus, qui recitatur in Completorio secundùm communem versionem, eadem ratione Tractum facit in missa Dominicæ primæ Quadragesimalis. (Psalm. 90.) Et Psalmo centesimo primo, quem feria sexta in Matutino legimus, vbi vulgata versio exhibet, *Quia defecerunt sicut fumus dies mei, & ossa mea sicut cremium aruerunt*, in Tractu feriæ quartæ Maioris Hebdomadæ, ad altare iubemur dicere, *ossa mea sicut in frixorio confrixa sunt:* (Psalm. 101.) quæ differentia haud paulò notabilior est, quàm cùm dixit Lupus Abbas *inter magistros*, & *inter magistros optimos*. Hæc tamen omnia vna & eadem Ecclesia, iisdem ministris suis, iisdem in templis tanta cum diuersitate proferenda constituit. Quid dicam de scripturæ sacræ versionibus? Quarum quæ ex Septuaginta viris est, canonicam habuit, & perdiu seruauit Ecclesia, quæ modò Hieronymi laborem amat, & ab eo Vulgatam amplectitur? Quid de ipso Hieronymo, qui variis à se modis verti scripturam testatur, vt in Psalmo *apprehendite disciplinam*, & *adorate filium?* (Hieronym. apol. 1. in Ruffin. Psalm. 2.)

Tractanda cuique sibi propria. Atque hæc omnia confirmandæ opinionis nostræ gratia, non exprobrandæ futilitatis in hac argumentatione, allata cupio. Nam, vt docet Aristoteles, licere Poëtæ cuiuis, etiam optimo, in iis errare, quæ ad eius artem non pertinent; (Aristot. in Poët.) vt Pindaro, qui in genere ceruorum feminas fecit cornutas; & iis qui leænas iubatas magnificè nobis describunt; sic ab amplissimo rei Monetariæ Præside inter laïcos profitente, nemo iure exigat Missalis, & Breuiarij notitiam, qua viris Ecclesiasticis carere turpe sit. Videndum nihilominus est, an concessa ab Aristotele venia, ad eos etiam scriptores pertineat, qui mysteria tractant profani, qui nulla probabili ratione inuitati, nulla coacti necessitate, solo aduersariorum odio, & contentionis cupiditate, in obscuras, & ignotas, & à conditione sua alienas quæstiones vltrò se immiscent & intrudunt. Certè princeps ille pictorum, nihil sutori iuris in tabulam suam concessit *extra crepidam*, & vetus præceptum est, vt *tractent fabrilia fabri*. (Aul. Gell. l. 11. Noct. Attic. c. 7.) Aulus autem Albinus, cùm Græca scriptitaret, homo Romanus, natus in Latio, ideòque *veniam & gratiam malæ existimationis, si quid esset erratum, postularet*, visus est sapientibus iustè M. Catonis reprehensionem meruisse. *Ne tu, inquit, Aule, nimiùm nugator es, cùm maluisti culpam deprecari, quàm culpa vacare. Nam petere veniam solemus, aut cùm imprudentes errauimus, aut cùm compulsi peccauimus. Tibi inquit, oro te, quis perpulit, vt id committeres, quod priusquam faceres, peteres vt ignosceretur?* Denique me, téque Lector, & omnes in commune, satira prudenter admonet, attendere *Quem te Deus esse Iussit, & humana qua parte locatus es in re.* (Pers. Sat. 3.)

CAPUT V.

Seruatus Lupus Abbas Ferrariensis erroribus Gotteschalci non fauet.

Tractatio huius capitis exponitur.



CRITICIS senticetis ita calcatis, & excluso à controuersia Gallicana Germano Lupo, vt libelli omnes quatuor, vni Abbati Gallo Lupo Ferrariensi addicantur, plana & æquabilis sententiæ auctoris disquisitio sperari debuit, nisi Dissertator idem qui semper, sparsis salebris, & interiectis obicibus, citra necessitatem, vltra propositum, nos cogeret immorari. Quod ita tamen præstare conabimur, vt resectis repetitionum superfluis, nouam quandam historiæ susceptæ notitiam in lectorum animos immittamus. Campum aperit Præses ingeniosus, siue cùm Ferrariensem Lupum inter amicos, & socios Gotteschalci pingit in imagine, & alibi sæpissimè eximiis ornat laudibus: non facturus profectò, nisi Gotteschalcanarum opinionum sectatorem esse crederet: siue cùm Ferrariensi Lupo infensum facit Hincmarum, *eò quòd ipsi resistens, veram Ecclesiæ doctrinam intrepidè tueretur.* Ita Lupum amare non poterat, nisi Hincmarum hæreticum faceret, & Catholicorum persequutorem. Hisce duobus capitibus disputationem de Seruato Lupo claudimus, ostendimúsque, neque amicum fuisse Gotteschalco in dogmatis; neque inimicum Hincmaro propter dogmata.

Gotteschalcus ipse fatetur sibi Lupum non satisfacere.

Prioris assertionis fundus testis est Gotteschalcus ipse, qui sibi per litteras interroganti, non satisfecisse Lupum, sed prudenter & moderatè, media quadam via incessisse, Ratramno narrabat olim, vt vidimus.

Gotteschal. epist. ad Ratramn.

Qui cùm sit cautus simul, & catus, est moderatus.
Sic iam terna sui librans responsa libelli,
Vt dempto neutri pleno discrimine parti
Congruat.

Meminimus hoc scriptum ante omnem Hincmari cum hæretico congressum, cùm solus adhuc Rabanus in eum arma moueret, & litteris Conciliisque pugnaret. Post condemnationem autem in Synodo Carisiaca factam, sequutus est, (incertum quo anno, sed disputatione iam adulta) libellus iste, non materia, aut dispositione, sed amplificatione vt tempora, rèsque agitatæ poscebant, distinctus. Quamobrem, vt priore illo, inter Rabanum & Gotteschalcum; sic isto posteriùs aucto, inter Rabanum atque Hincmarum, & Gotteschalci partem quasi medius stetit, neutri perfectè addictus, neutram ex toto deserens, sed reficiendæ pacis cupidus, vtrique quod ius, & æquum credebat esse, concedens. In hac autem pacificatione sic versatur, vt quæ mentes Catholicas offendere poterant in Gotteschalco, probato duobus Conciliis hæretico, ea repudiet: quæ salua fide admitti poterant à Catholicis, ea non timeat amplecti. Ad quas notationes si ingenium applicamus in singulis controuersiæ articulis, non solùm quid sentiat Lupus, sed etiam quid verè senserit Gotteschalcus, & reiecerit Lupus; quid præterea inter Catholicos controuertatur, licebit peruidere, in hunc modum.

Gotteschalco in aliquibus consentit.

Ante Concilium Moguntinum, disputauit Gotteschalcus cum Rabano, de Prædestinatione diuina. Lupus pro Gotteschalco stat, quà prædestinationem ad gloriam, soli gratiæ, & gratuitæ penitùs bonitati, absque vlla futurorum meritorum contemplatione assignat; & qui *prædestinatos quosdam aiunt, quod præscierit eos deuotos sibi futuros, & in eadem deuotione mansuros, tametsi sint in aliis magnæ auctoritatis, in hac sententia non esse penitùs audiendos*, decernit. Prædestinari bonos ad vitam, malos ad interitum, docet Gotteschalcus. Rabanus hoc *in Scripturis sacris ita positum* negat *inuenisse, ideóque illi traditioni non adsentire.* Lupus sapienter, ad mortem prædestinatos non aliter explicat, quàm relictos, non electos, non adiutos, vt antè monstrauimus. Lis ergo est, non de prædestinationis vocabulo in sequiorem partem, sed de positiuo decreto, quo reprobi prædestinentur ad mortem, quod vrget malo animo hæreticus, non admittit Lupus. Disputat Hincmarus, Geminam prædestinationem dici non debere: assentitur Rabanus. Vocem illam contrà mordicus retinet Gotteschalcus. Ferrariensis autem in eius vocis vsurpatione, post Augustinum, & alios Patres aliquos, incommodi nihil deprehendit, miratúrque vocabulum illud *horrere plerosque atque refugere*, & in his *quædam præclara Præsulum lumina*; & sensum adfert quo ritè, & catholicè intelligatur. Suadet præterea vir pacificus, *poni verborum controuersias, cùm res in tuto sit.* Plus etiam aliquid postulat à viris Religionis zelo præstantibus, vt qui se *perspicua intelligunt veritate superatos, non dedignentur suam mutare sententiam; quia non tam erubescendum est homini errasse, quàm cognitum errorem nolle vitare.* Quod ab Hincmaro, vel Lupi consilium, vel cognita veritas, vel vtrunque impetrauit, vt catholico sensu Geminam prædestinationem dici posse fateatur; à Gotteschalco autem nullum vnquam errorem eiurari extorsit, quia tegere maluit, quàm corrigere. Vide qua ratione id factum.

L. de Trib. quæst. q. 1. n. 27.

Raban. ep. ad Hincm.

L. de Trib. quæst. q. 1. n. 30.

Ibid. n. 35.

Hincm. l. de prædest. c. 19.

Ab hæreticis eius propositionibus abhorret.

Gotteschalcus reprobos prædestinari dicit ad mortem propter mala eorum merita: idem sentit & Seruatus Abbas, & tamen Gotteschalco non *congruit*. Hoc enim, licèt ille dissimulet, non venit in quæstionem: sed id quod detexit Hincmarus in nouis Prædestinatianis, quod Rabanus blasphemasse Gotteschalcum significat, quod disertissimè impugnat Lupus, vtrum vi prædestinationis ad pœnam, cogantur ad culpam, quæ pœnæ causa est? Vtrum Deus sit auctor perditionis hominum? De qua propositione sic Abbas pronunciat. *Nemo sobrie sapientium erit nescius, non esse Deum auctorem causámque perditionis homini, quem & rectum condidit; & posse, si vellet, in suo statu manere, monendo monstrauit.* De illa autem. *Perditorum autem malæ voluntatis eum esse auctorem, nemo nisi insanus, & perditus opinari audebit. Auctor itaque sicut non est malæ voluntatis impiorum, ita nec aliorum quorumlibet peccatorum, quæ ex ea procedunt.* Gotteschalcus prædestinatos ad vitam, mori non posse; prædestinatos ad mortem, non posse saluari docet. Id ipsum Lupus certum habet. Quid enim aliud est dicere

L. de Trib. quæst. q. 1. n. 10.

Ibid. q. 2. n. 28.

Ibid. q. 1. n. 1.

Deum *omnis creaturæ rationes, sempiterna apud se immutabilitate custodire; Non posse aspirare reprobos ad numerum electorum : Non esse datum ipsis vt saluentur : Relictos esse in damnatione : Ad hoc bonum*, inquit, *nemo nisi discessurus accessit.* Hoc tamen grauissimè Rabanus improbat; hoc vnum Synodali epistola exprimit, quo *multos seduci* queritur ab hæretico, *& minus deuotos erga suam salutem reddi, qui dicunt, quid mihi proderit laborare in seruitio Dei?* Si de me actum est in prædestinatione æterna & immutabili, quid mihi tandem proderit declinare à malo, & facere bonum? An igitur Gotteschalco contra Rabanum, Catholicus hæretico, discipulus aduersùs Magistrum assentitur Ferrariensis? Minimè gentium. Nam electos sancto timore vult concuti, quia damnari possunt: impios ad pœnitentiam hortatur, quia saluari possunt: omnes à desperatione reuocat, quia nemo Christianus est, qui se inæstimabili Dei clementia saluari posse diffidat. *Nemo enim opinetur aut iustis, aut reprobis prædestinationis veritate fatalem necessitatem induci, cùm in vtrisque suspicionem necessitatis, libertas voluntatis excludat.* Et reprobos Augustinus *non dubitat dicere prædestinatos ad pœnam, non intelligens fatalem periturorum necessitatem, sed immutabilem relictorum desertionem.* Posse igitur, & non posse saluari, aliter Lupus Abbas intelligit, aliter Gotteschalcus : ille rectè, quia conditionatè, & consequenter; hic malè, quia antecedenter & absolutè : hic hæreticè, quia tam incommutabiliter & irreuocabiliter, sicut Deus ipse incommutabilis & inconuertibilis est; ille catholicè, quia certò tantùm & infallibiliter: hic impiè, quia bonorum operum studium extinguit, ille sapienter, quia *bonorum & malorum præmia quibusque digna restituenda prædicat:* Hic crudeliter, quia reprobos incitari iubet, non ad euitandam damnationem, sed ad pœnas aliquantulùm mitigandas; ille spem salutis omnibus annunciari, vt *suo quisque iudicio damnatus, fugiat à Deo, ad Deum; ab irato dum peccat, ad placandum, dum pœnitet.*

Ibid. q. 2. n. 27. — Raban. epist. Synod. — Ibid. q. 1. n. 10. q. 2. n. 31. — Idem. epist. ad Hincm. p. 20. — Epist. ad Carol. Reg. p. 38. — Lib. de 3. quæst. q. 2. n. 32. — Ibid. n. 31.

De arbitrij libertate, & cooperatione.

Iam verò imbecillitatem solius liberi arbitrij ad bene agendum, quæ secunda quæstio est, vterque profitetur : sed quod obstinatè tacet Gotteschalcus, hoc disertè admonet Seruatus, excitanti, & vocanti gratiæ nos cooperari, & opera bona, Dei esse simul & nostra. *Est in nobis liberum arbitrium, quia peccati affectu Dei gratia liberatum, idémque opus, & Dei est, qui operatur in nobis, & nostrum est, quia voluntate facimus, quod præceptum est nobis. Cogitationes bonæ Dei sunt, quia nobis donantur ab illo; & eædem nostræ sunt, quia Spiritus Dei admonet*, &c. Et alibi. *Hæc principaliter Dei sunt, vt præmissis testimoniis claruit; & consequenter nostra, quia voluntate à nobis fiunt.* Et concludit. *De libero arbitrio concorditer ita senserunt, quicunque mentem diuinorum eloquiorum probabiliter perceperunt;* à qua proinde Prædestinatianos aberrasse, superiori libro monstrauimus.

Ibid. q. 1. n. 25. — Epist. ad Car. Reg. p. 39.

De vocatione hominum.

De omnium autem hominum vocatione ad salutem, qui tertius est Capitulorum disputatorum articulus, non professa opera, sed in transcursu tantummodò tractatur à Lupo Ferrariensi. In quo tamen ipsi benè cum Gotteschalco, malè autem cum Hincmaro conuenit. vt Deus velit tantùm omnes saluos fieri, quicunque saluantur : vt redimat omnes quicunque redimuntur. *Non itaque vult saluari aut redimi alios omnes, nisi qui redimuntur atque saluantur.* Nonnulla subtilitate quàm soliditate iucundiora subdit in hanc sententiam Lupus noster, apostolicum dictum explicaturus, ne dicam elusurus, & si Chronologiæ Dissertatoris credimus, facem prætulit Lugdunensibus, qui vix aliud quàm quod diu ante ipse, proferunt. Lubet tamen fusiorem expositionem ad Lugdunensium examen remittere, vel Abbatis exemplo, qui peculiarem huic quæstioni tractatum non impendit.

Lib. de 3. quæst. q. 1. n. 26.

De taxatione sanguinis Christi pro infidelibus.

Affinem verò, eamque postremam, de Redemptione Christi, & sanguine in homines effuso, tangit libentiùs, neque generali thesi abludit à Gotteschalco. Non omnes homines Christi sanguine redemptos esse. De infidelibus certè illud constanter affirmat, séque non tantùm theologicis istis & seriis prodit tractatibus, sed etiam, nisi fallor, ludicro apud amicum ioco, ad Altuinum Senonensem Monachum ita scribens, post pronunciationis, & accentuum notulas traditas. *Iam verò penè stomachor, quoniam non scripsisti, quid Probus noster exerceat. Scilicet, vtrum in saltu Germaniæ liberales disciplinas, vt seriò dicere solitus erat, ordine curat? An certè inchoatam satiram, quod magis existimo, struens, Ciceronem, & Virgilium, ceterósque eius opinione probatissimos viros, in electorum collegium admittat : ne frustra Dominus sanguinem fuderit, & in inferno otium triuerit, si verum sit illud propheticum, Ero mors tua, ô mors, morsus tuus ero, inferne.* Facile cogitatu est, rideri Monachum oppositæ sententiæ vltra modum amantem; quasi qui probare contendat, vltra omnem Hincmari sensum, vim & efficientiam sanguinis Christi ad eos etiam redimendos penetrasse, qui veri Dei penitùs expertes decesserunt, ideóque sempiternis inferorum flammis torquentur : illos inquam, quos dicit Augustinus, laudari vbi non sunt, cruciari vbi sunt. Suo igitur ioco aduersariorũ sententiam sapientum ludibriis Lupus credit exponi. Quapropter cùm resumpta serietate, in theologica disputatione, testimonio Chrysostomi eorum opinionem posse probari ait, *quibus placet omnes siue bonos siue malos indifferenter à Christo redemptos*, lentè & timidè ad infideles illud extendit, & ipsum testimonium eleuat, quod scripturarum auctoritate non sit instructum. Itaque in Seruati Lupi sententia, tacendum omnino de infidelibus est.

Lupi Ferrar. iocus epist. 20. — Lib. de 3. quæst. q. 3. n. 40. — Collect. q. 3. p. 59.

Pro fidelibus, Lupus non congruit Gotteschalco.

Ad fideles quod pertinet, multùm discedit à Gotteschalco. Nam Monachus hic, velut impium execratus eorum dogma, qui etiam reprobos Christi sanguine redemptos arbitrantur, non audet vel in cogitationem admittere, posse aliquem perire Christi sanguine redemptum. At Lupus Abbas sine scrupulo *probabiliter dici posse* admonet, *mortuum esse pro omnibus Christum, qui eius fidei sacramenta siue seruaturi, siue non seruaturi suscipiunt.* Ac licèt reprobos ad salutem Christi passio non perducat, profuisse tamen tanti pretij sanguinem, *quemadmodum sol, quanquam cæcos non illuminet, tamen fouet:* Quam similitudinem pleniùs exequutus Am-

Lib. de 3. quæst. q. 3. n. 39.

Ambrof. in ps. 118. brosius præclarè scribit: *Plena est ergo terra misericordia Domini, quia omnibus data est remissio peccatorum. Super omnes sol oriri iubetur. Et hic quidem sol quotidie super omnes oritur: Mysticus autem sol ille iustitiæ, omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit. Ideo autem passus est, vt tolleret peccatum mundi. Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudauit: sed quod solis est, prærogatiuam suam seruat: quod imprudentis est, communis à se gratiam lucis excludit. Super omnes pluuia est.* In eundem sensum de gratia Dei loquitur Faustus Reiensis. (Faust. l. 1. c. 10.) *Quasi fons quidam in medium mundi huius expositus, & in commune concessus, ad hauriendum vniuersis patet, vt largitori suo meritò reus sit, qui haurire neglexerit:* Cùm omnes eò inuitentur à propheta, *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* (Is. cap. 12.) Quo loco placet obseruare quæstionis huius titulum à Sigeberto, & post eum à Trithemio malè concipi, dum aiunt scripsisse Lupum, *De Sanguinis Christi quadam superflua taxatione, vel redemptione, vsque ad salutem impiorum.* (*Sigebertus & Trithemius perstricti.*) Quod superfluè dicitur, neque vnquam totis hisce tractatibus *superfluitatis* vocabulum vsurpauit vir sapiens, & ingenio stilóque moderatus. Illa denique Gotteschalci somnia, reprobos fideles baptismo Christi, non morte redemptos esse: illos ne tum quidem cùm fidei sacramenta suscipiunt Ecclesiæ incorporari, & fieri Christianos, & similia, vt Theologia Christiana penitus indigna, ne verbo quidem dignatur tangere. Vides igitur, Lector, quæ sit his in quæstionibus Seruati Lupi sententia, & quantùm absit ab oue perdita, vero Lupo Gotteschalco: atque id agnoscis, quod hoc libro profitemur, catholicè ab eo cum Catholicis disputari, sublatis iis omnibus, quæ miserabilem Monachum fecerunt hæreticum.

CAPVT VI.

Lupus idem Ferrariensis cum Hincmaro, & Pardulo perpetua concordia & amicitia coniunctus fuit.

Lupus Ferrar. placidè de quæstione disputauit.

QVOD dico disputari, Scholastica iurgia cupio intelligi, ardoris innocentissimi, & contentionis pacatissimæ. Disputari dico, id est, grauiter tractari, & veritatem constanti moderatione perquiri. Quid enim aliud ista sibi volunt, iam sæpe repetita, in laudem aduersariorum posita, *quædam præclara Præsulum lumina: tametsi sint in aliis magnæ auctoritatis.* Si sic contradicit, quibus verbis approbat? In *præclaris* illis *luminibus magnæ auctoritatis*, numerandi sunt absque dubio Hincmarus & Pardulus. Ad eos quid scribit? De Prædestinatione, inquit, *in pace in qua vocati sumus à Deo, quærimus, & deliberamus*, non disputamus, non altercamur & iurgamur, vt Prudentius cum Ioanne Scoto, Scotus cum Gotteschalco, Lugdunenses cum Remensibus. (Epist. ad Hincm. p. 19.) Dicta in deliberatione, tanquam in Senatu sententia, *Ego*, inquit, *quod sentio simpliciter vobis aperui: vos vicissim si in aliquo diuersi estis, ne grauemini reuelare.* (Ibid. p. 20.) Aut ignorat, aut scire dissimulat, quid in his opinetur Hincmarus, quod parietes & conclauia, quod agri & oppida, quod plateæ & angiportus clamabant. Vtrunque ex prudentia, studióque concordiæ. *Similem Pardulo nostro direxi. Cupio vos valere feliciter.* Quid suauius ab animo amicissimo expectes? Quanto enim amicitiæ vinculo cum Pardulo vinctus fuerit docent Epistolæ, in quibus *Carissimum, Vnicè singulariterque dilectum* salutat. (Idem epist. 77. & 78.) *quia me*, inquit, intra *consepium familiaritatis admisistis; id si me sincerè amatis, potestis efficere.* Et alibi, *fiducia familiaritatis hortor & moneo, ne perceptam à Deo gratiam negligatis.* (Ibid. epist. 12.)

De Hincmaro autem quid dicam, quod ea obseruantia non sit inferius, qua seculi sui lumen, Ecclesiæ præsidium, Galliæ decus, aulæ genium perpetuò coluit Lupus Abbas? (*Lupi Abbatis cum Hincmaro familiaritas.*) Illustria sunt eius rei omnibus in Epistolis monumenta, quorum partem ineunte hoc opere à nobis iam expressit necessitas. Lubet hîc duo referre, quæ quandam amicitiæ æqualitatem, qui suauissimus est agendi modus, præ se ferunt. Librum mutuum rogatus ab Hincmaro. *Collectaneum Bedæ*, inquit, *in Apostolum ex operibus Augustini*, (Ibid. ep. 76.) (illud profectò quod Floro Trithemius perperam attribuit) *veritus sum dirigere, propterea quòd tantus est liber, vt nec sinu celari, nec pera posset satis commodè contineri.* Xenium mittit, vt olim magni inuicem Episcopi, & amici. *Pineas autem nuces, quot cursor ferre potuit, hoc est decem, mittendas curaui.* Petit lucubrationem aliquam sibi per eundem cursorem donari, *vt lectione illius, & erudiar* ait, *vel delecter. Benignè vos memores mei opto valere feliciter.* Sic ad Pardulum, *litteras quæ me lætificent, remittite, & mei benignè semper memores bene valete.* Quis non existimet viros istos sapientes, in illis disputationum tempestatibus & procellis, alios è portu videre iactatos fluctibus, & penè obrutos? Intelligentia dissident aliquantùm, voluntate minimè.

Alterum familiaritatis vestigium Ratramni operâ possidemus. (*Aliud eius familiaritatis exemplum.*) Is amico suo Hilmerado Episcopatum Ambianensem à Rege concessum maximè optabat: beneuolente Hincmaro eius Metropolitano erat opus, vt admitteretur; hanc ab eo gratiam, quam Ratramnus per se non auderet, rogat Lupus Abbas per litteras, in quibus inter cetera hæc legimus. *Cui supplico prosit quòd apud vos plurimum valeo. Nam licèt desit ei forsitan aliquid eruditionis, tamen poterit esse vtilis, cùm & vestra doctrinæ parebit.* (Ibid. ep. 79.) Spei respondit euentus, & *plurimùm valere* Lupum Hincmari amicitia monstrauit: & Hilmeradum *vtilem* fuisse, plura & grauia declararunt Concilia, quibus interfuisse legitur, Metropolitani sui assecla studiosissimus: vt dubitare non liceat, quin & in dogmatibus, transierit in partes Hincmari, & in vita, eius monitis paruerit, & in Episcopatus administratione, eius consilium fuerit sequutus. Sic enim interpretor *parere doctrinæ*, quod facturum Lupus Abbas promiserat. (Vide Flodoard. l. 3. hist. c. 23.) Quibus in verbis duobus, Apologeticum Hincmari aduersùs totam Dissertationis molitionem habes, Lector, si attendis. Nam quòd in Episcopum admitti & consecrari supplicat eum, quem

Hinc-

Hincmari *doctrinæ pariturum* sperat, & spondet quòd *vtilem* Hincmaro futurum offert, & pro amicitia suscipi flagitat, certè vel fidei virtutique præuaricatur, vel pro viro bono, & Catholico Episcopo Hincmarum habet, cui clientem facit Episcopum, cuius partes auget Episcopo, quas, si fuit hæreticus, & bipedum omnium nequissimus, vt contendit Dissertatio, totis viribus debilitare debuit, & infringere. Quàm fuit autem patiens pars illa Catholica sancti Gotteschalci, quæ ouem, quod aiunt, lupo committi, & cum aliis lupum ipsum vlulare permisit? Qualis erat Episcoporum ille Conuentus, ad quem se non fuisse euocatum doluit Lupus, & illi æquè ac Hincmaro consecrandum Hilmeradum commendauit? Nónne hæc omnia perspectam fuisse Lupo Ferrariensi in Palatio, & in quotidiana consuetudine innocentiam Hincmari, aduersùs calumnias tantò pòst declamaturi scriptoris eloquuntur?

Non sic, inquit, nam *Hincmarus perfida nequitia in Lupum Ferrariensem, eò quòd ipsi resistens, veram Ecclesiæ doctrinam intrepidè tuetur, occasione captata, mendaciis & calumniis solitis; discordias inter ipsum, & Wenilonem seminare studuit.* Nouum crimen, & ante hunc diem inauditum, cuius fundamentum ante omnia explorandum est. Qui *cum pace in qua vocatus est à Deo* cum Hincmaro de controuersia *quærit & deliberat*, ipsi-ne resistit? Qui opiniones suas, *volentibus absque inuidia ostendit, nolentibus suæ mediocritatis conscius, non ingerit*, an resistit Hincmaro? Qui propositis altercantibus sententiis electionem relinquit liberam, vt *superioribus acutè consideratis, vnusquisque quod optimum ei Deus suggesserit*, hoc sequatur, suám-ne *doctrinam veram Ecclesiæ* putat, & *intrepidè tuetur?* Quo loco, quibus verbis nigrum theta præfixit contrariæ? illi, inquam, quam Rabano præceptori suo, & Hincmaro amico, præclaris Præsulum luminibus, placere non ignoraret, de gemina prædestinatione non appellanda, quam in quæstionem præcipua controuersiæ vis inter catholicos incubuit? Quid igitur perfida illa Hincmari nequitia, veræ doctrinæ persecutrix, aduersùs Lupum Ferrariensem, sibi quo dictum est modo resistentem, mendaciis & calumniis solitis machinata est? *Discordias inter ipsum & Wenilonem seminare studuit.* Crimen Deo & hominibus odiosum! cuius tamen Hincmarum, aut in hac Wenilonis & Lupi, aut in vlla vnquam alia hominis vllius, historicus, chronologus, annalista, tractator, æmulus, aduersarius, hæreticus, catholicus nemo, vetus, aut recens scriptor, ante recentem nouæ historiæ suo marte conditorem, accusauit. Is ergo quoniam *summa fide, nec minima diligentia, nihil quod Hincmari personam respiceret, prætermisisse* se profitetur, manu nos ducit ad exquirendam temporum historiam, si fortè tantam perfidiam in ea certis vestigiis deprehendemus.

Noua Dissertatoris calumnia aduersùs Hincmarũ refellitur. Dissert. c. 41. Epist. ad Hincm. Epist. ad Carolum. L. de 3. quæst. Epist. Dissert. in Epil.

Wenilonis Senonensis proditio.

Wenilonem Senonum Archiepiscopum celeberrimum, perduellionis reum, ad Ecclesiasticum tribunal Synodi Tullensis apud Saponarias detulit Rex Carolus, anno Incarnationis Dominicæ 859. Iam istud penitus extra Gotteschalcum est, decennio antè silere iussum: expirante controuersia, post omnes vtriusque Lupi, Ratramni, Lugdunensium libellos conscriptos, post amicissimas & humanissimas Lupi Abbatis ad Hincmarum & Pardulum epistolas, de quibus modò dicebamus: vt cachinno sit excipiendum, quòd tum temporis propter doctrinæ catholicæ defensionem, ab Hincmaro victore, & doctrinæ suæ veritatem vltimis scriptis confirmante, Lupus Ferrariensis quicquam molestiæ passus fuisse fingatur. Et hæc de chronologia: veniamus ad historiam. Erat Synodus Prouinciarum duodecim, quantam magnitudo negotij postulabat; hoc est, ex Metropolitanis duodecim cum aliquot singulorum suffraganeis, conflata. Proditio autem Archiepiscopi tam immanis & sacrilega, vt in prouerbium abierit etiamnum vsurpatum: & in accusationis libello Rex dicere cogeretur. *A qua consecratione, vel regni sublimitate supplantari, vel proiici à nullo debueram, saltem sine iudicio & audientia Episcoporum, quorum paternis correptionibus, & castigatoriis iudiciis me subdere fui paratus, & in præsenti sum subditus.* Delecti, more seculi, iudices quatuor Archiepiscopi (Commissarios vocaremus) Remigius Lugdunensis, Herardus Turonensis, Wenilo Rothomagensis, Rodulfus Bituricensis, Weniloni accusato diem dicunt, tantáque sacrum consessum indignatio corripit, vt sibi metuens reus, offensi Regis genua prensare maluerit, & innatam principibus nostris clementiam implorare, quàm Episcopale iudicium experiri. Sic *absque audientia Episcoporum*, vt loquuntur Annales Bertiniani, hoc est, vitato sapienter eorum iudicio, *Regi reconciliatur.* Inter hæc, Metropolitanorum duodecim aliquis, siue Weniloni adulatus, siue infenso in Lupum Abbatem animo, retulit, optari ab ipso eius depositionem. Quam calumniam purgaturus Lupus, ad Guenilonem ita scribit commotior, *Non est mirum si vos tandiu Metropolitanus Episcopus mendacio fefellit.* & quæ sequuntur. Illo certè rerum statu grande piaculum non fuit, perduellis hominis exauctorationem cupere, & dignam atroci facinore pœnitentiam, qualem sub Ludouico Pio Caroli patre, Agobardus, Ebbo, aliique obire iussi fuerant. Sed hoc, licèt iniquum non fuerit, per calumniam & mendacium Lupo impositum est. Esto sanè. Ergo seminata inter fratres discordia. Seminata. Quid inde colligis? Quid istud ad Hincmarum? *Metropolitani Episcopi titulo*, inquit, *significatur Hincmarus.* Ridiculè. Cur enim potiùs Hincmarus, quàm vndecim alij Tullensis Synodi Archiepiscopi? Qua verò nota *significatur Hincmarus?* A quo? Quis eum scriptor antonomasticè sic appellat? Quis illius mendacij accusat historicus? Mentitus est aliquis Metropolitanus; ergo Hincmarus. In eum solum videlicet, ex omnibus qui tum fuerunt, Metropolitanis cadere potuit mendacium: scelerum omnium sentina est Hincmarus, vt in eum omnia confluere debeant: præstare debet Hincmarus quicquid vbique quis mentitur.

Concil. Tullens. apud Saponar. tom. 3. Concil. Gall. *Admirabilis Caroli Calui modestia.* Annal. Bertin. an. 859. Lupus Ferrar. epist. 124.

Hincmari Archiepiscopi Pallium.

Sed inuicto sanè argumento futilis diuinatio stabilitur. Ideo inquit, Hincmarus κατ' ἐξοχὴν Metropolitanus dicitur, *eò quòd singularem Pallij vsum adeptus ex priuilegio, & auctoritate regia præpotens præ ceteris, Metropolitani dignitate, & titulo præcelleret.* De singulari Pallio per priuilegium Hincmaro concesso in appendice loquemur, ad Epistolam Lotharij, priuile-

gium illud postulantis. Sufficit modò dicere, tam fuisse singulare, vt nemini vnquam Archiepiscopo alteri datum fuerit; quare illo ex Pallio Metropolitani nomen auferre non debuit: tam porro fuisse inutile, vt illo nunquam sit vsus. Pallium autem omnibus Archiepiscopis vsitatum, bis tantùm quotannis ferre solitum se, Nicolao I. Pontifici respondet. His tu Palliis calumniam de Hincmari mendacio satis existimas palliatam? De potentia erga Regem quod additur, & alienum est à proposito; siquidem Wlfadus Bituricensis Archiepiscopus Regis gratiam constantiùs possedit, quàm Hincmarus, & inde tamen Metropolitani cognomen non emeruit: & in hoc negotio quàm fuerit inutilis apparet; quando vbi maximè Regi nauanda fuit opera, non est cum ceteris quæsitor electus. Huic somnio ad cumulum venustatis subditur velut Epiphonema, *Sed hæc ex leuioribus & solitis Hincmari nequitiis:* eadem scilicet diuinatione fabricatis, & simili futilitate probatis.

Hincm. epist. 26.

Et hæc de Seruato Lupo, ciúsque scriptis, voto quidem prolixiora, non tamen ex toto inutilia: quando malè cum Germano confusus, modò distinctior à nobis producitur; & quidem primus extra Gotteschalci disputationem, & vtrique parti tam gratus & acceptus est, vt cùm Monachi errores manifestè vitet, & condemnet, perpetuus amicus Hincmari; tamen à Dissertatore laudetur pro suo, & in imagine non ignobilem locum obtineat.

CAPVT VII.

Ratramnus Corbeiensis Monachus opinionem suam de gemina prædestinatione iussu Caroli Regis exponit.

Ratramnus præcipuus Gotteschalci motor & adiutor.

NON magis potest sine Ratramno Gotteschalcus agnosci: quàm Hercules sine Theseo, Pylades sine Oreste, Achates sine Ænea: vt historiæ Gotteschalci pars penitus necessaria sit, notitia Ratramni, maximè quà doctrinam spectat. Ea nobis per vices, vt ordo narrationis postulabit, exhibenda est: hoc in opere quidem, duobus articulis, in quibus illius discipulum se professus est Gotteschalcus: alibi autem, si Deus dederit, in articulo de Eucharistia, quem non attigit monachus Orbacensis. Et vniuersè quidem, illum dicimus, ex eo genere eruditorum fuisse, quos ambitio, & curiositas sine lege & disciplina impellit ad scientiam; qui statuta maiorum mouere, & de certis hactenus, dubitare gaudent: qui nouitate disputandi famam doctrinæ quærunt, & quod ipsi non satis intelligunt, alios scire non patiuntur. Habet præterea tanquam proprietatem singularem, quendam dissimulandæ suæ opinionis genium, vt cùm aientem in eo partem manu tenere te putes, negantem deinde mira subtilitate deprehendas. Quare in omnibus penè huius seculi controuersiis, de se fecit controuersiam, Catholicè sentiret, an hæreticè: Neque sua ætate vllo damnatus est Concilio; neque apud posteros constanter probatus ex toto.

Quis fuerit.

Vt igitur hominem doctum, sed insincerum, miniméque simplicem intimè perscrutemur, absolutè primò considerandus videtur, deinde cum iis qui versantur in negotio conferendus. In prima forma, Catholicum, hæreticum, dubium, penè semper implicatum video; in quæstione de Eucharistia monstrabitur hæreticus: in explicatione Trinitatis, ex errore discipuli, & ipse errare intelligetur; in prædestinatione ita se Catholicum exhibet, vt tamen non leuem suspicionem sinistræ alicuius opinionis in animo nostro relinquat. In relatiua autem specie tres spectamus, Carolum Regem cui librum offert: Gotteschalcum, cuius causa librum scribit: Hincmarum, cuius doctrinæ se vult opponere. & hæc omnia, in vna quæstione de Prædestinatione, duobus libris comprehensa.

Diuisio huius capitis.

Itaque Ratramnus is est, quem nomine paulùm inflexo ita describit Trithemius. *Bertramus Presbyter & Monachus, in diuinis scripturis valde peritus, & in litteris secularium disciplinarum egregiè doctus, ingenio subtilis, & clarus eloquio, non minùs vita, quàm doctrina insignis. Scripsit multa præclara opuscula, de quibus ad meam notitiam pauca peruenerunt. Ad Carolum Regem, fratrem Lotharij Imperatoris scripsit commendabile opus de Prædestinatione lib. 1. De Corpore, & Sanguine Domini lib. 1.* Prius, nostrum istud est, in quo debuit Trithemius duos libros numerare, Præfationibus etiam distinctos. Posterius, illud quod solerter à nostris Controuersiarum scriptoribus ad sanctuarij pondus expensum est, Bertrami nomine ab hæreticis publicatum. Supersunt & in Manuscriptis libri eiusdem quatuor contra Græcos: exciderunt alia scripta, maximè poëtica, in quibus floruisse videtur, Gotteschalci ad eum Epistolam legentibus. Et hæc quidem eius doctrinam nobis notam faciunt, quam Trithemius *insignem* vocat: vitæ autem morúmque commendationem, in historia nullam habemus ex rebus ab eo gestis: & si quis eum affirmare vult non differre à Ratramno, ita nominato Monasterij Orbacensis Præposito, ad quem, teste Flodoardo, scripsit Hincmarus, eius gloriam hoc monumentum non promouet. Hic enim Præpositus cùm Monasterij villam mortuo possessore canonico diripi iussisset, *excommunicauit eum* per litteras idem Archiepiscopus, *in pane, & aqua constituens tam ipsum, quàm complices eius in hoc facto, donec restituantur hæc quæ iniustè abstulerant.* Potuit quidem officium illud doctrina promereri & auctoritate, & Ratramnos duos his temporibus, nulla alia, quod sciam, distinguit historia: sed translationes eiuscemodi habemus admodum infrequentes: perpetuò autem Monachus Corbeiensis appellatur. Quare in his tenebris certò nihil statui potest. Illi tamen Trithemij panegyrico, & Ratramni virtuti, multùm detrahit pertinax Gotteschalci patrocinium, & perpetuæ cum Hincmaro inimicitiæ.

Ratramni encomium ex Trithemio l. de script. Eccles.

Flodoard. l. 3. hist. cap. 28.

De ratione autem disputandi, hoc in genere dico, licèt præcipuum Gotteschalcani patrocinij momentum in Prudentio Trecassino ponat Dissertator: meo tamen iudicio, non esse vlla

Ratramni cum ceteris controuersia scriptoribus comparatio.

ex parte cum Ratramno conferendum: quippe cùm Prudentius sola auctoritatum congerie contentus, vix lucis quicquam tot Patrum dictis afferre soleat. Imò ne Hincmarus quidem pari solertia quæ ad rem faciunt, excogitat; aut æquè prudenter inuenta disponit; minimè autem simili expositione animi sui sensa explicat. Verùm Rabano, si quid iudico, fasces oportet submittat Ratramnus, vt in omni scientiæ genere præstantiori. Quod & in hac quæstione, de Amolone, & Floro Magistro non inuitus profiterer, si quid copiosiùs scripsissent; istis nimirum aliqua re inferiorē videri Ratramnum: ita me illi breuibus opusculis reficiunt & delectant. Quòd si iure meritò laudata est à nobis Seruati Lupi modestia, neque Ratramnum ea virtute destitui putamus; nam in Lupo bilis nonnihil eminet aliquando, & turgescit; Ratramnus autem æquabilis vbique, locos iracundiæ suæ feraces signat potiùs, quàm tangit. De his scriptis loquor: nam quomodo interiùs vel aliàs, aduersùs Hincmarum Gotteschalci sui domitorem fuerit affectus, Dei est cognoscere.

Librorum de prædestinatione hypothesis & prospectus.

Quoniam ergo non meris Patrum testimoniis, quod Prudentius, & Hincmarus, sed etiam ratione & intelligentia in disputando vtitur, ex principiis notissimis ad eliciendam opinionis suæ veritatem progredi contendit, vnde operis œconomiam discimus. *Statui priùs de diuina dispositione, sanctorum Patrum proferens testimonia, dicere*, quæ est prioris libri hypothesis, omnia videlicet præsciri & disponi à Deo; ipsa etiam mala, & hominum peruersas voluntates, ita dirigi ad Dei voluntatem, vt ex eis bonum semper aliquod eliciat. *Deinde ad prædestinationis narrationem venire*, quæ posteriorem librum conficit: *vt cùm probatum fuerit vniuersa quæ geruntur in mundo diuinæ dispensationis secretis moderari*, quod fatentur omnes, éstque fusa hæc propositio per omnia bona & mala, naturæ & morum, culpæ & pœnæ, quæ fiunt, quæque omittuntur, quæ decernit Deus, quæque permittit, *facilior intelligentiæ via pateat ad prædestinationis manifestationem*. faciliùs apertiùsque ex iis gemina prædestinatio bonorum & malorum educatur. Erit fortasse cui non probetur, quòd in vna quæstione prolixior sit, quàm Lupus in tribus. Quid enim necesse fuit librum solidum in rei peruulgatæ, & nemini dubiæ confirmatione consumere? Hoc enim aut simpliciter vt indubitatum poni potuit, & quasi solum sequuturis propositionibus substerni; aut lectissimis paucorum Patrum sententiis, ornatus gratia declarari. Sed nimirum illud axioma in magno lumine collocandum putauit, vt eò certiùs gemina prædestinatio consisteret, quò clariùs istud eius firmamentum appareret. Est ergo hæc eius generalis argumentatio.

Ratramni argumentatio generalis.

Quæcunque in rebus creatis quamcunque in partem fiunt in tempore, ea iam à Deo ex ipsa æternitate, præscita, & prædestinata sunt. Atqui bonorum & malorum merita, eorúmque ad conuenientem finem deductio, sunt in tempore: Sunt igitur ab æterno præscita & prædestinata per Deum: hæc illa verò est gemina, de qua controuertitur, prædestinatio bonorum ad vitam, malorum ad interitum: ergo manifesta demonstratione gemina prædestinatio comprobatur.

Hincmari responsio.

Respondet Hincmarus, huic syllogismo sensum catholicum inesse posse, atque adeo *non per totum, neque in toto refutari debere: sed sensum Catholicæ fidei contrarium in hoc dicto*, esse abominandum, & anathematizandum. Hic autem sensus est. *Dicunt enim quia sicut electi à Deo prædestinantur ad vitam, ita reprobi à Deo prædestinantur ad mortem.* Vim & pondus quæstionis in præcisa similitudine collocat, *Sicut* illi, *sic* & isti; quæ certè perfecta dici non potest: hoc tamen Ratramni syllogismo non excluditur; neque vlla alia ratione ab eo professa opera improbatur; vt iam sole clarius istud argumentum, tenebras aliquas patiatur, & reliqua timenda esse aut doceat aut faciat.

l. de prædest. c. 19. & Epil. c. 2.

Catholicæ Ratramni assertiones.

Si tamen in externo verborum cortice subsistimus, nihil quod apertè catholicos oculos offendat, hoc in opere deprehendemus: in quo habemus æternam rerum omnium præscientiam & prædestinationem; æternum consilium, mutationi temporum non obnoxium: malorum præuisorum ad bonum aliquod ordinationem: prædestinationem non ad culpam, sed ad pœnam supposito peccato: peruenire malos ad pœnam non prædestinationis necessitate, sed culpa delinquentium.

Liberum arbitrium in indifferentia.

Ratram. l. 1. ex Isid.

Sanam quoque doctrinam de libero arbitrio, per Isidori fusiùs citati occasionem tradit; cùm illi scriptori consentiens, suam explicationem subiicit. Cùm enim definiuisset arbitrium Isidorus, *voluntatem liberæ potestatis, quæ per se sponte, vel bona, vel mala appetere potest*, quæ verba sonant indifferentiam, Ratramnus etiam interpretando addit æquilibrium. *Hæc dicens, insinuat*, imò apertè tradit, *quòd liberi sit arbitrij, vt propria voluntatis intentionem vel ad bona eligenda, vel ad mala reprobanda dirigat.*

Opus boni est Dei, & nostrum.

Quòd si quærimus ex Ratramno, bonum opus auxilio gratiæ peractum, sítne totum gratiæ, seclusa hominis cooperatione, quod Prædestinatianis visum est? Respondebit Isidori verbis, *Dei esse bonum quod agimus, propter gratiam præuenientem & subsequentem: nostrum, propter obsequentem liberi arbitrij voluntatem. Nam si Dei non est, cur illi gratias agimus? Et si nostrum non est, cur retributionem bonorum operum expectamus?* quam orationem calculo suo probat Ratramnus, & Gotteschalci stuporem excitat. *Claret itaque bonum quod agunt sancti, nec sic diuinæ gratiæ deputari, vt liberi arbitrij facultas auferatur; aut sic libero deputandum arbitrio, vt diuinæ gratiæ munus abdicemus: quorum alterum humani laboris meritum tollit, alterum autem donum gratiæ denegat: vtrunque blasphemum, vtrunque catholico dogmati claret esse contrarium.* Sed quid est nostræ libertati relictum, si vitæ viæque finis immobiliter fixus est? Si Deus *omnia quæcunque voluit &* præsciuit & prædestinauit, *fecit*, nec est qui possit voluntati eius resistere? Respondet Ratramnus, *Sicut nullus idcirco peccat, quia Deus eum peccaturum præscierit, ita quoque nullum idcirco ad pœnam vadere, quia hoc in Dei prædestinatione antè fuerit.* Plus etiam aliquid reperit in Fulgentio; iure non posse damnari hominem, si cogente prædestinatione peccaret. *Quando autem peccanti seruo iram iustus Dominus intulisset, si seruus ex prædestinatione Domini peccasset?* Erepta nimirum libertas foret,

Fulg. l. 1. ad Mon. c. 26.

& inducta prædeterminatio physicè in culpam pœnámque immittens. Quo argumento quicquid est electioni liberæ contrarium, euertitur.

In quibusdam implicatus & dubius. Sunt quidem ista ad catholicum sensum aptè satis expressa. Sed homini licèt ingenioso, in quæstione subtili, absque Theologiæ Scholasticæ ductu laboranti, necesse fuit tenebras obrepere, & laqueos occurrere, ex quibus facilè se non extricaret. Nam in primis Præscientiam à Prædestinatione non constantissimè discernit, quod & in Gotteschalco notatum fuit. Deinde electionem cum Prædestinatione confundit: qui perpetuus error est horum scriptorum [illegible], ante Scholasticam natorum. Putant enim prædestinationem electioni nihil addere, sed idem penitus esse, vt à nobis quidem concipi potest, eligi bonos & prædestinari. Vnde cùm pios ob bona merita reipsa saluari vident, malos ob peccata reprobari, vtrosque positiua Dei voluntate; idem de electione sentiunt, alios ad vitam positiuè eligi, quod verum est, alios ad mortem positiuè item destinari, quod ij negant, qui in primo isto rationis signo negationem solam agnoscunt, qua deseruntur isti in ea perditionis massa, à qua sunt alij ex mera misericordia positiuo decreto educti. Sic etiam S. Thomas. *Electio est, in quantùm hoc bonum præ aliis vult: quibusdam non vult hoc bonum, quod est vita æterna. Reprobatio est causa derelictionis à Deo. Reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpa, & inferendi damnationis pœnam pro culpa.* (S. Tho. 1. p. q. 23. a. 3. & 4.) Quam partem vnicam semper spectauit Gotteschalcus, & eius magister Ratramnus. Hincmarus autem cùm eos dicit errare, qui aiunt, sicut prædestinantur electi ad vitam, sic reprobos ad mortem prædestinari, hoc optimè de Electione accipit, quamuis neque ipse illud nominis vsurpet. Itaque si quærimus ex Ratramno, cùm sit Gemina prædestinatio, sitne pari modo de vtraque philosophandum, an secus? hærebit omnino, séque ipsum implicabit. Nam si prædestinationem pro electione nominat, affirmare non potest: sin prædestinationem in natiua significatione sumit, non videtur negare. quódque huic coniunctum est, ex eo quod reprobos videt ex præuisis demeritis ruere, sic & electos præuisis bonis operibus prædestinari pronuntiat. (*Prædestinationem facit post præuisa merita. l. 2.*) *In qua sempiternitatis dispositione & electorum finem, & reproborum cognouit, & de singulis quid agendum sit, sempiterno consilio immutabiliter determinatum est.* Qui locus admonet alium non minùs luculentum, æquè de electis, & de reprobis intelligere. (Ibid.) *Qui omnia nouit, nouit etiam & singulorum facta, nouit & fines singulorum, & ex eo quod in eis vidit & cognouit, ex eo etiam & prædestinauit quid de singulis esset acturus.* Et mox: *Ex eo enim quòd præsciuit singulos quid essent acturi, ex eo & prædestinauit æternitate consilij sui quid esset de singulis facturus.* Viderit autem in ea bonorum operum ante prædestinationem præuisione, quomodo ipsi conueniat cum Augustino.

Sibi contradicit. Imò verò quomodo secum ipse consentiat, qui loco eodem fines bonorum, & malorum cognitos, ac deinde disposita media profitetur: hoc est, absolutè determinatam priùs bonorum vitam, mortem malorum, quàm merita quibus eò deuenitur, præuisa sint. Ac vide hominis ingenium. *Qua prædestinatione, inquit, & electos disponit ad regnum, & reprobos ad pœnas.* (*Dat aliis ansam errandi.*) Quam hic vocem respuat sodalis eius Orbacensis, velut à fatali sua necessitate alienam? *De qua dispositione Dei B. Augustinus in libro de libero arbitrio loquitur, demonstrans quòd vniuersorum voluntates non solùm bonas, sed & malas quocunque inclinat, & eius dispositioni seruiunt.* Si quis cum Prædestinatianis asserere volet, prædestinari homines à Deo ad impietatem: si quis nostræ libertatis inimicus, à Deo operante in homine, vim fieri disputet ad torquendam voluntatem quocunque volet, non quò homo ipse proximè destinabit: si quis denique peccati auctorem Deum facere non horrebit, nonne hac ipsa oratione vti poterit, quam citatus postea locus Augustini mirificè corrigit, mitigat, & exponit?

Ambiguum dictum. Quid est autem illud. *Tales enim nouit eos, quos ad pœnas disposuit, vt digni essent de quibus sic disponeretur?* An significat crimen originis? At in eo spectantur omnes, etiam postea eligendi, æquè digni damnatione perpetua. Peccatum igitur actuale singulorum. Nonne & in reprobis eximia opera nouit, & in electis talia crimina nouit, quibus *digni essent* vt ad pœnas, & ad præmia disponerentur? Nonne si *præsciuit quid essent acturi*, antequam prædestinaret de singulis quid esset facturus, facilis est responsio ad interrogationem Apostoli, *quis te discernit?* Opera videlicet quæ præsciuit ante electionem & prædestinationem, quæ duo vnum apud hunc auctorem significant. Est autem vt Apostolicum, ita & Catholicum dogma, *antequam nati essent, aut quicquam egissent boni aut mali*, etiam in præscientia & præuisione Dei æterna, *non ex operibus, sed ex vocante*, & eligente ex mera sua voluntate, dictum esse, *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* (Rom. cap. 9.) Prorsus æquales erant in massa perditionis, secreuit Electio gratuita, solius misericordiæ opus, qua vnus assumptus est, alter relictus. Quòd si tum, ante electionem *præsciuit quid essent acturi*, si nouit vt digni essent, operibus discreti sunt, non beneplacito, iustitia, non gratuitò: vidit *dignos*, non fecit. Quare non reprehendet, si conuersa nonnihil in partem alteram propositione, quod de reprobis asserit, de bonis quoque dixero. *Vidit bonos perseueraturos in bono, & ideo apud æternam præscientiam suam talibus prædestinauit vitam.* Quid enim causæ affert toto posteriore libro bene longo, illius quod inducere cogitur dissidij, vt boni minùs quàm mali ad finem quo digni sunt, prædestinentur?

Exemplum dissimulationis Ratramni. Denique, vt istud fraudulentæ subtilitatis caput concludam, iucundum est videre quomodo correctus à Rabano se gesserit. Simplicius enim errabat, non minùs quàm antè carcerem Gotteschalcus, cùm reprehendebat Hincmarum de induratione Pharaonis, dicentem, extitisse illam, non agente Deo, sed permittente. Eius dicti censuram à Ratramno factam, cum scripsisset ad Rabanum Hincmarus, sapienter & verè Moguntinus respondit, *Non rectè reprehendere vos mihi videtur: quia non Deus cuiusquam cor sua factione indurat, vt semetipsum homo ab errore non corrigat; sed iusto iudicio indurari permittit, aut propria nequitia.* (Raban. epist. ad Hincm.)

aut diaboli malitia. Hoc ita dictum à Rabano, ignorare non potuit Ratramnus; verè dictum, post accuratam meditationem negare non debuit. Ingenuus animus accepta occasione sequentis alicuius disputationis, Pharaonem, & eius indurationem, vt minimùm, cum Catholica illa interpretatione produxisset, aut insinuasset, ne iuuenilem sensum pertinaciùs tenere videretur, cùm deceret peritiorem apparere: Quid autem Ratramnus? In hoc de prædestinatione Dei opere, inter exempla sex, quibus probat in prædestinatione causam peccatorum non inesse, Pharaonem non omittit, absque vlla indurationis mentione, cùm id nominis totus locus flagitaret, vt legenti sole clariùs parebit. Maluit ergo necessariam orationis suæ partem silentio præterire, quàm aliena admonitione emendatus videri. Et hæc de *opere commendabili*, vt loquitur Trithemius, absolutè spectato.

Ratr. lib. 2. cit.

§. I.

Ratramnus in eodem opere cum Carolo Rege, & pro causa Gotteschalci quomodo se gerat.

Caroli Regis suasu de prædestinatione scripsit.

IN consideratione relatiua tres spectare propositum est, atque in primis, auctorem scripti Carolum Caluum Regem, qui hortatu suo, atque imperio, vt Lupum Ferrariensem, sic & Ratramnum clari inter eruditos nominis virum, ad scribendum de tumultuante controuersia compulit. Sententiam quippe peritos quosque Rex sapientissimus rogabat, vt vel turbas sedaret, si quo modo sensu conuenirent; vel si iudicio præterea contendendum foret, neutra pars aurem sibi negatam quereretur. Quod in eo maximè laudandum, non tacet Ratramnus, *Cùm enim vniuersa cautè disquiritis, tum quoque in hac quæstione, cuius profunditas multos caligare facit, studiosè valdè & modestè inceditis, vt sanctorum sententias ex ea cognoscentes, quid postea prudentiam vestram agere oporteat, deliberetis.* Deliberauit enimuerò, & causa sic cognita, Hincmarianæ sententiæ in Concilio Carisiacensi posteriore subscripsit, eámque perpetuò fouit, & auctoritate regia Gotteschalci asseclas compressit, ne magistri errores disseminarent: scribente ad Nicolaum I. Papam Hincmaro, verbis Gregorij Magni, *Etsi eorum corda in insania peruersi sensus ebulliunt, orthodoxi tamen Regis nostri tempore, praua quæ sentiunt, eloqui non præsumunt.*

Ratr. lib. 1. epist. ad Carol. Reg.

Hincm. epist. 17. ad Nicol. ex Gregor. l. 7. ep. 47.

In dedicatione operis Regi adulatur.

Regi ergo, cuius imperio suscepit opus, iure ac meritò dedicauit: sunt tamen in eiuscemodi consecratione quæ mihi minimè arrideant. Primum est, quod illiberali cum adulatione Regem salutat, cum Dauide, Salomone, Ezechia, Iosia comparatum, eorum imitatione vos inquit, *admirabili prudentia reipublicæ vestræ statum disponitis, & potenti virtute hostium vires subigitis:* quod aut falsò dici oportet, aut omnes illius temporis historicos mentiri. *Et hæc virtutum insignia*, inquit, *non tanquam peregrina & laborum studiis comparata vobis adsunt; sed veluti naturalia.* Súntne ista priuati monachi apud claustrum Corbeiæ, quæ nunquam ab Abbate Lupo in aula, nunquam ab Hincmaro & Pardulo, quos vt Antistites aulicos perpetuò vellicat Dissertatio, prodierunt? Deinde, quòd ad Regis vnius tribunal controuersiam totam de re theologica, & fidem stringente deferri vult; contra veterum Patrum generosa exempla, qui in Templis, non in Palatio, hoc est, inter Episcopos, non inter profanos homines de rebus illiusmodi decernendum semper clamauerunt. *In quo opere, sicut magnitudinis vestræ iussionem exequi cupimus*, inquit, *ita clementiam exoramus, vt eorum quæ dixerimus & probator sitis, & iudex.* Neque istud tantùm, verùm etiam, *Si quid benè dictum fuerit, sententia vestra confirmetur: si quid verò aliter vobis visum fuerit, per vos redarguatur.* Non per Episcopos, non per Theologos, sed per Regem ab illis studiis dissitum, infinitis regni negotiis implicatum, perpetuis bellis distentum; vt apud Græcos aulici quidam Iustinianum suum Ecclesiasticarum doctrinarum iudicem, maxima cum Ecclesiæ perturbatione, fecerunt. Quantò religiosiùs Hincmarus eidem Regi gratulatur, quòd ab Ecclesiæ Præsulibus sacram doctrinam exquirat? *Obaudientes præceptum Domini, per Prophetam iubentis, interroga sacerdotes legem meam, super quibusdam capitulis me consulere vobis placuit.* Et responsurus, præfatur adulationem *Principi ac domino terræ placere non debere, minimè autem sacerdotem oportere illam sectari.* Sine qua proinde alibi Carolum laudare censendus est, cùm scribit paternum in modum. *Vos autem Domne carissime, quem Deus talento intellectus magnificè & potenter ditauit*, &c.

Controuersiæ definitionem defert ad Regem.

Hincm. opusc. 1. de reg. institut. Aggæi c. 12.

Hincm. opusc. 2. de vitiis & virtut.

Præterea, metum præ se fert Ratramnus ingenuo scriptore indignum, ne si quid reprehendendum in opere videbitur, illud statim omnibus propaletur, quasi Regi vni scribat de communi quæstione: *Nobisque correctionis vestræ sententia, propter pietatis vestræ clementiam non abscondatur, nec ad multorum conspectum veniat, nisi sapientia vestra comprobauerit, rectè dicta esse quæ protulerimus.* Idque postulatum *humilitati & verecundiæ deputari cupit*, quod ab æquis virtutum æstimatoribus non vereor vt obtineat. Idem rogat in operis calce, vbi & ad extremum de publica quadam collatione ad terminandam controuersiam non tacet, *Hæc scripta si sapientiæ vestræ non displicuerint, penes vos habeantur, nec in publicum proferantur, donec huius quæstionis controuersia diligenter ab omnibus fuerit euentilata, & quid tenendum, ab omnibus sit comprobatum.* Non rides, lector, crebram apud omnes istos disputationis, & collationis fieri mentionem, nullo vnquam effectu? Prudentius enim illam optasse se ait; quàm verè? iudicabimus. Lupus Ferrariensis sperare se ostendit; Ratramnus expectat: quis exequitur? Nam à Carolo negatam, vitatam ab Hincmaro, si quis dixerit, diuinabit. Quid si dicimus Carisiacam Synodum posteriorem in eius collationis vicem successisse, cui nemo illorum paruit? quid, & quo euentu sit actum in Conciliis numerosioribus sequens, liber edocebit.

Veretur ne opus suum publicetur.

Videtur optare publicam collationem. Idem l. 2. in fine.

Ad Gotteschalcum quod attinet, equidem non dubito quin Ratramnus hac lucubratione & opinionem ipse suam explicare, & simul ab erroribus qui in sodali suo reprehendebantur vindicare, & has eius sententias in tolerabiliorem sensum inflectere voluerit, minùs vt nocens

Gotteschalci opiniones mollire conatur.

videretur, si benigniores iudices nactus esset, ac fortasse etiam & ipsi Gotteschalco, & eius sectatoribus loquendi formam tradere instituit, qua ab Hincmarianis interrogati, se locarent in tuto, & Catholici viderentur, quod esse nolebant. Non enim quærunt illi sectarij veritatem quam profiteantur, sed quomodo quem semel hauserunt errorem, extra censuræ iactum, si fieri potest, constituant. Cùm ergo cruda & indigesta dogmata sine mentis stupore, sine rerum Theologicarum ignorantia Gotteschalcus euomeret, eáque meritò doctis & Catholicis stomachum mouerent; aduenit, licèt serò, Ratramnus, qui velut pulpamento quodam condiret, & Gotteschalcum ipsum, eiúsque sequaces doceret, quomodo lingua saltem possent esse catholici. Paucis exemplis rem ostendo. Reprobos ad interitum prædestinari dicebat secta, ex Augustino; ergo & ad peccatum aiebant Remenses. At Ratramnus, ex B. Fulgentio nomine interitus peccatum negat intelligi, *sed peccati vindictam, quæ in se est reddenda peccatoribus*. (Ratram. l. 2.) Vrgentur, qui positiuè vult effectum, causam eodem modo velit necesse est, qui finem constituit, media præbeat oportet: finis pœna est, culpa medium; ergo vtraque à Dei prædestinatione. Hic Ratramnus, *Prædestinatio Dei ad pœnam est, non ad peccatum, quia Deus auctor mali non est, & eorum quæ operatur Deus, prædestinator est; at malorum sicut non est auctor, ita nec prædestinator.* Non dico, istis vlteriùs nihil potuisse obiici, sed dupondiis in theologia hæc garrire fuit abundè. Iterum, sæpe vrget Gotteschalcus mutari & destrui Deum si quid nouè cognoscit, prædestinat, facit: si quem antè non prædestinatum, cogitur deinde ex bonis ipsius operibus, in album felicium referre. At Ratramnus omnem à Deo mutationem & nouitatem quomodo abigamus, edocet, scribente Gregorio, Deum *mutare sententiam plerumque, consilium nunquam*. (Idem l. 1.) Item Synagogulæ Gotteschalcanæ vox erat, prædestinari homines inflexibiliter, irreuocabiliter, immutabiliter, irretractabiliter, quia Deus mutari non potest. Ergo necessariò & antecedenter, inquiebant aduersarij, fatebatúrque Gotteschalcus, neque vllo modo sperare vitam possunt mali, aut mortem boni timere. Quid Ratramnus? (Idem l. 2.) *Quoniam nonnulli fortassis cùm audiunt iniquos ad pœnam prædestinatos, arbitrantur quadam necessitate ad eam trahi, nec ab hac necessitate aliquo modo posse mutari*, quod in Gotteschalci scriptis Amulus deprehendit: *non inconueniens nobis videtur, manifestiùs id patefieri, vt & prædestinatio malorum ad pœnam doceatur, nec tamen ideo ad eam perueniant, quia prædestinati sunt, sed causa peruentionis ex culpa sit delinquentis, non ex necessitate prædestinantis.* Quod pluribus exemplis, vt Angelorum apostatarum, vt Adami, Pharaonis, Pentapolitanorum, & aliis luculentè declarat, maiore quàm seculum ferat eloquentia, sed quatenus absque scholasticæ Theologiæ solertia progredi licuit. Cui disputationi simile quicquam tentare, Gotteschalco nunquam venit in mentem.

Gotteschalco non profuit doctrina Ratramni.

At, inquies, si Catholicè gemina prædestinatio explicata est à Ratramno, quare Gotteschalcus eodem loquutus modo hæreseos damnatus est? aut si Lupo & Ratramno docentibus, illud verum esse tandem agnouit Hincmarus, quare Gotteschalcus excommunicatione, & carcere solutus non est, quem post tot catholicorum scripta hæreticum censeri nefas fuit? Respondeo, quia fuit Gotteschalcus, hoc est, errorum sentina, idolum peruicaciæ, sedes superbiæ, omni ex parte miserabilis monachus; qui quod explicuit Ratramnus, non intellexit; quod ipse dixit obscurè, & subdolè, prauè sensit; sapientiori nemini, ne suo quidem Ratramno cessit; qui opportunam Hincmari, geminam prædestinationem aliquo sensu tolerantis, occasionem præ superbia & stoliditate neglexit, qua vel carcerem deprecari poterat, vel ei apud omnes creare inuidiam. Nam si vice tot quisquiliarum in ergastulo scriptarum, huic vni Ratramni libro de Prædestinatione subscripsisset, illum omnes carcere indignum clamassent, quando Ratramnum eo dignum nullus iudicauit. Atque magna mihi oboritur suspicio. Confessionem saltem prolixiorem, ab illo factam lecto hoc opere: adeo multa apud vtrunque conueniunt, quæ sanè non Ratramnus à Gotteschalco mutuatus est, sed à Ratramno magistro & oraculo suo didicit Gotteschalcus. Neque moror chronologiam Dissertatoris, eius historiæ ad nutum ancillantem: neque ratio menti meæ occurrit, quæ istud dissuadeat: imò certum arbitror seriùs Confessionem illam exiisse in vulgus, cùm iam hæresim de Trina Deitate animo combibisset auctor, cuius in ea vestigium apparet, & post talem blasphemiam testatur Hincmarus ad iudicium Dei prouocasse. Istud quoque iudicium tanta confidentia & præsumptione non ambiisset, nisi in causa prædestinationis aliunde foret animatus; vnde autem maiores amicos sumere potuit, quàm ab amici pro Catholico habiti libro ad Regem misso, nullius erroris reo, secum, vt putabat, in omnibus consentiente? Adde, quod mirari soleo, altum de Gotteschalco in omnibus istis opusculis silentium; cuius causam apud Carolum Regem agere non dubitaret Ratramnus, aut Lupus, & hic apud Hincmarum, si vel schedulam exteriùs fuco veritatis illitam offerre voluisset.

Confessio Gotteschalci videtur esse hoc opere posterior.

His coniecturis suas opponet Dissertator amplissimus de Hincmariano satellitio, Gotteschalcum arctè cingente, de terribili custodia, quæ nec nomen Ratramni ad eum penetrare sineret, quantò minùs scripta quæ legeret & excerperet? Sed hæc ad Danaën & Hesperides poëtarum facilè remittet, qui meminerit Hincmarum solicitè curasse, vt rediret ad sana consilia Gotteschalcus: potuisse hoc à Rege postulari per Ratramnum, qui, vt est verisimile, regiam tali in re ac tempore clementiam libens exercuisset: adhiberi potuisse deprecatores Episcopos, quibus Rex nihil negare soleret; aut etiam aliqua in Synodo nouos nouæ expositionis iudices, qui gratiam illam vel inuito Hincmaro contulissent, si qua ratione meritus esset, vt postea Laudunensem Hincmarum, contra Remensis voluntatem, in Concilio Trecassino Sacerdotalibus vestibus induerunt. Ex his igitur ritè concludimus, tum etiam temporis indignum fuisse gratia Gotteschalcum, & talem à Catholicis geminæ prædestinationis assertoribus, iudicatum, vt pote sensu animóque hæreticum & incorrigibilem.

Potuit hac occasione vti Gotteschalcus.

§. II.

Quo se aduersus Hincmarum animo Ratramnus ostendat.

Ratramnus comparatur cum Hincmaro. VENIO ad Hincmarum, quicum inimicitias exercuisse Ratramnum non negamus; sed penè vt inter eruditos accidere solet contraria sentientes, vt inter Platonem & Xenophontem intercessisse aiunt: nisi quòd de mutuo tantùm silentio accusantur isti, quia nusquam alter alterius meminit; nostri autem æmulationi suæ aceti non parum infuderunt; & blasphemiæ Ratramnum aliquando accusat Hincmarus, Hincmarum calumniæ Ratramnus. Metuit sibi Ratramnus ab Hincmaro hoc in opere, non aulicæ potentiæ fulmina, sed eruditi stili acumina quibus vellicetur: neque quicquam aliud in eum vnquam meditatus est Hincmarus, qui absolutè loquendo tanti hominem fecit, vt cùm ad Nicolai I. voluntatem doctos è Gallia viros conquireret, qui contra Græcorum errores scriberent, Ratramnum nominatim voluerit inuitari; cuius & libros quatuor iis de rebus, manuscripti Codices etiamnum asseruant, vt ab Odone Beluacensi Episcopo collecti, & Hincmaro ipsi sunt oblati. Quæstionem de Eucharistiæ Sacramento, ab hoc tractatu abesse volo: cuius est peculiaris, & longè magis lubrica consideratio. Itaque nemo negauerit, fuisse duo per hæc tempora Ecclesiæ Gallicanæ inter eruditos lumina, Hincmarum & Ratramnum ordinis monastici decora: sed Hincmaro priores partes dederunt Archiepiscopales infulæ, & summa Regni religionísque negotia consilio, industria, scriptis, epistolis, Synodis, perdiu administrata; dum priuatus in claustro studiis suis vacaret Ratramnus. Quod si cogitatione remouemus Hincmarum à clauo reipublicæ, & otiosum fingimus in Monasterio Sandionysiano vitam totam egisse, adæquè vt Ratramnum Corbeiæ; arbitror ego hoc casu, Ratramnum maiore cum ingenij & eruditæ elegantiæ fama; Hincmarum cum solidiore pij, docti, & Catholici hominis gloria, ad posteritatis notitiam fuisse venturum.

Sententiam Hincmari perstringit. Verùm, vt vtrunque in hoc solùm opere spectemus, certum est totum illud Hincmarianæ opinioni aduersari, professa opera auctore id volente & agente. Priuatim verò tribus maximè locis quasi digito indicatur, & perstringitur, quos libamus. Primò enim post Isidori sententiam fusiùs expositam, ita concludit. Quæ cùm ita sint, negare geminam prædestinationem nescio qua fronte possimus: *Quod si quis auctoris huius sententiam repudiat, videat quemadmodum scriptura sanctæ contradicat, cuius testimonia condemnare huius doctoris sensibus omnino cognoscimus.* Reflecte oculos, lector, ad Lugdunensem illum scriptorem, quem nos Scripturarium appellamus, & æstima, num probabiliter censeri possit consilium libelli sui conscribendi, *De tenenda immobiliter scripturæ sanctæ veritate*, ex hoc Ratramni dicto sumpsisse? Adibis deinde ad Hincmarum, & qui fuerit sensus de Isidori gemina prædestinatione, ex S. Augustino, & S. Gregorio, per otium cognosces. Addi etiam potest pro Hincmaro, nisi

De gemina prædestinatione. Ratr. l. 2.

horrore antecedentis & in absolutam necessitatem trahentis prædestinationis, non esse negatam ab ipso geminam prædestinationem, & facilè cum Catholicis verbo consensurum, modò ab hæresi Prædestinatianorum fides tuta præstetur.

Secundò perstringitur Hincmarus, cùm eius opinio Isidori auctoritate debilitatur. *Ex hoc approbat, quòd iniquos & impios Deus prædestinauerit ad supplicium, eò quòd illis dicturus est, Ite in ignem æternum. Vnde qui volunt dicere, quòd pœna prædestinata sit iniustis, non iniusti prædestinati sunt ad pœnam: viderint qualiter huius auctoris dicta intelligant. Cui enim paratur pœna, is nimirum preparatur ad pœnam.* In illis esse Hincmarum, & eius scripta declarant, & monere non omittit Dissertator, nota marginali ad hunc locum adposita. Et hæc duo solicitè distinguentem Hincmarum omnes illæ scriptiunculæ, vt Prudentij, vt Seruati Lupi, vt Gotteschalci, vellicant. Sed quemadmodum Hincmarus dicit potiùs quàm probat, malis prædestinari supplicia, non malos ad supplicia: sic illi vtriusque propositionis eundem sensum esse, satis habent dicere: vt in Ratramno apparet, qui & antè dixerat, *Propterea reos prædestinauit ad pœnam, & pœnam prædestinauit illis.* Quamobrem visus est illis Hincmarus tricari, & effugium quærere, ne prædestinationem ad interitum cogeretur agnoscere. Et profectò si Catholico sensu inter omnes bene constituto, de verbis solis agitur, leuior est illa quæstiuncula, quàm vt graues Theologos occupet. Verùm iustus tum erat metus à fatali Prædestinatianorum necessitate, quæ homines impios futuros immittebat in vitam, vt futuros necessariò impios, & ex illa peccandi necessitate, necessariò damnandos: tanquam eos non alio consilio crearet Deus, quàm vt damnarentur, quod est illos prædestinare ad pœnam. Quamobrem non modò non reprehensione, sed etiam laude dignus mihi videtur Hincmarus, qui constantissimè gradum hîc fixit, neque vnquam passus est dici, malos prædestinatos esse ad pœnam, quia in singulorum arbitrio & libertate relictum esse voluit vitæ suæ terminum, & æternæ stationem.

De malis ad pœnam prædestinatis. Ratr. ibid.

Atque inter ipsos Catholicos conuenientiùs dici existimo pœnas malis prædestinari, quàm malos pœnis. Nam si fingimus Constantino Byzantium amplificanti, & carcerem struenti, notos ex prophetia fuisse ciues omnes, qui ob scelera olim patranda in eum compingendi forent, quæro vtrum propriè homines illos ad pœnam carceris præparasse, ac non potiùs, illis carcerem condidisse diceretur? Eadem ratione faciamus Regem Babylonium futuri præscium; is-ne verè censebitur tres Hebræos fornaci suæ præparasse, ac non meliùs, illis fornacem? Cur ita? quia non eo consilio vel Hebræos, vel quoslibet alios ad statuæ venerationem adegit, vt in ignem conijcerentur; sed ignem accendit, vt eo inobedientes punirentur. Ita Deus non eo animo creat impios, aut impios fieri & mori permittit, vt suppliciis addicantur; quod esset malos ad supplicia prædestinare: sed flammas habet paratas, quibus qui mali volent esse, crucientur: quod est malis supplicia prædestinare. Atque hunc esse le-

Pœna malis prædestinata.

gitimum catholicæ theologiæ sensum nemo non videt, vt qui meliùs spontaneam perditionem exhibet, & illud Euangelicum, *Discedite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius:* hoc est, reprobis omnibus, cùm ad illum nemo reprobus dicatur esse præparatus. Alia autem propositio videri potest plus fauere Prædestinatianis, ex Augustino malè intellecto dicentibus, *Est quidam populus preparatus ad iram Dei, damnandus cum Diabolo.* Quod dictum non prætereunt Gotteschalcus & Ratramnus. Atque hic se ipse clariùs explicat, cùm ait, *Deum prædestinatione & electos disponere ad regnum, & reprobos ad pœnas:* quasi vtrosque ad præscriptum finem manu deducat. Qui cùm eodem libro dicat, *In hac Republ. quæ vniuersus est mundus, omnipotentem Deum & rectorem & dispositorem esse, & omnia quæ fiunt illius dispositioni seruire*, quid erat opus superiore illa explicatione, cùm satis esset dicere, vti Deum mala impiorum voluntate ad prouidentiæ suæ finem, qui est Dei gloria, & salus electorum?

Matth. cap. 25.

Ratr. l. 1.

Tertiò denique Hincmari accusationem repellit, arguentis auctorum locos ab ipso corrumpi. Multis enim ex Isidoro descriptis, facti sui rationem ita reddit. *Totius capituli textum ponere libuit, ne quis nobis calumniam intorqueret, si partem excerpere, partem verò voluissemus omittere, tanquam corrumpentibus auctorum sententias, & ad nostræ seriem adinuentionis detorquentibus. Cuius quoque calumniæ denotationem vitare volentes, suprascriptorum sententias auctorum, Augustini videlicet, & reliquorum, longiori circulo, ac pene superfluo, annotare maluimus: deligentes potiùs superflui de loquacitate videri, quàm reprehensionis crimen de sententiarum violatione contrahere.* Neque dubium quin Hincmarum ista respiciant, nihil frequentiùs in aduersariis omnibus suis, quàm istam librorum veterum corruptelam reprehendentem. Sed causa hæc inter vtrunque litigantium facti est: quam si terminare conamur, non tantùm longiori & superfluo, sed etiam inutili & fastidioso circulo implicabimur. Nisi fortasse quis volet existimare, id verè obiectum esse ab Hincmaro, quòd in libris de Trina Deitate, qui modò non extant, in illud crimen incurrerit: verè à Ratramno hoc in libro pernegari, quem cautiore studio, vtpotè diligenter & inimicè considerandum, elucubrauit.

Negat à se auctorum locos corrumpi.

Ratr. l. 2.

Denique, vt de libri exitu aliquid addamus, cùm sæpe, vt dictum est, Carolum Regem obsecret, vt occultum apud se custodiat, & si quid vitiosum occurrerit, emendare ipse dignetur: semel etiam aliorum reprehensiones sibi monstrari postulet, vt respondeat, *Vel si quis*, ait, *reprehensor earum extiterit, detur nobis defensionis locus, vt vel acquiescamus iustè reprehendenti, vel confirmemus quæ verè fuerint dicta:* Carolus Rex, vt virum sapientem decuit, & Regem Christianissimum, Ecclesiæ pacandæ, & inuestigandæ veritatis studiosum, opus istud Hincmaro Archiepiscopo examinandum commisit: quod examen & Carisiacensia Capitula, & libri tres de Prædestinatione sequuti sunt: de quibus Flodoardus, *Composuisse* Hincmarum ait, *ingens volumen contra quosdam reprehensores suos Episcopos, maximéque contra Gotteschalcum, atque Ratramnum Monachum Corbeiensem, ad Carolum Regem.* Cui volumini quicquam fuisse repositum à Ratramno, vt aut acquiesceret, aut vt confirmaret dicta, nullo vestigio vel apud historicos illorum aut posteriorum temporum, aut in reliquis eiusdem Ratramni libris deprehendi potest: vt sine temeritate liceat affirmare, Ratramnum illo trium librorum sale, cum consorte suo perfrictum, nihil in posterum de Hincmari pulmentariis gustare voluisse.

Quis fuerit huius scriptionis exitus.

Ratr. l. 2. epist. ad Car. Reg.

Flodoard. l. 3. hist. cap. 15.

CAPVT VIII.

De Amalario, cuius hac de controuersia scripta exciderunt.



INVITATVM fuisse ad tractandam quæstionem Amalarium, credimus auctori secundæ Epistolæ de Tribus; atque insignem eruditione virum extitisse non malè inde colligimus: cùm in tanta doctorum copia, non ad præstantissimos quosque adiungi, & tantùm mediorum societatem exposcere, alienum sit à prudentia. Neque leue illius gloriæ argumentum inde ducimus, quòd Lugdunensi Epistolario cum Ioanne Scoto, imò supra Scotum displicuit; de quo mira nobis & ignota nunciat; quique hanc eius orationem expendunt, de ignoto faciunt ignotissimum. Verba scriptoris, quæ nouam pariunt controuersiam, ante omnia referenda sunt. Scripserat in epistola secunda Pardulus inter cetera. *Plures inde* (hoc est, ea de materia) *apud nos scripserunt:* (nimirum ex Regno Caroli) *Et cùm quinque ex eis nominasset, inter quos etiam Amalarium scripsisse memorauit, subiunxit dicens. Sed quia hæc inter se valdè dissentiebant, Scotum illum qui est in Palatio Regis, Ioannem nomine, scribere coëgimus.* Tria hîc parent. Scripsisse de quæstione Amalarium: ante Ioannem Scotum scripsisse: & cum quatuor aliis scriptoribus ipsi non conuenisse, quæ dissensio ad Scotum coëgit accurrere.

Cur Amalarius de quæstione scripserit.

Eccl. Lug. l. de 3. epist. cap. 39.

Quis autem fuerit hic Amalarius, ita docet idem Epistolarius. *Quòd autem inter ceteros qui de tanta quæstione, diuinæ videlicet præscientiæ & prædestinationis, apud eos scripsisse memorantur, etiam Amalarius ponitur; & Ioannes Scotus ab eis ad scribendum compulsus esse refertur; multùm molestè & dolenter accipimus, vt Ecclesiastici ac prudentes viri tantam iniuriam sibimetipsis fecerint, vt Amalarium de fidei ratione consulerent, qui & verbis, & libris suis, mendaciis, & erroribus, & fantasticis atque hæreticis disputationibus plenis, omnes penè apud Franciam Ecclesias, & nonnullas etiam aliarum regionum, quantùm in se fuit, infecit, atque corrupit: vt non tam ipse de fide interrogari, quàm omnia scripta eius, saltem post mortem ipsius, debuerint igne consumi; ne simpliciores quique, qui eos multùm diligere, & legendo frequentare dicuntur, eorum lectione & inaniter occuparentur, & perniciosè fallerentur ac deciperentur.* Satis iracundè quidem, sed parum distinctè: quando his omnibus auditis, non liquet quis tandem sit Amalarius ille, qui eius errores, adeo perniciosi vt debeant corrum-

Amalarius describitur ab aduersariis. Ibid. cap. 40.

pere; adeo iucundi, vt multùm diligi & frequentari possint à simplicioribus; quæ scripta illa sola ignis luce digna: quanti denique momenti sit iniuria, quam sibimetipsis viri prudentes fecerunt. Habemus tamen duo, scripsisse illum de Præscientia & prædestinatione; & ante à viuis excessisse, quàm istud de eo iudicium ferret Ecclesia Lugdunensis.

Credibile non est fuisse hæreticum. Itaque vt has tenebras, immisso coniecturali radio, quantùm fieri poterit, dissipemus, æquum videtur in primis, omnem hæreseos suspicionem ab eo propulsari, qui & amabatur à populis, & consulebatur ab Episcopis. Quis enim non sentiat, mendacia & errores in illo hyperbolicè & exaggeratè reprehendi? Quis credat adeò in re tanta dormitasse Franciæ Episcopos, vt hæreses toto regno serentem, & scriptis vulgò acceptissimis docentem, impunè scribere paterentur? Quis prauæ doctrinæ magistrum putet, quem in perdifficili quæstione, in qua labi procliue esset, consulerent? Quæ verò historia, quod Concilium, qui priuati vllius liber extat, si Lugdunenses istos, notæ acerbitatis aduersarios, excipis, quo Amalarius hic hæreseos vllius auctor fuisse referatur? Et tamen verum Duuallij Theologi, locum hunc commentantis, iudicium est, *sugillari* à Lugdunensi Ecclesia, & argui Amalarium, tanquam omnium hæresum illius temporis auctorem & promotorem. Ac vide istud quomodo Lugdunensis asserat, sine teste vllo, non ex eius librorum lectione: cùm paulò pòst de Ioanne Scoto dicturus sit, *sicut ex eius scriptis verissimè comperimus.* Quantùm verò calumniæ præiudicium est, quòd ne per vmbram quidem vllum priuatim errorem significat aut tangit? (Duuall. in hunc locũ.)

In cardine quæstionis non dissensit à Catholicis. Quæ si vniuersè de Amalarij doctrina non sine probabilitate disputantur, apertiorem habent in hac quæstione veritatem, in qua non notatur à ceteris in summa rei dissensisse, sed in quæstiunculis quibusdam incurrentibus, de vero auctore librorum hypognosticon, & libelli de Induratione Pharaonis; de quo cùm inter eiusdem opinionis asseclas non conueniret, magísque implicaretur quæstio, quæsitus est Ioannes Erigena, qui libris & auctoritatibus aliorum se se non illigaret, sed quæstionis solutionem in ipsa rei natura, & philosophicis rationibus inuestigaret. Hìc autem procliue fuit labi & desipere, dum humanis accommodantur diuina: in critica autem disceptatione, qui potuit esse metus hæreseos? Fallor, nisi *phantastica & hæretica disputationes, multùm dilectæ & frequentatæ à simplicioribus*, fuerunt libri de controuersis quibusdam quæstionibus, eruditè, & splendidè disceptantes, & sententias approbantes, quæ ab huius scriptoris opinionibus abhorrerent. Est enim Lugdunensis iste ex iis, quibus reiicienda videntur, quæ sensui suo non respondent, hominibus cogitationum suarum efflictùm amantibus, qui in rebus ingenium & doctrinam ostentantibus *non sunt sicut ceteri hominum*: qui ad nostram vsque ætatem propagati, quos audiunt agentes de communi omnium hominum redemptione per Christum facta; de suscepta vel repudiata liberè Dei gratia, adeóque non semper victrice; qui respectu futurorum conditionatorum in Deo scientiam mediam admittendam aiunt, vt his in notis Duuallius; qui post (Duuall. Not. ad l. aduers. Scot.) præuisa merita prædestinationem diuinam constituunt, quos hîc probat Duuallius, hæresis & Semi-Pelagianismi statim incusant, Pelagianorum reliquias renidente vultu, & elato supercilio appellitant: tanquam soli ipsi cognoscant sensum Domini, & consiliarij eius sint.

Notandum præterea, qualescunque sint hæreses illæ & mendacia, si rectè attendimus, non reprehendi in eo Amalarij libro, qui hac de quæstione scriptus est: sed in præcedentibus, quibus sic editis, indignum se prodiderat auctor, qui de fidei ratione consuleretur. Est enim Lugdunensis Epistolarij mens ea, vt aduersùs prudentiæ leges fecisse Remenses ostendat, cùm Amalario & Scoto scribendi ansam & consilium dederunt: diuersimodè tamen: Amalarium enim priùs nouerant ex hæresibus propalatis; cur ergo in cognitum periculum se rursus volentes scientésque induerunt? Ioannis verò Scoti *phantasticas adinuentiones & errores* posteriùs experientia per librum de Vnica Prædestinatione sunt edocti: in hoc proinde minùs reprehendendi, nisi illum è partibus suis eiicere aut corrigere neglexerint. Denique ex eo quòd liber iste à Lugdunensi tam acerbè reprehensus, Hincmari partibus contra Gotteschalcum fauit, subodorari possumus, qui fuerit illi datus Titulus, fortasse de diuina præscientia & prædestinatione. Quod si verum est, ex eo ipsius operis hypothesin, non incongruè colligimus. Sed quæ eius forma fuerit, absoluta, an relatiua quis diuinauerit? hoc est, an absolutè quæstionem tractarit, nullo sibi ad debellandum hoste proposito, vt Seruatus Lupus, vt Ratramnus, vt Florus in Epistola: An potiùs, more Augustinianorum πλαγιακῶν, certarit cum aduersario Gotthescalco, vt Erigena Scotus, vt Hincmarus, & ante alios Rabanus Maurus, vt alij istorum æmuli Prudentius, & omnes Lugdunenses? (*Non videtur errasse, contra Gotteschalcum scribens.*)

His omnibus quæ & historiam & controuersiam multùm promoueant, in obscuro relictis, venio ad aliam, quæ ex Duuallio est orta, quæstionem: in qua nihilominus quis fuerit noster hic Amalarius, quasi per nebulam licebit dispicere. Licet enim non malè pronuntiet Duuallius, *quis fuerit, magis ignorari, quàm sciri*: vt huic tamen Epistolarij Lugdunensis amplificationi, si quam potest, fidem faciat, peccasse illum putat aduersùs sanctissimæ Eucharistiæ mysterium, quæ fuit alia quæstio illis temporibus agitata. Sic qui personam fatetur ignorare, videri vult qualitatem scire personæ. Id autem probat ex Flori dicto in Ps. 80. aduersus Amalarium scribentis. *Vis, inquit, comedere ipsum Dominum Deum tuum? Audi quid dicat. Dilata os tuum, & implebo illud: Dilatate ora vestra, ipse est Dominus & panis*, &c. Ex ea sententia sic à Floro prolata. *Coniecturæ locus relinquitur*, inquit Duuallius, *Amalarium illum vnà cum Ioanne Scoto fuisse Berengarij præcursores, & veluti antesignanos: quorum errorem nostri Eucharistomastiges iamdudum sopitum, & extinctum ab orco suscitarunt.* Ita Theologus. Quo loco consulto, ceperunt occasionem sequentes scriptores exquirendi, quis fuerit Amalarius hic, Lugdunensi Epistolario ingratus ob hæreses & scripta de prædestinationis controuersia? veréne fuerit hæreticus, & augustissimæ Eucharistiæ veritatem oppugnarit? (*Diuersæ opiniones de Amalario.*) (Duuall. Not. ad l. de 3. epist.)

Sententia Vsserij de Amalario. l. hist. Gottesc. c. 8.

Vsserius Armachanus eundem esse censet cum Amolone Lugdunensi Archiepiscopo, de quo antè scripsimus: *Illo ipso videlicet, cuius libros de diuinis officiis falsò Amalarij Treuirensis nomine vulgatos legimus.* Quam opinionem confirmat auctoritate Margarini Bignæi, asserentis *legisse se in M S. Codice perantiquo, Florum adfuisse Concilio Carisiacensi temporibus Caroli Calui, & scripsisse contra Amalarium Lugdunensem.* Concilium illud putat Vsserius habitum Carisiaci circa mortem Ludouici Pij, Carolo Caluo Rege Neustriæ iam coronato, *in quo Amalarij huius de Corpore & Sanguine Domini deliramenta ab Episcopis sunt damnata.* Vnde concludit idem Vsserius, fuisse Amalarium eius opinionis circa Eucharistiam, quam nos catholici sequimur, quam & tum in eo damnatam putat ab Episcopis. *Quæ si Duuallius habuisset perspecta*, inquit, *intellexisset ille profectò Metusiastarum potius, & Synusiastarum, quàm Berengarij & antiquæ de sacro-sancta Eucharistia doctrinæ assertorum, præcursorem habendum fuisse Amalarium.* Ita sectarius tria de Amalario docet. Nam 1. tres scriptores Amalarios in vnum confundit, Lugdunensem Amolonem, qui & ipse nonnunquam Amalarius dicitur; Auctorem libri de officiis diuinis; & istum Gotteschalco oppositum, de quo ambigitur. 2. Geryoni huic tricorpori assignat hæresim circa Eucharistiam, Berengarianæ opinioni oppositam & in quodam Concilio damnatam. 3. Errorem illius damnatum, affirmat fuisse de reali corporis Christi in augustissimo Sacramento doctrinam, cuius præcursor fuit Amalarius, non autem Berengarij, vt vult Duuallius.

De eodem Dissertatoris opinio. c. 18.

At Dissertator amplissimus, ex eodem Armachano Vsserio, sub quo pro Gotteschalci defensione militat, & altero æquè Caluini discipulo Dauide Blondel, verbi Dei pseudoministro, amico nihilominus suo, coniecturam illam Duuallij *non satis cautam esse* ait & improbat: non quidem vt Catholicum faciat Amalarium, sed erroris alterius parentem. Videlicet, *Luce clariùs patere etiam ex eo quod Amalarius ipse scripsit de triformi, & tripartito corpore Christi, longè ipsum abfuisse ab hæresi Ioannis Scoti, & Berengarij, qui solam corporis Christi figuram in Eucharistia haberi docuerunt. Imò verò oppositæ hæresis Stercoranistarum fuisse antesignanum.* Hanc ipsam hæresim in illo Carisiacensi Concilio anno 838. fuisse damnatam: atque tum ea quæ ex Floro in Amalarium proferuntur à Duuallio, tum quæ ab eodem Amalario in libro citato de diuinis officiis, scripta sunt, non nisi de Stercoranistarum hæresi posse intelligi, nec vllo modo conuenire Sacramentariorum figmento. Ceterum pessimè facere Vsserium Armachanum, qui Amalarium hunc cum Lugdunensi confundat; qui *error* est grauissimus, & in viro perspicaci non ferendus. Ita hoc loco malè animatus videri vult in sodalem, quem tamen, vt Homerum Plato, non nisi coronatum laudatúmque dimittit. Conuenit autem hactenus cum Duuallio & Vsserio in duobus. 1. Quòd Amalarium nostrum non distinguit ab auctore de diuinis officiis. 2. Quòd circa Sacramentum altaris errasse affirmat. Dissentit autem à Duuallio, & cum Vsserio negat, eius hæresim fuisse Berengarianam & Scoticam, qua negatur realis corporis Christi præsentia. Sed admissa illa præsentia, cum Dauide Blondel Stercoranistarum hæreseos assertorem cum Heriboldo fuisse confirmat: atque Carisiacense Concilium quo damnatus fuit, cum eodem Dauide, & Vsserio tanquam indubitatum admittit. Iam verò quia non quæritur modò qualis fuerit Amalarius, sed quis, hoc primùm, contra Vsserium non patitur cum Lugdunensi Amolone confundi. Deinde *quisquis Amalarius fuerit*, inquit, *siue Metensis Episcopus, iuxta Honorium Augustodunensem in libro de Ecclesiasticis scriptoribus: vel eiusdem Ecclesiæ diaconus, iuxta Miræum in Scholiis suis ibidem: vel Diaconus Treuirensis, vt vult Blondel; vel alius quislibet: certè Episcopali dignitate præditum non fuisse, argumento est Epistola Nithardi ad ipsum scripta.* (non potest ergo credi Episcopus, iuxta Honorium) *Sed certo certiùs nec Archiepiscopus Treuirensis fuit, eiusdem nominis: multò minus potuit esse Amulus Lugdunensis Archiepiscopus.* Superiora omnia de Amalario credi permittit, modò ne putetur fuisse Treuirensis Archiepiscopus; quod accipit ab Vsserio: vel Amulus Lugdunensis, in quo reprehendit Vsserium. Quare hoc vnum definitè docet, quis non sit Amalarius, qui postea exclamaturus est, tanquam in cognitum, *En paucis quales Hincmarus inuenit opinionis suæ fautores.*

§. VNICVS.

De Amalario certa quædam constituuntur.

Vera de Amalario sententia.

NOVA pugnæ species, in qua professos video catholicos & hæreticos, hæreticorum asseclas Catholicos, Catholicorum sequaces hæreticos, meram mixturam: magnum porrò doctrinæ apparatum, quem rusticè disturbari nefas sit. Quia tamen nemini spectatum admisso, iudicij vsu interim interdicitur, hæc ego arbitror. 1. Cum Dissertatore clarissimo contra Vsserium, certò alium esse Amolonem Lugdunensem, de quo multa superiùs, ab Amalario isto. Nam Epistola Parduli, cui respondet Lugdunensis, Amalarium in iis recenset, qui apud nos scripserunt, hoc est, in Regno Caroli, quod sanè Lugdunensi Archiepiscopo non conuenit. Deinde quis credat de Archiepiscopo suo recens defuncto, eóque sanctitatis recente memoria venerando, funesta illa & tetra scripturum Lugdunensem, Clerum probaturum, Ecclesiam vulgaturam? Videat igitur Armachanus Vsserius, quæ fides Manuscripto Codici Margarini Bignæi debeatur, in quo Florus contra Amalarium Lugdunensem scripsisse legitur, cùm ex aliquorum sententia, Florus Lugdunensis scripsisse dicendus sit.

Non esse Amolonem Lugdunensem.

Assero 2. Amalarium hunc nostrum, ab Amalario Treuirorum Archiepiscopo esse diuersum; quod & Vsserio, & Dissertatori Præsidi sapienter visum est, idque probat eadem quæ superiùs ratio, de regione in qua vixit hic, Germania, à Caroli ditione seiuncta; cui & chronologia suffragatur, suppositam assertionem confirmatura.

Non esse Amalarium Treuirensem.

Aio enim 3. secundùm Vsserium, librorum quatuor de Officiis Ecclesiasticis, & libri de ordine Antiphonarij auctorem non esse Ama-

Amalarii Treuirensem non

scripsisse libros de Diuinis offic. larium Treuirensem Archiepiscopum, quos tamen Bibliotheca Patrum sub eo nomine complectitur. Siquidem auctor ille Amalarius quisquis est, se testatur ab Imperatore Ludouico Pio Romam missum ad Gregorium IV. Pontificem, anno Christi 831. Quo anno non erat superstes Archiepiscopus Amalarius: quando eius successor Hetti, tum Imperatori carus, nominatur in Synodo Parisiensi anno 819. qui & antea, anno 818. ad Frotarium Tullensem Episcopum de rebellione Bernardi Regis Italiæ scripserat.

Amalar. l. de ordin. Antiphon. cap. 58.

Scriptos esse ab Amalario Diacono. Assero 4. verum auctorem libri de Diuinis Officiis, esse Amalarium alium Diaconum Metensem, vt docet Sirmondus in Notis ad Ennodium. Id verò manifestè monstratur ex historia Ademari Monachi, ex apographo Sirmondi, vbi de Ludouico Pio Aquisgrani hiemante. *Vbi habito Concilio: id est, in ind. 'x. anno Imperij sui 3. ab Incarnatione Domini 816. iussit fieri regulam Canonicis, excerptam de diuersis Patrum scripturis: decreuitque eam obseruandam à Canonicis; vt sicut Monachi respiciunt ad librum regulæ S. Benedicti, sic perlegant Canonici inter se librum vitæ Clericorum. Quem librum Amalarius Diaconus, ab Imperatore iussus collegit, ex diuersis Doctorum sententiis. Dedit ei Imperator copiam librorum de Palatio suo, vt ex ipsis ea quæ viderentur congrua excerperet. Et ita cum decretis Episcoporum qui ibi fuerunt, vita Clericorum roborata est. Scripsit eidem Imperatori supradictus Amalarius librum de officiis diuinis, & de varietatibus eorum & de ordine psalmorum, iuxta Clericorum vsum antiquum.*

Ademarus Monach. in hist.

Concil. Aquisgran. tom. 2. Concil. Gall.

Hunc non errasse circa Eucharistiæ mysterium. Certum mihi est 5. Amalarium hunc Diaconum librorum istorum parentem, circa Eucharistiam non errasse, contra quod asserunt docti nostri Vsserius, Blondel, Præses Dissertator: idque vt efficiant bibliothecas & Manuscriptos omnes codices excutiunt. In quibus præter cetera, reperiri aiunt Synodum Carisiacam omnibus Conciliorum Tomis ignotam, anno 838. circa mortem Ludouici Pij habitam, qua Amalarij deliramenta de corpore & sanguine Domini damnata sunt. Ita Blondel, & Vsserius, qui Philippum Mornæum citat ad marginem: clara nomina, & certam scilicet de rebus Eucharisticis apud Catholicos fidem factura. Quibus equidem non arbitror consensurum Dissertatorem, si dilectum Gotteschalcum nullus læsisset Amalarius. Ego-ne vt credam Amalarium, tanta doctrinæ gloria florentem sub Ludouico Pio, tam multis Ecclesiasticorum officiorum libris nobilem, quàm multos nominat Melchior Hittorpius, à quo primùm lucem acceperunt, quos & ipsi Ludouico cum faustissimis acclamationibus ad veterum morem inscripsit, sub tali tantóque Imperatore fuisse conuictum hæreseos atque damnatum? maximè cùm de Eucharistia non disputet, sed totus sit in Eucharistiæ celebratione narranda. Putém-ne sub Ludouico Pio semel damnatum ab Episcopis, ab iisdem Episcopis sub Carolo Caluo toleratum fuisse, eiúsque libros omnes, patientibus omnibus tota Francia, ceterisque regionibus in pretio habitos? Vtinam Carisiaca ista, Sirmondo & eruditis omnibus inaudita Synodus, Amalarij damnatrix, vel digito Gotteschalcum tetigisset! quanta cura, studióque, quanta doctrinæ supellectile fictitiam & ab Eucharistomastigibus falsò excogitatam esse probaret eruditus Dissertator; atque ad Fausti Synodos Arelatensem & Lugdunensem amandaret? Eam tamen illi placet de manu triumuirorum Vsserij, Blondeli, Mornæi pro vera suscipere & amplecti. Bonum sit.

Hittorp. in lib. de diuin. offic. ad lect.

Synodus Carisiaca commentitia.

In Amalarij criminatione non conueniunt aduersarij. Mihi tamen non exiguum & leue falsitatis argumentum præbent illius Synodi assertores, qui de Amalarij errore circa Eucharistiam in ea proscripto disputant, vt in falsis, aut incertis fieri solet, variè. Vsserius enim, vt notauimus, hunc errorem fuisse dicit, Synusiastarum Duallij, hoc est, Sorbonicorum & Catholicorum, oppositum Berengario & Scoto. Sanè alia omnia à Berengario sonant hæc verba, proprio loco, vbi de consecratione, posita. *Hic credimus naturam simplicem panis & vini mixti, verti in naturam rationabilem, scilicet Corporis & Sanguinis Christi.* Hic error est Vsserio, vni è patronis Gotteschalci, quem si in Catholica Synodo damnatum probauerit, quid non euincat? At ex aduerso clarissimus Dissertator, qui Gotteschalcum fouet cum Vsserio, Amalarium impetit cum Blondelo, contraria Berengario sensisse dicit Amalarium, sed in alteram partem nimis inclinantem, hæreseos Stercoranistarum inuentorem appellat, cum Heriboldo Antissiodorensi, & eius erroris in illa Carisiacensi Synodo damnatum. O magnam, & Ecclesiæ salutarem Synodum, in qua quid actum sit, disputant illi ipsi à quibus primùm profertur! Quam assertionem quia sola ignoti cuiuspiam Manuscripti fide perquàm infirma, niti videt acutus & solers Dissertator, nos ad ea remittit, quæ de triformi & tripertito corpore Christi scribit ipse Amalarius, *quæ nisi de Stercoranistarum hæresi intelligi non possunt, nec vllo modo conueniunt Sacramentariorum figmento.* Atqui in ipsis Amalarij verbis non magis hæreseos Stercoranistarum, quàm Sacramentariorum, vestigium vllum apparet: vt hæc erroris circa augustissimum Sacramentorum coniectura in Amalario, pura puta sit diuinatio.

Amal. l. 3. de Eccles. offic. c. 24.

Amal. l. 3. de offic. Eccles. c. 35.

Non esse eundem Amalarium qui contra Gotteschalcum scripsit. Supponunt autem isti veriùs quàm probant, Amalarium cui Lugdunensis Epistolarius conuiciatur, eundem esse cum illo Diuinorum Officiorum scriptore Amalario, in quo quærunt quod mordeant. Quod equidem licèt inuictis argumentis negare non possim, propendeo tamen in eos qui volent distinguere, mihíque aliquantò probabilius videtur, alium ab Amalario librorum Officialium parente, Lugdunensis Epistolarij stilo vulnerari. Siquidem fœdam illam contumeliarum congeriem mereri potuisse non arbitror virum, vt ferebant tempora, eruditione illustrem, & auctoritate præstantem, qui vnus ab Imperatore prudentissimo delectus sit ad scribendam Clericis regulam, & Diaconus cùm esset, ab Episcopis omnibus laudari & probari meruerit. Atque eius scripta quæ supersunt, inoffenso etiamnum pede decurrimus, quibus proinde censeri non potest Ecclesias infecisse & corrupisse. Solent autem quibus intelligentia, velut actionum omnium radix, vitiata est, in ramos & frondes corruptionem effundere, neque vllum opus, quantumuis alienum à proposito conficiunt, in quo labes, & errorum vestigia identidem non imprimant.

Quod euenisse Ioanni Scoto aduersùs Gotteschalcum scribenti, non dubito. Quid autem simile reperimus in Amalario, cuiusque librisdiuinorum officiorum? Videntúr-ne illi, vel qui alij, à tali ingenio profecti, non alia quàmignis luce digni? Quare Duuallius, cui officiales Amalarij libri non potuerunt esse non notissimi, in illa sua coniectura, de Amalario hic accusato, nullam Amalarij librorum illorum scriptoris mentionem inducit, duos vt esse significet. Huc accedit, quòd Amalarius illorum parens, Diaconus Metensis fuisse dicitur, adeóque tum Lothario Imperatori subditus: at nostrum hunc Amalarium Carolo Caluo subiectum fuisse oportuit, cùm scriberet Pardulus, *Plures apud nos inde scripserunt*. Hæc enim verba cum Dissertatore interpretor, in hoc Regno in quo degimus, vbi feruet contentio, quibuscum versantur nominati scriptores.

Conclusio de Amalario. Quæris igitur quis tandem ille sit Amalarius Gotteschalci aduersarius, sola Lugdunensis Censoris nota cognitus, ab Amolone Lugdunensi, Amalario Treuirensi, Amalario diacono, & librorum officialium auctore distinctus? Iamdudum respondit Duuallius, *quis fuerit, magis ignorari, quàm sciri*. Quisquis autem fuisse dicatur, scriptor fuit natione Gallus, professione catholicus, non sacramentarius hæreticus, sed elegans & acceptus populo, Francis Episcopis carus, æmulis inuisus, Hincmarianarum partium sectator, paulò post impugnatum Gotteschalcum mortuus; ideo fortasse confutatus à nemine, quod sciamus: cuius scripta igni adiudicanda censet Lugdunensis & turpificandam memoriam, quod Episcopis nostris non persuasit. Iniuria temporum præclaros libros posteritati, magno viro gloriam inuidit. Et hæc de primo congressu catholicorum theologorum in Gotteschalcum Prædestinatianos errores renouantem.

Apertum æmulationis exemplum in hac disputatione. Iam verò in medio disputationis æstu positum, patere me, lector, magnum & euidens inuidiæ spectaculum exhibere, tota deinde historia similibus exemplis confirmandum. Scripsit Ioannes Scotus libros duos ad rem nostram spectantes, De Eucharistia, & de vnica Prædestinatione, aduersus Gotteschalcum. Scripsit Amalarius libros plures, si credimus Epistolario Lugdunensi, *mendaciis, erroribus, & hæreticis disputationibus plenos, quibus Ecclesias Franciæ infecit, atque corrupit*: & præterea librum contra Gotteschalcum Prædestinatianum. Neque desunt qui credant circa Eucharistiam errasse aut cum Scoto, aut Stercoranistis postea secutis, errandi ansam & exemplum præbuisse: quod huius meæ disputationis gratia, hoc loco pro vero & certo credi libens permitto. Iam legio illa fulminatrix Lugdunensium aduersùs Episcopos Carolinos, & eorum ducem Hincmarum concitata, quam in partem zelum suum, & ardorem scribendi conuertit? Non profectò in libros illos *mendaciis & erroribus plenos*, qui Christianæ religionis iugulum, ipsum altaris augustissimi mysterium petebant: sed in eos quibus lædi Gotteschalcus, defendi aliquo modo videbatur Hincmarus: nullum Ioanni Scoto, & Amalario perniciosissimè dogmatizantibus, ob res tantas, tam nouas & insolentes negotium facessiuerunt: omnes belli sacri machinæ ad euertenda Hincmarianarum partium propugnacula sunt admotæ. Quid? Fuít-ne minoris in religione Christiana momenti statuere, vtrum in Eucharistia sit sacramentum solum, an verum & reale Christi corpus, quod speciebus tectum sub aspectum non cadat? quàm quærere, vtrum Prædestinatio in malam partam vsurpari possit; vtrum pœnæ impiis, an impij pœnis prædestinati sint? Quid? Patres illi Valentini Lingonensisque Concilij, tam seueri Capitulorum Carisiacensium Aristarchi, qua de causa totum stomachum in vnum Hincmarum effuderunt, cùm Amalarij, & Ioannis Erigenæ portentosas hæreses præ oculis haberent? Erant videlicet Hincmari Capitula magis *noxia, inutilia, erronea, contraria veritati*: aut ipsius Scoti Capitula nouemdecim syllogismis conclusa, erant potiùs *inepta quæstiunculæ, aniles fabulæ, Scotorum pultes, puritati fidei nauseam inferentes, commenta diaboli*, quàm eiusdem Scoti liber de Eucharistia, aliquibus pòst seculis in Concilio Romano centum & tredecim Episcoporum iussus exuri? quàm *omnia* Amalarij *scripta*, quæ saltem post mortem ipsius debuerunt igne consumi? *Nouitates vocum & præsumptiuas garrulitates*, contentionum, & scandalorum fomites, boni Antistites à pioauditu fidelium penitus explodendas iudicarunt; & hanc de Eucharistia grauissimi erroris nouitatem, nunquam antea, teste Paschasio Ratberto, Ecclesia tota auditam aut cogitatam, patientibus animis & apertis auribus exceperunt: nihil veriti *ne mentes Christianorum inde corrumperentur, & exciderent à simplicitate, & castitate fidei, quæ est in Christo Iesu*. Cùm interim *simpliciores quique* librorum Amalarij *lectione, & inaniter occuparentur, & perniciosè fallerentur ac deciperentur*. Neque responderi potest, præsentem Valentino Concilio non fuisse Scotum, aut tunc temporis vitâ functum fuisse Amalarium; neutrum autem Valentinorum Episcoporum iurisdictioni fuisse subiectum, vt illos iudices pateretur. Non enim præsens erat Valentiæ Hincmarus, aut Scotus ipse, cùm Capitula aduersùs Gotteschalci dogmata proscripta fuisse dicuntur. Non erant Valentinis Episcopis subditi, cùm *noxia, contraria veritati, erronea, commenta diaboli* scripsisse iudicati sunt. Si nihil habuerunt iuris in errorem perniciosissimum de Eucharistia, à quo ius acceperunt in Capitula nouemdecim? Si quid potuerunt in Capitula, cur neglecta est Eucharistia? Mortuum Amalarium quid obtendis? longè post Ioannis Scoti mortem liber eius de Eucharistia in ignem coniectus est. Mortuum pluribus antè seculis Origenem in quinta Synodo generali damnauit Ecclesia. Quapropter optimo iure colligo, non fidei, sed Gotteschalco; non pro Ecclesia, sed contra Hincmarum laborauisse partem Lugdunensium, & graues diuturnásque tragœdias, sub religionis siparıo inuidiam egisse & æmulationem, quod est inferiùs sole clariùs demonstrandum.

Concil. Valent. 3.

Paschas. Ratb. Lex pos. in Matth.



CA-

CAPVT IX.

Quis fuerit Prudentius Trecassinus, & quam ob causam aduersùs Hincmari opinionem pro Gotteschalci partibus steterit.

Prudentius eruditus, & scribendi auidus.

SCRIPSERVNT illi vel rogati, vel iussi, sponte Prudentius, & quidem magis infensus Hincmaro, quàm amicus Gotteschalco: atque hic diutissimè, pertinacissimèque à curis publicis vacuus, immunis à Synodis, quas ob aduersam valetudinem adiit perrarò, non imparatus à scientia & antiquorum Patrum collectionibus, productam longiùs vitam, in scriptitandis controuersiis, satis otiosè & inutiliter, ne dicam noxiè occupauit.

Quis fuerit Prudentius. Hæc dico, quia perfectam Prudentij notitiam locus postulat, initium videlicet contentionis theologicæ cum Hincmaro; neque enim opus aliud prius agnosco. Erat igitur ex iis Hispanis, quos Maurorum seruitutem fugientes, regia Ludouici Pij munificentia in Gallias admisit: Galindoni nomen in patria; sub clementiore cælo, vrbaniori nomenclatione Prudentius dici voluit, & obtinuit, Gothico nomine iam sepulto; quod tamen Annales Bertiniani, mox ab interitu vindicabunt. Sunt qui cum Floro Magistro confundant, & Florum putent Trecensem esse Episcopum, qui Ioannem Scotum impugnauit: quod non patitur nota operum vtriusque scriptoris in eundem Scotum diuersitas. Vsserio videtur, Prudentius ille, qui *Hispaniarum Scholasticus*, inter hymnographos, post *Bedam Anglorum Patrem* à Walafrido Strabone nominatur, esse noster hic Prudentius; me non assentiente. Nam cùm eius æqualis fuerit Strabo, recentissimi, & adhuc fortasse superstitis, hymnos in Ecclesia suo tempore cani solitos, non commemoraret, cum Beda hymnographorum nouissimo, cum Hilario & Ambrosio vetustioribus. Antiquum ergo Prudentium Honorio Imperatori æqualem, quem in sacrorum Poëtarum chorum cooptauit Ecclesia, iustiùs intelligimus. Quo autem argumento probat Vsserius, carmen Trochaicum in Ecclesia vsurpatum, *Corde natus ex Parentis, Ante mundi exordium*, à recentis huius, non ab illius antiquioris Prudentij vena fluxisse? Quòd si quid licet ex hominis genio, cuiusque stilo conijcere, austerior, magisque tetricus mihi videtur, quàm vt musis vnquam litarit & gratiis; præsertim illis amœnioribus, quæ pariunt hymnodiam. Neque verò tum is fuit status Hispaniarum, vt aut elegantia & Scholastica fouerent ingenia; aut quæ voluntariis exiliis se se damnarent, aliud canere discerent, quàm Dauidicum lessum, *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Hæc dico, quoniam Rosueydo placet, hoc Strabonis loco, *Scholasticum*, pro eloquente & erudito viro accipere. Quòd si mauis Aduocatum intelligere, qui frequentior est deterioris Latinitatis sensus, Prudentium nostrum causas egisse nusquam reperies: at ille vetustior Iurisconsultum se fuisse, & in foro militasse, non obscurè alicubi significat.

V. Duuall. not. ad l. Lugdun. Eccl. contra Scot. Vsser. hist. Gottesch. c. 8. Walafrid. Strab. l. de reb. Eccles. c. 25.

Scholasticus, quis. Rosueyd. Onomast. Patrum. Prudent. l. Cathemer. Præfat.

Elogium Prudentij ex Annal. Bertin. ad an. 861. Quomodo vixerit inter Gallos, Prudentius hic noster, & quas in hac controuersia partes egerit, discimus ex Annalibus S. Bertini, circa eius tempora conscriptis. *Galindo, cognomento Prudentius, Tricassinæ ciuitatis Episcopus, natione Hispanus, adprimè litteris eruditus, qui ante aliquot annos Gotteschalco Prædestinatiano restiterat, post felle commotus contra quosdam Episcopos, vnà secum hæretico resistentes, ipsius hæreseos fuit defensor acerrimus. Indéque non modica inter se diuersa, & fidei aduersa scriptitans moritur: sicque diutino licet languore fatigaretur, vt viuendi, ita & scribendi finem fecit.* Hic est velut ἐπιτάφιος λόγος, quales heroïbus, & claris ingeniis, obitum scribentes historici, solent impendere. Scio equidem huius maximè loci gratia miserum Annalistam in clarissimi Dissertatoris indignationem incurrere, & decem circiter contumeliarum paginas Gotteschalcano colore tinctas mereri. Quia tamen certiorem historiam à vetustissimo scriptore, quàm à recentissimo Gotteschalci discipulo; & ex simplici narratione potiùs, quàm ab exquisita inuectiua peti debere arbitror, præstat in peruestigandis mutati animi causis, quàm in repellenda iniuria, operam collocare. Idque eò magis faciendum est necessariò, quod neque Prudentij in Theologicis rebus, neque Annalistæ hac in historia fidem, omni ex parte exploratam habere nos sinit, tot operum ab Episcopo scriptorum iactura; quæ & præclaras aduersùs Gotteschalci errores primorum temporum disputationes nobis eripuit, & quæ mens eius fuerit in postremis, ex asse non demonstrat. Quanquam probabile valdè est, etiam sopitis hisce contentionibus, & post mortem suam suspectum fuisse fidei non purissimæ Prudentium, tum ex hoc loco, tum ex inscriptione libri Altiuillarensis, iam olim opportuniùs à nobis producta, in qua dicitur, *de quibusdam Ecclesiasticis dogmatibus non sensisse catholicè, sicut alia eius scripta demonstrant.* Iniquum igitur est historicum nostrum falsi arguere, quòd eum dicat, *fidei aduersa scriptitasse.* Rursus, quoniam quæ sint illa, ignoramus, & publicè profitetur Prudentius, Gotteschalcanam hæresim se nec habere, nec tenere: ex iis quæ supersunt scriptis, iudicium benignè ferre possumus, eum catholico quidem animo, sed odio & discordia corrupto, controuersas quæstiones tractasse in deteriorem partem, Hincmaro ac bene sentientibus aduersam, decretis tamen Ecclesiæ nondum proscriptam.

Differt. c. 44.

Fuit suspectus hæresis.

Prudentius contractam cum Hincmaro amicitiam violat. Verùm si hac tectus excusatione, catholici hominis famam conseruat, leuitatis certè notam effugere non potest Galindo, quod pace Prudentij dixerim, si primis temporibus cum Hincmaro, contra Gotteschalcum pugnauit, ac deinde in castra hæretici odio vel iracundia impellente transiuit; &, quod inde consequitur, si scripsit pugnantia, non tam Episcopus, quàm cothurnus. Id verò ita factum, cùm certa ratio suis locis exponenda mihi persuadeat, eius mutationis caussam modò quærere cogit cursus historiæ. Nam recenti in Galliam aduenæ, & aulæ inquilino, atque in illa gradum non absque dignitate figere meditanti, vt fuit semper Francia externorum hominum nutrix liberalissima, clarorum & eruditorum virorum colligenda fuit

Q

gratia, & in theologicis litibus pars melior tenenda, quæ & ipsi vtilior. Erat illa sine dubio Hincmariana. Nam & hac ipsa commendatione vsus est apud Hincmarum Lupus Ferrariensis, cùm opem Hilmerado postularet, Ambianensem Episcopatum ambienti, *Nam licèt ei desit forsitan aliquid eruditionis, tamen poterit esse vtilis, cùm & vestra doctrina parebit.* Hanc igitur per se se optimam, præterea sectatorum numero, doctrina, auctoritate præstantem arripuit Prudentius, & optimatibus atque Episcopis conciliatus est. Quandiu societas illa durauerit, nemo explicat: sed paulatim defluxisse, & in apertas simultates degenerasse docet historia, dum externus homo solum Gallicum, vt plerisque euenit, magis amat, quàm Gallos; Episcopatum indeptus, opis alienæ minimè iam indigens, iurisdictionis suæ fines, cum vicinorum iniuria propagare conatur. Atque vt gradarius est Hispanus, neque aduolat quò tendit, sed peruenit, Hincmari primùm familiaritati, mox colloquio, tum etiam amicitiæ, inde partibus & opinionibus renunciat; factus ad extremum, quod ait Dissertator, *in hac aduersùs Hincmarum mota controuersia præcipuum pondus*, inter subditos Carolinos.

Lup. Ferrar. epist. 79. ad Rattam.

Exempla violatæ gradatim amicitiæ.

Harum rerum initia discimus ex Flodoardo, Hincmari litteras ad Episcopos enarrante. *Prudentio Tricassino scribens, queritur quare sibi præsentiam suam subtrahat: significans se ab eo consilium quærere velle de statu & compressione Gotteschalci.* Hæc verba iam olim memini à me natiuo loco producta, sed eorum refricata memoria opus est, ad excutiendum Epistolæ sequentis exordium. Dubiis deinde quæ menti occurrebant familiariter expositis, ad extremum addit, *Pro Ecclesiis Sedis Remensis in ipsius Diœcesi sitis, quas ille aliter tractabat, quàm Episcopali conueniret æquitati; vt de his & aliis quæ de ipso audiebat, simul loquerentur: exhortans, vt alterutrum se instruerent, & Domino mutuò commendarent.* Demonstrant illa & sincerum Hincmari animum amicitiam sanctè colentis; & ortam à Prudentio iniuriam, quæ amico congressu sopiri potuit; & Prudentij frigus, censoris aspectum vitantis. Quem negatum penitus à Trecassino, neque Remensi Ecclesiæ satisfactum, docent sequentia. *Pro qua re, librum quoque scripsisse reperitur.* De quo libro idem alibi Flodoardus. *Item scibit ad eundem Regem* (Carolum Caluum) *collectionem quandam multarum auctoritatum, de Ecclesiis & capellis, contra dispositionem Prudentij Trecassini Episcopi.* Siquidem aliarum Ecclesiarum iura eodem modo violauit, Ecclesiasticarum sanctionum non semper obseruantissimus, quarum Hincmarus non erat callentior quàm studiosior, miraris illi cum parte Remensium non benè conuenisse, & vulnus amicitiæ semel inflictum, ad doctrinam vsque penetrasse? Nec minùs intepuisse Prudentium in amicitia Hincmari, colligere licet ex Concilio Suessionensi secundo sub Carolo Caluo, in causa Clericorum Remensium, ordinatorum ab Ebbone, post depositionem reuerso. Ibi enim cùm Hincmarus pene fieret reus de iudice, & electionis suæ æquitatem tueri cogeretur, tres in causa sua

Flodoard. l. 3. c. 21.

Ibid. c. 18.

Concil. Suess. 2. act. 2.

iudices elegit, Wenilonem Senonensem, Amalricum Turonensem Archiepiscopos, & Pardulum Laudunensem Episcopum. Quos Clerici recusare non ausi, vnum tantùm postularunt addi Prudentium. *Ipsi clamatores*, inquit Flodoardus, *eosdem iudices suscipientes, addiderunt etiam Prudentium Trecassinæ ciuitatis Episcopum.* Quod etsi causæ fiducia libens volens admiserit Hincmarus, *ne quærerentur acclamantes se illius opprimi auctoritate:* non potuit tamen ignorare, Prudentium opponi Pardulo, & minus sibi fauentem à reis eligi. Vnde non leuis coniectura est, seriam & scrupulosam quæ sequuta est de Hincmari ordinat[ione] quæstionem, factam esse Prudentij postulatu & ductu. A voluntate igitur transitum est ad intelligentiam, & quem non placuit amare constanter, lubuit impugnare perpetuò; & scriptitandis contra partem Remensium libris immori, non sine hæreseos apud bonos suspicione. Quam auxit suscepto multis in rebus Gotteschalci patrocinio, *sicut scripta ipsius testantur*, ait Hincmarus, *quæ à pluribus qui illa habent, possunt proferri.* Quod ipsum cùm narrari cupit Pontifici Nicolao, certè vulgò improbari declarat.

Flodoard. l. 3. c. 11.

Hincm. epist. 24.

Antequam verò vlteriùs prouehatur narratio, moneri te, Lector, necesse est, ne offendas ad lapidem pedem tuum, in historia Ecclesiastica Trecassina, si quando in manus incidet decurrenda, per virum pium, & nonnullis in partibus accuratum Nicolaum Desguerrois, vernaculo sermone ante annos penè quindecim edita. Is enim alia omnia hactenus inaudita de Prudentio, déque Hincmaro refert, quæ tu ex ignoratione controuersiæ nostræ, tunc nondum satis cognitæ profecta, clementer excusabis. Præcesserat quidem paucis ante annis Vsserius Armachanus, qui apud Hibernos Gotteschalcum suum produxerat, reliquias historiæ Pelagianæ; sed laudabile fuit catholico Presbytero hæreticum Ministrum nescire, & homini Gallo transmarinis mercibus abstinere, quas vtinam nemo alius in toto illo regno, quod olim Caroli Calui fuit, collegisset! auitam modò religionem tranquilliùs sapientiúsque ignari coleremus. Is ergo sic narrat, Gotteschalcum monachum Orbacensem hæreticum Origenistam, Ioannis Scoti magistrum fuisse: ab hoc scriptum opus eiusdem magistri erroribus refertum, qui sit deinde à Prudentio Episcopo confutatus. Atque huius confutationis Præfationem solam à Nicolao Camuzatio excerptam fuisse & editam. Hincmarum autem cognito S. Prudentium eruditè scripsisse contra errores Origenis à Gotteschalco renouatos, nescio quo impellente spiritu contra ipsum Prudentium elucubrasse librum qui inscribitur *Collectiones multarum auctoritatum de Ecclesiis & Capellis.* quo monstrare voluit, Prudentij factum Episcopis quibusdam probatum non fuisse. Et hæc omnia tam confusè dicta, ad Flodoardi testimonium remittit, quod modò distinctè producebamus. Illud autem vel leuiter consideranti mirum videbitur, litem de Ecclesiis & Capellis, cum causa Gotteschalci coniungi; aut censeri posse Hincmarum ideo contra Prudentium scripsisse, quòd is Scotum, & in eo Gotteschal-

Nicolai Desguerrois narratio de Gotteschalco & Prudentio. l. de hist. Eccl. Trecens.

In S. Prudentio ad an. 847. n. 4.

Refellitur.

eum impugnasset: siquidem Ioannis Scoti nulla apud Flodoardum mentio est: & serò admodum Scoti correctio per Prudentium concinnata, Hincmaro innotuit; qui super *statu & compressione Gotteschalci* consilium à Prudentio non peteret, aut omnino Gotteschalcum non haberet in custodia, si iis qui Gotteschalci errores corrigerent, succenseret. Sic autem concludit auctor. Quicquid sit, quoniam ab Ecclesia hæreticus iudicatus est Gotteschalcus, laude dignum esse Prudentium, qui contra hominem hæreticum librum composuerit. Vtrum autem sic laboranti Prudentio, rectè an secus obstiterit Hincmarus, prudentis lectoris iudicio relinquendum. Quæ confutatione non indigent, apud peritos historiæ, sed potiùs laude modestiæ, quòd quem credidit pro hæretico aduersùs hæretici oppugnatorem venisse, tantum alioqui virum, damnare non ausus, lectoris prudentiæ reliquerit: sapienti cuilibet ea verecundia magis probandus, quàm qui postea omnes maledicentiæ frenos in eundem immeritum laxauit Theologus Monetalis contumeliosissimus Dissertator.

De sanctitate Prudentij obiectio.

Qui aduersùs ea quæ superiùs de Prudentio ex Annalibus Bertinianis narrauimus, obiicit, vel cogitare impium esse de eo, qui non minùs morum sanctitate, quàm doctrina eximius migrauit ad Dominum 6. Aprilis, quo die illa in Ecclesia festum eius peragitur nouem lectionibus, & officium fit de Communi Confessorum, teste Camuzatio. Multis deinde Præses idem, assertam Episcopi sanctitatem probet, & capitalibus litteris SANCTVS PRVDENTIVS legendum exhibet, & in laudanda *tanti viri sanctimonia* Nicolai Camuzatij testimonium cupidè aduocat, post Vsserium Armachanum. Habemus & præ manibus nouæ factionis Calendarium, editione secunda Horis Latinogallicis præfixum, in quod expunctis compluribus aliis, S. Prudentij nomen intrusum est. Quod ego sine risu legere non possum, istorum complures Sanctorum inuocationi, vt leuissimè dicam, parum fauentes, tanto animorum ardore Sanctum haberi velle Prudentium, cuius miracula résque præclarè gestas nullas; scripta solùm contra Scotum, & partes Hincmari pro Gotteschalco hæretico possunt ostendere. Vt autem Dissertatorem Præsidem priuatim conueniam, ad istud obiiciendum iuris nihil illi permittendum arbitror, qui quos suis in Ecclesiis, diuinis honoribus coli ab antiquo non ignorat, Cassianum, Hilarium Arelatensem, Faustum Reiensem, omnibus vexat opprobriis: qui Rabano viro sanctissimo errores à Gotteschalco gloriatur obiectos: qui Ioannem Erigenam martyrem, si credimus historicis, saltem dubium, nullo contumeliarum genere non cruentat.

Camuzat. Promptuar. antiq. Tricass. Dissert. c. 44. Vsserius c. 8. cit.

Responsio.

Tibi ergo, lector, de Prudentio vt satisfaciam, profiteor in primis, Ecclesiæ nobilis Trecassinæ traditiones, & venerabilis Cleri sensum venerari me, & toto pectore amplecti, cùm sciam publicam vocem, priuatæ cuilibet; & ciuium atque indigenarum notitiam, externorum omnium disquisitionibus iure anteferri. Addo tamen non repugnantibus, vt opinor, Viris clarissimis, qui de Prudentij consecratione dubitant, eos excusatione dignos videri, quando, vt ex vtroque Trecensis Ecclesiæ panegyrista Nicolao Camuzatio, & Nicolao Desguerrois constat, veteribus Ecclesiæ Trecassinæ tabulis *nulla eius vitæ memoria continetur*, siue *nullum* in eis *rerum ab eo gestarum recitatur elogium*. Vetus Codex MS. Cœnobij Arremarensis ab ipso Prudentio ex Leonis IV. voluntate consecrati, in Trecensium Episcoporum catalogo, apud eundem Camuzatium, quartum & trigesimum ordine Prudentium, absque addita sanctitatis nota, nominat. In Hagiologio Francogalliæ, quod ex antiquo Martyrologio Abbatiæ S. Laurentij Bituricensis vetustate propemodum exeso, atque vsu assiduo detrito, & variis accessionibus identidem locupletato P. Philippus Labbe Sirmondi studiorum æmulus atque imitator ante decennium eruit, nulla Prudentij Trecassini fit mentio. Denique diu & multùm quærenti mihi, nullus antiquior Demochare occurrit, qui Sancti titulum Prudentij nomini, inter Episcopos Trecassinos præfixerit. Eum autem Patrum nostrorum ætate floruisse scimus, virum optimum, & Catholico zelo feruentiorem Theologum, quàm accuratiorem historicum. Quamobrem iniquum postulare non videntur, si tantæ rei testimonium rogauerint ex decimo quinto, aut decimo quarto seculo, quod noni, decimi, vndecimi seculi scriptoribus, alia omnia, sine æqualium contradictione narrantibus, iure possit opponi.

Tom. 3. Concil. Gall.

Democh. l. de sacrific. missæ c. 19.

Prudentij sanctitatem principia Dissertatoris probari vetant.

Crescit eius probationis difficultas in immensum, ex Dissertatoris Præsidis (quis credat?) agendi methodo aduersùs Hincmarum, quem dum omnibus contumeliis lacerat, virum omnium suo seculo celebratum præconiis, eodem stilo Prudentij laudatoribus arma eripit, quibus eius gloriam tueantur. Nam ad præclara quæque in Prudentio prædicanda, semper adiici potest Hincmari recordatio, iisdem rebus gloriosiùs eminentis: quem nihilominus infra mortalium nequissimos, & scelerum omnium conceptacula prosternit atque abiicit summus præco Prudentij Dissertator. Vt enim de multis aliqua libemus, vt magnum aliquid de eo prædicat Camuzatius, quòd Hincmaro carus fuerit: quid verò istud, si vltimus sceleratorum est Hincmarus? Laudat quòd Leonis IV. Pontificis litteras ad dedicationem Arremarensis cœnobij acceperit Prudentius: quantò plura & grauiora negotia Ecclesiastica, committentibus Pontificibus plurimis, peregit Hincmarus, Præsidis iudicio mortalium deterrimus? Electum habemus à Carolo Rege ad visitandas Ecclesias & Monasteria Prudentium; quantò maiores curas Carolus commisit Hincmaro, innocentium oppressori, & Conciliorum tyranno? Et quoniam ea visitatio communis illi cum Lupo Ferrariensi fuit, vide illum hac de re agens quomodo salutet Lupus? *Carissimo suo Prudentio, Lupus in Domino salutem.* Potuít-ne frigidiorem titulum offerre Abbas Episcopo? Quantò magnificentiùs Hincmarum salutat idem & laudat, hominem ex criminibus conflatum? Fuit Prudentius eloquens, & bonus poëta teste historico posteriore. Quid in iis facultatibus potuerit Hincmarus, opera indicant: sed quid hæc ad sanctitatem viri omnium iudicio conclamatissimi? Magna animi demissione præditum fuisse Prudentium, ex eo probat idem historicus, quòd se *famulum Christi* appellat:

Nicol. Camuzat. Prompt. antiq. Tricass.

Lupus Ferrar. epist. 63. ad Prud.

Nic. Desguer. hist. Eccles. Trecass.

Hincmarus se perpetuò inscribit *plebis Dei famulum, non merito, sed nomine Episcopum:* & tamen gloriæ animal, ambitionis & superbiæ spirans simulacrum est, si creditur Dissertatori. S. Froberti reliquias transtulit Prudentius; idem pietatis officium magno Remigio Francorum Apostolo præstitit Hincmarus, ille crudelis ad horrorem sui seculi. Erat Prudentius, vt ipse scribere dicitur, Euangelicæ ficui similis, infrugiferæ, ac igni iam addictæ; vt fœnum siccum, vel palea igni mox admouenda; vt terra sine aqua, hoc est, omni deuotionis intimæ sensu destitutus; cùm Albam induit à Maura virgine Trecensi sanctissima elaboratam, sibique donatam, eâque in veste sacrificans statim in lacrymas pietatis & compunctionis erupit non semel, quod & pluribus aliis sacerdotibus in Alba eadem ad altare sacrum facientibus vsuuenit: Hincmarus autem tanti apud Deum meriti fuit, vt Carolum Regem, Ebbonem, Pardulum, Æneam, cum sociis quadraginta Episcopis, quod narrat Bernoldi visio, vno sacrificio à grauissimis purgatorij tormentis recrearet; qui tamen Dissertatoris sententia nullo nequitiæ genere non fuit infamis. Denique si fides historico eidem nouissimo, plurimùm prædicandus est Prudentius, quòd contra Gotteschalci hæretici ab Ecclesia iudicati errores librum scripsit: hoc verò vnicum est infortunium Hincmari, quòd verè multos aduersùs Gotteschalcum, & eius fautorem Prudentium libros conscripsit; nam absque eo esset, Præsulum omnium Gallicanorum præstantissimus, quod reipsa fuit, haberetur à Præside. His & talibus consideratis, cum possunt Dubitantes illi suis armis ita petere. Quid habes in vita moribúsque Prudentij, quod in rebus gestis Hincmari non omni ex parte nobilius cumulatiúsque existat? Quibus addimus seculorum omnium gloriam, qua abundat Hincmarus, caret Prudentius; Gotteschalci hæretici perpetuam insectationem, quam deseruit Prudentius, factus hæreticæ partis propugnator acerrimus, vt referunt historici. Quid igitur causæ est, quamobrem Prudentium in Ecclesia pro sancto coli tantopere cupias, Hincmaro Beati titulum ante Dissertationem tuam typis traditum, eripias? Quo iure vsum illum colendi S. Prudentij in Ecclesia Trecassina tibi vis patrocinari, qui cultos æquè aliis in Ecclesiis ab antiquo Cassianos, Faustos, Hilarios, quibuscunque potes pollésque maledictis turpificas? Qua auctoritate fratres tui Calendarium Ecclesiæ, post fidem interpolantes, & in iura Cathedræ Petri temerè & audacter inuolantes, exclusis plurimis ab antiquo receptis, S. Prudentium, & B. Berullum in illud intrudunt? Itaque vel Hincmarum catalogo tuo restituas oportet, vel deleas Prudentium. Sic agent illi cum Dissertatore, infensissimo Hincmari hoste, nos Ecclesiæ Trecassinæ iudicia venerabimur: & in medio relicta sanctitate, ad hanc disputationem non penitus necessaria, in doctrina sola habitabimus.

Flodoard. l. 3. c. 30.

Desguerr. ibid. ad an. 853. n. 15.

Flodoard. l. 3. c. 3.

CAPVT X.

Prudentius Epistolam & Collectionem testimoniorum de gemina Prædestinatione, ad Hincmarum & Pardulum, & ad quosdam fratres mittit.

Potest Prudentius primam epistolam sincerè scripsisse.

PRIMVM, quod quidem sciamus, impetum scribendi aduersùs Hincmarum cepit Prudentius à geminæ Prædestinationis defensione, quæ certè sincera esse potuit & innocens, quippe quæ in verbo nihil præferat, præter metum sensus hæretici, qualis tum erat in Gotteschalco: quem si verè ignorauit Prudentius, si à Ioanne Erigena monstratum, ex animi sui sententia professus est se non habere, nec tenere: si tantùm in quæstione quam censeret indifferentem, doctrina voluit experiri cum Hincmaro, vt inter vrbaniores eruditos amicè nonnunquam fieri solet, eo conatu neque propriè fauisse Gotteschalco, neque Hincmari amicitiam læsisse dicendus est. Quod & ab Hincmaro ipso creditum subodorari possumus, cùm illi Collectaneo responderi cupiit à Rabano; ne si eius confutationem aggrederetur ipse, asperiore aliquo verbo, & ingrata vniuersè reprehensione hominem adhuc amicum offenderet. Atque hæc ad excusationem huius scripti benignè excogitamus.

Peccauit tamen quòd ad priorem Hincmari non respondit.

Facti difficilior approbatio est. Nam inuitatus, vt dictum est, ad familiare colloquium Prudentius, vt modestissimè loquar, non accessit: ac ne illi quidem Hincmari humanissimæ Epistolæ, quicquam respondisse per litteras probari potest. Nam quòd eo suadente mitiùs in ergastuli retrusione tractatus sit Gotteschalcus; quòd eius consilio ad communionem per ferias Paschales admissus; quòd Prudentius non aulicis blanditiis Hincmaro sit adulatus, sed imperterrita animi constantia steterit; hæc & similia, non historia & Chronologia sunt, sed *iugis meditationis, & cum eruditioribus collationis* partus & diuinatio. Itaque quam scripsit Prudentius epistolam ad Hincmarum & Pardulum, in quam modò ingredimur, ea non est ad Hincmarianam responsio; quippe quæ alia omnia edisserit, quàm quæ rogabat Hincmarus; sed vltronea de quæstionibus vulgò agitatis tractatio, simul vt suam confirmet sententiam; simul vt duos contrariæ antesignanos tacitè reprehendat, tanquam Augustinianæ doctrinæ repugnantes: duos, inquam, vt qui Pardulũ à quo scripti nihil acceperat, adiungat Hincmaro. Sic & Lupus Ferrar. cùm eadem de re, vt breuiùs, ita fortasse magis sincerè ad Hincmarum scriberet, *Similem*, inquit, *Pardulo* [illegible] *direxi*. Hoc tantùm discrimine, quòd hic Pardulo priuatim, licèt à Pari, vt vocant, scripserit; ille vtrunque communi titulo complexus, vna simul charta sit alloquutus, & vna fidelia duos, vt est in prouerbio, parietes dealbarit. Nam & Rabanus scriptam ad duos Epistolam testis est. *Prudentius*, inquit, *Tricassinæ ciuitatis Episcopus, ad vos, & ad Pardulũ scribens.*

Dissertatoris diuinatio. c. 11.

Lup. Ferrar. epist. ad Hincm.

Raban. epist. ad Hincm.

Duplex libelli inscriptio.

Quid est ergo, quòd libellum citat Hincmarus, *quem ad quosdam fratres scripsit?* Nonne & eò respexit idem Prudentius, cùm aduersùs Scotum scriberet, *Nam etsi nusquam eorum* (Patrum) *scripta legisses, satis ea te poterant de his omnibus informare, quæ ante*

Hincm. l. de prædest. c. 34.

biennium ex eorum libris deflorata, quibusdam fratribus consensu Synodi mittere curaui: quæ ad te peruenisse, si nosse aliter nequiuissem, infaustissimus liber tuus probabiliter nos instruere poterit. Nam cùm ea quæ refert Hincmarus hac testimoniorum collectione contineantur, non aliam certè indicare dicendus est: ac rursus, cùm Prudentius & Hincmarus *ad quosdam fratres* missam dicant, eius profectò titulum notant. At Hincmaro & Pardulo inscribitur, eósque manifestè alloquitur præfixa Collectioni epistola. Duplicem ergo vni libello dedit inscriptionem Prudentius, *Ad Hincmarum & Pardulum:* & *Ad quosdam fratres.* Dicis, quosdam illos fratres, hos esse ipsos, Hincmarum & Pardulum, quorum nomini parcat Prudentius. Cur autem parcat? quid illis dedecoris & ignominiæ potuit accidere, quòd mentem ipsis suam exponat Prudentius: quemadmodum Lupus Ferrariensis ad eos, eodem in proposito scripsit laude non indigna? Quid verò fuit opus illa tegere nomina, quæ longæ epistolæ cum elogio præposuit? Præterea cupit plurimùm Dissertator notari à nobis, loco superiùs citato scriptum esse, *consensu Synodi missam quibusdam fratribus* Collectionem: at mox ostendemus, perridiculè Synodum illam, Parisiensem ab eo dici, cuius consensu ad Hincmarum & Pardulum missa sit.

Coniectura de duplici titulo. Itaque vt duplicem quem auctores suggerunt, huic opusculo titulum conseruemus, & Prudentium à vana Synodalis consensus ostentatione vindicemus, coniectura non parum probabili dicimus, Collectaneum istud bis ad diuersos missum à Prudentio: *ad Hincmarum & Pardulum,* cum aditiali epistola: mutato autem titulo, & alia fortasse imposita epistola, tanquam nouo capite vetustiori statuæ, *ad quosdam fratres.* Quod quàm facile factu fuerit, docet initium Collectanei, quod perquàm leui commissura cum priore epistola vinctum est, vt pars vtraque facilè sola consistat; aut certè, capiti & præfationi alteri, non minùs aptè quadrare possit. Ita Rabanus libellum suum de Prædestinatione, æquè potuit mutata præfatione ad Ratramnum, aut Prudentium, ad Pardulum, aut ad Carolum Regem mittere. Licet autem existimare, fratres illos quosdam Monachos fuisse Orbacensis putà, vel Altiuillarensis monasterij, vt conceptæ de praua Gotteschalci doctrina opinioni admoderarentur, & in eius partes transire non dubitarent. Illos verò nominatim significari non decebat, sed generali vocabulo *quosdam* appellari, ne qui fortè meritò quererentur, alienæ parochiæ subditos, aduersùs Episcopi proprij sententiam sollicitari: né-ve Hincmarus ipse grauiter ferret, sibi colloquium de statu & compressione Gotteschalci denegatum, dum contra ipsius sententiam ad Gotteschalci sodales & præcipua eorum cœnobia epistolæ mitterentur. Et quemadmodum ad Reclusos & Simplices Parochiæ suæ scripserat, illúdque Opusculum Rabani approbatione confirmarat: sic ipse Collectionem suam Synodo alicui Prouinciali, quales multæ tum habebantur, vt postea tractoriam suam, in Æneæ ordinatione putauit exhibendam, quæ & auctoritatis nonnihil scripto conciliaret, & inuidiam eleuaret. Hæc Prudentij apologia, & duplicis tituli ad opusculum vnum conciliatio, si cui non arridet, quærat commodius aliquid, modò ne Parisios currat ad Synodum, de qua dicendum.

Tempus enim quo libellus iste scriptus est, cùm obscuritatis plurimùm habeat, secundùm hanc coniecturam aliqua ratione potest elucidari. Tria enim nobis certa sunt. 1. Collectionem illam, ante Epistolam eiusdem Prudentij ad Wenilonem, in ordinatione Æneæ, concinnatam esse, atque adeò ante Capitula Carisiaca. Sic enim Hincmarus: *Quod dicit domnus Prudentius in libello suo, quem ad quosdam fratres, antequam suprà memoratam Epistolam Weniloni Archiepiscopo suo direxisset, composuit.* 2. Priùs etiam quàm Rabanus illam, quam sæpe laudamus Epistolam, Hincmaro scriberet, Collectaneum istud ad Hincmarum & Pardulum scripsisse Prudentium. Idque inde manifestum est, quòd eius mentionem in ea facit, & tot Patrum locis alios recusat opponere. 3. Idem Collectaneum ad quosdam fratres ex consensu Synodi à Prudentio missum esse biennio antè, quàm is contra Ioannem Scotum scriberet, vt ex ipso superiùs referebamus. Rursum alia tria iacent in obscuro. 1. Quo tempore Rabanus ab Hincmaro epistolam acceperit, qua librum ad Reclusos & Simplices, & Epistolam Ratramni ad amicum suum, & istos Prudentij quaterniones, omnia ab ipso expendenda, misit. Nam in Epistolis Hincmari ad Rabanum à Flodoardo commemoratis, huius nullum apparet vestigium, ac proinde incertum manet illa Rabani Epistola, quæ Prudentiani Collectanei meminit, quo anno fuerit exarata. 2. Quandonam Prudentius Ioannis Scoti Correctionem lucubrarit, quæ cùm Hincmaro posterius opus de Prædestinatione scribenti, tam parum adhuc nota fuerit, vt Recapitulationem ab ipso profectam fuisse dissimulare tum potuerit, non videtur multò antè illum laborem Scoto repugnasse Prudentius. Dubium igitur est, quo ab anno ducendum sit illud, *biennium* quo misit *epistolam ad quosdam fratres:* & tamen eandem Epistolam, aut potiùs Collectionem, multò, vt videtur, antè Hincmarus acceperat, & cum Rabano communicauerat. Ista quomodo putemus conuenire? 3. Ille *Synodi consensus* quid tandem rei sit? quis vnquam hoc apparatu legerit Epistolam, scriptam ad amicos Episcopos, non hæreticos, imò *doctrina & sanctitate præstantes;* vt eos ipse compellat? Cuius porrò Synodi? quo consensu? quamobrem? quo exemplo & more postulato acceptóque? Si de se illa scriberet Hincmarus tam obscura nobis verisimilitudine, quàm confidenter responderet Dissertator, planè & Latinè esse mentitum, & hanc esse vnam de Hincmari nequitiis?

Verùm pro Prudentio Gotteschalcanorum omnium patronus aliter satisfacit: illo ipso anno, quo damnatus, & ad Altumuillare retrusus est Gotteschalcus, habitam Parisiis autumnali tempore Synodum Prouinciarum quatuor in causa Nomenoij Britonum ducis, quam malè Baronius Turonensem facit, cui interfuerunt, inter Archiepiscopos Hincmarus Remensis, inter Episcopos Pardulus & Prudentius: cuius Concilij Synodalis Epistola extat apud Lupum Ferrariensem, ad Nomenoium ipsum grauiter scripta. Hîc ego non disputo quàm benè Monetalis Præses Synodum generalem Turonibus Parisios transferat? vtri

Quo tempore scripta sit hæc collectio.

Hincm. de prædest. c. 34.

Raban. epist. ad Hincm.

Incertum quo tempore Prudentius contra Scotum scripserit.

Dissertator putat Collectaneum fuisse oblatum Synodo generali. c. 12. & 13.

Baron. ad an. 849. tom. 10.

Lup. Ferrar. ep. 84.

sit æquius in historia Ecclesiastica credere, Baronio, an Dissertatori? Quo animo Bertinianos Annales hoc loco sequi affectet, quos alibi tanto supercilio contemnit? Quo teste Synodum illam ad tempus autumnale referat, cùm in Chronico Fontanellensi hæc sciuncta recitentur. *Episcopi in Parisiaco Synodum generalem tenuerunt. Autumnale tempus imbribus inundatissimum fuit. Tertio nonas Ianuarias fulgura & tonitrua extiterunt.* In his inquam, non immoror, quæ sunt ad propositum meum πάρεργα. Venio ad sequentem Dissertatoris narrationem, si narratio est, ac non potiùs diuinatio. *Prudentius igitur*, inquit, *ad Synodum illam euocatus, incertus vtrum Hincmarus & Pardulus eò conuenirent, opusculum illud secum detulit; Synodo illis præsentibus exposuit, eorùmque sententiam, quam Hincmarus prædicta epistola* (quam & nos ex Flodoardo antè memorauimus) *ei insinuanerat, toto cælo à sententiis sanctorum Patrum, quas simul opusculo illo collectas exhibuit, distare comprobauit. Quid plura? opusculum illud Synodus tacitè ratum habuit: siquidem ad Hincmarum & Pardulum mitti consensit.* Quæ omnia probantur *verbis duobus* à Prudentio scriptis contra Scotum, *quibusdam fratribus consensu Synodi mittere curaui.*

Chron. Fontanell. ad an. 849.

Dissertat. c. 13.

Refellitur.

Quibus auditis lectísque, indigner an rideam nescio, eiuscemodi nænias ab eo qui se prudentem & esse & haberi velit, excogitari: tales fabulas tali probatione firmari; spem ab homine litterato posse concipi, fore quenquam tam baronem & stupidum, vt eas absque discussione admittat; tam fatuum & nihili, vt discussas non repudiet? 1. Enimuerò vnde habes incertum fuisse an Hincmarus ad tanti momenti Synodum adueniret? An quòd vocatum ignoraret? At ex litteris indictionis, & fortasse tractoriis potuit cognoscere. An quòd vocatum vllá-ne causa retardaret, nesciebat? At magnates, & Regum ministri quò migrent, vbi hæreant, quid agant, quid cogitent, non magis celare possunt, quàm Sol radios recondere. 2. Quid autem opus fuit illa incertitudine ad opusculi delationem? Quidni priùs ad eos missum est, quàm Synodus conueniret. 3. *Constat*, inquis, *illud opusculum ab ipso Prudentio propositum fuisse Synodo illi generali.* Non queror generalem vocari Synodum quæ tantùm quatuor Prouinciarum fuerit; cùm Moguntina quæ trium fuit, putetur tantummodo esse Placitum: cúmque in ea de solo Nomenoio sit tractatum. Hoc quæro, cui *constet* opusculum istud illi qualicunque & vbicunque collectæ Synodo, fuisse oblatum? vnde *constet?* quo teste? qua veri similitudine? qua necessitate? quo exemplo? Exhibe vel vnum historicum, qui referat alia de re vlla, tali Concilio tractatum fuisse, quàm de Nomenoij tyrannide: qui dicat vllam de religione habitam fuisse quæstionem. Deus sancte! apud quos viuimus? vbi gentium versamur? Testes & rationes producimus, quibus certam fidem faciamus, in Moguntina & Carisiaca Synodis, de fidei articulis fuisse cum Gotteschalco disceptatum; conuictum de hæresi, damnatum ob hæresim fuisse. Hoc præfractè negat Dissertator, quia factum illud & Gotteschalci causæ, & ipsius patrocinio plurimùm nocet. Ex aduerso, nemo vnquam historicus, aut è vetere memoria, aut è recente studio tradidit in illo Turonensi, seu mauis Parisiensi Concilio, de articulis fidei, de theologicis quæstionibus, de vlla Episcoporum controuersia esse actum; & vnus homo nouus illud ipsum factum fuisse non solùm narrat, sed etiam *constare* affirmat, se auctore, se teste, se inuentore, quia historiæ & chronologiæ ipsius nonnihil conducit. Et à te lector, fidem exigit, quam eius seculi auctoribus, quando res & animus ita ferunt, detrahit?

In illa Synodo nihil eiusmodi tractatum est.

4. Hîc autem assem para, & accipe fabulam. Sedente Synodo Prouinciarum quatuor, quarum vnam componunt Hincmarus & Pardulus sedentes ipsi, & de causis oblatis dicentes sententiam; surgit Prudentius, & Synodi Præsidibus, in quibus tertium ordinem ducit Hincmarus, offert probandum opusculum; de quo, quia sine notitia iudicari non potest, legendum traditur; putà Lupo Ferrariensi Abbati, Notario Concilij, seu Exceptori; atque is magna omnium expectatione, clara & beata voce recitat Epistolam ad Hincmarum & Pardulum Episcopos, quæ sic incipit. *Optaueram quidem secreto, amicabilique vobiscum tractare colloquio, verùm aduersus resilij: & quoniam conloquendi libertas denegata est, coactus sum scriptis edicere.* Additur monitum, *vt doctrinam beatissimi Patris Augustini sui Pontificatus tempore, commento quolibet impugnari non permitterent.* Hoc est, reprehenduntur publicò in consessu quòd permittant: Euoluitur grandis & verbosa series auctoritatum, quibus gemina prædestinatio videtur asseri: Christus pro multis tantùm, non autem pro omnibus esse mortuus probatur. Hæc videlicet seriò & patienter audiunt Hincmarus & Pardulus infensissimi hostes Prædestinatianorum; Hincmarus ille Synodorum tyrannicus oppressor, qui aliquantò post Conciliorum duorum Valentini & Lingonensis substructionem, præsentibus ipsorum Archiepiscopis & Episcopis, impotentia suæ factionis euertit, in vmbilico regni Carolini, in quo quid non potest? inter Carolinos Episcopos, ex quibus suam illam factionem componit, è quibus nullum nominat historia eius opinioni aduersantem: ad hæc monita, ad opprobria publica, instar ouiculæ totus obmutescit; nemo reperitur in tanto Gallorum Episcoporum consessu, qui tanti Archiepiscopi vel modestiæ, vel pudori, aduersùs hominem Hispanum, vel spe mercedis alicuius ex aulica assentatione patrocinetur? 5. Quid tum ergo Synodus illa generalis? *Ratum habuit*, inquis, libellum. Quo decreto? *Tacitè.* Quo signo? Quis vnquam de tanta Synodo apud scriptorem vllum huius approbationis meminit? Nomina ex apertis inimicis Hincmari, ex dubiis amicis, ex historicis eorum temporum, ipsum Lupum Notarium Concilij, qui de iisdem quæstionibus paria penè sensit cum Prudentio: appella, inquam, vel vnum qui apice vno hanc à Synodo Parisiensi, præsente Hincmaro, admissam dicat Epistolam. 6. *Consensit*, inquis, *mitti ad Hincmarum & Pardulum*, præsentes scilicet, hæc audientes, spectantésque. Nam & ipsi Concilij non vltima portio consenserunt ad se mitti opusculum, quia Prudentius præsens & supplicans amicè congredi, & secretè colloqui

Ridiculum Dissertatoris inuentũ.

Prudent. epist. ad Hincm.

Eius contumeliis in Hincmarũ repugnans.

Collectio probata non fuit à Synodo.

non poterat, sicut optauerat. Missum igitur est, & certum est accepisse. Vnde? an ab ea manu qua scriptum erat? Scimus quippe hominem infectum, qui præsentibus in vrbe amicis litteras scriberet, deferrétque. Neque id absurdum Dissertatori: qui Gotteschalcum aiebat olim, docentem Moguntiæ, scripsisse litteras ad Seruatum Lupum Moguntiæ consistentem. Hanc imprudentiam, ne dicam stuporem, si quis alius imponeret Prudentio, quibus conuiciis tota Dissertatione vapularet?

Quod factu sine Synodi accusatione dici non potest.

7. Atque hoc commento non sentit historicus recentis notæ, negligentiæ, & socordiæ nobilem Synodum à se accusari, duorum supra viginti Episcoporum, *inter quos septem recensentur, ex tredecim illis quos refert Hincmarus Placito Carisiaco contra Gotteschalcum interfuisse:* quòd tam opportuna occasione, declamantis pro Gotteschalci opinionibus Prudentij, cùm eam declamationem *tacitè ratam haberet*, nihil mitius pro Gotteschalco, nihil certius pro eius doctrina, nihil tranquillius pro Ecclesiæ pace, illis contentionibus turbata, decreuerit. Nondum enim ad eam potētiam deuenerat Hincmarus, quæ fulmen illud posset auertere, quod Wenilonis, Prudentij, Lupi opera in hominem non catholicum vibraretur: aberat Rex Carolus, vnicum Hincmari præsidium: inuitabat Ecclesiæ restituenda vnico decreto tranquillitas: impellebat Prudentius, qui *sententiam illorum toto cælo à sententiis sanctorum Patrum, quas simul opusculo illo collectas exhibuit, distare comprobabat.* Quid plura? vel supina fuit tantorum Patrum, tali loco ac tempore socordia, in contentionibus alto silentio confouendis, vel omnino illa de controuersia neque à Prudentio, neque ab vllo alio in ea Synodo quicquam tractatum est. 8. Denique si vera esset Dissertatoris fabella, & pro sententia Prudentij tantæ Synodi assensu præiudicatum foret, quo animo viginti duo Episcopi in defendendis Hincmari opinionibus in posterum constantes hærerent? Qua fronte Carolus & Hincmarus diuersos, & ipsum Lupum rogarent sententiam? quo consilio Lupus, Ratramnus, & ipse Prudentius tantum causæ suæ momentum spernerent, & ad illud ne dicis quidem gratia, vel semel appellarent?

Alia probabilior coniectura.

Itaque tali cantilena ad nutrices & aniculas amandata, quando de Synodo eiúsque consensu diuinandum est, si nihil volumus in causæ gratiam fictum à Prudentio, haud paulò probabilius distinguemus Epistolam à Collectione; missionem à scriptione; Episcopos, à quibusdam fratribus: vt cùm primùm compilata Collectio est, missa sit ad Hincmarum & Pardulum cum Epistola præfixa: quod Hincmarus significauit Rabano. Sed quia occultam habebant Hincmarus & Pardulus, veriti ne quibus infirmioribus noceret, incalescente controuersia, cùm iam animo destinasset Prudentius totum se Gotteschalci partibus addicere, eandem Collectionem, alia fortasse epistola, quod perfacile fuit, alio certè titulo instructam, ad quosdam fratres miserit, simul vt eos ad partes alliceret, simul vt publicè legeretur: ídque cum aliqua dignitate fieri voluerit, postulata Synodi alicuius, vel propriæ Diœcesanæ, quod ipsi liberum fuit, vel, vt summum, Prouincialis approbatione, qualem postea in Capitulis affectauit: de qua, ipsius contra Erigenam dictum, intelligi debeat. Hoc arbitror tolerabilius in Prudentij explicationem, aut defensionem dici posse, quàm absurdum illud de Synodo Parisiensi, vel Turonensi figmentum.

CAPVT XI.

Huius Opusculi Prudentij partitio & argumentum breuiter pestringitur.



Hoc opusculum ad appendicem excudendu remittitur.

PARTEM Prudentiani huius opusculi beneficio Sirmondi habuit Dissertator, & primus vtroque tomo edidit, inscio donatore: reliquam postulat, vt olim epistolam Gotteschalci. Respondet Sirmondus, nolle se abusuro committere. In ea tamen repulsa, ne quid bonæ causæ metuere videatur, eadem facilitate & humanitate, qua antea Gotteschalci ad Ratramnum, etiam hanc Prudentij ad Hincmarum & Pardulum Epistolam nobis ad edendum tradidit, cum Collectione: quæ quia prolixior est, quàm vt commodè, & sine fastidio in libri vnius capita possit intrudi, ad Appendicem in operis totius calce opportuniùs remittitur: hîc solùm, quod locus exigit, promulside propinata.

Append. Opusc. 4.

Partitio eius libelli.

Bifariam diuiditur opusculum totum, in Epistolam, siue mauis appellare, Præfationem ad modum libelli Rabani ad Notingum, Hincmari de Prædestinatione ad Carolum Regem, Ratramni ad eundem Carolum, Ioannis Scoti ad eosdem Hincmarum & Parthulum; & ne aliorum exemplum aduocem in propriis, eodem modo contra Ioannem Scotum scripsit Prudentius, Epistola ad Guenilonem apposita, ex illorum temporum vsu. Illa iterum bipartita est, & exposito strictim scribendi consilio, statim in prædicationem defensionémque Augustini digreditur, ne eius doctrina illorum temporibus, auctoritate, exemplóque impugnari & deseri videatur. Hîc primùm salutationis notanda forma est. *Dominis prædicabilibus doctrina, & sanctitate præstantibus, honorabiliter nominandis Hincmaro & Pardulo Pontificibus, Prudentius Beatitudinis vestræ amator, cultórque fidissimus, æternam in Domino salutem.* Si clarissimo Dissertatori credimus, *aulicis blanditiis non est adulatus Hincmaro Prudentius*; illum igitur cum socio laborum, in fidei causa, & religionis verè & ex animo, *doctrina & sanctitate præstantem* agnoscit, adeóque ab omni criminum obscænitate alienissimum, quæ Gotteschalcus, & Præses Dissertator totis in eum plaustris effundunt. Non deerunt tamen qui lingua aulica loquutum existiment, maximè quà fidem in eorum colenda amicitia profitetur.

Titulus Epistola.

Prior pars eiusdem Epistola.

Reddit deinde rationem, cur scripto, non coram & præsens eos conueniat, ad illud colloquium, vt vidimus, inuitatus ab Hincmaro. Optasse se ait, *secretum & amicabile colloquium:* Quod videlicet iampridem vocatus denegauit. Remoueri cupit *vincendi pertinaciam, & propelli sua cuique studia tuendi libidinem.* Dignum sanè votum Episcopo, sed omnibus in ore, & iis maximè familiare, qui noua sua studia per-

uicacissimè tuentur. Quæ res igitur colloquium illud intercepit? *Obliquatis in diuersa rebus adeo auersus resilij, vt ne voluntatem meam saltem exponendi facultas suppeteret.* Non ergo *resiliit auersus* Hincmarus, sed Prudentius. Iam quomodo *res obliquatæ* sint, & *in* quæ *diuersa*, diuinent qui narrata ex Flodoardo, silentio tegere conabuntur. Scimus collationes & colloquia solitos inclamare Nouatores; timere, & refugere concessa. Candidiùs meo iudicio Lupus Regi Carolo dicebat; *vel nunc, vel cum Deus noster optatam vobis quietem contulerit, propter alia etiam negotia Ecclesiastica euocatis ad conuentum doctioribus quibusque, rectè, per peram-ve sentiam, subtilior plurium tractatus poterit inuenire.* Post hæc, Prudentius in Augustini laudem, & eius doctrinæ commendationem, quæ pars posterior eius epistolæ est, ingreditur: & ea prolusio est, sed vtrique certantium parti communis: nemo enim vnus est in omnibus omnium temporum Theologis, qui S. Augustinum non amet vnicè, & eius admirabilem doctrinam, & ingenium summis in cælum laudibus efferat. Sed inter illos discrimen hoc intercedit, quòd Prudentius eiúsque imitatores, cùm eam doctrinam vniuersè laudauerunt, locos solos opinionibus suis in speciem suffragantes, memoriter & gloriosè buccinent, sexcentis aliis manifestè oppositis, quibus mirificè implicantur, dissimulando præteritis. Remenses autem, & eorum sectatores, cùm libentissimè quicquid in maximi doctorum, & ingeniosissimi Patrum effunditur præconiorum admiserint, nonnulla eius placita, ipso quoque bene volente, imo iubente, iudicio Ecclesiæ subiiciant.

Lup. Ferrar. ep. ad Carol.

Pars posterior epistolæ.

Quomodo laudandus Augustinus.

Altera pars libelli, & ipsa membris duobus continetur: in quorum priore, post explicatam naturæ plagam Adami peccato acceptam, quod velut quæstionis solum & fundamentum esse vult, solos electos ex massa damnata, & prædestinatos ad salutem, vocari probat, próque iis solis Christum esse mortuum. Tum posteriore, innumeris testimoniis Dei præscientia & prædestinatio in vtranque partem asseritur; atque ad extremum paucissimis de libero arbitrio Patrum locis disseritur. In hac parte merus auctoritatum aceruus est, collectionum indigesta congeries, farrago sententiarum, nullo ordine, nulla expositione expolita, Seruati Lupi Collectaneo mole longè maior, dignitate inferior. Nam Lupi eiusdem libellum De tribus quæstionibus, quem verè Dissertator *aureum* vocat, absque iniuria, & quadam velut exauctorationis specie, cum isto conferre non ausim. Hoc argumentum opusculi ex Rabano, Hincmaro, ipsoque Prudentio contra Scotum scribente, non malè colligeret Dissertator, nisi audacter nimis de re sibi ignota explicando decerneret, in postrema quam ponit quæstione, sensisse Prudentium, Christi sanguinem pro solis fidelibus & Christianis fusum esse. Solos enim electos & prædestinatos ad Christi redemptionem pertinere manifestò asserit: neque Gotteschalci per Baptismum redemptionem, vel per vmbram nominat, aut vllam hæretici mentionem inducit: prædestinationem ad peccatum præcisè & apertè execratur; denique eius opiniones subtiliter mitigat, & ab errore, quasi aliud agens, vindicare conatur.

Secunda pars libelli.

Cum Seruato Lupo comparatur.

Prud. contra Scot. c. 4. Hincm. l. de Prædest. c. 34.

Ibidem tamen ineuitabilis Gotteschalcano sensu reproborum prædestinatio obscurè prædicatur, iisdem scripturæ locis, iisdem omnipotentiæ diuinæ argumentis, quibus hæreticus abutitur. Et ea in opinione fuisse Prudentium, vel initium libri aduersùs Scotum non temerè indicat, quo vt *gratuitam gratiam*, sic inflexibilem iustitiam nominat. Denique à Gotteschalci doctrina nõnihil eum deflexisse hoc libro docet Rabanus. *In quaternionibus suis collegit, in quibus aliquando nostro sensui concordat; hoc est, vbi dicit peccati auctorem Deum non esse, nec aliquem ad peccandum compellere.* Verùm in assertione geminæ Prædestinationis, ab Hincmaro, & Rabano discedit. *Quia hoc nusquam in scripturis sacris ita mixtim positum inueni, eius traditionibus adsentire non acquiesco.* Scribuntur hæc à Rabano post visam Collectionem istam Prudentij, post omnes Pauli Epistolas ad Seruatum Lupum, & maximè quæ ad Romanos est, expositas, non aliundè, quàm ex collectis vndique veterum Patrum auctoritatibus: vbi de Pharaonis induratione, de vasis misericordiæ, de vasis aptis ad interitum fusissimè tractatur. Quæ verba si reproborum prædestinationem ad interitum, & pœnam significare Theologorum Coryphæo ex Patrum interpretatione non videntur, quod tandem opinationis suæ perfugium in scriptura & Patribus habent Gotteschalcus & Prudentius?

Quatenus faueat Gotteschalco.

Raban. epist. ad Hincm.

Hæc sunt quæ de isto Prudentij opere scripsit Rabanus, neque plura, rogatus licèt, tentare voluit, valetudine excusata. Petebat enim Hincmarus, vt earum sententiarum auctoritatem contrariis Patrum dictis eleuaret. Operosum sanè negotium, & seni ἀδύνατον. *Singillatim autem cunctis propositionibus eius per singula loca respondere, & sententiis illis, quas ipse ex multis libris congregauit, contrarias sententias apponere, non me permittit infirmitas corporis, nec egritudo senectutis.* Id fieri posse arbitratur, sed à iuniore, & valentiore. Vt vel hinc discamus, quàm sit ista ex crudis Patrum locis certandi forma, incerta & inutilis, nisi pulpamenti nonnihil aliundè additur. Quòd si verè Rabanus, quantò potiori iure Sirmondus senectutem causari potest, ne spolium istud antiquitatis, blattis ereptum in publicam lucem cum Notis emittat?

Rabanus recusat aduersùs illum scribere.

CAPVT XII.

Amolo Lugdunensis Archiepiscopus de Controuersia quid senserit, ex quibusdam eius opusculis declaratur.

ONTENTAM hactenus Regni Caroli finibus quæstionem, & ibi à nobis spectatam, primus *stultorum princeps* Gotteschalcus, scriptis suis & litteris ad Amolonem missis ad Regnum Lotharij Augusti, Lugdunum vsque propagauit. Hic ergo maximè consideranda in po-

Amolo primus Lugdunensium quæstionem attigit.

sterum, ínque ipso cumprimis Amolone; cuius eò maior esse debet auctoritas, quòd & eam primus ab ipso fonte, Gotteschalco perdidicit, & certissimus est atque grauissimus scriptorum omnium, qui Lugdunensis Ecclesiæ nomen vsurpant. Non autem hîc quærimus quale de Gotteschalco, eiúsque erroribus & blasphemiis iudicium tulerit, quod libro superiore monstratum est, & iucundum Dissertatoris subtilissimi somnium, de confictis per Hincmarum scriptis, eburneæ portæ fortiter impactum, ne quenquam vlteriùs ludificetur; sed inter Catholicos de controuersis capitibus quid senserit, aperimus. Verùm, vnde porrò? id enim ante omnia constituendum est.

Quibus ex Amolonis opusculis eius de ea doctrina eruatur. Primùm ex Epistola ipsa ad Gotteschalcum, cuius gratia *diuinam prouidentiam suspicit* Dissertator idem piissimus, *eique verissimas gratiarum actiones rependit, quòd talem, ac tantum gratiæ Christi thesaurum, & tanti Præsulis monumentum, huc vsque reconditum, inimica manu* (Sirmondi) *eruere, & in lucem his temporibus emittere dignata est.* *Dissert. cap. 24.* Secundò, ex collectione sententiarum S. Augustini, quam eidem Amoloni adscribit, qui edidit, legitimus harum rerum iudex Sirmondus: monétque lectorem, ex iis *verborum Augustini, ne malos interpretes audiamus, veram vtilémque intelligentiam depromi.* *Collectio sententiarũ S. Augustini.* Addo ego, ipsius Amolonis sensum certò intelligi, qui nisi maximè sententias illas probaret, non adeo *studiosè collectas, & Domino adiuuante salubriter ordinatas, in hoc libello auidè carpendas, ac dulciter ruminandas deuoto & simplici lectori* proponeret. *Præfat.* Semel enim perspecta per Gotteschalcum eius quæstionis natura, neque minùs cognito, abuti illum eximia Augustini auctoritate, cuius & se discipulum gloriaretur, ad vanitatem Thrasonis errantis retundendam, Augustino colligendo, & in quæstionis capita distribuendo totum se dedit, vt ipsius Augustini verbis *deuoti & simplices* discerent, quid denique sentiendum esset, *De originali delicto ex Adam in omne humanum genus transfuso: De libero arbitrio in Adam vitiato, & per Christum sanando: De gratia Dei qua genus saluatur humanum: De modo iustitiæ fidelium in hac vita: De vtilitate correptionis & exhortationis: De prædestinatione, electione, & vocatione sanctorum: De dono perseuerantiæ vsque in finem, quo peruenitur ad bonum quod non habet finem.* *Capita Collectionis.* Eius Collectionis in vniuerso Dissertatoris opere nulla, quod meminerim, fit mentio, licèt hoc illa vno anno sit minus, si chronologiæ typographicæ credimus. Quam autem ob rem neglecta sit, viderit qui fecit. *Nos, cum* Sirmondo, *Amolone duce sententias in eam partem accipiemus, quæ Ecclesiæ placitis maximè congruat, quæ fidem, fiduciámque nostram ædificet, quæ nos Deo, diuinaque prouidentiæ totos dedat: explosis iis, qui cùm ab Augustino procul absint, Augustini tamen nomine gloriari, suúmque illum dicere cum Gotteschalco non erubescunt.* *Sirmond. ibid. lectori.* Hæc *inimica* Sirmondi *manus*, tanti Præsulis monumentum eruens, ipsius sensu, ac penè verbis, nouis nouantibus Augustinianis nuper scribebat.

Opusculum subiectum Tertium opusculum, vnde hauriat aliquis Amolonis sententiam, illud est quod è Codice Treuirensi, & S. Maximini Bibliotheca, cum Amolonis Epistola dedit in publicum eadem *inimica* huic hæresi Sirmondi *manus*. *collectioni, non videtur esse Amolonis.* Illud, idem qui semper Dissertator, *iugi meditatione* sua, & *cum eruditioribus collatione* reperit *esse partem maximam singularis Epistolæ*, quam Amolo ad Hincmarum scripsit, & cum Epistola ad Gotteschalcum transmisit. *Contra Dissert. c. 24. cit.* At hic pro more, loquitur sibi placentia; qui ne probare quidem possit Hincmaro scripsisse Amolonem: neque vllum viderit vspiam, nisi in somnis, vllius litterulæ vestigium, quam Hincmarus in causa Gotteschalci tum ad Amolonem miserit, & cui is quicquam reponere debuerit, cùm Gotteschalcus missis libellis suis Amolonem sollicitauit. Atque illud assero præterea, quod nemo falsi reuincat, Epistolam, quam Amoloni scripsit Hincmarus, teste Flodoardo, qua egit *De Gotteschalci vita, vel conuersatione, prædicatione, deprehensione, atque condemnatione*, posteriorem esse colloquio isto epistolari Amolonis cum Gotteschalco, & ex eo natam, posteaquam ex epistola ad Gotteschalcum sibi tradita, monachi conatus didicit, patronos vndecunque corrogantis. *Flodoard. l. 3. hist. c. 21.* Sic admonitus videlicet, obuiam malo ire debuit, & apud Amolonem *rei veritatem exponere*, ne qua fraude ab homine callidissimo circumueniretur. Fuit enim vitium Hincmari, incuria scribendi de Gotteschalco, vt ex Epistolario Lugdunensi olim dicebamus; siue illa ex nimia causæ fiducia; siue ex incauta & simplici generositate; siue ex negotiorum aliò auocantium magnitudine profecta est. *Hincmari in scribendo de Gotteschalco incuria.*

Fac tamen scripsisse tum aliquid: contendo ego alia omnia scripsisse, quàm quæ hoc opusculo legimus, quo de gratia Dei, de libero arbitrio, de prædestinatione disputatur. *Opusculum non est scriptum ad Hincmarũ.* Docet inquis, iuniorem senior, *filium dilectionis suæ, carissimus & vnanimis pater.* Quamobrem eum docet qui nihil tum rogabat? qui damnando hæresim eum Concilio, satis ostendebat theologiam illam sibi cognitam esse atque perspectam? *Ita vocat Amolonem Hincmarus Flodoard. cit.* Vbi autem sunt preces illæ, quibus apud Episcopos vti promittit Amolo, si resipiscat hæreticus? Alia, inquis, Epistolæ parte continebantur, quæ nunc excidit. Hoc verò non est diuinare & ariolari? Atqui omnibus Carisiacæ Synodi Episcopis supplicaturum se dicebat Amolo, non Hincmaro vni, quem hac epistola compellari credis: alios quoque Antistites *pro ipso deprecaturos*, cùm vnus Amolo teste te rescribat: & id præstandum, si Gotteschalcus *restitueret se obedientiæ Domini Sacerdotum, & patrum suorum:* qui nunquam restitutus est, sed ad extremum vitæ spiritum *iacuit tanquam vas perditum.* *Amolo Epist. ad Gotesc.* Quare neque ab Amolone, neque ad Hincmarum, neque de Gotteschalco scriptum est hoc Opusculum, quod mea fert opinio, quam nulla cuiusquam momenti ratione hactenus vidi mutandam: vt gratis à me hoc loco certis Lugdunensis Episcopi scriptis adiungatur.

At, inquis, *à genio Amolonis non abhorret, vt obseruauit R. P. Sirmondus.* *Quomodo ab Amolone non abhorreat.* Quid tibi iuris reliquum fecisti ad vsurpandam Sirmondi auctoritatem, eo præsertim capite, quo capite Reuerendum Patrem contumeliosissimè vexas, vt inferiùs lectori indignanti monstrabitur? Sed age, de quo scripto id obseruauit Sirmondus? *Sirmond. ibid. ad lect.* Certè de *duobus Opusculis quæ in veteri codice*,

ex quo deprompta est Epistola, *illi annexa vidit.* Sed eorum alterum Flori esse non nesciebat, qui dudum antea in Hincmaro suo ediderat; alterum igitur non potiùs imputauit Amoloni. Quid autem est *à genio non abhorrere?* an à stilo, & dicendi modo, non potiùs ab argumento, &opinionibus? *Eiusdem.* ait Sirmondus, *sunt argumenti*, neque absunt à doctrina: ad quam refertur & fragmentum contra Prædestinatianos hæreticos, quarto loco additum, quod tu peritè dissimulas. Videmus quidem quotidie manuscriptos veterum Monasteriorum codices, qui sæpe in vnum quaternionem, variorum auctorum de rebus diuersissimis, tractatus, tanquam scopas solutas colligant. Sed Treuirensis Codex *eiusdem argumenti* opuscula tria Flori, Amolonis, & Anonymi alterius, in vnum prudentiùs commodiúsque compegit: Sirmondus addito quarto contra Prædestinatos fragmento, ex Cæsario, vel Fausto Reiensi, nobilem πεντάλογίαν fecit. Quæ omnia consimilis sunt argumenti, & ab Amolonis genio non abhorrent; ideo tamen Amoloni non adscribuntur. Id autem de vno ex illis opusculis esse faciendum, postquam coniecturis probare conatus est Dissertator, quarum leuitas exsufflatur, concludit grauiter & asseueratè. *Sed vt vt sit, excipiamus & expendamus eiusdem Sanctissimi Præsulis partum non ignobilem.* Venustè profectò, & lepidè? Quid est enim *vt vt sit?* Opusculum istud principio & fine mutilum, sit pars Epistolæ Amolonis ad Hincmarum, aut non sit: eo scripto Hincmarum de quæstione instruat Amolo, aut non instruat, *vt vt sit*, excipiamus tanquam certum & indubitatum Amolonis *partum.* Agnoscis, Lector, leonem ex hoc vngue? vides qua fide suas tibi *meditationes* proponat Dissertator, ad extremum dicturus *hæc asserendæ veritatis studio, Deo inspirante deprehendisse, & summa fide retulisse?* Ne me tamen seueriorem in omnibus queratur, qui nihil ipsi velim concedere: aut timidiorem existimet qui ad aspectum legionis Reputationum sequentium expallescam, mea opinione ad momentum temporis seposita, liberaliter patior opusculum istud Amoloni donari; ac magni veréque Lugdunensis Præsulis sententiam de propositis quæstionibus ex illa τριλογίᾳ excerpi: cuius partes singulas, apertioris distinctionis gratia, Epistolam, Collectionem, Opusculum nuncupo.

Dissertator incerta pro certis offert.

De Prædestinatione, minimè dubium quin geminam agnouerit Amolo, sed quàm procul à Gotteschalco, tam proximè Hincmarum, vt patet toto numero quarto Epistolæ ad Gotteschalcum, in quo hæc legimus. *Prædestinauit quidem malignis Angelis & reprobis hominibus perpetuas pœnas.* Ac deinde alia methodo idem profitetur, *Præordinauit atque tradidit Angelos malignos, in iudicium cruciandos reseruari.* Et iterum, *Parauit ergo & præordinauit istiusmodi transgressorem ad rompheam, id est, ad mortem & interitum, sed iustè, quia ipse vltrò transgressus est à iustitia ad peccatum.* Denique concludit, *Omnipotens Deus iusto iudicio suo prædestinat pœnas malis, prædestinat malos pœnis, nullum tamen prædestinat vt sit malus.* Quod confirmat Augustini auctoritate dicentis, prædixisse Deum per Prophetam infidelitatem Iudæorum, *prædixisse tamen, non fecisse. Fecerunt ergo peccatum Iudæi quod eos facere non compulit cui peccatum non placet, sed facturos esse præuidit, quem nihil latet.* Ceterùm esse *genus hominum quod prædestinatum est ad interitum; super quos respexit Dei præscientia, protulitque sententiam.* In opusculo demum additur, *Spei hominum & bonorum operum exercitio non debere contrarium putari, quod in dictis S. Augustini, forsitan & aliorum Catholicorum Doctorum, aliquotiens inueniri solet, impios quoque ad æternam damnationem, siue ad æternum interitum prædestinatos: Quos non sua diuina potestate quasi præiudicando prædestinauit ad malum, vt eos velut ipsa prædestinatione cogeret malos esse: sed quos vel ex iustè in Adam damnata origine*, vt infantes, *vel etiam propria impietate, perpetuæ damnationis reos futuros esse præsciuit, iusto eos iudicio, tanquam omnium præscius, ad interitum æternum præordinauit, & præordinando vtique prædestinauit.* Quæ res Amolonem cogit tanto studio illud inculcare, non prædestinari homines ad peccatum, vi prædestinationis vt malus sit cogi neminem, nisi hæreses in Gotteschalci scriptis deprehensæ? Animaduertis autem, Lector, quàm verecundè, quámque cautè de prædestinatione ad interitum loquatur auctor opusculi? *Forsitan in aliis Doctoribus, aliquoties* in Augustino vocem illam reperiri. An ignorabat post Augustinum ita loquutos Fulgentium & Isidorum, citatos ab omnibus? Voluit meo iudicio notare insolentiam verbi, & illud bonum in sensum inflectere, vt & qui reprehenderent, & qui propugnarent, suis niti rationibus viderentur. Quod apertiùs præstitit Amolo, & litem terminauit, ni quid aliud præter veritatem quæsitum foret. *Sin autem hoc quæritur*, inquit, *vbi in scripturis prædestinatio in malam partem dicatur? Ipsum quidem propriè verbum tali sensu positum forsan facile non inuenitur: sensus tamen verbi manifestè in pluribus locis apparet?* Non erat igitur certandum, aut cum iis quorum aures vulnerabat nondum in scripturis audita vox; aut cum iis qui manifesto scripturarum sensui vocem non incommodam adaptabant. Quare concludit Lugdunensis. *Sciendum quòd prædestinationis verbum in malam partem, sicut in scripturis minùs est vsitatum, ita & à Doctoribus rariùs vsurpatum; & ob hoc nequaquam magnopere de eo certandum.* Cur ergo tanta animorum contentione certarunt postea qui se Lugdunenses & dici volunt & haberi; cùm moderatior Hincmarus verbum concedat, si prauus sensus excluditur?

Geminam prædestinationem agnoscit Amolo.

Epist. ad Gottesch. n. 4.

Idem. Collect. c. 5. sentent. 1.

Ibid. c. 1. Sent. 10.

Opusc. n. 6.

Epist. ad Goth. n. 4. cit.

In libero arbitrio, præter ea quæ de eius deiectione & instauratione vulgaria recenset; quæ de spe salutis Christianis omnibus, imò hominibus, si audire volunt, ostentata, de adhortatione ad bonorum operum exercitium, cui inter cetera seruire vult Collectionem sententiarum, *vt proficiat, atque firmetur vita fidelium, orationibus, eleemosynis, & ceteris studiis pietatis: vt alleuentur prostrati, curentur saucij, erigantur elisi;* quæ de præuenientis gratiæ necessitate, & voluntatis humanæ cooperatione, similibúsque rebus habet quamplurima, quædam obseruo controuersiæ nostræ non minùs vtilia. Atque imprimis liberi arbitrij ad

Liberi arbitrij indifferentia.

Collect. Præfat.

Ibid. c. 3. sent. 3. vtrumlibet indifferentiam, quam accipit ab Augustino, Augustinus à fide. *Fides sanè Catholica neque liberum arbitrium negat, siue in vitam malam, siue in bonam.* Et alibi fusiùs, Ibid. c. 1. sent. 18. *Debet Deo agere gratias, quia praecepta voluit, qui desertus omni lumine veritatis, hac velle non posset. Positis ante hominem igne & aqua, quò vult quidem porrigit manum: sed altior est qui vocat altiùs, quàm omnis humana cogitatio.* Itaque vir bonus porrigat manum ad mandata, quomodo id faciet? Ibid. c. 3. sent. 22. *Certum est nos mandata seruare, si volumus. Sed quia praeparatur voluntas à Domino, ab illo petendum est, vt tantùm velimus, quantùm sufficit vt volendo faciamus. Certum est, nos velle cùm volumus; sed ille facit vt velimus bonum.* Sed aiunt imperari nobis à Deo, Ibid. sent. 21. quæ non possimus exequi. Certè, sed ex nobis intellige, & solis arbitrij sauciati viribus, excitante, & adiuuante gratia destitutis. *Deus non iubet impossibilia.* *Non iuberet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri: quis hoc nesciat? Sed ideo iubet aliqua quæ non possumus*, soli absque gratia, *vt nouerimus quid ab illo petere debeamus. Ipsa est enim fides, quæ orando impetrat, quod lex imperat.* Arbitrium igitur, exclusa gratiâ, ad bonum nullum est. Ibid. c. 4. sent. 15. Nam *si hoc adiutorium vel Angelo, vel homini cùm primùm facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, vt sine diuino adiutorio manere posset si vellet, non vtique sua culpa cecidissent.* Si *non sua culpa cecidissent*, si non fuisset illis liberum arbitrium ad standum, quo iure punirentur? Ibid. c. 5. sent. 2. *Si non est liberum arbitrium, quomodo Deus iudicat mundum?* At, inquis, aliquos indurat, qui vtique cadunt: & quidem non culpa sua, sed indurantis voluntate, qua excæcantur & indurantur. Perge porro, adde cur excæcentur & indurentur? *Quia*, inquit Augustinus, Ibid. c. 5. sent. 7. *negando diuinum adiutorium, non adiuuantur.* Dic idem de reiicientibus: nam & ipse princeps obduratorum Pharao, non nisi deserens, desertus est; non est induratus, nisi quia interiore gratia, & prodigiis exterioribus noluit emolliri. Ibid. c. 3. sent. 30. *Quando audiùs dicentem Dominum, Ego Dominus, seduxi prophetam illum: & quod ait Apostolus, Cuius vult miseretur, & quem vult obdurat: in eo quem seduci permittit, vel obdurari, mala eius merita credite; in eo verò cuius miseretur, gratiam Dei non reddentis mala pro malis, sed bona pro malis, fideliter & indubitanter agnoscite.* *Desertus à Deo, antè deseruit Deum.* Atqui merita illa mala, vt sæpe dictum, gratiam supponunt repudiatam, aliàs non sua culpa cecidissent. *Nec ideo auferatis à Pharaone liberum arbitrium, quia multis locis dicit Deus, Ego indurani Pharaonem; vel induraui, aut indurabo cor Pharaonis. Non enim propterea ipse Pharao non indurauit cor suum. Nam & hoc de illo legitur, quando ablata est de Ægypto cynomyia dicente Scriptura, Et ingrauauit Pharao cor suum, & in isto tempore, & noluit dimittere populum. Ac per hoc, & Deus indurauit, per iustum iudicium, & ipse Pharao, per liberum arbitrium.* *Pharaonis induratio, pœna peccati.* Si Deus iustè pœnam eiuscemodi irrogauit, præcessit Pharaonis peccatum: at non potuit peccare sine adiutorio gratiæ oblato; qui non sua culpa cecidisset. Passus ergo repulsam Deus, iustè deseruit à quo deserebatur, & indurauit gratiam subtrahendo, quæ fuit antè contempta.

De redemptione porrò omnium, quod tertium caput est, & fuso in homines omnes sanguinis & mortis Christi beneficio, licèt professa opera nihil tradiderit Amolo, nisi omnes fideles, etiam futuros impios & perituros, Christi sanguine redemptos esse; tamen aliunde sententiam eius subodorari possumus, vt omnino ad omnes redemptionem pertinere velit. *Omnes homines à Christo redemptos esse docet.* Nam cùm Gotteschalco crudelitatem exprobrat, qui dixit, non esse prædicandum reprobis, vt statutas pœnas euadant, quia id fieri non potest, *Oro*, ait, *quid tibi peccauit humanum genus? quid tibi peccauit Ecclesia? quid in ipsa Ecclesia tot proximi & fratres tui, vt eis tam magnam & patentem ianuam pietatis Dei obstruere & obserare coneris?* Epist. ad Gottesc. n. 5. Tres eorum gradus facit qui *magna & patente ianua* ad salutem & ad Deum ingrediuntur, humanum genus, Ecclesiam, fratres & proximos Gotteschalci. Sic in ipso limine opusculi audio; *Gratiam Dei credere debemus, qua humanum genus saluatur per vnum mediatorem Dei & hominum Iesum Christum.* Opusc. c. 1. sent. 1. Quod ait, saluari, non hoc intelligit, finalem perseuerantiam omnibus dari, & actu in cælum euehi, quod nemini venit in mentem; sed ex Christi sanguine confectum esse malagma, & panacæam, qua possint vti homines omnes & singuli, qui componunt *humanum genus*, ad persananda vulnera peccatorum, & acquirendam salutem. Est-ne Christus fidelium tantùm, ac non etiam omnium hominum mediator apud Deum omnium conditorem? Cur autem *humanum genus*, tanquam aliquid fusissimè patens ab *Ecclesia* distinguit, in arctiorem numerum compacta, si non intelligit præter eos qui ad Ecclesiam pertinent, (pertinent autem quicunque in veri Dei fide baptizati sunt) alios esse, quibus liceat per *magnam & patentem ianuam*, ingredi, si prædicantes audierint, & vocanti Deo fuerint obsecuti, licèt reapse nunquam audiant, aut obsequantur? Vocaret nimirum *magnam & potentem ianuam*, si exiguo tantùm electorum numero patere crederet? Quid verò dignum Amolonis censura scripserat Gotteschalcus? Perditioni prædestinatos præfinitam damnationem euadere non posse, neque illis prædicandum vt euadant. De omnibus certè loquebatur, ac non de fidelibus solis. Pro omnibus igitur disputat Lugdunensis, & amplissimo vocabulo *humanum genus* appellat. Neque verò confugies ad illud vulgare præsidium, redemptos aliquos ex orbe vniuerso, ex omni hominum genere & conditione, ex omni ætate, statu, sexu. Hos enim aliquos *genus humanum vocari* non patior: vt Angelicam naturam vniuersam cecidisse nemo dixerit, licèt ex omnibus Hierarchiis aliqui corruerint.

Verùm inquis, apertè profitetur Amolo, reperiri aliquos, vt infantes, & adultos, ad quos Apostolica prædicatio nunquam penetrauit, qui omnino salui esse non possunt: eos tu redemptos putas, qui beneficium redemptionis, non dico non receperunt, sed penitus ignorarunt, sed percipere nulla ratione potuerunt? *Explicatur locus de iis qui non possunt saluari.* *Sunt quidem in malis & damnandis aliqui reputati, qui aliud esse non potuerunt: sicut illi paruuli recens nati, sub reatu originalis peccati defuncti, quibus per baptismum Christi non potuit subueniri; sicut etiam illi ignorantes Deum, qui* Epist. ad Gottesc. n. 4.

non potuerunt inuocare in quem non crediderunt: nec credere ei, quem non audierunt; nec audire sine prædicante; nec prædicatorem habere, quia nullum ad se mitti meruerunt. Imbelle telum, & vniuersali generis humani redemptioni vulnerandæ minimè efficax. Quid enim illud est, *aliud esse non potuerunt?* an antecedenter, & fatali Prædestinatianorum necessitate, an potiùs consequenter tantummodo, & causarum secundarum defectu, etiam non vitioso? Et istis paratam à Christo salutem cur neges, etsi ad eam seruato rerum humanarum ordine nunquam peruenerint, aut peruenire potuerint? Non lucet sol omnibus, etsi Bartimæus aliquis, aut Didymus lucem oculis haurire non possit? & illos cùm sancti homines curant, an efficiunt vt sol ipsos illuminare incipiat, qui antè non luceret? Quòd si antea solis luce non potiebantur, alios benigni sideris influxus non percipiebant? Et, vt sibi Seruatus obiicit, *si sol cæcos quanquam non illuminet, tamen fouet: cur non potentior sol, tame: si non saluet suo meritò excæcatos, atque damnatos, tanti pretij meritò mitiùs puniat?* Denique non esse seuerissimè accipiendam vocem illam *non potuerunt*, docet postrema, *meruerunt.* Atque hanc ipsam si præcisè intelligis, gratuitam misericordiam, magna Amolonis iniuria, excludis. Nam si qui prædicatorem ad se mitti strictè meruerunt, iam ipsa prædicatio ex operibus fuit, & non ex gratia. Quis autem populus illud meruit, cùm ipsius Reparatoris priuationem meruerit humani generis massa perdita? *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Si propriè meruerunt, facta est illis iniuria cùm negatus prædicator: & fuit iniustus Deus, vt obliuisceretur operis illorum, quod non Apostolus solùm, sed & omnis rerum natura audire horreat.

Seruat. Lup. l. de 3. quæst. q. 3.

§. I.

Obseruationes quædam in Amolonem percurruntur.

Indignis modis Sirmondus à Dissertatore tractatur. c. 24.

IN editione Epistolæ Amolonis ad Gotteschalcum, Lectorem salutans Sirmondus, ita scripsit. *Reputent qui Gotteschalci morbo laborant, quanti eandem* (Epistolam) *& ipsi meritò facere debeant; quando huius vnius ope conualescere possunt, si velint; hoc est, si oblatum remedium non respuant; ac sibi quoque dicta intelligant, quæ ab Amolone scripta Gotteschalco.* Pupugit hæc admonitio illustrem Dissertationis auctorem, & quasi digito monstraretur, qui minimè omnium in cogitationem venire debebat, eiusce modi morbum vni sibi imputatum credidit, primúsque & solus ad vlciscendam exarsit iniuriam. Facit hoc primùm contemptu, quo plurimùm valet aduersùs eruditissimos quosque suis opinionibus repugnantes. *Quis*, inquit, *ex sancti Augustini discipulis* (satis gloriosè) *ad verba illa non obstupescat? quis perlectis opusculis non videat?* (non enim perlegit, qui primus edidit Sirmondus) *& R. P.* (*absit verbo inuidia*) *frontem non miretur?* Abest inuidia, sed non iniuria, vt effrontis impudentiæ arguatur virorum humanissimus, & senum maximè verecundus, quia morbidorum vlcus verbo tetigit. *Memini legisse quondam in Tertulliani Pallio, sub finem.* at ego in vtraque Dissertationis parte, non memini legere me citatum Tertullianum, nisi hoc loco, ad Sirmondi contumeliam, & alio, ad Hincmari calumniam. Tanti est Gotteschalcanis patronis duos Tertulliani libros legisse! Quid ergo scribit Tertullianus Sirmondo conueniens? *Chamæleontem qui audieris haud antè gnarus, iam timebis aliquid ampliùs cum leone: at cùm offenderis apud vineam ferme sub pampino totum, ridebis illico audaciam & Græciam nominis.* Hoc est, nisi fallor, licet cautè dissimuletur, Sirmondum chamæleontem esse, nomine & assentatione spectandum aliquid, & aduersariis metuendum: re autem ipsa humi repere, sua inter eruditos gloria longè minorem, ridendum hominem & spernendum. Quæ prolusio est pugnæ asperioris, Historiæ Prædestinatianæ confutationem facturæ: & sectæ conatus, per incredibilem omnium contemptionem, ad eruditionis gloriam vnicè grassantis. Nec eo contentus Præses Monetalis, etiam hæreseos non obscurè incusat, legitimus videlicet rerum Theologicarum iudex, cùm diuinæ prouidentiæ gratias agit: quæ *tanti Præsulis monumentum inimica manu eruere, & in lucem his temporibus emittere dignata est, quibus inimici gratiæ Christi, hanc ipsam veritatem obnubilare, & obruere decertant. Quò redacti sunt, quibus hæc sola tela supersunt, quæ in emittentium capita recidant? Verùm exultant & gloriantur, ab Hincmaro suo fucum facere, falli & fallere, quàm multis procliue sit edocti, Gotteschalcum & renouatam ab eo hæresim, ab Amolone damnatam proclamant; ex qua vrbe Gotteschalco falsa præsidia quærebantur, ex eadem, inquiunt Epistola ad lectorem, ipsi habent tanti nominis suffragatorem. Et addunt ouantes. Reputent qui Gotteschalci morbo laborant, &c.* Vni quidem Sirmondo totus iste parenthyrsus insultat; ita tamen, vt de omnibus qui Gotteschalci morbo non laborant, tanquam de gratiæ Christi inimicis triumphet. Admonitionem igitur in eos retorquet, & multa iubet *reputare* ab Amolone dicta de gratia, *quæ ingratis illorum placitis mederi possint:* vt ea ratione, tela quæ videntur in Gotteschalcum educta ex Amolone, *in emittentium capita recidant.* Ea tibi Lector, verbis ipsius expono, meis quàm breuissimè satisfacio, cum spe aliqua, non minore cura & fide responsurum aliquando Præsidem, ad omnes & singulas propositiones, quas olim è Prædestinatianis, ac deinde ex Gotteschalco retulimus. Sic ergo habent.

Sirmond. in Epist. Amol. ad Gottesc. Admon. ad Lectorem.

1. *Reputent qualem Christi gratiam credat Amolo, dum Epistola ad Gottesc. sect. 2. non solùm Deum orat, vt ipsi tribuere dignetur vtilem & veracem ad Monachi illius consolationem & instructionem, sermonem: sed & vt animum illius præparet ac tranquillet, vt quæ ipse dicturus erat, ille pia mansuetudine & humilitate susciperet, &c.* Reputando iudicatum est, cùm Deus Monacho illi prædicationis externæ gratiam, Amolonis ministerio concesserit, procul dubio interiorem motum non denegasse, tantò magis vtilem & planè necessarium, quo cor emolliretur & aures paterent; si vellet intelligere vt bene ageret. Sed quia ex historia constat, incorrigibilem fuisse illum, & in pertinacia ad extremum spiritum perstitisse, conclusum est, gratias illas prauo libertatis vsu repudiatas ab illo, inefficaces fuisse, eóque ipsum contemptu & repulsa factum esse duplò plus filium gehennæ, quàm antea.

Educitur ex Amolone gratia sufficiens.

11.

Genus humanum redemptum à Christo prædicat.

II. *Reputent, sect. 4. Redemptionis generalis omnium hominum, etiam infidelium in infidelitate perseuerantium, quam ipsi intendunt, Amolonem nullo modo meminisse; sed solam fidelium per Baptismum redemptionem, propositioni quam impugnaret, opposuisse.* Reputatum est, & monstratum quid generis humani vocabulo sit intelligendum, quod ab eo redemptum dicitur. Ceterùm etsi fateremur non expressisse infideles; certè illos expresè non exclusit. Ac si exclusisset, quod aliqui faciunt eius seculi auctores, plures & meliùs sentientes de infinito diuini sanguinis pretio, paucis opponi possunt.

Paratum omnibus remedium.

III. *Reputent, sect. 8. E reprobis plurimos damnari, non modò infantes, sed & infideles, qui aliud esse non potuerint.* Reputatum est & istud, & fatalis prædestinationis explosa necessitas: additúmque, paratum esse omnibus ægris remedium, quod aliquo alio defectu ab omnibus participari non potest; quos proinde in ipsius medicinæ conspectu, & quasi sinu necesse est interire.

Gemina prædestinationis sensus Catholicus.

IV. *Reputent, Prædestinationem malorum ad pœnam, iuxta Gotteschalcum* praui sensus auctorem, *contra Rabanum, Hincmarum,* sensu catholico non negantes, *& pseudosynodum Carisiacam,* de qua inferiùs agetur, *ab Amolone assertam* catholicè, *& ex sacris litteris comprobatam;* in quibus fatetur non facilè vocem inueniri, & à Doctoribus rariùs vsurpari: *eadémque epistola ad Hincmarum,* hoc est Opusculo, *sect. 6. confirmatam.* Reputant igitur, eadem voce, sensu diuerso, duos scriptores vsos esse, Gotteschalcum hæreticum, catholicum Amolonem: ac deinde, quàm malè illi, tam huic benè cum Rabano, Hincmaro, vera Synodo Carisiaca conuenire.

Encomium Augustini.

V. *Reputent, sect. 10. S. Augustinum fidelissimum vocari doctorem. Impossibilitatem credendi, culpam esse voluntatis humanæ; nósque semper diuino indigere auxilio.* Reputant, & addunt. 1. Eundem S. Augustinum vocari ab Hincmaro *doctorem famosissimum, atque ab Apostolica sede receptissimum.* Frusta locorum à Gotteschalco vitiosè excerptorum, per eundem Hincmarum illi in carcere exposita, ne se frustra tanti doctoris auctoritate fulciret; iussum in extremis positum doctrinæ S. Augustini, S. Prosperi, & ceterorum catholicorum doctorum; subscribere, quod facere obstinatè renuit. 2. *Fideliter & Catholicè* exponi ab Augustino, sapienter referri ab Amolone, Ioannis dictum de Iudæis, *non poterant credere,* id est, *nolebant.* Cùm enim haberent ad manum omnia ad percipiendam veri Messiæ fidem necessaria, scripturas, prædicationem, miracula, interiores gratias, liberam habebant credendi, & non credendi potestatem; hic & tum per *superbam impietatem* in deteriorem partem voluntatem inclinarunt, & quod poterant, noluerunt. Ita dictum de Christo, *& non poterat ibi virtutem vllam facere,* id est, nolebat. vnde simpliciter dictum antea, *non credebant in eum,* cùm possent & deberent credere. Quo ex abusu libertatis, secuta est excæcatio & induratio, dum Deus deserit deserentes, & relinquit in duritia, gratiis ad emolliendum concessis non vtentes. Quibus autem gratiis? Tot tantisque vt *miraretur propter incredulitatem eorum:* vt si Tyriis Sidoniisque donatæ fuissent, *olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent.* Et negas sufecisse saltem Iudæis, quæ forent in animis Gentilium efficaces? 3. Aiunt demum, nos adeo semper diuino indigere auxilio, vt sine illo neque benè operari, neque peccare possimus. Nam liberum arbitrium si solum est, ad malum determinatum est: ergo non liberum, neque demeriti capax. Accipit igitur homo à gratia benè agendi potestatem; quam si recipit in vacuum, præsente gratia vitio suo peccat, & pœnæ reus est.

Hincm. l. aduers. Laudun. c. 28.

Idem l. de non trina deit. c. vlt.

Gratia sufficiens.

Ioan. c. 12.

Marc. c. 6.

Matth. c. 11.

Frustra prædicas Amolo.

VI. *Reputent, sect. 12. Quales sancti Spiritus operationes in cordibus fidelium afferat Amolo, vt doceat non solùm instruat, sed informet: affectũ postulandi, gemendi, & desiderandi inspiret; itavt diuino Spiritu regente & illustrante, iusta iudicia Dei, laudare, & glorificare non cessent.* Reputant enimuerò, & cum animo suo perpendunt, non quàm benè, sed cui bono reputentur ista? Fuerint-ne priùs obscura aut dubia, quàm aut scriberet Amolo, aut scriptum è tenebris nuperrimè Sirmondus extraheret? Certiús-ne ab Episcopo Lugdunensi parum hactenus celebri, quàm ab Apostolo Paulo, ab Augustino famosissimo, à Patribus ceteris, à Conciliis, ab Ecclesia, à fide discantur? Reputant vlteriùs, solorum esse laïcorum ὀψιμαθίαν hanc, qui si quando ad Theologiam appellunt, velut in nouum quendam orbem delati, vulgaria quæque pro nouis habent & inusitatis, eáque postea pro peregrinis mercibus venditant, cum risu audientium, quorum aures ad ista dudum occalluerunt.

Synodi non probantur fictæ à Fausto.

VII. *Reputent, in fine eiusdem Epistolæ, Amolonem Concilij Arausicani secundi, non fictæ Arelatensis & Lugdunensis à Fausto Synodi meminisse: quæ si vera fuisset, & renata, non fuisset prætermissa.* Efficax videlicet argumentum, & aries ad euertenda duo Concilia valentissimus! Illorum non meminit Amolo; igitur à Fausto ficta sunt. Respondeat aliquis. Vtrunque ignorauit Amolo: vel, aliàs notum, memoria tunc excidit, & quod primùm occurrit animo, illud obiecit. Dicat alius, Et sciuit, & meminit: sed maior Arausicani dignitas, & auctoritas quæsita est. Adiiciat quartus, Gotteschalco de Augustini discipulatu glorianti, prudenter oblatum est, tacitis aliis, Augustinianæ doctrinæ Concilium. His tu auditis, collige, finxit ergo Faustus Synodos ab Amolone prætermissas.

Superflua obseruatio.

VIII. *Reputent in altera Epistola, seu Opusculo Amolonis, gratiam Dei verè gratuitam, & ex nullis præcedentibus meritis,* (de principio meriti vult intelligi) *eiúsque efficacem agendi modum,* (nam de sufficiente quam pernegant, non agunt Nouantes) *ab Amolone propositum, omnibus credendum eum esse, vt per illum Deus trahat quos vult, non necessitate, sed delectabili voluntate & amore.* Grande profectò & abditum mysterium! Quasi voluntas, si prædeterminante physicè necessitate trahitur, qualem illi faciunt, libera facultas manere possit: quasi Deus aliter, aut Diabolus, quàm delectatione & amore voluntatem, boni semper appetentem, trahat ad bonum, aut ad peccatum. Quid? Quod de fide in Christum dixit Augustinus, non etiam ad malorum operum affectionem traduci potest? *Quomodo voluntate credo, si trahor? Ego dico: Parum est voluntate, etiam voluptate traheris. Porrò si poëtæ dicere licuit, Trahit sua quemque voluptas; non necessitas, sed voluptas; non obligatio, sed delectatio: quantò fortius nos dicere debemus,*

Amore & voluptate trahi.

August. h. 26. in Ioan.

trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate. &c. Vis scire quomodo in peccatum præcipitetur? Primam tentationem vide. Boni vtilis & iucundi appetitum mulieri callidus serpens suadet: capitur illa non necessitate, sed delectatione & amore: *Vidit igitur mulier*, nulla necessitate adacta *quòd bonum esset lignum ad vescendum*, atque adeo vtile ad vitam, *& pulchrum oculis aspectuque delectabile*, quæ sunt boni iucundi blanditiæ; adde & serpentis promissum, *Eritis sicut Dij, scientes bonum & malum*, quo bono nullum maius potest esse, & honestius. His illecebris inuitata, admirabilis cuiusdam boni amore illecta, *tulit de fructu illius & comedit*. Ita seducta mulier, virum non seduxit, sed emolliuit, *deditque viro suo, & comedit*, non necessitate, sed delectabili voluntate, & amore illegitimo coniugis suique, supra Deum, eiúsque præceptum. Hoc est peccatum primum, vt origo, sic exemplum sequentium. Quod sæpe meditatus Gregorius Magnus Concupiscentiam in Eua, mentem in Adamo, suggestionem à diabolo, delectationem in appetitu inferiore, consensum in animo repræsentat, liberrima omnia, delectabilis voluntatis & amoris partus exitiales. Quod ergo viri ascetici tirones suos in claustris, quod catechistæ pueros in templis edocent, hoc velut reconditum aliquod oraculum Epoptis Theologiæ Præses Monetalis ostentat, & iubet seriò reputare, quod quotidie centies in seipsis experiuntur.

Eua tentatio, & lapsus. *Genes. c. 3.* *Gregor. l. 3. Moral. c. 6.*

IX. *Reputent ibidem, Hanc ipsam gratiam in Baptismo tribui, eandémque quotidie fideles in omni cogitatu, opere, & sermone bono accipere.* Age, Lector, reputemus, quando sic placitum Theologo Curiali. Auctor Opusculi quisquis est, habitualem gratiam ab actuali non distinguit, vt quicquid nobis aduenit gratiæ, totum ex gratuita Dei misericordia per mediatorem Christum nobis donari doceat: quod pauci negarunt hæretici. Confundit autem Reputator: malè id quidem, & longè quàm Opusculum absurdiùs. Nam quæcunque de gratia per Christum in Opusculo dicuntur, ea modò habituali, mox actuali gratiæ, respectiuè, vt aiunt, tribuenda sunt. At Dissertator solam gratiam efficientem, imò efficacem, more sectæ, cùm tetigerit articulo proximo, mox subdit, *hanc ipsam gratiam in Baptismo tribui*. Quod Theologiæ repugnat, quæ habitum gratiæ cum aquis lustralibus infundi docet, non actum: ac deinde cùm adiicit, *quotidie fideles eandem in omni cogitatu &c. accipere*, habitualem intelligit, in baptismo tributam, reclamante philosophia, quæ actionem habitibus denegat. Nam & habituali gratia præsente, malè agere quilibet potest; & absente eadem gratia, benè, si adfuerit actualis. Id demonstrat baptismus ipse, quo *regenerantur paruuli & maiores*, ait Opusculum; sed eam distinctionem omittit Dissertator. Vtrique quidem in ipso Baptismo habitualem percipiunt; sed *paruuli* solam, boni actus impotentes per infantiam: *maiores* autem, quàm multis actualibus antè pulsati sunt, quàm ad habitualem illam in fonte regenerationis perueniant? Debuit igitur consultiùs vtraque gratia distingui, & in Opusculo quomodo discernenda sit, exponi. Quod cùm fuerit executus Dissertator, reputandum ipsi supererit, vllúsne vnquam ex iis qui Gotteschalco sunt oppositi, aut verbo negauerit, aut dubitanter & frigidè affirmauerit, gratiæ ad omnes & singulos actus necessitatem. Quòd si post iugem meditationem & cum eruditioribus suis collationem, neminem vnum poterit nominare, tum verò nobis licebit exclamare, *vt quid perditio hæc?* vt quid etiam talis obseruatio paginam occupat?

Habitualis gratia malè confusa cum actuali.

X. *Reputent quales credendæ sint diuinæ gratiæ operationes, dum dicit ibidem, Exhortatur videlicet quod bonum est inspirando; confirmat verò quod inspirauerit conseruando. Nullum est enim hominis bonum, quod non sit Dei donum.* Reputamus leui vocis allusione, differre dictum illud ab Apostolico, *Quid habes quod non accepisti*, 1. Cor. 4. aut ab illo, *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Rom. 11. aut denique ab Euangelico, *Sine me nihil potestis facere.* Ioan. c. 15. Videri autem nobis perabsurdum, ab eo qui Theologiam tractet, Euangelium, & Apostolum, per doctorem hominem non exponi, sed confirmari, & prætermissa scriptura Spiritu sancto inspirata, quid *credendum sit* ex Amolone declarari. Denique superfluam esse obseruationem istam, si antegressa sexta reuocatur in memoriam.

Superflua obseruatio.

XI. *Reputent sect. 2. Præfixum ab Amolone, credendum, præscitum æternaliter, & incommutabiliter certum numerum Sanctorum.* Et hoc certum habet Hincmarus, neque ab homine anticipatam Dei cognitionem habente negari potest, modò antecedens & fatalis Gotteschalci Prædestinatorúmque necessitas procul arceatur, & nulli fidelium spes æternæ vitæ potiundæ eripiatur; aut operum bonorum studium ab animo excutiatur; quod fecit Gotteschalcus, teste Rabano.

Superflua & hæc. *Hincm. l. de Prædest. c. 18.*

§. II.

Earumdem obseruationum continuatio.

XII. REPVTENT, *sect. 3. Prædestinationem & electionem Sanctorum merè gratuitam, non ex præuisis meritis credendam: ita vt Prædestinatio & præscientia Dei eis præstiterit, vt fierent quod non erant.* Reputantibus visum est, non satis percipi quid sit electio, quid prædestinatio, ab eo qui huic illam postponit; qui in hac Scholasticæ Theologiæ luce, obscuriorem minúsque distinctam auctoris sui ignoti orationem exponere aut nescit, aut negligit; qui quæstionem apud catholicas scholas vltro citróque agitatam, electio Dei an præcedat, an sequatur meritorum nostrorum præuisionem? putat scriptoris incogniti opinione finiri: qui sententiæ illorum, à quibus præuisio meritorum electionem præcedere creditur, aduersari significat auctoris sui dictum, eis Deum præstitisse, vt fierent quod non erant: quasi Theologi illi ab alio velint electos discerni quàm à Deo, & Apostolo contradicant, quærenti, *Quis enim te discernit?* 1. Cor. 4. Qui denique non satis fideliter libri sui sensum assequitur, dum verba supprimit. Sic enim habet locus vnde sumpta est Reputatio. *Non itaque idcirco eos prædestinauit, & elegit, quia præsciuit eos ex semetipsis iustos futuros; sed potiùs eos ad hoc præsciuit & prædestinauit, vt eos gratis gratia sua iustificaret.* In vtra enim sententia admittitur *eos ex semetipsis iustos futuros?* Vtra non agnoscit

Malè philosophatum de electione & prædestinatione.

gratuita Dei misericordia iustificandos? Concludunt ergo fabris relinquenda esse fabrilia.

Plures obseruationes leues & superflua.

XIII. *Reputent ibidem, Electos vocatos esse, vocatione non solius vocis exteriùs, sed & gratiæ inspirantis, & adiuuantis interiùs.* Reputatum millies.

XIV. *Reputent ibidem ab Amolone dictum, Oportet vt credamus ipsum bonum perseuerantiæ Sanctorum, non solùm donum, sed etiam magnum & præcipuè necessarium Dei donum.* Rem scilicet surdis solis inauditam.

XV. *Reputent sect. 4. Oportet vt credamus liberum arbitrium &c. ita prima præuaricationis merito esse vitiatum, infirmatum & deprauatum, vt ad amorem veritatis & iustitiæ assurgere non possit, nisi per donum Christi fuerit excitatum, sanatum ac vegetatum, & à suæ prauitatis vitio liberatum.* Quàm multa inútiliter repetita!

XVI. *Reputent ibidem, Hanc liberi arbitrij languorem, quo sensus hominis & cogitatio, ex vitio damnatæ originis prona & intenta est ad malum, & ipsum liberum arbitrium tenetur captiuum, solus ille sanat medicus, solus ille liberat & reddit liberum liberator.* Reputant hæc Christianæ fidei rudimenta pueris elementariis tradi: ac præterea, Lugdunensis Amolonis iudicio, temerè & immeritò Ioanni Erigenæ litem mouere Lugdunensem Ecclesiam, quam appellant Florum, quòd is dixerit, libertatem homini post peccatum remansisse, vigorem tamen & potestatem illius amisisse, quod illum piè & catholicè sensisse, monuit locum exponens Duuallius.

XVII. *Reputent ibidem, Ipse liberum arbitrium reddit gratia sua liberatum, vt sicut erat pronum & promptum ad malum, multò attentiùs & delectabiliùs efficiatur pronum & promptum ad bonum.* Diu est cùm Reputationes istæ Lectori putandæ videntur, & superfluæ repetitiones rerum vulgarium, & calumniosæ errorum indicationes.

XVIII. *Reputent, & sibi quoque hæc ab Amolone sect. 5. dicta intelligant; Vt humiliata omni humana superbia, & omni de suis viribus præsumptione deposita, subiiciat se vnusquisque, & commendet fideliter Deo regendum, & eius virtute protegendum, eius bonitate iuuandum, eius gratia conseruandum, & perficiendum.* Reputant sanè debere hoc dici Gotteschalco, qui *totam Ecclesiam, quasi aliquid spurcum & sordidum, & indignum sua adlocutione abiicit:* & Gotteschalci patronis & sodalibus, qui se putant solos sapere, & non ad sobrietatem: quorum lemma est, *Non sum sicut ceteri hominum.*

XIX. *Reputent ibidem continuò additum, Quæ gratia nulla est alia, nisi misericordia & benignitas Redemptoris, cuius morte viuificamur, cuius sanguine redimimur, cuius iustitia absoluimur, cuius cruce saluamur.* Habet omnes pro fungis, eruditorum gemma Dissertator, qui hæc magna primus & solus catholicas Academias docere se putet. Nisi fortasse mysterij aliquid latere vult in eo membro, *cuius iustitia absoluimur,* quod nos profectò ignoramus, Caluinus hæreticè declarauit.

XX. *Reputent quod ibidem sequitur, Quatenus totum ipse nobis sit, & nos toti ipsi simus, non ex parte de nobis, & ex parte de illo fidentes.* Reputant hæc speciosè dicta, non alia lege admitti posse, quàm probata simul spontanea diuinæ gratiæ acceptatione, & voluntaria hominis ipsius cooperatione, à Gotteschalco cum Prædestinatianis abiecta, vt totum gratiæ dicerent esse, & omnem hominis conatum, etiam gratia posteriorem, excluderent: contra Catholicam veritatem, & Augustini doctrinam, tum sexcentis locis, tum iis qui ab Amolone producuntur in sententiis. Amol. sent. c. 3.

XXI. *Reputent, & sibi quoque ibidem dictum intelligant; Constanter vtique fidelis Christo crede, eique totum committe quantum potes. Noli velle esse quasi proprius, & in tua potestate: sed eius clementissimi & vtilissimi Domini, te seruum esse profitere. Ita enim te ad se subleuare non desinet, nihilque tibi euenire permittet, nisi quod tibi prosit, etiamsi nescias.* Sine longa Reputatione, & *iugi meditatione,* aiunt his & similibus adhortationibus redundare libros asceticos, qui nouitiis ad legendum quotidie proponuntur.

Grauis calumnia in pium & eruditum Theologum.

XXII. *Reputent denique, qui Pelagiano fastu, & arrogantia, in scriptis suis de Prædestinatione & Gratia, in cælum ponentes os suum, ausi sunt dicere, ita Augustinus, sed nos aliter: Reputent, inquam, Beatum Augustinum ab Amolone proclamatum, præcipuum post Apostolum Prædestinationis & Gratiæ prædicatorem.* Reputant num sit æquum, Parisienses Theologos in posterum desertis cathedris in Curiam Monetarum transire, ibique iuri dicundo de Ponderibus & mensuris præesse, quando Præses Monetarius, homo laïcus, Theologiæ mysteriis non initiatus, in eorum se officium intrudit, vt olim Photius Curialis in Sacra: & Theologiæ Doctores, Professoresque publicos, Regij, & ab antiquo celeberrimi Gymnasij Moderatores primarios, quos Ecclesiæ Gallicanæ Antistites summo in pretio semper habuerunt, & de rebus difficillimis consuluerunt, docet quid sit Pelagianismus, & qua via in eum incurratur: *Fastus & arrogantiæ* condemnat homines, ob Christianam modestiam, & pietatem tota Gallia notissimos: Blasphemiæ impudentis accusat (quid enim aliud est *ponere in cælum os suum?*) religiosissimam linguam, tot oraculorum parentem, tot mysteriorum interpretem, tot salubrium consiliorum ducem & magistram: Arguit pronuntiatum illud in re tanti momenti effutiisse, sine consilio Sapientem, sine religione Theologum, sine ratione Professorem. Hîc ego neque apologiam texo viri doctissimi, & amicissimi, neque patrocinium suscipio, qui si iactam in se iniuriam, ad se, aut potiùs ad Ecclesiam putat peruenisse, habet in numerato vnde liberaliter satisfaciat: sed quod instituti mei est, cum Præside Monetario de graui & indigna eius accusatione dissero.

Licet ab Augustino in aliquibus dissentire.

Ausi sunt dicere, inquit, *Pelagiano fastu & arrogantia.* Id ergo dixerunt Pelagiani, fastosi homines & arrogantes. Qui? quo teste? qua occasione? Quando? Si qui Pelagij asseclæ, si qui catholici, sed minùs cauti, viuo adhuc & superstite Augustino, vel recente eius memoria, ab eius placitis dissidere voluerunt, cùm aliqua gratiam spectantia, Pontificum & Conciliorum, hoc est, Ecclesiæ auctoritate, nondum erant stabilita, cùm videri poterant salua fide vltro citróque disceptari posse, ii-ne tum fastus, arrogantiæ, blasphemiæ insimulandi fuerunt? Egó-ne cùm te video, & inuenta tua lego, sine fastu & arrogantia

non possum dicere, ita Mauguinus, sed nos aliter? Postea verò quàm Augustini iam asserti gloria orbem terrarum peruadente, in certa doctrinæ ipsius capita consensit Ecclesia, da mihi vel vnum, ex iis qui postea Semi-Pelagiani vocati sunt, qui ea voce sit vsus. Non habes igitur dictum illud à Pelagianis aut Pelagianorum reliquis fuisse vsurpatum. *Ponentes*, inquit, *os suum in cælum*, siue *os loquens magna & blasphemias*. vt in Apocalypsi legimus. Blasphemant igitur qui nonnullas Augustini opiniones, quas Ecclesia ratas non habet, sequi detrectat? Dic illud Augustino, qui priores aliquas retractauit, quæ sibi *rectissimè displicerent*: qui ridet laudem Ciceroni tributam, *nullum vnquam verbum, quod reuocare vellet, emisisse*: quod credibilius esse ait *de nimiùm fatuo, quàm de sapiente perfecto*. Dic Hieronymo scribenti ad Augustinum, mirum non esse *si in eius libris & maximè in scripturarum expositione, quæ obscurissimæ sunt, quædam à recta linea discrepare videantur*. Dic Vincentio Victori, qui cùm *senem iuuenis, Episcopum laïcus, imperitiæ suæ admodum conscius & doctrinæ adminiculo destitutus, non dubitaret* Augustinum *doctissimum ac peritissimum reprehendere*, non est ab eo blasphemiæ postulatus, sed *planè laudatus*, quòd veritatem quam putabat, homini prætulisset. *Neque negare debeo*, inquit, *sicut in moribus meis, ita multa esse in tam multis opusculis meis, quæ possint iusto iudicio, & nulla temeritate culpari*. Et hoc quidem ex voto alibi concepto. *In omnibus libris meis non solùm pium Lectorem, sed etiam liberum correctorem desidero*. Ac rursus: *Cùm aliquid falsi in libris meis me sensisse homines putant, quod ego non sensi; atque id ipsum falsum alteri displicet, alteri placet, malim me reprehendi à reprehensore falsitatis, quàm ab eius laudatore laudari*. Dic plerisque Theologis & philosophis, qui in eius magistri verba iurare perpetuò, at non sine eius reuerentia, recusant. Dic denique aduersariis ipsis, qui nonnulla dubia ab eo proponi admonent. Quo igitur iure me adigis, vt pro certis & constitutis accipiam? Qui sic loquuntur ais, *Reputent Augustinum ab Amolone proclamatum*: Dic correctiùs, ab anonymo, & ignoto scriptore, cui tu Amolonis nomen indidisti; cui, si antiquitatem excipis, ipsum illum Doctorem, quem cruentas contumeliis, facilè antefero. Quid est autem proclamatus Augustinus? *Præcipuus post Apostolos prædestinationis & gratiæ prædicator*. De gratiæ necessitate docentem Augustinum probauit Ecclesia. Ostende eodem modo in causa Prædestinationis à Conciliis & Pontificibus susceptum. Et ego nobilissimum Scholæ Parisiensis lumen tibi ingeram Philippum Gamachæum, cui multum arridet prædestinatio ad gloriam post præuisionem meritorum: à qua sententia non abhorret alterum Theologiæ sidus Andreas Duuallius: homines nimirum superbia tumidi, & aulico ac præfidente ingenio, cui tu illam assignas doctrinam, dum atrociter persequeris. Quam & eadem inter ceteras ratione confirmat Gamachæus, qua Gotteschalcum Rabanus oppugnat. Quia opposita sententia partim reddit homines pigros, ac negligentes; partim eos exponit euidenti periculo desperationis. Vel isti, iudicio tuo, *Pelagiano fastu, & arrogantia* blasphemant, qui, quod dicit Augustinus, aliter dicunt: vel si eadem dicunt quæ Augustinus, in Pelagianum fastum per arrogantiam ipse incurristi, qui alia omnia sentire crebrò profiteris.

August. ep. 7. ad Marcell.

Inter epist. August. 14.

August l. 4. de anima & eius orig. c. 1.

Idem l. 3. de Trinit.

Idem l. 1. de Trinit. c. 3.

Gamach. in 1. p. d. Th. q. 23. c. 6.

Duuall. not. in l. Lugdun. Eccl. contra Scot.

Paucis concludo quæ tu quamcunque voles in partem accipies; si me tamen audies, *iugi meditatione reputabis*. 1. Esse non pauca doctrinæ capita, in quibus Theologis & Philosophis, salua fide & religione catholica, ab Augustino licet dissentire. 2. In ipsa gratiæ necessitate, in libertate arbitrij, in prædestinatione Sanctorum, sic Augustinum laudari ab Ecclesia, probatisque doctoribus, vt Patres alij non excludantur. Nam & Gelasius, inter antiquos Pontifices doctrinæ princeps, & auctorum iudex optimus, contra Senecam quendam miserabilem senem Pelagianum agens, indignatur *beatæ memoriæ Hieronymum atque Augustinum, Ecclesiasticorum lumina magistrorum* ab eo *lacerari*. Et Hincmarianis temporibus Leo IV. plurimos recenset è sanctis Patribus, quorum vestigiis tutò hæreamus: cóque vsi consilio Hincmarus, Prudentius, Ratramnus, Lupus, alij, hac in quæstione non vnius Augustini auctoritatem affectarunt. 3. Gotteschalcum, Prudentium, & similes, de Augustini nudè crudéque propositi discipulatu se iactare: nostra autem memoria in Synodo Dordracena, Socinianos purissimos Caluinistas, ab Arminio id ipsum postulasse, vt Augustini doctrinæ subscriberet; quòd eam putarent homines impij suis erroribus suffragari. Catholicos autem esse Augustini discipulos, prout ipse ab Ecclesia Romana & intelligitur, & admittitur. 4. Eos demum vero germanóque Augustini discipulatu gloriari posse, qui cum sic explicata doctrina, eius virtutem imitantur; atque in primis admirabilem modestiam, & supereminentem scientiæ caritatem: à qua longissimè absunt, qui post Hincmari, Rabani, Cassiani, Fausti contumelias & infinitum contemptum, Sirmondo impudentiam, Theologo præstantissimo, & omnibus qui sectæ aduersantur, Pelagianum fastum, arrogantiam, & blasphemiam obiiciunt.

Quatenus Augustinū sequi debeamus.

Gelas. epist. 5.

Leo 4. ep. ad Episc. Britan. c. 6.

Acciperet hic locum post Amolonem, Florus Diaconus, & ipse Lugdunensis certissimus; nisi antea consultius visum fuisset, illum iis annumerare qui Gotteschalcum ipsum impugnarunt. Nam quòd eius sermone Compilator Hincmarianus frequenter in eundem Hincmarum abusus est, non ideo tamen cum Hincmaro, vel catholicis vllis altercatus fuisse censeri debet: quippe quem duobus tantùm locis à mala manu corruptis, ab opinionibus suis abesse pugnat Hincmarus. Opusculum autem contra Scotum, Ecclesiæ Lugdunensis nomine inscriptum, ab eodem Floro, non infirmis rationibus abiudicauimus. Itaque ab Amolone geminam prædestinationem profitente, quod ingens Dissertatori videtur negotium, Lugdunensem campum ingressi, copias illas, quæ sub Lugdunensis Ecclesiæ signis pro Gotteschalco, contra Hincmari aciem aduenire putantur, à Tribus Epistolis aggredi incipiamus.

Florus Diaconus alibi productus.

Hincm. l. de Prædest.

CAPVT XIII.

De tribus Epistolis quæ per Hincmarum ad Ecclesiam Lugdunensem missæ dicuntur.

Seriò considerandus liber de tribus Epistolis.



EORVM qui scriptis libris, & doctrinæ machinis Hincmari sententiam oppugnarunt, coryphæi & maximè numerosi sunt Lugdunenses dicti: Lugdunensium præcipuus liber, is est, qui de Tribus Epistolis inscribitur: Epistolarum trium maximè spectabilis est Prima, quæ controuersiam explicat ipsa, & repugnandi ansam præbet. Quod diligentissimè conficitur libro de Tribus Epistolis; cui prærogatiuam eximiæ cuiusdam auctoritatis, hac in causa donatam video, vt nec operæ, nec labori, quin perfecta vndecunque eius notitia lectori detur, parcendum esse videatur. Nam licèt & citetur sæpissimè, & à Duuallio notis etiam sit illustratus: aliqua tamen de eo sine probatione supponuntur, tanquam certa: aliqua magni ponderis prætermittuntur, vt leuia: alia cognitu digna dissimulantur, vt inutilia.

Quæ causa fuerit Epistolas mittendi.

Itaque, vt ab iis Epistolis, quæ causam disputationi dederunt, ordiamur, historiæ cursus postulat, vt cogitemus tum temporis non fuisse positam eo in statu quæstionem theologicam, vt secretis per litteras colloquiis temperari posset, aut comprimi. Eruperat enim in apertam discordiam ingeniorum & doctrinæ æmulatio: Gotteschalci peruicacia, sectariorum tumultus, odium Hincmari, Theologorum responsa, quæstionis ipsius ex obscuritate dignitas, nouitatem in religione, quæ præsentissima regnorum pestis est, minabantur. Placuit ergo Ecclesias consuli, quas monere de hæretici damnatione Hincmarus neglexerat. Hactenus singuli tantùm responderant, vt Lupus Ferrariensis, vt Ratramnus, vt Amalarius, vt Rabanus ipse, cuius Epistolam ad Notingum in vagina reconditam non tenebat, vt credibile est, Hincmarus. Sed erant hæc animorum irritamenta, non solutiones nodorum: ex æquo disceptant singuli, donec plurium accedat auctoritas: vbi nemo vnus auditur, plurimos grauiùs sonare oportet. Et iam Gotteschalci vestigiis trita erat Lugdunum via; iam Amolo, & fortasse per eum Lugdunensis Clerus, Hincmari Epistola, de qua nuper egimus, in controuersiæ inquisitionem venerat. Scribunt igitur ad plures Ecclesias Hincmarus & Pardulus, vt creditur, duces exercitus, iisque litteris adiungitur Epistola olim scripta à Rabano ad Notingum, auctoritatem bonis partibus, ex tanti Theologi nomine additura. Rogant vt communi Cleri apud singulas Ecclesias cõsensione, re inter multos agitata expensáque, publicum de propositis quæstionibus feratur iudiciũ.

Ad plures Ecclesias missæ sunt. Euseb. l. 6. hist. c. 35.

Vetus ille mos est Ecclesiæ, emergentibus ab inferis hæresibus; cúmque Nouatianus schisma conficeret, & Ecclesias quaqua versum solicitaret, Dionysius Alexandrinus, & Cornelius easdem Ecclesias litteris suis conueniebant, multùm adiuuante Cypriano. De baptismo hæreticorum cùm est dubitatum, ita consultæ sunt Ecclesiæ, vt ipse Cyprianus, teste Augustino, *liberum faceret quærendi arbitrium, vt examinata veritas panderetur.* Cùm Arius huc illuc emissarios spargeret, Ecclesiarum communionem surrepturus, Alexander suis & ipse litteris conuentus Ecclesiasticos de negotio commonebat. Itaque cùm Gotteschalcus per se, vt ex Amolone constat, & per suos, vt paret ex euentu, plurimorum Episcoporum ambisset suffragium, quod aliud consilium capere potuit Hincmarus, quàm vt quantascunque posset Ecclesias quæstionis naturam, & res ab hæretico gestas edoceret? Sunt igitur hæ scriptæ Epistolæ quasi encyclicæ, non ad Lugdunensem vnam, sed ad plures Ecclesias, aut Metropolitanas, vt earum opera Suffraganeis innotescerent; aut etiam inferiores, provt mittentibus conducere videbatur. Sic enim antea vidimus, selecta ex Ioanne Scoto capita fuisse missa ad Wenilonem; quibus ipse examinandis & refellendis Prudentium præposuit. Ita narrabimus inferiùs, Prudentij Tractoriam, Hincmari capitulis oppositam, ad Wenilonem, ex vsu & more missam fuisse, vt cum subditis Episcopis communicaretur. Ita seruata semper fuit inter Ecclesias concordia, & amor mutuus: ita sanctissimorum dogmatum collecta vnanimitas: ita demissio animorum modestiáque exercita, dum nemo suo priuatim sensu duci, sed alieno iudicio regi mauult. Leue videbitur quod addo, non tamen ex toto superfluum, ab alio fortasse potiùs, quàm ab Hincmaro missas Epistolas; idque inde colligi potest, quod cùm auctores earum Episcopi tres accuratè signentur, non taceret responsio viam qua peruenerunt, si quid esset in ea dignitatis. Atque cùm Scripturarius, scripta quibus respondet, accepisse se dicat *studio Ecclesiasticorum virorum;* cur sileret Epistolarius, sibi redditas opera Episcoporũ litteras, si posset illud verè proferri?

August. l. 3. de bapt. contra Donat. c. 3.

Sozomen. l. 1. hist. c. 14. 15.

Non propriè ad Lugdunensem.

Id autem quod aio, missas, non Lugdunensi priuatim Ecclesiæ, sed pluribus aliis Epistolas, nihil mihi persuadet magis, quàm quod videtur negare: ipse videlicet responsionis ingressus, quo scripti illius ratio & causa edicitur. *Quorumdam venerabilium virorum, trium videlicet Episcoporum ad Ecclesiam nostram, id est Lugdunensem, Epistolæ perlatæ sunt.* Expositio hæc, quid aliud est, quàm absurdum glossema, omnibus quas vidi hactenus editionibus alio charactere notatum, ab eo indubiè sciolo, qui primus huic operi Lugdunensis Ecclesiæ titulum præfixit? Quis enim sic vnquam loquutus est? Inscriptio, scribentis nomen præferre solet, non textus ipse declaratus. Equidem nunquam hactenus legere memini vno tenore sic responsum. Quod Ecclesia nostra, id est, Romana, rogata est: Quod supremus noster Senatus, id est Parisiensis, decreuit: Quod in Regno nostro, id est, Gallia, gestum est. Idque omnium iudiciis ita confirmatum est, vt cùm Augustinus libro de gestis Pelagij sic narret, *Postea verò quàm in Africam venit, me absente, nostro, id est, Hipponensi littore exceptus est* sapienter obseruauerit Laurentius Pignoria, illud esse alienæ manus additamentũ, & ab Augustino simpliciter fuisse scriptum, *nostro littore.* Vidit igitur nouæ & absurdæ additionis auctor, quod nos fatemur, ad Ecclesiam Lugdunensem missas esse Epistolas; atque cùm earum compotem solam crederet,

L. de 3. epist. Præf.

Glossema additum quod corrigendum videtur.

August. l. de gestis Pelag. c. 22.

solam lucubrationis eius qua respondetur, putauit auctorem: malè id profectò, cùm inferiùs apertè monstraturi simus, Gratianopoli non Lugduno merces illas aduectas fuisse. Nos verò illo rerum statu, & articulo, ex veteri Ecclesiæ vsu non dubitamus, quin ad Arelatensem, Viennensem, & alias directæ peruenerint: & in iis eo animo lectæ, quem responsio hæc Lugdunensis appellata, monstrat, eiusdem auctoris Ebbonis instinctu, Valentina Capitula multum promouerint. Itaque rogare non veremur Typographos, etiam sub signo S. Augustini laborantes, vt in posterùm glossam illam deleant, aut ad marginem, vt summum reiiciant, *id est Lugdunensem*, vt &, si videbitur superiorem superfluam, *Trium videlicet Episcoporum:* vt grauiter & vsitato more sic incipiat Epistolarius quisquis est, *Quorumdam venerabilium virorum ad Ecclesiam nostram Epistolæ perlatæ sunt: ex quibus duæ priores*, &c. Idem præstari cupio in aliis eiusdem farinæ libris; videlicet aduersùs Ioannem Scotum, *Venerunt ad nos, id est, ad Ecclesiam Lugdunensem.* Et libro de tenenda veritate Scripturæ, *Peruenit ad nos, id est, ad Ecclesiam Lugdunensem, quædam schedula.* Si cui somnium istud videtur, iis non absimile quæ apud Dissertatorem frequenter deprehendimus, si nihil adfert probabilius, hoc interim Catone poterit esse contentus.

Iudicium controuersiæ non est delatum ad Lugdunenses. Contra Dissertat. c. 25.

Nam eiusdem Dissertatoris diuinationem non probabit, vt opinor, hoc titulo propositam. *Hinemarus & Pardulus ad Ecclesiam Lugdunensem totius controuersiæ iudicium deferunt, eam in suam partem trahere molientes.* Deinde sic narrat in textu, Prostrato per Prudentium Ioanne Scoto, Hincmarum & Pardulum concertatione, siue deliberatione habita duplex præsidium tentasse: alterum, vt Carisiaca Capitula conderent, de quibus postea; alterum *vt Ecclesiam Lugdunensem suas in partes traherent.* Fabellam hanc fictam ad voluptatem, non excutio ex iis quæ probabiliter modò disputabamus, neque ad Lugdunenses solos, neque omnino ab Hincmaro missas fuisse Epistolas: certius aliquid perspicio in ipsa iudicij arbitrarij natura, quo penitus hinc abesse demonstretur. Nemo enim nescit, quoties in litigio quæruntur arbitri, hoc est, honorarij iudices, qui rem amicè beneuoléque componant, de re illa litigari quæ diuidi & in partes distrahi possit: quæri iudices illos non ab vna partium, sed ab vtraque, ex condicto: si litigantium numerosa societas est, arbitros ab vno vel altero non postulari, nisi ex sociorum consensu, & velut concessa potestate. Hîc verò simile nihil video. Nam petendi arbitrarij iudicij potestatem non acceperunt ab Episcopis Galliæ Belgicæ Hincmarus & Pardulus, à quibus latæ olim in Gotteschalcum sententiæ, & sine quorum voluntate Gotteschalcum carcere soluere se non posse profitetur Hincmarus: neque in eorum arbitrorum delectum consensit pars altera Gotteschalco addicta: neque diuidi potest hereditas, Gotteschalco Rabanicos hæreticos appellante, qui geminam suo sensu prædestinationem negent; Hincmaro Gotteschalcum eo in sensu condemnante. Quis enim propositionem vnam vno sensu intellectam, partim hæreticam esse, partim sanam & integram pronunciet? Non erat igitur cur ad illud præsidium confugerent: & inutile fuit, si non etiam fatuum, inter duos hanc iniri rationem, quæ penderet à pluribus; cuius consilij inter ambos habiti nullus meminit historicus, nullus Annalista. Det autem hic qui poëma facit ex historia, totis Epistolis tribus vocem vnam, apicem vnum quo iudicium totius controuersiæ deferatur.

Aliud certè significat responsionis auctor, qui eorum consilium in scribendo sic aperit. *Simpliciter & sinceriter de quadam profunda & perplexa quæstione, & quid ipsis videretur aperuisse, & exposuisse videntur.* Iam hoc magnum, quòd in tanta animorum contentione, in profunda & perplexa quæstione, tanquam implicatissima lite, non circumueniunt consultos, non cauponantur iudicium, non detinent in iniustitia veritatem; sed *simplicitatis* ergò, & *sinceritatis* in exponenda sententia sua laudantur ab aduersario: atque ille præsertim qui describitur in Dissertatione, bipedum omnium nequissimus Hincmarus, non homo, sed monstrum ex fraudibus mendaciisque concretum. Pergit scriptor. *Et quid præfata Ecclesia nostra, Deo inspirante atque auxiliante de eadem re sentiat, vt eis verè & fideliter respondeatur, attentiùs flagitare, & exigere noscuntur.* Hoc tu vocas totius controuersiæ deferre iudicium? hoc suam in partem trahere? Cùm sententiæ rogantur in Senatu, Princeps Senatus suas in partes trahere conatur Senatores? Quicunque Hieronymum de perplexis quæstionibus consuluerunt, & in primis ipse Augustinus, an totius controuersiæ iudicium ad eum detulerunt? Cùm Hincmarus ad Rabanum tribus missis opusculis, Epistola sua, Ratramni oppositione, & Collectione Prudentij, quæstionem quæ controuertebatur illi cognitam faciebat, eiús-ne iudicem reddebat & arbitrum? Rectè id de Hieronymo dixeris, nominandarum aut tacendarum hypostaseon auctoritatem à Damaso Papa rogante. Rectè de Mileuitanis Patribus, errores Pelagij ad Sedem Apostolicam, omnium iudicem & magistram deferentibus. Aliud est ab amico consilium, aliud à iudice interlocutionem petere. Rogati de perplexa quæstione Theologi sensa sua produnt, non canones & decreta conficiunt.

Probatur ex ipsis Lugdunensibus. l. de 3. epist. Præfat.

Laus Hincmari & Parduli.

Non respondet auctor libri vt iudex.

At se ipse corrigere videtur Dissertator, cùm addit, *molitos suas in partes, si fieri posset, trahere.* Id enim si verum est, non petiere iudicium, sed suffragium; neque voluerunt arbitros facere, sed partes. Atque omnino cauendum est, ne dum Ecclesiæ Lugdunensi auctoritatem hac Carolinorum Episcoporum modestia conciliare volumus, scriptorem publico eius nomine respondentem imprudentiæ, ne quid grauius dicam, arguamus. Nam si rogata est Ecclesia illa sententiam, & delatum arbitrium suscepit, iudicare debuit, non disputare; decernere, non coniiciari: vtranque partem audire, res gestas aut istis referentibus habere pro certis, aut aliunde vsque ad perfectam notitiam explorare; regulas suas ad iudicium ferendum admouere, non exhibere perpendendas. Sic denique se gerere, vt omnis terminaretur quæstio, & singulis iuris aliquid concederetur; non vt acriùs inflammata in Conciliorum incendium erumperet. Neminem certè tam corrupto iudicio lectorem reperiri posse arbitror, qui vel à limine salutatam

responsionem, iudici & arbitro potiùs, quàm litigioso disceptatori assignet.

Responsio ad Hincmarum & Pardulum missa non est.

Eiusdem generis, ac fortasse ridicula magis est alia fabula Dissertatoris eiusdem Præsidis, qua responsionem illam Lugdunensis Ecclesiæ, ad Hincmarum & Pardulum missam fuisse, eo quod *certissimum* vocat, argumento probat, *quod ad eorum preces, supplicémque obsecrationem, eorúmque errori refellendo, & corrigendo, solo caritatis & pietatis intuitu parata fuerit: qua ergo ratione non fuisset ad ipsos transmissa?* Vellem, vt qui declamatorum more, quid fieri dicíque potuerit excogitat, id saltem faceret ex decoro, quò fidem ab incautis aliquibus mereretur. Quis enim dictum toleret, eruditissimos Episcopos pro fide contra hæreticum conuictum & damnatum in Conciliis, certantes, *suppliciter obsecrasse* suos *errores, à* remotis, & gestorum, decretorúmque Concilij adhuc ignaris Episcopis *refelli & corrigi?* quos deinde, etiam sic correctos, peruicacia profectò intolerabili, non tantùm non correxerunt, sed etiam aduersùs aliquos Conciliorum conatus vehementer tutati sunt, nullius vnquam erroris conuicti damnatíque? *Solo caritatis intuitu* pius Epistolarius scripsit librum contumeliis & contemptu aduersùm Archiepiscopos duos, & Episcopum vnum redundantem: *Parata fuit illis responsio:* quos ne de nomine quidem appellare, salutare, aut compellare apostrophe vlla dignatur. Quæris rationem, cur non fuerit ad ipsos transmissa? Quia, *omnis qui male agit, odit lucem:* quia clande[illegible] libellos famosos aduersùs Hincmarum aduersarij scripserunt, quos maximè cauebant ne ipse tangeret, vt apologiam suam Rufinus in Hieronymum: quia Prudentius ipse, qui Scotum corrigere profitetur in titulo, ad eum neque librum suum, neque Recapitulationem transmisisse legitur.

Neque missa ante Carisiacam Synodum posteriorem.

Imò, inquit, *transmissam liquet*, & quidem *ante Conuenticulum Carisiacense.* Vnde liquet? Audi, Lector, *certissimum argumentum.* Quia cùm inter Hincmari preces, supplicémque obsecrationem anno seculi quinquagesimo & tertio factam, tres saltem menses ad illud conuenticulum mense Maio eiusdem anni celebratum intercesserint, libellus iste *minori spatio, & leui labore confici potuit* à Remigio, & toto fratrum collegio benè studentium, & rectè intelligentium, vt in alio libro post Conuenticulum scripto ait idem Remigius; atque ita recentissimus à partu ad Caroli regnum potuit transmitti. Res nimirum vehementer vrgebat, & Annibal erat ad portas. Non hîc quæro, qua ex *meditatione, & cum eruditioribus collatione* hauserit, *supplicem obsecrationem* Hincmari anno 53. ineunte, mense putà Ianuario, vel vt summum, Februario, peruenisse Lugdunum: ea statim recepta intermissis omnibus, quæ summa poterant incidere sub initia Episcopatus Remigij, negotiis, absque mora ad scribendum mentem appulisse Remigium ipsum, & Cleri totius animos in hac vna re occupasse? Non expendo, qualis sit eius dicti probatio, ex posteriore alio libro, qui Remigij esse non potest, deducta. Non peto monstrari, quomodo, vel quamobrem tam præcipitanter transmissa sit? aut cur in regnum Caroli perducta responsio, in Concilio Suessionensi, quo examinata est electio Hincmari, expensa non fuerit? Quis enim diuinare prohibeat, missam fuisse ad plures, quibus omnibus non placeret Hincmarus aut Pardulus? In *certissimum argumentum* solùm oculos defigo. Spatio trium mensiû, inquit, confici potuit libellus hic, ergo confectus est. Potuit ante Conuenticulum transmitti, ergo transmissus est. Hoc ita posito concluditur, *vix dubitari posse, quin ante mensem Maium peruenerit ad Hincmarum.* Ego verò absque commentis illis tanta animi contentione excogitatis, simpliciùs Hincmaro ipso narrante, non dubito, quin triennio pòst ad illum ex parte peruenerit, quod alibi probabitur.

CAPVT XIV.

Annotata nonnulla priuatim de singulis tribus Epistolis.

Epistola Hincmari diuersa est ab ea quam scripsit Amoloni.



RIMAM Epistolarum trium facilè patior ad Hincmarum scriptorẽ referri ab erudito Dissertatore; cùm id validæ coniecturæ, & quæstionũ stilique similitudo vehementer suadeant. At eidem non possum concedere quod existimat, eandem prorsus esse, quæ ad Amolonem scripta narratur à Flodoardo: atque his adductus rationibus diuersam esse contendo. Nam historici verba sunt, olim à nobis producta. *Item de Gotteschalci vita, vel conuersatione, prædicatione, deprehensione, atque condemnatione, rei veritatem exponens.* Nos Epistolam qua de agimus, mox trifariam diuidemus, cum patrono Lugdunensi: quarum partium primam solam propriè, aut vt summum, aliquam secundæ particulam exhibet ea quæ refertur à Flodoardo. (*Flodoard. l. 3. hist. c. 21.*) Et verò minimè necessarium fuit, ad ingenerandam notitiam doctrinæ miserabilis & damnati monachi, eius dogmata repeti per Hincmarum, quæ iam antea ex ipsius Gotteschalci epistola scriptísque didicerat venerandus Antistes. Quibus, vt olim narrabamus, cùm respondisset seriò & grauiter eius errores coarguens, suámque Epistolam ad eius Archiepiscopum Hincmarum misisset, ipsi, si videretur, tradendam; fuêre tum partes Hincmari, tantæ sanctissimi, sibique plurimùm colendi Præsulis beneuolentiæ respondere, & vt fieri solet, docere, quid tandem hominis esset ille qui scripserat, quíque talia docebat Monachus: quod Episcoporum de eo iudicium: quæ viri, etiam in coactæ pœnitentiæ squalore, peruicacia. Doctrinam neque tangit Flodoardus, neque tangere debuit Hincmarus iam penitus exploratam. Quis ergo putet eandem cum hac nostra fuisse, licèt aliqua in parte conueniat, quia res gestas aliter narrare non poterat, qui *rei veritatem exponebat?* maximè cùm notus sit Hincmari genius, non semel, neque breuiter, rem vnam exponere. Adde, quòd fuit illa priuata, ad vnum Amolonem scripta Epistola; hæc publica, *ad Ecclesiam nostram*, inquit Lugdunensis. Quæ autem mittuntur ad Episcopos, non continuò ad illorum Ecclesias mitti, clamant omnes hac in controuersia spectatæ Rabani ad Notingum & Hincmarum; Hincmari

ad Rabanum, & Prudentium; Prudentij ad Hincmarum, & Wenilonem; Gotteschalci ad Rabanum, & Amolonem. Idque non omittit admonere Lugdunensis. *Tertius*, inquit, *non ad Ecclesiam nostram, sed ad quendam alium Episcopum specialiter scripsisse cognoscitur.* Accedit quòd Epistolæ isti nemo respondet suo priuatim nomine, sed publico, Ecclesiæ, vt putatur, Lugdunensis: scimus autem Rabanum Hincmaro, Amolonem Gotteschalco, Prudentium Weniloni priuatis litteris satisfecisse. Non est igitur Epistola hæc, prima trium, eadem cum Epistola per eundem Hincmarum alia occasione antea ad Amolonem missa.

Argumentum & partitio eius Epistola.

Cuius autem argumenti hæc ipsa sit, quásque in partes distributa, nemo meliùs doceat, quàm qui frustatim vellicat aduersarius Lugdunensis: *Quorum vnus*, inquit, *qui & in tribus primus ponitur* (hoc est, cuius epistola primum locum obtinet, Hincmarus,) *etiam cuiusdam miserabilis Monachi* (nomen istud semper meruerat Gotteschalcus, sed à nullodum scriptore obtinuerat) *qui inquieta & insolenti præsumptione, huius quæstionis, vel potiùs scandali excitator & exagitator extitisse dicitur.* (Habes, Lector, vitam Gotteschalci, verbis duobus comprehensam à patrono) Sequitur Epistolæ hypothesis. *Qualiter videlicet in duobus Episcoporum Conciliis, & auditus fuerit, & iudicatus, atque damnatus, diligenter & breuiter in Epistola sua exposuit, atque digessit:* (hæc prima pars Epistolæ, historica tota) *Et singulis eius propositionibus*, (siue erroribus, in quorum expositione secundam partem constituo, penitus exegeticam: quemadmodum & nos in eius inuestigandis dogmatis, secundum huius operis librum impendimus. Illæ autem propositiones à Lugdunensi patrono, quo dicemus modo, vsque ad caput sextum & vicesimum actionis defenduntur) *quid vel ab ipso, vel à ceteris, siue tum obiectum fuerit, siue vsque hodie apud eos obiiciatur, pariter exsequutus est.* Quæ tertia pars quasi orationis est, πολεμικὴ, refellitúrque ab aduocato ad caput vsque octauum & trigesimum, in quo prolixitatem excusat in termino, futurus melior si terminùs dixisset. Hic verò sincerum Hincmari animum, & generosum pugnandi morem, Lector, agnosces, qui consilium ab amicis rogat, omnibus quæ ad causam pertinent sine fuco, sine dissimulatione prolatis; vt eos omnino *in suas partes trahere non conetur*, sed tranquilla mente sententiam dicentes velit audire. Cui si eadem caritate & simplicitate respondisset Ebbo iste Lugdunensis ementitus, maiori profectò pondere Prædestinatianum Monachum catholica veritas oppressisset. Atque hæc modò satis de prima Epistola, in qua diutius habitandum erit, cum Lugdunensi & Dissertatore Præside, quia vtranque apud eos paginam facit, & iniquiùs ab illis, acerbiúsque vexatur.

L. de 3. Epist. Præfat. cit.

Hincmari sinceritas.

§. I.

De secunda Epistola quæ Pardulo Laudunensi assignatur.

Pardulus auctor se-

LEVIORIS operæ momentíque est secunda, quam Episcopo Laudunensi Pardulo, absque locuplete quidem testimonio, sed, meo iudicio, non sine probabilitate aliqua assignant. In hoc enim bello Gotteschalcano, vt & in aliis negotiis, Hincmari socium & adiutorem esse se voluit: nec ab huius Epistolæ genio abludit ea, quæ ad calcem operum Hincmari collocata, amico de recuperata valetudine gratulatur. Quid quòd Seruatus Lupus, Prudentius, Ioannes Scotus de controuersia scribentes, opuscula sua vtrique pariter offerunt? His argumentis allatam à Dissertatore rationem stabilimus, *quòd auctor Epistolæ se memorat cum Hincmaro Ioannem Scotum scribere compulisse; quod ipsum de Hincmaro & Pardulo testatur idem Scotus.* Hincmarum quidem non nominat Pardulus, & plures alij ad eam scriptionem Scotum inuitare potuerunt: facilè tamen credi patior id in mentem venisse Pardulo, eúmque cum Rabano & Hincmaro significari à Lupo Ferrariensi, inter *præclara Præsulum lumina*: quem & arctissimo amicitiæ vinculo cum eodem Lupo Abbate deuinctum fuisse, antea vidimus. Vnum mouet, quòd à Lugdunensi scriptore satis contemptim citatur Epistola, neque vel per vmbram ab Episcopo profecta indicatur: nisi ad initium, quamlibet vitiosum recurrere iubeamur, vbi *quorumdam venerabilium virorum, trium videlicet Episcoporum, Epistolas perlatas* legimus. Esto igitur huius scripti auctor Pardulus, neque rem per se se tenuem, quæsitis rationibus implicemus.

cunda Epistola.

Dissert. c. 25.

Qualis, cuiús-ve argumenti fuerit Epistola, quæ interc[redacted]mo plenè dixerit. Causam tamen scribendi, ex duobus quos Lugdunensis commemorat articulis, subodorari possumus. Nam cùm naturam & essentiam controuersiæ Hincmari epistola complecteretur; ratus Pardulus nonnihil etiam ad causæ cognitionem facere circumstantias quasdam exteriores, illarum suscepit expositionem, ne quid in negotio responsuras lateret Ecclesias. Non enim aliud quàm circumstantias loquuntur articuli, quorum prior est, de iis qui hactenus controuersiam tractarunt. *Plures sunt apud nos scripserunt. Et cùm quinque ex eis nominasset, inter quos etiam Amalarium scripsisse memorauit, subiunxit dicens. Sed quia hæc inter se valdè dissentiebant, Scotum illum qui est in Palatio Regis, scribere coëgimus.* Leuis est & hæc quæstio, quando vtilius fóret scire quid scriptum sit, quàm à quibus: quia tamen in ea sibi ponendum tempus credidit Dissertator, lubet & nobis post illum sententiam dicere. Is ergo, quod scripsit Pardulus, *apud nos* interpretatur in Gallia, in regno Caroli, eáque voce ait excludi Rabanum, & Seruatum Lupum, qui scripserunt in Germania. Deinde, præter Amalarium & Scotum facilè quatuor nominari posse qui scripserint, Hincmarum, Ratramnum, Lupum Ferrariensem, Prudentium: quorum *hodie vel extant, vel memorantur opuscula.* Prudentij autem opusculum, esse contra Ioannem Scotum confectum. Hîc ego cùm concessero voces illas *apud nos, apud eos*, de Caroli subditis rectè intelligi; addam, Seruati Lupi Germani mentionem induci superfluè, cùm nihil ipse scripserit, vt suo loco probatum est. Amalarium quoque non fuisse certum Caroli subditum, quem aliqui volunt Metensem esse

Iure notati qui de controuersia scripserunt.

L. de 3. epist. c. 39.

Dissert. c. 26.

Dissertatoris parachronismus.

Diaconum, Ecclesiasticorum officiorum enarratorem. Prudentij denique scriptum aduersùs Scotum absurdè nominari, quod longè seriùs & compositum est, & prodiit. Atque omnino significatur à Pardulo, si Prudentium indicat, lucubratio quædam & hac eius Epistola, & Scoti libro anterior, quando coactus dicitur ad scribendum: videlicet Collectio, siue Epistola ad quosdam fratres, iam olim cum Rabano communicata. Quamobrem non minùs præposterè paulò pòst addit idem Dissertator, *à Prudentio solo* propter opusculum contra Scotum, *ortam esse maximam contentionem, à Pardulo hic memoratam, de auctore librorum hypognosticon.* Nam neque contra Scotum tunc scripserat Prudentius, neque si scripsisset, tantas turbas *solus* debuit excitare.

Et actum de libris Hypognosticon, sint-ne Augustini?

Posterior Epistolæ obseruatio posita est in contentione, quam pro maxima refert, circa duos auctorum libros, videlicet Hypomnesticon, siue Hypognosticon qui Augustino, & De induratione Pharaonis, qui Hieronymo adscribebantur ab aliquibus, ab aliis reiiciebantur. Erat autem pugna, non oppositarum tantùm partium, sed etiam plurium eiusdem partis inuicem dissidentiũ. Nam Gotteschalcus & Ratramnus duces factionis, librum hypognosticon Augustino facilè concesserunt: Rabanus, & Hincmarus, & ipsi partium principes, in eadem fuerunt sententia, & eius dicta validè aduersùs illos torserunt, à quibus recipiebatur. Alij plurimi in vtraque acie scriptionem illam accuratiùs & subtiliùs expensam, Augustino parente non satis dignam repererunt, & à tanto doctore penitus abiudicarunt. Quod rectè factum, multis rationibus probat Lugdunensis noster Epistolarius, nobis libentissimè subscribentibus. Non tamen in eo quod affirmat, prædestinationis vocem in parte reproborum, propter Pelagianos, fuisse *in illo libello negatam, & subtractam:* quasi verbo illo *doceret Ecclesia, Deum necessitatem hominibus imponere, & in suis impietatibus permanendi, & in æternum pereundi.* Hac enim oratione subdolè significat, & vocem prædestinationis ad interitum, alibi vsurpatam ab Augustino, esse ipsius Ecclesiæ linguam; & ab aduersariis falsò dici, ex illa præcisè sic enunciata, sequi fatalem necessitatem: & Pelagianis gratificatum esse auctorem Hypognosticon, qui verbum ipsis odiosum subtraxerit: quæ qui verè dici concesserit, idem fateatur, necesse est, aliter sentientes, Pelagianos esse; & vnius vocis odio malè explicatæ, totius Ecclesiæ doctrinam in Augustino auersari: atque adeò hæreticos esse; quæ Dissertatoris, & sectæ vniuersæ vnica mens est, paginis omnibus huius operis explosa & exsibilata.

Hincm. l. de præd. C. 16.

L. de 3. epist. c. 35. c. 39.

Laudata Semi-Pelagianorum sanctitas.

Est hîc nihilominus quod diligenter animaduertatur, laudari ab ipso aduersario primos, vt vocantur, Semi-Pelagianos; cùm narrat, scriptum necessitate librum ab Augustino de prædestinatione Sanctorum, & dono perseuerantiæ, ad Prosperum & Hilarium, *compellente scilicet tanta super hac re, querimonia & perturbatione magnorum, & sanctorum apud Gallias virorum, qui eius disputationibus in tantum permoti fuerunt*, &c. vbi ad marginem notat Dissertator, agi de primis Pelagianorum reliquiis: & expressiùs in Bibliothecæ Patrum editione, docetur, *Ex hoc haberi Semi-Pelagianos non fuisse hæreticos,* (ab Ecclesia damnatos) *sed catholicos.* Quod non admittit aut Gotteschalcus, qui Cassianum *infelicem* appellat; aut Dissertator, qui Cassianum eundem, Hilarium Arelatensem, & Faustum Reiensem, omnibus contumeliis in fabula sua Prædestinatianã onerat, viros aliàs sanctitate spectandos, & supremo cultu suis in Ecclesiis honoratos.

Tom. 4. Biblioth. Patrum.

Et de libro de induratione Pharaonis, sitne Hieronymi?

De libro verò De induratione cordis Pharaonis, quem aiunt esse Hieronymi, fuit inter illos Theologos minor contentio, cùm illum sola pars Hincmari, quod sciamus, & quidem rariùs, allegauerit. Nam cùm eius testimonio esset vsus Hincmarus, contradicens Ratramnus negauit esse Hieronymi, eáque exceptione satis munitum se credidit ad opinionem aduersarij infirmandam. Ea quæstio cùm ad Rabanum deducta esset, eius auctoritatem libri non stabiliuit; sed Hincmari dictum suo ipse sensu comprobauit. *Vos seductos esse asseris, stilo cuiusdam libelli, qui fertur esse Hieronymi, De induratione cordis Pharaonis: vt diceretis, non Deum indurasse cor Pharaonis, sed indurari permisisse: non rectè vos reprehendere mihi videtur.* Hoc est, quicquid de libri auctore asserat, certè quod ex eo excerptum est, non debuit reprehendere. Pardulus autem affirmatè contendit esse scriptum ab Hieronymo, atque inde probat, quòd libro septimo & decimo in Isaiam eius mentionem faciat. Verba Hieronymi sunt. *Et Pharaonis dicitur Deus indurasse cor, ne dimitteret populum eius, & vt decem plagis affligeretur: quam quæstionem diligentissimè differuit Paulus ad Romanos, & nos in quodam opere perstrinximus.* quod sic explicat Lugdunensis, *non vt specialiter de induratione cordis Pharaonis, sed de tota illa ad Romanos Apostoli difficillima quæstione breuiter perstrinxerit.* Adiicitque libellum huiusmodi nunquam à se visum, & eum qui apud solos Hincmarianos reperitur, de stili grauitate, & fidei sinceritate iudicandum esse, vt Hieronymi partus fuisse credatur. Habemus & nos librum illum incognitum, neque hactenus notorem reperire licuit, non Hieronymum in scriptorum suorum serie satis accuratum; non alios Catalogorum scriptores, vt Bellarminum, vt Posseuinum, & similes. Idque libenter Lugdunensi damus, duos hosce libellos incertorum esse natalium.

Raban. epist. ad Hincm.

Hieron. in c. 63. Is.

L. de 3. epist. c. 39.

§. II.

De Tertia Epistola quæ est à Rabano ad Notingum Veronensem scripta.

Quare hæc epistola cum aliis missa sit.

REVOCANDVM est è primo libro, contra Gotteschalci adhuc in Italia constituti, & nondum in Conciliis auditi errores, scriptum esse à Rabano ad Notingum: illam Epistolam cùm fortè in manus miserabilis Monachi deuenisset, ab eo corruptam fuisse: genuinum exemplar ab ipso Rabano missum ad Hincmarum, vt hæretici fraudes retexeret. Existimauit Hincmarus suæ & Parduli Epistolæ, vtiliter adiungi posse lucubrationem Rabani, quæ & dignitatem ab auctore, & pondus à rationibus, & præiudicium à Patrum auctoritatibus causæ conciliaret. Neque sibi persuadere de-

buit, aut contemptui futurum Archiepiscopum Moguntiæ Rabanum: aut sibi vitio vertendum, quòd viri tanti sententiæ suffragaretur. Quapropter eam ipsam ad Ecclesias misit Epistolam, quam olim Rabanus ad Notingum, quámque Notingus ipse pro antidoto habuit, ne Gotteschalci veneno inficeretur: quo exemplo spes erat, Episcopos alios Lotharianos benè & Catholicè de Gotteschalci controuersia iudicaturos. Hæc eò dico, quòd modò hac de assertione dubitari non possit, post illam Sirmondi opera productam è tenebris, cùm antea diuersam fuisse crediderit Iacobus Vsserius, nulla ratione munitus.

Vsser. hist. Gottesc. c. 5.

Partitio epistolæ.

L. de 3. epist. c. 42.

Eius Epistolæ perfectam notitiam quando hactenus distuli, obseruandum modò est, duabus illam contentiosis partibus constare; quarum prior Gotteschalci errorem elidit, Deum facientis auctorem perditionis hominum, ex eo, quòd qui sunt ab eo prædestinati ad mortem, saluari omnino non possunt; quemadmodum prædestinatos ad vitam impossibile est perire. Eáque pars septem obiectionibus, aut potiùs consecutionibus terminatur, quas refutat Lugdunensis, & *in fine Epistolæ* positas ait. Posterior, in illos disputat, qui prædestinationem ad malum, & ad mortem rectè dici asserunt: cùm præsciti solùm dici debeant reprobi, non prædestinati: & Deus gratiam omnibus largiatur, qua benè possint vti, si volunt. Ea verò ab illis verbis incipit, quibus propositio continetur. *Dehinc autem quid in sanctorum doctorum, ac catholicorum Patrum sententiis expositum de prædestinatione inuenerimus, edicimus.* Doctores illi quos aduocat, duo sunt, Prosper & Augustinus. Non enim alios hoc loco producit. Prior pars ad formam *ἐξηγήσεως* extenditur; posterior æstus & contentionis plusculum habet. Illa, solus Gotteschalcus petitur; hac, plures, crebra apostrophe, *vt dicitis, vt fingitis: quæro à vobis vt dicatis: Dicite quæso* &c. In illa, fatalis Prædestinatianorum necessitas exploditur; in hac, præter geminæ prædestinationis repudium, de Dei erga hominum omnium salutem voluntate tractatur: ad quam hoc aditu fit ingressus, post propositionem superiùs allatam. *Nam illi qui dicunt, quòd Deus nolit omnes saluare, etiamsi omnes saluari velint, quantùm errent omnibus patet.* Est igitur aperta hæc partitio, & partium inter se distinctio: sed hanc lucem libidine carpendi, & refutandi Lugdunensis obscurat, quod secundo loco consideramus.

Priorem tantùm partem tangit Lugdunensis.

Sic enim priorem partem, & tractatum agnoscit, vt posteriorem penitus prætermittat: dúmque hallucinationem aduersario exprobrat, seipsum aut ignorantiæ, aut malæ fidei reum facit. Duo dico, & vnam tantùm partem attingi, & eam quæ attingitur, malè reprehendi. Quod enim spectat ad primum, post aliqua ex ea parte libata potiùs quàm tractata, subiicit consecutiones illas septem absurdas, quæ ex doctrina Gotteschalci eruuntur à Moguntino, cum hoc titulo *Sequitur post hæc omnia in fine Epistolæ.* Quibus, vt visum est, confutatis, tanquam in iis desinat Epistola, & suscepto refellendi munere perfunctus sit aduersarius, curta & satis frigida conclusione opus suum terminat, &, vt malus poëta, in extremo actu deficit. Cùm tamen has *obiectiones, siue definitiones*, vt vocat, sequatur continenter altera tanta, si non etiam maior, pars Epistolæ intacta, inexplicata, ne nominata quidem.

L. de 3. epist. c. 47.

Malæ fidei scriptoris Lugdunensis. c. 41.

Ad secundum quod spectat, & peruersè obiectam Rabano hallucinationem, Moguntinum arguit Lugdunensis, quòd mutato quæstionis statu, alia omnia disputet, quæ nunquam venerunt in dubium. *Assumit, quantùm nobis videtur, non necessariam, nec vllatenus ad rem de qua quæritur, pertinentem quæstionem. Quæritur namque in præsenti disceptatione, sicut iam frequenter & multipliciter suprà diximus, non illud, vtrum impios & iniquos Deus prædestinauerit ad ipsam impietatem & iniquitatem, id est, vt impij & iniqui essent, & aliud esse non possent; quod nullus omnino, moderno tempore dicere, vel dixisse inuenitur: quod est vtique immanis & detestabilis blasphemia.* Imò verò hanc propositionem quocunque nomine appelles in Prædestinatianorum & ipsius Gotteschalci doctrina superiore libro inueniebamus: quam quia in Italia apud Eberardum Comitem docebat Gotteschalcus, déque ea Notingus egerat cum Rabano, huic imposita necessitas tum fuit de illa disputandi: neque tunc potuit alius esse quæstionis status, quàm qui à Monacho sciolo tradebatur. Fuit igitur necessaria, & ad rem de qua cum Gotteschalco quærebatur, pertinens disputatio: debuítque personas & tempora distinguere Lugdunensis, ne vitium in eo poneret, quod laudi vertendum erat, quòd collato pede cum hæretico *immaniter & horribiliter blasphemante* pugnaret catholicus Antistes, antequam damnatus in Conciliis, aliò verteret quæstionem. Pergit auctor. *Sed illud potius quæritur, vtrum eos quos veraciter omnino præsciuit, proprio vitio impios & iniquos futuros, & in suis impietatibus & iniquitatibus vsque ad mortem perseueraturos, iusto iudicio suo prædestinauerit æterno supplicio puniendos.* Secunda illa est quæstio, ex priore nata, & inter catholicos Theologos controuersa, cui librum hunc dicamus: quam aio verè tractatam à Rabano, posteriore membro Epistolæ; contrà nihilominus Lugdunensi dicente: *Auctor verò ipsius Epistolæ, relicta hac secunda quæstione, quæ in præsenti apud multos versatur, contra priorem potiùs impiam opinionem laborat.* Non reliquit illam Rabanus, sed distulit, cùm priore impia opinione, & eius assertore Gotteschalco eruditè prostratis, ad *secundam* transiit *quæstionem*, eámque contra multos edisseruit. Erat enim Lugdunensi dicendum, prætermissa priori quæstione, quam catholici omnes in hæretico execrarentur, in sola secunda sibi habitandum esse, quæ inter catholicos salua fide agitaretur. Sic illam adoriri debuit, aut certè ad ea, quæ contra primam Epistolam disputauerat, remittere. Ex quibus meridie clariùs elucet, falli Lugdunensem, qui disertè neget tractatam esse à Rabano quæstionem, quam in Rabano disertè tractatam oculis nostris videmus & credimus.

Duplex quæstio. 1. cum Gotteschalco. 2. cum Catholicis disputata.

Coniectura de duabus Epistolæ partibus.

Quid hîc dicam lector, quid sentiam? Ignoratæ, aut neglectæ, an dissimulatæ posterioris huiusce partis accusem responsionis auctorem? Vtrum verò turpius est, supinæ negligentiæ, an doli mali litem Episcopo, contra Episcopum, de Episcoporum controuersia scribenti mouere? Nonne humanius tibi videtur,

illustris Ecclesiæ nomen, licèt per abusum hoc in opusculo vsurpatum, ista criminatione, vel saltem suspicione infamatum, coniectura aliqua, & diuinatione, si fieri potest liberare? Quid autem periculi subibit historia, si dicimus, vt partes duas, sic duo tempora Epistolæ tribuenda esse: primum quidem, iam antè notatum, quo Prædestinatianam necessitatem Gotteschalcus ferebat in Italia, quæ vera & vnica tum fuit scribendi occasio, vt ea per Notingum cognita comprimeretur. Ideóque solo prioris partis tractatu, qui ad reuincendum errorem satis esset, contentam fuisse Epistolam: sic missam ad Notingum; sic lectam à Gotteschalco, cùm opuscula Rabani *corrumperet ac vitiaret:* talem peruenisse in scriptoris Lugdunensis manus, vt verè, & ex animi sui sententia scriberet, in illa *secundam quæstionem, quæ in præsenti apud multos versatur*, non tangi, sed primam tantùm hæreticam, & blasphemam, cuius expleto tractatu, *Epistola finem* in septem illis definitionibus inueniret. Secundum autem tempus quo conuictus & Carisiaci castigatus Gotteschalcus, quasi mutata velificatione, de gemina prædestinatione garrire incœpit; eáque de re monitus est ab Hincmaro Rabanus, cùm ab eo epistolam ad Reclusos & simplices accepit, didicítque *opuscula sua ad Notingum, & ad Eberardum corrumpi & vitiari.* Tum enimuerò eandem ad Notingum epistolam altera parte augere potuit, contra nouum Monachi pertinacis effugium, qua se arctiùs coniungeret Hincmaro, in gemina prædestinatione profliganda, & Dei voluntate ad omnes homines saluandos protendenda. Hoc enim iuris in opera sua tractatores vsurpant, vt ea pro causis emergentibus augeant, aut multiplicent: quod contra Pelagium, Donatistas, Manichæos præstitit Augustinus; contra Gotteschalcum Hincmarus; contra Hincmari partem Prudentius & Seruatus Lupus Ferrariensis. Huc pertinet quod modò monebamus, posteriorem hanc partem, alia quàm priorem methodo, concipi à Rabano, per disceptationem satis vehementem cum pluribus. Coniectura hæc nostra, si cui tolerabilis videbitur, mendacij crimine Lugdunensem exsoluet, cùm dixerit, istud auctarium, & secundam, vt sic loquar, Epistolæ Rabanicæ editionem, auctam & recognitam, perspectam ipsi non fuisse, vt iterum verè scriberet, Rabanum, *relicta secunda quæstione, contra priorem potiùs laborare.* Si quibus autem placebit coniecturas caducas, & sine teste diuinationes omnes ex historia procul abigere, quod me non repugnante facient, viam quærant aliam, si necesse fuerit, qua falsi, & malæ fidei accusatum Episcopum, liberent, maximè cùm mihi videatur Hincmarus, non missurus fuisse partem hanc, quæ tum propriè disceptabatur, quin & illam mitteret ad Ecclesias.

Raban. epist. ad Hincm.

Posita coniectura refellitur Dissertator.

Tu verò Dissertator amplissime, qui cogitatis propriis, etiam ab omni veritate destitutis, historiam struere, & ornare *summam fidem, nec minorem diligentiam* vocas, aliena, vt spero, verisimilia non repudiabis; ea præsertim quibus sancti Remigij, vt quidem inscribis, & Ecclesiæ Lugdunensis vitium excusatur. Plenus hac spe, tres ab animo meo scrupulos euelli postulo, & in iis tertium obseruationis gradum defigo. Primus est, si tibi credibile videtur, posteriorem partem post iudicium de Gotteschalco & Moguntiæ & Carisiaci habitum, fuisse à Rabano Epistolæ suæ additam, certúmque sit aliunde, lectam, corruptam, & vitiatam à Gotteschalco, qualis fuit ante Synodos illas ad Notingum missa, hoc est, sola parte priore constantem: quomodo fieri potuerit, vt Gotteschalcus libello suo, Rabanum ante Synodum Moguntinam *erroris in fide notaret, quod malè sentiret de Prædestinatione Dei erga reprobos, de libero arbitrio, & de superflua taxatione sanguinis Christi?* Nam primum caput, quod incidit cum Gemina prædestinatione, in prima Epistolæ parte non tradit, quæ sola scripta fuerat Notingo, & lecta Gotteschalco, ex coniecturæ nostræ positione. Tertium autem caput, neutra parte tangit Rabanus; sed illud cognatum, omnes homines à Deo ad salutem vocari; atque istud secundæ partis est, post condemnationem & reclusionem Gotteschalci superadditæ. Non potuit ergo tum Monachus erroris in fide notare Rabanum, quum Rabanus non scripserat. Sic noua ista ratione tuum illud commentum destruitur, de recusando Rabani Mauri tribunali, quòd is aduersarius Gotteschalci, non iudex esset.

Non fuisse Rabanum à Gotteschalco reprehensum.

Dissert. c. 5.

Deinde cùm res ipsa loquatur, tractari à Rabano prima Epistolæ parte, de peccandi necessitate per Deum inferenda; quæ sequatur ex Gotteschalci assertionibus de Prædestinatione; in secunda autem de Gemina prædestinatione reiicienda, id est, prædestinationis vocabulum de reprobis vsurpandum non esse; quomodo statu quæstionis ne intellecto quidem, sed confuso, scribis ante Concilium Moguntinum, Gotteschalcum in assertione geminæ prædestinationis perseuerasse, quæ tunc quæstio non controuertebatur? Rabanum quoque *tenacissimè perstitisse in sententia quam iam conceperat, de reproborum prædestinatione reiicienda, ac si Deum malorum auctorem redderet, vim & necessitatem peccandi inferret?* Credis nimirum in his propositionibus homonymiam inesse: qui quærat, sit-ne de reprobis dicenda prædestinatio, an tantùm præscientia? simul & semel quærere, an prædestinatio vim & necessitatem peccandi inferat? Hoc est loqui, Præses eruditissime, de quibus nulla te instruxit Theologia, & in ipso quæstionis statu labi, quam grandi volumine disserere aggrediaris, cum periculo ne in Dauidicum illud incurras, *Errauerunt ab vtero, loquuti sunt falsa.* Memini enim iamdudum in malis Gotteschalci artibus obseruatum, translatam ab illo ad solos reprobos quæstionem; cùm reuera eius prædestinatio, non minùs bonis vim & necessitatem bene operandi inferat, ideóque sit penitus abolenda, vt humano arbitrio quamcunque in partem libertas sua seruetur. Age tamen, quod das accipio: egerit in Epistola ad Notingum Rabanus de gemina prædestinatione reiicienda, & de Deo malorum omnium actore per prædestinationem non efficiendo; certè vel vno, vt arbitraris, vel duplice illo, vt mea fert opinio, capite tota prædestinationis quæstio continetur, in qua si versatus est Rabanus, vt affirmas, exhausit omnem. Quid est igitur quod scribis *vtcunque executum esse Rabanum,* quod promiserat, *opusculo quod de Pre-*

Malè quæstionem proponit Dissertator.

Status quæstionis ignorantia.

Dissert. c. 2.

destinatione inscripsit, ad Notingum, hoc est, Epistola in qua versamur? Nunquid æquiùs leui apicis vnius mutatione, dixero *vtrumque* executum esse?

Mala fides Lugdunensis scriptoris. Denique tertium quod explicari rogo, istud est; si verum est, quod more tuo indubitanter affirmas, missam esse ab Hincmaro Epistolam Rabani ad Lugdunenses illos responsuros, *cuius apographum à Rabano ipso acceperat Hincmarus*, cum duplice illa parte quæstionis duplicis indagatrice, quo modo, qua mente, quo consilio responsionis auctor posteriorem partem dissimulauerit; imò etiam tractatam esse negauerit, non sine contumelia & opprobrio aduersùs virum omni veneratione dignissimum, & Theologorum ætatis suæ præstantissimum? Quocunque sis erga coniecturam meam animo, laudes an abiicias, minimùm interest; si præcisè respondere dignaris, ægrè Lugdunensem tuum malæ fidei pedicis extricabis. Agnosces autem, vt opinor, non inuitus, Epistolam hanc magna Rabani gloria primam nominari ab ipso aduersario, & principem tractatuum, quibus Prædestinationis quæstio agitata est, vnde omnes tanquam ex fonte hauserint. *Vnde & quia ipse ante omnes, qui moderno tempore scripsisse referuntur, de hac re scripsit, eius sibi auctoritatem sequi videntur, qui similiter de eadem prædestinatione diuina sentiunt & defendunt.* Et hîc rursum tenebræ. Nam si de sola hæretica prædestinatione impia & blasphema sermo est, quam prima pars Rabani oppugnat, omnes cum eo similiter sentiunt & defendunt, ipsíque nominatim Lugdunenses. Sin de gemina prædestinatione agitur, in qua respuenda secunda pars consumitur, non fuit illa Lugdunensi ignota: cur ergo prætermissa, cur negata, cur reprehensus scriptor quòd præsentem quæstionem non tetigerit? Et hactenus de tribus Epistolis Hincmari, Parduli & Rabani: nunc ad Responsionem veniendum, cuius præcipuum studium in primæ confutatione versatur.

Margin notes: * Dissert. c. 24. — L. de 3. epist. c. 41.

CAPVT XV.

Ad eas Epistolas quis respondeat: Siue, Quis sit auctor libri de Tribus Epistolis.

Liber his Remigio Lugdunensi tribuitur.



CONSVLTÆ per has Epistolas Ecclesiæ Lothario subditæ, quid responderint, & an omnino quicquam responderint, in obscuro latet. Vnum hoc opus Ecclesiæ Lugdunensis nomine insignitum ad nos peruenit: ex quo Epistolas duas Hincmari, & Parduli habemus cognitas. Et ipsum quidem opus non pridem eductum è tenebris est, opera Illustrissimi Meldensis Episcopi Ioannis Tilij. Quam inuentionem, triennio pòst sequutum est Guillelmi Paradini elogium, illud Remigio Lugdunensi attribuentis in hæc verba. *Porro magnus fuit Theologus, & suo seculo doctrina eximius, vt sancta & docta eius opera testantur, quæ à triennio reperta à Reuerendissimo Episcopo Meldensi, doctis æquè ac religiosis viris tradita, vt in lucem prodeant. In illis de Prædestinatione, & libero arbitrio agitur.* Paradino posteriores aliqui, à quibus laudatur hic liber, Remigium eius auctorem nominant; nemo tamen eius nomen illi præscribendum censet: neque *docti* illi & *religiosi viri* quibus ad editionem traditus est. Siquidem Ecclesiæ Lugdunensi vniuersè, absque singulari Archiepiscopi Remigij mentione, primitus assignarunt. Maldonatus & Sirmondus, magna inter eruditos nomina, semel singuli eo nomine citarunt: solus Vsserius sæpe & confidenter, quasi res esset seculorum omnium consensu testatissima, librum hunc Remigij nomine allegat, non minùs quàm nos Paulum ad Romanos, Basilium ad Amphilochium, Hieronymum ad Pammachium, sine dubitatione citamus. Quo exemplo Præses Dissertator, *doctis* doctior, & *religiosis* religiosior factus, quod ausi non sunt ante ipsum omnes, vsurpato nouo quodam iure nomenclationis in libros, hunc præsidenter sic inscribit. *S. Remigij Archiepiscopi, & Ecclesiæ Lugdunensis De tribus Epistolis, liber.* Narrátque ex suo sensu, non ex historici vllius testificatione, tres Epistolas superiùs nominatas, ab Amulo adhuc superstite, vel post eius obitum à S. Remigio lectas; ipsúmque Remigium parandæ responsionis prouinciam suscepisse, quod hocce de tribus Epistolis libello executus est. Hæc bis vtroque tomo Vindiciarum eodem modo narrata, quia sola eius auctoritate securè duci non possum: paulò accuratiùs, bona eius venia, discutientur. Priùs enim cupio contrariis, quæ meum animum subeunt rationibus, ab illo satisfieri, quàm penitus eius opinioni assentiar.

Margin notes: Guill. Parad. l. 2. hist. Lugd. c. 15. — Maldon. in c. 20. Matth. Sirm. hist. Præd. c. 11. Vsser. hist. Gottesc. c. 5. 6. — *Dissertatoris audacia* Tom. 1. præfat. in hunc librũ. Dissertat. c. 17.

A paucis quidem recentioribus, sed à nullo veterum. Equidem non is sum qui receptis vulgò opinionibus refragari velim, quod in Gotteschalco & Hincmaro strenuè passim facit aduersarius: sed posteaquam lubens concessero, librum hunc de Tribus Epistolis, Remigij nomine à quibusdam allegari, duo in illis scriptoribus considerari postulabo, à quo id fiat tempore, & quomodo? Enimuerò qui primus id præstitit Paradinus est, postremi seculi scriptor, non eximiæ inter historicos auctoritatis: inferiores omnes, superiorem habemus neminem. Non egit ergo in mentibus litteratis tam altas radices ea nomenclatio, vt sine nouitatis periculo non possit euelli. Respondes, interceptam fuisse pluribus seculis eorum operum memoriam, iacuisse perdiu in abstrusarum bibliothecarum angulis, velut in sepulchro, non potuisse proinde nondum emergentibus nomen imponi. Verùm, da ex antiquioribus vnum qui eorum nomen retulerit in commentarios; qui de controuersia nostra quicquam ab Remigio Lugdunensi fuisse scriptum indicarit: qui in Ecclesiasticorum scriptorum numero illum habuerit. Trithemium consule, Sigebertum, & alios id genus. In illis Remigium Autissiodorensem monachum, Seruatum Lupum, Ratramnum, Florum legimus; de Remigio Lugdunensi altum silentium. Multa auctorum nomina, multi librorum tituli apud eos vindicantur ab obliuione, qui si quando extabunt, parentes statim suos agnoscent, quod sexcentis aliis euenit: de Remigio Lugdunensi quid simile afferes?

Iam verò noui isti Lugdunensis Ecclesiæ sub

Remi-

Et sine examine, aut probatione. Remigij nomine citatores, quomodo in ea appellatione versantur? Probant-ne auctorem libri esse Remigium, an supponunt? Rem examinant, & suis momentis expendunt, an vsuali citatione fruuntur? Cur autem examinent, si abest necessitas; si scriptoris indifferens est auctoritas, modò librum teneant? Sic enim Hieronymus à se nonnullos citari fatetur. *Hieron. Apol. in Ruff.* Inueniret apud me fidem Paradinus, si libros ante triennium repertos, Remigij Lugdunensis esse non diceret, sed certis rationibus ostenderet. Crederem Maldonato, crederem, & obsequentissimè quidem, Sirmondo, in Remigij nuncupatione, si vocabulum illud è trutina sua, non ex vulgari sensu extulissent. Quod ipsi citra examen post alios dicunt, alij dicunt, non ipsi. Hac ratione non solùm obiectioni satisfacimus, de Neotericorum auctoritate, Remigium libri huius auctorem citantium; sed etiam argumento negante monstramus, Remigij nomen à nullo veterum huic, aut alteri cuiquam libro attributum esse, imò nec inter scriptores Ecclesiasticos ab vllo memoratum; quod est primum, nec inualidum sententiæ nostræ firmamentum.

Hincmarus & Remigius inuicem amici Secundum ducimus ex amicitia Remigium inter & Hincmarum sanctè & religiosè seruata, cuius legibus nihil repugnat magis, quàm stilus felle tinctus, & huius libri canina Theologia, Hincmarum paginis omnibus allatrans, & pro ignoto pestilentique monacho, inimicitias cum tribus celeberrimis Episcopis sponte suscipiens. Quod à magni Præsulis sanctitate, grauitate, caritate procul abesse fidentissimè disputo, & simul Dissertatoris calumniam dissipo, qua fingit, *æmulum Remigij Hincmarum fuisse, ipsique ex causa quam foueret non parum infensum.* *Calumnia Dissertatoris Præfat. in hunc l. tom. 1.* Quod cùm antea pronunciaret de Lupo Ferrariensi, sycophantiæ conuictus est. Hoc autem argumento in simili sic vtitur Hincmarus, vt Capitulum quoddam in suam iniuriam à Concilio Valentino conceptum, omnino neget à Remigio, vel vllo ex eius Suffraganeis esse profectum. *Hincm. l. de prædest. c. 36.* *Nos pro certo, in veritate sciat sancta fraternitas, pro nostra speciali iniuria ista non dicimus.* Illegitimam inquit, ordinationem, neque illis ego, neque illi mihi possunt obiicere, & Canonum decreta in nos inuicem vibrare. Cur ita? *Quia à fratribus nostris, Remigio scilicet venerabili Archiepiscopo, & honorabilibus consacerdotibus nostris Prouinciæ Lugdunensis* (nota Lector interim, solos istos excipi è tribus Valentinæ Synodi prouinciis, & vel hinc intellige Hincmari æmulos vlteriùs esse quærendos) *illud conscriptum nequaquam fuisse certissimè scimus & credimus.* Obtestatio præmissa, monstrat quàm seriò dicantur ista, procul ab omni festiuitate iocorum, & ironiæ. Vnde verò certissima hæc scientia & fides? *Qui omnes illi pene nos omnes ab ipsis annis iuuenilibus cognouerunt, & scientiolam nostram, ac conuersationem, sicut familiares familiariter didicerunt: qualiterque in vita & regimine, & conuersatione, & scientia, atque doctrina degamus, illis occultare nec volumus, nec valemus. In quibus, sicut in spiritalibus viris, maximam de nobis habemus fiduciam; quorum & vitam religiosam, & doctrinam catholicam, & ordinationē canonicam non ignoramus.* *Laus Episcoporum Prouinciæ Lugdunensis.* Quid videtur, Lector, sapit-ne hæc oratio *æmulum & infensum Remigio?* Remigius & Prouinciales Episcopi familiariter nou noscentésque Hincmarum, & eius socios, si credi non possunt vnum in Concilio Canonem aduersùs illos condidisse, sunt-ne putandi librum contumeliis & contemptu refertissimum conscripsisse? *Spiritales viri* vt tam indignè caritatem, erga Hincmarum, scientia, dignitate, rebus gestis illustrem, amicitia & familiaritate coniunctum sibi violarint? Vt Hincmarus Lugdunensium Episcoporum doctrinam habere censeatur pro catholica, si verè profecta est ab Ecclesia Lugdunensi Gotteschalci defensio, geminæ prædestinationis assertio aliquantùm dubia, sanguinis Christi angusta taxatio; Hincmari sempiterna cauillatio, sugillatio, censura? Vnus hic certè locus, absque studio partium expensus, omnem suspicionem de libri huius lucubratione, non à Remigio tantùm, verùm etiam ab vniuersa Lugdunensium prouincia, potest amoliri. Non desunt tamen alia veræ amicitiæ vestigia in scriptis Hincmari, vt, quòd nunquam nisi honorificè de Remigio loquatur; quod vna in re notare non omisit Dissertator: *Dissertat. c. 37.* quòd plurima cum illo Concilia celebrarit, quorum aliqua adhuc extant in tomis Conciliorum Gallicanorum: *Conc. Gallic. tom. 3.* quòd litis inter ipsum, & Laudunensem Hincmarum nepotē exortæ iudex, cum Harduico Turonensi Metropolitano constitutus sit ab Apostolica Sede, & in Concilio Duziacensi, *Apud Hincmar. tom. 2. pag. 355.* in eiusdem nepotis condemnationem subscriptione consensit: quòd multis grauibúsque de negotiis cum eo per litteras egit, *Ibid. epist. 34.* vt de Carlomanni Principis excommunicatione; *de rebus S. Remigij in prouincia Cisalpina coniacentibus, quas eidem committens, petit vt easdem in sua tuitione accipiat.* *Flodoard. l. 3. hist. c. 21.* Non sic actum cum Prudentio, neque res Ecclesiæ Remensis eius fidei commissæ, qui eas præter ius & fas vsurpabat. Ex quibus omnibus, Hincmarum & Remigium amicos & familiares fuisse demonstro; ex amicitia, Remigium aduersùs Hincmarum nihil scripsisse concludo.

His rationibus coniecturas adiungo, quarum singulæ si cui leues videbuntur, efficient nonnihil vniuersæ. *Probabile non est scriptum à Remigio.* Quis enim facilè sibi persuadeat, S. Amolonis sanctum successorem Remigium, tam proximum, vt dubitet aduersarius, vter illorum Epistolas acceperit, quibus respondetur, statim Pontificatus initio, inter cleri populique acclamationes, inter consecrationis cærimonias, deserta quæ tum solent obuenire negotiorum mole, neglecta prouinciæ suæ notitia, quæ bono pastori ante omnia curanda est, eripuisse se hominum conspectibus, abdidisse in musæi tenebras, vt responsionem lucubraret, quæ minimè vrgebat, contra Hincmarum familiariter sibi notum, Amoloni percarum, ipse ne verbo quidē lacessitus, imò tali consultatione non parū honoratus; sacrum magistratum à lædenda caritate, & parandis inimicitiis auspicaretur, nouas opiniones eius Ecclesiæ nomine propugnaret, quæ nouitates non amat; Amolonis iudicium contrario scripto rescinderet? Nam Amolo Gotteschalcum nouitatis in ipso Germaniæ regno proseminatæ accusat; *Liber de Tribus Epistolis Amoloni contradicit.* liber hic Patrum nostrorum venerabilem auctoritatem, dogmata eius appellat: illius excommunicationem, & damnationem probat, vt *iustam seueritatem*; hic *inauditum irreligiositatis & crudelitatis exemplum* vocat. Laudat Amolo *Sacerdotes Dei & rectores Ecclesiarum, qui insaniæ sensuum Gotteschalci resistunt,* *Ibid.*

& nominatim Rabanum, *bonum, & eruditum virum, atque Catholicum Episcopum*; hic deridet hominem impertinentem disputationem aggressum; alios arguit quòd eum condemnando *diuinis rebus iniuriam intulerint*. Plurimas hæretici propositiones refellit, & grauissima censura notat Amolo: eius *sensus Ecclesiasticos*, assertos à Patribus pugnat iste, vno excepto, cuius ipsum assertorem esse non potest in animum inducere. Denique in plerisque, non nox diei magis opposita est, quàm hic scriptor, quicunque tandem est, Amoloni: quod à Remigio factum, nunquam credidi, maximè ex quo in huius scripti naturam, & Remigij mores intimè penetraui. Non enim alium cogitatione informo Remigium, quàm grauem, constantè, magnis virtutibus ornatum, pacis & concordiæ studiosum Sede sua dignum Antistitem, & ex recentium scriptorum testimoniis, *doctrina eximium, & magnum Theologum*, extitisse arbitror. Ab hac autem imagine quàm procul discedat Opus istud, lectio ipsa declarat, amore partium ardens, in Carisiacense Concilium, & priuatos alios contumeliosum, in reprehensiones procliue, præceps in definiendo, incautum in refellendo: vt qui tam contentiosè pro illo Remigio Lugdunensi asserendo certant, ij Remigio, qualem descripsi, non leuem iniuriam facere videantur.

Indignus est Remigio.

Quem igitur, inquis, libri illius auctorem facis, nouus ipse susceptor? Ego si quem alium ex Hincmaro expiscatus fuero, neque nouitatis maculam in me suscipiam, neque id primus facere censebor, quod tantò antè factum ostendam. Quin potiùs nouitatis reos arbitror, qui contra scriptoris antiquissimi & locupletissimi mentem, Remigium hac labe conspergunt. Hincmarus igitur Ebboni Gratianopolitano Episcopo non obscurè hoc opus attribuit, cùm de septem regulis, quibus ad tractatum de gemina prædestinatione aggreditur, breuiter dicturus, traditas ait ab illo qui Capitula Valentina conscripsit. *Sed & in prefata Synodo, Capitulis quæ nobis dedistis* (in Valentina Synodo constitutis) *in quaterniunculis vnius consacerdotis nostri, septem subiunctas inuenimus, non veritate, sed nomine regulas; quæ verborum & sensuum consonantia, eiusdem aucloris, cuius & Capitula nostra humilitati à vestra data sublimitate, fore creduntur. Quarum initium est, Primo loco ponendum* &c. Regulas illas septem negare non possumus libri de Tribus Epistolis partem esse spectabilem, in quo etiamnum leguntur. Ergo illas qui tradidit, idem auctor libri est. Atqui hic ipse, non alius, Capitula Valentina composuit, Hincmaro iudice, & vt regulæ, simul cum Capitulis, in manus Hincmaro traderentur per Carolum Regem, quaterniones quibus eæ continerentur, adnexuit Capitulis Synodicis, quæ per Remigium Archiepiscopum Carolo sunt oblata. Itaque cùm eadem manus & Capitula fabricauerit, & regulas, atque adeo librum regulas præferentem, si potest probari Capitulorum artifex Ebbo Gratianopolitanus fuisse, eadem opera libri de Tribus Epistolis auctor esse monstrabitur. Prius autem ex Hincmaro tam apertè suo loco probaturi sumus, nullum vt in animo nostro dubium debeat residere: nunc interim auctoritate Hincmari concludimus, librum de Tribus Epistolis ab Ebbone esse compositum.

Ebbo Gratianopolitanus auctor est huius libri.

Hincm. l. de prædest. c. 31.

L. de 3. epist. c. 1.

Contraria

Peruidit huius argumenti robur Præses Dissertator, & illud suam in rem transtulit, vt probaret transuerso ordine, Capitulorum Valentinorum auctorem esse Remigium Lugdunensem, quia scriptor fuerat libri de Tribus Epistolis; qua ratione, & ipse duo agnoscit: & ab eo scriptum esse librum, à quo sunt traditæ regulæ: & eundem esse Capitulorum, atque regularum, siue libri parentem. Vna igitur inter nos superest contentio, vter, Remigius, an Ebbo, Capitula pepererit? Remigium ille, nos nominamus Ebbonem. Lepidum illud, quod Hincmari dictum de *quaterniunculis consacerdotis*, statim explicat, Remigij Lugdunensis, rara, & ipsi admodum peculiari felicitate, indiuiduum diuinans ex specie. Sic enim aliàs Gotteschalcus Romæ Pontificem salutauit; ergo Nicolaum primum. Lupum Ferrariensem calumniatus est Metropolitanus; ergo Hincmarus. Nobis non licet esse tam acutis. Ne quid autem dissimuletur, quæret aliquis ad extremum, vnde porrò nomen Ecclesiæ Lugdunensis, operi Præsulis Gratianopolitani, qui Viennensi Prouinciæ, non Lugdunensi subditus est? Respondeo, adscitum esse nomen illud, vt superiori capite referebamus: neque potiùs ad Lugdunensem, quàm ad Viennensem, aut Arelatensem Metropoles delatam cum tribus Epistolis quæstionem: delectum in prouincia sua Ebbonem qui satisfaceret, quòd Abbas olim Remensis ingenium regionis propiùs nosset, & cognoscendæ controuersiæ cupidum antea se præbuisset, vt ex Flori sermone patet, quem corruptum ex scrinio suo extulit. Cùm autem nomen suum tegeret, ne fortasse aperto marte Hincmarum peteret, quem timebat, offerri Carolo Regi per Archiepiscopum Lugdunensem curauit librum, cui ex eo casu, auctore incognito, Ecclesiæ Lugdunensis nomen potuit attribui. Et nos hactenus eum illi titulum reliquimus, nihil ausi mutare ex recepta nomenclatione. Nam quod Remigium non appellauimus, veritatis conscij, minimo nouitatis periculo factum putamus, cùm nemo adhuc adhibito examine, Remigium esse definierit.

Dissertatoris opinio. c. 37.

Ibid. c. 17.

Coniectura, cur Ecclesiæ Lugdunensi adscribatur.

CAPVT XVI.

Qualem animum hac in responsione prodat auctor, aperitur, vt certius de illa ferri possit iudicium.



ORATAM oratoris dictionem esse volunt præcepta Rhetorum, qua non aliorum potiùs, quàm suos mores in apertum scriptor educat; & quod in iis de quibus agit, laude vel vituperatione dignum iudicat, in seipso primus exhibeat: hoc modo certum & integrum de scribentis ingenio, fidéque ferri iudicium. Spectemus igitur in hoc libro mores auctoris, de doctrina deinde dicturi, vniuersè omnia, vt in singulis controuersiæ articulis minore fastidio insistamus; tum enimuerò decernere licebit, vtri sit æquius, Remigio an Ebboni quaterniunculos istos attribui.

Mores scriptoris dedarandi.

In primis huius Opusculi proprius character mihi videtur arrogantia, toto quidem fusa corpore, sed insignibus identidem maculis designata. Nam quid est quod vrbanè per litteras ab Episcopis consultus, nullo salutationis officio, nulla honoris significatione ingredi-

Scriptoris arrogantia & contemptus.

tur in certamen? Est enim ista disputatio, non responsio; neque ad eos dirigitur qui consulunt, sed absoluta expositione Lectori cuilibet scriptoris sensus aperitur. Quòd si Rabanus intolerabilem Gotteschalci superbiam in eo inuenit, quòd is locutionem suam ad Deum solum conuertit, homines adloqui dedignatus; potéstne vitio carere, qui rogatus officiosè, rogantibus non respondet, quasi qui vltro salutatus, ne honorantem quidem aspicere dignatur? Da Pontificem Romanum, in illo dignitatis & auctoritatis cacumine, qui subiectos vilissimos ita tractauerit. Vide Hieronymum, Augustinum, Pacianum litteris hæreticorum, ethnicorum, æmulorum pulsatos, si quid illi contemptui simile præferant? Specta viciniores, Lupum Abbatem eruditione insignem, Ratramnum Gotteschalci studiosissimum, Rabanum læsum à Gotteschalco, Hincmarum tot stilis lancinatum, si tam alto supercilio illos despiciant, quibus respondent. Prudentius ipse Hincmarum & Pardulum saltem compellat: iussus autem Ioannem Scotum refellere, contumeliosissimè quidem, sed tamem ad ipsum orationem dirigit. Et erunt qui sibi sic aduersariū loqui, minorem despicientiam æstiment, quàm aliis de se leuiora narrari.

Eiusdem temeritas. Deinde qua methodo respondet? Docet, tanquam Theologicorum mysteriorum longè peritior; arguit, vt inferiores & discipulos magister. Quos? Concilia ipsa, Archiepiscopos duos, Episcopum non incelebrem. Disputat acerbè, & hoc agit ne quicquam benè illi, omnia ipse ex certa scripturarum intelligentia, & antiquiorum Patrum sensu dicere videatur. In ipsis etiam, quod temeritatis est, facti quæstionibus, mendacij accusat eos qui viderunt, qui ab oculatis testibus acceperunt, qui egerunt, ipse ab iis regionibus procul dissitus, & solis edoctus vulgi rumusculis. Narrat enim Hincmarus electam à Gotteschalco prædicationis materiam: (L. de 3. epist. c. 1.) id credibile Lugdunensi non videtur. Refert Hincmarus idem hæreses Gotteschalci: negat alius sic illum sentire, aut quenquam alium moderno tempore. (Ibid. c. 21.) Quo teste? Quæstionis contra Gotteschalcum disputatæ, & coram in Concilio damnatæ statum ponit Rabanus: (Ibid. c. 41.) testes habet Episcopos Germaniæ totius, qui Concilio præsentes interfuerunt, ipsi audierunt, damnarúntque hæreticum. Ait Lugdunensis hallucinari Rabanum, non hoc quæri quod affert, sed alia omnia. Deus sancte apud quos fidem sperat contra Rabanum Concilij præsidem, iudicem Gotteschalci? Quam verò ob rem mentiri putat, est enim Latinè loquendum, iudices duos cum Conciliis suis Rabanum & Hincmarum? Quia si quæ obiiciunt illi, Gotteschalcus assereret, blasphemaret. Acutè dictum! hoc videlicet ipsum est quod in Gotteschalcum armat Concilia; quod in Gotteschalci doctrina tolerare non potest Rabanus; quod in eius scriptis horret Amolo, *Quod sentire*, inquiens, *& dicere, quid est aliud, quàm in Deum grauiter & horribiliter blasphemare?* (Amolo Epist. ad Gottesc. n. 4.) Dic illud Nicænis, Ephesinis, Chalcedonensibus, Constantinopolitanis Patribus: Credibile non est hæc & illa docuisse Arium, aut Nestorium, quia blasphemassent. Dic modò Tridentinis, Deum à Caluino peccati auctorem non fieri, fatalem prædestinationem non induci, libertatē arbitrij non euelli, quia immanis esset blasphemia. Iam verò, quam modestiæ micam in illis verbis inesse putes. *In hac re dolemus non illum miserabilem, sed Ecclesiasticam veritatem esse damnatam: Augustini veridicum sensum non oportuit sub persona alicuius hominis à Catholicis Dei Sacerdotibus condemnari.* (L. de 3. epist. c. 14.) Et eiusdem modi alia passim Opusculo toto obuia. Quid dicam de Regulis illis septem, quas in limine proponit, tanquam articulos fide credendos, *quas & catholicus quisque fidelissimè tenere debeat, & quicunque his contraria sapit, non catholicè sentire comprobetur?* (Ibid. c. 1.) Quod quàm temerè sit pronunciatum, vel hinc docemur, quòd Hincmaro impunè licuit palam, (Hincm. l. de prædest. c. 31.) & ex scripto eas improbare, atque irridere, velut fictas & inanes nænias, reculas non regulas: quam tamen ob rem nullo vnquam Concilio, nullo irati Pontificis decreto, nulla priuati apud posteros auctoris obiectione, *non catholicè sentire* iudicatus est. Omitto plurima, hominis iudicio suo confidentis, & alieno cedere nescientis, in ea maximè causa, quæ duobus Conciliis cognita, rei malè gestæ, nisi per incredibilem superbiam, à priuato & absente accusari non potest.

In hoc enim præterea quantum caritati fraternæ vulnus inferat quis non videt, (*Caritatem fraternam lædit.* c. 25.) dum crudelitatis & inreligiositatis Episcopos tredecim reos facit, quòd miserabilem Monachum *flagris & cædibus trucidarint, cùm omnes retro hæretici, verbis & disputationibus victi atque conuicti sint.* Quasi hæresis in eo, non proteruia & impudentia fuerit flagris coërcita. Atque vbi descripta est hæc flagellatio atrociter ad inuidiam, & odium, addit *de longa & inhumana in ergastulum per tot annos damnatione*, in qua non Hincmari seueritatem Amulus, sed peruicaciam excommunicati & impœnitentis Monachi arguit: in qua Rabanus communionem indulgeri noluit, ne præpostera pietate Synodi decretum conuelleretur. Iam perpetuum illud est, quòd aduersariorum opiniones habet pro hæreticis, eas etiam quas pias & probabiles esse cogitur agnoscere, de quibus mox plura, cum contradictionibus. Eò pertinent verba illa fellis & arrogantiæ plena, *Prætermittentes huius rei tam absurdam, & incongruam obiectionem.* (Ibid. c. 6.) Et hæc, *De hac quæstione nihil confusè & inconsideratè dici, vel definiri vellemus.* (Ibid. c. 14.) Item. *Nollemus inter fratres & carissimos nostros aliquid de his contentiosè ventilari, vel temerè definiri. Et magis, in talibus inquietos & contentiosos ad tranquillitatis & sobrietatis modestiam reuocari.* (Ibid. c. 13.) Quis sic loquitur? Contentiosissimus ipse, maximéque inquietus, qui quod ambiguum, atque incertum fatetur esse, hoc temerè definit, & immoderata austeritate, ac seueritate damnat. De quibus autem loquitur? vnus de pluribus, Episcopus de Archiepiscopis, priuatus de Conciliis, Ebbo de Rabano Theologorum coryphæo: de Hincmaro, cuius *eruditio salutaris* ab vno è partium aduersarum primipilis commendatur. (Lup. Ferrar. ep. 42.) Amalarium denique, & Ioannem Scotum quàm indignis modis tractet, is qui dedocendos hæreticos ait, non vexandos, repetendū non videtur. (L. de 3. Epist. c. 40.)

§. VNICVS.

Vtrum terminandæ quæstioni, & animorum concordiæ studeat.

ATQVI viam paci aperit, inquis, & positis animorum contentionibus, quæstiones citra periculum fidei dubias & incertas honorari (*Pacem verbo tenus suadet.*)

cupit non damnari. Studet ergo vel reparandæ vel conseruandæ inter fratres & carissimos caritati. Nimirum vnus hic est de iis qui dicunt, *Pax, pax, cum non esset pax*: qui pugnas pugnis sedare, & silentium clamore strepitúque facere conantur. Qua enim via pacem suadet? Quæstionem de gemina prædestinatione in hæc verba concludit. Ibid. c. 10. *Quid ergo restat, nisi vt si quid aliter sapuimus, hoc nobis Deo reuelante humiliter abnuamus, & clarescentem veritatem fideliter* Hinc. l. de prædest. §. 19. *amplectamur.* Id factum ab Hincmaro in gemina prædestinatione probo & catholico sensu admittenda. Hoc Christianæ demissionis exemplum in se ostendat scriptor ille, vt quod post longam disputationem & piè sentiri, & ab antiquis Patribus asseri, cogitur agnoscere, *fideliter amplectatur*, & oppositam sententiam minùs piam *humiliter abnuat.* Vide Lector in re illa vna, qua de sanguinis Christi taxatione agitur, in qua hortatur ad concordiam, quomodo se gerat humilitatis præco, & pacis sequester. Deum non velle omnes homines saluos fieri, & pro infidelibus Christum non esse mortuum, eius & Gotteschalci opinio est, Hincmaro sententiam contradictoriam propugnante. Priorem scriptor iste vbi disputauit, eò tandem deuenit, vt & oppositam L. de 3. epist. c. 13. probabilem esse asserat, & neutram falsi posse damnari: nihil tamen in huius confirmationem affert, quod antè Lupus Ferrariensis fecerat, vtrosque reducturus in gratiam, vt sui dogmatis aculeum in Lectoris corde defixum teneat, quem exposita contrariæ opinionis firmamenta vellere potuissent. Hoc est sincera mente paci studere? Dicit tamen alibi, in contraria sententia Patres Ibid. 24. & 27. Si aliqui Patrum. aliquos reperiri. Quomodo dicit? *Si inuenti sunt alij æquè Patres, qui illud gloriosum pretium, etiam pro nunquam credituris, & in sua impietate perituris datum esse non abnuant, meliùs vt credimus vtrique honorarentur, nec pro aliis alij damnarentur.* Dubium relinquit apud imperitos & controuersiæ inexpertos, sint-ne vlli aduersæ sententiæ assertores. Paulo autem inferiùs, cùm Ibid. c. 26. dissimulare non possit Apostoli dictum, *Qui vult omnes homines saluos fieri*; & *Deus neminem vult perire*, veritus nec immeritò, ne his testimoniis ab Hincmaro prolatis terminata quæstio videretur, hunc sensum fideliter posse accipi fatetur, & mox quasi stipem Elephanto porrigat, *Si tamen* inquit reducta manu, *& ille sensus beati Augustini, quem ille iuxta alterius diuinæ scripturæ auctoritatem diligenter inquirit, & multis ac veracibus modis exponit, pariter recipiatur*: Quid hoc rei? Quæ noua hæc Theologia? Recipio, inquit, Hincmari sensum de Deo omnes omnino homines saluari cupiente secundùm Apostolum: modò etiam admittatur Augustini explicatio loci alterius scripturæ, vbi docet, Deum non velle omnes homines saluari. Diuisus est Deus? Pugnantia scripturæ loquuntur? loco vno constrictus Augustinus, ad alium confugit? *nec propter istum, ille damnetur*, inquit, *sed potiùs vtrique sensui, propter veracem, & piam Patrum auctoritatem fideliter obediatur.* Bene habet, remota modò hypothesi, opinio Hincmari fulcitur auctoritate Patrum veraci & pia: sed plus aliquid alteri suprà opinioni datum in simili comparatione video; neque Gotteschalci, neque Hinc- Contradictio scriptoris. c. 24. mari pronunciatum vult damnari, *quia & illud manifestè diuina auctoritate firmatum est*, *& istud, si piè sentitur, non abnuendum.* Quod postea repetitur, nulla præsumptione condemnandum esse sensum illum, (Gotteschalci) *qui est certissimus & diuina veritate firmatus.* Hîc Ibid. c. 25. mihi nox & tenebræ. Nam si Gotteschalci sententia manifestè diuina, hoc est, scripturæ sacræ auctoritate firmatur, quomodo contradictoria Hincmari opinio, pia esse potest, quomodo non abnuenda? Quod scriptura manifestè tradit, quod Dei verbum sua *auctoritate manifestè firmat* & stabilit, potest-ne opposita assertione piè & religiosè oppugnari? Quod est *manifestè diuinæ auctoritati* oppositum, quid aliud esse censes, quàm aut erroneum ab hominibus, aut mendax à diabolo? Et hoc tu *piè sentiri* permittis, hoc negas abnuendum? Hanc tu, Præses Monetarie, viam pacis, & non hæreseon blasphemiarúmque omnium appellas? Non iam repeto, quòd superiùs Apostoli Pauli locum pro se interpretari sinebatur Hincmarus, & in eo sensu *veracem, & piam Patrum auctoritatem* obtinere agnoscebatur; ergo & in diuina auctoritate esse firmatus. Non queror eadem opera Patres illos Paulini loci piè & veraciter interpretes, dici *diuinæ auctoritati manifestè* repugnare. Non miror è duabus assertionibus contradictoriè pugnantibus, alteram certissimam, & diuina veritate firmatam dici, alteram veracem & piam, neutram falsam videri.

Vnum addo, vt videas quàm inconstanter & Dubius heret, & contentiones amat. anxiè, de Patrum auctoritate, pro Hincmari parte pronunciet, cùm tamen à Patrum veterum lectione se paratissimum videri affectet. *Quòd si inueniuntur*, inquit, *aliqui Patrum, qui* Ibid. c. 26. *etiam pro impiis in sua impietate permansuris, Dominum crucifixum dicant.* Quid nos suspensos tenes & incertos? ad Patrum auctoritatem quæstionis solutionem reuocas: pro sententia tua *fideliter & omnino indubitanter de Beatorum Patrum scriptis legenda & consideranda proposuisse* te ais: nullús-ne, cùm ista conquireres, præter votum & expectationem fortè occurrit, qui doceret contraria? Negas? at agnoscis alibi. Affirmas? at hîc, atque alibi timidè & dubitanter loqueris Pyrrhonica ἐποχῆς fastidiosus. *Si hoc*, inquit, *diuinæ Scripturæ certissimis & clarissimis documentis probant.* Hoc est quod à te studemus discere, id-ne probent certissimè & clarissimè. Dubitas? quæstionem ergo vna tantùm parte attigisti, & de illa non aliter cognita fers sententiam, quod est iniqui iudicis. Quid si clarissimis documentis & auctoritatibus probant, quod in locis pro te allegatis non requisisti, quid eueniet? quod consilium capies pacis auctor & interpres? *Erunt ergo illa quæ de verbis Domini hac de re commemorauimus, aliter intelligenda, quod est omnino mirum, vel potiùs incredibile posse fieri.* Ridiculè: sperabam tuo te consilio *clarescentem veritatem fideliter amplexurum.* Tuo exemplo *in talibus inquietos & contentiosos ad tranquillitatis modestiam reuocaturum.* Et hoc ais, post certissima & clarissima ex scripturis argumenta, quæ Patrum auctoritas sententiæ nostræ, & locorum aliquot explicationi quam protulimus, opponet, *inquietos & contentiosos* perseuerare nos oportet, nec inquirere quomodo *clarissimè & certissimè* conuicti, sensum nostrum *humiliter abnuamus*, sed qua ratione *clarissima & certissima* scripturæ testimonia ore Patrum oblata eludamus, &

lites nostras atque discordias in sempiternũ prorogemus. Egregium sanè pacis auctorem! viam pacis rectã & expeditam! quæ ambagibus implicata, spinis impedita, tenebris cæca ab ipso monstrante vitatur. Vt litigator iste pacificus, Apostolicum illud iure à nobis audiat, *Qui ergo alium doces, teipsum non doces? qui prædicas non furandum, furaris?* Qui suades inquietos comprimi, poni contentiones, reuocari modestiam, cùm tibi veritas opinionis, quam per se *piam & honorandam* esse fateris, *certissimis & clarissimis documentis diuinæ Scripturæ* per Patres explicatæ probata fuerit, adhuc inquietus & contentiosus negabis id *posse fieri*, & alium à tuo priore, Domini verbis sensum perpetuus disputator inquires? Aude autem, si vis, si potes, quæstionem terminare, & contentiones sedare: hic Rhodus, hic saltus. Fac quod Theologum addecet, ostende *fieri non posse* vt opposita sententia *clarissimis & certissimis documentis probetur*; expone probabiliter si quæ proferri possunt; aditum ad opinionis tuæ euersionem hostibus oppila, & demonstra id *omnino mirum esse, vel potius incredibile fieri posse*; tum enimuerò sedatis tumultibus, vel pacis viam à te edocti ingrediemur, vel in opinionem tuam pedibus ibimus.

Rom. c. 2.

Istos scriptoris huiusce mores tibi commonstro, Lector, dum alios deprehendas: quem si cum Seruato Lupo conferre placuerit, easdem quæstiones disputante, easdem opiniones probante, eosdem aduersarios sortito, minùs tibi toleranda videbitur Gratianopolitani arrogantia, præ Ferrariensis modestia; illius acerbitas, præ huius mansuetudine, illius contumeliosa disputatio, præ huius pacata & verecunda oratione. Et hic quidem nonnullorum ex aduersariorum vulgo iniuriis lacessitus, qui de Deo non rectè sentire ipsum, & innotescendi studio nouitates sequi criminabantur, in eos acriter, sed absque felle, & rariùs commouetur; de sententiæ verò principibus Rabano, Hincmaro, Pardulo honorificè semper & sentit & loquitur; itáque concordiam suadet, vt ipsa petendi methodo à volentibus accipiat. Ille autem nulla priuatim offensa prouocatus, nullo Gotteschalci beneficio deuinctus, ignotum an Archiepiscopi vllius hortatu impulsus, in arenam hanc spontaneus athleta descendit; non conciliandæ pacis gratia, vt ostensum est; non amore veritatis inuestigandæ, vt sequentibus factis probauit; sed sola Hincmari lædendi libidine, quem in patrui sui sede spectabat inuitissimus. Ad eam verò legitimis gradibus seruatis accuratè canonum decretis omnibus, magno bonorum gaudio, populorum & regni bono, sedis ipsius gloria conscenderat Hincmarus, & æmulorum omnium conatus, ad eum inde proturbandum intentos, tanquam infirmos fluctus fregerat. Diuturnitate temporis dolorẽ Ebbo lenire debuerat, & spe omni in futurum erepta, illo suas sibi res habere iusso, procul apud Alpes quietè pacatéque agere; si non etiam, Christiana caritate, & religiosa humilitate, Archiepiscopum magnã Ecclesiæ regníque curantem negotia, obsequiis colere Episcopus, & officiosis litteris frequentare. Fecissetque, opinor, si per ingenij festiuitatem, & morum vrbanitatem licuisset. His enim dotibus eum à natura ornatum non fuisse, ex auunculi Ebbonis Remensis ingenio coniicere possumus, quod ita describit Theganus in exauctoratione Ludouici Pij Augusti. *Elegerunt tunc vnum impudicum, & crudelissimum, qui dicebatur Ebbo Remensis Episcopus, qui erat ex originalium seruorum stirpe, vt eum immaniter afflixisset cum consinctionibus ceterorum.* Et paulò pòst, oratione ad eum conuersa, *Fecit te liberum, non nobilem, quod impossibile est post libertatem. Patres tui fuerunt pastores caprarum, & non consiliarij Principum.* Et rursùs inferiùs, *Ibi Ebbo turpissimus rusticus venit, quem alij Episcopi firmiter amouere non ausi sunt, timentes quòd eorum proditor existere debuisset.* Quamobrem Regibus suadet sapiens Chorepiscopus, ne fæcem illam hominum in Consilium suum promoueant. *Sed summopere cauendum est, ne amplius fiat, vt serui sint consiliarij sui: quia si possunt, hoc maximè construunt, vt nobiles opprimant, & eos cum vilissima propinquitate eorum exaltare studeant.* Hæc si quis ad causam pertinere posse iudicabit, meminerit Hincmarum ex nobilitate generis à Flodoardo, & Lupo Abbate laudari. Ebbonem certè in hoc primo conatu non stetisse, sequentia declarabunt.

Comparatur cum Seruato Lupo.

Mores Ebbonis Remensis.

Thegan. c. 44.

Ibid. c. 56.

Ibid. c. 50.

Flodoard. l. 3. hist. c. 1. Lup. Ferr. ep. 42.

CAPVT XVII.

Quomodo in explicatione Theologiæ vniuersè idem auctor versetur, vnde colligitur quæ sit eius in Controuersia auctoritas.



T in huius auctoris moribus, Seruati Lupi modestiam; sic in Theologia, Lugdunensis alterius qui Scotum impugnat, eruditionem iure requirimus. Nam quod ille de Prædestinatione, eiúsque duplici effectu, de libertate hominis ad malum agendum, per Dei præscientiam & prædestinationem conseruata, & similibus nostræ quæstionis articulis grauiter, solidè & proxime Scholasticam disserit, hic admodum humiliter & ieiunè disputat, nonnulla magis implicat, quàm exponit; nihil affert in tanta verborum copia vel subtilitate ingeniosum, vel doctrina reconditum, vel nouitate iucundum. Certè quamuis in priore Lugdunensi næuos aliquos, à studio partium profectos, deprehendere liceat, quibus neque iste carere voluit: si quis tamen à me postulet, ab vtro illorum, quæstionis intelligentiam sit petiturus? Florum profectò quem dicunt, statim ac sine dubitatione nominabo: atque vt opinor idem sentient, quibus à rebus aliis tantùm fuerit otij, vt in vtroque accuratiùs expendendo, tempus & laborem collocent.

Cum Lugdunensi qui scripsit aduersus Scotum confertur.

Atque vt simul iudicij mei æquitatem demonstrem, simul & rudem quandam huius opusculi speciem in animo tuo, Lector, informem, hoc primùm annoto, peccare illum in ponendo quæstionis statu, & referendis aduersariorum sensibus; siue istud ignorantiam esse velis, siue malitiam. Sentio me hac in obseruatione videri posse importunum: sed hoc præcipuum disputationis caput est, à quo qui aberrant, aut vmbram feriunt pro corpore, aut in externum aliquod membrum telum vibrant imbelle, sine ictu. Cardo causæ est, quem qui non versant, quà ingredi possunt, quà egredi? Memini sapienter dictum à Plinio Iuniore, prudenti scri-

Quanti referat statũ quæstionis assumere.

ptori ad titulum orationis oculos identidem esse referendos: & satirici Epigrammatarij nota vox est in aduocatum inficetum, grandia in lite tenui narrantem, *Iam dic Posthume de tribus capellis.* Tam multos autem Posthumos nostra modò fert Theologia, vt affirmare ausim, paucos esse iudicij exquisiti viros, qui non aliquando in hunc lapidem impingant: de theologastris autem, vel iis quos amor & odium impellunt ad scribendum, qui verum quæstionis statum deligat, qui pedem in eo figat, qui fortiter premat, esse neminem. Itaque, quando aliud agentes huc deuenimus, (& certè magnum aliquid agimus) id à te Lector, pro magno beneficio postulo, non tantùm vt frequenter inculcatam eius rei obseruationem mihi condones; sed vt eam ipse assumas, vsque ad fastidium aduersariorum; videbis profectò magnis illos clamoribus sæpe nihil agere, & eruditos sudores vna propositæ theseos recordatione ludos facies, quasi qui pugnas & exercitus apum iniecto puluere dissipat.

In eo peccat auctor hic Lugdunensis. c. 42. & 47.

Vis istud in Lugdunensi nostro tibi monstrari? Tertiam epistolam inspice, in qua obiicit Rabano *assumere illum non necessariam, nec vllatenus ad rem de qua quæritur pertinentem disputationem.* Hoc est, à quæstionis statu discedere. Quare statum ipse ponit alium, & ex sensu suo, dicentem alia Rabanum eludit; homini similis qui viatoris iter impedire conetur, viam ipse diuersam ingressus, & dissitam. Inde fit, vt & Rabani aduersùs Gotteschalcum disputatio intacta maneat, & immota, & clientem suum aduocatus, Posthumi præuaricatione, deserat indefensum. Similis est ad quæstionem de libero arbitrio responsio. Cùm enim primæ scriptor Epistolæ narraret, dixisse illum miserabilem monachum, post Adami peccatum nemini superesse liberum arbitrium ad bene agendum, sed tantùm ad malè agendum libero vti posse arbitrio. Respondet egregius Patronus, hoc sibi videri mirabile, inauditum, incredibile, *vt homo inter fideles, & à fidelibus nutritus & eruditus, & in Patrum scriptis non parum exercitatus, hoc dicere vel sentire potuerit.* Addit assertio illa, quomodo à catholico doctore poni debuerit: qua ratione liberum arbitrium infirmum, mortuum, perditum intelligatur. At nos ista non quærimus. Accusatur reus hæresim docuisse, duas habes tegendi clientis vias, Patrone, quæstionem facti, vel iuris: demonstres oportet, vel istud ipsum non docuisse; vel iure dicere potuisse, quia catholicè dicatur. De secundo non pugnas, in quo tamen præcipua vis est, & dictum fateris hæreticum esse. De primo nihil probas, quasi sufficiat factum negare, aut inauditum, & incredibile appellare; vt omnia rhetorum præcepta de statu coniecturali vana & superflua esse moneas exemplo. At illud nobis non satisfacit, & iudici post auditam causam, & latam sententiam credimus, hoc esse dictum à Gotteschalco, quod tu à catholico dici non posse confiteris. Cui bono igitur ad clientis tui defensionem omnis illa de libero arbitrio infirmo, mortuo, perdito dissertatio?

Ibid. c. 21.

Dissertator corrigit Lugdunensem. Ibid.

Sensit Epistolarij sui vitium hoc loco prudens Dissertator, cùm notauit ad marginem, *hanc sententiam ex calumnia imponi Gotteschalco:* Quod est factum negare, & primam defensionis viam ingredi, quod cautiùs quidem facit, quàm Lugdunensis iste commilito, sed non efficaciùs.

Prauè detorquet sententiam aduersariorum.

Eodem refero, quòd aduersariorum opiniones malè exponit vt carpat, & improbet: in quo & Lugdunensem, qui Florus dicitur, nonnunquam peccare deprehendimus. Exemplum esto in quarto modo, quo explicari posse ait Apostoli dictum, *qui vult omnes homines saluos fieri:* hoc dicit *à sanctis Patribus ita intellectum, vt simpliciter accipiatur de omnibus hominibus, quantùm in ipso est, Deum velle.* Hactenùs rectè, & ex plurimorum sanctissimorúmque Patrum sensu. Addit autem, *eò quòd omnes saluari velit bonitate creatoris.* Hæc ratio à Patribus non est, & fraudem inuoluit alibi detegendam. Sequitur, *sed quia liberi arbitrij eos condidit, expectet vt hoc etiam ipsi velint, & si voluerint, iustè saluentur; si noluerint, iustè puniantur.* Id si fideliter exponitur & sincerè, catholico sensu non caret, sed ille ad prauum & Pelagianum deflectit, quasi qui modo illo quarto vtuntur, doceant hominem ex seipso velle, sine præueniente gratia Dei, nisi fortasse gratia & bonitate creatoris. Quam doctrinam erroneam sanè & Pelagianam, refutat ex Paulo dicente, *Qui operatur in eis (quos vocat) & velle, & perficere pro bona voluntate: vt quid Deus expectat eorum quos vult saluos fieri voluntatem, vt ipsi libero arbitrio suo incipiant velle saluari, & tunc diuina bonitate saluentur, vt initium salutis eorum sit ex ipsis, perfectio autem salutis ex Deo.* Patentissimus hic campus est ad refellendum errorem. Quem? Pelagij. Et nos illum execramur. Sed qui locum Apostolicum quarto illo modo Theologi exponunt, an eo sensu intelligunt? Qui omnes vniuersè homines ad salutem vocari, ex eo loco docent Patres, eámne sequuntur intelligentiam, vt homines incipiant velle saluari, vt initium salutis eorum sit ex ipsis? Audi Duallium, Epistolarij huius interpretem, & correctorem. *Si tamen ita exponatur, vt Deus voluntate antecedente omnes saluare velit, quia sufficientia omnibus & singulis media ad salutem confert, verum, pium, catholicum, & nullo modo Pelagianum sensum habet. Hunc enim tenent Ambrosius, Prosper, omnésque Scholastici, vnico excepto Ariminensi.* Vides pio, vero, & catholico sensu posse accipi: cur tu ad impium torques & hæreticum? Sed ille nouantibus nostris non arridet, quia gratias in eo sufficientes, & Theologorum Scholasticorum laudem legunt. Sit & aliud exemplum in cognata quæstione, de taxatione sanguinis Christi.

Ibid. c. 12.

Duall. in hunc locum. & citat Ambros. l. 2. de vocat. gent. c. 1. 6. 10. Prosp. ad 1. & 2. Gall. obiect. & Scholast. in 1. dist. 46.

Aliud exemplum detortæ sententiæ. Ibid. c. 10.

Quærit Epistolarius ab aduersariis, *Cur Dominus se pro multis animam suam daturum, & pro multis sanguinem suum effundendum dixerit, & non pro omnibus?* Deinde subiicit & format ad arbitrium suum, aduersariorum responsionem. *Vbi si responderint, quia nec aliud eis respondendum restat, quòd ideo dixerit, pro multis, quia pro solis illis qui ad fidem venturi, & fideles futuri erant, & illa suscepta, & pretiosus sanguis fusus esse intelligendus sit.* Ridiculos fingit hostes & ineptos, qui suo sibi se gladio iugulent, & audacter negat, eis aliud quicquam restare ad respondendum, vt vulgatissimam responsionem dissimulet, *multos* iis locis, poni pro omnibus, & nihil aliud, quàm omnes significare.

Multa ab aliis mutuatur.

Secunda obseruatio, quæ scriptoris istius ingenium & scientiam apud me minuit, hæc est, quòd cùm de suo pauca proferat, aliorum fontibus hortulos suos irrigare gaudeat. Certè, si mihi licet ad tempus Dissertatoris vti chronologia, vt priùs contra Scotum Lugdunensis auctor scripserit, quàm iste consulenti per epistolam Hincmaro responderit, De præscientia & prædestinatione, de gemina prædestinatione, de necessitate per prædestinationem malis imposita, non ad peccandum, sed ad luendas peccatorum pœnas, pauca in eo leges, quæ antea à Lugdunensi contra Scotum non didiceris. Idem facilè dixero de humanæ voluntatis libertate perdita & restituta, licèt aliquantò magis diuersus videatur esse discursus. *Gratiam* quoque *conditoris* à Floro acceptam, mutat in *bonitatem creatoris*; cui potiùs adnectere debuit *gratiam Redemptoris*, cum eodem magistro suo, quàm *seueritatem iudicis*, aut vt alibi loquitur, *æquitatem*: quæ diuisio perquàm imperfecta est. Nondum dico quid ex vero Floro, & eius sermone, quem in scrinio, tanquam in dactylotheca, reconditum habuit, Compilator acceperit: priùs enim Ebbonem huius auctorem opusculi, ostendamus oportet, ipsum esse Compilatorem, libro de Prædestinatione nominatissimum. De Seruato autem Lupo quid dicemus, à quo priùs enodandarum quæstionum tertiæ & quartæ, & explicandarum vocum *multi* & *omnes*, traditi sunt modi quatuor, quàm Lugdunensis iste tractator prodiret in publicum? Neque id tantùm, sed ipsis etiam verborum vestigiis Lupum in Ebbone deprehendimus. Dixit enim Lupus. *Cùm res in tuto sit, ponamus verborum controuersias, ne puerili animositate, contra inuicem pro inani gloria litigantes*, &c. Lugdunensis autem eodem in proposito vult *vt in diuinis scripturis nequaquam hoc pueriliter quæratur vel exigatur, vt ibi solummodò intelligatur diuina præscientia, vel prædestinatio, vbi hæc ipsa nomina expressè & propriè posita inueniuntur.* Ioannem Chrysostomum laudat Lupus, pro Christi sanguine in omnium generaliter salutem effuso: *verùm*, inquit, *cur hoc senserit, nullo diuino testimonio comprobauit.* Dicit Ebbo, *Quòd si inueniuntur aliqui Patrum, qui etiam pro impiis in sua impietate permansuris Dominum crucifixum dicant, si hoc diuinæ scripturæ certissimis & clarissimis documentis probant*, &c. Lupus catholicæ fidei principium illud ostensurus, nihil posse liberum hominis arbitrium nisi Christi gratia liberatum & præuentum, Apostoli dictum aduocat, ex Cypriano explicatum. *Sanctus Cyprianus martyr gloriosissimus, & Doctor suauissimus benè expendens verba Apostoli, Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? statuit in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit.* Quid Ebbo noster in simili argumento positus? *Et Apostolus, Quid enim, inquit, habes quod non accepisti. Vnde Beatus & gloriosus Martyr Cyprianus, ita definiuit dicens, in nullo gloriandum, quando nihil nostrum sit.* Multa passim id genus occurrent, quæ colligere fuerit otiosum.

A Lugdunensi aduersus Scotum.

Lugdun. contra Scot. c. 7. de tribus Epist. c. 11. 46. &c.

A Seruato Lupo.

Seruat. Lup. l. de 3. epist. q. 2. L. de 3. epist. c. 5.

Lup. epist. ad Carol. Reg. L. de 3. epist. c. 10.

Seruat. Lup. Ibid. epist. ad Carol.

L. de 3. epist. c. 38.

§. VNICVS.

Lapsus huius scriptoris in rebus Theologicis.

TERTIO loco, notandos arbitror lapsus aliquos in recta & legitima Theologia vulgò improbatos; quos neque dissimulare potest, & benigniùs explicare cogitur, Theologiæ Parisiensis Teleta peritissimus Duuallius commentator: eò quòd nescius Ebbonis esse opus istud, Ecclesiæ Lugdunensis vmbram in nomine apparentem aliqua veneratione dignam existimet. Eorum nonnullos hîc accipe, dum alij suis locis reponantur. Inter argumenta quibus efficere conatur Lugdunensis, Christum pro omnibus passum non esse, locus hic est Isaiæ in Christi persona lamentantis, *Et ego dixi, In vacuum laboraui, sine causa, & vanè fortitudinem meam consumpsi.* Quem sic exponit, vt moneat Duuallius, *Cautè legendam esse horum verborum expositionem. Dicit enim Christum ex persona membrorum sub illa passionis ignominia laborantium, ac penè desperantium esse loquutum; & hoc conformiter suo dogmati; quòd nempe Christus solùm pro electis passus fuerit, vt ideò minimè in vacuum laborauerit. Verùm satius est, ea de Christo ipso exponere, paucorum salutem præuidente, quamuis sufficientissimum, imò superabundantissimum pretium redemptionis omnium hominum, in ara crucis exsoluisset.* Aliquantò post eandem opinionem versans (penè dixi vexans) Leonis Magni dictum, qui Christum Iudæorum impiorum, & infidelium redemptorem vocat, ad solos credentes ex Iudæis coarctans, ita reprehenditur à Duuallio. *Non minùs cautè ista legenda sunt. Dicit enim Deum non orasse pro omnibus persecutoribus suis, vt pote pro illis qui in cordis sui duritia obsirmatè erant perseueraturi.* Aperta censura, quam appositè ad nostrum institutum confirmat Theologus. *Hoc ab Hincmaro ad Nicolaum I. inter errores Gotteschalci recensetur, simulque refellitur. Tum quia, inquit, fuit vetus error Prædestinatianorum; tum quia de eius persequutoribus dixit Petrus, negantes Dominum qui eos emit.* Tum excusato quantùm licuit Lugdunensi, orationem Christi pro omnibus effusam fuisse docet, licèt aliquorum culpa non fuerit efficax. *Nisi malueris dicere, orationem illam fuisse pro omnibus absolutam, quia licèt de facto omnes non resipuerint, habuerunt tamen illius beneficio media ad salutem necessaria & sufficientia: quod ad absolutam & efficacem voluntatem sat est.* Dum hæc describo, Lector, non tantùm grauis & periti Theologi, quem diu Lutetia nostra venerata est, & adhuc dulcissima fouet memoria, iudicium de Lugdunensi hoc opusculo repræsento, quod huius capitis & articuli proprium est; sed etiam in cursu attendere suadeo, quid de quæstione ille censeat, Hincmari auctoritatem quanti faciat; de Prædestinatianis quid sentiat; de sufficientibus gratiæ auxiliis quàm benè & catholicè philosophetur? Sed iter nostrum prosequamur in plano.

Labitur aliquoties in Theologia.

Ibid. c. 17.

Christum non esse passum pro omnibus.

Is. c. 49.

Duuall. in hunc locum.

Non orasse pro omnibus.

L. de 3. Epist. c. 19.

Duual. ibid.

Error Prædestinatianorum.

In quæstione de libero arbitrio, confidenter pronuntiat auctor noster, *Verè mortua esse omnia opera infidelium, non solùm quando apertè vitiis & peccatis seruiunt, sed etiam quando na-*

Infidelium opera omnia esse peccata.

L. de 3. epist. c. 22.

turali bono in quantùm omnipotens creator tribuit, instigati, vel naturali lege commoniti, quadam bona opera, & velut quasdam virtutes habere, atque exercere videntur. & quæ sequuntur. Quid ad ista Duuallius? *Docet hîc Ecclesia Lugdunensis, omnes infidelium actiones malas, immundas & inquinatas esse.* Non nescit Theologus opinionem hanc Augustini auctoritate posse stabiliri; addit tamen *esse temerariam: quia certum est, & commune tum apud Patres, tum apud scholasticos, posse ab infidelibus fieri quædam opera moraliter bona.* Dogma Lugdunense *similiter affirmari à sectariis huius temporis, Luthero art. 36. à Leone damnato, Melanchtone, Apologia Confessionis Augustanæ; Bucero l. de Concordia controuers. & Caluino l. 2. Instit. c. 3.* A nonnullis etiam Scholasticis idem affirmatum, sed non cum ea qua à sectariis præsumptione, & audacia. Propero ad alia.

Duuall. ibid.

Peccata semel remissa redire.
L. de 3. epist. c. 43.

Disputat contra certam & catholicam Rabani positionem, peccata remissa, originale ipsum Baptismi aquis obrutum, & actualia, etiam pœnitentiæ lacrymis eluta, per sequens peccatum reuocari. Quanquam ita obscurè & confusè de originali, & actualibus ante Baptismum contractis loquitur, vt malim loci huius inquisitionem in solis actualibus criminibus lustrationem consecutis insistere: ita tamen vt hæc ipsa exceptio, theologicæ scientiæ in auctore, quam quærimus tenuitatem demonstret. Hic ergo Duuallius, sententiam illam D. Thomæ, & reliquis cum eo Scholasticis esse contrariam: & scripturæ dicenti *sine pœnitentia esse dona Dei: Non punire Deum bis in idipsum:* peracta pœnitentia omnium iniquitatum deleri memoriam. Sed scriptori gratificatus, addit, redire ratione ingratitudinis, quæ illud multò grauius & culpabilius reddit, & sic exponenda esse verba Ecclesiæ Lugdunensis. Cui monito Dissertator obsecutus, id ipsum adscripsit ad marginem; qui superiores correctiones in Notis Theologi Doctoris reliquit, parum necessarias ratus iis opinionibus, quas ipse studet amplecti.

Duuall. ibid.
Rom. c. 11.
Dissertat. hîc.

Incidit in contradictiones.

Suæ præterea Theologiæ imbecillitatem prodit auctor, in crebris contradictionum laqueis, in quos incautus sese induit. Quod enim constanter affirmare non potest, id temerè, nec ex scientia effutiisse credendus est. Pauca de multis exempla profero. In regula quarta, *Bona*, inquit, *opera ita sunt ipsius creaturæ, vt sint omnino principaliter & veraciter opera creatoris, eáque & distinctè, & coniunctè, possunt intelligi.* At longè inferiùs, cùm diceret Hincmarus, Bonum quod agimus & Dei esse & nostrum: Reprehendit iste, *Nescimus quid diuisionis vel cuiusdam distributionis vnius atque eiusdem boni inter Deum atque hominem sonat, quasi ex parte sit Dei & ex parte nostrum.* In primis, aperta est sensus calumnia, vbi aduersarij thesis pessimè intelligitur, quæ pulcherrimum sensum habet obuium. Deinde, cur antea dixit opera bona distinctè intelligi posse, vt sint & nostra, & Dei, si in eadem propositione ab aduersario posita distinctionem non admittit? Neque ingerat diuisionem à se, non distinctionem reiici. Non enim vnquam in cogitationem Hincmari, aut hominis vllius venit illa diuisio, aut distributio, vt boni alicuius operis alia pars Dei sit, alia pars vniuscuiusque nostrûm. Diuisionem

L. de trib. epist. c. 3.
Opus bonū & Dei, & nostrum est.
Ibid. c. 58.

igitur ad Hincmari mentem referre debuit, vt distinctionem significet. Alibi signa duo proponit electionis & prædestinationis diuinæ, *quibus quodam velut signaculo probantur & agnoscuntur electi Dei*, videlicet *æternam diuinæ gratiæ præordinationem*: deinde, *piam ab omni iniquitate infidelitatis & prauitatis emundationem.* Quod dictum qua commissura cum aliis quibusdam coniungi possit, equidem non video. Nam reprobi ipsi, vt alibi loquitur, *possunt de malo ad bonum commutari, & de malis & prauis boni ac recti fieri.* Tunc certè ab omni iniquitate prauitatis emundantur, & tamen electi non sunt, saluari non possunt: ergo emundatio illa, non est signaculum electionis. Idem de lauacro regenerationis existima. Nam *qui verè ad Christi fidem accedunt, & vere in Baptismo eius gratia regenerantur, & verè accipiunt indulgentiam tam originalium, quàm actualium peccatorum, verè per hoc & à naturali oleastro credendi sunt excisi, id est, à perditionis & damnationis massa discreti, & in bonam oliuam inserti, id est, Ecclesiæ incorporati.* Hi tanta orationis vbertate descripti, habent profectò *piam ab omni iniquitate infidelitatis, & prauitatis emundationem:* ergo per hoc, *signaculum quo probentur, & agnoscantur electi Dei.* Et tamen, vt eodem confestim loco additur, *si deinde digna excisione commiserint, etiam post ista omnia, ab illa oliua excidentur, & cum illa damnationis & perditionis massa, à qua fuerant originalis & actualis peccati indulgentia discreti, velut cum naturali oleastro, æternæ vstioni deputabuntur:* ergo cum pia sua emundatione, non sunt electi Dei: non est igitur illa signaculum, quo agnoscantur electi. Credet fortasse aliquis, non absque similitudine veri, eiuscemodi contradictionis metu, longiùs à fide discessisse Gotteschalcum, vt fingeret, reprobis Ecclesiæ Sacramenta frustratoriè dari, neque illos per baptismum Ecclesiæ incorporari. Denique, quid enim diutiùs in salebris istis hæream? De redemptione Christi solis fidelibus oblata, illud ait *fideliter & omnino indubitanter* esse considerandum & legendum; esse *manifestè diuina auctoritate firmatum*; & hoc amplius, *manifestam fidei veritatem, & fundatissimam beatorum Patrum auctoritatem.* Idem nihilominus contrariam sententiam *pium sensum* vocat, vtique *honorandum, non abnuendum, non damnandum, piè sentiri*, & istiusmodi alia, quorum cum præcedentibus concordiam, alteri quærendam relinquo.

Ibid. c. 33.
Ibid. c. 4.
Ibid. c. 44.
Ibid. c. 20.
Ibid. c. 24.
Ibid. c. 28.
Ibid. c. 27.
Ibid. c. 24.

Imprudenter citat locos aduersario fauentes.

Videtur & aliud contradictionis genus, cùm id producis quod aduersario, quàm tibi sit vtilius; nisi illud tanquam obiectionem referas, peritè soluendam: & in hunc iudicij defectum incurrere nonnunquam animaduerto suppositum hunc Lugdunensem, vt locorum suorum expositione non parum commodet Hincmaro, malo similis aduocato, qui testes audiri velit causam clientis pessumdantes. Nam istud ex S. Leone qui legit, *Ipsa illa substantia nostra in Deitate suscepta, qua verbum caro factum est, & habitauit in nobis, quem hominum misericordia sua, nisi infidelem, reliquit exortem? & cui non communis natura cum Christo est, si assumentem recipit, & eo spiritu est regeneratus, quo est ille progenitus?* Hæc inquam qui legit, num statim ad Capitulum Hincmari mentem aduer-

Ibid. c. 16.

Hincm. Capit. 4. tit, quo dicitur. *Sicut nullus homo est, fuit, vel erit, cuius natura in illo assumpta non fuerit, ita nullus est, fuit, vel erit homo, pro quo passus non fuerit, licèt non omnes passionis eius mysterio redimantur.* Æstima, Lector, ad vtrius sententiam propiùs Leo Magnus accedat? Lugdunensis, quia monet, infidelem misericordiæ relinqui exortem; an Hincmari, cùm ait, substantiam nostram à deitate susceptam, & omnibus communem naturam esse cum Christo? Item Augustinus Prædestinationem definiens, aduersùs Hincmarum profertur. (Lib. de 3. epist. c. 36.) *Hæc est prædestinatio Sanctorum, nihil aliud quàm præscientia scilicet, & preparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur. Ceteri autem, vbi, nisi in massa perditionis iusto diuino iudicio relinquuntur?* Hunc locum Hincmarus ita sibi proprium vendicat, vt in Capituli sui confirmationem primum aduocet, quo eius verbis dixit, (Hincm. l. de prædest. c. 16.) *ceteros autem quos iustitiæ iudicio in massa perditionis reliquit, perituros præsciuit.* Vltra locum hunc nihil in Augustino contentiosius quærat Ebbo, & soluta quæstio est. Et in eo quidem (Lib. de 3. epist. c. 30.) promptiùs debet acquiescere, quòd reprobos *in massa damnationis derelinqui*, idem esse credit Theologus, quod *æternæ damnationi prædestinari*; Hoc qui putat, quid sibi hoc in articulo reliquum facit ad disceptandum? Hieronymi demum sententia de libertate arbitrij, ab Augustino laudata & propugnata producitur. (Ibid. c. 39.) *Liberi arbitrij nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur: alioquin vbi necessitas, nec corona est.* Quibus verbis, vt veteres nouique Prædestinatiani efficaciter vrgentur; ita Hincmariani Capituli pars ea mirificè confirmatur, qua scribit, (Hincm. Capit. 2.) *Et habemus liberum arbitrium ad bonum, præuentum & adiutum gratia.*

Leuis est huius Opusculi auctoritas. Hæc omnia, duobus collecta capitibus, & si quæ alia, promulside hac inuitatus Lector per otium volet addere, ad manifestam conclusionem nos rapiunt, vt leuissimum auctoritatis pondus tota in quæstione huic Opusculo deberi iudicemus: licèt in eo nihil minùs, quàm oracula legere se putent aduersarij: quæ ante has factiones non vidit istorum magister Duuallius.

CAPVT XVIII.

An, & quatenus scriptor iste faueat Gotteschalco.

Huius capitis propositio.



NON est opus Delio natatore, vt perscrutemur apertissimæ rei veritatem, venire scilicet pro Gotteschalco Gratianopolitanum, Remensis æmulum. Neque dubitanter dixit Duuallius, (Duuall. in lib. de 3. epist.) *videri Lugdunensem Ecclesiam hacce disputatione patrocinium Gotteschalci suscipere, licèt eum præsumptuosum, insolentem, & miserabilem monachum appellet.* Ex aduerso tamen constat, à patrono non infrequenter clientem deseri; quod ego sine præuaricatione fieri opinor, quia veritatis & fidei semper causa potior est. Hæc ergo distinctiùs prosequi nos oportet, & respectiuè, vt loquuntur, Opusculum hoc expendere, quà Gotteschalci causam tangit, & ad Epistolam Hincmari respondet: cùm hactenus absolutè, reperto scribentis nomine, eius animum, mores, & doctrinam spectauerimus. Trifariam porro diuidi Epistolam Hincmarianam; primam & præcipuam trium, nos ipse docuit. Prima parte, gesta Episcoporum duobus Conciliis contra Gotteschalcum narrantur; quæ ego, vlterioris distinctionis gratia, ad Rei personam pertinere dico. Secunda parte, eius doctrina in illis Conciliis discussa, & damnata proponitur: hanc igitur non iniuria, Gotteschalci doctrinam appello: & in duabus illis hoc capite subsisto: Tertia quæ opiniones Hincmari exponit, ad sequentes sectiones duas remissa; vt ostendam in quo sita sit, & quò progressa patroni huius aduocatio, tam pro Rei persona, quàm pro eius dogmatis & doctrina.

Personam Gotteschalci quantum potest tuetur. Itaque vt à prima ordiar, dubitari sanè non potest, quin magna aduersùs Gotteschalci personam commiseratione feratur Gratianopolitanus, eúmque pro virili innocentem, & iniqua passum esse conficiat. Quod cùm multis exemplis possit ostendi, tamen fastidij metu repetenda non arbitror quæ suis locis, primo huius operis libro, sunt cum misericordi isto patrono disputata, in gestis ipsius Gotteschalci, & aliorum circa illum referendis: cùm Lugdunensis ex prima parte miserabilem vocaret Monachum, ego miserandum arbitrarer ex secunda. Quæ tria huius disputationis & loci propria sunt, præstat hîc annotare. Primum, ab Ebbone nostro Hincmarum fieri actorem de iudice: quippe qui eius narrationem sic accipiat, vt quædam capita neget esse vera, alia excuset, nonnulla etiam non improbet. (*Hincmarũ tractat tanquam accusatorem.*) Retulit enim Hincmarus intempestiuam prædicationis Gotteschalcanæ materiam; vocat iste *absurdam & incongruam obiectionem*, sibi *ex parte incredibilem*, & ex coniectura sua subiicit, quid *inter fideles & Sacerdotes illarum partium monere, vel proponere potuerit.* (L. de 3. epist. c. 1.) Habet quidem hæc explicatio verisimilitudinis non parum, quia profectò sic debuit prædicare Gotteschalcus, non vt ab Hincmaro narratur. Verùm, non hîc quæritur quid debuerit, quid potuerit dicere concionator, sed quid reapse dixerit, feceritque: neque factum istud refert Hincmarus vt accusator ad iudicem, sed vt iudex, rei gestæ certus, ad amicum; aut saltem, vt historicus ad Lectorem: sibi credi postulat, non se discuti. Retulit Hincmarus flagellis in Synodo fuisse adiudicatum secundùm canones, & regulam quam professus fuerat. (Ibid. c. 24.) Hic quasi ferendum sit de re gesta iudicium, absurdum ait esse, quod priùs ab Abbatibus, quàm ab Episcopis damnatus sit: non debuisse virgis pulsari hæreticum, sed pacatè benignéque veritatem catholicam doceri: si tamen verè in Episcoporum contumelias prorupit, impiè & insanè fecisse, atque ideo iure damnandum, licèt meliùs ab aliis, quàm ab ipsis. Hæc & similia cùm memoro subit animum meum indignatio, & dubium, vtrius hac in parte maior sit audacia, clientis, an patroni? Nam ille cùm suæ cuti præsens periculum imminere videret, in desperationem incidit, cui ex mali magnitudine furor iráque successit: quibus perturbationibus occupatus animus iam impos sui, &,

quod ait Hincmarus, arreptitio similis, in impias & insanas voces erupit, quibus superiores subditus, iudices reus, Episcopos Monachus indignissimè tractauit. Ac sibi deinde redditus, scelus sum silentio saltem confessus est, cùm querelam de virgis nullam ab eo factam audiamus. Hic autem, sedato animo rem in Concilio iudicatam retractat, Episcopos tredecim iudices legitimos, eorúmque sententiam iuridicè latam, *irreligiositatis & crudelitatis* condemnat, *flagris & cædibus trucidatum* clamat, *longam & inhumanam in ergastulum damnationem* reprehendit. Hoc non est in contumelias Episcoporum, & Synodi prorumpere, quod flagellatum est in Gotteschalco? *Homo quis te constituit iudicem*, vt, tanquam apud tribunal tuum agatur causa Synodi, sic pronuncies? Nam hoc secundum est quod annoto, personam iudicis assumere te, & inaudita post natam Ecclesiam apud catholicos præsumptione, catholicæ Synodi iudicium vnum hominem, nulla in pares potestate præditum, nullius aduocatum rogatu, retractare, refigere, condemnare. Nam Hincmarus ad Ecclesias scribens, consilium de dogmatis petiit, non sententiam de gestis: & si petiisset, sibi vni, non Synodo & fratribus Episcopis rogasset: & si toti Synodo rogasset, non à singulis Ecclesiis, sed à pluribus in Concilium coactis accepisset: cùm hic sit canon Ecclesiasticus, acta Concilij vnius non posse nisi à maiore & pleniore Concilio recognosci. Quo tu igitur iure, quo exemplo, vnus homo, alienæ Ecclesiæ nomen ementitus, in causa tibi incognita, in legitimam Synodum tam ferociter insurgis, vt latam in proprium subditum, visum, auditum, examinatum sententiam *crudelem, inhumanam, religiosam*, imò, impiam, & sacrilegam, vtpote, qua *non ille miserabilis, sed Ecclesiastica veritas damnata*, &, *diuinis rebus illata sit iniuria*, vocare non verearis?

Ibid. c. 25.

Facit se causa iudicem.

Causam dixi incognitam, quod tertium obseruo, vt egregius hic iudex, de ignotis & obscuris non nisi temerè & absurdè pronunciare potuerit. Cùm Gotteschalcus in Italia peregrinaretur à veritate, apud Eberardum Comitem, quid tum doceret scripsit Rabanus; Rabani scriptum vidit hic Epistolarius, neque vnquam statum quæstionis ab illo disputatæ cognouit, vt alio capite ostendimus. In Concilio Carisiacensi cùm de suspectis articulis interrogaretur, essétque falsi conuictus, atque in singulorum iudicum contumelias prorupisset, *propter impudentissimam insolentiam suam, dignus flagello adiudicatus est.* Hoc supplicium, & eius causam Ecclesiis perscribit Hincmarus: scriptum nouit & describit Epistolarius; arguit tamen diuinis rebus illatam iniuriam; damnatum esse propter opiniones & sensus qui non essent sui, sed Ecclesiastici, proscriptam in illo Ecclesiasticam veritatem; id est, flagellatum esse ob propositiones assertas quæ crederentur erroneæ, cùm reuera essent catholicæ. Ita in quæstione iuris statum aliò traducit. Executionem porrò sententiæ tam certa hypotyposi oculis subiicit, *sicut*, inquit, *narrauerunt nobis qui præsentes aderant*, nihil vt funestius acerbiúsque decerni posse videatur; & id vult credi testimonio eorum qui se præsentes fuisse dicerent; impudentiam Gotteschalci ab vno iudicum narratam vix credit, & nunquam sine dubio proponit. *Quod dicitur in contumelias prorupisse: Prauitas quæ videbatur hominis, fuit coërcenda: Illi quidem propter intemperantiam, & importunitatem, atque infrunitatem linguæ suæ, meritò forsitan accidit.* Cur eorum quæ dicuntur à iudice fidem eleuat; quæ narrantur ab aliis iniuratis, extra iudicij religionem, habet pro certissimis? Sic in Gotteschalci dogmatibus, cùm vnicum erroneum fateatur ille, & blasphemum, aliquando dubitat, sit-ne verè ab illo assertum. *Quod verò dixisse firmatur, si verè ita sensit & dixit: Si iste tam absurdè & insipienter errauit.* Aliàs incredibile sic iudicat, vt Hincmarum in magna imposturæ & calumniæ suspicione relinquat. *Quantùm nobis videtur etiam incredibile est: Vt etiam de isto, hoc nobis incredibile videatur.* At ab ipsius Gotteschalci ore profectum audiuit Hincmarus, certò ab illo prolatum scribit Hincmarus in causa iudex, & personæ Metropolitanus. Tu, qui Gotteschalcus ater an albus sit, non potes dicere; qui docentem nunquam audisti scriptor Subalpinus; qui Carisiacæ Synodo non interfuisti, Moguntiam forte nunquam intrasti, qua temeritate & audacia, iudices post cognitionem causæ, in calumniæ suspicionem aduocas? Miserabilem igitur epilogum miserabilis Monachi virgindemiæ flebiliter impensum, ad Conciliorum duorum damnationem, & infamiam iudicum, facti & æquitatis ignarus conuertere non debuisti. Et hæc de persona Gotteschalci; ad doctrinam accedamus.

De rebus ignotis temerè iudicat.

Ibid. c. 24.

Ibid. c. 25.

§. VNICVS.

Circa doctrinam Gotteschalci qua ratione se gerat.

AC ne mutata methodo, fiat obscurior disputatio, ex quæstione iuris & facti, aduocationem patroni expendo. Siquidem de famosis articulis quatuor, duos iure optimo assertos à cliente multis disputat; non omnes videlicet, sed multos, fideles, electos, à Deo vocari ad fidem, & à Christo redemptos esse. Vnum, de libero arbitrio ad bonum, per Adami transgressionem penitus perdito & mortuo, negat à Gotteschalco prolatum. Negat inquam, nam hypotheses illæ, *Si vere dixit, si errauit; de isto incredibile videtur*, quid sunt aliud quàm puta puta facti inficiatio? In quarto autem media via incedit, vt geminæ prædestinationis nomen, & rem quæ catholicè intelligitur, acerrimè defendat; quasi tantùm in clientis doctrina reprehensam à Conciliis. Prædestinationem verò impiorum, quæ necessitatem peccati & interitus illis imponat, qui blasphemus est geminæ prædestinationis sensus, penitus execratur, cúmque nec elicit, nec probat, sed vt certum supponit, à Gotteschalco non doceri. Sic vna in parte tacitè factum negat, in alia tuetur æquitatem. Verùm inquies, si vbi factum negat, nullis argumentis status coniecturalis probat iure à se negari, quomodo reum defendit? qui sciam quantùm recedat ab erroribus Gotteschalci, aut ad eos accedat? vnde intelligam in quo Gotteschalcus errauerit? Non quærimus hoc loco, Lector, qui fuerint errores Gotteschalci, quod satis superque superiore libro monstratum est: sed quæ scri-

In quibus cum doctrina Gotteschalci conueniat, aut ab ea dissentiat vniuersè.

proris istius sensa, quantùm cum Gotteschalco conuenientia, vel pugnantia? In hoc morari me cogit capitis huius inscriptio, quatenus faueat Gotteschalco, eius probanda improbanda-ve doctrina? Quod verbis duobus proditum putaui. Nam vbi factum negat, profectò rem improbat, ea si placuit Gotteschalco, apertè deseritur: vbi pugnat pro æquitate, rem amplectitur, & paria facit cum Gotteschalco. Hæc vniuersè; si quid distinctius desideras, paucis accipe; modò simul ad Gotteschalci dogmata reflectas oculos, quorum repetitio & prolixitatem pareret, & fastidium.

Notati sigillatim errores à quibus dissentit.

L. de 3. epist. c. 3. reg. 4.

Quod in Prædestinatianorum placitis vidimus, hic catholico animo vt horribile & blasphemum abominatur, dici Deum auctorem & prædestinatorem malorum siue peccatorum. *Quia ita est ille certissimè præscius omnium futurorum, & bonorum scilicet & malorum, vt nunquam esse possit prædestinator, sicut nec auctor malorum.* Quare necessarium est dicere, ipsos reprobos sic à Deo præsciri, & prædestinari damnandos, *vt ex ipsa certa præscientia, & iusta prædestinatione sua nulli necessitatem imposuerit vt malus esset, & aliud esse non posset.* Sic enim eos malos esse cogeret, *quod quàm horrenda sit blasphemia dicere, vel cogitare, omnis pius fidelis intelligit.* Et in Epistolæ tertiæ refutatione, sensum illum à Rabano, tanquam errorem Gotteschalci traditum, studiosissimè reiicit, & qui prædestinationis ad interitum vocabulo, necessitatem malè agendi cuiquam impositam esse significari putant, eos instruendos ait, & breuiter docendos, *quòd Deus neminem prædestinauerit ad peccatum, sed ad luendum supplicium pro peccato.* Ex quibus manifestum est, hac in materia, quantùm absit à fatali Prædestinatianorum necessitate, quam in Gotteschalco monstrauimus: quantùmque in parte reproborum, Prædestinationem absolutam & antecedentem existimari horreat, vt aliud quàm mali esse non possint. Verùm si quis cum Hincmaro, quærat ex eo, qui sunt prædestinati ad interitum qui velut finis est, num eadem ratione prædestinati sint ad peccatum, quod est quasi medium? an ita liberè pereant, vt possint non perire; ita liberè peccent vt possint non peccare? Nihil certi respondebit; cùm reprobos aliquando dicat, vt vidimus, aliud esse posse, de malo ad bonum posse commutari, hoc est, vt interpretor, vitare peccata & saluari: aliàs eosdem propter obstinationem perire, *& nullatenus posse saluari:* Et Hincmarum reprehendit, quòd existimet *vasa iræ & contumeliæ, id est, reprobos diuino iudicio & reprobatos, posse effici vasa misericordiæ, & gloriæ, id est, in sortem electorum transire.* Peccatum quidem semper addit & indurationem, sed de hoc ipso peccato, & in eo perseuerantia quæritur, sint-ne hæc prædestinata? & antecedentis consequentísque necessitatis distinctio, in illorum doctorum theologiam nondum penetrauerat.

Ibid. c. 4. reg. 5.

Ibid. c. 8. 29. 30. & passim.

Certò non docet, an reprobi possint non peccare.

Ibid. c. 6. reg. 7.

Ibid. c. 33.

Docet electos non liberè saluari.

Fluctuat igitur hoc in articulo incertus, sed in alium scopulum impingit incautus, meo iudicio, & imprudens, qui sua profunditate plerosque fefellit. Nam cùm multùm sudet, vt reprobos neget prædestinari ad peccatum, quòd illud à diuina bonitate sit remotissimum; de bonis & electis si quis roget, ad bonum, & ad perseuerantiam in bono, sint-ne ad hæc ita prædestinati, vt aliud esse non possint? Vix apertè ad hanc partem cum alia propositam respondet, vt silentium illud affirmationis vices subire possit. Verùm hoc loco qui postremus notatur, textum Apostoli de vasis iræ & misericordiæ tractans, de prioribus expresiè monet, suo præcedente merito, & iusto prædestinationis iudicio item præcedente, non quia non potuerunt, sed quia noluerunt, de malo conuerti ad bonum, iustum passuros supplicium. De posterioribus autem, omissa liberæ voluntatis mentione, & operum bonorum merito, docet eos sola prædestinatione saluari. *Sicut è contrario verè vasa misericordiæ sunt omnes electi, qui nullo suo præcedente merito; sed sola Dei misericordia à massa perditionis discreti, diuina prædestinatione sunt vasa preparata in gloriam.* Et clariùs hac de quæstione mentem suam aperit in Epistolæ tertiæ responsione, vbi Rabano hæreticos arguente, quòd asserant, prædestinatos ad vitam perire non posse, prædestinatos ad mortem nullo modo posse ad vitam assurgere, hic de priori assertionis parte *certissimam veritatem* ait esse, *quam omnes fideles credunt, & confitentur, quòd bonitas, & gratia diuina prædestinationis faciat, vt ex his qui prædestinati sunt ad vitam æternam nemo possit incidere in mortem æternam. Hanc enim perseuerantiæ stabilitatem, & firmitatem in bono, ab eo acceperunt, qui rogauit, & rogat pro eis, ne deficiat fides ipsorum.* De reprobis addit ex aduerso, non hoc agere in illis diuinam prædestinationem, vt saluari non possint per conuersionem ad Deum, *quasi omnipotens Deus (quod absit) sua prædestinatione eis imposuerit necessitatem malè agendi, & in suis malis perseuerandi.* hoc inquit nullus fidelium dicit. *Quia auctorem operum, & meritorum malorum, Deum esse non credit.* Euidentissimè igitur ex posteriori assertionis parte de reprobis, intelligimus de electis in priori parte quid sentiat. Non agit in reprobis Dei prædestinatio, vt non possint saluari: quia Deus ex eo quòd non est auctor operum malorum, non cogit eos malè agere, & in malis perseuerare: Ergo, secundùm contrariorum regulam, Diuina prædestinatio agit in electis, vt non possint damnari, quia Deus, ex eo quòd est auctor operum bonorum, cogit eos benè agere, & in bono perseuerare. Vnde sequitur vi prædestinationis diuinæ non esse æquam vtrisque finis sui parandi libertatem: sed reprobos liberrimè damnari, electos vi electionis necessariò saluari: antecedenter inquam, & absolutè, hoc enim disputatio nostra semper intelligit, quia hoc bonitati & gratiæ diuinæ consentaneum est. At hæc opinio merè Prædestinatiana est & Gotteschalcana, & ex *certissima veritate* catholica, dixit contrà, sensitque Rabanus hic impugnatus, ex æquo in vtranque partem non facere prædestinationem, quantumlibet gratuitam, vt electi non possint perire; aut vt derelicti non possint saluari: sed in vtrorumque liberrima voluntate, non deficientibus gratiæ auxiliis, esse positum salutem suam operari, licèt electi certissimè victuri sint, quia certissimè & liberrimè nullo cogente, oblatis à Deo præsidiis vtentur: reprobi & deserti certissimè morituri sint, quia certissimè & liberrimè paratas sibi gratias repudiabunt. Stet integra vtrobique libertas, neque gratuita Dei bonitas, vel eius iustitiam,

Ibid. c. 32.

Ibid. c. 41.

Incidit in errorem Gotteschalci.

vel hominis meritum extinguat; Nam, vt paulò ante discursum hunc, ex Hieronymo per Augustinum laudato, citabat Ebbo noster, *vbi necessitas, nec corona est*: vbi corona non est, nec agonem compensans iustitia. Ergó-ne diuinarum virtutum rectissima, cælo in æternum exclusa, nihil nisi rotas & sartagines, & viuicomburia aget apud inferos? Est enim obseruandum maximè, in istis auctoribus Dei iustitiam, nisi in malorum cruciatibus, nunquam verò in piorum gaudiis nominari. Adeo malè de iustitia misericordiæ prætextu merentur; neque vnquam voluerunt acuti Theologi, gratuitam electionem, cum futura voluntatis humanæ libertate; aut præuenientem cooperantémque gratiam, cum humanæ operationis labore coniungere; licèt vnanimi scripturarum Patrúmque omnium consensu, cogantur aliquando vtrunque simul appellare; vt hic ipse cùm ait, *fideles Christi sanguine redemptos, eadem gratia per quam semel illuminati sunt semper cooperante, & auxiliante, operari opera bona, non ex seipsis, neque ex viribus propriis, sed ex illo cuius spiritu aguntur*. Quàm id tamen parcè dicat & timidè, antea vidimus. Itaque Gotteschalcum in ista prædestinationis ad vitam necessitate agnoscimus.

Ibid. c. 39.

Iustitiam Dei non laudat in piorũ mercede.

Ibid. c. 23.

Sed eum non totum. Cùm enim in ea liberi arbitrij peremptionem ad bonum, inuolui suo loco monstratum sit, hic pro illius restaurati conseruatione, quid non dicit, superiùs sæpe prolatum, cùm hunc vnum illius errorem, & horrendam blasphemiam, licèt inuitus, fateatur? Cùm ex eo sequi bonorum operum contemptionem, eodem loco probatum sit; hîc illa electis prodesse, & sine dubio ad salutem deducere affirmat. *Recta autem fides, & bona operatio, absit vt quisquam fidelium dicat, quia nihil prosunt: verè etenim prosunt, & verè hominem saluant, si eis adiungatur perseuerantia.* Quanquam omnino quæstioni non satisfacit: quid enim fideles dicant, & ipse cum fidelibus non quæritur; sed quid Gotteschalcus cum Prædestinatianis. Illos autem in absoluta & antecedente ad vitam prædestinatione, bonarum actionum neglectum inuenisse scimus: dum clamarent, *Si te Deus dignabitur, sanctus eris: Si Deus noluerit, nunquam corrues: Quod eos voluit esse qui condidit, aliud esse non possunt.* Ac licèt id euidenter non profiterentur, ex illa tamen prædestinatione, vt necessaria consecutio profluit, & ita Rabanus proponit. Itaque duo dicit apertè Rabanus, à Prædestinatianis bonorum operum contemptum induci, & id ex eorum doctrina consequi: tertium autem indicat, hæreticos esse, & eorum propositionem erroneam. Ebbo autem Prædestinatianorum patronus, & Rabani confutator, priora duo ne tangit quidem, cùm monstrare deberet, nec istud ab eis affirmari, nec ex eorum doctrina deduci: in tertio autem cum Rabano facit, assertionem damnando, & eam à *fidelibus* remouendo, quod est, eius assertores vocare infideles, quos *vaniloquos & hæreticos* putat Rabanus. Tanti refert, vel hoc exemplo, ad verum quæstionis statum adhærescere!

ErroresGotteschalci temperare videtur.

Ibid. c. 46.

In alio articulo versatur feliciùs, & pleniùs Gotteschalcum deserit, vbi docet eos *qui verè ad Christi fidem accedunt, verè in baptismo eius gratia regenerari, & in bonam oliuam inseri, id est, Ecclesiæ incorporari*. Contraria quidem sentiebat Gotteschalcus apud Amolonem, eos *qui ex numero fidelium pereunt*, quamuis baptismi & Eucharistiæ participes fierent, *Christo tamen & Ecclesiæ non incorporari, neque vnquam esse, aut fuisse Christianos*. Sed illud cum ceteris eius placitis non ita cohærebat, vt ab illorum aliquo penderet, aut vniuersè colligeretur ex doctrina: neque vt conclusionem, sed vt absolutam propositionem, in Gotteschalci scriptis inuentam retulit Amolo; cuius neque meminit Rabanus. Sed quod mirabilius est, illam Gratianopolitanus haurit ex Rabani doctrina Gotteschalcum impugnantis, & dum hostem confodere conatur, clientem iugulat. Est enim Rabani sententia vera & legitima, Reprobos, etiamsi per baptismum regenerentur & iustificentur, nunquam tamen electos fieri, nec ab æterna damnatione discerni. Contrà disputat scriptor noster, omnes in Christi morte baptizatos, ac proinde veram innouationem, & veram mundationem ab originali labe consecutos, eo ipso à damnationis & perditionis massa discretos, & Ecclesiæ incorporatos esse. Credit ergo pugnantia loqui Rabanum, qui asserat, quemlibet veraciter renatum atque expiatum, post veram peccati originalis remissionem, in massa tamen originalis peccati remanere, qui tamen inde eiusdem peccati remissione probatur esse discretus. Qua ex ratione Epistolarij, sequitur vlteriùs, debuisse Rabanum dicere, illos nec renasci per baptismum, nec iustificari, quod in Prædestinatianis olim reprehendebat Faustus Reiensis; Nec eosdem verè incorporari Ecclesiæ, secundùm dogma Gotteschalci. Hoc autem Ebbo cùm iure improbet, tam facile nobis est Rabanum eius argumento expedire, quàm certum eo implicari Gotteschalcum. Nam illud distinctè pronuntiat hæreticus: ex Rabano autem, non nisi per calumniam, & insulsam dissertationem potest educi. Non est enim, quod Ebbo videtur opinari, eadem damnationis massa, cum originali reatu: sed licet in iis causæ & effectus rationem distinguere; atque alterum altero tenacius, & communius est. Nam hoc reatu soluuntur plurimi, quos massa detinet: hac, electio æterna eximit, nunquam deinde immergendos; illo, temporalis baptismus, aut quid ei respondens liberat, iterũ in eius effectum prolapsuros. Electionis igitur effectus est, educi è massa; vocationis siue iustificationis, solui reatu originali. *Multi autem vocati, pauci electi*: ergo non omnes iustificati, electi; licèt electi omnes iustificentur. Vnde conficitur incorporari Ecclesiæ plurimos, quibus aliquando dicet caput Ecclesiæ, *Nescio vos; discedite à me operarij iniquitatis*. Quis igitur credat, semel in æterna Dei præscientia, &, vt addit aduersarius iste Rabani, in prædestinatione reproborum, atque in massa perditionis relictum hominem, vnquam in tempore fieri posse electum? nonne secundùm ipsius regulam certissimam, *vtrunque apud illum æternum, vtrunque immutabile est, cùm de omnibus omnino rebus, tam bonis quàm malis quæ fiunt in mundo, æternaliter ante mundum & præsciendo certa sit eius præscientia, & indicando fixa sententia?* Sensit ergo Rabanus verissimè, reprobum baptizatum nunquam fieri electum; & eum

Rabanum malè refellit.

Ibid. c. 44.

Amolo Epist. ad Gottesc. n. 3.

Massa damnationis, & reatus peccati originalis diuersa sunt.

L. de 3. epist. c. 2. reg. 1.

tum qui præscitus est periturus, nunquam ab æterna damnatione discerni. Quàm autem absurdè dicit Ebbo, & falsò, regularum suarum immemor, miseros illiusmodi in Baptismo electos fieri, & per Ecclesiæ incorporationem, discretos; ac nihilominus criminibus nouis succedentibus, inter reprobos, & derelictos, etiam cum illa sua electione, & discretione temporanea, æternæ vstioni deputari? Sunt hæc à contradictione libera? Et, quo magis intricatur, fatetur illos à Patribus dici, nunquam à massa perditionis discretos esse; & hoc ad Dei præscientiam pertinere; qui licèt in Ecclesia, vnà cum electis stantes modò videat, separandos tamen ad extremum præscit, vt malos de medio iustorum. Hæc enim expositio & confessio, & totam euertit præcedentem eius disputationem, & Rabani dictum confirmat, hos homines licèt iustificati sint, ab eo tamen qui perituros præsciuit, non esse prædestinatos ad vitam.

Contradictio auctoris.

In quibus apertè faciat pro Gotteschalco.

Hæc de prædestinatione paulùm subtiliora, in quibus non satis constanter secum cohæret. Superest tenuis illa, & exilis vocabuli quæstio, quam multis vrget, & in producendis auctorum locis gloriosè triumphat, sit-ne gemina prædestinatio dicenda? sint-ne reprobi ad mortem præsciti, etiam ad eam prædestinati? In qua sine dubio fauet Gotteschalco, cùm illud verbi nisi inuitus & restitans, non admittat Hincmarus: Rabanus autem illi traditioni assentire non acquiescat. Maioris sunt momenti postremæ quæstiones duæ, de vocatione, & redemptione omnium; in quibus multùm laborat, vt oppositam Hincmaro, & Gotteschalci animo arridentem partem, quibus potest rationibus stabiliat, quæ sunt à nobis inferiùs expendendæ. Possum addere, gloriosiùs etiam, quàm æquiùs in opinionibus suis Augustini auctoritatem ostentare, cum infinito aduersariorum contemptu & calumnia, quæ Gotteschalco, & Gotteschalcanis omnibus communis est arrogantia. *Iam*, inquit, *eius auctoritas hac de re à nonnullis publicè contemnitur, & conculcatur. Ita vt, quia ipse se in quibusdam scriptis suis piè atque humiliter reprehendit, & corrigit; putent se, vbi eis visum fuerit, licenter eum posse reprehendere; & quod ille fecit ad exemplum humilitatis, ipsi vsurpare non erubescant ad tumorem præsumptionis.* Et iterum. *Quòd si scriptor Epistolæ* (Hincmarus) *eos tantummodò putat orthodoxos, qui in damnatione reproborum diuinam solummodo præscientiam, & non etiam prædestinationem credunt; ergo & Beatum Augustinum, & B. Fulgentium, & ipsam fidei Ecclesiasticæ solidissimam veritatem, hæretici erroris denotatione infamat. Et ad tantum malum hac pertinacia contentionis perducta est, vt (quod nemo dignè dolere potest) iam apud illos qui prauè sentiunt, orthodoxi; & qui orthodoxè sapiunt, hæretici deputentur.* Et eiusmodi alia, quibus aures nostræ his temporibus occalluerunt. Placet & in eo scriptoris videre modestiam, quod mihi iure reprehensum videtur in Hincmaro? Augustinum ait Remensis, in libris Hypomnesticon suam de prædestinatione reproborum ita mentem explicuisse, vt non illos intelligat prædestinatos ad pœnas, sed pœnas tantùm illis esse prædestinatas. De re non disputat Ebbo, quam antea in eundé sensum incidere probauit: sed de

Ibid. c. 8. 9.

Ibid. c. 8.

Ibid. c. 19.

Ibid. c. 35.

Ibid. c. 30.

Augustini explicatione, cui ait *absurdissimum & inconuenientissimum sensum* imponi. *Quis vnquam audiuit tam pertinacem audaciam, vel tam audacem pertinaciam, vt sanctissimum & veracissimum Doctorem, ipsum de se fateri compellat*, &c. *Quis talem absurditatem, imò insaniam ferre possit?* Sic in Archiepiscopum præfatur Episcopus, libros Hypognosticon ab Augustino scriptos non esse probaturus.

Confertur cum Dissertatore.

Sed hæc hactenus, quando spicilegium aliis relinquendum est. Erit autem qui confecto huius capitis penso, aliquem pro coronide indicari postulet, cui scriptorem nostrum similem faciamus: quemadmodum in superioribus, Lugdunensem qui Florus dicitur, & Seruatum Lupum Ferrariensem produximus. Equidé de veteribus quem ita conferam, habeo neminem: est verò ad manum recentissimus Præses Monetalis Dissertator, quem sentio in plerisque cum illo ita conuenire, vt ouum ouo, aqua aquæ non sit similior, non tamen sine conditionibus, vt aiunt, indiuiduantibus. Nam Ebbo Hincmari odio Gotteschalcum sequitur & tegit; Dissertator amore Gotteschalci trucidat Hincmarum. Ille actorem reddit Hincmarum, hic reum. Ille leuitatem, temeritatem, infrunitatem Gotteschalci non diffitetur: hic innocentem vndecunque clamat, Hincmarum autem quotquot eo vixerunt seculo nequissimum, crudelissimum, odium Dei & hominum. Gratianopolitanus de ignotis temerè iudicat, Dissertator etiam inaudita fingit & diuinat: ille præsentes in Concilio iudices accusat; hic Concilium damnat & pseudosynodum vncialibus litteris inscribit. Ebbo multa peccat in statu quæstionis, ceterisque Theologiæ suæ membris, sciens, an incautus? ipse viderit: Dissertator, vt verbo vno complectar omnia, de rebus sacris tractat laïcus, impeditissimas & subtilissimas quæstiones, quæ clarorum Theologorum ingenia semper exercuerunt, enodare confidit vir in causis Monetalibus occupatus, Theologus αὐτοδίδακτος, adeo perspicax in hac controuersia, vt Spiritum sanctum Gotteschalco supernè imminentem viderit, & pingat in tabula. Ceterùm sibi vterque, suisque partibus ita vendicat Augustinum, vt ab aliis deseri & contemni calumnietur: hæreses in Gotteschalco, & Prædestinatianis damnatas, quibus illi, probatissimorum testium relatione, fuisse infecti ab eruditis & catholicis viris meritò crediti sunt, quia neque dissimulare possunt ambo, neque blasphemias audent tueri, simpliciter negant ab eis assertas fuisse, plúsque sibi fidei deberi volunt, absentibus & diffitis, quàm testibus & iudicibus oculatis: opiniones suas pro antiquis habent, & catholicis, aduersarias pro hæreticis, & Pelagianis. Nouitatis autem & erroris accusati, aiunt contentiosos esse qui sic disputent: citra omnes illas altercationes studendum paci; pacem loquuntur armati, concordiam optant lædentes, caritatem postulant vulnerantes. Denique, nisi Gotteschalci turbo esset excitatus, Petri nauicula tranquilliore pelago tum seculo nono, tum isto quo viuimus, veheretur.

CAPVT XIX.

Quomodo idem auctor de quæstionibus controuersis cum Hincmaro disputet. Ac primùm, Septem regulas ab eo traditas quo iure Hincmarus repudiet.

Eorum quæ tractanda superfunt, dispositio.

QVæ duæ partes in Archiepiscopi Remensis Epistola Gotteschalcum describunt, proscribúntque, eas ambas ex superioribus omnibus facile est habere quàm notissimas: tertia, eáque postrema, disceptatrix est, qua Theologorum in Regno Caroli benè sentientium opiniones refert & confirmat. Incipit illa c. 26. ex illis verbis: *Dicunt & firmiter credunt, qui saniùs apud nos sapere videntur.* Atque in referendis opinionibus, non seruat quem sibi præscripsit ordinem, sed orsus à Dei ad fidem vocatione, illam ad omnes penitus homines propagari, vt & Christi redemptionem disputat; iis gradibus ad Prædestinationem ascensurus. Ac Epistolarius scribentis vestigia consectatus, eadem quæ antè in clientis sui dogmatis, tractare cogitur, non eodem tamen modo: quia cùm illa priùs in eiusdem Gotteschalci gratiam stabilire conatus esset, modò rationes ab auctore oppositas refellere nititur. Itaque quanquam infiniti tædij est, & otiosissimi laboris, refellentem refellere, multis prætermissis vt aliqua tantùm delibem, ad operis vestibulum regredior, & septem in eo regulas meditor, quibus in patentissimum Prædestinationis geminæ campum ingressus est auctor; in aliis deinde stationibus nonnihil moræ non inutiliter positurus. Et quoniam veritas, quam supra trecentos Socratas æstimare semper æquum est, non omnia Remensi hac in parte tribuit, videndum in primis, de iis regulis quid scribat iracundiùs, tot æmulorum petitionibus irritatus.

Hincmari iudicium de 7. regulis. L. de præd. c. 31.

Sed & in præfata Synodo (in scriptis Valentinæ Synodi capitibus, quæ Rex Carolus ipsi dederat) *in quaterniunculis vnius consacerdotis nostri* (Ebbonis, vt ibi significat,) *septem subiunctas inuenimus, non veritate, sed nomine regulas: quia non fidei, sicut ibidem scriptum reperimus, regulæ; sed ad infidelitatem simplicibus protensa sunt retiacula.* His verbis notat Dissertator, *impudentissimè regulas illas infamari.* Si quid Remensis asperius dixit in regulas, quanto modestiorem putas illa voce censorem? Atque post notatum illarum initium, ne quid alienum afferre videatur, & vt se auctor in ipsis recognoscat, subiicit. *Et sic per septem illas non veras regulas, sed fictas reculas, sicut solent fortiaria facere, ad ora vasculi mella, & in inferioribus partibus venena supponere, orthodoxorum verba detruncata præponens, ad hanc summam intellectus sui deducit sententiam, vt sicut electi ad vitam, ita & reprobi à Deo prædestinentur ad mortem: & secundùm præscientiam suam Deus damnauerit, quos in iniquitate & impietate perseueraturos præsciuerit, eosdémque perituros prædestinauerit.* Hoc est, positiuo decreto perire voluerit, vt aliud esse antecedenter & absolutè loquendo non possint. Quatuor dicit Hincmarus fideliter distinguenda: regulas illas esse mella, id est bonas, si solitariæ spectentur; sed illis venenum contegi, siue, prauas opiniones & errores ex iis deduci, quibus in fraudem inducantur simpliciores eò quidem periculosiùs, quòd pulchris verbis, sed mysticis, & toti sectæ probè intellectis, imperitos & rudes decipere pronum est. Id autem ex eo fieri, quòd truncatis, & sic corruptis sanctorum Patrum locis abutitur, vt quod proposuit cum aliqua similitudine veri efficiat. Efficere porro conari, reprobos absolutè & positiuè sic prædestinari ad mortem, vt omnino saluari non possint: quæ hæresis duobus Conciliis in Gotteschalco damnata est. Hactenus non malè Hincmarus, qui si hac in vniuersali propositione stetisset, *impudentiæ* non poterat meritò accusari, nisi monstraretur euidenter, aut regulas plenè perfectéque, absque vlla locorum imminutione, libris auctorum contineri: aut ex iis ita propositis, nullum errorem deriuari, siue id quod error esse creditur, inde non prodeat, siue quod ex iis emanat, error non esse comprobetur.

Dissert. c. 27.

Singulas contemnit, & reiicit.

Verùm si seorsim & abductas à libris è quibus excerptæ sunt, & à conclusionibus quas parere dicuntur, consideramus, verendum est ne vel ingenio suo, vel iracundiæ plus iusto Hincmarus indulgeat, & ab animis sedatioribus vltra metas æquitatis prosilire censeatur. Singulas enim magno prosequutus contemptu, non satis, vt videtur, consultè, *in totum, & per totum* repudiat: nisi quid aliud in priori de Prædestinatione opere vidit, quod modò nos lateat. *De quibus*, inquit, *superfluum duximus scribere, quia primam, & secundam, ac tertiam, siue quartam aranearum telas, quasi specialiùs S. Augustinus in libro de Correptione & Gratia, & in libro de Bono perseuerantiæ, & S. Prosper contra Ianuenses, nullius momenti esse demonstrant. Quintam verò neniarum, & septimam regulam, B. Augustinus contra veteres Prædestinatianos, in libro de Prædestinatione sanctorum, & S. Gregorius in libro vicesimo quinto Moralium Iob, in totum & per totum annihilant. Sextam, vt dicitur, sicut fumum pultium, B. Augustinus inter cetera in libris de Gratia & libero arbitrio, & de Bono perseuerantiæ, de Prædestinatione gratiæ, & ad Sixtum Presbyterum, exsufflat, & penitus facit non parere.* Et quasi rationem tacitis omnium iudiciis poscentibus adferat, cur ab ea disputatione manum abducat, quæ tamen in hac eius vexatione contemnenda non erat; id à se iam antea fusè tractatum admonet, neque vanis repetitionibus onerandas esse membranas. *Et nostra mediocritas in tribus istum præcedentibus libellis, & in isto, commemoratis Sanctorum Patrum auctoritatibus hæc figmenta falsissima esse monstrauit. Et quæ vera sunt de Præscientia & Prædestinatione Dei & illic, & isthic, ex Patrum catholicorum sensibus, sufficienter collegimus: adeo vt qui veritatem desiderat, ei collectio tanta sufficiat.*

Hincm. ibid.

Iudicium Dissertatoris aduersus Hincmarũ reprehenditur.

His omnibus recitatis iudicium suum ita subiicit Dissertator. *Quis tantam temeritatem & superbiam, non miretur & æquo animo ferat? imò quid iniquius, quid insanius fingi potest?* Satis

breuiter quidem & præproperè. Nam cur tibi *temerarius & superbus* dicitur Hincmarus, si tribus anterioribus libris, quos neque tuis vnquam, neque vllius hominis oculis legisti, verè & fideliter *hæc figmenta falsissima esse monstrauit?* In procuranda Gotteschalci defensione vbicunque vel tenuissimum apparet, etiam in Hincmaro, vestigium, vnde conclamati hæretici innocentiam possis olfacere, passis vlnis amplecti soles, & admirabilia quædam diuinare, quæ taceantur ab aduersario. Hîc autem ecce clamat Hincmarus ad Regis aures, audituris, visuris, lecturis amicis, æmulis, indifferentibus, ista cum illis, posteriora cum prioribus, libros tres, cum libro hoc singulari accuratè & animosè collaturis, ea scripsisse se antea, quibus septem illæ regulæ confutentur, & *nihil ipso iniquius, nihil insanius fingi posse* iudicas? Et quoniam vt aduocatus in hac causa versaris, non vt iudex, ne spera conuicia in sacrum caput plenis manibus iactanti tibi, creditum iri, quæ nullo argumento, nullo teste probaueris. Dic igitur, patrone Gotteschalci, vnde porro habes *insanum, iniquum, temerarium, superbum, nequam,* (duabus enim lineis hæc omnia lego) adde & *impudentissimum*, vt antè appellasti, hoc loco esse Remensem Metropolitanum, qui nunc non ostendit, quod antea se tribus libris monstrasse profitetur? *Hominis nequitia modò perspecta fiet*, inquis. Vbi? quando? quibus rationibus? cur alibi? cur non hîc? Quo alio totius operis iniuriosi capite locum istum tractas? quo in angulo, quo in triuio Synopseos & Dissertationis, probas regularum istarum falsitatem in priori opere de Prædestinatione non esse monstratam? Ego igitur hoc aio, prudentiùs in re obscurissima sustineri iudicium, & iusta in meliorem partem propensione, existimari, Lugdunensem à Remensi nimis iracundè, Hincmarum à Dissertatore perquàm iniustè reprehendi: ius suum vtrique posse seruari, spectatis regulis vel absolutè, & extra contentionem, qua ratione certum est admitti debere; vel relatiuè ad controuersiam disputatam, & consecutiones quæ perperam ex eis sunt eductæ ab aduersario; atque item ad Patrum dicta, quibus non satis fideliter confirmatæ dicuntur. Atque hic omnino Hincmari sensus est, qui & *mella* vocauit; bonas igitur per se se; & *venena supposita*, siue, *simplicibus protensa retiacula*; subdolè igitur positas, & prauis consequentiis noxias. Quam partem Tribus libris de prædestinatione fuisse apertè declaratam, Hincmaro affirmanti, æquum est credere. Solus ergo Remensi Antistiti facit iniuriam oratione sua Dissertator, & dum in eo facto temeritatem & insaniam reperit, qua maior nulla fingi possit, ipse de iudicij prudentiæque suæ opinione periclitetur necesse est.

Verum de hoc loco iudicium.

Quod sit hac in parte vitium Hincmari.

Potuit enim moderatiùs veriúsque, vt summum, scribere, si posterius tantùm opus spectatur, Hincmarum ab omni culpa immunem non esse, qui venenum à melle non excreuerit; qui stomacho suo tantùm indulserit, vt quibus in propositionibus veri aliquid inesse fateretur, eas penitus, & in totum reiecerit; qui singulas nudè & absolutè spectatas, ab Augustino contemni & dissipari professus sit, quod ægrè monstrauerit. Dolebat quippe homini, sanctam Augustini auctoritatem, ad Gotteschalci patrocinium adhiberi, eius sententiis malè intellectis, & peiùs applicatis, errores, tanquam clypei obiectu, defendi: sed eam verborum calumniam nunquam retexit; verum Augustini sensum, à praua errantium mente non satis distinxit; in corrogandos vndecunque locos, & struendam congeriem solùm intentus, aduersarios obruit non docuit: modò quoque apud Lectores confusè & turbidè loquitur, neque nodos quæstionis soluit, sed laxat; errorum Gotteschalci fontes digito monstrat, vt Geminam prædestinationem, liberi arbitrij ad bonum amissionem, & similia, sed aquam limpidam inde non haurit, vt & clarè sententias hæretici proponat, & certò hæreticas esse concludat. Respondebit fortassè Hincmarus, inter gnaros controuersiæ disputatum esse, qui statum rerum docendi non erant: omissis verbis in ipsum hæretici sensum, tanquam in scopum, collineasse; id dixisse quod præsentibus prodesset, securæ posteritatis securum. Sed aliud futurum vtilius, loquitur ipsa disputatio, quæ dilucida & quæstionis, & sententiarum Augustini expositione, vt inter Catholicos & Episcopos, sopiri potuit; & illud efficaciter aggredi, partes erant Hincmari, qui Gotteschalcum errorum, & malè appellati Augustini accusabat; ne tergiuersandi, & repugnandi locus vllus Monachi damnati assectis relinqueretur. Hac obscuritate vsus Epistolarius, protegendi hominis occasionem accepit, cuius hæreses clarè non proponebantur; & ablegatis erroribus, quos per certa verba peti non ignorabat, in verbis illis sensus innoxij patientibus summam quæstionis collocauit. Ac licèt in omnibus non satis cauerit, vt superiori capite monstrauimus; quódque amplius est, hoc ipsum quod horret admittere, non ostenderit efficaciter ex iis non educi, quæ audet affirmare; catholico tamen animo propugnauit hæreticum. Sic abierunt in diuersa, dum Hincmarus sensum Gotteschalci profligare nititur per condemnationem verborum; Ebbo verbis fortiter conseruatis, & eorum tolerabili sensu retento, quem neque Hincmarus abnuit, Gotteschalcum hæreseos non posse damnari simulauit. Atque in hoc nobilium athletarum exemplo non obscurè discimus, quàm perturbata sit Patrum antiquorum lectio, sine præsidio Theologiæ Scholasticæ tentata: cùm omnis illa contentio, huius luce infusa, per distinctiones & diuisiones acutioris methodi, momento vno dissipetur; quantùm quidem mortalibus ingeniis Deus scrutari & scire permisit.

CAPVT XX.

Septem Regulæ singillatim expenduntur.



Hincmari non iniusta defensio.

His generatim animaduersis, venio ad regulas, & quod hoc loco necessarium non putauit Hincmarus, septem singulas suis momentis, ad controuersiam relatis, non sine aliqua ipsius gratia, breuiter expendo. Quamuis enim

eius tractandi methodus in genere spectata, mihi modò vndecunque non satisfaceret, & fastidiosiùs regulas istas abiicere videretur; in eo tamen repudio non ab omni penitus ratione derelictus, aut grauissima Dissertatoris accusatione dignus apparebit.

1. Regula de æternitate & immutabilitate prædestinationis. c. 2. Prima igitur regula ab Ebbone isto, Lugdunensi dicto, sic proponitur, *Vt omnino firmissimè ac fidelissimè teneamus, quia omnipotens Deus nihil ex tempore præscierit, vel prædestinauerit: sed sicut ipse absque vllo initio æternus & incommutabilis est; ita & eius præscientia ac prædestinatio sempiterna, atque incommutabilis sit.* Verissimè dictum, & summo catholicorum æquè ac hæreticorum consensu receptum: neque euolutis scripturæ voluminibus omnibus opus est, vt æternitas atque immobilitas prædestinationis statuatur. Sed quia in eo fundatus videtur Gotteschalcus, qui mutari & destrui diuinam naturam temporaria putat aduersariorum prædestinatione; atque hic ipse scriptor reproborum prædestinationem, eidem æternitati coæuam, & immutabilitati conformem facit: vnde sequi vult Prædestinatianus, quisquis semel in alterutram partem prædestinatus est, absolutè & necessitate antecedenti talem esse, nec aliud esse posse: hic autem eodem ex pronunciato sequi docet, geminam dici debere prædestinationem; Hincmarus, qui priore in conclusione hæresim videt, timet in posteriore, meritò negat, assertionē illam tali loco ac tempore, accipi debere pro regula. Habétque exemplum in Augustino, veræ propositionis, cuius enunciatio sit nocentissima. *Nempe hoc verissimum est.* inquit, *Ita sanè, sed improbissimum, importunissimum, incongruentissimum, non falso eloquio, sed non salubriter humanæ infirmitati apposito.* (August. l. de Bono perseuer. c. 22.) Quòd autem Ebbo noster in huius assertionis vel probatione, vel ornatu, immobilitatem decreti diuini affert, quo contra Israëlitas rebelles & incredulos in deserto dicitur, *quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam:* (Ps. 94.) atque vt in eis perfectam reproborum imaginem reperiat, omnes illos verè fuisse reprobos, & illis Psalmi verbis eorum damnationem notari contendit: hoc inquam potuit Hincmaro displicere in prioribus libris de Prædestinatione: sicut modò non placeet Duuallio, (Duuall. in hunc locū.) qui contrarium multò esse probabilius existimat, non omnes videlicet Hebræos in deserto mortuos, esse reprobos: quòd credibile non sit, tot hominum millia, in incredulitate & rebellione periisse; quódque nonnullorū negligentia igne deuorante punita, crimen non fuerit æterna damnatione dignum; quòd denique immaturæ & violentæ mortis supplicium cùm terræ promissæ priuatione, delictis illorum expiandis satis esset. Quorum in numerum facilè refero Nadab & Abiu, (Leuit. c. 10.) & ad eorum similitudinem plurimos aquis diluuij obrutos, licet B. Petrus electorum figuram in arca Noë, & octo animabus constituat. (1. Petr. 3.)

2. Reg. de eorum quæ prædestinata sunt infallibili existentia. c. 3. Secunda regula est. *Nihil omnino esse, aut fuisse, aut esse posse in operibus Dei, quæ siue in condendis, siue in regendis, siue in consummandis vel finiendis creaturis agit, quod non ipse in suo æterno consilio, atque iudicio, & veraciter præscierit, & immobiliter prædestinauerit. Atque ita, omne quod temporale est, intemporaliter sua præscientia & prædestinatione præcedit. Et omne quod in eius æterna præscientia & prædestinatione dispositum est, etiam in rebus esse potest. Quicquid verò ibi dispositum non est, nunquam & nusquam esse potest. Nihil enim temerè, vel fortuitò, sed omnia æterna sua sapientia consilio & ratione facit.* Omnia hîc recta verbis, si non aliqua sensus deprauaret: si frustatim, quod arguit Hincmarus, excerpta ex Augustino, plenam eius ferrent sententiam. *Quid sit prædestinare.* Docet enim quid sit prædestinare cùm ait, *Nam in sua, quæ falli mutarique non potest præscientia, opera sua futura disponere, id omnino, nec quicquam aliud est prædestinare.* (August. l. de Bono perseuer. c. 17.) Et paulò pòst, cùm ostendit & initium fidei, & vsque in finem perseuerantiam, esse dona Dei. *An fortè nec ipsa dicunt prædestinata? Ergo nec dantur à Deo, aut ea se daturum esse nesciuit. Quòd si & dantur, & ea se daturum esse præsciuit, profectò prædestinauit.* Sed hæc de gratiis ad bene agendum, déque positiuis Dei decretis Theologicè dici, excipiet Hincmarus, non de iis qui relinquuntur, aut quæ permittuntur à Deo: quæ distinctiùs antea proposuerat, cùm diceret; *Nihil enim fit, nisi quod aut ipse facit, aut fieri ipse permittit.* (Ibid. c. 6.) Quare mel agnoscet *in operibus Dei*, donis naturæ, gratiæ, & gloriæ, quæ positiua & gratuita sua voluntate largitur hominibus electis; in iusto item iudicio, quo reproborum crimina igne sempiterno punit, quæ est illorum consummatio. Sed venenum latere affirmabit, lectum à Gotteschalco & Prædestinatianis, dum opera hominum mala, propter quæ consummantur in cruciatibus, in æterno Dei consilio vt veraciter præscita, sic immobiliter prædestinata esse significantur, quod ore Augustini catholico prolatum nunquam est, sed tantùm illa *permitti fieri*. vt cum Dei sanctitate, libertas homini tuta seruetur. Non prædestinat igitur illa fieri, sed tantùm *permittit fieri*, quæ possent non fieri, si qui peccaturus est, contrariam in partem libertatem arbitrij inclinaret. Cùm ergo dicitur Deus *omne quod temporale est, intemporaliter sua præscientia & prædestinatione præcedere:* vult Hincmarus accipi de bonitatis effectis; ipsius quoque iustitiæ, quæ libertati officere nullo modo dici possunt; non de iustitia positiuè permissura, quæ positiuè fieri non desiderat. Cùm enim dixit Augustinus, *Deus omnia quæ prædestinauit, impleuit:* (August. ibid. c. 11.) id profectò de peccatis intelligi noluit, quæ sunt hominum opera, non Dei; perpetrantur tamen in tempore; illa ergo Deus præscientia tantùm, ac non etiam prædestinatione præcedit.

Fraus argumenti aperitur. Video præterea in pede regulæ, protensum simplicibus retiaculum, dum ait, *Quod in æterna prædestinatione dispositum non est, nunquam & nusquam esse posse.* Id si cum hypothesi diuini decreti, nolentis ea producere, intelligitur, verissimè dictum est: cùm neque voluntatem mutare possit Deus, neque alius extra Deum illorum auctor concipi queat. Verùm si absolutè, & absque diuinæ voluntatis immobili lege in seipsis illa spectamus, certè in statu possibili consistere, siue, in rerum naturam educi posse si Deus volet, Hincmarum docebit Theologia. Qui & facilè deprehendet, hoc axiomate sic implicato, Gotteschalcanorum prædestinationem stabiliri. Nam si in æterna præscientia dispositum non est, vt Iudas, & Pharao saluentur, nunquam poterunt saluari:

quamobrem ergo condentur à Deo, niſi vt pereant in æternum? Quis autem in ſubſelliis logicis non videt argumenti fraudem, ab actu ad potentiam; à ſtatu conditionato, ad abſolutum transeuntis? Sequitur in auctore

3. Reg. *Quicquid præſcitum eſt, etiam prædeſtinatum eſſe.* Ibid. c. 3.

Regula tertia, *In operibus omnipotentis Dei, non eſſe alia præſcita, alia prædeſtinata; ſed quicquid ibi eſt præſcitum, quia totum eſt bonum & iuſtum, ſine dubio eſt etiam prædeſtinatum: & quicquid prædeſtinatum, vtique & præſcitum; quia prædeſtinatio ſine præſcientia eſſe non poteſt.* Quam regulam ad Euangelicũ dictum applicat deinde ſcriptor, *Qui non credit, iam iudicatus eſt. Quòd videlicet omnes impij & increduli iam ſunt diuina prædeſtinatione damnandi.* Cui cùm opponat Hincmarus, illud ad præſcientiam tantùm, non etiam ad prædeſtinationẽ pertinere, ſéque Auguſtini auctoritate confirmet, *præſcientiam* ſolam hic nominantis; Reſpondet hic continuò, vbi in operibus Dei ponitur præſcientia, ſtatim intelligi debere & prædeſtinationem. *Quia ſicut nihil operum ſuorum prædeſtinauit, quod non præſcierit; ita quicquid eorum præſciuit, ſine dubio etiam prædeſtinauit.* Rurſum iſtud de Dei bonis & donis accipiendum, admonet *operum Dei* mentio, vt hominum opera mala excludat. Sed hoc non ſatis explicatè tradi, docet Auguſtinus ipſe, qui præſcientiam mauult à prædeſtinatione, vniuersè loquendo, ſeiungere. *Prædeſtinatio eſt, quæ ſine præſcientia non poteſt eſſe:* Sic Ebbo, ſed imperfectè, quia quod ſequitur tacet, reclamante Hincmaro. *Poteſt autem eſſe ſine prædeſtinatione, præſcientia. Prædeſtinatione quippe Deus ea præſciuit, quæ fuerat ipſe facturus. Vnde dictum eſt, fecit quæ futura ſunt.* Hæc ſunt opera omnipotentis Dei, ad quæ ſubdolè refert Lugdunenſis reproborum damnationẽ, quæ eſt in quæſtione. *Præſcire autem* (addit Auguſtinus) *potens eſt etiam, quæ ipſe non facit, ſicut quæcunque peccata: quia etſi ſunt quædam, quæ ita peccata ſunt, vt pœna etiam ſint peccatorum, vnde dictum eſt, Tradidit illos Deus in reprobam mentem, vt faciant quæ non conueniunt: non ibi peccatum Dei eſt, ſed iudicium.* Et paulò pòſt. *Abraham credidit dans gloriam Deo, quoniam potens eſt facere quæ promiſit. Non ait prædicere, non ait præſcire; nam & aliena facta poteſt prædicere atque præſcire: ſed ait, potens eſt & facere: ac per hoc facta non aliena, ſed ſua.* Qua maximi Doctoris diſtinctione inſtructus Lugdunenſis ille Florus qui vocatur, hanc aſſertionem in Ioanne Scoto nouitatis & erroris accuſare planè & præciſè non veretur, his verbis. *Poſt hæc iam dictus diſputator, more ſuo, velut definiendo ſubiungit, & præſcientiam & prædeſtinationem vnum idémque eſſe.* Verbis, non ſenſu, ab Epiſtolarij noſtri propoſitione differt ea quæ reprehenditur Scoti definitio. Nam ſi quicquid præſcitur, prædeſtinatur; & ex aduerſo, quicquid prædeſtinatur, præſcitur, inter præſcientiam & prædeſtinationem quid ponitur diſcriminis? Tum ergo Florus ille. *Nos autem repudiato huius nouitatis errore, teneamus certiſſimam & firmiſſimam fidei regulam, & Deo adiuuante fideliter diſcernamus, aliquando dici præſcientiam, quæ omnino prædeſtinatio eſſe non poſſit. Quia omnipotens Deus, ſicut bona, ſic etiam mala, id eſt, peccata hominum, vel Angelorum futura præſciuit, quæ tamen vt fierent iuſtus & ſanctus prædeſtinare non potuit.* Quod poſtquam hoc Auguſtini teſtimonio monſtrauit, ita demum colligit. *Ex quibus omnibus ſancti Doctoris verbis clariſſimè apparet, diſtinctè & propriè, in ſanctis libris accipi debere præſcientiam & prædeſtinationem; nec, quæ tanta differentia inter ſe diſtinguuntur, vnum atque idem eſſe, ſicut iſte definit, intelligi debere.* Quæ ſibi dicta Ebbo noſter accipiet, ſimúlque meminerit, præſcientiam intelligentiæ, prædeſtinationem voluntatis opus eſſe; & eos quibus aliquando dicturus eſt Chriſtus, *Neſcio vos*, id eſt, non amo, non probo vos, *diſcedite à me operarij iniquitatis:* ex illis eſſe de quibus dicitur, *Dominus de cælo proſpexit ſuper filios hominum, vt videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum, omnes declinauerunt.*

Ibid. c. 33.

Auguſt. l. de prædeſt. ſanct. c. 10.

Deus præſcit aliqua quæ non prædeſtinat.

Rom. c. 4.

Eccleſ. Lugd. l. aduerſ. Scot. c. 2.

§. VNICVS.

Earumdem regularum continuata conſideratio.

DICES, non neſcire iſta Pſeudoremigium, qui quartam ex illa diſtinctione regulam in hunc modum concinnat. *Hæc duo in operibus rationalis creaturæ, & diſtinctè & coniunctè intelligi poſſe: quia ſcilicet eiuſdem creaturæ opera, alia ſunt bona, alia mala.* Illa præſcita eſſe & prædeſtinata, quòd ſint principaliter à Deo: hæc verò *præſcita à Deo dici poſſe, prædeſtinata non poſſe. Quia ipſius creaturæ tantummodo ſunt, & ex eius vitio, non ex Dei voluntate, vel operatione procedunt.* Non pauca hoc loco expendenda offeruntur, quæ in aſſertionem diſſeco, & aſſertionis rationem. Vt igitur priorem partem, quæ cum priori regula, vt viciniùs, ita commodiùs committitur, abſoluamus: Reſpondeo in primis, hac diſtinctione operum creaturæ, ſuperioris confuſionis in operibus Dei, fraudulentum aperiri conſilium, quod indicabamus, vt in iſtis Dei operibus reproborum ad interitum poſitiua prædeſtinatio, tanquam opus iuſtitiæ inuolueretur, quod acutè deprehendebat Hincmarus. Atqui Auguſtinus ante citatus, peccati pœnam à peccato, peccatum à iudicio, in priore regula cùm diſtingueret, præſcientiam à prædeſtinatione ſimul diſiungebat. Cui bono igitur duplex regula conſtituitur, quæ in aſſertionem vnam rite compingitur, niſi vt ſubdolè veneni aliquid melle oblinatur? Deinde, in illis operibus Dei, ſuperiore regula occultatis, prædeſtinatio ad interitum, poſterior eſt præſcientia malorum operum creaturæ; vt apertè Gotteſchalcus ipſe definit: *Propter præſcita certiſſimè ipſorum propria futura mala merita.* Et iterum, *Præſciuit illos peſſimum habituros ortum, peiorem obitum.* Illa ergo hanc debuit includere, non tranſcendere intactam, vt nouam regulam conderet, quæ in anteriore, conſiderata cenſetur: cùm ſit etiam iſtorum pronuntiatum, non niſi præuiſis meritis malis decerni ſuppliciũ. Quare fuci continuatio eſt poſterior iſta poſitio, non noua regula. Tertiò, neque ſic ſodalis ſui Pſeudoflori reprehenſionem vitat Pſeudoremigius. Nam apertè legebat ille in Ioanne Scoto, eodem quod oppugnabat capite, non omnem præſcientiam, prædeſtinationem dici, licet omnis prædeſtinatio à præſcientia ſit, quod ex Auguſtini loco producto eſſe hauſtum notat ad marginem Diſſertator. Sciebat igitur ab aduerſario præſcientiam ſeparari à prædeſtinatione, eo ſenſu quo ſeparandam docuerat Auguſtinus, eo

4. Reg. In operibus creaturæ præſcientiã à prædeſtinatione differre. Ibid. c. 3.

Ioan. Scot. lib. de vnica prædeſt. c. 2.

loco quo ipsum aduersarium profligat, vtrunque miscentem. Nihilominus eius definitionem de præscientia & prædestinatione confundenda, in operibus profectò Dei, (quis enim vnquam non Prædestinatianus blasphemauit opera mala creaturæ, esse opera Dei?) *nouitatis & erroris* censura notauit, & oppositum pronunciatum ex Augustino sumptum, vbi peccata distinguit à pœnis peccatorum, *certissimam & firmissimam fidei regulam* appellat. In nouitatem igitur & errorem, contra certissimam, & firmissimam fidei regulam iste Lugdunensis incurrit, quem Ioannes Scotus ab illo Lugdunensi dicitur inducere.

Ecclesiæ Lugdunensis contradictio. Hîc verò Præside Dissertatore opus est, ad reparandam Ecclesiæ suæ Lugdunensis concordiam, quæ in Floro Diacono per *certissimam & firmissimam fidei regulam, erroris & nouitatis, falsitatis atque fallaciæ*, condemnat illud ipsum, quod in Remigio Archiepiscopo profitetur, *catholicum quemque fidelissimè tenere debere, & quicunque his contraria sapit, non catholicè sentire*. Neque respondebit, diuersis illud auctoribus esse condonandum. Nam vt taceam, illorum iudicio, de fidei catholicæ positione hîc agi; Archiepiscopum ego, & Diaconum, Ecclesiam non appello, sed Clerum illum qui cum Archiepiscopo, & cum Diacono, *hæc omnia solicitè & fideliter tractata* communi consensu approbauit & subscripsit, vt possit dicere Archiepiscopus, *Quid præfata Ecclesia nostra Deo inspirante, atque auxiliante de eadem re sentiat, vt eis verè & fideliter respondeatur*. & Diaconus, *Necessarium omnino duximus, vt studio caritatis, & debito nostri loci atque ordinis, eius insolentiæ, auctore Domino responderemus*. In quo certè publicam personam sustinere se admonet, & libellum illum ab eadem Ecclesia comprobatum fuisse asserit, qui summam vtrique auctoritatem conciliare studet Dissertator. Hæc igitur Ecclesia, & hic Clerus est, qui, nisi subuenitur, duas in partes claudicat, non minùs periculosè, quàm cùm censetur Remigius, Gotteschalci ab Amolone proximo præcessore damnati patrocinium suscipere. Quòd si volet addere, benignè Remigium à Duuallio explicari, vt præscientiam & prædestinationem tantùm velit æqualia esse, ratione immobilitatis diuini consilij; equidem cum M. N. vt honoris causa Præses appellat, non litigabo: sed Erigenam Scotum in idem expositionis ius aduocabo, vt aut neuter, aut vterque Lugdunensis Ecclesiæ censuræ eripiatur.

Secunda pars assertionis expenditur. Ibid. c. 3. Iam vt de ratione assertionis, quod secundò propositum est, nonnihil dicamus, eam sic persequitur auctor, vt ostendat opera bona creaturæ *coniunctè* posse intelligi, hoc est, & Dei simul & creaturæ. *Quia bona opera ita sunt ipsius creaturæ, vt sint omninò principaliter & veraciter opera creatoris, qui operatur in ea & velle, & perficere pro bona voluntate, rectissimè tanquam verè diuina, id est diuinitus inspirata, & gesta, & præscita, & prædestinata debent intelligi*. M. N. Duuallius, vt aliquando notatum est, cautè istud legendum admonuit & *n omnino*, cum *principaliter*, coniungendum esse, ne creaturæ concursus, à bonis operibus excludi videatur. Quam obseruationem necessariam non ducerem, nisi *verè diuina opera*, non *inspirata* tantùm *diuinitus*, sed etiam *gesta* legerem. In quo scriptorem arbitror mente catholica nonnihil Gotteschalco gratificari voluisse, vt eius asseclis assentire videretur, non tam ab arbitrij libertate, quàm à Deo esse, in homine geri opera bona; adeóque non abesse procul ab iis, qui liberum arbitriũ ad bonum, primo peccato amissum esse arbitrantur. Nam etsi aduersùs eam blasphemiam multis inferiùs disputet, ex sua tamen de præscientia & prædestinatione sententia, illam non sequi, probare negligit. *Gesta* igitur *diuinitus* nollem ab eo nominata, quòd illa voce soleant opera quædam exprimi supra commununem hominum, etiam iustorum & perfectorum conditionem, cum non debitis illorum statui gratiæ auxiliis facta, tanquam miracula quædam gratiæ, in quibus perpetrandis penè nullæ sint hominum partes. Hæc puto ex mente Hincmari sic reprehendi, qui quantùm omnia tuta timuerit, geminæ prædestinationis horror ostendit. Sequitur alia ratio, de malis operibus *distinctè* intelligendis, *quia ipsius tantummodo creaturæ sunt*, inquit, *& ex eius vitio, non ex Dei voluntate, atque operatione procedunt, præscita à Deo dici possunt, prædestinata non possunt*. Hoc quod absolutè verum est, si ad Gotteschalci de absoluta & antecedenti prædestinatione opinionem refertur, falsum putat Hincmarus, & non minùs prædestinata dici debere: quia prædestinationis illius ad interitum, tanquam finis antecedenter necessarij, media item sunt necessaria. Sicut enim vas honoris antecedenter electum, præparatur per opera bona: sic vas iræ antecedenter prædestinatum, per merita mala ad interitum præparatur. Vnde magna semper contentione pugnat, malos non prædestinari ad pœnas, sed pœnas malis. Sed in his nimiùm immoramur. *Ibid. c. 22.* *Hincm. l. de prædest. c. 1.*

Quinta igitur regula est, *quòd omnipotens Deus eadem præscientia & prædestinatione sua, ita quosdam malos in sua iniquitate & impietate præscierit perseueraturos, & ob hoc iustè prædestinauerit perituros, vt ex ipsa certa præscientia, & iusta prædestinatione sua, nulli necessitatem imposuerit, vt malus esset, & aliud esse non posset*. Præcipuus error Gotteschalci, hoc loco eiuratur, de quo nos ante multa; quem fortiter oppugnat Epistola tertia Rabani, licèt Gotteschalci esse dissimulet Epistolarius. Ex eo deducebat miserabilis monachus, inutilem esse prædicationem, quando reprobi in bonos mutari non possent, sed tantùm minùs damnabiles effici. Cui repugnat prolixa Augustini disputatio, in eos qui prædestinationis definitionem, vtilitati prædicationis aduersari dicebant. Sed profectò cum antecedente sua necessitate congruentiùs mihi videtur errare Gotteschalcus, si qua exteriore imagine bestiæ, reprobi discernerentur ab electis. Omnibus ergo prædicetur, vt hortantur Patres, poterunt omnes ad Deum conuerti, vt aiunt catholici; sed ij soli reipsa conuertentur, & in proposito perstabunt, qui fuerint præordinati ad vitam, vt omnes æquè consentiunt. Ceterùm nimis iam frequenter adnotamus, homines istos in sola reproborum parte necessitatem prædestinationis exhorrescere, cùm nos illam à bonis æquè arceamus, siquidem *vbi necessitas, ibi nec corona est*. Quod & præclarè admonet Damascenus, præscientiam à prædestinatione discernens, & *5. Reg. Prædestinatione cogi neminem. Ibid. c. 4.* *August. lib. de Bono perseuer. c. 14.* *Ioannes Damasc. l.*

a. de fide orth. c. 30. illi actiones nostras liberas, huic quosdam euentus certò futuros subiiciens. vt Iosephi exaltationem, Dauidis regnum, Christi cultum, quæ nulla vis hominum & nequitia potuit impedire. Itaque in prædestinatione vim & necessitatem aliquam, in præscientia integram libertatem constituit. *Præscit enim ea etiam quæ in nostro arbitrio sunt. At non item ea præfinit. Nec enim vitium admitti vult, nec rursus virtuti vim affert.*

6. Reg. vt nomina non quærantur, vbi res apertè intelliguntur. Ibid. c. 5. Leuioris est momenti sexta regula, quæ verbo cauet. *Vt in diuinis scripturis nequaquam hoc pueriliter quæramus vel exigamus, vt ibi solummodo intelligatur diuina præscientia vel prædestinatio, vbi hac ipsa nomina præscientiæ & prædestinationis expressè & propriè posita inueniuntur: Sed vbicunque res ipsa præscientiæ & prædestinationis certissimè posita legitur, præscientiam & prædestinationem ipsam intelligendam esse minimè dubitemus.* Quod ad calcem libri repetit iterum, cum Rabano disputans, dicente, prædestinatio-
Ibid. c. 46. nem in bono legi, non in malo, quæ perpetua est Hincmari pugna. Sed vniuersè loquendo, eius regulæ sensum, admonente Seruato Lupo, iam antè didicimus; hoc axioma aduersùs nostrates Nouatores, Purgatorium, Missam, Transsubstantiationem in scripturis quærentes, quotidie decantamus; hoc dictum in controuersia
August. l. de Bono Persev. c. 18. Eccl. Lugdun. adu. Scot. cap. 1. nostra & probauit Augustinus, & ex Augustino retulit Pseudoflorus, aduersùs Ioannem Scotum, prædestinationem videlicet in scripturis aliquando solo præscientiæ nomine significari. Neque illud negauerit Hincmarus, sed iure quæret, illa præscientia, quæ prædestinationem sonat, sit-ne reproborum? sit-ne positiuæ significationis? Nam qui locus ex Apostolo profertur ad eam declarandam, ad electos pertinet:
Rom. c. 11. *Non repulit Deus plebem suam quam præsciuit*, id est, prædestinauit. Quæ autem de suo scriptor hic exempla producit, non ita causam eius conficiunt, vt alios sensus in Patribus non patiantur.

7. Reg. neque de electis vllum perire posse, neque de reprobis saluari. Denique regula septima est, *vt neque de electis Dei vllum perire posse credamus, neque de reprobis aliquem saluari vllatenus existimemus.* Nemo certè peribit, saluabitur nemo: non enim falletur præscientia: & de potentia si quæritur, idem respondeo de consequente & hypothetica, siue vt loquuntur, in sensu composito: at in diuiso, & antecedente atque absoluta potentia, possunt vices mutare, & electus perire, reprobus saluari. *Tene quod habes, ne alius accipiat*
Apocal. c. 3. *coronam tuam.* Electus es, paratam habes coronam, caue ne perdas, & ad reprobos deuoluaris; tum alius qui reprobus est, quia coronam suam nullam habet, tuam accipiet, vt fiat electus. Possunt igitur absolutè loquendo sortes istæ inuerti & perturbari. Hoc testimonio vtitur Augustinus, vt certum electorum numerum esse concludat, quod ad regulam nostram re-
August. l. de corrept. & grat. c. 13. dit, *si enim alius non est accepturus, nisi iste perdiderit, certus est numerus electorum.* Additque iusti terroris causam in ignoratione futuri positam, quæ etiam sanctissimos quosque, vt Hilarionem illum Anachoreseos decus, septuagenarium Dei seruum, cogit perhorrescere. *Quod autem etiam perseueraturis sanctis sic ista dicuntur, quasi eos perseueraturos habeatur incertum, non aliter hæc audire debent, quibus expedit non altum sapere, sed timere. Quis enim ex multitudine fidelium, quandiu in hac mortalitate viuitur, in numero prædestinatorum se esse præsumat?*

Eam verò regulam, & hanc de certo prædestinatorum numero verissimam doctrinam, ad eo non metuit sententiæ suæ Hincmarus, vt hoc ipso Augustini loco descripto, subiiciat. *Hæc sententia sæpius reuoluenda, & firmiter retinenda est, contra eos qui dicunt, quicquid facit prædestinatus ad vitam; ad regnum perueniet sempiternum: & quicquid etiam faciet prædestinatus ad interitum, in mortem ibit æternam. Quod dixerunt & æmuli sancti Augustini*, &c. Videlicet primi Prædestinatiani, & post eos Gotteschalcus. Quòd si Theologiam Scholasticam hac de re consulimus, docebit D. Thomas ex Augustino, librum vitæ, esse Dei præscientiam, quæ falli non potest; & secundùm rationem differre à prædestinatione. In metaphoricum illum librum, referri genera hominum duo, in vitam æternam ordinatorum, sed non æqualiter. Alios enim ex prædestinatione diuina ordinari, qui nunquam deficiunt: alios ex gratia tantummodò; nam quisquis gratia præditus, & vita æterna dignus est; hos deficere, quia perseuerantiæ donum à Deo non accipiunt. Illos *perpetualiter* à Christo redemptos esse dicit Gotteschalcus; hos temporaliter filios Dei vocat Augustinus. *Nec nos moueat quod quibusdam filiis suis Deus non dat istam perseuerantiam. Nam isti cùm piè viuunt, dicuntur filij Dei; sed quoniam victuri sunt impiè, & in eadem impietate morituri, non illos dicit filios Dei, præscientia Dei.* Ac deinde, vtrosque paucis verbis complexus, de primis quos vocat filios promissionis, vocatis ad fidem, *antequam esset factum*, inquit, *iam filij Dei erant in memoriali Patris sui inconcussa stabilitate conscripti.* Hic est liber vitæ, de quo nemo deletur. De posterioribus autem, *Et sunt rursus quidam, qui filij Dei propter susceptam vel temporaliter gratiam dicuntur à nobis, nec sunt tamen Deo: de quibus ait idem Ioannes, Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis.* Delentur isti de libro viuentium: non quòd ad obiectorum vicissitudines Dei notitia commutetur, sed quòd illas ipsas vicissitudines cognoscat: priùs illos in vitam æternam ordinari, cùm gratia sunt instructi; postea non ordinari, cùm ab illa deficiunt. Finis autem ille cùm nobis sit ignotus, electos humilitas, reprobos spes fouet. Sed quamuis reprobationi liber mortis nullus respondeat, quia conscribi non solent, qui non eliguntur; si tamen Deum omniscientem attendimus, non minùs apud illum certus est numerus reproborum, vt ex consequente, nullus eorum per magnum chaos ad electos transuolare possit. Quæ cùm dico, non possum à Tertulliano mentem abducere, de Deo Gentilium deifico dicente. *Quantò dignius istos Deos ille assumendos expectasset; præscius vtique potiorum? Properauit, opinor, & cælum semel clusit, & modò vtique melioribus apud inferos mussitantibus, erubescit.* Et hæc de septem regulis spe votóque prolixiora; non tamen inutilia, si meminerimus earum occasione magnum & doctum Antistitem à Dissertatore Monetali, *temeritatis, superbiæ, iniquitatis, insaniæ* postulari.

Hincm. l. de prædest. c. 18.

Liber vitæ. D. Th. 1. p. q. 24.

Gottesc. apud Hincm. l. de præd. c. 29.

August. l. de corrept. & grat. c. 9.

CAPVT XXI.

Quid sentiat idem auctor de Dei voluntate omnes homines saluandi & redimendi, & quædam in hanc rem præmissa.

Auctoris opinio citra disputationem explicanda.



ERIT congressus iste cum Lugdunensium copiarum ductore postremus, si tamen congressus; puto enim & apertius ad Theologiã, & iucundius ad historiam, & vtilius ad controuersiam fore, si Gotteschalcanæ partis κυρίας δόξας, tacitis rationibus contrariam partem conficientibus, ab hoc coryphæo audiamus. Et memini huc à me remissum Seruatum Lupum, ex cuius post Augustinum officina prodiisse, quicquid in hac parte ingeniosum, & eruditum reperitur, magna mihi suspicio est. Duas autem quæstiones in vnam misceo, quia cùm sint eæ cognatæ, paribus argumentis & confirmantur, & impugnantur. Hîc enim idem mihi propè est, vocare quod redimere, quando vocatio omnis gratia redemptionis est, neque alij redempti sunt, quàm qui vocati. Quod cùm intelligeret Abbas Ferrariensis, parcè libata diuinæ vocationis quæstione, in taxationem sanguinis Christi peculiari titulo effusus est.

Vtraque sententia tunc fuit probabilis. Ibid. c. 11.

Atque in quæstionem, vt ipse loquitur, *valdè perplexam, & in sanctorum Patrum scriptis multùm versatam, & multipliciter expositam*, ne præcipitanter, sed fidelissimè & cautissimè ingrediamur, præmittimus in primis, inter catholicos illam agitari, sanctis Patribus neutri parti communiter repugnantibus, neque tum adhuc Ecclesia fidelium assensum ad alteram partium alligante. Atque auctor iste priuatim, qui multis probare conatur, non omnes homines ad salutem vocari, non omnes Christi sanguine redemptos esse, sed eos solos qui reipsa vocantur, & actu redemptionis fructui participant; fateri tamen aliquando tandem cogitur (quocunque id modo faciat) piam esse & à Patribus alijs assertam Remensium opinionem; neutram proinde damnandam esse hæreseos, vel erroris. *Nulla ergo contentione pro aliis aduersùs alios litigetur, non vna sententia pro altera damnetur.* Neque oppones assertum à Prædestinatianis Lugdunensium dogma, ideóque turpi contagione afflatum, non parum fuliginis ex hæresi contraxisse. Nam, quod Hincmarus ipse non tacet, non omnia quæ dicunt hæretici, hæretica sunt: & licèt istud pronuntiatum è principiis suis impiis de prædestinatione deducant, principiorum tamen vitia, quantùm quidem potuit, verbo saltem tenus, Lugdunensium schola vitauit. Hoc verò temperamentum, attende Lector, ad ea tantùm tempora, ad Ebbonem, inquam, & Hincmarum litigantes à me referri, vt Chronicæ Dissertationis parachronismum agnoscas, quæ nostro æquè seculo, post Caluini & Lutheri deliria, post Concilij Tridentini sensum, post Catholicorum controuersias disputatas, quasi rebus in integro stantibus, illud applicat, non sine iracundia erudita, *His temporibus*, inquit, *eo magis necessarium, quod multorum improuida deuotio, habentium Zelum, sed non secundùm scientiam, eò impudentiæ proruperit, vt eos qui cum Ecclesia Lugdunensi*, (primariæ videlicet auctoritatis libro) *& antiquis Patribus, præsertim S. Augustino, pro solis fidelibus mortuum Christum profitentur, anathemate, quod ipsi sua temeritate meremur, censeant feriendos.* Ita Theologus Monetalis, non melior iudex anathematis, quàm temporum inspector.

Ibid. c. 20.

Hincm. l. de prædest. c. 19.

Dissertatoris hallucinatio c. 19.

In explicatione vocis, omnes, & multi, nimis hæserunt.

Præmittimus deinde, hanc quæstionem inter catholicos istos, ad hæreticæ controuersiæ formam agitari: Remensibus obuios & apertos scripturæ locos pro omnium vocatione, & redemptione obiicientibus; ex quibus postquam laboriosè, & ægrè, conquisitis non commodissimis expositionibus, se Lugdunenses extricarunt, alios ipsi haud paulò faciliores ad soluendum, opponunt. Quorum qui penè grammaticus cardo est, de vocibus *omnes*, & *multi*, eum sic versant vexántque, vt pars vtraque illarum significationem incertam, & vltro citróque versatilem esse disputet, modò multos pro omnibus, modò pro multis omnes intelligens, & in plerisque locis sit adhuc lis sub iudice. Exemplum esto in celebri dicto Christi ipsius, *Sanguis ille pro multis effusus est in remissionem peccatorum*, ait Seruatus Lupus. *Non dixit pro omnibus*; ait Lugdunensis noster, *sed pro multis*. Alij ex aduerso pugnant *multos* hoc loco esse *omnes*, quòd affirmet Paulus Christum pro omnibus mortuum esse: & Ioannes, illum esse propitiationem pro peccatis totius mundi. Verùm Maldonatus interpres optimus, non *pro multis*, sed *pro vobis*, quod Lucas & Paulus referunt, putat dictum à Christo; neque istud Matthæi & Marci *pro multis*, significare pro prædestinatis; quinimo neque pro omnibus qui aderant: minùs enim est *pro multis*, quàm *pro vobis*. *Est enim perinde ac si dicat, hic est sanguis meus qui pro vobis, id est, pro plerisque vestrûm effunditur: itaque multos opponit omnibus qui aderant.* Iansenius verò Gandauensis, & ipse præstans eruditione, vt scriptum à Luca, *pro vobis*, ad id quod est à Matthæo scriptum accommodet, idem vult significare, quod *pro multis*, & istud idem, quod pro prædestinatis, quia erant Apostoli prædestinati. Vterque tamen alio loco, multos pro omnibus accipit: *multi enim vocati*, sunt omnes; qui paucis electis opponuntur. In his interpretationum fluctibus, quis certum figat vestigium?

Seruat. Lup. l. de trib. quæst. q. 1. L. de trib. epist. c. 20.

Maldon. in Matth. c. 26.

Iansen. Concord. Euang. c. 131.

Maldon. in c. 20. Matth. Iansen. Concord. c. 104.

Duplex Dei voluntas distinguenda.

Securiùs igitur ex penitiore Theologia, Dei voluntatem eduxissent, quam tertio loco præmittimus duplicem esse, eámque à Ioanne Damasceno apertè explicatam; ne quis Scholasticas argutias ante tempus ab illis exigi criminetur. *Quin illud quoque nos ne fugiat, Deum vt bonitate præstantem, primariè quidem omnes homines saluari, ac regni sui compotes esse velle. (Neque enim supplicij ac cruciatus causa, verùm ad hoc vt bonitatis ipsius participes simus, nos effinxit:) Vt iustum autem, iis quoque qui peccarat, pœnam inferri nihilominus velle. Ac prius illud, antecedens voluntas, seu beneplacitum dicitur, ex ipso manans: secundum autem, insequens voluntas, atque permissio, à nostro vitio ortum ducens.*

Ioan. Damasc. l. 2. de fide. c. 29.

Iac. Bill. in eum locũ. Quod aliquantò fusiùs exponens Iacobus Billius, voluntatem antecedentem esse ait, qua Deus ex seipso, quemque hominem ad finem ad quem conditus est vult peruenire, & ad eius assecutionem præsidia naturalia & gratuita sufficienter cuique subministrat: & hac voluntate, *vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, vt ait Apostolus. (1. Timoth. 2.) *Voluntatem verò consequentem, qua secundùm operum nostrorum qualitatem & exigentiam, vult nobis retribuere mercedem; præmium inquam, aut pœnam, quemadmodum lex æquitatis & iustitiæ efflagitat.* Quò redit illa bonitas conditoris, & seueritas, aut potiùs, æquitas iudicis in auctore nostro inferiùs meditanda. Quî fiat autem vt antecedens illa voluntas effectu suo non potiatur, vlteriori acumine de schola D. Thomas edocebit. (D. Th. 1. p. q. 19. a. 6.) Hic ego sanè voluntatis efficacis & inefficacis appellatione non vtor: quam licet Lugdunenses isti non repudient, eorum tamen nouis affectatoribus ingratam esse non dubito. Actum verò & potentiam nominare, nescio an quisquam illorum prohibeat, vt eos qui actu saluantur, ab iis qui possunt saluari: qui vocati reipsa sequuntur, ab iis qui vocantem spernunt, iure discernam.

Comparatio vocationis Dei, cum conuiuio Assueri. Esth. c. 1. Denique, cùm diuina vocatio, & salus reapse comparata, aut deperdita, in Euangelicis parabolis cum Epulo regio sæpe conferatur, addito quasi lemmate, *Multi vocati, pauci electi:* Non puto futurum inutile, si magnæ rei simulacrum in maxima humanarum magnificentia, ἐναργείας gratia, præmittam. Assuerus vniuersos imperio suo subditos benè beatéque vult agere: ideóque magnificentiam Persicam pleno flumine in eos effundit. Satrapas primùm, & nobilissimos quosque purpuratos confertissimis & lectissimis cibis excipit, magnámque anni partem tenet illa festiuitas. Nec deest ipsi vulgo sua lætitia: hortos quippe regios barbarico luxu ornatos omnibus patere iubet qui Susis versantur, *à maximo vsque ad minimum*, ibique septiduum totum mensam sternit omnibus lautitiis redundantem. Credimús-ne è centum viginti septem Prouinciis Præfectorum & nobilium neminem illi defuisse conuiuio? Nullos è sordidissimis opificibus, è mercatoribus maiori lucro intentos, è pueris, senibus, ægris, coniugibus maritorum zelotypia conclusis, & sexcentis aliis præpedientibus obicibus in vestibulum nemoris pedem non intulisse? Diuitiarum ergo suarum sinus, & deliciarum apothecas rex omnibus aperit, omnes inuitat: accedunt quibus licet, quibus libet; nemo obtorto collo rapitur, excluditur nemo. Sunt tamen qui spernant, & nolint; sunt qui non nolint, nec veniant, morbo vel morte occupati: nihilo istis minùs posita mensa est, neque tam ipsi de regia munificentia queri possunt, à qua prohibentur, quàm Rex de illorum negligentia, quòd se prohiberi permiserint. Sed si qua mater infantem suum eò deferre noluit, aut non potuit? Si qui truncatis pedibus, vel sua vel alterius iniquitate, illò progredi vel repere non potuerunt? qua illi culpa sua deliciis priuabuntur? Nullo isti quidem vitio suo, sed priuabuntur tamen; Rex autem & illos inuitauit, epulas parauit, & quod suum erat effecit. At ludebant aliqui, perpotabant, stertebant, choreas agebant cùm inuitatores regij procul omnes calarent; nec ad eos vox præconis aduenit: ignorantibus tantùm boni disperiit. Quid ampliùs postulatur ab Assuero? Regiam patefecit, epulum instruxit, nuntios misit; qui strepitu circùm excitato, qui aurium morbo, qui profundo somno sepulti præconium non exaudierunt, sibi imputent, Rex omnibus consuluit. Quid si viæ subsidia misisset Rex prouidus prodigúsque, currus, equos, lecticas; & quibus equi dati, essedo vehi; quibus essedum, lectica ferri delicato fastidio voluissent, aliàs non condicturi ad conuiuium; de Assuero, an de se animóque deliciis soluto queri debuissent? Quod satis erat iuuandis infirmis Rex fecerat; arbitraria sunt amicitiæ dona, subditorum fuit gratuita quælibet gratanter excipere. Habes lector quo mentis oculos identidem pascas, dum Ebbonem audio, quasi quendam sacrarum largitionum Comitem, Regis regum dona præparcè distribuentem.

Locus Petri quo probatur Christũ pro omnibus esse mortuũ. Quæritur, an omnes omnino homines, an ex omnibus aliqui vocati sint à Deo, redempti à Christo? Vtrum Deus velit omnes generaliter homines saluari, & eam in rem Christus pro illis omnibus datus sit redemptor; an aliquos tantùm ex omni illorum numero saluari velit, & redimi? Respondet Petrus Apostolus. *Deus patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* (2. Petr. 3.) Si non vult aliquos perire, certè vult omnes saluari. Quos *omnes?* An fideles solos quibus scribit, *propter vos?* Sed erant illi prima iam eluti pœnitentia, secundam in illa vitæ sanctitate, in fidei nascentis incunabulis, in exilio pro religione tolerato, quis requirat? Infideles igitur, ad primam pœnitentiam, hoc est, ad baptismum inuitatos, vt olim concionabatur: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrûm.* Quem locum expendens Benedictus Iustinianus, (Bened. Iustin. in eum locum. n. 5.) *Impiè igitur,* inquit, *vociferatur Impostorum princeps* (Caluinus) *Deus impios destinauit creare, vt perdat. Et alius quidam eius sectator & symmysta, noluisse Deum, vt Christus pro omnibus pateretur, moreretur, satisfaceret. Quod vtrunque cum Dei bonitate ac misericordia, quam hoc loco laudat Apostolus, ex aduerso pugnat.* Pergit dicere, in nonnullis scripturæ locis vocem, *multi*, hoc in proposito reperiri; eáque non tam Christi voluntatem, quæ generaliter omnes complectitur; quàm mortis eius fructum, declarari, qui non iam ad omnes, sed ad aliquos ex omnibus, numero *multos* peruenit. Post quæ subdit. *Non igitur audiendi sunt Prædestinatiani, non Arnobius quicunque ille sit auctor commentariorum in Psalmos, non Faustus, non Remigius Lugdunensis, qui negant Christum natum esse ac mortuum pro omnibus.* Nollem Faustum hîc nominatum. Nam vt id de Prædestinatianis concedam, déque Pseudoremigio nostro, qui Prædestinatiani Gotteschalci partes fouendas suscepit: de Reiensi Fausto quî assentiar, quem aduersùs Prædestinatianos affirmantem sententiam disseruisse oculis nostris credimus, dum ait, *Dominum nostrum Iesum Christum aiunt humanam carnem non pro omnium salute sumpsisse, nec pro omnibus mortuum esse. Hoc omnimodis catholica detestatur Ecclesia.* & quæ sequuntur. (*Defenditur Faustus* Re. l. 1. de lib. arbit. c. 16.) Ille quoque Pseudoarnobius in eadem est sen-

tentia, sed cum Prædestinato hypotheticè disputat. Postquam enim pronunciauit, generalem Dei gratiam omnium hominum bona voluntate priorem esse, subiicit. *Nota tibi Prædestinate quod loquor, omnium generaliter bonam voluntatem Christi gratia hoc ordine quo diximus, antecedit: si tamen pro omnibus natus, si tamen pro omnibus mortuus. Si non negas pro omnibus mortuum.* & quæ sequuntur, in quibus medici officinam apertam ait, & emissam ab eo vocem, *Venite ad me omnes.* Non nego hos auctores, & hos locos Pelagianismo corruptos esse, sed de Prædestinatiano errore, & de generali omnium vocandorum, redimendorumque voluntate, quæstio est. Quam verus quoque agnoscit Arnobius, cùm cuilibet ethnico dicit, *Vis sumere quod offertur, atque in vsus tuos conuertere? Consulueris tu tibi. Aspernaris, contemnis, & despicis? Te muneris commoditate priuaueris. Nulli Deus infert necessitatem, imperiosa formidine nullum terret.* Sed hæc aliena, vnum mihi modò satis, bonorum interpretum iudicio, his Apostoli Petri verbis, generalem in Deo omnes omnino homines saluandi, & redimendi voluntatem probari. Hæc igitur Epistolario fingamus obiici.

Et Arnobius in Psalm. 146.

Arnob. l. 2. contra Gent.

Sed alia sunt in Apostolo Paulo apertiora, & vulgatiora, quibus ad eandem quæstionem respondet scribens ad Timotheum, vt à fidelibus sibi subditis preces ad Deum fundi iubeat *pro omnibus hominibus.* & priuatim pro regibus, principibus, & magistratibus, vt quietè pacatéque Resp. gubernetur. *Hoc enim bonum est, & acceptum coram Saluatore nostro Deo Patre,* vt antè dixerat, *secundùm imperium Dei, saluatoris nostri:* quia filium suum vnigenitum dedit saluatorem: *qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus; qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Non est simplex ea positio, sed ratio allegata, cur Deum *pro omnibus hominibus* rogari oporteat, *quia omnes homines vult saluos fieri,* & fideles; non enim aliam ob causam has orationes acceptas habet, nisi quia bonum à se posci vult, quod vult elargiri. Quibus? illis ipsis pro quibus rogatur, *omnibus hominibus* sine exceptione: imò cum eorum expressione, quos Paulo moraliter certum est nunquam iri conuersum ad fidem. Quis id enim de Nerone, & Senatu Romano tum speraret? Quare horum *omnium hominum mediator est Christus, & redemptio.* Atque ista pendent inuicem, vt Pater sit *Saluator,* quia *vult omnes homines saluos fieri,* & dedit redemptorem filium: Filius eam Patris voluntatem sequutus, semel *dederit semetipsum redemptionem pro omnibus,* eáque re factus sit in posterum *hominum mediator* & intercessor: vnde præclarè consequitur, vt Deo Patri preces offeramus per filium *pro omnibus hominibus,* etiam alienissimis à salute, qua vult eos saluari, & redimi, filiique sui mediatoris intercessionem bonam & acceptam pro iis habet. Quid sunt porro confecturæ preces illæ fidelium, Saluatori per mediatorem pro Regibus & optimatibus oblatæ? *Vt quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate.* Hæc est illa salus? Certè electis expedita ad salutem via: reprobis autem Regibus & magistratibus tenuis

Idem docet & Paulus 1. Timot. 2.

Ibid. c. 1.

quidam salutis radius, dum pietatis & castitatis exemplis ad earum virtutum, & fidei, quæ illas parit, amorem poterunt excitari: vel certè bona Reip. administratione, & sua & aliena crimina vetabunt, leuius proinde apud inferos torquendi. *Hoc enim bonum & acceptum est Saluatori,* qui omnibus hominibus plenam salutem ex se desiderat, nisi plures vitio suo ponerent obicem, ne vlteriùs progrediantur. Idem ergo dicit Paulus, quod Petrus: quando nolle aliquos perire, est velle omnes saluari: sed illud certiùs, hoc clariùs: pariter enim explicationes Pauli affirmatiua propositio, quas Petri negatiua proscribit. Si non & ipse eadem Epistola illas voluit excludere, cùm ait, *speramus in Deum viuum, qui est saluator omnium hominum, maximè fidelium.* Nam vt hac indicatione manifestè ostendit se omnes generaliter homines comprehendere, quorum Deus sit saluator: ita Reges & magistratus expresè includens precibus Sanctorum, neminem penitus à Dei voluntate cupit excludi, qua *vult omnes homines saluos fieri.* Omitto reliquos eiusdem Apostoli locos, quia hic vnus ex omnibus maximè obuius est, & pluribus modis explicatus.

Ibid. c. 4.

§. I.

Scriptura loci de omnium salute & redemptione quomodo explicentur ab auctore.

AD hunc igitur locum scripturæ, illi opinioni oppositum, Respondet in-primis S. Augustinus multis eum modis exponens, qui auidè ab omnibus istis auctoribus arripiuntur. Nos autem illos vt à tanto Doctore excogitatos, & à S. Thoma recensitos, cum reuerentia audimus: ab assensu tamen illis præbendo multis aliis rationibus, plurimorum & clarorum virorum exemplo prohibemur; quas si modò viueret in terris, suo calculo comprobaret. In Enchiridio ergo ad Laurentium sic loquitur: *Cùm audimus, & in sacris litteris legimus, quòd velit omnes homines saluos fieri, quamuis certum sit nobis, non omnes homines saluos fieri; non tamen ideo debemus omnipotentissimæ Dei voluntati aliquid derogare:* de qua videlicet scriptum est, *Omnia quæcunque voluit, fecit.* Hoc tanquam disputationis totius fundamentum substernit, & paulò fusiùs explicat Epistolarius noster. Atque cùm *hunc obscurissimum & difficillimum locum* appellauit, modos tres eius exponendi, ex scriptis catholicorum Patrum profert, nullo tamen nominatim expresso. quod leuius est, quàm vt in disputatione seria notandum videretur, nisi simile aliud ipse pro vitio, in Rabani Epistola obseruandum, iteratò proponeret. Sic igitur Augustinus, debere nos *ita intelligere quod scriptum est, qui vult omnes homines saluos fieri: tanquam diceretur, nullum hominem fieri saluum, nisi quem saluum fieri ipse voluerit. Non quòd nullus sit hominum, nisi quem saluum fieri velit, sed quòd nullus fiat, nisi quem velit: & ideo sit rogandus vt velit, quia necesse est fieri si voluerit: De orando quippe Deo agebat Apostolus vt hoc diceret.* Vera propositio, sed non genuina expositio. Non enim christianas preces pro iis solis petit Apostolus, quos omnipotente & absoluta voluntate saluari Deus

Prima explicatio loci propositi.

August. in Enchir. c. 103. S. Th. 1. p. q. 19. a. 6. cit.

L. de 3. epist. c. 11.

Ibid. c. 45.

August. ibid. & l. 4. contra Iulian. c. 8.

Refellitur.

velit, ac proinde necesse sit actu saluari; neque vult plenam omnibus salutem impetrari, sed Regibus & magistratibus fidelem Reipublicæ curam, vt ea pacatè & tranquillè administretur. Neque demum petitur vt Deus velit, quod *vult* de se, sed vt gratias subministret quibus id efficere possint omnes homines, reges & optimates, quod vult ipse fieri. Eòdem redit expositio alia nostris auctoribus vsitata. Vult omnes saluos fieri, qui saluantur; *non quòd omnes saluentur, sed quod nemo, nisi miserationis eius voluntate saluetur.* Ita & Seruatus Lupus, *Pro omnibus Dei filium gustasse mortem, sic accipi posse insinuat, quemadmodum Deum velle omnes fieri saluos. Vt enim saluos fieri vult omnes, quicunque saluantur: ita redimit omnes, quicunque redimuntur.* Quod probare pergit alio Enchiridij loco, vbi dicit Augustinus, Ecclesiam sanguine Mediatoris nullum habentis peccatum, ab omni redemptam esse peccato.

L. de trib. epist. c. 11. cit.

Seruat. Lup. l. de trib. quæst. q. 3. August. in Enchir. c. 64.

Iterum refellitur.

Sed vt hinc incipiam, certo certius est Ecclesiam ab Augustino non intelligi solos electos, qui reipsa plenè & consummatè saluantur & redimuntur, vt patet ex tota aduersùs Donatistas controuersia. Ergo à Mediatore redimuntur alij, quàm electi. Deinde, quantùm abest ea propositio à sensu identico, Deus vult omnes saluos fieri, qui salui fiunt per eius voluntatem, id est, quos vult saluos fieri? Ad hæc, nostra quæstio non est, an possint aliqui aliter, quàm per voluntatem Dei, & Christi redemptionem salui fieri? Sed, an aliqui, quos Dei voluntas & Christi passio cupit saluos fieri, salute illa per vitium suum excidant? Denique ad Assueri conuiuium respectemus. Fac tantùm aliquos certo numero è Susianis ciuibus ad epulum inuitatos accessisse, ceteros vrbe tota cibi defectu, ieiunos mansisse. An rectè dixeris; Voluit Assuerus omnes ciues opiparè conuiuari, videlicet, qui sunt conuiuati: quia nemo, nisi quem ipse voluit & vocauit, conuiuatus est, aut comedit? Est-ne ille sensus horum verborum scripturæ, *Inuitauit omnem populum, à maximo vsque ad minimum,* hoc est, nemo est inuitatus, nisi qui est inuitatus ab Assuero: siue, nemo præter Assuerum hominem vllum ad conuiuium inuitauit? An satisfaciet ea ratio latranti miserorum stomacho, qui ex omnibus inuitatis non fuerunt, & septiduum totum fame confecti sunt? An poterit morientibus dicere Assuerus, *vocaui & renuistis?* Illós-ne iustè contempti conuiuij damnabit, qui non inuitati adire non potuerunt? An iure dicetur omnes vocasse, qui paucis saginatis, immensam multitudinem inedia confecerit?

Secunda expositio ex eodem August.

Ibid. Enchir. c. 103.

Respondet 2. idem Augustinus, per omnes homines *omne humanum genus intelligi, per quascunque differentias distributum, reges, priuatos, nobiles, ignobiles, sublimes, humiles, doctos, indoctos, integros corporis, debiles, ingeniosos, tardicordes, fatuos, diuites, pauperes, mediocres, mares, feminas, infantes, pueros, adolescentes, iuuenes, seniores, senes,* &c. *& si quid aliud differentiarum est in hominibus.* Probat simili loco ex Euangelio: *Decimatis mentam, & rutam, & omne olus:* quo non significatur alienum olus, & vbicunque terrarum sparsum. *Sicut ergo hîc omne olus, omne olerum genus: ita & illic omnes homines, omne hominum genus*

Luc. c. 11.

intelligere possumus. Hæc est expositionum celeberrima, quam nemo istorum tacet: illam in ceterarum capite collocat Epistolarius: secundùm illam Seruatus Lupus Christi dictum explicat, *omnia traham ad meipsum. Ex omni hominum genere elegit quoscunque saluare decreuit; qui multi dicti sunt, quia plures vbique saluantur: omnes autem, quia ex omni genere hominum colliguntur.* Illam Theodorus Beza *germanam esse huius loci sententiam* clamat: nempe *ista non ad singulos homines, sed ad quauis hominum genera pertinere. Itaque planè aberrare à scopo, qui singulis hominibus hæc Apostoli dicta accommodant, & nostræ consolationis fundamentum conuellunt.* Quod est autem istud consolationis fundamentum? An quòd soli Bezæ sectatores, pusillus grex, sint electi? Non veretur vocem illam munifici patris-familias, *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus?*

Seruat. Lup. cit.

Theod. Beza in hunc locum Pauli.

Refellitur.

Iterum ergo verissima propositio est, velle Deum actu saluare, & reipsa saluari, non singulos generum, sed genera singulorum: sed aliena expositio à verbis & mente Apostoli, & à statu quæstionis. Non enim quærimus, an singulos Deus velit saluos fieri actu, vt nemo actu pereat, sed omnes actu reuertantur ad pœnitentiam: quod vel cæcis notum est non fieri. Neque vult tantùm fideles Apostolus pro iis precari, qui reipsa saluandi sunt, pro aliquibus regibus, aliquibus magnatibus, aliquibus hominibus ex omnibus generibus, & quacunque conditione. Neque euadit Beza, dum *omnes homines,* ὑπὲρ πάντων ἀνθρώπων, vertit *quosuis homines.* Nam & ea vox singula indiuidua, non genera designat. Nisi dicas expressiùs, cuiusuis ordinis aut conditionis homines. *Nostrum est*, inquit, *pro quibusuis precari, sublato graduum & dignitatum, itémque fidelium & externorum discrimine; nec iudicare abiectos à Deo, qui nondum ad Ecclesiam accesserunt.* Dic amabo, sunt-ne aliqui in gradibus illis & dignitatibus, pro quibus rogari nolit Apostolus? *Pro quibusuis,* inquis, illorum graduum; ergo pro omnibus, excluso nemine, & pro singulis illorum generum, quod ipsum volumus. Vis-ne pro solis fidelibus futuris preces concipi? Atqui Deus *saluator est omnium,* etiam non fidelium, quando *maximè fidelium,* siue præsentium, siue futurorum. Redi ad imaginem Assueri. Si Rex pusillum gregem conuiuarum è primis ducibus, è militibus, è mercatoribus, è sellulariis artificibus, è mulieribus, è pueris, è Persis, è Iudæis, ex Assyriis, nullo singulorum genere neglecto, sed innumeris singulis ex omni genere prætermissis collegisset, eum tu diceres omnes ciues inuitasse; omnes epulo ab ipso fuisse exceptos? Eadem ego via conficio, Niniuitas omnes, siue *quosuis*, Iobo fuisse similes, simplices & rectos, neque dignos cur eorum ciuitas in criminum pœnam euerteretur. In ea quippe, Dei testimonio, versabantur *plus quàm centum viginti millia hominum, qui nesciebant quid esset inter dexteram, & sinistram suam.* Credis adeo fuisse infelicem vnã aliquam hominum conditionem, quæ de tot millibus neminem sinu suo complecteretur? Nullos in pueris, aut senibus, aut viris, feminis, virginibus, militibus, aulicis, opificibus, infirmis, robustis, doctis, imperitis, in aliquo ciuium genere per quascunque differentias distributo,

Simile de Niniuitis. Ion. c. 3.

extitisse de beatis illis centum viginti millibus, & hanc innocentiam in paucis quibusdam ordinibus substitisse? Probabiliùs aio ego fusam fuisse per omnia genera, in quibus singulares aliqui tales reperirentur: Nam & in regno Israëlitico, in ipsis Palatinæ domus officiis, Abdiam legimus inter septem millia numerandum, qui non curuauerunt genu ante Baal. Habes ergo ex illa regula, Niniuitas omnes integros vitæ scelerisque puros. Cui bono igitur Ionæ missio, tantis illustrata prodigiis; prædicatio tanto terrore audita; Niniuitarum pœnitentia tanto ardore suscepta? Certè cùm aliqui ex generibus singulorum essent innocentes, reliquos eorundem generum, voluit *saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*; siue, *noluit aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti*: vt ita demum singuli generum seruarentur.

3. Reg. 23.

Tertiam producit idem Augustinus huius loci expositionem, quam ipsa proponendi methodo subindicat litteralem non esse. *Potest etiam sic intelligi, quòd omnes homines vult Deus saluos fieri, quoniam nos facit velle: sicut misit Spiritum filij sui clamantem Abba Pater, id est, nos clamare facientem. Si ergo clamantem Spiritum rectè dixit scriptura, à quo efficitur vt clamemus; rectè etiam & volentem Deum, à quo efficitur vt velimus.* Vnde concludit, corripiendos esse à præpositis subditos, & per eam correptionem reuocandos ad officium, quia id fieri vult Deus, qui voluntatem & corripiendi, & reuocandi superioribus inspirat. Quod & remotiùs ab instituto, & obscuriùs traditum, Lugdunensis noster sic exponit: *Vel certè ita intelligatur, qui vult omnes homines saluos fieri, quia hoc sanctos suos per Spiritum suum velle facit, id est, velle eis inspirat, vt omnes homines, sicut seipsos, saluos fieri optent.* Et allato Apostoli loco, pérque Gregorium explicato, quomodo spiritus postulet pro nobis, per eos quos ad postulandum impulerit, *Iuxta hunc sensum*, inquit, *ipse sanctus suis inspirat vt hoc velint, ipse eos ita volentes facit: sicut inspirauerat B. Paulo Apostolo, qui dicebat, Volo autem omnes homines esse sicut meipsum.* Sed mirum est, si sensum hunc pro vero & litterali venditare conatur: si putat Apostolum preces imperare pro regibus & magistratibus, vt fideles possint tranquillè & quietè pietati vacare, quia Deus voluntatem istis inspirat, vt illi & ceteri omnes homines salui fiant. Neque Pauli exemplum desiderantis & Agrippam regem, & alios in iudicio præsentes, & omnes homines sibi similes fieri, ad rem illius auctoris facit, quod nostram potiùs iuuat. Nam in priore textu non scribitur *omnes homines*, sed *omnes vos*, Corinthios iam fideles, quibus optat id, quod ad salutem minimè necessarium est, cuius & permittit contrarium. Agrippa verò ad Christi fidem nunquam accessit, & tamen inspirauit Deus, inquit, Apostolo, vt eius conuersionem cuperet, & desiderium salutis omnium conciperet: ergo salutem illam vult Deus nunquam consecuturis, quam suis inspirat frustra desideraturis. Quæ ratio explicationem illam penitus inanem reddit. Nam quod se rogari Deus inspirat, vel cupit concedere, vel omnino decreuit negare: non dico, concedet actu, sed de se paratus est ad donandum, nisi quæ alia causa liberalitatis fontem occludat. Primum probas? Bene est, conuenimus: sanctos suos Deus volentes facit, quod ipse vult fieri. At certum est, & Apostolos, & Apostolico spiritu præditos omnes id maximè cupere, & Deum vehementer obsecrare, vt omnes quotquot sunt erúntque homines, etiam à fide modò alienissimi, etiam Christianæ religionis penitus ignari, etiam qui tales perseueraturi sunt vsque ad exitum, salui fiant, & ad agnitionem veritatis veniant; ergo non solos electos, aut credentes, credituróśque solos, sed omnes generaliter homines vult saluos fieri, licèt nunquam salui futuri sint. Secundum tibi potiùs conuenire arbitraris? Neque fictionem Deo vereris imponere, vt hoc amicis suis inspirando, velle se significet, quod omnino nolle constituit? Quid? Michæas apud Achabum ita prophetiam simulare non potuit, quin manifestis signis deprehenderetur ex animi sui sententia non loqui: & Spiritus veritatis crebra & ardentissima impulsione animabus innocentissimis sponsis suis, quibus etiam reuelat arcana quæ non licet homini loqui, persuadebit id frustra petere, quod antecedente & absoluta voluntate ratum & fixum habet non donare? Non sic Ieremiam tractauit cùm diceret, *Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem, & orationem, & non obsistas mihi, quia non exaudiam te.* Non sic Iudæos apud Ezechielem, cùm obtestaretur: *Et si fuerint tres viri isti in medio eius, Noë, Daniel, & Iob, viuo ego dicit Dominus Deus, quia filium, & filiam non liberabunt, sed ipsi iustitia sua liberabunt animas suas.* Licét-ne dubitare, quin verè & ex animo, neque illa tantùm voluntate quam signi appellant, vellet Deus Pentapolitanos omnes saluos fieri, & ad pœnitentiam reuerti, quos tamen certissimè sciebat perituros, & ad perdendos descenderat, cùm Abrahamo sensus & verba suggereret, quibus pacem & veniam hominibus execrandis rogaret, eámque Angelus sextò promitteret? Assumo & hîc parabolam meam. Si paucos conuiuas, quos antè memorabamus, ex omnibus ciuium ordinibus electos, validè impulisset Assuerus, vt pro absentibus non inuitatis, non accessuris, quos ipse penitus nec vocare, nec admittere vnquam decreuisset, enixè supplicarent, quò vellet eos conuiuij participes facere, & vocatum mitteret, quanto risu fabulam & Rex & purpurati, eius consiliorum gnari accepissent? Quis eorum iurasset, velle Regem omnes Susianos mensæ suæ accumbere, etsi faceret vt hoc illis bonum optarent conuiuæ? Quare si fallere nollet & mentiri; hoc ipsum omnino cupere debuisset, & quacunque præcones emittere qui vocarent; licèt plurimos sciret recusaturos, vt est in Euangelio.

Tertia expositio ex eodem. l. de corrept. & grat. c. 15.

L. de 3. epist. c. 11. cit.

1. Cor. 7.

Act. c. 26.

3. Reg. 22.

Ierem. c. 7. & 11.

Ezech. & 14.

Gen. c. 18.

Quarta loci Apostolici expositio tandem illa est quæ vera, & *à sanctis Patribus intellecta inuenitur*, vt *simpliciter accipiatur de omnibus hominibus, quantùm in ipso est, Deum velle omnes saluari bonitate creatoris*; intelligo velut additum, *& saluatoris: Sed quia liberi arbitrij eos condidit, expectet* oblata ipsis gratia vocationis, *vt hoc etiam ipsi velint; & si voluerint, iustè saluentur; si noluerint, iustè puniantur.* Vnde fit, vt quos *velit saluos fieri bonitate creatoris, si indignos salute iudicauerit, iusta iudicis seueritate non saluet.* Placet auctori nostro ea distinctio, ad quam

Quarta expositio vera. l. de 3. epist. c. 11.

Ibid. c. 28. quam vi rationum pertrahi se non ignorat. Nam inferiùs hunc locum exponens, ait, duobus modis dici posse, Deum omnibus simpliciter hominibus salutem velle, *dum alios ita vult saluos fieri, vt eos ipse omnino faciat saluos, sicut omnes electos: alios verò ita saluos velit fieri, vt eos omnino non saluet, sed in æternum perire permittat; sicut vtique omnes reprobos, quos iuxta hunc sensum, & vt benignus creator saluari voluit, & vt iustus iudex æternæ perditioni tradidit.* Sic ille, quamuis non distinctissimè, vt neque alibi, cùm proponenti Rabano, *Si Deus non vult mortem impij & peccatoris, quomodo prædestinat eum ad mortem?* Respondet, *quia illud non vult bonitate conditoris, istud autem facit iudicis æquitate, vt & saluare velit quod creauit, & tamen creaturæ vitium non relinquat impunitum.* Atque ea si rectè attenditur, in duplicem incidit Dei voluntatem, antecedentem, & consequentem ex Ioanne Damasceno superiùs declaratam. In ea tamen explicanda fallit Ebbo, quòd auctores catholicos, à quibus dicitur Deus expectare vt ipsi velint saluari, Pelagianos facit, dum non consensum, sed primum sensum offerri Deo per homines in hac opinione sibi persuadet. Hoc enim qui credunt, certè fauent Pelagio: sed qui post excitatam & permotam gratuito dono voluntatem, quod addidimus explicando, liberum eius consensum, & sic adiuti hominis laborem, à Deo dicunt expectari, qui neque libertati vim afferre, neque otiosos, & talium operum patientes saluare decreuit, ij omnino probè & catholicè sentiunt & loquuntur. Ita post multos amfractus & ambages redditur in viam, & veritati manus dantur. Quod à se desiderari Seruatus Lupus non patitur, sed si quis valeat demonstrare, sanguinem Redemptoris prodesse aliquid etiam perditis, *Non solum*, inquit, *resistamus nihil, verùm etiam libenter in eorum sententiam transeamus. Nam si sol cæcos non illuminet, tamen fouet: cur non potentior sol, tametsi non saluat suo merito excæcatos atque damnatos, tanti pretij meritò puniat mitius?* Quos nimirum gratia redemptoris à perpetrandis sceleribus prohibuerit, in quæ ruissent præcipites, si nullo eius beneficio fruerentur.

Ibid. c. 40.

Seruat. Lup. l. de trib. quæst. q. 3.

Exemplo confirmatur. Nihil igitur inquirendum restat, sed ingenua illorum confessio epulis Assueri corroboranda, ne vacillet. Finge tibi animo, post cibos luxu persico apparatos, & ciues quicunque Susa incolunt, sine vllo discrimine, & exceptione inuitatos, afferri magno Regi historias & Annales priorum temporum, inque iis legi, non solùm insidias Eunuchorum duorum, sed etiam quingentorum, aut mille subditorum crimina, quibus non iam excipi conuiuio, sed morte mulctari mereantur. Eo cognito, his priuatim Regiæ aditu interdici, donec ad genua Satrapæ cuiusdam, aut Chiliarchi supplices accesserint, & præteritorum gratiam sibi fieri cum eiulatu postulauerint. Qui non faxit, ineunte septiduo cùm ceteri ad hilaritatem conuenient coronati, deiiciendum in Lethen, aut ad scaphas damnandum.¶ Nonne tum Assuerus, Regis bonitate & magnificentia omnes vniuersè ciues, etiam impios illos vocauerit, quos deinde post scelera & exomologeseos contemptum *iusta iudicis seueritate* castiget? Et ne paruulos prætergamus, quos sæpe commemorat Augustinus, nostri non tacent. Si reis illis parentibus permitteret ad Regiæ fores infantes exponere, futuros etiam communis boni participes, & id illorum plurimi facere prætermitterent, nonne & ipsos æquè inuitaret ad epulas, & parentum culpa, vel quo alio casu non adductos, iure excluderet? Hoc vt vides, Lector, fateri coguntur aduersarij; quanquam profectò parum constanter, & Pseudoremigius maximè, qui in veritate non stetit, sed mox alia omnia de redemptione tradidit. Quasi sit gratia Redemptoris, angustior bonitate creatoris; & Pater qui propter datum pro omnibus filium Saluator est, filius æquè cum Patre creator, & præter Patrem, factus Redemptio pro omnibus hominibus, infinitis hominum millibus gratiam redemptionis inuideant, quos volunt per eandem gratiam saluos fieri.

§. II.

Nonnulla de iis qui sunt à Christo redempti peculiariter addita & expensa.

Quatuor hominum genera. l. de 3. epist. c. 14. 15. ROGATVS enimuerò, pro quibus tandem venerit Christus in mundum, & crucem conscenderit? ἐπαγγελίας gratia, homines omnes in quatuor ordines partitur. Primus est, electorum & prædestinatorũ in vitam æternam. Hi propriè & perfectè sunt oues, de quibus dixit. *Ego sum Pastor bonus; bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis.* Ioan. c. 10. Et iterum: *Animam meam pono pro ouibus meis*; Secundus, eorum qui baptismo tincti, & verè in Ecclesiam recepti, ab ea deinde per apostasiam recedunt, vel retenta fide & Ecclesiæ communione, peccatis mortalibus obligati, caritatis expertes moriuntur. Et isti ad oues pertinent, sed ad tempus; qui Christo iudici, prophetias & miracula sua commemorantes, audient extremum illud: *Amen dico vobis, nescio vos.* Quorum ingratissimum animum, & miserabilem conditionem multis amplificat Apostolus, cùm ait, *Impossibile esse eos qui semel sunt inluminati, & prolapsi sunt, renouari rursus ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes.* Hebr. c. 6. Tertius, eorum, est qui adhuc in infidelitate constituti, & in tenebris ambulantes, ad lucem & rectam fidem aliquando peruenient, siue in ea perseueraturi sint inter electos, siue cum aliis malè perituri: de quibus dixit Christus, *Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor.* Ioan. c. 10. De quibus tum erat Cornelius Centurio, & Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alij cum eis. Quartus denique, infidelium illorum, qui quacunque ex caussa errorum tenebras nunquam excutient, neque ad veræ religionis cultum & fidem accessuri sunt; quibus dixit Christus. *Vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis.* Ioan. c. 8. Et iterum, *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* In quibus fuerunt Pilatus & Herodes; Agrippa & Festus; Tiberius & Nero. Ad hæc genera quatuor, ex auctoris mente, referimus omnes omnium temporum homines quicunque Christum ætate vel præcesserunt, vel sequuti sunt, qui ab Adamo,

vsque ad consummationem seculi condentur à Deo: Nam fuerunt omnes & erunt, vel electi, vel reprobi; fideles, vel infideles. Si fideles, & longè ampliùs, si electi, *Non est in alio aliquo salus: nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Si infideles, *qui incredulus est filio, non vidit vitam, sed ira Dei manet super eum*. tum originali, tum actualibus peccatis prouocata, nunquam verò placata. Nonnihil tamen discriminis inuenire possit aliquis, inter priorum & posteriorum seculorum infideles; quòd illi futuram Christi redemptionem ita nescierunt, vt omnino scire potuisse non videantur, qui neque captiuitatem suam, neque tyrannum Diabolum, vnquam vel per somnium cogitarunt. Hi verò vniuersum orbem iamdudum collustrante Christi fide, si paucas barbarorum insulas excipimus, & ipsas, vt credimus, ante mundi occasum lustrandas, cæcitatem suam videre videntur, & ignorantia minùs tolerabili, fœdus cum inferno pacisci.

Act. c. 4.

Ioan. c. 3.

Itaque de tribus primis ordinibus asseueratè pronuntiat scriptor, *Dominum Iesum Christum & venisse vt eos saluaret, & crucifixum esse vt eos redimeret, eósque in sua morte baptizaret, & in suo sanguine à peccatis ablueret*. In quo quantùm à Gotteschalco recedit, tantùm ad catholicos accedit. Sunt tamen in hoc articulo, duo non obiter prætereunda, quorum altero nobis, altero sibi non satis concordat. Prius est, vocem *multi*, in communissima significatione accipi ab eo strictè, vt voci *omnes* opponitur, *Dare animam suam redemptionem pro multis: Pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum: Christus semel oblatus est, ad multorum exhaurienda peccata*. Et *omnes* ad *multos* illos contrahi. Nullũ siquidem Euangelistarũ scripsisse notat, pro omnibus, sed *pro multis, pro vobis, id est, pro his qui credere voluerint*, vt addit Seruatus Lupus ex Hieronymo. Multi igitur illi, sunt tria hominum genera, inquiunt, quæ sunt de ouibus Christi, exclusis aliis, quos ipse Christus excludit. Sed de his vocibus, iam libatum est à nobis superiùs nonnihil. Neque dubitari potest, quin sæpissimè Apostolus vocem *multi* refundat in, *omnes*; vt quoties de peccato Adami loquitur naturæ totius corruptore: tum verò cùm soleat opponere Christi redemptionem, sequitur vt illa non minùs intelligenda sit naturæ vniuersæ reparatrix. *Ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Si enim vnius delicto multi mortui sunt; multò magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit.* Et alibi. *Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum: & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Hic ego omnium vniuersè, etiam impiorum, resurrectionem intelligo, Christi meritis comparatam.

Pro tribus primis generibus Christus mortuus est. l. de 3. epist. c. 16.

Multi & omnes.

Seruat. Lup. epist. ad Car. Reg.

Rom. c. 5.

1. Cor. 15.

Alterum est de Iuda proditore, quem nescio quis possit à secundo hominum fidelium statu repellere, qui præter ceteros electus à Christo, cum ceteris Christum sequutus est, inter ceteros miracula patrauit, ad extremum facti pœnitens sanguinem iustum se tradidisse confessus est. Fidelis profectò, sed fur, & desperans. Affirmat nihilominus scriptor, *nullatenus ad Christi redemptionem pertinere*. Quod & Leonis Papæ auctoritate probare contendit: *Ad hanc indulgentiam traditor Iudas peruenire non potuit; quoniam perditionis filius, cui Diabolus stabat à dextris, priùs in desperationem transiit, quàm Sacramentum generalis redemptionis Christus impleret. Nam mortuo pro impiis omnibus Domino, potuisset forte etiam hic consequi remedium, si non festinasset ad laqueum.* Sed locus ille, de sola passionis erga Iudam efficientia potest intelligi, cùm frequenter & ab eodem Leone, & à ceteris Patribus, dicatur Iudas illo sanguine, qui per eius crimen fundebatur, redimi potuisse. Sola enim desperatione & laqueo spem omnem salutis præcidit, ceteris impiis antea non absimilis, quos vera pœnitentia perfecta redemptione donauit, aut certè donare potuit. Neque vim ponet Ebbo, vt arbitror, in eo quòd Iudæ laqueus, Christi mortem præcesserit. Nam & illum Christo superfuisse narrant historiæ, & redemptio morti Christi, non momento mortis fuit illigata, vt ante mortem ipsius redemptus sit nemo; & mortis tempus auctorem non iuuat, qui neque infideles Christo posteriores redemptos fuisse existimat. Iam quod Iudæ redemptorem Christum vocat Leo, *Redemptorem etiam tuum vendidisti*, ridiculè exponit, *non quod redemptor illius intelligendus sit, sed quia in illa generali redemptione Passionis Christi, potuisset & ipse fortasse consequi remediũ, si non cucurrisset ad laqueum*. Quis enim loquentem ferat, Deus creator est plurium mundorum, quia potest fortasse illos creare. Assuerus fuit inuitator omnium in centum viginti septem prouinciis degentium, quia fortasse potuit illos inuitare? Quid? Nónne Christus omnes omnino homines passione sua, etiam infideles omnium temporum saluare potuit? Dic ergo cur nolis omnium Saluatorem appellare?

Christũ pro Iuda mortuum non esse docet. c. 19.

Leo hom. 1. de pass. c. 5.

Refellitur.

Addo ad demensum, malè de Iudæis exponi eundem locum Leonis Magni, qui sic refertur. *Respice tandem Iudae, respice, & ad redemptorem etiam tuum, deposita infidelitate conuertere. Noli sceleris tui immanitate terreri; non iustos Christus, sed peccatores vocat; nec impietatem tuam repellit, qui pro te, cùm crucifixus esset, orauit.* Explicat Epistolarius, non fuisse Iudæorum omnium redemptorem, sicut nec orasse pro omnibus, sed in illo populo fuisse, & esse multos, qui pœnitentiam agerent, & venirent ad fidem, pro quibus orauit, & quos solos redemit. Quam expositionem contortam, & à magni Pontificis mente alienam esse ostendit vox eius alio loco simillima, nec illi calumniæ obnoxia. *Quam* (passionem) *Dominus Iesus ita ad omnium hominum suscepit salutem, vt inter clauos, quibus ligno tenebatur affixus, pro interfectoribus suis paterna clementia supplicaret & diceret, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Argumentum est minorum & maiorum. Nam si pro iis ipsis à quibus tam atrocia, tanta cum iniustitia tolerabat, misericordiam paternam sollicitauit; quantò æquius est iudicare fructum eius passionis omnibus oblatum esse? Qui fuerint autem illi pro quibus oraret, ita subiicit. *Principes autem Sacerdotum quibus indulgentiam Saluator petebat, supplicium crucis irrisionum aculeis asperabant.* Rogabat igitur pro transgressoribus crudelissimis Principibus Sacerdotum, quos in impietate, & infidelitate perseuerasse nemo dubitat. Ergo qui B. Leonis mentem de omnibus omnino Iudæis,

Leo malè explicatus. ibid.

Idem hom. 4. de pass. c. 1.

& de traditore Iuda ad Christi redemptionem pertinentibus, non capiunt, sunt *vel minus attendentes, vel minus intelligentes*, vt loquitur hic Pseudoremigius.

§. III.

De Infidelibus in infidelitate pereuntibus.

Putat infideles in infidelitate pereuntes non esse redemptos. c. 18.

QVARTVM verò hominum ordinem, ex omnibus infidelibus qui ante, quíque post Christum in impietate perierunt, conflatum, à Christi redemptione, penitùs, & in totum excludit auctor, hoc primùm argumento, quo tempus vtrunque connectit. Simili penitus modo de vtrísque philosophandum est, vt qui sunt pares impietate, pares perditione, pariter etiam extranei sint à Christi redemptione: atqui infinita illa multitudo impiorum qui ab exordio mundi, vsque ad passionem mortui sunt & damnati, non fuerunt redempti à Christo, nec ad eos saluandos vllatenus venit: ergo de ista minori infidelium parte idem sentiendum est, qui post Christum nati sunt: deterioris aliàs futuris, quàm maiores illorum, conditionis; siquidem maiorem & grauiorem incurrerent cumulum damnationis.

Refellitur.

Huius ego syllogismi propositiones singulas ad examen reuocandas, & obelo dignas esse iudico. Est enim notatum antea, cur vtrorumque par ratio esse non debeat, in æstimanda infidelitatis culpa; cum via ad lumen hauriendum posterioribus & vicinior & expeditior fuerit, & modò sit. Nisi fortè vetustissimos illos mortalium Sesostrim, Anubim, Ninum, Saturnũ, cum Pharaone conferre audes, qui cum Deo ipso tot prodigiis notissimo, pugnare non dubitauit: aut veteres Iudæos qui fuerunt increduli, cum nouis istis ex ipsa pertinacia & obduratione concretis, æquiparas. Si vis quoad redemptionis beneficium pares existere, quod thesis postulat, aio certè neutros illud esse commeritos, vt neque nos ipsos: vtrosque illa fuisse indignos, vt & nos ipsos: vtrosque fructu illius æquè excidere, illo, inquã, effectu, qui summam rei facit, æternæ vitæ fruitione. Sed non eodem modo; salus enim anteriorum iam erat deplorata; neque venire potuit Christus in tempore ad eos reparandos, quos ante id temporis ruina sempiterna oppresserat. Posteriorum autem fuit, éstque adhuc salus in integro, vt ad eam, si volunt inuitantem lucem aspicere, possint aspirare. Hoc sensu non facio pares redemptione, Romulum & Neronem, Themistoclem, & Herodem, Agrippam, Iulium Cæsarem, & Decium, aut Diocletianum. Sed quoniam passionis Christi meritum metas temporum nescit, & te ipso iudice, iustos ab exordio mundi, qui venturum aliquando crediderunt, & per eum se redemptum iri fideliter sperauerunt, ipse passione pòst secuta, *redemisse & saluasse, & ab inferni claustris eduxisse credendus est*; hoc dico, passionis eiusdem futuræ intuitu & meritis, parata iam tum, & per Dei misericordiam, donata fuisse impiis & infidelibus, iustorum æqualibus media ad fidem & spem, more iustorum, concipiendam sufficientia, quibus & ipsi redimi & saluari, & ab inferni claustris liberari possent, si oblato beneficio fideliter vterentur. Cuius dicti testem fundum habeo D. Thomam, pertinere asserentem ad diuinam prouidentiam, &, vt more tuo loquar, ad *bonitatem Creatoris*, vt cuilibet, etiam in syluis, vel inter brutas animantes enutrito (quantò magis inter homines rationis compotes) *prouideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte eius non impediatur. Hic enim si ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni, & fuga mali, certissimè est tenendum, quòd ei Deus, vel per internam inspirationem reuelaret ea quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium.* Hæc media non aliunde quàm ex Christi locupletissimo thesauro eruuntur, quibus qui carent, prouidentiam Saluatoris Dei ex parte sua impediunt. Hac in parte, si vis æqualitatem inter vtrosque quærere, & inuentam in rem tuam conuertere, per me licet. Eadem tamen interim mihi militabit, & assumptionem tuam euertet, quando verum futuræ passionis effectum mihi repræsentat, quo veteres Ethnici redimi potuerunt: ídque eorum demonstrat Theologia, qui Christum aiunt in terris positum, pro seculis præteritis postulasse quidem à Patre nihil, sed egisse gratias de salute iustis intuitu meritorum suorum donata; quidni & de mediis sufficientibus, quæ pariter infidelibus oblata sunt?

Priorum & posteriorum infidelium discrimen.

Omnibus parata necessaria ad salutem media.

D. Th. qq. disp. q. 14. de fide a. 11. ad 1.

Act. c. 10.

Malè opinionem suam confirmat.

Lepida porro ratione conclusionem confirmat, quòd, si pro innumerabili multitudine impiorum, per quatuor fermè annorum millia damnatorum mortuus non est, id magis credendum sit de inæstimabiliter minore infidelium post Christum natum numero. Quid hoc dicto magis incertum, atque obscurum esse potest, siue anteriora, siue posteriora secula consideramus? Nam in prioribus, quando certare vult de numero, quare illum non auxit ex Septuaginta Interpretum chronologia per Ecclesiam non improbata, quæ supra quinque annorum millia ante Christi ortum recenset? Nimirum enim Deus numero ducitur, qui inæstimabiliter maiorem humani generis partẽ, quæ per tot annorum millia præcessit, perditam voluit, & infinitis partibus minorem dato Saluatore, & Euangelio promulgato seruare contendit. De posterioribus verò, vnde habes minorem infidelium partem post Christum futuram esse, nisi nosti tempora & momenta, quæ pater posuit in sua potestate, nec ipsis Apostolis reuelanda? Quid si plura decem aut viginti annorum millibus supersunt decurrenda? *De die enim illa & hora, nemo scit, neque Angeli cælorum, nisi solus pater.* Tú-ne igitur rei tanti momenti, alia re obscurissima & incertissima speras pondus adiicere?

Act. c. 1.

Matth. c. 24.

Aliàs tantum pretiũ fore irritũ.

Alterum argumentum ex Petro Apostolo deducit. *Non estis vestri, empti enim estis pretio magno. Penset vnusquisque fidelis*, inquit, *vtrum tale pretium possit in aliqua parte esse inane & vacuum; an potius illarum mercium, pro quibus datum est, lucro & cumulo refertum.* Esset autem vacuum & irritum si iis non prodesset pro quibus datum est; ergo ad infideles non extenditur, qui ex eo vtilitatis nihil percipiunt, sed in solis fidelibus hærere debet, qui per illud ad fidem & iustificationem perueniunt.

Refellitur.

Valeret ea ratio, si quid infinito posset æquari: si paucorum electorum numerus, cum infinita pereuntium multitudine collatus, esset par lucrum, & cumulus tanto pretio non indignus. Fac homines quotquot fuerunt, sunt, & erunt; quotquot esse, & ab omnipotente creari pos-

sunt. Adde Angelos qui sunt, quique esse possunt: finge mundos innumerabiles, hoc sanguine redemptos, dicís-ne tale pretium iis mercibus fore cumulatè repensum? putás-ne vim & efficientiam omnem Theandrici sanguinis, illa multitudine quanta nec cogitari à nobis, nec comprehendi potest, exhauriendam? De iis loquor, inquis, pro quibus tale pretium datum est; in quorum gratiam & ad quos redimendos Deo patri oblatum est à filio. Satisfaciet sine dubio voluntarius ille numerus, cui si res de se æstimaretur, nullus vnquam posset satis esse. Sed redis ad caput quæstionis; oblatum enim pro solis fidelibus arbitraris, ego pro omnibus vti qui volent, & eodem pretio sufficientia omnibus vt velint, comparata esse media, idque ad pretij amplitudinem, ad cumulum eius & lucrum refertum, ad offerentis & suscipientis mentem propiùs accedere. Quod, vt istud addam superioribus, Ioannes non obscurè significat dicens, *ipsum esse propitiationem pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Vbi fideles omnes ad quos scribit, (est enim ipsius Bezæ confessione canonica hæc epistola, quod de duabus aliis negat) à toto mundo distinguit, credentes, à non credentibus, & in illorum persona, credituros, à non credituris; vt eò maiorem aduersùs Christum conciperent fiduciam, quò longiùs latiúsque liberalitatis suæ fontes diffundit. Sic eadem Epistola inferiùs, *totum mundum in maligno positum*, omnes vniuersè homines intelligit. Sic in Euangelio, *Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*, non vni genti, & populo, sed nationibus omnibus: *Non enim misit Deus filium suum in mundum*, certè in orbem terrarum, *vt iudicet mundum*, homines in orbe degentes, *sed vt saluetur mundus per ipsum*; illi homines ad quos missus est, de quibus dictum est: *Videbit omnis caro salutare Dei.* Quam expositionem sine dubio tradit S. Augustinus in hunc locum. *Ergo quantùm in medico est, sanare venit ægrotum: ipse se interimit qui præcepta medici obseruare non vult. Venit saluator in mundum. Quare saluator dictus est mundi, nisi vt saluet mundum, non vt iudicet mundum? Saluari non vis ab ipso? ex te iudicaberis.* Omnes alloquitur ægrotos, ad paratam medicinam omnes inuitat; culpa sua perire dicit eos qui iudicantur, quia saluari nolunt: & hæc culpa est, nolle quod possunt. Possunt autem, quia misit Deus filium suum in mundum, Pater saluator filium redemptorem, & ipse se dedit redemptionem pro omnibus hominibus; ergo pretium magnum pro omnibus datum est, licèt non omnes vtantur ad salutem. Malè igitur scriptor noster, mundum istum cui datus est vnigenitus Saluator, ad eos reducit qui verè saluantur, & pleno redemptionis effectu potiuntur; opponitque mundo infideli qui est inimicus Deo, nec reconciliatus Deo, de quo scriptum est, *& mundus eum non cognouit.*

1. Ioan. 1.

Ibid. c. 5.

Ioan. c. 3.

August. tr. 12. in Ioan.

L. de 3. epist. c. 14.

Argumentum ad hominem.

Nec minùs sua ipse priuatim opinione constringitur, cùm asserit, pro fidelibus omnibus, etiam iis qui perseueraturi non sunt, tale pretium esse datum; & tali lucro & cumulo refertum. Siquidem Ioannis dictum ad istos non pertinet, *vt omnis qui credit in ipsum*, credunt isti iam baptizati, & verè fideles, sed improbi, *non pereat, sed habeat vitam æternam*; eam non habebunt isti, finalem in dilectione Dei perseuerantiam non consecuturi: & tamen temporali fidei beneficio, ad plenam salutem, & vitam æternam inani & vacuo donati sunt, iudice te, redempti à Christo, qui venit *vt omnis non pereat, sed habeat vitam æternam.* Quidni ergo similiter erunt redempti & alij ægroti, quos quantùm in ipso est venit sanare medicus? Credunt in ipsum isti, non credunt illi, vtrique pereunt, nec habent vitam æternam. Concludo verbis & ratione auctoris. *Quid istis profecit eius passio, impiis*, quanquam fidelibus, *& in impietate sua perituris? nisi vt qui non sunt participes redemptionis* in vita æterna, *maiorem & grauiorem incurrant cumulum damnationis?* Errant sanè meo iudicio magis consequenter nouatores nostri opinionum illarum pessimi asseclæ, Caluini catuli, qui pro solis electis passum esse Christum, & pretiosum sanguinem fudisse, cum Gotteschalco asseuerant. Ibid. c. 18.

Christum non esse mediatorem omnium hominum. c. 16.

Peccat verò consequenter Pseudoremigius in eo, quòd Christum negat esse *infidelium mediatorem nec aduocatum, vel reconciliatorem, sed fidelium tantùm.* Quod vt ex erroneis principiis suis deducit; sic ex iis quæ contrà sunt à nobis disputata facilè conuellitur. Vnum annoto, conualuisse per hæc tempora, credo ex hac disputatione, vsum Apostolicæ locutionis, vt qui scandalum auertere, vel superiorem ad clementiam aduersùs inferiores inuitare, vel quid aliud simile volebant, sua in adhortatione solerent addere, *frater pro quo Christus mortuus est*, ne videlicet in salutis æternæ periculum aliena culpa adduceretur. Sic enim Gotteschalco dogmatizanti loquendum suadet Rabanus. *Vide frater tuo dogmate ne perdas eum, pro quo Christus mortuus est.* Et hic noster pro Gotteschalco in carcere, iudicum misericordiam excitat, vt *frater pro quo Christus mortuus est, per caritatem & spiritum mansuetudinis potiùs lucraretur, quàm abundantiore tristitia absorberetur.* Qui fuit semper in Ecclesia, vigétque adhuc Apostolicorum virorum sensus, vt cùm ad barbaras gentes prædicandi Euangelij gratia mittuntur, certò credant se animas à Christo redemptas venari: neque id tantùm de iis qui ad fidem & lauacrum regenerationis perueniunt, existiment; sed etiam inter atroces persecutiones, & horrenda supplicia, ipsorum carnificum pro quibus mortuus est Christus, salutem ardentissimè exoptent & postulent.

Raban. epist. ad Eberard.

Sententiā contrariam habet pro probabili. c. 20.

Ad extremum hîc meminisse sufficit, huic auctori ferra diu reciprocata lucem veritatis affulsisse tandem, vt fateri cogatur, probabilem esse Hincmari opinionem, venire ex pietate, damnari non debere; nihil in ea temerè definiendum. Quemadmodum Seruatus Lupus causam vult in medio relinqui; imò libenter in aduersariorum sententiam transire promittit. Tanta vis est veritatis, etiam ab inuitis extorquentis assensum. Et hactenus de priuatis scriptoribus: venio ad Concilia quorum isti sunt apparatus.

Seruat. Lup. l. de 3. quæst. q. 3.

HISTORIAE GOTTESCHALCI PRÆDESTINATIANI, ET CONTROVERSIÆ PER EVM REVOCATÆ LIBER QVARTVS:

QVI ET *CONCILIORVM IN HAC CONTROVERSIA CONFLICTVS.*

CAPVT I.

Sequenti Conciliorum contentioni quædam necessariò præstruuntur. Primùm de Lothario Imperatore, eiúsque Episcopis.

Quærenda causa turbarum aduersùs Hincmarii.

ACTENVS pacatè satis & moderatè, si Lugdunensem vnum excipimus, sententiam velut in Ecclesiastico Senatu dixerunt viri graues & eruditi. Sequuntur modò non quæstiones, sed rixæ; non disceptationes, sed contentiones; non controuersiæ, sed æmulationes: neque iam protegendi Gotteschalci, aut exquirendæ veritatis, sed lædendi Hincmari gratia scribitur ab Aduersariis, eritque in posterum Gotteschalci nomen mera vmbra, atque inimicitiarum, vindictæ, ambitionis siparium. Hoc sibi non ægrè persuaderi sinet, qui Remensem cogitabit æmulis nunquam caruisse, neque rariùs vidisse quicquam, quod de M. Cicerone legimus, quàm diem illum, quo die nullius interesset ipsum aut viuere, aut mori. Quid quòd non iam hastis iactatis, & leuibus velitationibus; sed ipsis Conciliis, & toto certatur corpore regni? Vt magnitudinem suam ex machinarum, quæ ad eam subuendam admotæ sunt, amplitudine, metiri, & gloriam ex ipso pugnæ apparatu quærere possit Hincmarus. Qualem ergo quantúmque fore putamus, cùm aduersariis partim volentibus, partim tacentibus, plenum de prostratis Prædestinatianis in Gotteschalco renatis trophæum eriget, & fidei triumphantis currum Imperante Carolo comitabitur? Sed ante illa, difficili prælio dimicandum est, in quo foris pugnæ, intus timores, neque minùs ab ciuibus cauendum, quàm ab hostibus. Sunt enim in Tragœdiis frequenter κατὰ πρόσωπα, quæ turbas mouent, & ἐπίτασιν faciunt, sed clanculùm, & per cuniculos. Vidit seculum eiúsc emodi personas in Caroli Lothariíque regno infestas Hincmaro, quas in his grauioris pugnæ præludiis considerare, historiæ plurimùm interest. Sed breuiùs quàm Dissertatori Præsidi visum est, qui causam Clericorum Remensium, Rothadi, Laudunensis Hincmari, ad inuidiam Archiepiscopo vndecunque conciliandam, inimicorum vltimus & infensissimus, extra Gotteschalci propositum, fusissimè prosequitur. In quo nescio cui sapienti aduocationem suam probaturus sit, dum partium aduersarum narrationes pro Sibyllæ foliis habet, & quæ Hincmari defensionem iuuant, ea omnia præterit & dissimulat; quæ ars aduocati est, non fides historici.

Dissert. de Clericis Rem. c. 48. de Rothado c. 46. de Hincmaro Laudun. in Epil.

Fuit Hincmaro nobilitas generis, animi celsitudo, ingenij vis acris & præferuida, doctrina præcipuè canonum, vt illis temporibus, singularis; in rebus agendis vigor ex natura; in Ecclesiastico regimine rigor à Monasterio; in capiendis consiliis prudentia, in exequendis constantia; quæ in recti & honesti prosecutione non tempus obseruare, non personis parcere, non potestatibus cedere, iustum & gloriosum putaret. Nullas nisi pro publica re, sacra maximè, suscepit inimicitias; nullas pro eadem quando necessitas fuit, recusauit. Quare & pro Hincmari Laudunensis iure conseruando ad Carolum regem scripsit: & pro Rothado *eundem regem subtiliter ac diligenter sacris auctoritatibus interpositis reprehendens*, adulator ille qui dicitur, aulæ mancipium. Item ad Æ-

Hincmari dotes inuidiæ obnoxiæ.

Hincmar. ep. 29. Flodoard. l. 3. c. 18.

Ibid. c. 21.

neam Parisiensem pro eodem Rothado, *de quo quædam inconuenientia apud Regem ventilata fuerant.* Denique ad Pardulum, pro eodem Rothado ægrotante, ne illum, cuius causa plurimùm vexatus fuerat, in periculo positum deserere videretur. Cum Wlfado quoque iam Archiepiscopo Bituricensi res Ecclesiasticas tractauit, vt ex Conciliis patet cum eo frequentatis,

Flodoard. c. 18.

& eius ad quæsita responsionibus, apud eundem Flodoardum. Neque mihi causa alia probabilis parere potest vexationis Gotteschalcanæ, quàm religionis zelus, & fidei defensio; qui si peruicaciam frangere, & pœnitentiam profiteri voluisset, non minore concordia cum Episcopo vixisset, quàm Seruatus Lupus, aut Ratramnus. Ceterùm Hincmarus idem dicere promptus & scribere, copiosam lectionis supellectilem suggerente memoria; vnde scriptorum infinitas, & Docti nomen ab historicis vulgò donatum. Sed in vtroque profusior, quàm accuratior:

Hincm. ep. 17. ad Nicol.

Nam *multiloquium* exprobrauit Nicolaus Pontifex: qui licèt necessitatem, Augustini exemplo, excuset; paucioribus tamen & selectioribus sæpe potuit esse contentus. Vitium ergo illud doctrinæ abundanti, & multiplici Patrum atque Conciliorum lectioni tribuendum est: præterea & satisfaciendi desiderio, quo aduersarios, Canonum, & auctoritatum multitudine obruit. His dotibus parata est, ex antiquis hominum moribus, inuidia, quæ naturali quodam ostracismo, neminem tolerare potest gloria supra ceteros eminentem. Neque se semper ab omni reprehensione tuta præstant hæc ingenia, si quando ad res gerendas admouentur; sed vt in opimis agris, inter vberem segetem, lolium & lappa succrescunt: sic in magnorum gestione negotiorum nonnulla identidem interserunt, vel cogente necessitate, vel improuido consilio, vel euentu infelici paucis grata, probanda nemini. Hæc enimuerò liuor inimicorum omni auiditate arripit, auget criminationibus, accendit infamia, & quod naturæ vitio fit, hoc illis licere non sinit, vt possint peccare. Hincmarum ex historia si nondum nosti lector, habes in tabula: neque obsoleta loquor, aut insitata: sui semper similis inuidia est, neque desunt vnquam Hincmari, ad quos, tanquam ad maturas fruges, adhærescat.

Lotharius Hincmarū aliquando vexauit. Hincm. opusc. 61.

Talem virum ac tantum nullis negotiis imparem, gratia sua florere voluit Carolus Rex, & Rempub. capessere. Carolus autem? Imò & ante illum Pius Imperator Ludouicus, Hincmaro *per octo circiter annos secreta sua indubitanter* (cum fiducia) *credidit:* & Carolus totos *sex & triginta annos*, vsque ad susceptum Imperium, illius consiliis, & auctoritate vsus est, eorúmque nonnunquam neglectorum pœnas apud ignem purgatorium luit, vt inferiùs discemus ex Bernoldo. Sensit hoc Lotharius, & quoties à fratre sperauit aliquid, consilij principem officiis, & beneficiis demereri studuit, quæ ineunte hoc opere narrabamus. Si quando verò eidem Carolo fuit infensus, & in eius regni perniciem aliquid meditatus est, eadem opera Hincmaro negotium facessiuit.

Concil. Suess. III. epist. 2. Hincmari c. 4.

Nam apud Sergium Papam nihil non egit, vt Ebbo in Remensem Sedem restitueretur: quod sine iniuria Hincmari fieri non poterat. Qua de re sic Concilij Trecassini Antistites ad Nicolaum Pontificem scribunt, post narratam fideliter legitimam, & omni ex parte canonicam Hincmari consecrationem.

Concil. Trecass. in Epist. Synod.

Emenso autem anno post ordinationem eius, Lotharius Imperator pro contentione regni, quam erga fratrem suum Domnum Carolum habebat, cuius obsequiis præfatus Hincmarus fideliter adhærebat, erga eum commotus, epistolas à Sergio Papa exegit, pro refricando iudicio de Ebbonis abiectione, quasi discordia esset in Remensi Ecclesia pro eius ordinatione. Vnde igitur, inquis, nobilis ille panegyricus ex Lothario suprà relatus, quo Pallij quotidiani vsum, præter solitum, impetrauit Hincmaro? Ab eodem Imperatore aliter in fratrem affecto, iisdem litteris testibus.

Ibid.

Sicut Lotharius Imperator in Epistola Leoni Papæ, postquam cum fratre suo rediit in concordiam, directa demonstrat. Itaque fratri reconciliatus fauit Hincmaro; infensus, Hincmarum exercuit: ac postea iratus eidem Ebboni ob recusatam Legationem in Orientem, inclinauit in Hincmarum, & Ecclesiastica negotia iussit ciuilibus ancillari.

Episcopi regni Lotharij aduersantur Hincmaro.

Regi suo succinunt Episcopi, qui Valentini & Lingonensis Conciliorum occasionem ex ea offensione ceperunt, de quibus suo loco dicetur. Atque in Suessionensi tertio, cùm per Epistolam queri vellet Hincmarus de Wlfado, quòd is Lingonensem Ecclesiam pastore viduatam, vt ibi ordinaretur Episcopus, sub nomine vocati Episcopi vsurpare præsumpsisset, audiri non potuit, *scedula porrecta quidem Synodo, sed quibusdam scandalizantibus non perlecta.*

Concil. Suess. III. cit. Epist. 4. Hincmari.

Qui fuerint illi *scandalizantes*, & tumultuantes, Wlfadi patroni, sine tripode diuinabit, qui leget sedisse in eo Concilio Lugdunensis & Burdegalensis Prouinciarum Sacerdotes.

Lugdunensium qui dicuntur tractatus.

Nec minùs Lugdunenses tractatus contentionis aduersùs Hincmarum plenos eidem fratrum discordiæ, & Lotharij leuitati debemus acceptos referre, dum subditi Principum affectus induunt, & litterario bello eos infestant, à quibus Regum, & gentis suæ gloriam putant obscurari.

Ebbo Gratianopolitanus Episcopus.

Priuatim autem de Ebbone Gratianopolitano quid necesse est dicere? Dum meminerimus Ebbonis Remensis nepotem, in Monasterio S. Remigij apud Durocortorum Remorum educatum, ibidémque à patruo Diaconum, & Abbatem constitutum fuisse. Magna profectò rerum humanarum, suique despicientia, & insigni in omni virtutum genere sanctitate præditum fuisse oportet, si volens & lætus patruum de sede deiectum turpiter, excommunicatum, & in exilium missum aspexit: si viuo se & vidente, ac nobilis Monasterij præfecturam gerente, accitum alia ex Parochia, alio ex Monasterio monachum simplicem, qui Remensi præesset Ecclesiæ, gauisus est: si Wlfadi & sociorum eius, in quibus monachi plures erant, ad eius fortasse commendationem ordinati ab Ebbone, depositionem, & longam per Concilia, & Romanas appellationes iactationem non sine Hincmaro factam, probauit, & sibi placere monstrauit: Si Rothado Romam eunti, nihil opis, nihil apud Pontificem gratiæ & commendationis, aduersus Hincmarum, impendit: si frequentes querimonias & calumnias, quibus apud eundem Nicolaum impetitus est Hincmarus, aut ignorare voluit, aut dissipare conatus

eſt. Intelligunt vrbani, quid ſibi velit iſta Chriſtianæ humilitatis commendatio, in ſcriptis Hincmari de monacho, & Abbate, ad Epiſcopatum euecto. *Quem ita humilitatis tenore nutritum, & humilitatis locum appetere, & tenere velle didicimus*, &c. Et mox: *Quámque* (humilitatis virtutem) *pro loco tuto contra elationis & iactantiæ ſpiritum, præfatum religioſum virum, obnixè tenere velle audiuimus, & pro certo credimus.* Eodem orationis lepore ſubdit, eam ob cauſam nolle ſe credere, Capitula Concilij Valentini ab eo fuiſſe confecta, quia eius vnius nomen cum Archiepiſcopis legitur in titulo. Ad quæ & alia Capitula Regi Carolo perferenda, delectus eſt à Lothario Legatus; vt non futilis ſit aſſertio, illum ipſum eſſe Compilatorem, qui in opere poſteriori de Prædeſtinatione, tam luculenter tractatur. Denique Flori ſermonem per ſe catholicum, de eius ſcrinio corruptum accepiſſe ſe teſtatur Hincmarus: vt facilè appareat, quod nuper monſtrauimus, quàm altè ſe in controuerſiam hanc immerſerit, quóque animo fuerit in Hincmarum. Nam quod ad illam attinet, eaſdem mihi partes videtur in regno Lotharij geſſiſſe, ſi librorum ſcriptorum multitudinem, at non acerbitatem, excipimus, quas in regno Caroli Prudentius: ſiquidem vterque Hincmaro infenſus, ſcripſit Capitula diuerſa à Cariſiacis, quæ per Epiſcopos ſubſcriptione firmari voluit, abſque pleno effectu: & factis oſtendit, quod nos hîc probamus, totam hanc inter Catholicos controuerſiam, contra Hincmarum, non ex religionis & fidei zelo, sed ex æmulatione & odio fuiſſe ſuſceptam.

Hincm. ep. ad Carol. Reg.

Idem l. de prædeſt. Præfat.

§. I.

De Carolo Rege, & Wlfadi & Clericorum Remenſium cauſa.

In cauſa Clericorum Remenſium vexatus Hincmarus.

HABVIT & regnum Caroli, quo virtutem Hincmari exerceret. Prima occaſio Wlfadus fuit, & Clerici Remenſes, de quibus breuiter. Ebbo Remorum Archiepiſcopus poſt impiam Ludouici Pij exauctorationem, cuius fuit anteſignanus, excommunicatus, & ſede deiectus, mortuo Ludouico, & rerum potiente Lothario, cuius cupiditatibus ſeruierat, Remos vltrò reuerſus, Eccleſiæ gubernacula repetiit, & annum vnum tenuit, donec reuecto in Galliam Carolo, iterum in Italiam aufugere, atque pòſt aliquantò legatione in Orientem recuſata, inuiſus Imperatori, ſolum vertere coactus, Ludouici tandem Germaniæ Regis opera Heildemesheimenſem Epiſcopatum adeptus, in eo conſenuit. Hoc in regreſſu, nulla Eccleſiaſtica auctoritate facto, Clericos & monachos nonnullos, & in iis Wlfadum ordinauit. Decennium deinde totum vidua manſit Remorum Eccleſia, ſub Chorepiſcopis Fulcone, & Nothone: quo tempore euoluto, adſcitus eſt in eam cathedram Hincmarus: ſeruatis quidem legibus omnibus Eccleſiaſticis, ſed viuo adhuc & ſuperſtite Ebbone, qui non niſi anno Dominicæ ſalutis 851. tertio poſt damnatum Gotteſchalcum anno, exceſſit è viuis. Vix adierat in Sedem Hincmarus, cùm actuoſum zelum, & inflexam diſciplinam exerens, Wlfadum, & Clericos ab Ebbone anno illo intercalari conſecratos, declarat vitio creatos, & officiis abſtinere iubet. Hi cùm apud Synodum Sueſſionenſem ſecundam de illata ſibi ab Archiepiſcopo iniuria quererentur, præſente Rege Carolo, Seruato Lupo Ferrarienſi Concilij Secretario, iudicibus ab Hincmaro ipſo delectis, Wenilone Senonenſi, Amalrico Turonenſi, Pardulo Laudunenſi, quibus Prudentium Trecaſſinum adiungi pars oppoſita poſtulauit, cauſa rite cognita, canonicè depoſiti & excommunicati ſunt: Hincmarus autem legitima ordinatione datus Eccleſiæ Remenſi declaratus, & locum ſuum, Synodi præſidis, recipere iuſſus eſt. Erat Wlfadus Carolo Regi percarus, quòd Carlomanni Principis iuuentutem magna fide prudentiáque rexiſſet. Sic enim refert Nicolao Papæ Carolus, *Quoniam eum in educatione alteras filij noſtri, Karlomanni ſcilicet, ſerui veſtri, quem veſtræ Beatitudini ſpecialiter commendauimus, & aliis vtilitatibus noſtris, experti ſumus & ingenio ſtrenuum, & moribus probum, & nobis in omnibus fideliſſimum.* Eam ob rem, irrogatæ cenſuræ gratiam reis Clericis à Synodo fieri petiit: & quanquam ordine fiebant omnia, cui nihil poſſet opponere; moleſtè tamen ferebat, Eccleſiaſticis legibus puniri eum, quem fauore ſuo tectum, & munitum cuperet. Hîc verò magna ſeges nata eſt mali aduersùs Hincmarum. Nam præter Regis animum in Wlfado exulceratum, Clerici eius ſocij partim in Eccleſia, partim in monaſteriis ordinati, amicos fautoréſque nacti ſunt ex Eccleſia, & ex Monaſteriis, quibus ſiue aliorum commiſeratione, ſiue ſuo ipſorum periculo, Epiſcopalis ſeueritatis primordia non ferenda videbantur. Inde factum, vt ſecuri ad radicem poſita, de legitima eius ordinatione, quæſtionem ſemper mouerint æmuli. Et in alia Sueſſionenſi Synodo, Sedis Apoſtolicæ iuſſu coacta, ad quam prouocauerant depoſiti, licet pro illis ſecundùm Pontificis voluntatem pronunciatum ſit, & ad eum relata omnia, tamen reprehenſione dignum putauit, quòd Patres *de Ebbonis deiectione, releuatione, horum Clericorum promotione, & ipſius Ebbonis iterata repulſione, ad aliámque Eccleſiam migratione, vel vndecunque ibi quippiam ventilatum eſt*, Romam nihil perſcripſiſſent. Qua cum relatione, Hincmari ordinationem implicitam eſſe quis non videt? Id certè non occultè ſignificat Hincmarus ipſe, quadam ad illud Concilium epiſtola; cùm quibuſdam occultè muſſitantibus, primùm reſpondet, Ebbone iam defuncto nihil dubij ſupereſſe: *De mea etiam ordinatione, cui forte ſi aliqui occultè, quod apertè non audio, derogant, in nullam altercationem contra quemcunque intrabo: quia, ſicut dicit Apoſtolus, In mortuis teſtamentum eſt confirmatum.* Et Compilator ipſe inimicorum pertinaciſſimus, Canones infractos tali ordinatione obiiciens, prolixa confutatione repulſus eſt.

Concil. Sueſſion. II. Flodoard. l. 3. c. 11.

Wlfadi elogium. Epiſt. Carol. ad Nicol. in Concil. Trecaſſ.

Concil. III. Sueſſion. epiſt. Nicol. PP.

Hincm. ep. 2. ad Conc. Sueſſ. III.

Idem l. de prædeſt. c. 36.

Concilium Trecaſſinũ in eadem cauſa.

Neque hîc ſubſtitit Carolus, quia Wlfado nondum erat ſatisfactum. Eiuſdem Pontificis iuſſu Concilium aliud indicitur; Trecas vrbem Rex deligit; & placet locus, in quo Prudentij recens vigebat memoria; & fortaſſe odij contra Remenſem reliquiæ. Agitur in eo pleniſſimè de Ebbonis deiectione, & Hincmari conſecratione, quod iuſſerat Nicolaus. Hic

Flodoard. l. 3. hist. c. 17.

quidam Episcopi, vt assolet, gratia Regis Caroli Wlfado fauentes, quadam contra veritatem, & canonum sacram auctoritatem, aduersùs Hincmarum moliri cœperunt. Sed iniquos illorum conatus fortiter & eruditè refutante Hincmaro, secundùm eum scripta est Synodalis ad Nicolaum Epistola, & per Actardum Nannetensem Episcopum transmissa. Adiunxit eiusdem tenoris priuatam Hincmarus, eámque clericis suis, ementito peregrinorum habitu, perferendam, *propter contrariorum vitandas insidias* commisit. Ingens profectò itinerum difficultas, iam olim Ephesini primi Concilij tempore spectata, quæ summam aduersariorum potentiam, & acerrimam custodiam ad Hincmari perniciem apertè demonstrat. Nec effectu suo æquitatem frustrata est prudentia. Siquidem huius Epistola Romam feliciter peruenit, & mirum in modum Pontifici iam iámque morituro satisfecit. Qua confessione obliterantur calumniæ omnes illæ, quas à maleuolente aduersariorum animo Nicolaus acceptas, litteris ad Concilium Suessionense tertium, & ad Hincmarum scriptis, querulè & inuidiosè expresserat. Actardus autem Synodi Legatus, non Romam rectà, vt debuit; sed ad Carolum, comitantibus quibusdam Episcopis profectus, Synodi litteras Regi tradit in manus. *Carolus autem immemor fidelitatis & laborum, quos pro eius honore, & regni obtentu sæpefatus Hincmarus per plures annos subierat,* confractis Episcoporum sigillis epistolam resignat. *Et quia sicut voluerat, in eadem Synodo Hincmarus non extitit confutatus,* (quasi Clericos iniustè deposuisset) *Epistolam suo nomine ad Nicolaum Papam dictari in contrarietatem Hincmari fecit, quam & Bulla nominis sui signauit, & cum Epistola Synodali per ipsum Actardum Romam direxit.* Sed ea, mortuo Nicolao, eius successori Hadriano reddita est. Hanc historiam ex Flodoardo potiùs, quàm ex Annalibus Bertinianis, vnde primùm fluxit, hausimus; vt istis Annalibus fidem & auctoritatem demus, quam Flodoardus seculo proximus non negauit. Quæris qui iudicij fuerit exitus? Qui esse debuit. Obtemperarunt Pontifici Antistites Gallicani, magno Hincmari consensu; restituti sunt Clerici; & Wlfadus ipse in sede Bituricensi confirmatus: Pontifex restitutos monuit, vt Episcopo suo Hincmaro *debitam humilitatem, & competentem reuerentiam exhiberent:* vt hinc videas quo semper aduersùs illum animo fuerit Nicolaus, licèt verbis commotior videatur. Est autem quod hîc obserues, Lector, Caroli Regis conatus, artes Wlfadi, Episcoporum assentationem; insidias aduersariorum, vim veritatis, quæ peramplum Hincmarianæ innocentiæ testimonium, inuitis omnibus prior reddidit, vt morientem Pontificem, cum Episcopi pace tot calumniis impetiti, ad Deum transmitteret.

Hincmarus Nicolao Papæ satisfacit.

Carolus Rex Episcoporum litteras resignat.

Annal. Bertin. an. 867.

Nicol. epist. 62.

Quorsum ista, aut quid ad Theologiam? Maximè sanè. Nam inter hæc non inuitus contentiones Theologicas audiebat Carolus, quæ negotium Episcopo tunc parum grato facesserent: & notant Annales Bertiniani ad eum annum, quo Concilium Valentinum coactum scimus, *multa catholicæ fidei contraria in regno Caroli, ipso quoque non nescio, fuisse concitata.* Qua

Caroli frigus in Hincmarum nocet religioni.

Annal. Bertin. an. 855.

verò mente diuersa contra doctrinam Hincmari scripta vndique ad eum confluentia suscepisse credendus est? Cùm Ebbo Gratianopolitanus, vt dictum est, Valentina & Lingonensia Capitula quasi iussu Lotharij; cùm Æneas Parisiensis Episcopus Prudentij ad Wenilonem Epistolam; cùm Collector ille contumeliosus, verus Ebbo, vndique corrogatas sententias Carolo Regi, quem subiratum sciebant, obtulerunt? Additis etiam iis *quæ à pluribus, & per aliorum manus de pluribus ex his causis accepit* Hincmarus ipse, tanquam scriptorum mole obruendus. Fallor, si hæc omnia *legenda & ventilanda dedit* Hincmaro Carolus, tantùm *ob studium cognoscendæ veritatis,* ac non etiam minuendæ gloriæ, & ingenij deprimendi.

Hincm. epist. ad Car. Reg.

Hæc omnia despectu regio succidi semel oportuit, neque probare possum in Constantino Imperatorum religiosissimo, patentes ad se aditus Arianorum coryphæis concessos, & aures calumniis in Athanasium apertas. Et aliquid Athanasio simile videmus in Hincmaro; quando in vno capite apud reges catholicos violatorum canonum specie, per summam calumniam vexata religio est: non eò tamen vsque, vt in hæreticorum partes transire, & hæresi fauere putarentur. Id enim de Carolo apertè negat Hincmarus. *Etsi eorum corda in insania peruersi sensus ebulliunt, orthodoxi tamen regis nostri tempore praua quæ sentiunt, eloqui non præsumunt.* Accepit hinc tamen vulnus religio, quòd per illud amicitiæ regiæ frigus, laxatæ sunt maledicentiæ habenæ in athletas veritatis catholicæ, & toleratæ in vitam insidiæ, læsisque per eam iniquitatem ducibus, pars melior labefactata est. De Athanasio quæ tacuit veterum historia? De se autem Hincmarus: *Meam quoque exiguitatem, & occultè canino dente corrodunt: facilè autem adiuuante Domino portare valebo; quia & mihi paucum superest temporis spatium. Et si inter filios Ecclesiæ, permittente Deo, in me acceperint potestatem corporaliter affligendi, diuina gratia adiuuante, exercebunt patientiam. Sed etsi tantummodo malè sentiendo aduersabuntur, exercebunt quantulamcunque scientiam: & vt etiam inimici secundùm præceptum Domini diligantur, exercebunt beniuolentiam.* Corporalem afflictionem expectat, quia sola per sese hæresis furendi modum non habet; quid cùm aliunde stimulatur inuidia? Quid in vulgus sparserint ad infamiam, ignotum est: sed illum aliquando videbimus vno versu, vno calami ductu à Gotteschalco turpissimè deformatum. Denique, quod ait nonnullos sibi malè sentiendo & scribendo aduersari, id significat quod iamdudum clamamus, partem Gotteschalci non pro fide tuenda, sed pro exsaturanda inuidia laborasse.

Hincmarus cum Athanasio comparatus.

Idem epist. 17. ad Nicol.

Ibidem.

§. II.

De Nicolao I. Papa in causa Rothadi Suessionensis, déque visione Bernoldi.

QVÆ præterea in periculosius certamen alia occasione erupit; & quemadmodum Hincmarum cum Rege per Wlfadum, sic cum Nicolao Pontifice per Rothadum Suessionensem commisit. Longa est iniuria, longi anna-

De causa Rothadi Suessionensis.

Differt. c. 46.

les, quibus non tantùm ingens Differtationis caput impletur & amplificatur, verùm etiam tota quanta est Synopsis & Differtatio personat, dum quædam hoc in negotio non satis ex debito gesta per Hincmarum, à Nicolao grauiter reprehensa, ab eodem humiliter temperata & excusata, ad vniuersam Hincmari vitam, & actiones omnes, maximè quæ Gotteschalcum clientem spectant, traducit, quæ est iniustitia in eo qui iuri quoquo modo dicundo præest, non ferenda: cùm præsertim Rothadi depositio anno demum 863. facta, nihil penitus cum Gotteschalci damnatione & conclusione commune habere possit, quam annis antè quatuordecim decretam esse vidimus. Vt ergo summatim de Rothado dicamus.

Concilium Siluanectense, in quo depositus est Rothadus. Hincm. ep. 17. ad Nicol. ep. 19. 20. 21.

Quamobrem à Synodo Siluanectensi depositus, & in Monasterium ad pœnitentiam retrusus sit, docet Hincmarus scribens ad Nicolaum. Quid ab ea Synodo peccatum sit, vt eius acta rescindi debuerint, tangit Nicolaus ad eandem rescribens. Appellationis res est. Negat Pontifex appellantem ad Sedem Apostolicam omnino potuisse damnari, & excommunicationem minatur, nisi intra triginta dies libertati restitutus, Romam accedere permittatur. Hincmarus obedientia Romanæ Sedi humillimè professa, & illibato eius priuilegio, quod diuinitus concessum constat, rimam hanc à reo quæsitam ostendit, qua meritam damnationem effugeret; indignis modis & spoliatas Ecclesias, & commonitiones suas fuisse despectas: non tantùm non agnouisse delictum suum, quod sperabat Nicolaus, sed ad ostium Synodi cùm accessisset, inde spectante populo vniuerso, *vt maniaticum rediisse: lacrymantibus Episcopis & Rege*, solum in suo periculo *duriorem saxo* remansisse. Agi hac in causa, non de iure appellationis ad Romanum tribunal, quod in quæstionem non venit, sed de obedientia Conciliis Prouincialibus, & Episcopis Metropolitanis præstanda, deque sceleribus vtiliter coërcendis. Et alia id genus, ad quæ Lectorem remittimus, visurum Hincmari magna in offensa, non minorem modestiam, patientiam, obedientiam.

Nicolai Pontificis constantia.

Nicolaus quidem Pontifex, multis verisque nominibus summus, verebatur ne defectionem à Romana Sede meditaretur in Gallia Archiepiscopus, potentia, eruditione, auctoritate florentissimus, quam non obscurè moliebantur in Germania Theudgaudus Treuirensis, & Guntarius Agrippinensis, cum Rege suo Ludouico iuniore, & apertè audactérque faciebat in Oriente Photius ob Bulgariam, vt aiebat, suæ iurisdictioni subductam: & Apostolico vigore dignum putabat, vno atque eodem modo periculis illis omnibus, pectus offerre, & inimicorum audaciam frangere constantia. Erat tamen Hincmari animus & causa longè dispar, cui, (fundamento Christianæ religionis inconcusso, quod est Sedis Romanæ priuilegium, & obseruantia Pontificibus debita, perpetuò & constanter exhibita, vt omnia eius scripta declarant, vt prorsus immeritò apud scriptores nonnullos in suspicionem schismatis venerit) dolebat hac via ordinariorum eludi potestatem, vitari correctionem, latum ex impunitate campum sceleribus aperiri. Et meminerat vir historiæ Ecclesiasticæ peritissimus, ab Africano olim Concilio, cuius

Hincmari obseruantia aduersus Romanum Pontificem. Concil. Afric. epist. ad Cælest. c. 115.

partem faciebat Augustinus, in causa Apiarij cuiusdam facinorosissimi Presbyteri, ab Episcopo suo Siccensi excommunicati, & Romam appellantis, scriptum fuisse ad Cælestinum, sine schismatis periculo, *Præfato debitæ salutationis officio, impendio deprecamur, vt deinceps ad vestras aures hinc venientes, non faciliùs admittatis, nec à nobis excommunicatos, in communionem vltra velitis excipere; quia hoc etiam Nicæno Concilio definitum, facilè aduertet venerabilitas tua.* Et iterum, *Presbyterorum quoque, & sequentium Clericorum improba refugia (sicuti te dignum est) repellas sanctitas tua: quia & nulla Patrum definitione hoc derogatum est Ecclesiæ Africanæ.* Quod refugium malo animo expetiisse Rothadum, & obfirmato animo Conciliis priuatis obedientiam recusasse, docent annales Bertiniani, quanquam loco vetustate corrupto, sic narrantes. *Ipse* (Carolus Caluus) *ad Pistis, quò placitum simul, & Synodum* (notanda hæc conuentus vtriusque coniunctio) *antè condixerat, redit; & inter operandum, de sancta Ecclesiæ, & regni negotiis, cum fidelibus suis tractat. Vbi Rothadus Suessorum Episcopus, homo singularis amentiæ, in Synodo Prouinciali regulariter Episcoporum communione priuatus, cum sua se contumacia, quatuor Prouinciarum Concilio præsentauit. Quem fraternus conuentus, ne deponeretur penitus, sub appellatione Sedis Apostolicæ seruare disposuit. Sed isdem post eiusdem Concilij iudicium, inde appellauerat, expetens* constitutis duodecim ab eadem Synodo iudicij exequendi iudicibus, nouus Pharao propter cordis sui duritiam, & vetera secula repræsentans, homo mutatus in belluam, propter designatos excessus gestorum * Syriæ continentur. Quoniam corrigi noluit, in suburbio ciuitatis Suessorum deponitur.* Vides quot Conciliis, quàm ægrè, quàm iusta ex causa, remedio etiam appellationis à piis Antistitibus oblato, damnatus sit. *Nullo inimico animo*, inquit Hincmarus, *nulla cupiditate aut gratia deprauati, flentes illius incorrigibilem secordiam, & irreuocabilem pertinaciam regularia in eum iudicia executi sumus, quæ ab eo suspendere diutiùs non præsumpsimus.* Quia tamen appellationis illius prosecutionem, variis artibus tergiuersando, procrastinando, alias ex aliis moras serendo, impedire conatus est Hincmarus, non sine tædio, & indignatione Nicolai, causam tandem Romæ Rothadus obtinuit, & restitutus est, & plurimis Epistolis Pontificiis Carolo Regi, Episcopis, Hincmaro ipsi commendatus. Huic Nicolai decreto & facto quàm demissè paruerit Hincmarus, licèt acerrimis eius litteris non semel pulsatus, docet ipse Hincmaro nepoti, Rothado alteri, respondens, insultanti, & ridenti, quòd iudicia eius duo à Sede Apostolica forent irrita reddita; neganti denique hoc exemplo, si ad iudicium Synodi vocaretur, responsurum se, nisi animo luberet. Respondet inquam, non iam Rothadi accusationem, aut facti sui Apologiam texens, non Pontifici Nicolao, & appellationibus iratus; sed placidè & modestè, ex Carthaginensi Concilio, nulli Episcopo fraudi esse debere, si quid aliud appellata Sedes decreuerit, *si conuinci non potuerit, vel inimico animo iudicasse, vel aliqua cupiditate aut gratia deprauatus.* Id verò sibi hoc in negotio euenisse, & à Pontifice restitutum obedienter suscepisse.

Rothadi vesania. Annal. Bertin. an. 862.

Hincm. ep. 17. ad Nicol.

Nicol. ep. 45. 46. 47. &c.

Hincm. l. 55. cap. c. 5.

Rothadi causa coniungitur cum controuersia.

Quid hæc autem rursus ad Gotteschalcum? In primis, inuidiæ virus, & efficientia cognoscitur, quæ quamcunque in occasionem nocendi intenta, æmulum hac etiam ex parte persequitur. Paruisset enimuerò & Hincmaro, & Conciliis Rothadus; nisi discordiæ faces subdidisset liuor, & quidem eo ex loco profectus, quo prætextu Gotteschalci, exagitata doctrina est. Acquieuerat enim iam depositus oblatis conditionibus, vt pacatè & quietè otio indulgeret: *Sed vt dicunt, qui hoc scire testantur, quidam Episcoporum regni Lotharij, Zelo amaro contra nos ducti, & etiam aliqui de Germania, vt quidam dicunt, ad Ludouici sui Regis suasionem, persuaserunt eidem Rothado, vt non se à seditione mouenda concrederet, & ipsi apud vos obtinerent vt restitueretur.* Qua in re Germanos Episcopos offenderit, & quidem in gratiam Nicolai Pontificis, in historia Concilij Metensis aperietur. Deinde Nicolaus ad Episcopos Synodi Siluanectensis scribens, ad hanc de Theologicis quæstionibus disceptationem digitum intendit, cùm inter calamitates temporum, contentiones intestinas nominat. *De cetero, fratres carissimi, discentes in Prouinciis vestris Paganorum crebris vos laborare infestationibus: insuper & Ecclesias Christi in illis partibus constitutas, ab intestinis, id est, à suis multa incommoda tolerare, plurimùm lamentamur, & vobis oppidò compatimur, & contristamur.* Illud præterea me mouet, quòd Liudo Parduli Archidiaconus, qui Romanam Legationem iussu Caroli Regis obiit, post Rothadi negotium, interrogatus est à Pontifice, *de damnatione & reclusione Gotteschalci.* Occupauerant videlicet animum Nicolai plurimorum querelæ, miserabili Monacho studentium: aut potiùs hac narratione Hincmari sæuitiam, & inquietos spiritus, probare cupientium, quod modò facit Dissertator. Inde factum vt cùm aduersùs pestiferas hominis opiniones catholicorum Patrum collectas sententias ad Nicolaum misisset, is nullo responso Remensem dignatus sit: expectato fortasse tempore, quo theologica veritas clariùs elucesceret. Quamobrem rerum gestarum seriem, quæ ad condemnationem hæretici, & reparatam ex antiqua hæresi eius doctrinam, pertinent, renarrare cogitur Hincmarus, & eius custodiam sibi à Concilij Patribus fuisse commissam, quæ potiùs Rothado Suessorum Episcopo debebatur. Denique, Rothadi exemplo, vt æquũ est credere, quod antea Gotteschalcus ausus non fuerat, furtiuam appellationem ad Romanum Pontificem molitus est, per fugitiuum sodalem Guntbertum. Quam licèt iniquam esse satis intelligat, ab illa tamen metuere se aliquid non dissimulat. *Videns*, inquit, *qualiter illa aduersùm me, quæ de istis partibus ad illum veniunt, suum cursum accipiunt. Et audiens quod Domnus Apostolicus domno Regi Carolo de me scripsit, quia semper me tegere à talibus, nec debet, nec valet: vt prouiderem ne pro eis tandem aliquando incurram quæ non opto; & ipse frater, & alij licenter quæ volunt, aut malitiuntur, faciunt.* Vides, Lector, hominem hoc temporis articulo inimicis cinctum vndique, criminationibus impetitum, minis territum, ærumnis obrutum, Pontifici maximo, Lothario Imperatori, Carolo & Ludouico Regibus, plurimis ex tota gente Francorum Episcopis ingratũ, omnia metuentem, sperantem nihil, vix cuiusquam boni negotij conficiendi capacem; quem Dissertator, contra horum omnium quæ apertè monstrata sunt, fidem, *quasi omnium dominum, præsidentem ac præualentem, & in Synodis despotico semper, ac fermè tyrannico modo agentem* nobis repræsentat, quia inter tot procellas & tempestates, contra Gotteschalcum, & eius partem, fidei catholicæ nauem constanter & fortiter gubernauit.

Hincm. ep. 17. ad Nicol.

Nicol. epist. 21.

Hincmar. ep. 17. cit. ad Nicol.

Idem epist. 24. ad Egil.

Dissert. Epil.

Visio memorabilis de horum Episcoporũ purgatorio.

Quæ omnia placet concludere παρέργῳ non inutili, visione Bernoldi cuiusdam, ipsius Hincmari auctoritate confirmata, à Flodoardo ex parte recitata, quam & Annalibus dignam putauit Baronius. Is enim narrauit extra se raptum ad eum locum deuenisse, in quo stabant vnus & quadraginta Episcopi, è quibus tres agnouit, *Ebbonem, Leopardellum, & Æneam, pannosos, & denigratos, velut si vstulati fuissent, & squalentes, sicut & alios; & per vices nimio frigore horribiliter cum fletu, & stridore dentium tremulantes, & per vices calore nimio æstuantes.* Iussum ab Ebbone ad homines ipsorum adire, Clericos & Laïcos ad postulanda sacrificiorum & eleemosynarum subsidia. Ac deinde ex ea legatione ad illos reuertentem, vidisse tersa facie, hilari vultu, comptis vestibus, *quasi à nouo rasos & balneatos, & habebant albas vestitas, & stolas, & sandalia in pedibus; planetas autem non habebant.* Mutatam quoque illorum custodiam, & pro duro ac difficili satellite, donatum custodem Ambrosium. Haud procul inde, spectatum per tenebras Carolum Regem, putri sanie diffluentem, ad neruos & ossa corrosum à vermibus, quòd benè consulentem Hincmarum non audisset, (quàm multis enim vereque regiis monitis sit instructus Carolus ab Hincmaro, docet Flodoardus) & ab eo, ceterisque fidelibus precum suffragia reposcentem. Apparuisse post illa Hincmarum in Ecclesia inter Clericorum choros viuifica mysteria apparantem; hinc conualuisse Regem, & regio paludamento insignem in lucidum locum commigrasse. Et alia supliciorum purgantium spectacula; quibus nominatos Episcopos non dubito propter acrem in hac controuersia contentionem & animum minùs rectum, atque à Dei gloria, fideique zelo aberrantem, addici potuisse.

Hincm. epist. 50. Flodoard. l. 3. c. 3. & 18. Baron. an. 851. tom. 10.

Flodoard. l. 3. hist. c. 18.

Ebbo in hac visione nominatus, Iunior est.

Et de Pardulo quidem, & Ænea, dubium nullum est quin se suis nominibus prodant. Hic autem Ebbo quis sit, incertum reddit homonymia. Seniorem, siue Remensem Ebbonem, de quo sæpe dictum, Hincmari præcessorem putat Flodoardus, & ex eo Baronius. Quamobrem ea visio, & à Flodoardo ad initium historiæ Hincmarianæ, & ad annum quo Ebbo Remensis decessit, refertur à Baronio. Sed cùm opinionem illam neuter vlla ratione confirmet, neque annus vllus certus singulari nota vel ab Hincmaro, vel à Flodoardo signetur, tantorum historicorum venia, probabilius arbitror Iuniorem Ebbonem Gratianopolitanum Episcopum intelligi oportere, quò me rationes istæ adducunt. I. Hominem hunc oportet notum fuisse Bernoldo: notos enim ab ignotis scitè visionarius ille distinguit. At verisimile non videtur, Ebbonem seniorem tanto antè aut mortuum, aut Remensium finibus eiectum, notum de facie fuisse Bernoldo: sed iuniorem potiùs, qui eo tempore

vixerat, qui ad Carolum Caluum in Galliam Belgicam sæpe venerat, qui Remense S. Remigij monasterium Abbatis iure possederat. 2. Dudum antea mortuus Ebbo Senior, magna Hincmari diligentia & caritate, fidelium orationibus, & Sacerdotum sacrificiis fuerat recreatus; vt tantò pòst, quasi neglecta rogare non debuerit. Meminit siquidem Flodoardus Epistolæ Hincmari ad Pardulum, *pro transitu Domni Ebbonis antecessoris sui, vt illi Sacerdotalis benignitas plenis caritate votis debeat exhiberi.* Quam & ad ceteros comprouinciales Episcopos à Pari, vt vocant, missam fuisse credibile est. 3. Ebbo ille sic visus, Bernoldum mittit ad homines suos, subditos videlicet & vassallos; *Clericos & Laïcos, quibus*, inquit, *benefecimus*, & ad eos in grande Palatium deductus est Videns, *Vbi multitudo hominum eorundem Episcoporum erat, & de illis Episcopis loquebantur.* Putás-ne iam ab anno 835. quo excommunicatus, & depositus fuerat Ebbo senior, vel ab anno 851. quo mortuus in Germania, post annum 877. quo decessit Carolus Caluus, qui hac in tragœdia partes suas agit, superfuisse tam memores, támque gratos in Ebbonem illum homines, vt eius adhuc memoriam frequentarent? Quid enim fluxum magis & caducum est, quàm benefactorum recordatio? apud istos maximè qui dominorum suorum nomina memoriter recitabant, de referenda pari gratia, & Christianæ pietatis erga defunctos officiis, minimè laborabant. 4. Ea demum chronologiæ consideratio tres illos Episcopos, & inuicem sibi, & Regi Carolo σύγχρονους simul iungendos esse mihi potiùs suadet, quàm reuocandum ab antiquo maiorem Ebbonem, neque Episcoporum propriè, neque Regis æqualem.

Flodoard. l. 3. c. 21.

Ceterùm eius tempestatis homines defunctorum iuuandorum non fuisse solicitos, docet Herardi Turonensis Capitulum, quo plebem sibi subditam admonere cogitur *de orationibus, & eleemosynis, & missarum celebrationibus, pro fidelibus defunctis agendis.* Et in Synodo quidem Tullensi ad Saponarias, duodecim Prouinciarum Episcopi sanctum quoddam fœdus inierant, *vt pro se inuicem omnes dum aduiuerent, singuli pro cunctis per singulas hebdomadas missam feria quarta celebrarent. Post vocationem autem cuiuslibet eorum, superstites obtineant, vt pro eo qui decesserit in sedibus, septena missæ, totidémque Vigiliæ Domino persoluantur. A Presbyteris autem Monasteriorum, siue villarum, tres missæ, totidémque vigiliæ dependantur. Exitus autem vniuscuiusque vicissim, piis currentibus litteris, innotescat.* Atque illi Synodo inter ceteros præsentes fuerunt Ebbo Gratianopolitanus, & Æneas Parisiensis, Pardulo iam mortuo. Verùm non apparet laudabile hoc institutum vsu fuisse receptum. Sed hæc extra lineam nostram. Illud vnum ex ea visione, tantorum virorum exemplo referamus, bonam causam benè agi oportere, & quantumlibet fidem prætexant contendentes in his disputationibus, caritatem raro, & ægrè seruari.

Suffragia pro defunctis.

Capit. Herardi c. 116.

Concil. Tull. ad Sapon. c. 13.

CAPVT II.

Series gestorum hoc libro tractandorum, breuiter proponitur.



RES per se se satis implicatas hoc libro tractaturi, necessarium duximus perspicuitatis nonnihil, ab earum narratione substrata arcessere, vt dum vno intuitu simul dicenda omnia se offerent, iam pene dicta & intellecta videantur.

Anno seculi tertio & quinquagesimo, cùm iam quartum in Altiuillarensi custodia annum ageret Gotteschalcus, rebus humanis exempto Seruato Lupo Germano: Ebbone quoque seniore Hincmari præcessore, Amolone Lugdunensi, & Paschasio Radberto Corbeiæ Abbate defunctis: superstitibus autem Rabano, Ratramno, Ioanne Scoto, & aliis qui reproducendi sunt, post Concilium Suessionense secundum, in quo Clericorum Remensium depositio, & legitima Hincmari consecratio confirmata est, Synodum Carisiacam, in causa Gotteschalci posteriorem, ex paucioribus Episcopis atque Abbatibus, coëgit Carolus, si fortè Prædestinatiani tumultus, Gotteschalci virgis tanquam flabello excitati, & nulla Carisiacæ Synodi prioris Epistola sopiti, alia Synodo item Carisiaca sedarentur. Æquum enim videbatur, quo loco renouatæ hæreseos condemnatio inceperat in Gallia, eodem si fieri posset, terminari: & spes erat, cùm priuatim singuli sententiam antè dixissent, expensis hinc inde rationum omnium momentis, in commune aliquid posse decerni. Quod & accidit, Hincmaro capitula quatuor scribente, Gotteschalci erroribus opposita, quæ Synodus rata habuit, & subscriptione firmauit. Hæc ex annalibus Bertinianis alibi citandis discimus; qui vni nuper rediuiui, Synodi huiusce memoriam ab interitu vindicarunt.

Synodus Carisiaca posterior.

Capitula quatuor Hincmari.

Erat inter illos Pudentius, qui & ipse Synodi Capitulis subscripsit: mox tamen facti pœnitens, quacunque ex causa nobis ignota, alia quatuor Capitula prioribus illis opposita, non tamen Gotteschalco vndecunque fauentia, conscripsit, & ad Archiepiscopum Wenilonem misit, vt in ea iurare nouum Parisiensis Episcopatus candidatum cogeret. Nam cogitanti nouitatem, commodè obtigit. vt per id temporis Æneam sacri Palatij Notarium, Parisiensis Clerus & populus, Erchamrado demortuo, Episcopum postularet. Ad eam consecrationem celebrandam conueniunt cum Archiepiscopo suo Comprouinciales Episcopi ex more; adueniunt ad Concilium Æneas, & Prudentij Epistola: quam postea Æneas idem Carolo Regi tradidit, ab Hincmaro expendendam. Sic enim Hincmarus ipse: *Et domnus Prudentius in Epistola, quam nobis veneratio vestra, deferente eam vobis venerabili Ænea Parisiorum Episcopo tradidit, cuius in præfatis libris* (prioribus de Prædestinatione) *memoriam fecimus, quamque Weniloni suo Archiepiscopo, & ceteris Coëpiscopis, ad ordinationem ipsius*

Prudentius contraria capitula scribit.

Hincmar. l. de Prædest. c. 5.

Æneæ, Prudentius ipse direxit, vt si secus ordinandus sentiret, in ipsius ordinatione ipse nullatenus consentire deberet, ita dicit.

Libellus de tenenda immobiliter Scripturæ veritate. Aliquantò pòst, eadem Hincmari Capitula examinanda, Lugdunensis Ecclesiæ nomine, Tractator quidam ignotus suscepit; opúsque suum, De tenenda immobiliter Scripturæ sanctæ veritate inscripsit: cuius non semel meminit Hincmarus, sed auctorem suis exprimere coloribus contentus, nunquam appellat de nomine. Narrat autem ille quisquis est, peruenisse ad se *Ibid. c. 2.* *quandam schedulam studio fidelium & bonorum virorum, in qua insunt quatuor Capitula, maximè nouarum definitionum, nuper, vt comperimus, in quodam fratrum nostrorum Episcoporum conuentu tractata, digesta, atque conscripta: velut ad comprimendam, & retundendam cuiusdam garruli & inquieti hominis loquacitatem.* Habes hîc & breuem Gotteschalci descriptionem, & verum in condendis Capitulis Hincmari, Regísque consilium. Huc refero postremum libellum Ecclesiæ Lugdunensis titulo decoratum, qui dicitur *Absolutio cuiusdam quæstionis*, &c. incerti & auctoris & temporis, qui priuatorum Lugdunensium disputationem non incommodè terminaturus est, vt ad plenas Synodos expediti veniamus. *Libellus, Absolutio cuiusdam quæst.*

Concilium Valentinū III. Sequitur ergo famosum illud Concilium Valentinum tertium, Prouinciarum trium, Episcoporum quatuordecim, Lothario subditorum, consensu omnium & anno seculi quinquagesimo quinto habitum, & Hincmari definitionibus Capitularibus, atque Erigenæ Scoti doctrinæ repugnans. Cuius Canones ad Carolum fratrem perferendos Ebboni commisisse dicitur Lotharius, cùm potiùs ipse longè alia consilia, quàm discordias mente volueret, & alterius generis peregrinationem meditaretur, ad Prumiense monasterium, in quo tonsus, & monachus effectus est, Abbate Marcuuardo, quem *Imperatoris Lotharij obitus.* Lupi Ferrariensis Epistolæ notum faciunt: & inde ad mortem eodem anno subsecutam. Cui scripsit Epitaphium Rabanus Maurus, & in hæc verba conclusit.

Nam bis tricenos Monachus sic attigit annos;
Et se mutauit, ac benè pòst obiit.

Hoc est, conuersionem morum promisit in monasterio, eóque in statu positus sexagesimum ætatis annum attigit, quo tam *benè obiit*, vt Annalium Fuldensium auctor scribere non dubitauerit, *mortalem hominem exuisse, & ad vitam perrexisse æternam*. *Annal. Fuld. ad an. 855.* Tantùm habet virium, piorum iudicio, monastica professio, vt immania Lotharij in patrem, & fratres scelera, paucis diebus potuerit eluere! Tres filios reliquit *Eius filij.* superstites, Ludouicum eius nominis secundum, Imperatorem, cui cessit Italia: Lotharium, qui Lotharingiæ nomen dedit, & maximas ob repudiatam Theutbergam tragœdias excitauit, à nobis quoque libandas: & Carolum, cui cum Prouincia, pars Burgundiæ data; quare Con- *Leonis IV. obitus.* cilio Lingonensi legitur interfuisse. Anno eodem Leo IV. Pontifex Romanus decedens, Ecclesiæ gubernacula Benedicto III. reliquit.

Ebbo Capitula defert ad Carolū. Anno consequente, quinquagesimo sexto, Gratianopolitanus Episcopus Ebbo profectionem antè cogitatam ad Carolum Caluum obiit, apud Vermeriam positum, vt paulò pòst discemus: & Valentina Capitula obtulit, quæ deinde idem Carolus Hincmaro tradidit, tum in Neustria apud villam Nielfam contra Normannos consistenti. Sic enim scribit triennio pòst Hincmarus. *Hæc eadem namque Capitula, sicut facilè reminisci potestis, ante triennium nobis in villa Rotomagensis Episcopij, quæ Nielfa dicitur, quando in excubiis contra Normannorum infestationem degebamus, sub titulo quasi in Valentina Synodo conscripta fuerint anno Dominicæ Incarnationis 855. sub Lothario Imperatore, dedistis, vt ad illa quæ nobis viderentur, catholicè ex orthodoxorum magisterio responderemus.* *Hincm. epist. ad Car. Reg.* In eum sanè locum hoc anno venisse Carolum, & Placitum Regium habuisse, in eius Capitulari legimus. *Habet Senior noster constitutum aliud Placitum in villa Nielfa, vbi ei occurrere sui fideles debent.* *Capitul. Car. c. 17. c. 3.* Quod factum notat Sirmondus hoc ipso anno, & Nielfam, quæ hodie Neaufla est, collocat in pago Vilcassino parochiæ Rotomagensis. *Sirm. Not. in eum locum.* Quid autem Ebbo ad Carolum detulit? nam id nosse plurimùm interest. Ante omnia, Capitula Valentini Concilij septem priora, ne primo quidem excepto, de vitandis vocum nouitatibus, licet illud Hincmarus respondendo nunquam attigerit. Nisi fortasse ad illud respicere censeatur, cùm scri- *Hincm. l. de præd. c. 6.* bit, *Aiunt enim præmissis commendationum suarum fabulis, in secundo Capitulo:* Et alibi. *Post sex ista Capitula de quibus responsum reddimus.* *Ibid. c. 36.* Cùm verè non plus quinque antè tractauerit, quàm deueniret ad septimum ingratissimum, de quo continuò ista subijcit, *Septimum nobis subiunctum dedistis in præfata villa Nielfa.* quod est de indiscussis Episcopis. Præterea nouemdecim Capitula è Ioannis Erigenæ libro excerpta, dedit Ebbo Carolo Regi, teste Hincmaro. *Inseruerant etiam in eisdem scriptis suis de quibusdam sexdecim Capitulis, quasi nobis debeant imputari: de quibus nihil audiuimus, vel vidimus, antequam venerabilis Ebbo Gratianopolitanus Episcopus vobis ea, quasi à bonæ memoriæ fratre vestro Lothario transmissa, apud Vermeriam palatium detulit.* *Idem epist. 1. ad Carol.* Mutatum hîc numerum bis eadem Epistola, vt sex & decem, pro nouemdecim sit positum, putamus [illegible], quod viros graues & eruditos adeò non dedecet, vt illud etiam nonnunquam affectent. Quò refero & illud superius de sex capitulis, & aliud momenti maioris, alia occasione celebri loco expressum, quum in Metensi coronatione Caroli dixit, Clodouæum Regem vigilia sancti Paschæ, cum tribus millibus Francorum, in Remensi metropoli baptizatum fuisse: cùm id factum in ipso Natiuitatis Dominicæ festo, ex Auito Viennensi certissimè constet. *Concil. Gallic. t. 3. p. 385. Annal Bertin. ad an. 869.*

Et partim Libri de Tribus Epistolis. Mihi quoque probabile est, Capitulis Valentinis, adnexas fuisse regulas septem de Præscientia & Prædestinatione diuina, libro de Tribus Epistolis contentas, & à nobis suo loco expensas, de quibus Hincmarus. *Sed & in præfata Synodo, Capitulis quæ nobis dedistis, in quaternionculis vnius Consacerdotis nostri septem subiunctas inuenimus, non veritate, sed nomine regulas. Eiusdem auctoris, cuius & Capitula nostræ humilitati, à vestra sublimitate data fore creduntur, quarum initium est, Primo loco ponendum,* &c. *Hincmar. l. de Præd. c. 31.* Licèt enim ambiguum sit *præfata Synodus*, Tullensis an Valentina debeat intelligi? tamen in hanc propendeo, quòd eam occasionem libens

bens captarit Ebbo, vt scripti à se libri promulsidem Regi offerret, & ab Synodi Capitulis aliquid auctoritatis illi conficeret. Sint-ne verò solæ regulæ, an totus liber Carolo datus in *quaterniunculis?* non æquè dixerim ex Hincmari scriptis; sed ex moribus, in partem negantem inclino. Nam opus adeo sibi contumeliosum, & Gotteschalco gratiosum, insalutatum non reliquisset, si penitùs habuisset cognitum: maximè cùm dirutis septem regulis, tanquam fundamento, reliquum ædificium solo æquare nullo negotio confideret. Opus igitur integrum ad Hincmarum non peruenit, & quæ pars, illi tantùm in villa Nielfa tradita est, triennio post Carisiacam Synodum peruenit, auctore ipso quod libuit deferente. Denique, eodem Ebbonis aduentu librum accepit de Tenenda scripturæ veritate, ne quid ipsi deesset ad opprobrium. *Et quia libellum* inquit, *de scrinio bonæ memoriæ fratris vestri Lotharij, sine nomine auctoris suscepimus, in quo singillatim per loca, singula Capitula à nobis excerpta sunt posita, & assensu illius, quicunque ille fuerit, reprehensa sunt, & damnata.* Tantam negotiorum molem vna legatio post mortem mittentis obita Hincmaro attulit! & putas à fidei caritatísque zelo profectam?

Idem epist. 1. ad Carol.

Habuisse se præterea eodem anno, Flori sermonem narrat Hincmarus, sed ex Ebbone, non ab Ebbone. *Sermonem Flori*, inquit, *mutuante Heriboldo, quondam Antissiodorensium venerabili Episcopo in Synodali conuentu apud Bonoilum transcripsimus, & post reuersionem de tumultu Brionensi, quodam offerente Clerico, ex scrinio Ebbonis, sicut ipse dixerat, venerabilis Gratianopolitani Episcopi accepimus.* Addit, quod nos non semel retulimus, posterius exemplar locis duobus fuisse corruptum; esse autem maiorem priori habendam fidem, quòd Heriboldus ab ipso Floro acceperat: *Quia de re immutatum ab aliquo suspicamur.* Non enim ipsa se immutauit membrana, & à quo id factum, sine Pythia diuinare facile est. Fuisse autem hoc anno Carolum in Bonoilo, & Procerum atque Episcoporum conuentum habuisse docent eius Capitularia, in quibus legimus, *Consilium quod Episcopi, & ceteri fideles Domni Caroli, apud Bonoilum communiter illi dederunt anno Incarnationis D. N. Iesu Christi 856. mense Augusti.* Duos item Ratramni libros de Prædestinatione ab eodem Carolo accepit, sed quo tempore? ignotum. *Ratramnus nihilominus*, inquit, *Monasterij Corbeiæ Monachus libellos duos, quos nobis examinandos dedistis, ea intentione elaboratos porrexit, vt ostendat*, &c. Seruati Lupi nulla hîc mentio, nisi communi clausula tegi putamus nomen Regi & Hincmaro semper amicum, quæ sic habet, *Cum aliis quorumcunque scriptis, quæ hinc*, id est, hac de re, & quæstione, *ad vestram notitiam peruenere: quorum quædam scripta recepimus, sed ea publicare*, scilicet respondendo, *noluimus, solicitii seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis: donec cum eis qui vobis illa transmiserant*, quod fecit Lupus Ferrariensis, *familiari conloqueremur sermone.* Prudenter, & ad reparandam concordiam opportunè; quod facere Prudentius abnuit, quod Ratramnus ausus non est, quod Ebbo neglexit. Præter hæc quæ publicanda non putauit, alia plurima, in prius opus de Prædestinatione coniecit, cum eodem opere obliuione sepulta, vt pars

Alia scripta aliunde habuit Hincmarus.

Hincm. l. de præd. Præfat.

Capit. Car. Cal. tit. 15.

Hincm. l. de prædest. c. 5.

Idem epist. 2. ad Car.

vtraque modò litigantium tantam iacturam dolere debeat. Sic enim proponit, in primis Synodalia illa Valentinorum Capita tractare, *deinde illa quæ à pluribus, & per aliorum manus, de pluribus ex his causis accepit.*

Idem epist. 1. ad Car.

Eodem anno, pridie nonas Februarij, magnum illud Occidentalis Ecclesiæ sidus extinctum est, Rabanus Maurus, primus sacri huius belli aduersus Gotteschalcum Imperator, mox Hincmari in eo socius, & consiliorum particeps, vir eruditione, sanctitate, miraculis clarus: qui si solus prodiisset in campum, certa erat victoria. Quanquam cui dubia illa est, nisi Vsserio & Mauguino, quorum ille Gotteschalcum Rabano tantùm non æquat, iste præfert? Felix dicam bellator an fortis, qui vnius Concilij congressu, & victoriam facere potuit, & pacem. *Cui successit Carolus*, inquiunt Annales, *magis ex voluntate Regis & Consiliariorum eius, quàm ex consensu & electione Cleri & populi.* Quod cùm addo, in septimum Concilij Valentini canonem oculos obiter volo reflectere.

Mors Rabani Archiepiscopi. Annal. Fuld. ad an. 856.

§. VNICVS.

Eiusdem seriei continuata positio.

TOT aduersariorum obiectionibus, & singillatim & cateruatim appetitus Hincmarus, velut telis venatorum herinacius, ad consulendos Patrum libros confugit, maximéque Pontificum Romanæ sedis, quæ solidissima est *Petra refugium herinaciis:* quam constanti fide colere & sequi decreuit in omnibus. Hoc animo prius de Prædestinatione opus, tribus libris contentum, aggreditur & conficit anno septimo & quinquagesimo, vt benè coniicit Præses Dissertator. Nam cur eam lucubrationem anno præcedenti non assignem, hæc mihi videtur iusta causa, quòd aliis, longéque ab otio litterario abducentibus negotiis occupatus, minùs aut virium aut temporis ad hæc studia: totum hominem exigentia, potuit afferre. Versabatur siquidem apud Bonoilum in Synodo mense Augusti: Iuditham Caroli filiam coronabat apud Vermeriam mense Octobri: Carolus diuersis ex locis plures legationes, non absque Hincmari consilio, è quibus vnam & ipse Hincmarus obiit, decernebat ad Aquitanos, & Francos aliquos ad Pipinum deficientes, quas in Capitularibus legimus; vt illi penitus operi tum vacare non potuerit. Sequens annus ipsi paullò tranquillior, cum suis musis rationem habere permisit. Verùm quòd annos duos consequentes operis illius compositioni Dissertator attribuit, sine teste, & citra necessitatem facit, neque rationis momentum vllum video, quo id persuadeat.

Hincmari in Ecclesiam Romanam obseruantia.

Scribit prius opus de Prædestinatione.

Capit. Car. Cal. tit. 15. Hincm. tom. 1. p. 750. Capitul. cit. tit. 26. & seq.

Dissert. c. 39.

Annum sequentem octauum & quinquagesimum nobili charactere notat Nicolai I. Romani Pontificis in Benedicti demortui locum subrogatio. Eius cui pedes ante decennium osculatus fingitur per imaginem Gotteschalcus: cuius cum Hincmaro contentiones pro quibusdam appellationibus, diu post hunc annum exortæ, extra Gotteschalci aut iam mortui, aut penitus deserti causam, ad eandem admirabili prolepsi retroaguntur à Dissertatore chronico. Cuius quàm fuerit ab æmulis exasperatus ani-

Nicolaus I. Pontifex.

X

mus aduersùs Hincmarum, exempla multa & hoc opere libata, & Conciliorum Galliæ tomo 2. sparsa declarant.

Parduli obitus. Eodem anno Pardulum Laudunensem rebus humanis exemptum amisit Hincmarus, vtilissimum in bello Gotteschalcano commilitonem: cuius successor nepos Hincmarus in sacramento quod Carolo Regi præstiterunt plures Episcopi, nominatur, & magno Tullensi Concilio sequente anno subscribit, cum Ænea Parisiensi; futurus & ipse suo tépore crux ingens auunculi. (Capit. Car. Cal. tit. 22.)

Nicolai Papæ liber de quæstione. Anni verò quinquagesimi noni, in proposito nostro clarior est memoria. Nam vt ab ipso Nicolao illum auspicemur, scripsisse dicitur hac de controuersia, & singulis eius capitibus librum, teste Prudentio, quem nemini, quod sciamus, legere contigit. Synodus autem Lingonensis, Valentina decreta à se reformata, decimo quinto pòst die ad Tullensem Synodum ad Saponarias detulit, publico vniuersæ Galliæ approbanda suffragio: sed cùm illa plurimorum animos offenderent, in aliud tempus eorum remissa tractatio est. Interim Carolo Regi per Remigium, Hincmaro per Regem biduo pòst tradita ad examen, posterius opus de Prædestinatione, quod magno R. P. Sirmondi beneficio possidemus, pepererunt. Cuius in exordio historiam illam sic in memoriam Carolo reuocat. *Nuper elapso mense Iulio, per indictionem septimam, anno Incarnationis Dominicæ 859. dedistis nobis quædam Capitula, sicut nostræ dixistis humilitati, à Remigio reuerentissimo Lugdunensium Archiepiscopo vestræ porrecta sublimitati, iubentes, vt tempore congruo de his vobis redderemus responsum.* Et paulò pòst. *Quæ siquidem Capitula in conuentu Episcoporum habito in Territorio Tullensi, in villa quæ dicitur Saponarias, ante biduum quàm vobis porrecta fuerint, sunt recitata, proferente & deponente ea Synodo Domno Remigio Lugdunensium Archiepiscopo: quæ sicut dixit, & in ipso epigrammate eorumdem Capitulorum continetur, in hoc ipso anno, in Kalendis nihilominus ibidem descriptis, & in suburbio Lingonicæ vrbis ad instructionem dominici populi, ipse & sibi Comprouinciales Episcopi ediderunt.*

Synodus Lingonensis. *Synodus Tullensis I. ad Saponarias.* Hincm. ep. 2. ad Carol. *Liber posterior Hincmari de Prædestinatione.*

Capitula secundò tradita Hincmaro. Altera hæc est Capitulorum traditio Carolo & Hincmaro facta, à priore multis nominibus diuersa; per Remigium, non per Ebbonem; ex Concilio Lingonensi, non iam ex Valentino; post publicam in amplissima Synodo eorum recitationem, & repulsam: quódque maioris est momenti, mutata nonnihil à primis, & amplificata. Nam quarti Canonis de repudianda Scoti doctrina, non est idem tenor in vtroque. *De hoc Capitulo*, inquit, *quædam dempta inuenimus ex eo quod nobis ante triennium, sicut suprà memorauimus, in Nielfa villa Rotomagensis Episcopij commisistis.* E quinto quoque articulo subtractum queritur Hincmarus Apostoli testimonium, licet eo non lædatur. Addita porrò alia, numero plura discordiæ semina, vel potiùs retinacula, iustissimus eius dolor est. Sic enim ipse cùm ad articuli septimi examen accingitur. *Sed in volumine quod nobis nuper dedistis, Capitulorum istorum compositor, quædam alia intermiscuit, adeo vt istud quod in illis fuerat septimum, inter ista decimum habeatur.* Patet illud ex ea collectione, quam in vestibulo huius posterioris operis propalat Hincmarus, quæ illa ipsa est

Hincm. l. de præd. c. 30. Ibid. c. 35. Ibid. c. 36.

in Synodo Tullensi relecta, cui recens adiecti leguntur articuli nouem, ex libro de Tenenda scripturæ veritate selecti, hisque suppositum Valentinum decretum septimum, de indiscussis & inexaminatis Episcopis. Neque dubitandum quin ea nouem Capitula motum crearint in Concilio, de quo Hincmarus. *Et in crastina alia quædam Capitula, de quibus post locuturi sumus, relecta fuere. Super quibus, sicut quibusdam ex fratribus visum est, quorumdam sensus est motus.* (Ibid. Præfat.)

Concil. Tullens. II. ad Tusiacum. Sequutum est anno sexagesimo Concilium secundum Tullense ad Tusiacum, quo post finitam propriè superiore Synodo controuersiam, Hincmari doctrina publicè probata, & toti disputationi velut sigillum impositum est, quo fusiùs narrandum est modo. Neque post opus posterius de Prædestinatione, quod hoc anno ad vmbilicos perductum fuisse credimus, quicquam legimus alterutra ex parte fuisse compositum. Vt verè dicere possimus, stante & pugnante adhuc Hincmaro, aduersarios arma posuisse, & victoriam parti Remensium, vel silentio adiudicasse. Nam quòd ex iis quæ libro Secundo disputata sunt, de congressu Pseudoflori, & Prudentij aduersùs Scotum, potest obiici, temporibus istis posteriorem videri; fuisse igitur post Hincmarum ab aliis de quæstione tractatum; neque potest à Dissertatore secundùm chronologiam suam afferri: neque propositum est à nobis vt certissimum. Quod si liquidò constaret, hoc præterea responderemus, Ioannis Erigenæ causam priuatam esse, quia is illam peruersa impugnandi methodo fecit suam: neque Hincmarus ad se pertinere vnquam putauit, vt apertissimè profitetur: atque Capitulorum suorum defensionem, cui seruiit inita cum Compilatore disputatio, à Scoti doctrina semper abduxit. Quamobrem licet euincas, à Prudentio, à Floro, à quibuscunque aliis Ioannem Scotum, scripto iam libro posteriori de Prædestinatione, fuisse lacessitum, stabit tamen adhuc propositio nostra, post Hincmarum, & istud eius opus, communem controuersiam tractasse neminem: quæ longè certior in Dissertatoris esset chronologia, pugnam illam Scoticam ad annum quinquagesimum secundum retro agentis, si nihil nisi oracula funderet Præses amplissimus.

Hincmarus de controuersia scripsit vltimus. Hincm. l. de præd. c. 31.

Liber de non Trina Deitate. Fateor equidem scripsisse Hincmarum, aut certè circa hæc tempora perfecisse librum de non Trina Deitate, *post librum de Prædestinatione contra Gotteschalcum, & complices eius*, vt loquitur. Sed & hæc priuata, atque à prioribus aliena contentio est, Gotteschalco solo in auxilium Ratramni sui accurrente, & nos eam in extremam huius operis partem consilio remittimus, ne aliis immixta perturbationis aliquid efficiat. Video præterea Metense Conciliabulum Germanorum Antistitum, moliri nescio quid aduersùs Hincmarum, pro Gotteschalci causa voluisse; sed serus fuit ille conatus, & verò irritus, Hincmaro ad illud conuenire detrectante. Quare turpis illa factio Catholicas huius libri Synodos dedecorare non debet, neque est quòd vlteriùs altercationes aut Synodales, aut litterarias, expirante controuersia requiramus. Habes hîc, Lector, rerum magnarum epitomen, septennio turbulentissimo ge-

ſtarum quarum cardo Hincmari Synodus Cariſiacenſis eſt, Capitulorum parens, quibus euertendis tuendiſque clara ſudarunt ingenia.

CAPVT III.

De Synodo Cariſiaca poſteriore, qualis ea ſit, quámque legitima.

Initium vexationis Hincmari Concil. Sueſſ. II.



ANNVS ſeculi quinquageſimus tertius duo nobis offert Concilia penè continua, Sueſſionenſe ſecundum, & Cariſiacenſe item ſecundum, cuius vtriuſque occaſione Hincmarus exercitus, fortiter & glorioſè ſe expediuit. Priore, confirmata eſt eius ordinatio, & Clericorum Remenſium depoſitio: poſteriore, ſtabilita Gotteſchalci condemnatio, per Capitulorum eius doctrinæ oppoſitorum editionem. Illud, Benedictus III. cum magna Hincmari laude confirmauit: Nicolaus I. & agnouit confirmatum, & iterum cum Sedis Remenſis priuilegio ratum habuit; *quia*, inquit ad Hincmarum, *dilectio tua ſequens inſtituta maiorum, ea quæ poſſunt recipere aliquam quæſtionem, ad nos quaſi ad caput, & apicem Epiſcopatus, referre Epiſcopaliter ſtuduit: quod nos libenter accepimus, quia hinc dilectionem tuam memorem Canonum comprobamus*. Iſti Prudentius Trecaſſinus volens libens ſubſcripſit. Sed quemadmodum idem Nicolaus triennio poſt, æmulorum calumniis exacerbatus prioribus conſentientia non ſcripſit, ſed eo in Concilio næuos quæſiit, quos examinare noſtrum non eſt: ſic idem Prudentius mox contraria poſteriori Synodo Capitula conſcripſit, & alteri cuidam Conuentui probanda propoſuit; cauſa, ſi veram alibi non attulimus, ſoli Deo cognita. Denique Wlfado præter ius & æquum ſtuduiſſe regem ſenſit tandem aliquando Pontifex, & eum ordini ſuo reſtitutum, redire cum Hincmaro iuſſit in gratiam: at Prudentium & Ebbonem ſempiternos aduerſarios, nulla res vnquam cum Remenſi reduxit in concordiam.

Tom. 3. Concil. Gall.

Synodus Cariſiaca poſterior.

His ita de priori Concilio libatis, ad poſterius accedo, Cariſiacum, ſequentis diſputationis ſeminarium; quod mihi duo tradunt ſcriptores: Annales Bertiniani è veteribus ſoli, & inter Recentiores ampliſſimè Præſes Diſſertator: ab illis ſubſtantiam ipſam haurio veram & ſolidam; hic eius qualitates tradit, non ex vlla hiſtoria, ſed ex *iugi meditatione ſua, & cum eruditionibus collatione*. Paucis eam verbis tradunt, illorum temporum Annales. *Carolus inde*, inquiunt, ex Concilio illo Sueſſionenſi ſcilicet, *ad Cariſiacum veniens, cum quibuſdam Epiſcopis:* ex iis omnino qui prius Concilium celebrauerant, *& Abbatibus Monaſticis*, ſiue Regularibus, *quatuor Capitula edidit, & propria ſubſcriptione roborauit*. Fuiſſe ſcripta ab Hincmaro, quanquam præproperè, neque negari poteſt, neque eſt quòd diſſimuletur: eſt enim illa parente ſuo non indigna proles, non immatura, neque expoſita; quam non exhiberet hiſtoricus, ſi erubeſcendam crederet; non defenderet Hincmarus, ſi videret degenerem; non impugnarent aduerſarij, ſi putarent contemnendam. Quæ cauſa tali tempore, tali loco id fieri ſuaſerit, non aperit hiſtoria. Si licet coniectare, non ineptè dixerimus, Sueſſione, inter Epiſcopos conſiliantes, priuatis vt fit congreſſibus, actum fuiſſe de colloquio ad Theologicas quæſtiones terminandas, à Prudentio, Ratramno, Lupo Ferrarienſi antea expetito: idque conceſſum à Rege Carolo, & delectum ei locum Cariſiacum, vt ibi lis finem acciperet, vnde initium duxerat; & Synodalis epiſtolæ in priori defectus, per Capitula poſterioris ſarciretur. Sed hac de re pleniùs aliquid indagandum erit inferiùs. Peracto igitur ſolutóque Sueſſionenſi Concilio, Regem ad palatium Cariſiacenſe redeuntem ſequutos eſſe Epiſcopos, & Abbates, qui potuerunt, qui voluerunt, quibus cordi fuit pax & concordia. Ita factam Synodum Sueſſionenſi minorem, quaſi eius appendicem, prioris Cariſiacenſis in cauſa Gotteſchalci ſupplementum. Hoc vt probabile, Lectori dum offero, Cariſiacenſem hanc Synodum ab alia fateor oportere diſtingui: neque tamen R. P. Sirmondo conuicium facio cum Diſſertatore hiſtorico, quòd is vnius tantùm meminerit, & in vnam, Gotteſchalci damnationem, & hæc Capitula contulerit. Licuit enimuerò Seni rerum Eccleſiaſticarum peritiſſimo, poſt plures Cariſiacas Synodos, & in Capitulari Caroli Calui, & in Conciliis Gallicanis partim erutas à tenebris, partim collectas vndecunque, atque ordine ſuo diſpoſitas, vnicam hanc vnico ſcriptori memoratam, qui tum adhuc iacebat in tumulo, ignorare, maximè cùm Capitula quatuor, vnicum illius Synodi partum, publicaret. Atque is, propria ſibi modeſtia, emergente Annaliſta Bertiniano, eam diſtinctionem edoctus, poſtremis curis, in hiſtoria Prædeſtinatiana, agnoſcere & ſignificare non dubitauit.

Annal. Bertin. ad an. 853.

Sirmondi defenſio contra Diſſert. c. 10.

Hiſtor. Prædeſtin. c. 11.

Iure Synodus appellatur, contra Diſſert. c. 33.

Itaque cùm inutili Præſidis Ampliſſimi diſputatione reſecta, conſtet duas eſſe Synodos, illam qua tactus eſt Gotteſchalcus, & eam qua catholica doctrina eius hæreſibus contraria explicata eſt: videndum reſtat qualis ſit hæc Synodus; an vera & legitima, vt agnouerunt veteres? an *Pſeudo-ſynodus, furtiuum, & clandeſtinum fraudis Hincmarianæ conuenticulum, præcipitatum, libertate deſtitutum, paucorum Epiſcoporum, eorúmque factioſorum*, vt eidem placet appellare? Nam is qui ſibi licere vult omnia in librorum veterum titulos, Sirmondum eundem carpit, quòd ad Titulum addiderit, Capitula hæc *in Synodo* eſſe conſtituta. *Contra fidem*, inquit, *Codicis Hincmariani*, in quo nulla habetur Synodi mentio: nec ipſe Hincmarus, in prioris operis ſui præfatione, hæc ſua quatuor Capitula auſus eſt Synodi nomine inſignire, cùm ex aduerſo Capitula Valentiæ conſtituta, non niſi nomine & auctoritate Synodi proferat. Hoc primum argumentum eſt à negantibus, quo probat Præſes Ampliſſimus Cariſiacum conuentum *nullo modo Synodum dici poſſe*. ex quo ſequitur à contrariis, ſi vel Hincmarus, vel quis alius, Synodum vocauit, Synodum meritò dici poſſe & haberi. Hoc autem in Hincmaro clarius eſt, quàm vt monſtrari debeat,

qui Synodalem conuentum, & Synodum in opere Posteriori de Prædestinatione perpetuò nominat, & Prudentium canonicis pœnis obnoxium esse contendit, quòd *in Synodo apud Carisiacum habita Capitulis subscripserit*, & iis nihilominùs repugnantia ad alterum conuentum transmiserit. Quod inferiùs tacito licet nomine inculcat, *De iis qui fidei catholica, vel libello porrecto in Synodo subscripserunt & postea ad prauos deuoluti sunt sensus*. Nimirum, inquis, quod Hincmarus *insuetata sibi modestia* in priori opere de Prædestinatione non fecerat, illi postea in opere Posteriori *venit in mentem, Capitula illa furtim edita, decreti Synodalis nomine decorè inuestire*. Quæro ex te primùm, vnde habeas totis tribus libris prioris operis, qui lucem non viderunt, Synodi nomen conuentui Carisiaco non fuisse tributum ab Hincmaro? Quia, inquis, in Epistola ad Carolum regem prolusoria non reperitur. Enimuerò quod illic tacuit, nusquam loquutus est? In Epistola item ad eundem Carolum posteriori operi præposita *Episcopalem consultum, Episcopalem definitionem*, legimus in hoc proposito; Synodum, aut Episcoporum conuentum, non videmus, quæ tamen verba in contextu libri ipsius vsurpauit. Deinde, ridiculum facis Hincmarum, qui se putet nominando Synodum, facere posse Synodum, quæ Synodus nullo modo esset, sed merum & furtiuum conuenticulum. Stupidum in tali causa sua Prudentium, qui violatorum Canonum de Synodali subscriptione postulatus, actorem cum plumea sua formidine non amandarit ad fabulas, qui Synodum vocaret, quæ neque cùm cogeretur, neque toto pòst septennio Synodus habita foret à sapientibus, & Canonum consultis, sed purus clandestinus, & illegitimus conuentus seditiosorum Episcoporum. Præterea, fac in opere priori nunquam Synodum appellatam; fac spretam à Prudentio, putás-ne aut tam imperitum fuisse Hincmarum, vt ignoraret quibus rebus legitima Synodus conficeretur: aut tam impudentem, vt conuentui talium conditionum experti, sua solius auctoritate, Synodi nomen, vim, dignitatémque imponeret: aut Carolum, & Episcopos qui tum viuerent, qui præsentes interfuissent, tam fatuos, vt tanto demum pòst tempore discerent, quod antea nesciebant, & ex animo profiterentur, se in Carisiaco Palatio septennio ante veram Synodum celebrasse, quam ipsi furtiuum conuenticulum esse hactenus credidissent? Hoc fecit Hincmarus ille Canonum peritissimus? Hoc putarunt Episcopi frequentissimis Conciliis innutriti, qui Synodales aulas meliùs, quàm domesticos parietes nouerant? Sed nimirum Præsidis nostri Monetalis Canonicam doctrinam nondum audierant, qui modò & Regem, & Hincmarum, & Episcopos reliquos docet, quo tandem nomine sit nuncupandum id, quod ipsi falsò & erroneè Synodum vocauerunt.

Hincm. l. de præd. c. 21.

Ibid. c. 37.

Sed Carisiacenses Episcopos habeat Dissertator pro stolidis & ignaris, vt omnes solet secta sibi aduersantes: de Valentinis Patribus sociis & amicis, de quorum laudibus & amplitudine tacere non potest, quid dicturus est, qui & ipsi Capitula damnando, Synodalia agnouerunt? *Porro Capitula quatuor, quæ à Concilio fratrum nostrorum minus prospectè suscepta sunt*. Vbi eras, Synodorum nomenclator, vt Archiepiscopis tribus, & Ebboni suggereres. Concilium ne dicite: nocebit ea vox Gotteschalco, Hincmarus trahet ad gloriam. Priorem ego conuentum Carisiacum, Placitum appellandum censui, sit iste conuentus illegitimus, & conuenticulum. Scripserunt tamen *Concilium* tres Prouinciæ, & quidem biennio pòst; ita scriptum priùs legerunt Carolus & Hincmarus, quàm *volumen ingens continens plures libros de Prædestinatione* componeretur. Consentit huic nomenclationi & alius Capitulorum Aristarchus, quem Scripturarium vocamus, *Quatuor capitula*, inquiens, *nuper, vt comperimus, in quodam fratrum nostrorum Episcoporum Conuentu tractata, digesta, atque conscripta*. Conuentus Episcoporum quo fidei Capitula tractantur, quid aliud quàm Synodus est, & Concilium? Qui aduersùs illum professa opera scripsit, ita nuncupauit, & *nuper* coactum fuisse dixit, & inferiùs eò alludens, *non contentiosè defendatur, nec Synodali etiam auctoritate fulciendum putetur*. Habeo igitur eius appellationis testes, hunc ipsum, qui facta *nuper* Synodo; Concilium Valentinum, quod biennio post Synodum; Hincmarum, qui septennio post, de eo vt Concilio & Synodo loquuti sunt: fuit ergo verè Synodus, nec peccauit Sirmondus, qui Capitula in Synodo constituta fuisse, proposuit in titulo.

Concil. Valent. c. 4.

Eccles. Lugdun. l. de tenenda verit. Script. c. 2.

Ibid. c. 9.

Etiam ab aduersariis Synodus est appellata.

Tu verò qua lege, qua potestate, quo teste grandibus litteris in Titulo *Pseudo-Synodum Carisiacam* inscribis? cur *illegitimum conuentum, & conuenticulum* constanter & pertinaciter appellas? Vnde tibi ius imponendorum nominum, obliteratis veteribus, arrogas? Arripio negans illud tuum argumentum, & sic aio, contra fidem codicum omnium, in quibus Pseudo-synodi vox nec per vmbram legitur: contra sensum veterum omnium, Prudentij, Lugdunensium, Valentinorum, qui Conuenticulum nunquam appellarunt, etiam æmuli, etiam decretorum animosissimi oppugnatores, imò pro vera Synodo semper habuerunt, à te vno post tot secula, neque cum scriptoribus illis priuatis, neque cum Conciliis vlla ex parte conferendo, Carisiaca Pseudo-synodus indigetatur; ergo viri prudentis non est nouitiæ tuæ appellationi, deserta vetustissima, & quæ cum re ipsa nata est, subscribere. Non ignoras, Præses Monetalis dignissime, cùm Horatius licuisse, sempérque licere admonet *Signatum præsente nota procudere nomen*. item vt nummum, id in linguam viuentem vigentémque permittere, quod & Tullio Ciceroni placet, vt à doctis natiua lingua locupletetur; id Aristotelem sapientibus tantum, id est, naturæ rerum peritissimis committere, vt Adamo semel commissum est diuinitus: id necessitatem in rebus nouis ac penitùs insuetatis, atque adeo anonymis exigere, vt ad nouarum sectarum exortum, Wicleuistas, Caluinistas, Lutheranos, Iansenistas, ignota antiquis nomina, homines fabricarunt. At tu, Vir grauissime, in Latinam linguam emortuam Græcum nomen intrudis; homo procul ab vsu canonum & Synodorum remotus: Conuentui Episcoporum, qui perpetui erant in Synodis, alienū à re ipsa nomen assignas: rem antiquam, tantò antè cognitam, suo iam nomine ab octo seculis insignitam, iubes vetere illo nomine suppresso, à te hoc anno recentissimè excogitatum accipere:

Non debuit Pseudo-synodum vocare Dissertator.

viderint sapientes vtrum à nobis æquum postules, faciásque.

§. VNICVS.

Cur in Capitulari Caroli Calui nulla huius Synodi fiat mentio.

Obiectio ex Capitulari Caroli Calui. ALIO argumento conficit idem aduersarius, Carisiaco conuentui legitimæ Synodi nomen & rationem non conuenire, quòd Carolus Rex nullo modo passus est, hæc Capitula inter Synodicas sanctiones, & leges Capitularibus suis sancitas reponi. Siquidem in eius Capitularibus, post Suessionensem secundam mense Aprili celebratam, aliam habemus mense Augusto eiusdem anni apud Vermeriam, cuius in exitu Capitula Suessionensia relecta, *& ab omnibus consonanter suscepta, & accepta sunt.* De Carisiacensibus μηδὲ γρῦ: ne in aliis quidem postea per mensem Nouembrem Synodis. Cur ergo præterita tam constanter, si fuere legitima? *Cur penitus omissus ille Carisiacensis conuentus, nisi quia illegitimus, regiis sanctionibus indignus indicatus, & sic à Rege ipso improbatus? Imò subscriptionem suam & auctoritatem Rex illis Capitulis accommodauit, forsitan, vt contra sententiam, animos aliquatenus reprimeret, & sic paci Ecclesiasticæ consulendum duceret.* *Capit. Car. Cal. tit. 10. c. 3.* *Differt. c. 33. cit.*

Responsio. Obiectionem partes duæ componunt, historia, & diuinatio, dubitante particula, *forsitan,* non incautè expressa. Hæc per sese leuissima est; illa consecutionem trahit nihilo grauiorem: illa doctum virum, hæc prudentem dedecet, vtraque disputantem. Nam vt ab ista ducamus initium, quòd timidè producitur, hoc fidenter pernegatur: Regem *forsitan contra sententiam* suam illis capitulis subscripsisse, quem semper Dissertator exhibet Hincmaro plus iusto addictum, & in his disceptationibus ex eius ore pendentem: quo imperante, ceteros ait Episcopos inuitos subscripsisse: cuius animo certum est tota vita non aliam his de quæstionibus inhæsisse opinionem, quàm qua semel imbutus fuit ab Hincmaro: Regem *Ecclesiasticæ paci forsitan* ita consultum voluisse, quam certò constat illis capitulis magis in dies fuisse perturbatam. Itaque ne moremur in nugis, argumentum *forsitan* à testibus & ratione derelictum, sola *meditatione & collatione* fabricatum, in re tanti momenti non admittimus.

Non omnes Synodi relata in Capitularia. Speciem præfert aliquantò digniorē pars prior, quam referebamus ad historiam, in qua tamen hospitem esse oportet eum, qui credat omnia temporum illorum Concilia, quibus nihil fuit frequentius, Capitularibus adnotata fuisse. Exemplum inter manus est, quod suprà memorabamus ex Annalista Bertiniano, Carolum anno quinquagesimo nono conuentus Episcoporum diuersis in locis habuisse: è quibus tamen omnibus, soli duo in Capitularia relati sunt, Metensis de Indulgentia Ludouici Regis, & Tullensis ad Saponarias: neque iste totus. Illa enim sola colligebantur, quæ omnium Ecclesiasticorum æquè, & laïcorum procerum consensu recepta & confirmata, Missis dominicis agenda, vel populis obseruanda imperabantur. Quare Tullensis Concilij ad Saponarias articulus postremus, qui est de ineunda inter Episcopos orationum missarúmque societate, quia non aulicos, non populos, sed Episcopos solos spectat, reliquis omnibus admissis, à Capitulari solus excluditur. Idem puta de Capitulis fidem religionémque, non cuiusquam rei gestionem continentibus, quæ per Missos dominicos adnunciari non debuerunt. *Concil. Tull. 1. ad Sapon. c. 13.*

Synodi in Placitis. Hîc verò me reuocas ad carceres, & meminisse cogis, quod tibi quoque, Vir Clarissime, in mentem reuoco, primo libro, cùm tu priorem Synodum Carisiacam Gotteschalci flagellatricem, Placitum appellabas, quæ minimè placebat, vt istam modò, Conuenticulum, Placita regia duas in Cameras fuisse à nobis distributa, Procerum Ecclesiasticorum, & Laïcorum, quibus mores nostri in Comitiis tertiam addunt, Plebeiorum. In singulis disquisitum seiunctim quid respublica detrimenti rebus in sacris, quid in profanis caperet, & quo remedio malum quodlibet curandum videretur? Relata hæc communi suffragio in Codicillos, & Postulata: nos Quaterniones appellamus. Talem porrò Ecclesiasticum conuentum Synodum dictam fuisse, non Placitum, sed sacram Placiti partem. Ea quæ per se se nota est distinctio, in Carisiaca Synodo anni 56. Capitularibus exprimitur in hunc modum. *Notum sit fidelitati vestræ, quia 16. Kal. Mart. secundum sacram auctoritatem Synodum venerabilium Episcoporum, ac Conuentum fidelium nostrorum apud Carisiacum fecimus conuenire.* Quò pertinet & istud ab Hincmaro Nepote postea scriptum, apud Sirmondum. *Vocastis me litteris vestræ auctoritatis Attiniacum ad Synodum:* vbi certè Placitum habebatur, vt declarant quæ sequuntur. *Tractata sunt in eodem Attiniaco à Domno Rege per aliquot dies, quæ visa sunt. Cùm autem designaretur nobis dies certus, in quo Synodalia tantùm* (hoc est, purè Ecclesiastica) *debuissent ventilari, qui futurus erat sexta feria, adueni.* Hæc Capitula in vtroque consessu agitata, Regi deinde oblata sunt, vt communi Procerum suffragio admitterentur, & in Capitularia referrentur, vim legis habitura. De quibus in Synodo Pistensi anno secundo supra sexagesimum dicitur. *Reges & Episcopi qui ante nos fuerunt, ducti amore & timore diuino, cum ceterorum fidelium Dei consilio atque consensu, plura statuerunt Capitula, prouidentes qualiter sancta Dei Ecclesia, statum debitum & honorem, & regni habitatores in omni statu, & ordine haberent legem atque iustitiam. Nos etiam pro qualitate rerum & opportunitate temporum, quædam huic causæ conuenientia Capitula superaddidimus.* *Capit. Car. Cal. tit. 10. c. 1.* *Sirm. Not. ad tom. 3. Concil.* *Vnde Capitularia.* *Capit. Car. Cal. cit. tit. 39. c. 1.*

Ad Regis arbitrium collecta. Fuisse autem in arbitrio Regis & Optimatum positum, vt hæc vel illa ex Episcopalibus Synodis Capitula, siue decreta reciperent, aut abiicerent, docet vel titulus Capitulorum in villa Sparnaco constitutorum, qui sic habet. *Hæc quæ sequuntur Capitula, excerpta sunt à Domno Rege Carolo, & Principibus eius, ex his Capitulis quæ anno 846. ediderunt Episcopi in Synodis.* In villa Colonia, apud Theodonis villam, apud Lauriacum in pago Andegauensi, apud Beluacum, quæ omnia in Synodum Meldensem collecta, cum propriis eius articulis, oblata sunt Regi stabilienda, vt *consilium verum secundum Deum, & secundum seculum, iuxta cognitas necessitates.* Sic enim eodem in titulo. *Et oblata sunt eidem Principi, sicut ipse iusserat, collecta ad relegendum in villa Sparnaco Remensis Ecclesiæ.* *Capit. Car. Cal. tit. 6.* *Concil. Meldens. c. 80.*

Quid verò Rex? *Et quia factione quorundam motus est animus ipsius Regis contra Episcopos, dissidentibus primoribus regni sui ab Episcoporum admonitione, & remotis ab eodem Concilio Episcopis, ex omnibus illis Capitulis, hæc tantùm observanda, & complacenda sibi collegerunt, & Episcopis scripta tradiderunt, dicentes, non ampliùs de eorum Capitulis, quàm ista, & ista cum Principe velle observare.* Sic ex omnibus Meldensibus circiter octoginta, non nisi nouem & decem in Capitularia immiserunt. Ita confecta sunt Capitularia de rebus ad Ecclesias, ad Principem, ad Rempubl. ad populi commoda spectantibus; de quibus in eadem Pistensi Synodo: *Ad quæ specialiter exequenda, quædam de pluribus Capitulis prædecessorum Regum, & Synodalium hic ponere dignum duximus; commonentes Episcopos, Missos, Comites, vt illa Capitula, quæ inde ante hos annos in vnum collecta fuerunt, & in Carisiaco Episcopis & Missis nostris per vniuersum regnum nostrum ad exequendum donauimus: sed & illa quæ consensu fidelium nostrorum fieri iussimus, quando cum fratre nostro Hlothario, glorioso Imperatore apud Valentianas loquuti fuimus; & fidelibus nostris denunciari & obseruari præcepimus, ad præsentiam reducant, & illa relegant. Et quia hæc pauca hîc breuitatis causa subscripsimus, in talibus rebus quæ eis aduenerint ad emendandum, & hic inde Capitula non inuenerint, per illa, & per alia Capitula Regia & Synodalia, quæ emendanda sunt, & emendanda præuiderint, emendare procurent.*

Capit. Car. tit. 6. cit. c. 2.

Conclusio præcedentium.

Ex illis omnibus, quæ tanta prolixitate retulisse non piget, duo præcipuè discimus ad rem spectantia; & non omnes veras & legitimas Synodos, etiam Regi propositas, in Capitularia receptas & immissas esse, quantò minùs earum articulos, qui certis de causis proponi non debuerunt? & eiuscemodi Capitulorum materiam practicam esse, non speculatiuam; mores regere, non intelligentiam instruere; externum populorum regimen, non articulos fidei continere. Neque in omnibus Caroli Calui Capitulis, quæ ante annos penè triginta Sirmondus tuus, Præses amplissime, sexagenario maior *in vnum collegit, notisque illustrauit*, vllum reperies, quo quicquam de fidei dogmatis decernatur. Scis autem ab Hincmaro quatuor illa Capitula relata esse ad fidem, & qui contrà sentirent, hæreticos ab eo appellatos. Ergo, ex eo quòd Carisiacensia Capitula in Caroli Capitulari sunt omissa, non rectè colligis *conuentum esse illegitimum, regiis sanctionibus indignum, & à Rege ipso improbatum.*

CAPVT IV.

Huius Synodi Capitula quomodo ab Hincmaro scripta sint.

Alia obiectiones aduersùs hanc Synodum.



PERGIT idem Hincmaromastyx eandem Synodum omnibus ex partibus aggredi. Nusquam ab Hincmaro memoratum esse, *nec quo tempore edita fuerint illa quatuor Capitula, nec à quibus subscripta*, cùm in opere de Prædestinatione, *studiosissimè, & ad nauseam Episcopos, & Abbates, & reliquos Ecclesiasticos, qui priori Carisiacensi placito interfuerant, & nominibus, & dignitatibus expresserit.* Epulæ illæ ad Carisiacum luculenter exhibitæ Gotteschalco, non faciunt sine dubio ad stomachum Dissertatoris, & *nauseam*, aridæ licet, tantò post pariunt. *Porro hæc Capitula, non Synodi esse, sed Hincmari, vt abortiuum partum, & præcipitanter editum*, à paucis Episcopis, iisque factiosis, vel si qui fuere alij, fraudibus Hincmari deceptis, & regia auctoritate compulsis, inuitis renitentibúsque subscripta. Sunt hæc reliqua Carisiacæ Synodi posterioris encomia, quæ vt apertiùs illustrentur, tres in articulos secanda sunt, vt breuiter inquiratur, à quo Capitula quatuor scripta sint; quomodo scripta; à quibus, & quomodo subscripta.

Primus lepidus est, ita me Deus amet, & venustas ipsa, non esse à Synodo scripta Capitula, sed ab Hincmaro. Fuit enimuerò periculum, ne Synodum ipsam, ens illud rationis, vt loquuntur Logicorum filij, vniuersale illud ab indiuiduis abstractum, non Episcopos, sed Episcopeitatem crederemus chartam & atramentum in manus sumpsisse, & quiescentibus omnibus Episcopis, composuisse Capitula, vni sibi naturæ genericæ, priuato autem nemini assignanda. Nisi fortasse ex iis est philosophus Monetarius, qui vniuersalia in rebus ipsis constituunt. At nos vnum singularem hominem eorum auctorem fatemur, quod omnibus omnium gentium, omnium seculorum Synodis euenit; neque inter homines aliter fieri potest; agnoscimus, inquam, horum auctorem Capitulorum, eundémque Hincmarum: quod adeo palam præ se fert, vt probare consentientibus omnibus, inutilis & putidæ diligentiæ sit. Eadem tamen Synodi sunt, quia in Synodo, consensu Synodi, ab vno Synodi membro facta, à reliquis probata sunt, & Synodi communi nomine diuulgata.

Capitula scripta sunt ab Hincmaro.

Secundi articuli maior est non difficultas, aut obscuritas, sed inuestigatio. Certum enim est Regis imperio festinanter ab Hincmaro fuisse composita. Dolebat quippe Carolus partem Gotteschalci latè serpere, fluctuare paruulos multos, & circumferri omni vento doctrinæ, ingenio soli Gallici plurimos nouitati adhinnire, consultos priuatos exiguo fructu, & in publicum nullo: eorum sapientissimos familiare colloquium, & Synodalem discussionem optasse, qua rectissima quæque docerentur. Putauit certi aliquid à doctissimis constitui oportere, & quasi anchoram iactatis intelligentiis figi: sed extra tumultum & concertationem, malum in commota multitudine necessarium. Pauciores, vt tranquilliùs, ita certiùs decreturos: veritate & concordia stare Concilia, non numero. Pacem inter quælibet dissidia, malè quæri: quid autem in Suessionensi proximo Prouinciarum quinque penè actum, præter lites? Num ibi discussus Archiepiscopus Hincmarus: acriter increpitus Herimannus Episcopus: Burchardus ad iudicium Dei adactus: depositi Clerici Remenses: relegati Monachi Suessionenses, Ragamfrido Diacono Synodis interdictum? Pacatè agendum de pace. Hæ similésque causæ Carolum Principem pium & catholicum mouerunt, vt à Concilio Suessionensi

Causa cogenda Synodi.

Concil. Suession. II.

fidei concordiæque amantes Episcopos in Carisiacum Palatium deductos, iuberet collaris sententiis, Patrum antiquorum mentem de quæstionibus controuersis exquirere, in summam colligere, & Synodali consensu definire atque subscribere. Hoc facto certam spem affulgere, & sapientes expositæ vetustati assensuros, & nouitatum studiosos siue desperatione victoriæ, siue pudore solitudinis, quieturos. Viam ad hæc cogitata pandit Hincmarus, dum ait *Capitula quoque, quæ ob notam, & infra innotescendam necessitatem, ex catholicorum patrum sensu & verbis excerpsimus.* Vides, Lector, quanto huius Synodi damno perierit liber, quo necessaria eius cogendæ ratio continebatur. Quanquam causa hæc non omni ex parte excidit, quæ in posteriori opere satis apertè significatur, dum ait, amicum colloquium frustra à se expectatum ad sopiendas discordias, ad illud inuitatis planè recusantibus. *Sed quia partim occupationibus præpediti, partim autem in fraternis suasionibus, minùs quàm necesse fuerat obauditi, eos quos monere disposuimus, à sua intentione reuocare nequiuimus: adeo quorundam excreuit dissensio, vt hæc dissonantia ad vestram perueniret notitiam, & Synodali decreto pro zelo fidei & vnanimitatis amore, antequam hæc nobis perscrutanda committeretis* (priuata quorundam scripta) *quatuor Capitula Episcopali definitione vobis de catholicorum Patrum dictis colligi, & singulorum exigeretis manibus roborari.* Atque iterum alibi, primo è suis Capitulo recitato. *Ecce Capitulum quod contra Gotteschalcum & erroneam eius scholam, necessitate compulsi, & interrogatione principalis deuotionis exacti, secundùm sanctarum scripturarum tramitem, ex verbis Beati Augustini, & Prosperi, ceterorúmque catholicorum doctorum sensibus excerpere procurauimus.* Ita Remensis rationabilem legitimæ Synodi causam proferens, Regem excusat ex necessitate crescentis discordiæ; laudat à zelo fidei & religionis conseruandæ: neque vllus post homines natos, quod equidem sciam, præter Dissertatorem hunc Præsidem, factum istud in sinistram interpretationem obliquauit. Scimus autem vsu frequentissimo apud Nouantes receptum esse, vt Concilia semper expetant, datis autem damnati nunquam acquiescant; quin potiùs ea criminentur, & rideant.

Hincm. epist. 1. ad Carol.

Idem epist. 2. ad Carol.

Idem l. de prædest. c. 16.

Capitula festinanter ab Hincmaro scripta.

Capit. Car. Cal. tit. 10. 11. 12.

Iam verò cùm sentiret idem Carolus, acerbioris dissensionis periculum in mora esse; simul & alias Synodos & Placita eodem anno conuocare apud se statuisset, è quibus trium mentio est in Capitulari, apud Vermeriam Palatium mense Augusto, apud Valentianas mense Nouembri, apud Siluacum eodem mense Nouembri; haberet denique eruditionem Hincmari cognitam & viuax ingenium, adeo iussit accelerari negotium, vt comparandorum librorum, qui ad tantum opus maximè necessarij videbantur, copiam non faceret: vnde accidit vt compositor, sensus auctorum aliquando, non ipsa verba reddere cogeretur. Sic enim ipse de se in secundo Capitulo. *Sed cuicunque placet benigno animo conferat Capitulum Sanctæ Arausicæ Synodi, cum Capitulo à nobis ad sensum excerpto, quia librum præ manibus tunc non habuimus, quando hoc Capitulum de sensibus orthodoxorum dictare coacti sumus, & videat, si in aliquo illud distantes, à catholica fide, & expositione Synodi discordauimus.* Et alibi expressiùs, excusans libri Prosperi defectum, in Capitulo quarto exponendo. *In quibus verbis si aliquam syllabam, non autem sensum immutauimus, non per studium,* (siue professa opera) *neque per arrogantiam accidit;* (quasi melius aliquid, quàm quod dixit Prosper, afferremus) *sed quia librum eiusdem beati Prosperi præ manibus non habuimus, & spatium vt adferri valuisset, instantia deuotionis vestræ cogente, sicut ipsi melius scitis, venerabilis Princeps noster Carole Rex gloriose, obtinere nequiuimus, compellentes nos coartatione dignissima,* quod interpretor, summæ dignitatis & potestatis. Subiicitque regis responsum, parandi libri otium recusantis. *Dantes exemplum ex libro Hieronymi de optimo genere interpretandi, quia non tantùm quærebatis aliena compositionis verba, quàm sinceræ & Episcopalis conscientiæ catholica documenta.* Et inferiùs de eodem Prospero & Capitulo post multa. *De cuius sancti viri, scilicet Prosperi verbis, vt simpliciter & veraciter omnibus legentibus fateamur, instantia deuotionis Domni & Christianissimi Caroli principis coacti, qui librum illius præ manibus non habuimus, quantùm ad memoriam nobis venit, & breuitas temporis, & subitanea compulsio permisit, hoc Capitulum humilitas nostra intelligentiæ delibauit. Sed qui benignè ac simplici intentione aduertere voluerit, à sensu illius nihil, à verbis verò ipsius penè nihil nos discordasse videbit.*

Hincmar. l. de Prædest. c. 23.

Ibid. c. 30.

Ibid. c. 34.

Fuerunt ista necessariò describenda, vt litem ex iis ortam inter me atque Dissertatorem, à quo sunt occupata, ad iudicium tuum Lector, deferamus. Is enim illis vtitur ad culpandum Hincmarum, & eius Capitula, tanquam *abortiuum partum, & præcipitanter editum.* Nihil magis *alienum* dici posse *à maturo, quod in Conciliis haberi debet, examine: illam solam præcipitationem & subitaneam compulsionem ad Capitula illa reiicienda & explodenda sufficere.* Ego verò locos illos admoueo, 1. primùm, vt ostendam prauam Dissertatoris intentionem, & implacabilem animum aduersùs Hincmarum, qui humanissimè rogatus veniam necessitati concedere, deridet & subsannat: inuitatus *benigno animo, ac simplici intentione* Hincmarianum Capitulum cum Prospero & Synodo Arausicana conferre, ad contumelias digreditur, & *spuria ex radice amaritudinis vitulamina* nuncupat. Vbi *simplicem* ab eo *intentionem* sperabimus, quam hoc loco tanta cum demissione postulatus, obstinatè denegat? 2. Deinde, malæ fidei Dissertatorem eundem ex iisdem verbis accuso, qui subitaneam compulsionem, & festinationem, perpetuò *præcipitationem*, & facta *præcipitanter* interpretatur, cùm differant ista plurimùm inuicem, & sapientes ipsi in plerisque festinare lentè non refugiant, quod ab Hincmaro factum euentus rei declarauit. 3. Tum verò Hincmari sinceritatem & candorem hoc in negotio, amore dignum iudico, qui cùm Capitula sibi penitus arrogare posset, neque quicquam exigeretur præterea, quàm vt Patrum Ecclesiasticorum doctrinæ sensuique congruerent, ipsis quantùm quidem licuit verbis se illigauit, ad fontes digitum intendit, excusat si vel vno verbo, non quidem lapsus est, sed discessit ab auctore, nullæ sententiæ dispendio. 4. Nihili verò

Festinationis illius excusatio.

Dissert. c. 33. cit.

Hincmari sinceritas.

Obedientia regi præstita.

æstimandam putas tanta in re, tam lubrico loco, tanta aduersariorum parata inuidia præstitam Carolo Regi obedientiam? Quàm multos ingenij & eruditionis laude florentes reperias, qui penitus negent Principibus in hæc bonorum genera quicquam esse iuris? ad nullius imperium cogi se posse, vt de parta inter litteratos gloria periclitentur? qui tali loco ac tempore comperendinationem postulent, infamiæ periculum in alium quemuis deonerent, qui penitus & præcisè facere abnuant quod non gloriosè facere vereantur? Cuiacium scimus, magnum inter Iuris peritos nomen, discipulis nunquam ex tempore, aut verbo respondere solitum. sed traditam scripto quæstionem, per otium, & meditatò soluere. *οὐ γὰρ ἐσμὲν τῶν ἐμούντων*, aiebat sapiens Sophista. 5. Sed nimirum *Vir obediens loquetur victorias*, neque res vlla ingenium Hincmari, lectionis supellectilem, memoriæ felicitatem mihi magis exhibet, quàm Capitula ista quatuor, absque librorum subsidio, ex memoria, ipsis penè ex integro verbis auctorum, concepta. Dic illa festinatò, subitaneè, præcipitanter emissa, vnum semper addam: atqui omnia quatuor, & singulas eorum partes, sæpiùs & verba, per otium deinde ostendit, à Patribus fuisse prolata; magnóque Dei beneficio factum est, vt vnus saltem de Prædestinatione liber reuiuisceret, quo eius eruditio & innocentia commonstretur.

Doctrinæ copia, & memoriæ tenacitas.

Carolus rex culpa vacat in hac festinatione.

6. Quòd si quid culpæ præfert *coartatio illa dignissima, & subitanea compulsio*; sanè compellentis & coartantis est, non compulsi & obsequentis. Sed neque Carolo culpam vllam imputandam arbitror, qui probè norat, quantùm scientiæ haberet Hincmarus in numerato; qui auctoritate Hieronymi, verba ipsa Patrum anxiè requiri nolebat, modò sensus incorruptus existeret; qui ventilari iamdiu, & omnes in partes versari vexarique controuersias illas sciebat, in Episcoporum, in Monachorum, in Ecclesiasticorum ore perpetuas, vt ipsi templorum, & priuatarum ædium parietes illis vndique circumsonarent. Post hæc quid erat excussa opus bibliotheca? Adde Concilia duo contra Gotteschalcum: adde priuata plurium scripta vltro citróque disceptantium, hinc Lupi, Ratramni, Gotteschalci: inde Rabani, Amolonis, Hincmari, quæ quid sunt aliud, quàm Conciliorum prolusiones? Quò pertinere potest Augustini dictum ab eodem Hincmaro hoc in proposito citatum. *Quomodo enim potuit ista res tantis altercationum nebulis inuoluta, ad plenarij Concilij luculentam inlustrationem confirmationémque perduci, nisi primò diutius per orbis terrarum regiones, multis hinc atque hinc disputationibus, & conlationibus Episcoporum pertractata constaret? Hoc enim facit sanitas pacis, vt cùm diutiùs aliqua obscuriora quæruntur, & propter inueniendi difficultatem diuersas pariunt in fraterna disceptatione sententias, donec ad verum liquidum perueniatur, vinculum permaneat vnitatis, ne in parte præcisa remaneat insanabile vulnus erroris.* Quod futurum timet Hincmarus, & absolutè schismaticum fore pronunciat, qui Synodalibus istis Capitulis non consenserit. Adeò certum est homini Canonum & Conciliorum peritissimo, non solùm vera esse hæc Capitula, sed etiam in vera Synodo legitimè constituta. *Si quis verò*, inquit, *secus sentiens, secundùm formam in proximè distinctis Capitulis ex auctoritate Ecclesiastica comprehensam, Episcopali consensu, vel Synodali decreto, seruato per omnia priuilegio sanctæ catholicæ, & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, & ipsius in toto orbe terrarum primæ Sedis Pontificis, consentire, & cum sancta catholica & Apostolica vnitate suscipere, siue subscribere detrectauerit, ipse ab eius se compage, & vnitatis secernet communione, cuius esse noluerit socius disciplina.* Iam igitur mentione subscriptionis excitati, ad eam accedamus, & fastidiosæ prolixitatis metu sectionem adhibeamus.

Hincm. ep. 2. ad Carol. ex August. l. de Bapt. contra Donat. c. 4.

Idem l. de præd. c. 38. Epil. 1.

§. I.

De subscriptione Episcoporum, maximéque Prudentij Trecassini.

Corrupta Dissertatoris narratio de subscriptione.

QVæ facta sunt ab Hincmaro Capitula, priuata fuerunt & Hincmari solius, quandiu à ceteris Episcopis in Synodum congregatis probata, & subscriptione confirmata non fuerunt: vbi adfuit subscriptio, tanquam anima cadaueri, aut imago principis auro argentóque in numum erotundato, vsum publicum, & Synodalium decretorum pretium meruerunt. Vt verè dicere possimus, non tam illa scripsisse Hincmarum, quàm Synodum Hincmari manu; quemadmodum cudendæ Monetæ & AV. AR. AE. FL. FER. Præfectus, non tam monetam cudit, quàm Rex eius ministerio. De hac igitur subscriptione, diuinationem ita fabricat Præses Monetalis, Regem, *cum quibusdam Episcopis Hincmaro, Pardulo, & aliis paucis ex Hincmari fidelibus, vel etiam aliis, sed paucissimis, quatuor Capitula ab ipso Hincmaro præcipitanter vt voluit composita, edidisse, propria subscriptione, & Episcoporum qui illuc adducti fuerant, etiam quorundam renitentium, subscriptione roborasse.* Huius narratiunculæ fundum testem magno verborum ambitu aduocat Annalistam Bertinianum, quem necessarium est hîc etiam repræsentari, sic scribentem. *Carolus inde ad Carisiacum veniens, cum quibusdam Episcopis & Abbatibus monasticis, quatuor Capitula edidit, & propria subscriptione roborauit: quorum primum est*, &c. Intumuit, vt vides, historici narratio, ex Dissertatoris eloquentia, & modicum fermentum totam massam corrupit. Etenim vnde didicit *quosdam Episcopos* diuidendos esse in *fideles Hincmari, & alios*; in illis fuisse *Pardulum*, istos *paucissimos*: *quosdam* ex omnibus illis *renitentes* subscripsisse? Neque hîc stetit oratoria exaggeratio. Siquidem inferiùs *paucos* dicit *Episcopos, eósque factiosos*: in iis *Rothadum* nominat *renitentem & reclamantem*. Prudentium omnino negat subscripsisse, & *impudentia* Hincmarum accusat, qui illud ausit referre. Abbatum verò monasticorum nusquam meminit. Hoc non est diuinare & fingere? Potést ne ab vllo breuiùs & efficaciùs fabulæ & diuinationis reus peragi, quàm ab eo, cuius vnius testimonio tutum se præstare contendit? Taceo exquisitam Hincmari reprehensionem, quòd subscribentium nomina non recitarit, aut habitæ Synodi tempus non adnotarit: quod istud & in priore Carisiaca omisit, & verbo vno de-

Dissert. a. 33. cit.

Annal. Bertin. an. 853.

fenditur, Historicum se non profiteri Hincmarum, sed Episcopum, catholicæ fidei vindicem, & aduersùs scholam dyscolam Gotteschalci, propugnatorem. Tu verò qui neque in Annalista tuo, neque in Hincmaro legis nomina subscribentium, ex qua *meditatione & collatione* Rothadum obtrudis? quo iure vnicum, quem appellat, Prudentium excludis, & impudentis mendacij accusas, qui quod vidit ambobus oculis suis, hoc Regi scribit, & ipsi oculato testi? Quæramus ergo, Lector, historiam aliunde, & si diuinare licet, ne somniemus vigilantes.

Omnes subscripserunt, sed nemo inuitus.

Certum mihi est, præsentes omnes Episcopos & Abbates subscripsisse, volentes, lubentésque, inuitum & renitentem neminem. Par enim est credere, Hincmari opinionibus assentientem Regem, eos elegisse, quos ab iisdem partibus stare existimaret: & paci consulentem, quos putaret pacis studiosos, secum Carisiacum perduxisse. Quòd si quis inter eos repertus est dubius, & nonnihil restitans, non expressum, non vi extortum ab eo fuisse consensum; & rei natura, quæ cogi non debuit; & Regis benignitas, quæ ab eiusmodi tyrannide semper absuit; & altum omnium tanta de re silentium, persuadent. Tria dico, & ab eo qui repugnet, ostendi mihi postulo, viros sanctitate & innocentia conspicuos, quales Prudentium, & Rothadum facit aduersarius, in partem Hincmari potiùs cogi potuisse, quàm in aliam, cui essent addicti, quámque alienam à fide ducerent: & in fidei rebus quicquam actum simile à Carolo Rege aduersùs vllum, non dico Episcopum, non Francum hominem, sed ex infima plebe homulum: Denique, ab aliquo fidei vel leuissimæ scriptore narrari, vim Episcopis illatam, questos de illa tot æmulos, Prudentium, Lugdunenses, Valentinos, Lingonenses, illum Scripturarium qui *conuentus Episcoporum* clarè meminit; illos Valentinos qui *Concilium* apertè nuncupant. Flagella Gotteschalci multis exaggerauit Epistolarius: eiusdem ergastulum improbauit Scoti oppugnator, qui dicitur Florus: Hincmarum & Pardulum rogauit Prudentius, ne quid eorum ætate Augustini doctrina detrimenti caperet, & hanc violentiam tantis viris, in re tanta, in Synodali consessu, à Rege Christianissimo ad propugnandos errores adhibitam, nemo tum audiuit, nemo questus est, nemo liberam censendi potestatem ab alia Synodo, à Pontifice Romano, ab ipso Rege flagitauit? Repertus est vnus octauo tandem pòst seculo, qui mortuos illos suæ admoneret iniuriæ, vt è tumulis in eam libertatem restitui se peterent, vndè vi. Itaque cùm inter nos conueniat, subscripsisse præsentes omnes, id à volentibus factum fuisse certò concluditur. At statim repugnarunt aliqui. Certè, qui mutarunt, qui stare in veritate noluerunt, quorum præcipuus breui nobis erit conueniendus.

Carolus rex sincerè subscripsit.

Si iubes de singulis subscribentibus priuatim dici, Regem Carolum in primis commemoro, qui, narrante Annalista citato, Capitula quatuor *propria subscriptione roborauit*, qua ratione laici Conciliis solent subscribere: idque fecisse planè ex animo, non vt meditatur Dissertator, *forsitan contra sententiam* suam, ex eo demonstratur, quòd licet Hincmari amor in eius pectore nonnunquam intepuerit, licet eo sciente in eius regno nonnihil turbatum sit aliquando in religione, eodem teste Annalista; nunquam tamen his in quæstionibus, ab Hincmari sententia vel latum vnguem recesserit: imò contraria intimis in præcordiis sentientes auctoritate sua represserit, ne foras prodirent; scribente ad Nicolaum Papam Hincmaro, *Quicquid hodie in isto regno filij vestri Domni Caroli prauum sentit, in pectore comprimit, & apertè dicere non præsumit.* Quodque breuiter hîc obseruare non est intempestiuum, quando creatus Imperator Carolus, totam quanta est Galliam in ditione habuit, omnis illa Lugdunensium æmulorum factio sopita fuerit, neque quisquam deinceps in his quæstionibus Hincmaro & religioni negotium facessiuerit.

Hincm. ep. 17. ad Nicol.

De Episcopis qui subscripsisse dicuntur.

Inter Episcopos, de Hincmaro quærendum nihil. De Pardulo, licet nemo tradat, assentior tamen Dissertatori, probabile admodum videri, neque parti catholicæ, neque Hincmaro tali in negotio defuisse. Rothadum cur in hunc conuentum admittam, aut ab eo excludam, non habeo. Nam quòd eum inter renitentes numerat Dissertator, ex iis verbis in libello proclamationis Nicolao Pontifici oblato: *Ego autem, quantùm poteram, illum tolerans, in his ei nequaquam pro suo libitu acquiescere volui, quæ sacris perpendebam auctoribus esse contraria.* Ista ego verba, non ad doctrinam refero, sed ad actionem, siue ad canones & regulas Ecclesiasticas, quas iamdiu ab Hincmaro violari criminabatur. Neque Gotteschalci doctrinæ addictum fuisse Rothadum vlla ratio euincit. Quippe qui eiectum è Germania, & damnatum erroris, ad Carisiacense Concilium deduxit: in eo accusatum contemptus in Episcopum, quòd maluisset Chorepiscopi Metropoleos manibus ordinari in Presbyterum, ac deinde conuictum hæreseos, cum ceteris damnauit, & ipse contumeliarum parte ab effreni lingua donatus. Passus est non inuitus, nulla vnquam intercessione obiecta, à Parochia sua deductum in Altiuillarensi monasterio asseruari: deinceps neque pro Gotteschalco vnquam supplicauit Hincmaro, neque ipse rogatus est à Gotteschalco. Interim de controuersis istis quæstionibus ab eo disputatum nemo tradidit: vt perfacilè credam quicquid ad Gotteschalci personam & doctrinam attinet, illud à bono viro ad vltimas curas, si tamen curas fuisse reiectum. Ab hac autem Synodo Carisiaca, ad Synodum Syluanectensem anni decem intercedunt, qua depositus est, & de gradu deiectus Rothadus. Biennio post, causam suam Romæ agens, libellum Proclamationis Nicolao Pontifici præsens obtulit: tum verò quiescentibus Lugdunensibus, mortuo Prudentio, ac fortasse etiam Gotteschalco, libro posteriore de Prædestinatione confecto, sopita erat controuersia. Putas illo rerum statu, duodecimo pòst anno, venisse in mentē homini manes inquietare, cineres extinctos excitare, quæstiones quas semper contempsisset, refricare? Quamobrem ex eo loco confici non potest, interfuisse Rothadum illi conuentui, quantò minùs inuitum & renitentem subscripsisse, quæ duplex est duobus in verbis diuinatio? Quòd si diuinationibus amplificanda est historia, quidni & ego Abbatem Seruatum Lupum in ea Synodo collocem, placidi virum

Rothadi proclam. tom. 3. Concil. Gallic.

Rothadus Gotteschalco non fauit.

ingenij, singularis eruditionis, amantem concordiæ, colloquij Synodalis appetentem; ceterum Iudithæ matris Caroli gratia in aulam accitum, Hincmari & Parduli obseruantissimum, recentem ab officio Notarij in proximo Suessionensi Concilio? Et vide si post hunc consessum, aut de vulgatissimis illis quæstionibus tractauit, aut vllo verbo contra Hincmari sententiam iuit: quo signo coniicere possumus, data quam expectabat Synodo, veritatem hausisse, & probatis subscriptione Capitulis nihil prætereà, quod sapientem decuit, quæsiuisse. Plurimùm fallor, nisi & Heribaldum venerabilem Autissiodorensium Episcopum, vt huius Synodi partem, memorat Hincmarus alicubi.

Prudentius Capitulis subscripsit. Sed hactenus diuinatum sit: consistamus in solido: gesta res est, Prudentium Trecassinum illi Synodo præsentem, eius decretis & Hincmari Capitulis aio subscripsisse. Ita narrat non semel Hincmarus Regi, & per eum *omnibus in quorum manus hoc laboris opusculum venerit*, vt ipse loquitur. (Hincmar. l. de Prædest. c. 21.) Nam Capitulo secundo contra Gotteschalci dicta prolato, sic subiungit. *Cui Capitulo cum aliis tribus, de quibus ratio agitur, in conuentu Episcoporum Domnus subscripsit Prudentius:* qui tamen in Epistola ad Wenilonem, alia scripsit postea. *Vnde miramur, cùm in præfata Synodo Capitulis superiùs memoratis subscripserit, & canonicas sanctiones, atque decreta Apostolicæ Sedis Pontificum sufficienter cognita de Synodali subscriptione atque professione habeat, tam inconsultè, & inconsuetè, sine probabili conlatione, contra regularum instituta, huiusmodi scriptum transmiserit.* (*[illegible]*) Quas regulas ad operis finem pluribus referens, quem tangit, si Prudentium non respicit? *Item de his qui fidei catholicæ, vel libello porrecto in Synodo subscripserunt, & postea ad prauos deuoluti sunt sensus, vel definitionibus, seu dogmatibus catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ doctrinæ contrariis subscripserunt.* (Ibid. c. 37.) Item; *Si quis definitionibus illius sensui concordantibus subscripsit in Synodo, & postea fuit translatus ad deuia.* Item: *Quòd etiam hi qui post subscriptionem rectæ fidei, prauis subscripserunt erroribus, si resipuerint,* &c. Denique, *Quòd qui post praui erroris subscriptionem orthodoxæ fidei detrectat subscribere, etiam proprio sit iudicio condemnatus.* Vt qui has regulas cum producto loco contulerit, apertè intelligat, aurem Prudentio velli, eùmque ex priori facto, ad posterioris pœnitentiam inuitari. Eandem mutationem exprobrat alia etiam occasione, qua de eadem Epistola ad Wenilonem agit. *Ceterùm capitula à nobis ex sanctorum Patrum dictis excerpta, quæ reprehendit Domnus Prudentius venerabilis Episcopus, nobiscum constituit, atque firmauit. Quæ postea in hac epistola, de qua loquimur, ita confudit atque præposterauit.* &c. (Ibid. c. 26.) Hæc attende Lector, affirmatè, & constanter exprobrando dici, de Episcopo celebri, & erudito, ab Archiepiscopo summæ tum auctoritatis, qui Synodo præsens interfuit, præfuit, Capitula composuit, subscribentes & subscriptiones oculis suis vidit, manibus contrectauit, sæpius legit; & dici Regi Carolo, auctori Synodi, præsenti, subscribenti: eo scribi opere, quod importunitate aduersariorum extortum, iussu Regis confectum, Regi ipsi oblatum, in omnium oculos manúsque deducendum erat. Quo in opere polemico, inuidiæ & reprehensionibus, si quid peccaretur, maximè obnoxio, tam cautè prudentérque se gessit Hincmarus, vt in eius statim vestibulo Lectores omnes admoneat, precetúrque suppliciter, ne quos aliena manus aut æmulorum, aut antiquariorum potest errores immisisse, illos sibi imputent. (Ibid. Præfat.) Et si quibus librum ipsum in proprios vsus describere placuerit, eosdem roget, postulationem hanc in fronte ne omittant; cùm solenne sit hæreticis, vt doctrinam, ita scripta Catholicorum adulterare. Hæc adeo diligens, & circumspecta cautio, quid aliud loquitur, quàm magnum auctoris metum, ne vel syllaba labi, vel peccare litterula, vel citatione fallere existimetur, cùm tot Aristarchos, tot Zoilos stilis & obelis armatos mente conspiciat, vt verba omnia syllabásque confodiant? Quòd si tanta cura omnes aditus calumniæ occupat, ne ad se in vocibus, & antiquariorum erratis aspirare possit: quis credat parum prouidum, minúsque prudentem extitisse, vt incerta de aduersariis scriberet, falsa confingeret, calumnias nullo negotio reuincendas, per summam impudentiam obiiceret?

§. II.

Soluuntur rationes quibus Prudentium non subscripsisse probari videtur.

Grauis calumnia in Hincmarũ pro Prudentio. Hoc tamen ita factum ab Hincmaro narrat Dissertator, in gratiam Prudentij. At quibus verbis? quibus rationibus? *Licet Hincmarus*, inquit, *nullum eorum qui suis Capitulis subscripsere, nominauerit, nihilominus in opere illo de Prædestinatione, quo Prudentij Trecassini Episcopi, cuius Tractoriam impugnat, auctoritatem deprimit, eò impudentiæ progressus est, vt ei Capitulis illis subscripsisse, falsò improperet.* (Dissert. c. 33. cit.) Horres Lector, & frontem contrahis ad istam sacri characteris iniuriam, ab homine laïco irrogatam, quasi lege diuina non teneatur, imperante, *Principi populi tui non maledices?* Non miraberis tamen audaciam contumeliæ, si hinc spectas Hincmarum pro mortalium omnium perditissimo tota Dissertatione traduci; inde grauitatem obiecti criminis, cuius si reus probatur Hincmarus, eum ego non iam impudentem, sed fatuum, & insanum, & homine minorem iudico. Sustine igitur indignationem, Lector, ad momentum temporis, & *impudentia* in medio posita, vide cui demum assignanda sit, Hincmaro qui Prudentium, an ei qui calumniatur Hincmarum? Immensum profectò rationum pondus esse oportet, quæ persuadeant, non vidisse Hincmarum quod vidit, quod dicenti nemo vnquam contradixit, non Rex cui dictum, non Prudentius de quo dictum, non Lectores omnes amici, hostes, dubij, indifferentes, à quibus lectum: non præsentes, non absentes, non superstites, non posteri, non oratores, non historici, nemo inquam mendacij hac in parte Remensem arguit, ante nouum scriptorem Gilbertum Mauguinum Præsidem Monetalem, qui anno 1650. Historiam & chronicam Dissertationem pro Gotteschalco contra Hincmarum confecit. Itaque si auctoritate certatur, debet hic vnus cum mortalibus omni-

bus controuersiæ scientibus, quot illo tempore, quot postea tot seculis fuerunt, comparari. Sin rationibus agitur, debent eiusmodi esse, quæ testibus oculatis, Regi Carolo, Hincmaro, Pardulo, & Rothado, hos enim ipse nominat, & Prudentio, aliisque eius Concilij Episcopis, qui omnes factum agnouerunt vel silentio, fidem omnem possint eripere. Audiamus.

Refellitur. Tam palmare mendacium istud est, tam immanis impudentia, *vt cui fraudes, simulationes, & mendacia Hincmari non fuerint perspecta, tam inuerecundæ & perfrictæ frontis Archiepiscopum non credat, vt hæc vltrò contra veritatem asseueret.* Topicum istud argumentum est, non ex Euangelica simplicitate depromptum, sed ex artificio rhetorum, & Aristotelis officina. Siquidem in Rhetoricis præcipit*, vt si cui aduocato in statu coniecturali, quo factum sit crimen, necne, quæritur, testes defuerint, in mores hominis, & præteritæ vitæ gesta digrediatur, ex quibus probabile faciat istud à tali homine fieri potuisse. Quis enim non facilè credat raptum aliquid à Verre; matrem interfectam à Nerone; coniuratum in patriam à Catilina, si reliquæ criminum sordes, & flagitiorum portenta commemorantur? Iam sentis, Lector, quò sensim sine sensu abducamur, ad artes Ciceronis & Demosthenis, ab historia; ad oratorium fucum, à Theologia; ad sophisticos amfractus, à plana & patenti veritate. Sed hoc perpende, oratorem qui sic argumentatur, duo quædam declarare, quibus sæpissimè refellatur, & se testibus omnino destitui, quorum tamen in facti probatione præcipua auctoritas est, ne dicam tota: & sibi vni fidei satis non esse, vt certi quicquam testimonio suo constituat. Quæ duo si retuleris ad rem nostram, intelliges à Dissertatore, sola ipsius auctoritate malè certari. Adde si lubet & tertium ab ipso Aristotele: siquidem Rhetor rhetoricis armis percutiendus, & cum Crete cretissandum est: totum oratorium argumentandi genus, vt summum ad probabilitatem assurgere, in qua tam incerta sunt omnia, vt defensoris actio sit plausibilior, quàm accusatoris; cùm quicquid argumentis illiusmodi contra reum persuadere coneris, facile sit contrarium in eodem probabilitatis ordine collocare. Accusat autem Dissertator Hincmarum, illatæ per summam impudentiam calumniæ, & omissis testibus, quos sibi deesse fatetur, oratoria techna præteritam vitam refodit, quò probabilem reddat intentionem. Ego pro Hincmaro, præter ipsius testimonium, cuius momenta iam expendi, ad eandem vitam prouoco, qualis, non in Dissertatione, aut Synopsi, sed in Flodoardo, & Conciliis Gallicanis describitur, ex qua longè probabiliorem facio depulsionem. Videamus igitur quæ tanta proferantur flagitia, vt viro sapienti, & æquo iudici persuasura sint, Hincmarum probabiliter infamem esse calumniatorem Prudentij, etiam cùm de re oculis suis visa, & manibus contrectata testimonium dicit.

* Aristot. l. 1. Rhet.

Totam vitam Hincmari calumniatur. *Ideóque feliciter accidit*, inquit actor, *quòd ex occasione rei gestæ in Concilio Suessionensi, præter ea quæ passim in hac Dissertatione occurrerunt, aliqua ex parte lubrici huius ingenij delineatam à sede Apostolica imaginem expressimus.* Prima ratio, ex Dissertatione, & Apostolica sede, illi, hanc nostram historiam oppono, qua & veræ laudes Hincmari sunt exhibitæ, & falsæ Dissertatoris aduersùs eius innocentiam diuinationes, & fictiones, poëticis similes, euentilatæ. Plus autem fidei meretur, qui certis testibus, & tabulis obsignatis agit, quàm qui mentis suæ cogitata producit. Ad Sedem Apostolicam & Concilium Suessionense quod attinet; præter ea quæ sæpe libaui, veritatis studiosum & amantem historiæ Lectorem precor, vt Suessionense istud Concilium in tomis Conciliorum, & in Flodoardo, comparata etiam cum eo Nicolai Pontificis epistola, legat attentiùs; simúlque meminerit, questum semper Hincmarum, multa de se ab æmulis eidem Pontifici relata; illum nihilominus Hincmarum belli sacri aduersùs schismaticos Græcos socium aduocasse; & in mortis vicinia veritati cognitæ testimonium pro innocentia Hincmari dedisse. Plura hîc non dico, ne longiùs, & satis inutiliter ab instituto digrediar.

Præfat. huius operis.

Tom. 3. Concil. Gall. Flodoard. l. 3. c. 11.

Impostorem vocare, & calumniatorem. Aliam subiicit rationem accusator. *Qui opus illud de Prædestinatione vel leuiter expenderit, plurimas & peiores in auctores librorum Ecclesiæ Lugdunensis, & Patres Concilij Valentini, & Concilij Lingonensis, & suppresso nomine, in ipsum Lugdunensem Archiepiscopum impostoris calumnias reperiet.* Seponamus amabo te hæc ornamenta verborum, *impostor, calumnia, mendacia, fraudes, impudentia:* & similia quæ tota Dissertatione, & Synopsi, tanquam bullæ quædam eminent & resplendent; iudicaturi ad extremum, cuius è collo iustiùs suspendantur. Rem ipsam consideremus, & inuictum argumentum, quod Regi, Archiepiscopo, Episcopis & Abbatibus, oculatis testibus opponis, vt apud illos mentitus sit Hincmarus, ipsi mentientem approbarint, tu solus verum tam serò proferas. At in eo falsa multa, & obscura mihi apparent. Nam in libro de Prædestinatione, libros Lugdunenses malè non tractat, si vnum excipis, cuius nobis ignotus auctor est: Florum Diaconum perpetuò laudat, & eius auctoritate se tuetur: De Remigio Lugdunensi honorificè meminit, vt quàm maximè, librum aduersùs Ioannem Scotum nondum vidisse se apertè significat, & adhuc conscribi: librum de Tribus Epistolis rarissimè citat, nec asperè: librum de Tenenda scripturæ veritate, & eius auctorem habet acerbissimè. Sed quis ille tandem est? quo nomine appellat? In Compilatorem autem Capitulorum bilem totam euomit, sibi notissimum, & nos ea de illo edocet, quæ tu iniuriosa dicis, & plena calumniæ. Sed dicis tantùm; ostende, proba efficaciter, reuince falsa esse. Nam lepidus es si sic agis. Calumniatus est Prudentium, quia & Compilatorem. Ego sic ex aduerso: Vera de Prudentio dixit, quia & de Compilatore: illum vidit, istum nouit: vtroque audiente dixit, neutro repugnante: omnibus qui & hunc, & illum nouerant scripsit, nemine contradicente. Vtri nostrûm caussam Lector adiudicas? In Lugdunenses ergo non est iniurius Hincmarus, imò Remigium, & omnes metropoleos Lugdunensis suffraganeos Episcopos, conceptis verbis à querula sua disceptatione seiungit. *Nos pro certo, in veritate sciat sancta fraternitas, pro nostra speciali iniuria ista non dicimus, quia à fratribus no-*

Hincmar. l. de præd. c. 36.

stris Remigio scilicet venerabili Archiepiscopo, & honorabilibus consacerdotibus nostris Prouinciæ Lugdunensis, illud conscriptum nequaquam fuisse certissimè scimus, & credimus. Quid videtur? an *calumnias* in Lugdunenses & eorum Archiepiscopum iaculatur *impostor?* Plurimas inquis & peiores calumnias reperiet in Patres Concilij Valentini & Lingonensis. Quas? quo loco? quibus verbis? Nam ad Capitula quod spectat, se tegit lacessitus, cum moderamine, vt aiunt, inculpatæ tutelæ: & si quid paulò asperius loquitur, in auctorem & collectorem capitulorum omne deonerat. Sed calumnias hîc loqueris, qui laudes paulò pòst & præconia Valentinorum Patrum, (qui sunt iidem cum Lingonensibus) à solo Hincmaro arcessis. *Omnes qui huic affuerunt Concilio Episcopi doctrina & morum probitate celebres, etiam testimonio ipsius Hincmari.* Quod testimonium tribus è locis collectum exhibes: postquam dixisti, si quis opus illud vel leuiter expenderit, multas & graues impostoris calumnias reperturum. Ego laudes dico lecturum, te consentiente: appella tu calumnias de nomine.

Dissert. c. 37.

Duabus istis rationibus leuissimis, ad labefactandam tantorum testium oculatorum fidem, additur tertia ab ipsa veritate, id est, à gestis Prudentij: vt quemadmodum anteacta Hincmari vita omnem eius dictis auctoritatem detrahit, sic eadem Aristotelica regula, facta Prudentij summam illi fidem concilient: quum postea instar oraculi pronunciaturus sit, nihil Hincmaro credendum esse, Prudentio omnia. *Deinde*, inquit, *in contrarium, rei veritas ipsa per se reclamat.* Æquum profectò est illam audiri. *Prudentius solo Dei catholicæ veritatis zelo*, (id Dei iudicio relinquendum videtur) *seruato quoque caritatis vinculo* (eius iniuriam in res Ecclesiæ Remensis, narrauimus ex Flodoardo; contumelias in Ioannem Scotum ex eius libro retulimus: fel ipsius in quosdam Episcopos quibuscum antea consentiret, in Annalista Bertiniano deprehendimus) *primus omnium contrariam sententiam, vt orthodoxam professus est, & istam Hincmarianis Capitulis assertam vt hereticam impugnauit:* (at Annalista prædictus contraria narrat de Galindone, maiore eius gloria.) *in eadem sententia acerrimè persistens, Ioannem Scotum, etiam amicum, vt hæreticum oppressit, duobus libris diuersis temporibus in publicum editis.* Quibus? sine dubio Correctione, & Recapitulatione. Quando editis? Nam longè processerat in posteriori opere de Prædestinatione Hincmarus, cùm priorem nondum habebat cognitum, posteriorem tanquam recentissimum, & auctoris non certissimi proferebat, quantò post Carisiacam subscriptionem tempore? Sed pecco, alios auctor significat, *alterum ad Hincmarum & Pardulum, alteram ad Wenilonem.* Hic verò omnium consensu, & exigente veritate posterior Synodo Carisiaca fuit: illum ostendimus ad Synodum Parisiensem absurdè referri. & longè probabilius est Synodum Senonensem Æneæ ordinatricem subsequutum fuisse aut comitatum. Quo igitur parachronismo, ex iis quæ post Synodum Carisiacam, & Capitula confecta geri contigit, ea refelluntur, quæ in ipso conuentu Carisiaco, & circum Capitula, facta esse narrat qui vidit

Ex scriptis Prudentij malè argumentatur.

Hincmarus? Quanto meliùs cum historico eius temporis conuenit nostra assertio, dicente, Prudentium primis quidem annis Gotteschalco Prædestinatiano restitisse, ac deinde *felle commotum contra quosdam Episcopos secum heretico resistentes* (ne solum Hincmarum cogites) *ipsius hæreseos defensorem acerrimum extitisse?* Addit Dissertator. *Denique, vbi Capitula ista ad eius notitiam peruenere, hoc eodem anno Tractoria sua in publicum Concilium emissa, Capitula illis ex diametro opposita proposuit.* Vnde videlicet necessariò concludendum esse putat, impudenter calumniari Hincmarum, qui vno & eodem anno velit Prudentium & suis Capitulis subscripsisse, & alia illis contraria edidisse. Est videlicet magis è re publica & Christiana, vt Hincmarus impudentis calumniæ, quàm vt Prudentius leuitatis accusetur. Atqui cùm antecedenti tuo non inuitus assensum præbuero, consequentiam non persuadebis, nisi conficias, constantem in omni vita & doctrina fuisse Prudentium, nunquam mutasse, aut mutare potuisse sententiam: leuitatem hanc exemplo præteriti carere. At ego non absimile aliquid offeram in Nestorio, qui quo anno legibus Imperatoriis hæreticos exagitabat & expellebat Constantinopoli, Pelagianos recipiebat, & nouam hæresim procudebat. Adducam & Eutychetem, qui Nestorij errorem proprio errore in Ephesino Concilio profligauit. Nouatianum ipsum referunt Patres, pro recipiendis lapsis dixisse sententiam, quos paulò pòst schismaticus repudiauit. Denique *homo*, si Iobum, imò experientiam quotidianam audimus, *natus de muliere repletur multis miseriis, & nunquam in eodem statu permanet.* Non est igitur incredibile mutatum esse Prudentium. Quo iure, quo consilio? ipse viderit.

Annal. Bertin. cit.

Baron. an. 428. tom. 5.

Pacian. epist. 1. ad Sympron.

Satis hæc erant ad historiam, nisi etiam veniret in subsidium chronologia; sed omnino germana historiæ. Excogitauit, inquit, hanc calumniam Hincmarus, *post tanti præsulis mortem, vt memoriam eius sugillet, scripta eius dilaceret, & eorum auctoritatem deprimat.* Ostendet per otium Præses chronologus quàm fœdè, quas in partes *scripta* Prudentij *dilacerarit* Hincmarus, quibus fateor aliqua ex parte respondisse? quàm multos de aduersariis suis *post mortem sugillarit?* cuius æqualis partam ex catholica professione *auctoritatem depresserit?* Modò consistit in chronologia. *Post mortem inquam, obiit siquidem anno 861.* Verè istud, sed quid ad Hincmarum? *Et licèt anno præcedenti opus suum incœperit Hincmarus, nihilominus in aliquos insequentes annos protractum est.* Audio: posterius opus de Prædestinatione, in quo ista legimus de Prudentio, serò incœpit Hincmarus, anno 60. serò perfecit, ergo post mortem impudente calumnia sugillauit. Fateor equidem, cùm primùm in subtilissimo Dissertatore vidi, anno tantùm 60. librum inchoatum, & in annos aliquos insequentes protractum: & mecum ipse perpendi, potuisse verosimiliùs anno 59. inchoari, idque credibilius videri in prompto & vehemente ingenio, talium iniuriarum minimè patiente: nullam deinde probabilem parere rationem, cur in plures annos eius perfectio protracta censeatur; vtrunque dictum nouæ chronologiæ nullo auctore, nulla ratione stabili-

Scripsit Hincmarus superstite Prudentio.

tum

Chronologia Dissertatoris seruiit eius historiæ.

tum ad diuinationem, qua plurimùm valet Dissertator, referebam securus artificij. Verùm hoc loco lux mihi oborta est, quæ simplicitatis meæ tenebras illustraret, moneretque, fieri multa sine ratione, quæ sine causa non fiant; non hîc primùm aut solùm ancillari chronologiam Dissertatoris historiæ; cur enim ambæ simul gradiuntur, nisi vt mutuam sibi præstent operam? vtrunque terminum inchoati operis & perfecti affabrè factum, vt in medio Prudentius commodè moreretur, & Hincmarus insultare mortuo non incommodè diceretur. Et δὴ ᾗ μὲν accidit, vt obseruatio de Prudentij chronologia statim, licet extra lineam, subdita sit à Præside. *Nec non hîc obseruandum, quòd Hincmarus ipse nullam fidem ipsi Prudentio, Præsuli indubitatæ fidei, & probitatis, in iis quæ de Nicolao Papa in Annalibus suis scripsit, adhibendam censet, eò quòd, inquit, ad confirmandam suam sententiam eos composuerit.* Exempla omnia sanctorum proponi ad imitandum putat Præses optimus, vt à Prudentio formam accommodatitiæ chronologiæ lætus accipiat. Sed hæc pluribus inuestigare alterius est loci, cùm librum ipsum de Prædestinatione, quo scriptus est tempore, consulemus.

Hincmar. epist. 24. ad Egil.

Prudentius subscripsit non coactè.

Nullius ponderis est ratio vltima, qua probatur Hincmarus calumnia conspurcasse Prudentium: *Alioquin dicendum foret, non solùm ab Hincmaro, sed & à Rege ipso paratas Prudentio insidias, eúmque auctoritate regia tam violenter oppressum, vt suprema vi quæ in constantem virum cadere possit, coactus subscripserit.* Quod & Rege, & Carolo indignum est. Suo enim somnio vltra modum delectatus Dissertator, supponit, aut Prudentium, aut quenquam alium, coactum fuisse à Rege Christianissimo, & inuitos plurimos subscripsisse; quod quia dixit, & commoda est ad euadendum rima, sua fide vult verum videri. Quod ego præcisè nego, quod vllo rationabili argumento probari posse nego; & à Præside regiæ maiestatis studioso, quæro, si fuit indignum Carolo Prudentium coëgisse, fuerit-ne dignum eiusdem regia maiestate, Rothadum & alios coëgisse? Quid est autem quòd vir catholicus in causa fidei Prudentium excusat, quòd suprema vi oppressus quæ cadat in constantem virum, subscripserit? Si doctrinam *Hincmarianis capitulis assertam, vt hæreticam impugnauit* Prudentius, si contrariam suis Capitulis *ex necessitate fidei catholicæ recipiendam proposuit:* si quatuor Prudentij Capitulis *omnis Ecclesia catholica aduersus Pelagium, eiúsque sequaces pugnauit,* profectò hæresi sibi cognitæ subscripsit, fidei confessionem metu victus edere recusauit. Eum tu *constantem virum* appellas? Illo metu catholicum animum posse opprimi putas, vt tum liceat hæresim profiteri? Vbi Euangelica & Apostolica de externa fidei confessione præcepta? vbi martyrum documenta? vbi lapsorum iudicia? vbi Osij & illorum qui minis Cæsarum cesserunt, execrationes? vbi Nouatiani, Luciferi, Donatistarum schismata, in eos qui lapsis communicant? Excesserunt isti modum; sed catholici mille martyria priùs semper putauerunt subeunda, quàm vel semel hæresi notæ subscribendum. Hæc est Christi doctrina? hæc fides Ecclesiæ? sic credimus? sic docemus? Anathema dicunt Christi Martyres iis qui ex animo dixerint, posse Christianum hominem ex metu cadente in constantem virum hæresi consentire. Lapsus es verbo imprudens, Dissertator amplissime, nimius amor Prudentij, & odium Hincmari vocem incogitanti expressit inimicam fidei, pestem constantiæ, Martyrij peremptricem, infamem Prudentio. Iubes eos *salubriter erubescere, & conuerti, qui conuentum Carisiacum pro legitimo & solenni Concilio in publicum obtendunt.* At illi te rogant salubriter erubescere & conuerti à præconio, ad eius grauem reprehensionem, qui regia auctoritate coactus & oppressus, hæreticis Capitulis subscripserit; & cum Ecclesia catholica profiteri, quod vt opinor non negas, in fidei confessione nullum metum in constantem virum posse cadere.

Lapsus Dissertatoris.

CAPVT V.

Capitulis Hincmari mox proponendis notanda quædam præmittuntur.



DE Cyrilli anathematismis & doctrina certatum est Ephesini Concilij tempore, his illos laudantibus; aliis, etiam non hæreticis, studiosè impugnantibus, tanquam impios Apollinaris stolones, cùm Episcopi catholici Pelagianismum Nestorio exprobrarent. Præter ceteros, Episcopi duo aduersùs Cyrillum à Ioanne Antiocheno sunt armati, Theodoretus, & Andreas, quorum ille suo priuato, hic Orientalium Episcoporum nomine, contra Capitula Cyrilli opus edidit, teste ipso Cyrillo. *Deinde & contradictiones habes à me contra eos factas, qui aduersum Capitula Synodi ea scripserunt. Sunt autem duo Episcopi qui hoc fecerunt, Andreas & Theodoretus.* Synodum Capitulorum approbatricem, intellige Alexandrinam, à Cyrillo ipso coactam, Ephesini Concilij magni præambulam; in qua probati sunt anathematismi duodecim, Nestorij erroribus oppositi. Duobus illis, imò omnibus aduersariis, pares fuerunt duo, Cyrillus, & veritas: alium enim non video qui pro Cyrilli causa stilum exeruerit. Atque is cùm Theodoreto respondet, de calumniis primùm queritur. *Sentiebam enim me vbique calumniis impeti, idque per singula capita.* Est enim aduersùs innocentiam & veritatem vni calumniæ non robur, sed impetus & furor. Tum prædicatam ab aliis Theodoreti eruditionem, magnopere contemnit hoc loco. *Cogitabam autem & hoc, quod familiares nonnulli dicebant, virum istum in litteris exercitatum, & in sacrarum litterarum cognitione maximè prouectum.* Sciunt enim isti bellum Theologicum fama stare, & gloriam eruditionis inter imperitos affectant. Sed longè alius est doctorum sensus, quoties contradicentium scripta verbis & compositione bracteata, ad lydium lapidem explorant. *Verùm ab intelligentia efficacia horum Capitulorum tantùm abscessit, vt de*

Exemplum præsentis temporis in Cyrillo.

Cyrill. Alex. epist. 30.

Idem ad Euod. tom. 4.

eo nunc planè sentiam, quòd quorumdam desideriis indulgens fingat se ignorantem.

Cur proponenda sint Capitula. Sunt hæc paulò fusiùs enarrata, quia nobiliorem tibi, Lector, eorum quæ decurrimus temporum imaginem obiicere non possum: adeo Remensis Archiepiscopus Alexandrino, vtriusque æmuli sibi inuicem, Capitulorum, & Hincmari causa, Cyrilli anathematismis respondent. Neque sine Dei numine, hoc tandem seculo exortus est nescio quis Nouatorum ministellus, cuius iam olim meminimus, qui Nestorij, catholici videlicet hominis, aduersùs Cyrillum, vt hæreticum, patrocinium suscepit: sed frustra & nemine audiente: vt ex eo discat Præses Monetalis, suam pro Gotteschalco & Prudentio contra hæreses, quas vocat Hincmari, aduocationem, non alio, vt speramus, euentu esse terminandam. Quem vt iuuemus pro virili, quod reliquum est controuersiæ, scopum illum in quem omnes deinceps æmuli iaculati sunt, Capitula inquam Hincmari, in Synodo Carisiaca probata & subscripta, in bono lumine ponamus necesse est, vt ex genuina scribentis mente, quantùm aberrent aliorum ictus deprehendatur. Hoc postulat natura contrariorum, quæ nulla re magis, quàm comparatione splendescunt. Hoc à nobis exigit Hincmarus, dum queritur ab aliis dolo prætermissum: hoc exemplo suo idem nos edocet, qui data sibi à Rege Capitula omnia sincerè in operis fronte proponit.

Not. 1. Capitula contra Gotteschalcum esse scripta. Ante omnia tamen, quædam vniuersè de illis obseruanda sunt. Primum, finem tangit, in subsidium definitionum synodalium, in priore Carisiaca omissarum, esse composita, quàm serò, tam necessariò, vt antè notauimus. Nam cùm tumultus ex contentione Gotteschalcana exortos sedare, & pacem inter omnes concordiámque reuocare vellet Carolus, oportuit profectò de illis articulis, ac non de aliis, certum aliquid statuere, qui cum Gotteschalco fuerant in Synodo disputati, ac deinde laboriosiùs cum eius asseclis. Nimirum docebat experientia, parum efficacem esse damnationem errorum, quæ in auctoris condemnatione subsisteret, iubebátque ad remedium aliquod recurrere, quod sectatores omnes in commune constringeret. Vnde id colliges primùm, his de capitibus actum esse in priore illa Carisiaca cum hæretico: deinde, illius opiniones his Capitulis fuisse contrarias. Absurdum enim foret extra chorum saltare, & turbas ex doctrina Gotteschalci commotas, alienis à proposito decretis velle componere. Id ferre non potuit Hincmarus ipse in aduersariis Valentinis, quorum Capitula contra se edita satis intelligens, vnum aliquod in iis reperiri

Hincm. ep. 2. ad Car. questus est, de quo nihil ipse scripsisset. *De quodam etiam Capitulo, quasi ludificatio aliqua in sacris mysteriis esse possit, ita scripserunt, vt legentes hoc à nobis dictum fuisse intelligere possint, de quo nihil à nobis est memoratum.* Putásne in eundem incurrisse lapidem, vt de iis contra Gotteschalcum scriberet, quæ Gotteschalcus scribendo non tetigisset? Credis eandem ipsum ludificationem aggressum esse, quam ipse aduersarius, ipsi aduersariorum nullus obiecit?

2. Quatuor numero [illegible] *noscen*[illegible] *esse.* Secundum, facit numerum, in quo video variatum. Nam in epistola ad Ecclesiam Lugdunensem, quæ ex eiusdem Ecclesiæ responsione nota est, materiam prædicantis Gotteschalci in capita quinque distribuit, primo Prædestinationis articulo duas in partes dissecto. Deinde, meliùs sentientium doctrinam referens, caput illud quod est de hominum salute, siue quam velit Deus, siue quam fecerit Christus, ita proponit, vt in vnum miscere videatur. Aliàs articulum de libero arbitrio prætermittit, & alium substituit de redemptione per baptismum: qua in mutatione magnam Hincmaro creat inuidiam Dissertator, accusátque calumniæ. *Hincmar. epist. 24.* [illegible] *25. ad* [illegible] Seruati autem Lupi aperta est partitio, siue in libro qui de Tribus quæstionibus inscribitur: siue in Collectaneo, quod eundem ternarium numerum retinet. Omitto Ratramnum & Florum Diaconum, aut si vis, Scotum Erigenam, & eius impugnatores, qui omnes vno de Prædestinatione tractatu contenti, alios non tam negauerunt, quàm omiserunt. Sed omnino tenendum medium est, vt de quatuor distinctis quæstionibus cum Gotteschalco disputatum sit, atque illæ totidem Capitulis Hincmarianis definiantur. Est enim singularum apta distinctio; cúmque sunt omnes quatuor expositæ, controuersiam exhausisti. Ea tamen non ita sunt ad viuum resecanda, vt diuisionis varietas rei substantiam corrumpere censeatur. Nam cùm in Prædestinatianorum doctrina monstratum sit, deuinctas inuicem esse quæstiones, & alia ex aliis placita pendere, facile est annulos illos implicare, & alterum in altero concludere. Quamobrem liberi arbitrij quæstio in Prædestinatione non malè tractatur: & Christi sanguinis pretium, siue ad omnes extenditur, siue fidelibus continetur, qualis & quanta sit Dei Patris, circa saluandos homines voluntas, importat. Illud quoque Gotteschalco peculiare commentum de redemptione per baptismum, ad eandem Christi sanguinis taxationem omnino refertur.

3. Ordinem in iis tradendis esse seruandum. Tertium, in ordine positum est, qui multas subinde varietates passus, ad extremum certa temporis ratione probè constitutus est ab Hincmaro, & vetitus loco moueri. Lupus quidem Ferrariensis libellum de Tribus quæstionibus à libero arbitrio inchoauit, per prædestinationem deducendum ad Christi sanguinis taxationem. Collectaneum autem à Prædestinatione voluit incipere: tum ad liberum arbitrium descendere. Si Gotteschalcus ordine quem ad Ecclesias scripsit Hincmarus seruato concionatus est, ab electorum prædestinatione incœpit, & in libero arbitrio desiit. Hincmarus autem ipse suam & aliorum secum sapientium opinionem de controuersis quæstionibus narraturus, à voluntate Dei in omnes homines ad salutem effusa, & Christi sanguine omnibus item impenso, ducit exordium; vt ad Prædestinationem, ac deinde liberum arbitrium deueniat. De Prudentio mox dicetur. Valentini Patres à præscientia, & prædestinatione decreta sua auspicati, per redemptionem Christi sanguinis, omissa Dei ad salutem omnium voluntate, ad gratiam & liberum arbitrium deuoluti, in eo quiescunt. Verùm re accuratiùs expensa, visum est

Ecclef. Lugdun. l. de trib. epist.

Concil. Valent. III.

Hincmaro iudici Gotteschalci, & controuersiæ modiperatori, tenendum esse in Capitulis quatuor, hunc ordinem, & in eo standum, vt de Præscientia & Prædestinatione primùm, deinde, de gratia & libero arbitrio; tum, de voluntate Dei ad omnes homines saluandos generaliter extendenda; denique, de Christi redemptione omnibus ad vitam æternam exposita diceretur. Quod & ipse in condendis Capitulis sequutus est, hac ratione, quòd Prædestinatio ante omnia secula existat, liberi arbitrij virtus aut infirmitas in tempore acciderit: quod explicatiùs dicimus, Prædestinationem diuinam æternam esse, at eius effectus & gratias ad excitandum arbitrium liberum aut efficaces, aut merè sufficientes, esse temporales. Quæ quia nemini denegantur, vt possint omnes saluari, licèt pauci reipsa saluentur, sequitur & Deum salutem velle omnibus, & omnium consulentem saluti dedisse saluatorem, de cuius fontibus illæ gratiæ hauriuntur. Quare Prudentium ferre non potest, illum ordinem in Epistola sua conturbantem, vt etiam commotior scribat, inter cetera eius errata, *ordinem adeo perturbasse, vt de secundo primum, & de tertio quartum reddiderit.* videlicet, qui priùs de libero arbitrio, quàm de Prædestinatione; de redemptione Christi, quàm de voluntate saluandi tractauerit. Quare cùm iubeat *ab eo, qui Capitulatim illa cupit describere* hunc ordinem religiosè obseruari, Annalista Bertinianus breuiter & dilucidè sic postea tradidit: *Quorum primum est, A Deo neminem prædestinatum ad pœnam, vnámque Dei esse prædestinationem, quæ aut ad donum pertinet gratiæ, aut ad retributionem iustitiæ. Secundum, liberum arbitrium quod in primo homine perdidimus, nobis praeueniente & adiuuante Christi gratia redditum. Tertium, velle Deum generaliter omnes homines saluos fieri, licèt non omnes saluentur. Quartum, Christi sanguinem pro omnibus fusum, licèt non omnes passionis mysterio redimantur.*

Hincmar. L. de præd. c. 21.

Ibid. c. 26.

Capitula quatuor breuiter & ordine collecta in Annal. Bertin.

4. Nihil in illis fuisse mutandum. Quartò, notari conuenit tanta cura, tantóque studio elaborata esse ab Hincmaro, illa quæ temere & præcipitanter effutiisse dicitur, vt non ordinem tantùm, sed etiam verba ipsa diligenter obseruari velit, neque in iis aut eorum sensu mutari quicquam permittat; quod tamen ab aduersariis factum esse perpetua querela est, maximéque de Prudentio: quanquam, iudicio meo, nimis iracundè, & exaggerata amplificatione. *Quæ ita confudit atque praeposterauit, vt verbis aliis, & sensu contrario, & ordine immutato illa quantum fuit ex ipso disperderet. Nec plus inuenit quo illa discerperet, verba mutauit, sensum contrarium intulit, ordinem adeo perturbauit, vt de secundo primum & de tertio quartum reddiderit. Si adhuc quartum modum inuenire potuisset quo illa dissiparet, manifestum est quia voluntariè faceret.* Et de Valentinis Patribus: *Quædam de his quæ in Capitulis à nobis excerptis habentur, aliо sensu, & aliis verbis tetigerunt; vt abominanda illa monstrarent: quædam autem suppresserunt.* Quæ labes ab eo locis aliquibus designatæ, à nobis prætereundæ non erunt. Vt hinc maximè appareat necessitas eius quam meditamur accuratæ Capitulorum positionis, è quibus verum de controuersia pendet iudicium. Quod

Hincmar. c. 26. cit.

Idem epist. 2. ad Car.

sanè ab aduersariis peti non debet, si maleuolente animo dicta Hincmari corruperunt, vt damnarent.

Illud enim quintò peruelim obseruari, quod in aditu superioris libri tacitum non est, actum ab illis, & adhuc agi modò à Dissertatore Monetario, aduersùs illa tanquam erronea & hæretica: tunc quidem iniustè, cùm pars vtraque ante Ecclesiæ iudicium probabiliter disputaret: nunc autem non sine fidei damno, posteaquam sensum suum clariùs aperuit Ecclesia, próque Hincmari opinionibus pronunciauit. *Porro Capitula quatuor*, inquiunt Valentini, *quæ à Concilio fratrum nostrorum minùs prospectè suscepta sunt, propter inutilitatem, vel etiam noxietatem, & errorem contrarium veritati, &c. à pio auditu fidelium penitus explodimus.* Satis quidem iracundè & isti, quibus præsedisse dicitur Remigius pius motuum compositor; & si credimus Dissertationi, pacis sequester in responsione ad Hincmari epistolam: à quo decretum illud non esse profectum, hoc ipso argumento non inefficaciter probabimus. Quo autem iure Capitula hæc *repellunt & abominantur*, vt loquitur Hincmarus? Qua ratione venena Capitulorum vocat Præses Dissertator, quibus statim parata sit à Prudentio theriaca? Longè moderatior Hincmarus, ante hæc Capitula, in epistola ad Lugdunenses, extra Gotteschalci causam positus, & iam cum catholicis quibusdam disputans, stultitiæ illos in citandis auctorum locis, & maleuolentiæ in exponendis, hæreseos autem nusquam arguit; qui verò secum sentiant, non vt hæreticis catholicos opponit, sed vt doctrinæ melioris sectatores, *Dicunt & firmiter credunt qui saniùs apud nos sapere videntur. Refugiunt dicere, qui sanum videntur sapere. De gratia & libero arbitrio, qui meliùs sapiunt ita credunt, & ita loquuntur.* Qua oratione quæ potest esse modestior? Hîc autem notatus erroris & graui prouocatus iniuria, mirum non est si omnem hæreseos suspicionem sic à se propulsat, vt ex aduerso Valentinorum decretorum auctorem in oppugnatæ veritatis inuidiam vocet, hæreseos suspicionem moueat, pro schismatico habeat, si quis suis Capitulis subscribere detrectarit. Et ne quid desit ad exemplum Cyrilli, æmulos suos Prædestinatianæ hæreseos restitutores, imperitiæ accuset, & canonum pœnis subiiciendos exclamet. *Et quia hac hæresis*, inquit, *ab Apostolica sede olim deuicta, & moderno tempore leuissimorum, & penè nullius momenti vel scientiæ, non dicam auctoritatis, virorum est remota; quid de remouentibus & quasi frigidos cineres in suos oculos resufflantibus agi conueniat, idem sanctus Gelasius ita dicit, &c.*

5. Seuerè & iniustè ab aduersariis esse damnata.

Concil. Valent. III. c. 4.

Eccles. Lugdun. l. de Trib. epist.

Hincmar. l. de Prædest. c. 37.

Quomodo autem hæreseos accusari potest Hincmarus, si, quod olim libatum, sexta hac obseruatione necessariò exponendum est, ex ipsis Patrum catholicorum verbis concinnata sunt Capitula? Id enim & perpetuò dicit, & fusè demonstrat. Fuit nimirum illud Regis imperium, *Episcopali definitione Capitula quatuor de catholicorum Patrum dictis colligi, & singulorum manibus roborari.* Quod & ita factum antea dixerat. *Capitula quoque, quæ ob notam vobis, & infrà innotescendam necessitatem ex*

6. Ex Patrum dictis concinnata sunt.

Hincm. ep. 1. ad Carol.

Idem epist. 1. ad Carol. *catholicorum Patrum sensibus, & verbis excerpsimus.* Ingressurus deinde disputationem, omnia, & singulas eorum partes Patrum scriptis contineri, monstrare promittit. Vnde sequitur aduersarios ab eorum sententia discedere: *Quæ isti dicunt, qui catholicorum & Apostolicæ sedis doctrinæ contradicunt, quique Capitula à nobis ex orthodoxorum verbis excerpta discerpunt; & sic catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ magistrorum ponentes sententias, qualiter illi senserunt, & virum nostro collegio, an illorum diuisioni definitiones eorumdem orthodoxorum faciant, Domino inspirante & cooperante demonstrare curabimus, cum secta pestifera catholicorum sensibus respondere, & de Capitulis à nobis excerptis, rationem reddere cœperimus.* Propositio hæc est, libri totius institutum sub oculis ponens, quod deinde in singulis penè ad fastidium, in aliquibus scrupulosè prosequitur. Vt apparet in primo, & ex eo simile est de aliis iudicium: *Ecce Capitulum quod de prædestinatione electorum Dei gratuita gratia, secundùm sanctarum Scripturarum tramitem, ex verbis beati Augustini, & Prosperi, cæterorùmque catholicorum sensibus excerpere procurauimus.* Et quæ sequuntur.

(Idem l. de præd. c. 1. — Ibid. c. 16.)

Ecclesia Romana doctrina ad hæret Hincmarus. Sed inter Patres ceteros, maximam Pontificum Romanorum rationem, & supremæ Sedis Apostolicæ, in eius aucupanda doctrina, rationem habere se non semel profitetur, cum eximiis magistræ Ecclesiarum encomiis. Quo ex sensu, atque vt alicubi loquitur *filiolitate*, sunt ista probationum præludia. *Sequimur autem quæ Catholica & Apostolica nos docet sancta Romana Ecclesia, quæ nos in fide genuit, catholico lacte aluit, vberibus cælo plenis ad solidum cibum nutriuit, disciplina orthodoxa ad perfectum virum perduxit, & ad alios instruendum sua probatione instituit, atque in doctrinali cathedra, fautore & adiuuante Domino sublimando constituit.* Idem alio loco repetit, cum magna aduersùs Ecclesiam principem pietate, obseruantia, & grati animi significatione, vel eam ob rem semper laudandus Antistes. Declaraturus enim ex orthodoxorum scriptis Capitulum tertium fidei catholicæ conuenire, sic incipit. *Consulentes ante omnia, sicut & prima est in toto orbe omnium Ecclesiarum mater, sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam.* Quam deinde multis ostendit in ius & priuilegium veteris Ierusalem à Christo Domino fuisse traductam. Cúmque eius exemplo & vsu orandi pro omnibus, probauit Deum velle omnes saluos fieri, in hæc verba concludit. *Piis, deuotis, atque catholicis hoc potest, & hoc debet sufficere, quod omnium Ecclesiarum mater sancta Catholica atque Apostolica docet Romana Ecclesia. Ipsa enim vt mater nos Christo genuit, nos religione nutriuit, nos doctrina instruxit, nos sicut in sancto Petro à Christo firma petra accepit, doctores instituit, & catholico lacte nutritos, & ad virum perfectum perductos, ad docendum alios informauit.* Ac ne hac in causa pene sua, Romanæ Sedi palpum ad eam sibi demerendam videatur obtrudere, diuerso penitus in negotio, aduersùs alios defectionem à Romana meditantes, non iam de religionis, sed de morum decretis scripturus, vt ostendat nihil antiquius habere se, quàm primæ cathedræ obseruantiam, ita præfatur. *De omnibus dubiis, vel obscuris, quæ ad rectæ fidei tenorem, vel pietatis dogmata pertinent, sancta Romana Ecclesia, vt omnium Ecclesiarum mater, & magistra, nutrix ac doctrix est consulenda, & eius salubria monita sunt tenenda.* Quid videtur, Lector, potéstne maiori reuerentia filius obsequentissimus matrem optimam colere? Potéstne demissioribus verbis animum beneficiorum memorem, & perpetuam cum suprema Sede concordiam testari? Qualem aduersarium illius putas esse, cui Remensis Hincmarus cum hac professione, & tam solenni protestatione, videri potest hæreticus? Schismaticus ergo per me licet à veteribus & nouis Gotteschalcanis sodalibus, dicatur Hincmarus: eius Capitula putentur erronea: vnum modò donetur, eadem ipsum Capitula Augustini & Prosperi verbis, Ecclesiæ Romanæ sensu, concinnasse.

(Ibid. c. 5. — Ibid. c. 24. — L. de diuort. Loth. & Theutb. Præfat.)

CAPVT VI.

Capitula Carisiaca quatuor accuratè proponuntur: ducto initio à primo, quod est de Præscientia & Prædestinatione Diuina.



IN singulis articulis Hincmariana multa lubet omittere, sæpe superflua, semper tædio & repetitionibus obnoxia, vt ex tribus quæ monstranda sunt, breuis & aperta eorum expositio emineat. *Tria in singulis consideranda.* Primùm enim quærendus est articuli sensus ille, quem historicum, siue litteralem appellant, proximè ad scriptoris mentem. Deinde, digitus ad fontem vnde haustus est intendetur: addito etiam si necessarium aut vtile videbitur, illustri doctoris antiqui dicto, quo confirmetur per Hincmarum. Denique eius oppositio cum erroneis Gotteschalci placitis declarabitur: errantis inquam Gotteschalci, qui præcipuè in iis condendis spectatus est: ceteris scriptoribus qui ante, quíque post Capitula ipsi fauere visi sunt, pro rata portione ex horum doctrina iudicandis. Primum ergo Capitulum exposita protoplasti ruina, & omnium in eo perditione, docet quale fuerit æternum Dei decretum pro aliquibus eligendis ad vitam, aliis in interitu deserendis.

Deus omnipotens hominem sine peccato rectum, cum libero arbitrio condidit, & in paradiso posuit, quem in sanctitate & iustitia permanere voluit. Homo libero arbitrio malè vtens peccauit, & cecidit, & factus est massa perditionis totius humani generis. Deus autem bonus & iustus elegit ex eadem massa perditionis, secundùm præscientiam suam, quos per gratiam prædestinauit ad vitam, & vitam illis prædestinauit æternam. Ceteros autem quos iustitiæ iudicio in massa perditionis reliquit, perituros præsciuit, sed non vt perirent prædestinauit: pœnam autem illis, quia iustus est, prædestinauit æternam. Ac per hoc vnam Dei prædestinationem tantummodò dicimus, quæ aut ad donum pertinet gratiæ, aut ad retributionem iustitiæ. (*Primum Capitulũ.* Habetur in Procem. l. de prædest. & c. 16.)

Prædestinatio ex sensu Hincmari vberiùs explicata.

Ex multis membris conflatum est corpus istud, quorum priora, vt apud omnes æquè certa prætereo: quod vellem & fecisset Hincmarus, neque importuno multiloquio res clarissimas illustrare conatus esset. Primum igitur quod tango, est Præscientiæ & Prædestinationis vocabulum, *secundum præscientiam prædestinauit*, vt prædestinatio; secundùm humanam intelligentiam, posterior sit præscientia. Quid autem præscit Deus? Massam perditionis, atque omnes & singulos homines ea inuolutos: quibus ex primæ culpæ merito, præter pœnam æternam nihil debetur, in eáque miseria omnes æquè iacent oppressi atque obruti. Quid igitur, & quomodo deinde prædestinat? Illos priuatos homines, quos ex sola gratia, & bona voluntate ex illo chao educit, & eligit aliquando saluandos. Hi prædestinati dicuntur, & electi, quia positiuo Dei boni decreto eliguntur ad vitam, & illis media gratiarum prædestinantur, & præparantur, quibus illam possint in tempore consequi. Possunt etiam dici præsciti ad vitam; quia priusquam prædestinentur à Deo, præsciuntur prædestinandi, & priusquam vita donentur æterna, præsciuntur donandi, & mediis & fine. Ceteros autem quomodo appellas? Relictos, quia non sunt ex massa perditionis educti; Præscitos tantùm, quia in prædestinatione beneplaciti non numerantur. Circa hos positiuum decretum nullum est: quia prædestinatio primus voluntatis actus illos præterit, dum alios eligit. Quare ibunt quidem præsciti isti ad interitum, quem aut ex primigenio tantùm Adami peccato, aut etiam ex proprio merebuntur; sed nulla Dei prædestinatione positiuè adacti. Quid ergo? non possunt saltem dici prædestinati ad mortem, quam certò incurrent, cùm alij sint prædestinati ad vitam, quam certò consequentur? Neutiquam: quia quoscunque creat Deus, quàntùm ex se est, vult saluare, & media ad eum finem ducentia omnibus subministrat. Præscit autem illis bene vsuros prædestinatos, præscitos malè; his ergo peccatis eorum vindicandis, debitas pœnas præparat & prædestinat. Inde fit vt vnica debeat agnosci prædestinatio, duas partes complexa, hinc beneficium gratiæ prædestinatis collatæ, inde iustitiæ effectum, impios punientis.

Illa explicatio ex Hincmaro probata. Lib. de Trib. epist. c. 28.

Hic est ordo prædestinationis in Hincmari sententia, quam vnam modò quærimus, ab ipso in Epistola ad Lugdunenses vberiùs explicatus, in qua hæc referuntur: *Qui omnes homines vult saluos fieri, & qui pro omnibus passus est, neminem prædestinauit ad interitum, sed ex massa peccati, sicut præsciuit, prædestinauit, id est, gratia preparauit ad vitam & regnum, & illis vitam & regnum prædestinauit, id est, gratia preparauit, æternum. Quosdam autem, sicut præsciuit, non ad mortem, neque ad ignem prædestinauit, sed in massa peccati & perditionis iustè deseruit; à qua eos prædestinatione sua, id est, gratia præparatione, occulto, sed non iniusto iudicio nequaquam eripuit.* Et post aliqua, sententiæ suæ & suorum partem exponens, in verbi subtilitate positam: *Refugiunt dicere, qui sanum videntur sapere, quosdam prædestinatos à Deo esse ad interitum, sed tantummodò præscitos.*

Ibid. c. 30.

Electos autem & præscitos, & prædestinatos esse ad regnum, & regnum illis (vt diximus) prædestinatum æternum, de quibus nullus potest perire. Et sicut sunt prædestinati gratia Dei ad regnum, ita sunt prædestinati, secundùm Apostolum, in operibus bonis, in quibus ambularent: pro quibus eis non solùm gratia detur, sed & gratia regnum reddatur æternum. Pœnam autem dicunt in infidelitate vel iniquitate perseuerantibus à Deo prædestinatam secundùm diuinam præscientiam: quia hoc ad retributionem iustitiæ pertinet: sicut pertinet ad gratiam, vt ex vna eadémque massa peccati, gratia electi prædestinentur ad vitam.

Obseruatur aliqua in hanc opinionem.

Si quibus satis verbosa hæc oratio partis Hincmarianæ sententiam explicare videbitur, conquiescant per me licet, neque quicquam vlteriùs requirant. Quia tamen animo meo satis adhuc factum non est, permittes Lector, quæstionibus & obseruationibus quibusdam euelli scrupulos, qui supersunt, vnde clariùs eius opinionis perfectio, vel defectus appareat. Explicandam enim suscepi, non probandam in omnibus, licet qualis in Capitulo describitur proba sit & catholica, neque iustè erroris accusetur. Hoc igitur in primis obseruo, electionem ab Hincmaro non discerni à prædestinatione: dum satis esse putat prædestinationem à præscientia distinguere. Id præcisè docet Compilatori suo respondens. *Prædestinatio quæ sine præscientia esse non potest, ipsa est electio.* Quamobrem Compilatorem eundem reprehendit, qui dixerit, *in electione saluandorum, misericordiam Dei præcedere meritum bonum.* Qui debuerit dicere *in saluatione electorum*, in qua gratia Dei excitans & præueniens omne meritum bonum præcedit. Probat dictum ex Augustino dicente, *electio gratiæ ipsa est misericordia.* Verùm *gratiæ* dicit Augustinus, non hominis, eáque electio ad prædestinationem pertinet. Nam cùm prædestinatio sit gratiæ præparatio, magna certè gratia est in temporali eius effectu, è multis gratiis, illam eligi cui de facto prædestinatus consentiat, vnam frequenter ex iis, quibus à nullo duro corde resistitur. Sed vt hæc gratiæ electio prædestinationis effectus est, ita prædestinatio primæ electionis, quæ media in tempore ad finem admouet. Et illam quidem in prædestinatione gratiæ victricis electionem bono præcedentium gratiarum vsu congruè mereri possumus, electionis autem ipsius gratiam, quæ meriti & boni omnis principium est, mereri omnino non possumus. Quare malè Hincmarus, velut absurdum infert, *Itaque misericordia precedit misericordiam, & erunt duæ misericordiæ, quibus eliguntur saluandi.* Profectò enim misericordia electionis, præcedit misericordiam prædestinationis, & præparationis gratiarum, vt effectum causa: non dicuntur tamen misericordiæ duæ: quemadmodum gratiæ donatio & prædestinatio, gratiæ duæ non appellantur. Quid autem sibi vult cùm addit, *Cum non in electione saluandorum, sed in saluatione electorum duobus modis sit intelligenda Dei misericordia, videlicet eius gratuita gratia. Vnde si vuls inter primam & secundam misericordiam, gratuitam scilicet gratiam*

Non distinguit electionem à prædestinatione.

Hincm. l. de præd. c. 11.

August. l. de prædest. sanct. c. 17.

Misericordia præcedit misericordiam.

cognoscere differentiam, legat S. Augustini librum de gratia prædestinatione, &c. Verbo vno, primam misericordiam, primam gratiam, siue gratuitam, vocat primam vocationem, quæ omne præcedit bonum meritum, neque priorem aliam agnoscit, vt verè prima est in electione & prædestinatione, eiúsque executione. Secundam misericordiam & gratiam vocat, bonam electorum, & prædestinatorum vitam, ad quam sine gratia perueniri non potest. *Qua gratia iustificati, in futuro glorificabuntur, accipientes gratiam pro gratia, id est, gratiam beatæ retributionis, pro gratia bonæ operationis, sicut S. Augustinus in libro de Bono perseuerantiæ scripsit.*

August. l. de Bono Perseuer. c. 14.

Non explicat vtrum prædestinatio præcedat merita.

Hæc consideranti mihi, visum est aliquando posse hinc colligi, sententiam Hincmari de Prædestinatione electorum, eam esse, vt præuisa merita subsequatur. Sed illud non memini videre me vsquam ab ipso expresse enunciatum: neque reproborum comparatio, quibus ob præuisa peccata, prædestinata pœna est, vllam vim habet in electis; quando Compilator vtrosque manifestè separat, cùm ait, *In electione saluandorum, misericordiam Dei præcedere meritum bonum: in damnatione autem periturorum, malum meritum præcedere iustum Dei iudicium.* Quòd si tanti est hunc locum premere, & vestigare coniecturis, silentium illud prudens & spontaneum interpretor, ne vel Augustino, constanter electionem præuisioni meritorum anteponenti, videretur oppositus; vel leuem necessitatis antecedentis vmbram Prædestinatianis concederet. Gratiam ipse quidem, & gratuitam electionem supposuit semper, sed absolutè determinantem, æquè exhorruit. Quare, licèt satis animaduerteret infinitum solius gratiæ beneficium, per merum Dei beneplacitum, absque vllo meritorum nostrorum in prædestinatione intuitu, magis populariter explicari, ea tamen opinione asserenda maluit abstinere, quam propalam tuebantur Lugdunenses. Cùm autem vtraque sententia & rationibus probabilibus, & doctorum auctoritate nitatur, nulli affinis errori, neutros reprehensione dignos existimo. Sed ea re superant Hincmarum Valentini, quòd super ea quæstione mentem suam clarè aperuerunt, quod Hincmarus, in sola & nuda Patrum verba nimis intentus, facere prætermisit.

Implicat electorum libertatem ad finem consequendum.

Sed longè grauior difficultas est, quomodo, quam maximè execratus est, Prædestinatianam necessitatem vitasse dicatur Hincmarus? Fatemur quidem blasphemiam illam in parte reproborum magno semper cum horrore reiectam. Sed in electorum parte non videtur æquè cauisse: veritas autem catholica vtrunque pari pietate detestatur: neque de bonis minùs, quàm de improbis pronunciat, non sic illos à Deo creari, vt aliud esse non possint, cùm absolutè, antecedenter, & in sensu diuiso, vt aiunt, qui reprobi sunt, saluari; qui prædestinati, damnari possint. Istud verò in doctrina Hincmari obscurum esse facilè demonstro, quæcunque hoc in proposito de electis dicit, ad reprobos; & è conuerso, quæ de reprobis, ad electos transferendo. Cur enim tanta animi contentione fugit agnoscere malorum prædestinationem, & malos prædestinatos ad interitum, & pro leuissima vocis cauillatione, tanquam pro aris & focis pugnat, vt tantùm reprobis prædestinatæ pœnæ dicantur? Nonne id eo facit consilio, ne Deus malos creare videatur vt pereant, cogere ad interitum, libertate debita ad assequendum finem suum fraudare, quod est & humanæ naturæ iniuriosum, & in diuinam bonitatem blasphemum? Hinc illa verissimè dicta: *Operatus est Dominus impium quoque ad diem malum: non prædestinauit vt ad diem sibi malum perueniret, sed permisit; factúmque proprio vitio impium, iusto iudicio condemnauit. Fecit vas in contumeliam, non operando, sed iustissimè deserendo; sicut plena sunt orthodoxorum volumina tali expositione.* Et pleniùs alibi, post allatas sanctorum sententias. *Animaduerti potest*, inquit, *quia non prædestinatione Dei quisquam perit; sed infidelitate, & perseueranti iniquitate pereunt, quicunque pereunt, quia Deus neminem deserit, antequam deseratur.* Hæc & eiusmodi aurea cùm audiui, conuerto me in dexteram electorum partem, & cum Hincmaro sic ago. Si Deus reprobis pœnas prædestinauit, non malos pœnis, quid causæ est cur regnum prædestinarit electis, & electos ad regnum? Si nemo perit prædestinatione, antecedenter videlicet & absolutè; an aliquis saluatur antecedente decreto prædestinationis? an decretum prædestinationis absolutum in sensu diuiso libertatem prædestinato relinquit ad parandam salutem, quam auferre putas à reprobo? ais prædestinatorum neminem perire posse. Eodém-ne modo, præscitorum nemo saluari potest? Fateris certum esse numerum Prædestinatorum, negás-ne præscitorum numerum tam certum esse, quàm immensus est?

Hincmar. l. de Prædest. c. 10.

Ibid. c. 17.

Deus neminem deserit, antequam deseratur.

Et ex Prospero c. 15. ex Cypriano c. 16.

Ibid. c. 18.

Hæc eò non disputo, quòd de libertate electorum malè sensisse credam Hincmarum, sed quòd videam parum quod sentiebat explicasse. Non enim verè aliud existimauit, quàm in libero prædestinatorum arbitrio salutem esse positam: ideóque prædicandum sanctis sanctum Dei timorem, secundùm illud Apocalypsis: *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Quo loco ita certus prædestinatorum numerus affirmatur, vt cuilibet prædestinato perdendæ coronæ timor; cuilibet præscito eius accipiendæ spes ingeratur. Id autem expositum ex Augustino sic ipse concludit: *Hæc sententia sæpius reuoluenda, & firmiter retinenda est, contra eos qui dicunt, quicquid faciet prædestinatus ad vitam, ad regnum perueniet sempiternum: & quicquid etiam faciet prædestinatus ad interitum, in mortem ibit æternam. Quod dixerunt & æmuli sancti Augustini*, Patriarchæ videlicet Prædestinatianorum, *sicut Prosper in obiectionibus calumniatorum, quas orthodoxè dissoluit, manifestè demonstrat, & nos pro nostra mediocritate commemorauimus.* Hoc dicto seruata libertas omnibus, spes salutis iniecta, abacta desperatio, bonorum operum studium excitatum, confutatus error, sublata necessitas, sed non explicata sententia. Idem efficaciter probat, asserta semper ab Hincmaro Dei voluntas omnes saluandi, & mors Christi ad omnium salutem exposita: è quo antecedente, videbamus superiùs illam deduci consecutionem, ergo neminem prædestinauit ad interitum. Nam vt ex illo principio sequitur, neminem à Deo creari vt pereat, cùm tamen ex iis qui creantur, pereant plurimi: Ita consequitur, esse mortuum Christum, vt nemo in æter-

Bene tamen de illa sensit.

Apoc. c. 3.

August. l. de Corrept. & grat. Hincmar. ibid.

Ibid. c. 17.

num moreretur; cùm tamen post comparatam medicinam, moriantur innumeri; qui verò vtuntur ad vitam, liberrimè vtantur, & possint abuti. Quòd si neque Dei voluntas, neque mors Christi saluari cogit pereuntes, quis putet necessitatem fatalem inferre saluatis? Est igitur alienus Hincmari animus à libertate absoluta & antecedente in prædestinatis, quam tantò studio poni demonstrat in reprobis. Affero in tertium argumentum, Gotteschalcanæ doctrinæ oppositionem: nulla enim re meliùs intelligi potest quid non senserit Hincmarus, quàm exquirendo, quid dixerit Gotteschalcus. At in Epistola ad Lugdunenses, hoc eius dogma recitat, prædestinatos ad interitum, saluari non posse: prædestinatos ad vitam, non posse perire. Contrarium ergo docet Hincmarus, eandem vtrisque commutandæ sortis libertatem à Deo relictam esse, & siue pereant siue saluentur, non sola prædestinatione diuina, sed humana libertate mediis oblatis vel vtente vel abutente illud accidere. Vnde & habemus, longè alio quàm Gotteschalcum sensu, dixisse superiùs, *de electis perire posse neminem.*

Eccles. Lugdun. l. de Trib. epist. c. 1.

§. VNICVS.

Hincmarus geminam prædestinationem bono sensu dici non prohibet.

Quomodo geminam prædestinationem toleret, quam impugnauit.

QVAM igitur ob rem, geminam prædestinationem, si non cum Gotteschalco, & sodalibus, saltem cum Lugdunensibus, & Seruato Lupo, & reprobos ad interitum prædestinatos, dicere tantopere horret ac refugit? Sæpe iam dictum: vocem illam de manu Gotteschalci timet accipere, quia venenum latet in hæretici sensu: sed à catholicis alio sensu propinatam, habet pro innocente, quanquam ea mauult abstinere. Istud quia & explicatiùs tradit quàm superiora, & ad eius percipiendam sententiam non parum conducit, & in fine capituli reuocat in memoriam, paucis exponere necessarium est. Gotteschalci mens est, ita prædestinari reprobos ad mortem, vt electos ad vitam, vtrosque positiuo, antecedenter immutabili decreto: hos ergo creari vt saluentur, illos vt pereant, neque aliter omnimodis posse fieri. Hoc omnimodis abominatur & impugnat, eiúsque deterrimi sensus odio, vocem geminæ prædestinationis, illum includentem, penitus proscripsit, quandiu cum Gotteschalco solo, id est, cum hæresi pertinace pugnauit. Benignior alius est à catholicis sensus, positiuo decreto prædestinari, siue, Apostolico verbo idem significante, parari, aptari ad interitum vasa iræ, siue reprobos: absque antecedente tamen necessitate, quæ libertatem eripiat, & absolutè loquendo vetet illos posse saluari. Negant hoc sensu geminæ prædestinationis vocem, & prædestinationem ad interitum tolli debere de medio, quam non refugit Apostolus, Patres doctissimi Augustinus, Fulgentius, Isidorus & similes vsurparunt. Ad hæc respondet Hincmarus libro de Prædestinatione, qui solus nobis superest ex disputata cum catholicis controuersia, post Lupi Ferrariensis, Ratramni, Lugdunensium lectas dissertationes, se de verbo ipso iam non contendere, atque illud aliis permittere, sibi verò certum esse illo abstinere, quod in Paulo non legit, quod Augustinus vsurpari non præcipit, imò nonnunquam excludit. Dicat ergo Capitulorum Compilator, dicant approbatores Valentini, reprobos relictos, prædestinatos ad interitum, ad perditionem, ad pœnam: *Nos dicere non audemus, quia non dixit Apostolus, nec per eum loquens Dominus I. Christus.* Hoc scribit, lecta sine dubio sexta regula Epistolarij Lugdunensis, & Seruati Lupi admonitione, non esse pueriliter de voce certandum, vbi res ipsa monstratur. *Nec emendatiore stylo, & vngue censorio corrigens sua scripta beatus Augustinus, iussit eisdem scriptis nos taliter prædicare.* Sic enim alicubi. *Quos prædestinauit, illos & vocauit, illa scilicet vocatione secundùm propositum: non ergo alios; sed quos prædestinauit: ipsos & vocauit; nec alios, sed quos ita vocauit, ipsos & iustificauit, nec alios.* Verè tamen Augustinus idem, si non iussit ita loqui, sed nec vetuit, quia *indifferenter vsus est nomine prædestinationis, dicens interdum, prædestinatos ad interitum.*

Hincmar. l. de præd. c. 12.

August. l. de præd. sanct. c. 17.

Hincmar. ibid. c. 9.

Conclusio disputationis hæc est, vt geminam Hincmarus prædestinationem, sed suo sensu vocari sinat; aut potiùs prædestinationis vnius duplicem effectum, in electos & reprobos distributum. Nam cùm Deus electos positiuè ad vitam prædestinat; quos in massa perditionis relinquit, eo facto perire permittit, & ex consequenti, in interitum ire; quia ab illo non eripit. Et electis quidem confert gratiam, quam nullo modo mereri possunt; relictos autem, originalis peccati merito damnat, eodem facto pius & iustus. Quare vna illa gemini effectus prædestinatio, dicitur aut ad donum pertinere gratiæ, aut ad retributionem iustitiæ: illi ad vitam prædestinantur æternam, & vt eam consequi possint, gratia donantur gratuita: his pœna prædestinatur, quia priùs mali concipiuntur, & originali, & suo deinde crimine, quàm supplicium ipsis inferendum decernatur. *Sicut catholici doctores caritatem geminam dicunt, quæ vna est, & in præceptis duobus, dilectione videlicet Dei & proximi, gemina dicitur.*

Gemina prædestinatio, vocari tam.
Ibid. c. 19.

Conuenit igitur, inquies, Hincmarus cum Gotteschalco, qui primus geminæ caritatis exemplum, ad geminam prædestinationem attulit. *Quale est quod frequenter à beato Augustino, & à ceteris Patribus, dicitur caritas, vel dilectio gemina; cùm vtique non sint duæ, sed vna: licèt propter Deum & proximum sit etiam dupla.* Ita *gemina prædestinatio dicitur ab Isidoro, non duæ, quia non sunt, sed gemina, id est, bipartita.* Respondeo, verbis conuenire, non sensu. Non enim geminam prædestinationem eodem modo explicat Hincmarus, vt ipse conceptis verbis monet: neque in Hincmari doctrina tam est perfecta caritatis cum prædestinatione similitudo, quàm in suo dogmate vult reperiri Gotteschalcus. Nam dilectionis geminus actus positiuus est, aduersùs Deum & proximum: prædestinationem quoque geminam positiuam postulat Gotteschalcus, & per omnia similem in electis & reprobis, quod contendit Hincmarus *fidei catholicæ filiis abominandum, & anathematizandum esse.* Quicquid autem dicat Gotteschalcus, gemina est caritas: at prædestinationes non duæ, si in terminos duos positiuè tendunt. Causa discriminis est, quòd actus dilectio-

Quo exemplo vsus est Gottesch. Confess. Prolix.

Cum magna tamen dissimilitudine.

Propriè prædestina.

tiones duæ dici debent, in sensu Gotteschalci.

nis Dei & proximi ex vna radice procedit, Dei bonitate: diligitur enim proximus, quia & Deus. Prædestinatio autem bonorum ad vitam, impiorum ad supplicium, nullam habet radicem communem, sed duas perfectiones nostro sensu diuersas, bonitatem & iustitiam: neque vna pendet ab alia, aut propter aliam fieri dicitur. Recurrit hîc monachus ad seculares auctores, qui dicunt geminam arborem, non duas. Certè geminum est, quod ex vno trunco diuiditur, vt geminus Parnassi vertex: duo sunt, quæ omnibus suis partibus seiunguntur; totóque cælo differunt, arbores duæ, & gemina arbor; huic ego similem facio caritatem, illis prædestinationes. Neque tamen eam vocum proprietatem semper obseruant auctores, cùm licuerit Poëtæ dicere, *Sunt geminæ somni portæ*. Sed hæc hactenus. Quibus addo in gratiam Hincmari, prædestinationis vocabulum in parte reproborum infrequentiùs adhiberi: & eorum prædestinationem licet aliquando dicat Augustinus; semper tamen per modum relictionis & desertionis in massa perdita, explicare.

Probata ex Patribus aliqua Capituli partes.

Hæc ita considerata primum eorum quæ promisimus meo iudicio exhauriunt, secundum penè conficiunt, tertium plurimùm adiuuant, vt ista quàm breuissimè perstringi debeant. Nam ex articulo toto nihil ante penultimam partem video confirmandum. Quod facit Hincmarus, primùm ex Prospero: *Omnium quidem hominum creator est, sed nemo ab eo ideo creatus est vt periret.* Tum ex Augustino: *Hæc est prædestinatio sanctorum, nihil aliud; præscientia scilicet, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicunque liberantur. Ceteri autem, vbi nisi in massa perditionis iusto diuino iudicio relinquuntur?* Et post multa, fusè monstrat ex Cypriano, supplicia impiis parata esse, cùm nunquam dicat impios suppliciis paratos aut prædestinatos, vt in epistola, quam vocat ad Romanos, cùm ea sit potiùs Romanorum ad ipsum: *Parauit cælum; parauit & tartarum; parauit refrigeria, sed parauit etiam æterna supplicia: parauit inaccessibilem lucem, sed parauit etiam perpetuæ noctis vastam æternámque caliginem.* Breuiter & strictè Chrysostomus. *Non enim nos ad hoc fecit, vt gehennæ nos tradat, igníque perpetuo. Regnum cælorum propter nos, gehenna propter Diabolum facta est.* Quem locum vbi prolixiùs proposuit, exultans subiicit. *Quod exemplum catholicissimi viri, sicut & cuiuslibet aliorum quos posuimus ac ponemus, sufficere poterat ad rectam intelligentiam, & auctoritatem, si in contradicentibus maiores partes potuisset habere recti consensio, quàm praua contentio. Quem magnum virum in Synodo* (Carisiaca qua damnatus est) *& etiam in suis scriptis, Gotteschalcus reprobus reprehendit.* Denique particulam extremam articuli, ex Augustino & aliis probat, vt ex Prospero præcisè dicente: *Prædestinatio igitur Dei semper in bono est, quæ ad retributionem iustitiæ, aut ad donationem pertinet gratiæ; vniuersæ enim viæ Domini, misericordia & veritas.* Plura non describo, quæ peti possunt, aut ex Patrum fontibus, aut ex Hincmari collectione, tum in libro, tum in epilogo libri de Prædestinatione: quod etiam monitum ad alia capita volumus pertinere.

Prosp. resp. ponf. 5. Vincent.

August. de Bono perseuer. c. 14.

Cyprian. epist. 31. quæ est Cleri Romani.

Chrysost. l. de repar. lapsi.

Hincm. l. de præd. c. 16. vnde ista.

Prosper respons. Gallor. c. 14.

Capitulum erroribus

Iam aperta est huiusce Capituli cum Gotteschalcana prædestinatione oppositio. Nam qui constanter negat duas esse prædestinationes, & reprobos ad interitum positiuè prædestinari, istud peruicaciter affirmantem condemnat. Qui libertatem hominis prædicat, ad bonorum operum studium excitat, Dei timore sanctorum mentes, & impiorum conscientias implet, quàm procul abest à necessitate Prædestinatiana? Qui execratur eos à quibus dicuntur reprobi ad pœnas prædestinati, & ex consequenti, coguntur fateri ad peccatum, quod est pœnarum causa, prædestinari à Deo, potést-ne cum Prædestinatianorum modernorum suscitatore Gotteschalco conuenire? Qui bonos absolutè loquendo perire posse, reprobos saluari affirmat, illúm-ne censetur tolerare, qui dicit creari reprobos à Deo vt pereant? Hactenus de primo Capitulo.

Gotteschalco opponitur.

CAPVT VII.

Capituli secundi consideratio, quod est de libero arbitrio corrupto, & per Christum sanato.

ETERNA decreta temporalem habent executionem; Dei solius prædestinatio, hominem requirit in opere: quod independenter à nobis constitutum est, dependet à nobis vt fiat. Liberi liberè regimur; necessitatem ipsam voluntas inflectit, neque solo pœnæ, sed etiam culpæ malo vti possumus ad salutem: sed non ex nobis. Culpa esset homines nasci, si non esset & natus homo Deus. Vis bonum de homine cogitare? non potes nisi Deum hominem cogites. Vis malum? misera libertas est, quæ Deum excludit. Quod tamen mirum est, quemadmodum qui creauit te sine te, non saluabit te sine te; ita neque te sine te damnabit. Tantam liberi arbitrij vim in vtranque partem voluit esse creator, de quo hæc docet Hincmarus.

Prædestinatio supposita est arbitrij libertati.

Libertatem arbitrij in primo homine perdidimus, quam per Christum Dominum nostrum recepimus. Et habemus liberum arbitrium ad bonum, præuentum & adiutum gratia: & habemus liberum arbitrium ad malum, desertum gratia. Liberum autem habemus arbitrium, quia gratia liberatum, & gratia de corrupto sanatum. Huic Capitulo partes duas assignat auctor, & cum superiore sic connectit. *Deinde de libero arbitrio, quod homo in tempore accepit, & diaboli suasione suo vitio infirmauit: atque de Dei gratia, sine qua in primo homine perditi non reparantur electi, & qua non liberantur in generali perditionis massa relicti.* Non placet Scripturario Lugdunensi Capitulum illud, quod esse ait *confusè, & obtusè, ac decurtate definitum.* Si quid ergo vult prolixiùs enunciatum, offerri potest è libro de prædestinatione: sed quoniam Scripturarij opusculo posterius est, ne sibi queratur illusum, ex epistola ad Lugdunenses producimus. *Arbitrium liberum in primo homine non fuit emortuum, sed vitiatum: in nobis autem ad malum agendum arbitrium malè est liberum;*

Textus secundi Capituli.

Hincmar. l. de præd. c. 26.

Eccles. Lugdun. l. de verit. script. c. 10. L. de præd. c. 23. L. de Trib. epist. c. 37.

quia à gratia non liberato, sed malè libero arbitrio vsi, efficimur serui peccati. Ad benè agendum autem, imò & ad benè volendum, tunc verè est nostrum arbitrium liberum, cùm fuerit gratia liberatum: quod non est gratia resuscitatum, quia non fuit emortuum: sed gratia est sanatum, quia vitio fuit corruptum. Quod videlicet liberum arbitrium, in bono formatur electis, cùm eorum mens à terrenis desideriis gratia aspirante suspenditur. Bonum quippe quod agimus, & Dei est, & nostrum: Dei, per praeuenientem gratiam; nostrum, per obsequentem liberam voluntatem. Vnde sicut sancta Scriptura docemur, gratia praeuenimur, vt benè velimus: per liberum arbitrium gratiam subsequimur, vt benè agamus: gratia adiuuamur, vt benè agere possimus, quod arbitrio volumus: & gratia corroboramur, vt in bono, quod per bonum arbitrium subsequendo cœpimus, perseueremus: & gratia subsequimur, vt & gratia beata retributionis, pro gratia bonæ operationis gratuita gratia remuneremur. Fusè satis, vt opinor, & gratiosè, vt cùm stilus stringetur in ingratos, Hincmarum non feriat.

Hincmari sententia malè explicatur à Lugdunensi L. de verit. Scr. Hincm. l. de prædest. c. 23.

Præcipuus hoc in articulo difficultatis nodus in primo verbo mox se se aperit, *libertatem arbitrij perdidimus*. Quod dictum ab aduersariis peculiari libro exagitatum fuisse significat Hincmarus: *Æmuli nostri dicunt nos dicere, scribere, & prædicare, quia liberum arbitrium funditus in homine primo peccante sit perditum. Vnde breuiter*, inquit, *adnotare decreuimus, quid de libero arbitrio sentiamus: vt qui fortè fatuitatem illorum attigerit, qua sale sapientiæ catholicæ condita mens nostra sentiat, hinc sine difficultate reperiat.* Quæ verò in censoribus tuis fatuitas residet, si vocem *perdidimus* reprehendunt, quam neque tu ipse probas? Qui autem sunt illi æmuli? Certè inter ceteros Scripturarius, qui multis & rationibus, & auctoritatibus verè probat, humanæ voluntatis arbitrium & libertatem non esse *perditam*. Huic sanè voci iuueniliter insultat senex, docétque, Adamo peccante non excidisse naturam, sed gratiam: neque Christo aspirante naturale bonum restitui, sed possibilitatem & innocentiam. Quòd si & Ioannes Scotus, & omnes catholici disputationis neruos intenderunt, vt Gotteschalco probarent, Adami peccato non esse perditum liberum arbitrium ad bonum, relictum tantummodò ad malum; quantò iustiùs in Hincmarum declamabunt, absque vlla distinctione boni malique, vniuersè pronunciantem, nos *libertatem arbitrij in primo homine perdidisse?* Hæc dicimus in gratiam æmulorum verba aucupantium, & syllabas ipsas in inuidiam trahentium, vt clariorem Hincmaro demus dicti sui ab æmulatione, quantò magis ab errore? defendendi occasionem. Sic enim loquutum profitetur Augustinum, in cuius ore verba omnia, quantumuis dura mollescunt. *Nunc verò*, inquit, *posteaquam facta est illa magna peccati merito amissa libertas, etiam maioribus donis adiuuanda remansit infirmitas.* Et aliquantò superiùs. *Hac autem tantò maior est, vt parum sit homini per illam reparare perditam libertatem.* Verbo igitur sub Augustini clypeo in tuto latente, quod dum à Lugdunensi resecatur ad viuum, calumniæ proximum est; ad aliam verbi calumniam, eiusdem Ecclesiæ Lugdunensis nomine irrogatam veniamus.

Eccles. Lugd. l. de verit. Scr. c. 11.

August. l. de corrept. & grat. c. 11.

Ibid. c. 11.

Disputans enim aduersus Gotteschalcum, sic loquitur Hincmarus, vt antè audiuimus: *Arbitrium liberum in primo homine non fuit emortuum, sed vitiatum.* Quid est, *arbitrium emortuum*, nisi perditum? Superiùs à Scriptore Lugdunensi vehementer notatus est, quòd *perditum* diceret: hîc negat emortuum, siue perditum fuisse: & iterum à Lugdunensi, vel eodem, vt malè censet Dissertator, vel alio, quod verius esse vel hæc contradictio demonstrat, reprehenditur, quasi asserat Adami peccatum lethale non fuisse, quo non moreretur anima, neque habitualis gratiæ, atque caritatis donum amitteret. Quid hîc agat Hincmarus? quò se vertat? Omnes enim ad fugam aditus intercludit æmulatio. Prior enim physica significatione perditum dici fingebat arbitrium, & inclamabat, iure sanè optimo, si sensu legitimo Hic ad sensum moralem diuertit, & caritatem, quæ libertas est animæ, Adami peccato fuisse dicit emortuam: & ipse verè, si vera simpliciter. Edicat verò Scripturarius, quo tandem verbo, substantiam & naturam liberi arbitrij periisse significarit Hincmarus. Proferat vel syllabam Epistolarius, qua monstret dictum ab Hincmaro, Adamum peccato illo turpis inobedientiæ, non excidisse à gratia & dilectione Dei. Quid? an istud tantùm affirmabat Gotteschalcus, vt ei contrarius negaret Hincmarus? Fuit-ne à tredecim Episcopis depositione, excommunicatione, carcere mulctatus, quòd censeret Adamum peccando *amisisse veram vitam suam, quæ illi Deus est?* An iudex eius Hincmarus talem eius sententiam expressit, cùm dixit, *primum hominem libero arbitrio cecidisse, & neminem nostrûm ad benè agendum libero posse vti arbitrio?* Certè de illa morte disputant controuersistæ duo, quæ per primam Christi gratiam effugatur, sanato, & ad benè agendum excitato libero arbitrio; hanc neuter vult esse gratiam habitualem, & dilectionem Dei, sed gratiam actualem, siue lumen in intelligentiam, & pium motum atque affectum in voluntatem cælitus immissum à patre luminum, quo qui bene vtatur, eum confestim necesse non est caritate perfecta Deo viuere, sed ad vitam illam reparandam tendere, sæpe diu, aliquando frustra, quia inconstanter. Itaque cum illa sua de bona voluntate amissa explicatione, ab Hincmari opinione, mala sua voluntate Lugdunensis Epistolarius abludit. Et vide quo candore animi? Propositam ab Hincmaro sententiam Gotteschalci, quia reputat incredibilem, inauditam, absurdam, credere refugit sic esse prolatam à Monacho. Hincmari sententiam ab ipso fusè dissertatam, probam, catholicam physico sensu qui requirebatur, in moralem sensum inflectit, vt absurdam faciat & erroneam. Hoc tu appellas disputare, non etiam litigare, insidiari, calumniari?

Et alio modo in libro de tribus epist. c. 37. cit.

Physica libertas, & moralis.

L. de trib. epist. c. 1.

Ibid. c. 21.

Duobus istis Hincmari æmulis, tertium se, vt assolet, adiungit Dissertator Monetalis, & ex duabus calumniis, nescio quid tertium conflare videtur, sine figura & effigie, nominis expers & lemmatis; dum ait, admonitum ab Epistolario Hincmarum, *sententiam suam de libero hominis arbitrio aliquantulùm immutasse*, quòd cùm *non emortuum* fuisse dixisset, postea

Quos probat Dissertator, sed perperam. c. 32.

perditum dixerit. *In quo tamen paulò vltrà quàm par esset, eidem Ecclesiæ Lugdunensi progredi visus est*, Scripturario videlicet, eo loco quem produximus. Si mutauit, ex toto mutauit, non *aliquantulum*. Cùm enim hoc in proposito *mortuum* & *perditum* synonyma sint, dixit in epistola, *non fuisse emortuum*; & in Capitulo, fuisse *perditum*: quæ contradictione implicantur, si eundem sensum præferunt. Vnde consequitur, alterutro locorum, fuisse malè notatum, quia partem contradictionis alteram necesse est veram agnosci. Loqui ergo contradictoria, verum affirmare & falsum, hoc tu appellas *aliquantulùm immutare?* Quo autem immutando progressus est, *Paulò vltrà quàm par esset*. Minùs ergo quàm *perditum* dicere debuit. Istud quantùm distat à priori voce, *non emortuum?* Explica sensa animi tui, appella de nomine tertium illud, quod inter *perditum*, & *non emortuum* iubes interiici, Lugdunensibus duobus innominatum, & incognitum, minus perdito, maius non emortuo, vt neutrubi rem attigerit Hincmarus, vtrobique iure fuerit reprehensus. Nouæ huic monetæ dum quæris imaginem qua signetur, & pondus addis ne exsuffletur, vtrunque dictum cum veritate concilio, & veram Hincmari sententiam verbis ipsius aperio.

§. VNICVS.

Hincmari sententia ex ipso declaratur.

Quid sit liberum arbitrium.

EST enim eiusmodi, quæ non digrediatur à natura, de qua cum Scripturario agendum: moralem autem vitam, nisi constituta natura, non tangat; de qua conueniendus est Epistolarius. Quæ est natura libertatis humanæ? Voluntas rationalis positis ad agendum requisitis omnibus ad alteram contradictionis partem ipsa se determinans, agere & non agere, velle & non velle, aut etiam nolle potens. Ea cogi nescit, sed impelli; opprimi impotens, sed fortiter excitari: neque violentiæ capax, neque necessitatis, sed validæ permotionis. Hanc naturam affirmat Gotteschalcus ad bonum agendum emortuam esse; contrà disputat Ioannes Scotus; negat Hincmarus esse emortuam; idque multis confirmat Scripturarius; at Epistolarius Ebbo neque ait, ne in errore manifesto foueat Gotteschalcum; neque negat, ne qua in re gratificetur Hincmaro: sed alibi quærit quo lædat innocentem, multùm quærente Duuallio vnde ipse excusetur.

Duual. in lib. de trib. epist.

Vera Hincmari sententia de eius amissione.

Iam hominem rectum fecit Deus, absque nouo gratiæ dono bene agere, & in originali iustitia per ipsam iustitiam semel cælitus acceptam stare potentem: sed & cadere. Malè vsus illa potestate cecidit, & amisit. Bene inquam ex ipsa posse agere perdidit, neque nisi gratia reparatoris aduenerit illam vnquam potestatem recuperabit. Hæc expressè tradit Hincmarus, in serie Capitulorum enarranda. *Et tunc quoniam hominis arbitrium liberum, licet merito primæ culpæ libertatem, id est, boni possibilitatem perdiderit, non tamen nomen, & rationem amisit. Deus qui hominem ad imaginem & similitudinem suam condidit, quémque ad aeternitatem consistere voluit, à latronibus vulneratum, ac semiuiuum relictum, verus scilicet medicus, gratia sanare venit plagis mortalibus saucium.* Non est igitur emortuum liberum arbitrium, quia nomen & rationem non amisit: est verò perditum, quia boni possibilitatem perdidit: non est mortuum, sed semiuiuum, solum de se ad mortem tantùm peccati viuens: non integrũ, & rectum quale in Adamo; sed saucium & iacens, quale ab eo nos decuit accipere, qui per malum velle, perdidit bonum posse, cùm per posse bonum vincere potuerit velle malum. Et alibi in eundem sensum iam antè dixerat. *Non ipsum liberum arbitrium funditus in homine primo perdidimus, sed libertatem arbitrij ipsius*, siue, possibilitatem bene agendi, *quam per Christum recepimus. Quapropter non restat liberandis, nisi gratia liberantis: quam arbitrij libertatem recepimus, vt non solùm benè velimus, & benè possimus, non abolente, sed adolente gratia liberum arbitrium gratia liberatum, gratia de corrupto sanatum. Hæc est secunda gratia*, gratiæ conseruatrix, *& arbitrij liberi gratia Dei recuperata libertas. Sicque in bonis omnibus est libera voluntas intelligenda de gratia, quam arbitrij libertatem per Christum recepimus; qui cum Patre dedit nobis pignus spiritus; & vbi est Spiritus Domini, ibi libertas; & vt scriptum est, si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis, qua libertate Christus nos liberauit.* Pignus illud ab Apostolo prædicatum, quid est aliud, quàm Caritas Dei diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum? vera animæ vita, sed moralis; vnica libertas, sed non naturalis: per quam deducente Deo, deueniemus *ad perfectam illam & maximam libertatem, vt nec peccare, neque ab æternitate desistere possimus, neque velimus: quam acceperunt in munere Angeli sancti; quæ erat arbitrij liberi merces meriti, sine interpositione mortis; si non peccasset, & homini.* Hæc est de libero arbitrio Hincmari sententia ipsius verbis reddita, quam accuratè perpensam pars Gotteschalcana repudiare non debet.

Hincmar. l. de præd. c. 26.

Ibid. c. 22.

Ibid. c. 23.

Ibid. c. 26.

Ibid. c. 25.

Gratiam ad bene agendum nemini denegat Deus.

Piget annotare, liberum illud arbitrium *præuentum & adiutum gratia*, dici ad bene agendum prosilire, vt ostendam quantopere necessariam ad bonum, Dei gratiam præuenientem faciat, & comitantem. Plenus est liber de Prædestinatione, Augustini, Prosperi, aliorúmque Patrum dictis eam necessitatem proclamantibus, ac præcipuè huius articuli explicatio, & Epilogus. Vtilius fuerit eius boni tam necessarij liberalem in omnes effusionem ostendere: nihil vt præcipiat, cui adimplendo non adiungat auxilium. *Non enim Deus impossibilia iubet*, inquit Augustinus, *sed iubendo admonet & facere quod possis, & petere quod non possis.* Quid est *facere quod possis*, nisi præuentus & adiutus gratia; sine qua nulla est boni possibilitas; qua deficiente *arbitrium liberum est, sed non liberatum; liberum iustitiæ, peccati autem seruum?* Illa gratia non cogitur homo bene agere; sed inuitatur. Quamobrem præclarè de Iuda proditore Christi gratiis reuocantibus vndique circumfluente dixit Chrysostomus: *Quid igitur? qui meretricum mores valuit commutare, discipulum non potuit retinere? Valdè inquam & incunctanter valuit retinere; sed necessitate nolebat bonum efficere, nec vi trahere ad se curabat. Nam ad-*

Ibid. c. 21.
Epil. c. 4.

Ibid. c. 21.

August. l. de Corrept. & grat. c. 13.

Gratia liberè resistitur.

Chrysost. hom. de Proditione Iudæ.

Hinemar. ibid. c. 24. *monebat, suadebat, & omni studio eum sanare curabat. Sed hæc omnia crudelis ille contempsit, & Deus illum non traxit inuitum. Et quoniam bona, atque mala in nostra Deus posuit potestate, electionis liberum donauit arbitrium, & inuitos non retinet, & volentes amplectitur.*

Data Pharaoni gratia & misericordia. Quòd si gratia Iudæ perditissimo proditori non defuit, sed ipse gratiæ: de obdurationis archetypo, & spirante peruicacia, Pharaone, quid dicemus? Cùm audiuit Dei præceptum *Dimitte populum meum* caruít-ne gratia, qua præcipienti posset obtemperare si vellet? Credat aliquis hoc significare Augustinum, cùm ait, *nec obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam.* Et Gregorium, illud Iobi exponentem, *Si incluserit hominem, nullus est qui aperiat. Quia sicut nemo obsistit largitati vocantis, ita nullus obuiat iustitia relinquentis. Includere itaque Dei, est clausis non aperire. Vnde ad Moysen dicitur de Pharaone, Ego obdurabo cor eius. Obdurare quippe per iustitiam dicitur, quando cor reprobum per gratiam non emollit.* Sed omnino non sic à Deo derelictum fuisse hominum obstinatissimum, vt vocantem & tonantem non potuerit audire, loquuntur tot mandata, tot minæ, tot flagella, quibus, Deo penè dixerim inuito, oppressus est. *Si piè de Deo, sicut expedit, sentimus*, ait auctor Hypognosticon, *etiam Pharaoni datam misericordiam reperimus. Patientia enim Dei valere ei debuit ad salutem, quia differens iustum, meritúmque supplicium, miraculorum verbera crebra densabat. Nunquid non potuit, sicut flagellis cedens expulit populum, ita miraculis credens Deum tanta virtutis agnoscere?* Pergit Pharaonem cum Nabuchodonozore conferre, in eo maximè, quòd ambo flagellis clementer admoniti, fines habuere diuersos. Quem locum sæpe producit Hincmarus, & vniuersè auctorem illum magno æstimat, iure Gotteschalco & Ratramno obiiciendum, quem ipsi recipiunt, & citant pro Augustino. Ego consultò abstinui hactenus, quòd inter eruditos modò constitutum sit, Augustinum patrem non habere, quod constanter pugnarunt Lugdunenses.

August. epist. 105. Hincma. ibid. c. 7. Gregor. l. 21. Moral. c. 5. Hincm. ibid. c. 16.

L. vnic. de prædest. & grat. c. 14. in append. tom. 7. Hincmar. ibid. c. 9.

Capitulum istud ex Synodo Arausicana depromptum. Hincmar. ibid. c. 22. Dicendum modò breuiter de Patrum fontibus vnde Capitulum istud deductum est. Omitto Augustinum & Prosperum, quorum sententias paginæ omnes personant. Multus est Hincmarus in hoc, & priore Capitulo ad Synodum Arausicanam referendo, & ad Cælestini Pontificis definitiones, ad quas Compositorem Capitulorum Valentinorum inuitat. Istud autem de secundo nostro peculiariter notat, quod alia occasione produximus, Arausicæ Synodi sensum, non verba expressisse, quia codicem non habebat ad manum, cùm ista componeret. Idque sic demonstrat. *Synodus dicit, arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam Baptismi non potest reparari, quod amissum nisi à quo potuit dari, non potest reddi. Et nos diximus, libertatem arbitrij in primo homine perdidimus, quam per Christum Dominum nostrum recepimus, &c.*

Ibid. c. 23.

Oppositum est errori Gotteschalci. L. de trib. epist. c. 1. Est autem articulus iste Gotteschalcano dogmati manifestè oppositus, quod in Epistola ad Lugdunenses ita conceptum refertur. *Et postquam primus homo libero arbitrio cecidit, nemo nostrûm ad benè agendum, sed tantummodò ad malè agendum libero potest vti arbitrio.* Quod benè interpretatur, sed malè defendit patronus Epistolarius. *Tanquam in nobis non sit liberum arbitrium, nisi ad malum: ad bonum autem sola in nobis Dei gratia absque libero arbitrio operetur.* Quare catholicam sententiam eo loco exponens Hincmarus, non solùm dicit liberum arbitrium emortuum non esse, sed etiam eo nos vti ad opera bona quæ sunt Dei & nostra, quæ nos suprà retulimus. Ibid. c. 21. Ibid. c. 37.

CAPVT VIII.

Tertium Capitulum, de generali Dei voluntate homines omnes saluandi, percurritur.

BENIGNIVS hoc de Capitulo censere, si taceret Hincmarus, docerent æmuli; quorum aliqui penitus prætereunt, vt praui sensus incapax: alij funem contentiosum in illo trahere nolunt, quia reprehendere non audent. Soli Prudentio visum est hîc etiam fauere Gotteschalco: quàm benè? modò non disputo. Temerè tamen hoc ingressu non vsurpauit Hincmarus Christi dictum, *Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij vestri.* Est autem tale. *Tertium Capitulum extra controuersiam est.* Luc. c. 21.

Textus Capituli. *Deus omnipotens omnes homines sine exceptione vult saluos fieri, licèt non omnes saluentur. Quòd autem quidam saluantur, saluantis est donum: quòd autem quidam pereunt, pereuntium est meritum.* Admonet Hincmarus vitatam à se amphiboliam, addito illo, *sine exceptione.* Quia cùm à Gotteschalco & Prudentio dictum Apostoli constringatur ad omnes saluandos, & non alios, neminem penitus hominem, etiam nunquam saluandum, ab hac voluntate Capitulum excipit & excludit, ne Iudam quidem ipsum, aut Pharaonem. Cetera facilem & expeditam habent intelligentiam. Addit verò illud excerptum esse, *de verbis Prosperi, & ipsius aliorúmque catholicorum doctorum sensibus.* Hincm. l. de præd. c. 24.

Auctoritatibus assertionem probat Hincmarus c. 24. 25. 26. & epil. c. 5. Itaque nullo in litterali sensu obice retardatus, liber statim excurrit in Patrum auctoritates; quas tribus Capitibus, & altero præterea in Epilogo, in ingentem cumulum exaggerat, vt probet, creari neminem vt pereat: nulli hominum deesse gratiam, qua libero vtens arbitrio saluari possit: sufficientia à Deo omnibus prouideri media ad salutem: sed plerosque vitio suo illis abuti, & perire. Ducit in hac probatione ordinem Romana Ecclesia, magno Hincmari præconio celebrata. *Consulentes ante omnia, sicut & prima est in toto orbe omnium Ecclesiarum mater, sanctam, catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam.* Cuius vsum & iudicium concludit *piis, deuotis, atque catholicis posse & debere sufficere.* Quis est autem vsus? *Vt quasi specialiter in die crucifixionis Domini nostri Iesu Christi, ostendens pro quibus sit crucifixus, quosque vult saluos fieri, supplicando & congemiscendo demonstret; orans pro omnibus hominibus, & singillatim atque distinctè,* Ex Cælest. ep. 8. ad Venerium. Vide & Prosp. l. 1. de vocat. gent. c. 4.

pro omnibus ordinibus, pro omnibus gradibus, pro omnibus dignitatibus, pro schiſmaticis atque hereticis, pro Iudæis, atque Paganis, vt nemo credatur exceptus, agens apud diuinam clementiam totius humani generis cauſam. Hac argumentandi ratione non tantùm obſeruantiam ſuam erga Romanam Eccleſiam oſtendit Hincmarus, cuius cultor fuit deuotiſſimus, vt ſuperiùs narrabamus: ſed illud etiam docet, alienos eſſe ab Eccleſia Romana, & ei contraria ſentire, qui Deum negent omnibus vniuersè ſalutem velle, & pro omnibus ſine exceptione Chriſtum eſſe mortuum. Videndum ergo quæ ſit illa extra Romanam, cum qua conſentiant. Ac deinde cum ſexcentis locis alteram Capituli partem conficit, qui bona Dei voluntate non vtuntur, eos merito ſuo perire: quid aliud probat, quàm *omnibus ſine exceptione hominibus* à Deo volente illos ſaluos fieri, media in eum finem ſufficienter neceſſaria ſuppeditari, quas gratias ſufficientes appellamus, quibus per malum ſuæ libertatis vſum repudiatis, ſceleratè abutuntur, & pereunt.

Contraria ſententia Eccleſiæ Romanæ repugnat.

Gratiæ ſufficientes omnibus dantur.

Ac ne longiùs citando progrediar, vnum ex innumeris teſtem aduoco Proſperum, præcipuum Auguſtini diſcipulum, &, vt citat Hincmarus, *virum eruditiſſimum, & religioſiſſimum,* qui hoc argumentum fusè tractat libris de Vocatione gentium, vnde ſunt iſta. *Credimus & & piiſſime confitemur, quod nunquam vniuerſitati hominum diuina prouidentiæ cura defuerit: quæ licèt exceptum ſibi populum ſpecialibus ad pietatem direxit inſtitutis, nulli tamen nationi hominum bonitatis ſuæ dona ſubtraxit: vt propheticas voces, & præcepta legalia conuincerentur in elementorum obſequiis ac teſtimoniis accepiſſe.* Hoc eſt, prophetas & legem, media Iudæis conceſſa, ſuppleuit apud gentiles mundi ornatus, ordo rerum, prouidentiæ regimen, quibus attentè ſpectatis, ad auctorem agnoſcendum deuenire potuerunt. Quod Clemens Protreptico ad gentes, Lactantius in diuinis inſtitutionibus, Theophilus libris ad Autolycum, & innumerabiles alij pulcherrimè demonſtrant. Præeunte omnibus Apoſtolo dum ait, *Quia quod notum eſt Dei, γνωστὸν τοῦ θεοῦ,* quod naturaliter de Deo cognoſci poteſt, *manifeſtum eſt in illis,* intra eos, in ipſorum animis: *Deus enim illis manifeſtauit* per mundi creationem, & omnes creaturas, vt ſubditur, quarum ope vnum Deum agnoſcere potuerunt, & verò debuerunt. *Vnde & inexcuſabiles facti ſunt,* addit Proſper huc alludens, *quia Deos ſibi Dei dona fecerunt, & quæ creata erant ad vtendum, venerati ſunt ad colendum.* Et alio loco. *Si verò quæritur cur ſaluator omnium hominum non omnibus dederit hunc ſenſum, vt cognoſcerent verum Deum, & eſſent, id eſt, permanerent in vero filio eius, quamuis credamus nullis hominibus opem gratiæ in totum fuiſſe ſubtractam? de quo pleniùs in conſequentibus diſſeremus.* Libro videlicet altero, quo titulum ſuum implet, & ante Petri Paulique prædicationem, gentilibus docet datam cælitus fuiſſe cognoſcendæ veritatis facultatem. *Manifeſtauerunt enim diuinorum eloquiorum multæ auctoritates, & continua omnium ſeculorum experimenta docuerunt, iuſtam Dei miſericordiam, miſericordémque iuſtitiam, nec alendis vnquam corporibus hominum, nec docendis iuuandiſque eorum mentibus defuiſſe. Semper enim pluit ſuper bonos, & malos; ſemper ſolem ſuum oriri fecit ſuper iuſtos & iniuſtos.* Quomodo autem docendis iuuandiſque? an ſolo rerum aſpectabilium intuitu inuitante, quaſi externa quadam prædicatione; an etiam additis interiùs motibus & illuſtrationibus, quibus ad veri inquiſitionem excitarentur? *Deus,* inquit, *dona generalia ſpecialibus nouit cumulare muneribus.* Quibus autem? *fuerunt enim ac ſunt eiuſmodi dona iſta generalia, vt ipſorum teſtimonio, ad quærendum verum Deum poſſent homines adiuuari.* Sed hæc non ſufficiunt, excitari oportet præterea, & ad agendum permoueri. *Quibus donis auctorem ſuum per omnia ſecula proteſtantibus, ſpecialis gratiæ largitas ſuperfuſa eſt.* Quæ à multis ipſa, quanquam frigidè & imperfectè vtentibus, expreſſit *teſtimonium animæ naturaliter Chriſtianæ,* vt loquitur Tertullianus, *ita vt ſint inexcuſabiles, quia cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt.* Patrum noſtrorum ætate per orientem, Turcas inter, ſcimus extitiſſe hominem, qui ſola meditatione, & lectione librorum, nam conferre de religione cum Chriſtianis vetant, Deo intus docente, tandem eò deuenit, vt Chriſtianam religionem veram & omnibus anteferendam eſſe doceret diſcipulos, & ad crucem vſque profiteretur; ciuium ſuorum abſque dubio iudex futurus, qui quod vidit ipſe, cognoſcere negligunt.

Ethnicis nunquam defuerunt.
Proſp. l. 1. de vocat. gent. c. 2.
Hincmar. l. de præd. c. 15.

Rom. c. 15.

Proſp. ibid. c. 7.

Ibid. l. 2. c. 3.

Ibid. c. 7.

Ibid. c. 8.

Lugdunenſis quidem Scripturarius duo Gentilium genera diſtinguit; eos qui annunciatum & cognitum Euangelium ſpreuerunt, quales erant Romani Cæſares, & eorum præfecti, Chriſtianorum perſequutores: hos ait *iuſta vltione damnandos, quia noluerunt credere.* Alios, ad quos nullus vnquam prædicator acceſſit, nullum vnquam fidei verbum audierunt; qui vtique nullatenus credere potuerunt. Iſtis ait irroganda ſupplicia, non propter infidelitatem quam exuere non potuerunt, ſed ob peccatum originis, & actualia ſua quæ adiecerunt. Sed hanc opinionem tota Proſperi diſputatio euertit, docétque illos ſua etiam culpa incredulitatem fouiſſe, neque iſtam minùs, quàm alia peccata voluntate ſuſcepta, puniri oportere. Quod & expreſſiùs ita tradit. *Igitur ſicut qui crediderunt iuuantur, vt in fide maneant, ſic qui nondum crediderunt, iuuantur vt credant. Et quemadmodum illi in ſua habent poteſtate vt exeant: ita & iſti habent in ſua poteſtate ne veniant, ſitque manifeſtum, quod diuerſis atque innumeris modis* (non ſola externa prædicatione) *omnes homines vult Deus ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; ſed qui veniunt, Dei auxilio diriguntur; qui non veniunt, ſua pertinacia reluctantur.* Quod antè dixerat de æterno Dei decreto omnes homines ſaluandi, *vt & qui exortes gratiæ fuerint, de ſua nequitia redarguantur,* non de aliena, in peccato originali; non de propria, in aliis criminibus: ſed quòd dona generalia ſpecialibus cumulata muneribus reſpuentes, ad agnitionem veritatis non venerint. Concludat igitur Proſper pro Hincmaro. *In omnibus Eccleſiis piiſſimè cuſtoditur, vt Deo pro omnibus hominibus ſupplicetur. Ex quibus quòd multi pereunt, pereuntium eſt meritum, quòd multi ſaluantur, ſaluantis eſt donum.* Si pereunt merito

Ethnici ob infidelitatem puniendi.

L. de verſ. ſcript. ad 7. capit.

Proſp. l. 2. cit. c. 9.

Ibid. c. 7.

Proſp. obiect. 11. Vincent.

gratia sufficiens. merito suo, possunt saluari dono Dei, habent ergo gratiam qua liberè non vtuntur. Illam quomodo appellas, quæ nullum parit effectum, cùm possit optimum?

Contrariū sensit Gotteschalcus. Porro caput istud, Prædestinatianorum placitis & Gotteschalco esse contrarium notius est, quàm vt probetur. Sic enim docere scribitur Gotteschalcus in Epistola ad Lugdunenses, nullo refragante, *Deus non vult omnes homines saluos fieri, sed eos tantùm qui saluantur.* hoc alibi vocat Hincmarus *omnes & omnes: id est, omnes qui saluantur, & omnes qui non saluantur. Et quod dicit Apostolus, Qui vult omnes homines saluos fieri, illos dici omnes, qui tantummodo saluantur.* Verba hæretici sunt, *Ipsi omnes itaque salui fiunt, quos omnes vult saluos fieri. Omnes quos Deus vult saluos fieri, sine dubitatione saluantur: nec possunt saluari, nisi quos Deus vult saluos fieri.* Hæc cùm in oculos tuos incurrunt, Lector, non quæris, opinor, quare quæstionem istam tractet Hincmarus, *contra priscos, & contra modernos Prædestinatianos*, vt ait: sed miraris à Lugdunensi Scripturario tertium istud Capitulum; *nouam definitionem* appellari, quæ tot antiquorum Patrum sententiis confirmata sit.

L. de trib. epist. c. 1.

Hincmar. l. de præd. c. 24.

L. de tenenda verit. Scr. post c. 11.

Silere catholicos hæreticis postulant. Optari quoque ab eodem, vt *hanc rem silentio præteriissent isti boni viri*, Synodi Carisiacensis Episcopi, *& vnicuique de ea secundùm fidem suam & auctoritatem, cui magis acquiescendum putaret, sentiendum permitterent.* Et tandem concludi: *Nónne homo cautus & pius magis eliget tacere: aut certè cum Propheta & Apostolo exclamare, Iudicia tua abyssus multa?* Quò porro tendet cautum illud piumque silentium? *Finitóque inter eos tam longa & perniciosa contentionis iurgio, pax & vnitas Christi Ecclesiæ reformaretur.* Cui adhortationi notam suam imprimens Præses optimus, qui Pacificam operis coronidem promisit in Titulo, ad illius textus marginem, suum illud, *via Pacis*, & notam, *vitandum contentionis malum*, vir in Hincmari causa & persona multùm videlicet pacificus, adscribit. Ad hæc ego. Dic amabo te, homo caute & pie, si cum Hincmaro catholici omnes tacuerint, etiám-ne prisci & moderni Prædestinatiani quiescent? Si contra Gotteschalcum Synodus Carisiaca nihil decreuerit, an proceres Gotteschalcani Ecclesiam turbare desinent? Vtrius enim est silentio sedare contentiones, & pacem restituere? eius qui ab auita possessione deturbatur, an noui hospitis, qui vi & clamore in eam inuolat & irrumpit? Vnicuique, inquis, *secundùm auctoritatem suam sentire permittatur.* Imò verò prohibeatur quàm maximè, & auctoritati Ecclesiæ atque veterum temporum sensui subiiciatur. Et hoc est quod sibi ostendi refugiunt, quod catholico zelo probari indignantur: quod contentionem vocant, dissensiones & scandala, cùm publicè & priuatim paterna religio defenditur. Da nobilem hæresim vllam quæ de resistentibus catholicis questa non sit; quæ catholicorum silentium specie pacis non quæsierit, quæ dissimulatione vel silentio compressa sit. Ceterum eodem pacis & salubris moderationis prætextu nolunt isti suas opiniones grauiùs notari, qui sibi ius omne in contrarias arrogant, & quicquid palato suo non sapit, atrocissimè persequuntur: cuius vel exemplum sub oculis est amplissima Dissertatio.

CAPVT IX.

Quarti & vltimi Capituli expositio, quod est de Christi sanguine pro omnibus effuso.

SI neminem Deus absolutè prædestinauit ad interitum, si vnicuique in ortu suo ignem & aquam apponit, vt ad quod voluerit porrigat manum suam: si vult omnes homines saluos fieri, & in eum finem media necessaria nulli denegat, profectò Patris optimi voluntati satisfecit dilectus filius, & vitam vt iussus fuit, pro omnibus sine exceptione, sanguinémque profudit. Quam assertionem Capitulo quarto ita tradit Hincmarus. *Hincmari doctrina nexus.*

Christus Iesus Dominus noster, sicut nullus homo est, fuit, vel erit, cuius natura in illo assumpta non fuerit; ita nullus est, fuit, vel erit homo, pro quo passus non fuerit, licet non omnes passionis eius mysterio redimantur. Quòd verò omnes passionis eius mysterio non redimuntur, non respicit ad magnitudinem & pretij copiositatem, sed ad infidelium, & ad non credentium ea fide quæ per dilectionem operatur, respicit partem. Quia poculum humanæ salutis, quod confectum est infirmitate nostra, & virtute diuina, habet quidem in se vt omnibus prosit, sed si non bibitur, non medetur. *Textus Capituli.* *Al. Quod autem non omnes passi. eius myst. rediman-tur.*

Bifariam diuidendus articulus, vt prima pars Christum faciat pro omnibus mortuum, licet eo beneficio reipsa omnes non perfruantur. Secunda, veram huius exceptionis causam reddat, vitium redemptorum, non angustiam pretij; qui & ipsi duplicis sunt generis, infideles, & fideles, qui in caritate non perseuerant. Et ne quid desit, iterum infideles subdiuidi possunt, in eos qui Christi aduentum præcesserunt, & in eos qui sequuti sunt: in his numeratur homo peccati Antichristus. Dæmones autem à natura assumpta alieni, prætereundi sunt à nobis, qui absurda tantùm Aduersarij obiectione in hanc materiam immissi, occasionem Theophili contra Origenem producendi dederunt Hincmaro. Propositionem autem more suo probat auctoritatum aceruo, capitibus plurimis, & postremo Epilogi. Atque in eorum vno, id potissimùm conficit, exceptis duobus verbis, quæ necessitas explicationis coëgit interiicere, nihil se toto Capitulo afferre, quod à Prospero non hauserit. *Capituli diuisio.* *Hincm. l. de præd. c. 17. Epil. c. 6.*

Nam vt à verbis illis, & à prima parte auspicemur, dixit Prosper: *Nullus omnino est ex omnibus hominibus, cuius natura in Christo Domino nostro suscepta non fuerit.* Et iterum, *Cùm itaque rectissimè dicatur Saluator, pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram humanæ naturæ susceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem.* Quod dictum aliquantò fusiùs extendere debuit, quò Gotteschalcus apertiùs confutaretur, qui dixit pro impiis & peccatori- *Prima pars exponitur, & probatur.* *Prosp. obiect. Gall. c. 9. Hincm. c. 29.*

bus quibuſdam filium Dei nec corpus aſſumpſiſſe, nec orationem, nedum ſanguinem fudiſſe, neque pro eis vllo modo crucifixum fuiſſe. Itaque quando monſtratur Chriſtus id redemiſſe quod aſſumpſit, nondum ad incitas redigitur hæreticus, quia negat aſſumpſiſſe corpus pro impiis; & nonnulli de eius ſchola dubitare ſe fatentur, an Chriſtus omnium hominum naturam naſcendo aſſumpſerit. Sed ſi naturam totam hominis, qualis à ſingularibus omnibus participatur, aſſumpſiſſe, & nobis per omnia ſimilis factus eſſe, abſque peccato, oſtenditur pro mundi ſalute, quid habent Gotteſchalci ſectatores, cur negent naturæ vniuerſæ paratam eſſe vitam, cui ſingulis, quicunque voluerint, licet participare? Hoc autem ſic habere pluribus probat Hincmarus, ex aſſumptione carnis, inquam, ſequi omnibus & ſingulis hominibus de ſalute prouiſum eſſe. Audi ſolum Auguſtinum. *Humani generis cauſa Dei filius natus ex virgine eſt, & Spiritu ſancto, vt homo factus ex virgine, naturam in ſe carnis acciperet, pérque huius admixtionis ſocietatem, ſanctificatum in eo vniuerſi generis humani corpus exiſteret: vt quemadmodum omnes in ſe, per id quod corporeum ſe eſſe voluit, conderentur; ita rurſum in omnes ipſe, per id quod eius eſt inuiſibile, referretur.* Et in libris Hypomneſticon, qui Gotteſchalco efficaciter obiiciuntur, *Cum peccatum ipſe non eſſet, factus aſſumpta carne peccatum, vt peccato carnis homine ſanato, peccatum damnaret in carne.* & mox, *deletiſque omnibus veteris culpæ maculis, quam fecerat reparat naturam.* Si vult ergo Gotteſchalcus, Chriſtum pro impiis & peccatoribus corpus non aſſumpſiſſe; oſtendat oportet, alterius naturæ corpus fuiſſe aſſumptum à Chriſto, quàm quod peccatores ab humana accipiunt. Ac deinde verum hominem extitiſſe, hominis eſſentiam accepiſſe, probandum erit.

Auguſt. l. 2. de Trin. Hincmar. c. 25.

Hincmar. c. 9.

Pari argumento confirmatur.

Vis argumenti hæc eſt. Accepit naturam omnium, ergo omnes redemit. Alia vniuerſali propoſitione, quæ eodem redit, idem conficitur ex Auguſtino, contra Iulianum pro peccato originis diſputante. *Vnus, inquit Apoſtolus, pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt. Oſtendens fieri non potuiſſe vt moreretur, niſi pro mortuis. Ex hoc enim probauit omnes mortuos eſſe, quia pro omnibus mortuus eſt vnus. Impingo, inculco, infercio recuſanti*, &c. *Vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt. Vide quia conſequens eſſe voluit, vt intelligantur omnes mortui, ſi pro omnibus mortuus eſt. Quia ergo non in corpore, reſtat vt in peccato eſſe mortuos omnes, ſi pro omnibus Chriſtus mortuus, nemo neget, nemo dubitet, qui ſe non negat, aut dubitat eſſe Chriſtianum.* Facit magnus doctor iſta inuicem conuerti. Pro omnibus Chriſtus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt. Omnes ſunt mortui: ergo Chriſtus pro omnibus mortuus eſt. Aliàs non valeret enthymema primum. Nam ſi ſunt aliqui pro quibus Chriſtus non ſit mortuus, non ſequitur neceſſariò, omnes eſſe mortuos: quin potiùs contrarium educitur, non eſſe omnes mortuos, quia Chriſtus non eſt mortuus pro omnibus. Cùm igitur ex hoc argumento impacto, inculcato, infarto, vel recuſans cogatur Pelagianus, originale crimen admittere, eodem impingendo, inculcando, inferciendo Gotteſchalcus conuincitur, Chriſtum eſſe pro omnibus & ſingulis mortuum, quia omnes & ſinguli ſunt mortui: & vt nemo homo non eſt mortuus, ita pro nemine non eſſe mortuum: atque vt eſt mortuus ad mortem illam deſtruendam, & vitam æternam reparandam; ita omnibus & ſingulis morte ſua meruiſſe auxilia, quibus vitam æternam comparent; ac non tantùm aliqua imperfectæ ſalutis ſubſidia. Quod vltimum conſectarium ex altera parte meliùs intelligetur.

Auguſt. l. 6. contra Iul.

Secunda partis explicatio.

Alteram quoque partem aſſertionis ab eodem deſumptam Proſpero, adiectione aliqua neceſſaria, propter Gotteſchalcum, auxiſſe ſe fatetur Hincmarus. Dixerat enim Proſper: *Qui dicit quòd non pro totius mundi redemptione ſaluator ſit crucifixus, non ad ſacramenti virtutem, ſed ad infidelium reſpicit partem, cùm ſanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti pretium ſit totius mundi.* His verbis addidit Remenſis. *Et ad non credentium ea fide quæ per dilectionem operatur.* Quod exigebat Gotteſchalci dogma, pertinaciter affirmantis, non tantùm infideles, ſed vniuersè omnes reprobos, etiam baptiſmo redemptos, non eſſe à Chriſto per mortem reparatos. *Electorũ tantummodò cunctorum gratuitus eſſe reparator dignatus eſt, & refector: nullius autem reproborum perpetualiter voluit eſſe ſaluator, nullius redemptor, & nullius coronator.* Nimirum *pertinaciſſimè denegat quod nemo Chriſti redemptus ſanguine poſſit perire*, quod ipſi & ab Amolone, obiectum vidimus. Hæc autem hæretici aſſertio ipſius quidem fautoribus placuit, qui omnes, ſolos infideles nunquam credituros, extra pretium viuifici ſanguinis conſtituerunt, vt parum neceſſaria fuerit confirmatio, pro iis qui à ſuſcepta ſemel fide, aut caritate defecerunt. Neque lateat hæreticus ſub verbo illo *perpetualiter*, quaſi fateatur temporalibus ſaltem auxiliis ad redemptionẽ deſtitutos non fuiſſe. Nam hæc ipſa gratiæ & redemptionis auxilia vult penitus non à Chriſti paſſione, ſed à ſolo baptiſmo profluxiſſe, & vniuersè cum Patribus, & catholicis omnibus contendit Hincmarus, & pro illis, & pro infidelibus omnibus *perpetualiter* ſaluandis pretium diuini ſanguinis eſſe perſolutum.

Proſper obiect. Gall. 9.

Hincmar. c. 29.

Ibid. c. 34.

Poſtrema ſententia ex Proſpero obiect.

Vincent. c. 1.

Quæ ſequitur ſententia, non partem nouam apud nos aſſertionis facit, ſed expoſitionem ſecundæ, docétque quomodo ſit intelligenda exceptio; non redimi omnes actu, licet pro omnium redemptione fuſus ſit cruor pretioſus. Et hæc expoſitio à Proſpero eſt. *Poculum quippe immortalitatis, quod confectum eſt de infirmitate noſtra, & virtute diuina, habet quidem in ſe vt omnibus proſit, ſed ſi non bibitur, non medetur.* Hanc ſententiam Capitulo ſuo verbis iiſdem expreſſit Hincmarus, cum aliqua tamen mutatione, adeo leui, vt curioſorum, & criticorum oculos effugere potuerit. Quo maior eius cenſeri debet religio, & in producendis Patribus fides, qui tam demiſsè excuſet, vel ſyllabam immutatam. *In quibus verbis*, inquit, *ſi aliquam ſyllabam, non autem ſenſum immutauimus, non per ſtudium*, id eſt profeſſa opera & deliberato conſilio, *neque per arrogantiam accidit*, quaſi melius aliquid afferre ſperauerim, *ſed quia librum eiuſdem beati Proſperi præ manibus non habuimus, & ſpatium vt adferri valuiſſet, obtinere nequiuimus.* Fuit ergo depromendum

Hincmar. c. 30.

ex memoria, quæ quàm fidelis harum rerum custos sit, quámque attentè & assiduè in eis tractandis versor, vel hinc potest intelligi. Mentem verò aliter suam exprimebat in Epistola ad Lugdunenses. *Quia effusio iusti sanguinis Christi tam diues fuit ad pretium mundi, vt si vniuersitas captiuorum in eum crederet, nullus sub mortis imperio remaneret. Et quia non omnes tam ditissimo pretio redimuntur, ad infidelium respicit partem, non ad pretium seculi copiosum.* Et istud ex sensu S. Leonis dictum, etsi neget Lugdunensis, verba tamen ipsa declarant. *Effusio pro multis sanguinis iusti tam potens ad priuilegium, tam diues fuit ad pretium, vt si omnes in eum crederent, nullum tyrannica vincula retinerent.* Quod cùm solita auctoritate & grauitate dixerit magnus Pontifex, eique dicto calculum suum explicando Epistolarius adiecerit, quem habet sensum conclusio in reprehensionem Hincmari apposita? *Et ideo in tanta quæstione non sunt proponenda incongrua, non sunt asserenda superflua.* Quæ sunt enim illa *incongrua*, quæ copiosam apud Deum redemptionem manifestant? Quæ *superflua*, quæ turbantis hæretici confundunt errorem?

L. de trib. epist. c. 26.

S. Leo.

L. de trib. epist. c. 27.

§. I.

Dictum de singulis ordinibus redemptorum: & priuatim de Antichristo cum Lugdunensibus disputatum.

Omnes infideles quomodo redempti.

VENIO ad subdiuisiones, & singulos ordines tango, eorum pro quibus dicitur Christus sanguinem profudisse. De electis omnibus omnium temporum, nemo dubitat. De fidelibus omnibus reprobis omnium temporum, solus Gotteschalcus, quod sciam, eos dogmatizat non esse morte & sanguine, sed baptismo, vel alia quadam ratione redemptos. Prudentius mortuum pro illis Christum negat, quando pro solis electis passum asserit. De infidelibus reprobis qui vel ante Christum natum vixerunt, vel qui postea nunquam Euangelij prædicationem audituri, atque adeo neque in vnum Deum, & Christum credituri sunt, inter partes certatur; Prudentio & Gotteschalcanis omnibus redemptos negantibus: Hincmaro & sociis constanter modo explicato asserentibus, & innumeris Patrum dictis probantibus. Illis absurdum videtur ad eos Christi morientis meritum extendere, ad quos incarnati & patientis Verbi fides nunquam peruenit, aut in posterum peruentura est. His toti humano generi datum Redemptorem ad omnes & singulos humanæ naturæ consortes applicantibus pro rata portione, & ea certa ratione, quòd, vt ex articulo superiore patet, semper ab orbe condito & corrupto, voluerit Deus omnes homines sine exceptione saluos fieri, ac proinde necessaria, & illi desiderio conuenientia media singulis suppeditarit: hæc autem media, & hæ gratiæ, non alio quàm Christi merito & sanguine tincta sunt, quia *non est aliud nomen sub cælo datum hominibus in quo oporteat eos saluos fieri.* Quæ tam potens & efficax est ratio, vt qui præcedentis capituli veritati manus dederit, ab hac resilire nullo modo possit. Quod autem obiiciunt illi, iam mortuis & damnatis posteriorem tempore passionem prodesse non potuisse. Respondent isti, non profuisse illo temporis momento ad eos ex inferno educendos, in quo nulla est redemptio; sed antea vt possent illò non deuolui, quemadmodum & alij qui Christum præcesserunt sancti, eius intuitu & merito salutem sunt assequuti.

Hincmar. l. de præd. c. 32. de turbis præcedentibus & sequentibus Christum.

Act. c. 4.

Delirus quidam, vt loquitur Hincmarus, quem nos Scripturarium appellamus, de Antichristo mentionem intulit, sequutus, vt solet, Epistolarium, qui antè de nunquam credituris dixerat, *in quibus vtique & homo ille nondum natus, Antichristus erit.* Illorum opinio est, insulsè & ineptè dici, Christi sanguinem Antichristo profuturum, quem credimus ad omnia flagitiorum genera fore pessundatum. Vnde consequitur Hincmari thesin etiam illa ex parte stare non posse, omnes post aduentum Christi non credituros, eius sanguine redemptos esse, quando vnus ille saltem ex eo numero debet eximi. Respondeat aliquis, hac ipsa vnius hominis, quanquam quis ille homo? exceptione ceterorum omnium regulam confirmari. Dicat extra chorum saltare Epistolarium, cùm obiicit Antichristum in ea quæstione, quæ est de non credituris defectu prædicationis: cui certum est Christi religionem fore notissimam, & in ea non suscipienda, imò omni diritate vexanda, non peccaturum minùs, quàm Neronem & Diocletianum; quàm Scapulam, & Dacianum, quibus & lingua, & sanguis martyrum veram fidem prædicabat.

Christus passus & pro Antichristo.

L. de tenenda verit. Scr. c. 14. L. de trib. epist. c. 18.

Aliter satisfacit Hincmarus, & inter plurima quæ de Antichristo commemorat, hoc primum admonet, hominem fore, & comitem, atque ad scelera omnia impulsorem habiturum Diabolum, non insessorem. Deinde, reprobum fore, & reproborum omnium, quotquot ante eum fuerint, & tum erunt, caput futurum, vt sub eo impij omnes, tanquam membra, funestissimum corpus conficiant: non tamen vt pij sub Christo capite, à quo vim omnem & vitam accipiunt. Non enim ad impietatis influxum caput erit Antichristus, sed ad omnis nequitiæ cumulum & eximiam quandam, si sic loqui fas est, dignitatem. Quemadmodum de Herode Attico dicebat ille, sophistas omnes eius tantùm esse particulas: & Porcium Latronem Seneca vocauit *declamatoriæ virtutis vnicum exemplum.* Sic Antichristus impietatis omnis vnicum erit exemplum, ad cuius similitudinem insigniter improbi, dicuntur Antichristi. Quod annotare libuit, ne loqui pugnantia videatur Hincmarus, cùm producto ex Augustino Prædestinatorum omnium capite Christo, aduersùs eos qui volunt prædestinari alios ad interitum, sic exclamat. *Ecce caput, ecce lumen prædestinatorum, ecce prædestinationis exemplum. Quocirca qui reprobos ad interitum prædestinatos dicunt, dicant à quo sunt prædestinati, proferant prædestinationis illorum exemplum, ostendant caput talium prædestinatorum, demonstrent, quia lumen non possunt, tenebras eorum.* Non enim ab Antichristo prædestinantur reprobi, vt sancti à Christo: non intuentur in vitam Antichristi peccatores, vt iusti in Christum; non influit nequitiam in membra sua Antichristus, vt in fideles Christus: nihil impiis meretur

Qualis futurus Antichristus.

Hincmar. l. de præd. c. 27. Epi. c. 6.

Hincmar. ibid. c. 12.

Quomodo Antichristus sit caput impiorum.

Antichristus, vt piis Christus; vterque igitur longè diuerso modo suorum caput appellatur. Neque istud à re nostra multùm alienum intrudimus, siquidem in prædestinationem semper intentus Hincmarus, tertiò de Antichristo affirmat, ne ipsum quidem ad interitum esse prædestinatum, quantò ergo minùs eius membra & particulas? *Errant igitur qui etiam Antichristum cum membris suis à Deo prædestinatum ad interitum dicunt: quoniam nihil Deus prædestinat, nisi quæ ipso erant auctore facienda; vel quæ malis meritis iusto erant iudicio retribuenda.* Et post pauca. *Hinc ergo scitum est, quòd qui dicit, aut subintelligere susurrando contendit, quoniam Antichristus, vel quilibet reprobi ex Deo habeant causam perditionis, vel operatione ipsius pereant, non catholicus, sed insanus est, & si incorrigibilis perseuerare maluerit, ab ipsa etiam conlocutione fidelium propellendus.*

Ibid. epil. c. 6.

Quid ipsi collatura sit passio Christi.

Quòd si non est prædestinatus ad interitum Antichristus, ex eorum numero & ordine sit oportet, quos Deus vult saluos fieri, licèt non saluentur, & pro quibus Christus sit passus, licet passione reipsa non redimantur. Auxilia igitur gratiarum, quanquam valdè infirma, supra debitum tamen, & sufficientia, accipiet à Deo, per Christi meritum, qualia Pharao, & Iudas, & infideles: quæ quia graui sua culpa repudiabit, & criminum omnium labe turpificatus morietur, iusta Dei vindicis retributione punietur. Præter hæc, ad corporum resurrectionem, cum ceteris hominibus, eiusdem passionis merito perueniet, qualecunque istud apud impios beneficium videatur. *Nam cùm omnis caro redempta in Christo sit vt resurgat, & omnem assistere ante tribunal eius necesse sit, non tamen omnibus gloria, & honor est promiscuus resurgendi*, vt ait Hilarius: qui & *salutem resurrectionis* vocat, quam solam sine demutatione impij consequentur. Et Ambrosius, Paulinum illud explanans, *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur:* Christum ait morientem, *generalem omnibus tribuisse resurrectionem, vt sicut in Adam omnes siue iusti, siue iniusti moriuntur, ita & in Christo omnes tam credentes quàm diffidentes resurgant.* Sic & in Epistolam ad Romanos dixerat, resurrectionem Christi *generalem tribuisse resurrectionem.* Ergo *omnes homines resurgere habent cum corporibus suis. Si omnes, & ille homo de quo agitur, & si aliquid aliis reprobis, ipsius scilicet membris, passio Christi contulit, nec capiti denegauit.* Itaque verè dicitur mors Christi & passio nonnihil Antichristo collatura, licet irrito salutis effectu.

Resurrectio corporum beneficium passionis.

Hilar. in ps. 55. Hincm. c. 28.

1. Cor. 15. Ambros. in eum locũ.

Idem Rom. c. 1.

Hincmar. c. 27.

§. II.

Absurdæ responsiones aduersarij percurruntur.

Percurritur responsio libri de tenenda veritate scriptura. c. 13.

CONFECTO capitis huiusce spatio, & Patrum sententiis, atque erroribus Gotteschalci satis supérque declaratis, cùm liceat interiungere, aut vlteriùs progredi, retinet me tamen delirus iste Scripturarius, qui-cum potissimùm postrema hæc quæstio iubente Hincmaro disputata est, vt eius ad Capitulum istud responsiones quàm breuissimè percurramus, & ex promulside, qualitatem poculi agnoscamus.

Is ergo responsionem totam in tria diuidit capita, & in eorum primo, susceptionem humanæ naturæ ad eius vniuersæ redemptionem referri considerans in Capitulo Hincmariano, tria respondet. 1. Susceptionem illam in Christo non fuisse ex necessitate originis, sed ex gratia & dignatione. Hoc scilicet erat in quæstione? aliter vnquam docuit Hincmarus? Plurimùm refert ad redemptionem, si liberè, si necessariò, si ex origine, si ex gratia suscepta est, modò suscepta sit, & suscepta ad eius reparationem? 2. Admirabili potentia veritatem humanæ naturæ assumpsisse, non vitium; *vt illam suscipiendo saluaret, & illud non suscipiendo damnaret: ita electos suos, propter quos redimendos aduenerat, misericorditer suscepisse: reprobos autem quos indignos illa misericordia & redemptione iudicauit, alienos ab illa mirabili susceptione dereliquisse.* Quid istud est, suscepit electos, non suscepit reprobos, si vna vtrisque & eadem natura communis est quam suscepit? Intelligo equidem quomodo vitium non susceperit, naturæ perfectæ superadditum, aduentitium, extraneum: quomodo naturam susceperit quam Adamo dedit; non quam fecit Adamus, & posteris tradidit, si non vitiosas infirmitates exceperis; sed naturæ illius essentiam, bonis æquè ac malis communem, quomodo susceperit quà bonorum est, dereliquerit quà malorum, intelligant qui possunt, ego non percipi à me fateor. Quid verò istud aliud est, malos indignos misericordia iudicauit, & à susceptione dereliquit? Quos enim dignos, quos indignos præ aliis vidit, & iudicauit? in æterno inquam illo susceptionis decreto, cùm totum genus humanum nihil adhuc erat, quàm immensa corruptionis massa: fuerúnt-ne tum alij digni qui susciperentur, alij indigni? Vnde enim illi digni? Ex operibus suis? at suscepti sunt ex gratia: *Si autem gratia iam non ex operibus; alioquin gratia, iam non est gratia.* Istis antè dignis quàm suscipiantur, an potest dicere Apostolus, *Quis est qui te discernit?* Meliùs dicamus, indignos fuisse omnes, & omnes susceptos, vt digni efficerentur. 3. Prosequitur subtiliùs, magisque philosophicè istius susceptionis naturam inuestigare. *Nam si diligenter consideretur, nescimus si etiam de quolibet homine conuenienter dici possit, quòd omnium hominum naturam nascendo assumpserit.* Quem locum ita citat Hincmarus. *Et post hoc scriptum Capitulum, quidam rusticus de illius* (Gotteschalci) *schola, libellum contra hæc Capitula scripsit, cui ista inseruit. Nam si diligenter*, & quæ sequuntur. *Quæ à quibusdam de Gotteschalci schola dyscola dici audiuimus.* Nos & hos, & illum ad Logicorum filios & Porphyrianam Isagogem remittimus, visuros quomodo natura communis vna participetur à pluribus, & quàm benè à physico sensu, diuertat ad moralem, qui hanc ita concludit quæstionem, *Quod illa humana natura in Christo susceptio infideles huius misericordiæ reliquit exortes: & eis solis præstitit, vt habeant communem naturam cum Christo, qui assumentem recipiunt, & eo spiritu sunt regenerati, quo est ille progenitus.*

Primum caput responsionis, de susceptione naturæ.

Esse susceptos electos, non infideles.

Dignos esse susceptos, non indignos.

Rom. c. 11.

Quemlibet non assumere naturam communem omnibus.

Hincmar. c. 29.

Secundum caput responsionis, & ridiculè proponitur ab Hincmaro, & à nobis aliqua

Secundum caput re-

sponsionis. c. 14. ex parte decursum est, & ipsum in tria membra dissectum, 1. De infidelibus ante Christi passionem mortuis, & proinde damnatis, *Absit*, inquit, *omnino, vt pro illis passus esse dicatur; sicut pro impiis & damnatis Angelis nullatenus dicendus est passus.* Et probat, quia catholica fides docet à Christo descendente ad inferos, è subterraneis illis carceribus eductos esse solos in Deo, & vera fide & caritate quiescentes, non perfidos & inferni suppliciis addictos. Respondet Hincmarus, Angelorum apostatarum comparationem, ridiculè & superfluè huc aduehi, quia *nusquam Angelos apprehendit Deus, sed semen Abrahæ apprehendit.* De hominibus quod dicitur, obscurari æquiuoco; non enim scripsisse se, quod supponit obiectio, nullum esse hominem quem Christus passus, ad salutem non redemerit; sed pro quo passus non fuerit licèt non omnes mysterio passionis redimantur. Quorum dictorum quum sit manifestum discrimen, ruat obiectionis moles necesse est: & residat labor probandi, damnatos infideles ex inferno ereptos non esse, quod nemo catholicus, post Origenem, aut negat, aut disputat. Quia tamen sua venditant singuli, tanquam immani errore profligato, gloriosum canitur epinicium. *Vnde cesset hæc noua & inaudita definitio, imò noua & inaudita præsumptio*, quam nemo eius sensu proposuit, quam ipse sibi finxit intellectam ab aduersario. Et paulò post. *Hoc itaque catholicum est, hoc fidei Ecclesiæ ab initio commendatum: hoc diuina & paterna auctoritate firmatum. Et ideò abiiciatur procul fallax & inane commentum.* Quodnam illud? Mortuos impios ab inferis liberatos? Hoc non sentit Hincmarus, sed tu prauè intelligis. Pro illis Christum ita passum dici, vt ipsis ea passio nonnihil profuerit, & per eam potuerint saluari? Hoc sentiunt cum Hincmaro citati Patres omnes, & ratio suadet, & Ecclesiæ vsus ostendit, quod apud te vnum, tuique similes *fallax & inane commentum* est.

Damnatos, à Christo non esse ab inferis liberatos.

Hincmar. c. 27.

Hebr. c. 2.

Ibid. c. 27. 34.

2. *Catholicam fidem tenere*, pro fidelibus omnibus baptizatis passum esse Saluatorem. Et hoc magnificè prædicat Hincmarus, neque ad illud conficiendum exquisitis opus est testimoniis.

Pro fidelibus Ecclesiam orare.

3. Pro solis illis esse mortuum, non autem pro infidelibus. Cui definitioni probandæ argumentum illud maximè vrget, quòd pro solis fidelibus defunctis preces & sacrificia offerat, & ab alumnis suis offerri permittat Ecclesia, non pro infidelibus, ne pro catechumenis quidem. Futile argumentum, cuius propositione concessa, verissimè negatur consecutio. Siquidem plurimos è baptizatis, pro quibus mortuum Christum fusissimè profitetur, habet extorres à precibus post mortem Ecclesia, vt hæreticos & apostatas, Iulianum Cæsarem, Porphyrium, Nestorium, Arium, & innumeros. Excommunicatos quoque & reconciliationis rogandæ negligentes, ad altare non commemorant Sacerdotes. Publicorum criminum reos, qui nullam pœnitentiæ partem, ne in morte quidem attigerunt, neque sepultura, neque suffragiis dignatur mater offensa. Circa hæc tempora ad vsum Ecclesiæ suæ Capitula collegit Archiepiscopus Turonensis Herardus, in quibus lego, orationibus, eleemosynis, & missarum celebrationibus defunctos impios carere debere, *Quoniam nec eorum eleemosyna à Sacerdotibus, vel reliquis fidelibus accipienda est, nec sepultura fidelium tribuenda.* Et iterum: *De his qui sibi quacunque negligentia mortem inferunt, aut pro suis sceleribus puniuntur, nulla pro eis fiat oblatio, nec cum psalmis ad sepulturam ducantur.* His positis, telum tuum in te conuerto. Pro iis solis passus est Christus quos orationum sacrificiorúmque suffragiis defunctos prosequitur Ecclesia: Hanc enim propositionem tua exigit argumentatio. Sed defunctos illos quos commemoraui, licèt in Christo per baptismum regeneratos, orationibus suffragiisque suis non iuuat Ecclesia; quod vsus vetustissimus, & temporum memoria declarat: Illis ergo sic defunctis Christus non est mortuus, etiam baptizatis, & aliquando fidelibus. Vide quid ex hoc syllogismo velis eximi & repudiari; propositionem, an assumptionem? Quòd si vis, vt, secundùm Cælestinum, legem credendi lex statuat supplicandi, quid curris ad mortem? specta quid præstet Ecclesia superstes in terris. Idem tibi Cælestinus, Prosper ex Apostolo, Hincmarus ex vsu Ecclesiæ Romanæ, Iudæos, Paganos, catechumenos ostentat, pro quibus ad fidem perducendis supplicat, *Per Dominum nostrum Iesum Christum:* neque id nullo effectu, vt notat Cælestinus, quando vi precum illarum conuersos læta suscipit, Deóque & Seruatori gratias persoluit. Censet ergo non pro iis tantùm qui ad illuminationem perueniunt mortuum esse Christum, sed etiam pro reliquis non venturis, quas supplicatione sua complectitur. Post hæc tam superfluè disputata, promittit auctor iturum se pedibus in Hincmari sententiam, si eam Patrum auctoritatibus probare potuerit. Et quasi re bene gesta, victis triumphatísque hostibus omnibus, sibi intus canit. *Si vero non potuerint, cessent contendere pro eo quod non legunt. Pudeat eos definire quod nesciunt. Timeant statuere quod nullum Sanctorum Patrum Concilium, nullum Apostolicæ Sedis Pontificum, nullum Ecclesiasticorum dogmatum decretum, hactenus inueniant statuisse.* Quod vt quærere desinant, non illi quidem Remensis æmuli; sed moderni, & reexorti Gotteschalcani Sodales, Tridentinum illis Concilium offero, iisdem penè cum Hincmaro verbis rem explicans. Dixit enim Prædestinatianorum insectator, *Quod licet Christus pro omnibus fuerit passus, non tamen omnes ad æternam salutem mundi pretio, id est, passionis eius mysterio sunt redempti.* Tridentini autem Patres ita dicunt, cum Scriptura. *Hunc proposuit Deus propitiatorem per fidem, in sanguine ipsius pro peccatis nostris: non solùm autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi. Verùm etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt: sed ij duntaxat quibus meritum passionis eius communicatur.*

Pro solis fidelibus mortuis.

Refellitur.

Herardi Capitul. c. 116.

Ibid. c. 134.

Incidit in dogma Gotteschalci.

Concilij Tridentini sententia.

Hincmar. c. 34.

Concil. Trid. sess. 6. c. 2. 3.

Tertij capitis responsio laborat æquiuocatione dicam, an ignorantia? Ridet enim Hincmarum, & *absurdissimam* eius *definitionem* appellat, qui dixerit, Christum pro

Tertium responsionis caput. c. 5.

impiis in sua impietate pereuntibus esse passum: & fideles quoslibet baptismo regeneratos, non esse eius passione redemptos. Cùm ipse contrarium penitus velit affirmari, fideles quoslibet redemptos, nullos impios. Nimirum duo ista in eandem significationem confundi putat, Christum esse passum pro illis, & illos à Christo esse redemptos; quæ manifestissimè distinguit Hincmarus, & passum pro iis dicit, quibus Christi passio aliquid contulit: ij certè sunt omnes homines modo explicato, *nec est qui se abscondat à calore eius*. Verùm ex iis omnibus seligit redemptos, qui reipsa merito passionis, & sanguinis pretio benè vsi, æterna morte liberati, in vitam æternam asserti sunt. Ab hac redemptione sua culpa exclusi sunt & infideles omnes; & ij ex fidelibus, qui fide mortua contenti, per dilectionem, quæ vnica animæ vita est, Deo & Christo viuere neglexerunt. Sic enim Prosper loquitur, quem libens describit Hincmarus. *Redemptor mundi dedit pro mundo sanguinem suum; & mundus redimi noluit, quia lucem tenebræ non receperunt: & tenebræ receperunt, quibus dicit Apostolus, fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*. Habes Redemptorem mundi, redemptionem suam omnibus offerentem: sed alios redimi, hoc est, oblato beneficio vti recusantes; alios bene vsos, & reipsa redemptos. Recusant autem non infideles solùm, sed etiam fideles, qui morum sanctitatem, fidei veritati non adiungunt, ipsi tenebræ, & filij tenebrarum, *qui dicunt se nosse Deum, factis autem negant* sæpe infidelibus deteriores.

Pro quibus passus est Christus, non omnes redempti.

Prosp. obiect. Gall. 9. Hincm. c. 8.

Et eas quidem voces ita distinguere & propriè loqui, subtilis æmulorum inuidia coëgit Hincmarum, cùm omnino etiam impij & pereuntes, quanquam minùs propriè, redempti dici possint, vt modò sine scrupulo vox illa promiscuè vsurpari debeat. Nam & idem Prosper *pro totius mundi redemptione Saluatorem crucifixum* ait, Et *sanguinem Domini pretium esse totius mundi: à quo pretio extranei sunt, qui aut delectati captiuitate, redimi noluerunt*, pretium pro se datum sibi applicare recusarunt, *aut post redemptionem* actualem & partam libertatem, *ad eandem sunt seruitutem reuersi*. vel in hæresim, & apostasiam deuoluti, vel à criminibus mortalibus subiugati. Nihilominus verbi proprietatem saluatis solis asserit. *Cum itaque propter vnam omnium naturam, & vnam omnium causam à Domino nostro in veritate susceptam, rectè omnes dicantur redempti, & tamen non omnes à captiuitate sunt eruti, redemptionis proprietas haud dubiè penes illos est, de quibus princeps mundi missus est foras, & iam non vasa diaboli, sed membra sunt Christi*. Quæ demum addit auctor ex Isaia, *Extendi manus meas tota die ad populum non credentem, & contradicentem mihi*. neque ad hanc sententiæ Hincmarianæ partem spectant, neque veram continent expositionem; vt de iis tantùm capienda sit illa oratio, qui, cùm viuente Christo non credidissent, & eius doctrinæ miraculisque contradixissent, post resurrectionem; eius sanguinis merito conuersi & redempti sunt quem effuderunt. Quasi non & ea verba omnes æquè Iudæos aspiciant, quorum Christus ipse incredulitatem & obstinationem mirabatur. Sed hæc satis, donec isto de tractatu sensum nostrum aperiamus.

Verè omnes redempti aliquo sensu.

Prosp. ibid. 9.

Qui propriè redempti.

Idem contra Vincent. act. 1.

Is. 65.

CAPUT X.

De Conuentu Senonensi pro Æneæ Parisiensis Episcopi ordinatione.



PERACTA Synodo, probatisque Capitulis, vix in sua discesserant singuli; cùm Conuentus alterius conuocandi nata est occasio. Nam Ercamrado Parisiensi Episcopo, qui Concilio Suessionensi cum Hincmaro, Wenilone, Prudentio, Pardulo, & reliquis interfuerat demortuo, dandus fuit successor, Metropolitani Senonensis, & Comprouincialium Episcoporum auctoritate ministerióque sacrandus. Erat in flagrante apud Carolum Regem gratia Æneas, Notarius sacri palatij, probatissimis vir moribus, *inter graues probabilésque personas; & sanctitate feruentes* spectatus, vt loquitur Clerus Parisiensis, *Quem Rex in diuinis humanisque rebus sibi fidissimum multis experimentis probauerat*, qui & ipse Suessionensi Concilio præsens interfuerat, & subscripserat postremus ordine. Illum Rex infulis idoneum arbitratus nominat, Clerus Parisiensis secularis æquè ac Regularis, cum magna virtutis commẽdatione à Wenilone ceterisque Senonicæ Prouinciæ Episcopis ordinari postulat, ea epistola quæ modò inter Ferrarienses legitur. Tam iustæ petitioni annuit Wenilo, annuunt Episcopi, sequente Lupi Abbatis epistola, quæ an à Lupo scripta sit, cum superiore parum interest scire: si tamen tantùm alterius earum quis volet ipsum auctorem facere, in secundam meo iudicio rectiùs inclinabit.

Causa Conuentus Senonensis.

Apud Lup. Ferrar. ep. 98.

Idem epist. 99.

Necessarium magis est attendere, hanc epistolam non ex Concilio datam esse, post Æneæ ordinationem, sed ante Conuentum, cùm Wenilo Parisiensibus respondens, significauit acceptum habere se quem elegerant, nihilque prohibere, quò minùs ad ordinationem accederet. Id mihi duobus locis ipsa de se persuadet epistola. In titulo primùm, vbi Prudentij Trecassini nomen legitur, quem certò constat Conuentui non interfuisse: ac licet legatum miserit qui suo nomine subscriberet, nunquam tamen legati illi mittentium nomen, suo suppresso, subscriptionibus apposuerunt: & Presbyteri missi, post Episcopos semper, (si Romanos excipis) subscribere debuerunt. Quorum neutrum hoc loco seruatum cùm videam, apparet Epistolam à solo Wenilone, Coëpiscoporum nomine fuisse scriptã; facilè sibi persuadente, aduersùs talem virum obnunciaturum neminem. Deinde ad finem epistolæ *promouendus* dicitur Æneas, non promotus. *Quamobrem electionem vestram in eo factam, Deo propitio libenter sequimur, vt eum profuturum populo eius, ad dignitatem Pontificatus promouendum concorditer decernamus*. Hæc est igitur tantummodo electionis approbatio, non consecrationis testimonium. Quòd si, vt audiuit Synodus Suessionensis in causa Hincmari, *litteras canonicas sacri canones ordinatum*

Hæc epistola ante Conuentũ scripta.

Concil. Suession. II. act. 3.

à suis ordinatoribus accipere iubent, diem præferentes & Consulem, profectò eiusmodi hanc esse epistolam nemo dixerit. Quod ergo in conclusione additur, *ordinationi autem eius subscripsimus concorditer vniuersi*, de futura ordinatione intellige, quam omnibus gratam fore significat. Quam obseruationem memoriæ tuæ cupio, Lector, infixam, vsui videlicet aliquando futuram.

Qui Episcopi conuenerint. Itaque sic probato Electo, Senonas ad conuentum ex suffraganeis sedibus conuenitur. Erant autem illæ sex; nam vidua Parisiensis sponsum petebat. In epistola Lupi primus nominatur Heriboldus, qui & sæpe aliàs Heribaldus, Autissiodorensis, quem Dissertator fuisse vult hæreticum Stercoranistam, & non planè vt solet ex coniectura. Habet enim in hac assertione ducem ex antiquitate: quanquam nullius nominis, vel auctoritatis. Cui hac in parte fidem esse abrogandam monstrabit appendix; assentiente vt speramus, Præside optimo, qui gaudebit in sinu *sanctam ac venerabilem* sex Episcoporum Synodum, vno ex illis hæretico non dedecorari. Agius sequitur Aurelianensis, de quo nihil ad memoriam illustre narrant historiæ. Herimannus Niuernensis, infirmitate corporali notissimus: quem idcirco à sacris, & Episcopatus officio diu remotum, & sanitati aliquantisper redditum, hoc ipso anno Synodus Vermeriensis secunda redintegrauit, mense Augusto. Aliquantisper dixi; nam Wenilo ipse postea cum Prouincialibus suis graues de illo ad Nicolaum Papam querelas detulit, de quibus ita Pontifex. *Suggeris sanctitas vestra, Herimannum Episcopum morbum incurrisse, quo diu impeditus est Episcopale rectè implere officium. Sensus enim, vt vestra ipsa verba ponamus, aliquoties integritate priuatus, quædam insano simillima admittebat.* Qua ex narratione duo discimus, & qualem potuerit in conuentu sententiam dicere, & quo tempore celebratus sit ille conuentus, post mensem Augustum, quo postliminio restitutus est Herimannus.

Concil. Vermer. II.

Nicol. P. P. ep. 4.

De Heriberto, vel Hucberto Autissiodorensi. In duobus quæ sequuntur nominibus tenebras historicas pati me fateor, neque eas aliter dissipare posse, quàm professa loci corruptione; quod est ignorantiæ criticæ commune perfugium, non hoc tamen loco penitus contemnendum. Nam & in primi Episcopi nomine, suprà legebamus Heriboldum, quæ Sirmondi correctio est, cùm editiones aliæ, Heribertum præferrent, cuius nominis Autissiodorenses tabulæ toto illo seculo neminem agnoscunt. Tolerabiliùs Hucbertum dixissent, Heriboldi præcessorem. Sic enim in MS. catalogo Episcoporum Concilio Suessionensi subscriptorum legimus, statim post Ercamradum Parisiorum Episcopum. *Heriboldus Autissiodorensis Ecclesiæ Episcopus statuta prædecessoris mei Hucberti relegi, consensi.* Successit Heriboldo Abbo frater, in Tullensi Concilio apud Saponarias, post Æneam Parisiensem, nominatus. Cùm ergo debuerit in Wenilonis epistola, vel Hucbertus legi, vel Heriboldus, non potest non mendosè Heribertus adsciscí, vt error primi nominis, non inane sit postremorum præiudicium. Quanquam neque præcessor hic nominatus placet, quando Heriboldus annos quatuor & triginta Ecclesiæ Autissiodorensi præfuit. Vnde igitur præcessoris Hucberti statuta reuocaret relegenda & consensu firmanda? Quare cùm neque Sedis vnius duo esse possint Episcopi, neque vllus apud Autissiodorum fuerit Heribertus, & ante annos plùs minùs triginta esse desierit Hucbertus, ex hoc vterque numero expungendus est, & in Autissiodorensi cathedra solus, quod tempus & ratio postulat, retinendus Heriboldus.

De Burchardo Episcopo Carnotensi. Non absimilis difficultas sequitur in penultimo nomine Frobaldi Carnutum Episcopi. meliùs Frotboldus dicitur. Sed de nomine leuis est quæstio, vbi de Sede, eiúsque tempore disceptatur. Certum enim habeo, ídque Concilij secundi Suessionensis manifestè docet historia, hoc ipso anno in illo Concilio iussum ordinari Burchardum, sacrum magistratum gessisse. Sic enim Patres: *De Burchardo etiam qui Carnutum Ecclesiam tenebat, statutum est, vt aut se idoneum ad sumendum Episcopalem gradum, admonitu Guenilonis Metropolitani Episcopi ostenderet, aut certè pronam in se Principis clementiam cognoscens, cederet, in vtroque Dei iudicium experturus.* Quid est, *tenebat Ecclesiam?* Electus, & vt tum loquebantur, Vocatus eius ciuitatis Episcopus, nondum erat consecratus: vetabat tamen ne quis alius sedem occuparet. Quare cùm se paratum ad diluenda, si quæ obiicerentur, crimina ostendisset, séque Dei iudicio purgare non abnueret, nemine accusante, *decreuit sancta Synodus ne diu Carnutum sedes vacaret: sed directis illuc secundùm voluntatem Metropolitani Episcopi venerabilis Guenilonis, qui electionem præfati Burchardi recognoscerent, & ipsi referrent, optantibus canonicè ordinaretur Episcopus.* Vacabat ergo tum sedes Carnutum, vacassétque diutiùs, si longo iudicorum processu Burchardi mores examinati forent, atque is iure suo ad Episcopatum, cedere coactus, vir apud aulicos potens, & Wenilonis propinquitate tumidus. Vbi tum ergo Frotboldus? aut si erat Frotboldus Episcopus, quomodo *sedes Carnutum vacabat?* quo iure eam *tenebat Burchardus?* quamobrem *optantibus canonicè ordinari Episcopus iubebatur?* Hoc autem ita factum esse, monstrat in primis eius ipsius in Concilio subscriptio, quam ex manuscripto antea produximus. *Burghardus sanctæ Carnotensis Ecclesiæ vocatus Episcopus, his definitionibus interfui, & consensi: postea autem gratia Domini, eiusdem vrbis Episcopus, easdem relegens subscripsi.* Deinde Caroli Capitulare, quo *in ipso anno, & in ipso mense Nouembrio* missis dominicis mandata dantur, & inter illos nominatur Burchardus Episcopus, cum Hrodulfo, & Henrico Abbate monasterij Corbionis, qui & ipse huic Concilio Suessionensi subscripsit inter Abbates: Frotboldi nulla mentio.

Concil. Suession. II. can. 3.

Burchardi duplex subscriptio.

Carol. Capitul tit. 12.

Quomodo censeatur Frotboldus Carnotensis eidem Concilio subscripsisse. Neque moueat, quòd in eodem manuscripto catalogo subscribentium, id habetur expressè. *Frotboldus Carnotensis Ecclesiæ Episcopus consensi & subscripsi.* Nam extra locum & tempus Concilij subscripsisse nonnullos, probant quæ de Burchardo ipso, & Heriboldo modò referebamus, quódque subscriptus & hîc paret Herimannus Niuernensis, quem aliquot post istud Concilium mensibus, redditum sedi suæ constat ex dictis. Neque nouum est ad absentes

Conciliorum decreta deferri, quæ subscriptione confirment; quando seculi quinti Thalassius fuit, Episcopus Andegauensis, qui Turonensis Concilij definitionibus *ad se transmissis subscripsit absens in ciuitatula sua.* Neque ego Burchardi præsentiam in Concilio, ex subscriptione simpliciter probare contendo, sed ex insitata subscriptionis iteratæ forma, & ex ipsis Concilij actis, quæ vacantem, & à solo Burchardo electo occupatã Ecclesiã repræsentant: qui cùm iubetur consecrari, certè Frotboldos omnes excludit. Quis enim credat eo in Concilio, in quo tam diligenter excussa est ordinatio Hincmari, quæ ne vmbram quidem habuit vitij, præter Ebbonis præcessoris superstitis vitam, quamuis longè dissiti, depositi, excommunicati, ad laicam tantùm communionem à Romanis Pontificibus admissi, fuisse decretam ordinationem Burchardi, viuo & sedente apud Carnutes Frotboldo? Credendum potiùs est mortuo Burchardo successisse Frotboldum, & data occasione opportuna, Concilij celebris decretis domi subscripsisse. Id quomodo fieri potuerit, quærant alij: nam ab ineunte hac quæstione tenebras & ignorantiam professus sum in Frotboldo. Quem aliqui sedisse aiunt annos quatuordecim, & anno seculi quinto & quinquagesimo, id est, biennio post hæc in Concilio Suessionensi de Burchardo decreta, à Danis Nortmannis interfectum: cùm tamen aliis, Burchardi Pontificatus ad decennium ab hoc Concilio prorogetur. Sebastianus Rouïllardus in Parthenia Carnotensi vernaculè scripta, post Democharẽ, narrat Huchardum, siue Burchardum, Pontificatum Carnotensem accepisse anno 815. sub Ludouico Pio, & annos 26. sedisse: huic successisse Frotboldum, cuius tempore Carolus Caluus Rex & Imperator, B. Virginis Camisiam Carnotensi Virginis Pariturræ templo obtulit. Quæ omnia relinquo in medio, & ex certissimis actis Concilij Suessionensis accipio, Burchardum hoc anno, non Frotboldum Ecclesiæ Carnotensi præfuisse. Nimirum nouis in dies veterum scriptis reuiuiscentibus, certior apud nos recentissimorum debet esse fides, quàm recentiorum.

Concil. Turon. I. tom. 1. Concil. Gall.

Demochar l. de missæ sacrif. c. 18. Sebast. Rouïllard. in Parthen. c. 10. Robert. Gall. Christ.

Quis fuerit Burchardus.

Quod vt ampliùs confirmetur, & quis iste Burchardus fuerit intelligatur, lubet animi gratia Reuelationes Audradi Modici ex M S. Sirmondi codice in historiam Francorum immissas, huc referre, quæ hoc ipso anno 53. quem nonum induciarum vates appellat, de Burchardi electione & consecratione sic loquuntur. Narrat enim Audradus, se Carolo Regi, præsentibus testibúsque principibus Ecclesiarum Wenilone, Hincmaro, Amalrico, Leopardulo venerabilibus Archiepiscopis, mense tertio, retulisse quæ antea reuelante Christo didicerat. non sine querela, quòd S. Martini basilicam, quod promiserat, non refecisset. *Sed ad prouocandam adhuc iram omnipotentis, accersiuit quendam Diaconum nomine Burchardum, qui erat partibus Hlotarij Regis:* Lotharius autem eodem anno 53. Carolum fratrem inuisisse, & eius filiam è sacro fonte suscepisse, narratur in Annalibus Bertinianis; vt credere possimus venisse cum eo Burchardum, & ab illo, Regi Carolo commendatum fuisse. *Et commendauit illi Ecclesiam Carnutensium, vt esset in ea Pontifex, ac si nullum in regno dignioris nominis Clericum inuenire potuisset. Et dixit Weniloni Senonum Archiepiscopo, vt eum ordinaret Episcopum. Vocauit autem me idem Archiepiscopus, & dixit. Scio ad iram Dei prouocandam, Regem nostrum Karolum egisse, vt Burchardum à partibus Hlotharij euocaret, & pastorem Ecclesiæ constitueret. Nam de eo per vniuersas regni huius Ecclesias* fama, & dictu horribilis diuulgata est. Sed si esse posset, vt Dei iracundia non prouocaretur, quia apud seculi causam strenuus esse dignoscitur, rogo te omnimodis vt ores Deum, quatenus dignetur tibi ostendere, si esse possit vllo modo, vt secundum eius voluntatem idem Burchardus fieri mereatur Episcopus. Nam ego si esse posset, satis hoc vellem; est enim mihi consanguineus.* Post hæc non quæris, Lector, Cur tamdiu dilata sit Burchardi consecratio? cur conuentus ab Episcopis in Concilio, & ad canonicam purgationem sit inuitatus? Quid causæ fuerit cur accusationem aggredi nemo sit ausus? Addo etiam, assumptum ex alia prouincia, quod vehementer improbat Nicolaus Pontifex, occasione Egilonis, quem Weniloni successorem dabat Rex Carolus: ab eo non exigi litteras postulantis cleri populique Carnotensis, non eius Episcopi à quo Diaconus fuerat ordinatus, ex mera Caroli voluntate, procerum fauore, Wenilonis beneuolentia fieri omnia. Sequitur, rogatu Wenilonis oranti Legato Ecclesiarum Audrado, apparuisse Christum, & dixisse, *Maledicta dies qua erit Burchardus Episcopus.* Angelum autem explicatiùs addidisse; *Omnibus diebus quibus fuerit Burchardus Episcopus, stillabit ira Dei super omnes Ecclesias. vsque ad ruinam illarum: idcirco excommunicando prohibet ordinatorem eius Altissimus, ne imponat illi manus in benedictione Episcopali.* Quæ cùm Vates ipse Archiepiscopo Weniloni, Wenilo Regi retulisset, *Ego*, inquit, *conuentui Episcoporum qui ob hoc Senonas conuenerunt, monente iam dicto Archiepiscopo retuli illud.* Cui Conuentui? Qui post decretum Concilij Suessionensis de ordinando Burchardo indictus, hoc negotium parabat.

Audrad. Modicus Reuelat. c. 15. tom. 2. hist. Franc. Annal. Bertin. ad an. 853.

Forte crudelis.

Nicol. PP. epist. 54. ad Carol.

Et fortasse illud ipsum est nostrum Æneæ simul consecrandi, vt sic loquar, Concilium; neque repugnat tempus, quando Ercamradus tertio Id. Maias mortuus locum successori vacuum reliquit; neque longum temporis spatium ad regiam Æneæ nominationem, cleri Parisiensis postulationem, electi acceptationem necessarium fuit, vt sequenti mense rebus Burchardi iam confectis, consecrari simul vterque non potuerit. Quid enim accidit? Episcopi *primo quidem noluerunt ordinare Episcopum eundem Burchardum, tam euidens Dei oraculum pauescentes.* Æneam verò nihil morabatur. *Sed imperium Regis postea, & multorum Episcoporum, ac Principum regni consensus praualuit, & mense quarto anni induciarum noni, ordinatus est Episcopus.* Quis sit ille mensis quartus non facilè dixero. Non potest enim duci à Ianuario, quia exeunte Aprili, qui quartus anni mensis est, habitum est Suessionense Concilium, quo causa Burchardi cognita, decreta est ordinatio. Credat aliquis annum induciarum numerari à Propheta: sed ille quo mense

Coniectura de ordinatione Burchardi Carnutensis.

incipiat penitus ignotum est, in Codice manuscripto deficiente visionis initio, quo probabile est mensem & diem orationis annotatum. Nulla lex chronologiæ vetat nos ab mense Martio inchoare, & mense quarto, id est Iunio, factam Burchardi, atque Æneæ ordinationem conijcere potiùs quàm asserere. nam & paulò post irruptionem Nortmannorum factam ait mense nono, quem alij suo nomine Nouembrem vocant. Igitur à Martio numerare incœpit. Nisi forte ad Herimannum respectemus, qui mense tantùm Augusto reuocatus in Sedem, si Æneæ ordinationi censetur interfuisse, non potuit Æneas cum Burchardo mēse Iunio consecrari. Sed istud leue est, & ex coniectura. Quod nostra interest, ordinatus est Burchardus, excludendus ergo Frotboldus: & minis cælestibus, atque obnunciationi propheticæ in perniciem publicam respondit euentus: *& omne malum, iterum ceu reuiniscens, super omnes Ecclesias, velut intolerabilis maris procella, superinnundauit: vt nulli dubium esse posset, fideli aut infideli, ira Dei cælitus Ecclesias omnes, & totum mundum vndique & vbique conquassari.* Interque cetera Gentiles Nortmanni flumine Ligeri occupato, Turonensem S. Martini basilicam orbe toto venerabilem, direptam incenderunt. Ante tamen asportato per Clericos sanctissimi Antistitis corpore, *quia euidenti certitudine hoc præscitum fuerat.* inquiunt Annales Bertiniani. Vnde porro certitudo hæc, nisi ab Audradi oraculo? Neque dubites quin Valentinum decretum, biennio pòst aduersùs indiscussos, inexaminatos, & scientiæ litterarum pene ignaros editum, Burchardum tangere potiùs debuerit, quàm Hincmarum.

Annal. Bertin. ad an. 853. n. 3.

Redeo ad catalogum Wenilonis, in quo postremus numeratur *Hildegarius Meldorum.* Quo iure, cùm adhuc præcessor Hucbertus viueret? Nam & Suessionensi subscribit post Prudentium, *Hucbertus Meldensis Ecclesiæ indignus Episcopus subscripsi.* Et paulò pòst in Synodo apud Vermeriam mense Augusto, inter ceteros legitur *Hucbertus Meldensium.* Neque Hildegarij Meldensis mentionem reperio ante annum 58. in Capitulari Caroli Calui; qui & in Synodo Tullensi ad Saponarias nominatur, eique de iudicio aquæ frigidæ, iudicium suum perscribit Hincmarus. Expungendus tamen ab hoc catalogo, vt suus Hucberto locus restituatur. Hic autem Ludouici Pij tempore, cùm ex Iuditha Regina natus est Carolus hic noster, ex præcentore sacri Palatij, Meldensis Ecclesiæ administrationem suscepit, & multa præcessoris Hilderici senio & morbo, per incuriam collapsa restituit, maximè *ad scientiam & religionem pertinentia.* Cùm ergo Carolus anno huius seculi 23. natus sit apud Franconofurt, annum in hoc Episcopatu trigesimum circiter egisse Hubertum intelligimus, cùm Æneas consecratus est.

De Huberto Meldensi reponendo. Capitul. Car. tit. 10. Ibid. tit. 14. Hincmar. epist. 4.

Hincm. epist. ad Carolum Aug. apud Sur. 9. Octobr.

Superest vnus Prudentius Trecassinus, in hunc locum dilatus, quia non ipse per se, sed per legatum suum interfuit consessui, & ea scripsit quæ sunt vlteriùs expendenda. Is ergo siue vera corporis infirmitate detentus, cui scimus obnoxium extitisse; siue hanc epistolæ scribendæ, & animi sui aperiundi occasionem aucupatus; simul ne præsens erubescere cogeretur, si Capitula Carisiaca recentissimè à se probata, & subscripta, viua voce impugnaret, scribit ad Archiepiscopum Wenilonem, & ceteros Episcopos, Epistolam quæ nescit erubescere, qua non aliter ordinationi Æneæ consentire se profitetur, nisi priùs ipse doctrinæ illa contentæ assentiatur, & subscribat. Nouum sanè factum, & Æneæ sine dubio ingratum, qui cùm *veracem doctrinam* suam non ignoraret Wenilonis Epistola, nomine Comprouincialium Clero Parisiensi missa, laudatam fuisse, mirari debuit à priuato vno, qui pronuper contraria cum Rege & Synodo professus fuerat, ad examen reuocari. Lator Epistolæ & portitor huius nouitatis Arnoldus Presbyter fuit, fatale huic officio nomen, nam apud posteros *Arnoldus de Brixia Petri Abailardi armiger*, cum antecedebat publicè disputaturum, vt S. Bernardus ad Innocentium Papam scribit, & inter cetera eius elogia hoc commemorat Episcopo Constantiensi, *solitum sibi allicere blandus sermonibus, & simulatione virtutum diuites & potentes: iuxta illud, Sedet in insidiis cum diuitibus in occultis: vt interficiat innocentem.* Huius ergo legationis testis est qui misit Prudentius: qui post excusatam valetudinem, ita subdit, *Quod autem possum præsentibus litteris, atque legato nostræ Ecclesiæ Presbytero Arnoldo, mei consensus præsentiam eatenus exhibeo, vt is qui ordinandus est, si Apostolicæ sedis omnibus institutis*, &c. *confitendo subscribere, & subscribendo confiteri voluerit, eius me ordinationi consentaneum esse profiteor. Sin aliàs, prorsus neque assentior, neque fidelibus Christi assentiendum suadeo.* Hæc est legationis summa, & quasi commonitorium Legato Arnoldo datum, qui, vt par est credere, ad hoc munus delectus non esset, si Episcopi sui pro capitulis illis zelum non induisset. Quid hæc autem Arnoldi legatio ad partem Gotteschalcanam momenti attulerit, inquiremus.

Prudentius mittit ad Synodum legatum & epistolam.

Arnoldus Presbyter.

Bernard. epist. 189. ad Innocent.

Idem epist. 195. ad Constant. Episc.

Prudent. in epist. ad Wenil.

Interim vt eius consessus apparatum colligamus, pro ordinando Ænea, non eligendo, non examinando, non approbando, sed simpliciter in Episcopum consecrando, cui officio & antiquo Apostolorum canone, & perpetuo vsu Ecclesiastico tres sufficiunt Episcopi, Prouinciales Episcopi à Wenilone conuocantur. Ad quod si omnes conuenerunt, quod admodum incertum est, reperti sunt Archiepiscopus vnus, Episcopi quinque, vnus Presbyter. Nimirum Wenilo sanè vita moribúsque venerabilis: Heriboldus, quem Dissertator facit hæreticum: Agius rebus gestis minimè clarus: Herimannus *sæpe ineptire* solitus, *& insano simillima admittere.* Burchardus, vetante Deo, malo publico creatus; Hucbertus vnus morum probabilium, qui ipse mutatur in alium: ac denum Arnoldus Presbyter, Prudentij quasi tabellarius: De quo, déque hoc conuentu magnificè scribit Dissertator. *Hic igitur celeberrimæ tanti præsulis tractoria fuit exitus, vt in sancta & venerabili Synodo exhibita, perlecta.* & quæ sequuntur, alibi reddenda commodiùs. Quid gloriosiùs de Synodo Nicæna magna, vel Chalcedonensi sexcentorum Patrum, déque Leonis ad Flauianum litteris scribunt historici? Quam ne pro Synodo quidem agnoscunt aut Conciliorum Galliæ tomi: aut Prudentius ipse, qui *Conuentum* appellat: aut mos Ecclesiasticus, qui ordinationes istas Episcoporum, ad quas Prouinciales

Summa Episcoporum collecta.

Dissert. c. 34.

Non est propriè Synodus.

conueniunt, in Conciliis fieri non cogit: aliàs Synodis redundarent Metropoles omnes, & quot Episcoporum consecrationes, tôt Concilia numerarent. Et hos titulos *sancta* ista *& venerabilis Synodus* meretur, quia Prudentij opinionibus adsensisse creditur, & catenus fauisse Gotteschalco: quæ verò Gotteschalcum primò damnauit Moguntiæ, tres Archiepiscopos cum omnibus Germaniæ Episcopis: quæ deinde flagellauit, Archiepiscopos duos, cum Episcopis vndecim & Abbatibus tribus, numerauit: vtraque nihilominus Placitum fuit. Hæc, quæ Capitula edidit, ex Episcopis & Abbatibus Monasticis præsente Rege collecta, non aliud quàm merum Conuenticulum, & Pseudosynodus extitit. Euge Præses æquissime! Nam quo nomine vocaret Arius Conuentus Nicænum, & Sirmiensem: Eutyches Ephesinum secundum, & Chalcedonensem; Pelagius Palæstinum, & Mileuitanum?

CAPVT XI.

Prudentius Trecassinus ei Conuentui per Legatum & Epistolam interest: quæ cur Tractoria dicta sit, exponitur.

Hac epistola prouocatus Hincmarus.



SECVNDVM mutatæ à Prudentio Trecassino sententiæ vestigium, transfugij in castra Gotteschalci alter gradus, belli aduersùs Hincmarum aperta denunciatio, hæc epistola est. Antea siquidem in illis partibus omnino stetisse, aut pro Gotteschalco contra Hincmarum directè scripsisse probari non potest; idque si fecisset, Capitulis omnino Carisiacensibus subscribere non debuisset. Causam huiusce mutationis ex Flodoardo aperuimus: à voluntate incœpisse vidimus, modò ad intelligentiam progreditur, vt fieri solet inter æmulos. Post primam Epistolæ & collectionis ad Hincmarum ipsum & Pardulum velitationem, quæ rem magis indifferentem, & vocem Hincmaro non omni ex parte odiosam suadebat, quæ Ferrariensem Lupum ab amicitia Remensis non abstraxit, clarè sonat classicum, & rupto Episcopalis amicitiæ fœdere, totis in pugnam viribus itur: & quidem ardore tanto, vt primo impetu omnes Hincmari machinas disiicere tentauerit. *Capitula*, inquit Hincmarus, *quæ Domnus Prudentius venerabilis Episcopus nobiscum constituit, atque firmauit, postea in hac epistola, de qua loquimur, ita confodit atque præposterauit, vt verbis aliis, & sensu contrario, & ordine immutato, illa quantum ex ipso fuit, disperdidit; nec plus trouenit quo illa disperderet. Si adhuc quartum modum inuenire potuisset, quo illa dissiparet, manifestum est quia voluntariè facere:.* Hac igitur Epistola punctus est Hincmarus, quod lacessentis fuit Prudentij; & ictum sensit Hincmarus, quod est pugnam acceptantis: vnde & duriusculè nonnunquam ad Epistolam, in libro de Prædestinatione respondet.

Hincm. l. de prædest. c. 26.

Qua ratione Tractoria.

Huic porrò Epistolæ nomen inditum est Tractoria, vnde granditer appellatur, *Celeberrima tanti Præsulis Tractoria*, quæ in solo Hincmaro, & ex solo ipso venit in hominum notitiam: neque vllus ante suscitatum à Sirmondo Hincmarum, scriptam à Prudentio sciebat Epistolam. Grandibus quoque litteris *Tractoria sancti Prudentij Episcopi Trecassini* inscribitur, tanquam nouum aliquid & inusitatæ eruditionis opus. Sed neque Vsserius, neque Dissertator vim eius nominis tali epistolæ assignati, vllo mihi verbo exponunt, quò velut abstrusum aliquod mysterium mirari cogar, non exquirere. Verùm non recusat ea vox operam iucundam sanè nec inutilem, vt altiùs repetendo, tramitem liceat deprehendere, quo nomen istud ad Epistolam Prudentij Arnoldo datam peruenit. Diuerticulum istud mihi concedi rogo, post longam disputationem, tanquam fesso viatori vmbram, & in herbido puluillo quietem.

ria vocari possit?

Diplomata quid?

Litteras Imperatorias, quibus priuilegia priuatis donabantur, antiqui Diplomata vocitarunt. Ea vox maximè in itinerum priuilegiis vsurpata, vt publicis equis & curribus, vt celerrimè, vt securi, vt immunes, siue impensis publicis, iter conficerent. Plutarchus in Galba, primas notat conditiones, *Consilibus proponentibus publicos famulos, qui Imperatori decreta ferrent, quibúsque obsignata quæ vocantur Diplomata ferrent, quæ cuiusque ciuitatis magistratus cognoscentes, in mutatione curruum, tabellariorum festinationem accelerant, non mediocriter Nymphidius excandescebat, quòd non à se sigillo & militibus acceptis, illa misisset.* Celeritatem quoque Plinius Iunior significat, cùm coniugi suæ ad amitam suam festinanti vsum diplomatum dedit, *quia talis officij gratia in celeritate consistebat.* Cui respondens Traianus, factum probat, *cùm apud amitam vxor deberet etiam celeritate gratiam aduentus sui augere.* Nunquam enim die noctúque iter intermittebant. Securitatem docet Seneca, cùm de adulteris ab Augusto relegatis, *Quòd quoscunque ob adulterium filiæ suæ damnauerat, adeò non occidit, vt dimissis, quò tutiores essent, diplomata daret.* Sumptum ex ærario publico datum monstrabunt sequentia. His appositi dies, vel quibus data, vel quibus duratura erant, vt monet Plinius, *Diplomata, Domine, quorum dies præterita, an omnino obseruari, & quamdiu velis, rogo scribas.* Respondet Traianus: *In vsu esse non debere. Ideo*, inquit, *inter prima iniungo mihi, vt per omnes prouincias ante mittam noua diplomata, quàm desiderari possint.* Res omnino sacra, & absque Principis indulgentia nemini, vt vides, concedenda. Quam proinde si qui adulterarent grauiter puniti, vt paret ex Modestino ad legem Corneliam, *Qui falsis insignibus vsus est, vel falso diplomate vias commeauit, pro admissi qualitate grauissimè puniendus est.*

Plut. in Galba.

Plin. l. 10. epist. 121. & penult.

Ibid. epist. 122. & vlt.

Senec. l. 1. de clement. c. 10.

Plin. l. cit. ep. 54. & 55.

Modestin. ad l. Cornel. de falsis.

Tractoria quid?

Hæc diplomata, posterior ætas Tractorias appellauit, & eo vocabulo velut vsu communi iam recepto, iussit Constantinus Magnus Episcopis Afris ad Concilium Arelatem venturis præberi commeatum. *Singulis Episcopis singulas tractorias tribuas, vt ipsi ad supradictum locum, intra diem Kalendarum Augustarum possint peruenire celeriter.* Qua liberalitate postea in Arianos suos Concilia identidem affectantes,

Baron. ad an. 314. tom. 3.

cùm effusè nimis vteretur Constantius, cursum publicum eneruasse dicitur ab Ammiano Marcellino. Transiit id nominis ad posteros, & Episcopis atque Magistratibus ad euectiones publicas datæ Tractoriæ, quarum formam Marculphus inter solennes nobis exhibet. *Ille Rex omnibus agentibus. Dum & nos in Dei nomine Apostolicum virum ill. nec non & Ill. V. illum partibus illis legationis causa direximus; ideo iubemus vt locis conuenientibus eisdem vos euectionem simul & humanitatem ministretis. Hoc est, veredos siue parauerėdos tantos, pane nitido modia tanta, sequente modia tanta, vini modia tanta,* &c. cui formulæ titulus est, *Epistola tractoria Legatariorum*, quam datam Missis illis Dominicis, qui sæpe memorantur, dubium non est. De quibus in Capitulari Ludouicus Pius ita præcipit. *Si quis litteras nostras despexerit, id est, tractorias, quas propter Missos nostros recipiendos dirigimus, aut honorem quem habet amittat,* &c. Ea lex in Capitularibus iacet, paucissimis immutatis, hoc titulo. *De despectu litterarum Dominicarum.* Ad eas alludunt Episcopi Concilij Meldensis, cui Hincmarus interfuit, cùm rogant, *vt auctoritatem sigillo regio roboratam, more Tractoriæ, Christianissimus Princeps singulis donet Episcopis, quam quisque Episcoporum penes se habeat, vt quando ei necesse fuerit, per eandem auctoritatem, Reip. ministros conueniant.*

Formula Tractoria Marculph. in form. c. 34.

L. Longobard. tit. 7. n. 1.

Capit. l. 4. c. 30. & 69.

Concil. Meld. c. 71.

Archiepiscopi Tractoriis Episcopos ad Concilium euocarunt.

Ad illud exemplum Archiepiscopi Prouinciale Concilium indicentes, Tractoria Comprouinciales Episcopos vocare dicti sunt, iam inde ab Augustini ætate, qui sic ad Victorinum, à quo per Tractoriam vocabatur ad Concilium, rescribit, excusando valetudinem, & vitia Tractoriæ ipsius aperiendo, vt hæc vna, penus obseruationum nobis futura sit. *Tractoria ad me quinto Idus Nouembris venit, iam finito die, & me valdè indispositum inuenit, vt occurrere omnino non possem*, hoc est, adire ad Concilium quò vocabar. *Legi in eadem Tractoria, etiam ad Mauritanias esse scriptum, quas prouincias scimus suos habere Primates*; qui proinde grauiter ferent vllum alium in ius ipsos conuocandi, præter Ecclesiasticas leges, inuadere. *Quòd si & ex eis ad Numidiam conuocandum esset Concilium, oportuit vtique vt aliquorum Maurorum Episcoporum, qui illis priores sunt, nomina ponerentur. Quod in ista Tractoria non reperiens multùm miratus sum. Deinde, ad ipsos Numidas ita perturbato, & neglecto ordine scriptum, vt nomen meum tertio loco inuenerim, qui noui quàm post multos Episcopos factus sum. Præterea, venerabilis frater & collega noster Xantippus Tagastensis, dicit, quòd eum primatus ipse contingat, & erga plurimos sic habetur, & tales mittit Epistolas. Qui etiam error si facilè inter vestram sanctitatem cognosci & corrigi potest, non debuit tamen in Tractoria, quam misit venerabilitas tua, nomen eius prætermitti, qui maximè ad Concilium venire debuit. His de causis etiam venire dubitarem, ne fortè falsa esset Tractoria, quæ tanta peruersitas appareret: quanquam & angustia temporis, & aliæ graues necessitates me multipliciter impedirent.* Suadet deinde, vt priùs inter ipsos conueniat, vter eorum *debeat conuocare Concilium.* Aut potiùs, vt singuli *collegas suos conuocent, eos maximè qui Episcopatus ætate vicini sunt, vt tandem errore sublato, minores à ceteris conuocentur, qui nec possunt, nec debent, nisi vobis in hac re, tanquam prioribus credere.* Nihil est hoc loco superfluum, adeo multa, non longa Epistola edocemur.

August. epist. 117. ad Victorin.

In primis, quod demonstrandum suscepimus, datas ab Archiepiscopis & Primatibus Tractorias, quibus subiectos Episcopos vocarent ad Concilium, & quibus minores, nisi quid iustè prohiberet, obtemperarent. Vtrum autem more Imperatorum, Archiepiscopi vocatis sumptum de suo, & ex Ecclesia suppeditarent, neque hinc, neque aliunde hactenus didici. Deinde, Tractorias extra potestatis limites mitti non debere: nam cùm aduenire cogantur aduocati, vel excusare, quod facit Augustinus, quis eum cogat quem subditum non cognoscit? Quare Victorinus indebitam sibi arrogare iurisdictionem prudenter admonetur ab Augustino, & iis dare Tractorias, qui dent ipsi aliis. Præterea Tractoria vna omnes conuocatos, non missam singulis priuatam, quod ad suppeditandos singulis sumptus fecit Constantinus. Huic ego similem fuisse arbitror Epistolam, qua Rothadus ab Hincmaro sæpe vocatus ad Concilium, venire neglexit: vt & qua iussus est Gotteschalcum ad Synodum Carisiacam priorem deducere. Iam in illa Tractoria conuocatorum omnium nomina, & quidem consecrationis & antiquitatis ordine seruato fuisse scripta, non sine causa adnotamus, vt hinc discat Dissertator, non potuisse à Prudentio ignorari, esset-ne Hincmarus ad Concilium vel Turonense, vel vt mauult, Parisiense venturus, ad quod Epistolam ad Hincmarum & Pardulum detulit, velut mittendam ad absentes. Nam in Tractoria eorum nomina legere potuit, neque ab eis tanto terrarum spatio disiunctus erat, vt de eorum valetudine certi nihil posset accipere. Sciebat ergo præsentes ad futuros: cui bono igitur Epistolam ipsis in manus dandam deferebat, qua querebatur expetitam illorum præsentiam sibi contingere non potuisse? Sed hæc obiter. Potuisse autem in has litteras errorem irrepere, docet Augustini metus: neque dubito quin Synodale iudicium pertimescentes aliqui, hoc nonnunquam prætexuerint, quod insinuat Augustinus posse obiici.

Obseruationes ex Augustini Epistola dicta.

Quanquam tribus de causis excusari se postulat magnus Pater, ob morbum, temporis angustiam, & graues necessitates: eáque excusatio, & simul Tractoriæ vitia peculiari Epistola, Victorino referuntur. Quæris hoc loco: sit-ne ista Hipponensis Antistitis Epistola Tractoria? Minimè gentium, quia per Legatum à quo deferretur, ad Concilium non accessit, neque Concilij negotia illo scripto attigit, quod inferiùs dicenda clariùs explicabunt. Hincmarus ad Synodum Metensem vocatus, neque per Tractoriam, neque alio modo apud vocantes, quod sciam excusauit: sed potius ire contempsit ob angustiam temporis, itineris longitudinem, & quòd *per quendam laicum hominem litteris* vocaretur, vt ad Nicolaum Pontificem scribit. Et credibile est Tractorias illas non fuisse, sed communes; essent enim illæ per officium Ecclesiasticum delatæ.

Excusarunt aliqui.

Hincm. ep. 17. ad Nic.

Tractorias etiam dederunt Episcopi & Abbates peregrinis ad veneranda loca, vel imperata pœnitentia, vel mera pietate proficiscentibus, quarum solennem formulam legi-

Episcopi & Abbates Tractorias peregrinis dederunt.

mus in Marculpho. Lupus quoque Ferrariensis, Monachis suis Romam peregrinantibus, tam suo, quàm Archiepiscopi Wenilonis nomine, alias dedit, quas modò Commendatitias, vel Patentes litteras, & Obedientiam regulari vocabulo nuncupamus. Illos enim fidelium beneuolentiæ committit, & eleemosynis commendat. *Vestra ergo beneuolentia euntibus illis ac redeuntibus subsidium dignetur impendere; quia & sufficiens viaticum tanto itineri ferre, fuit eis impossibile, & mercedis eorum vos credimus fore consortes, si fuerint experti laboris sui pro Dei nomine cooperatores.* Visis hisce Tractoriis diuinauit Præses solertissimus Dissertator, simili benedictione Gotteschalcum ab Episcopo suo, & Abbate viaticatum fuisse, *cùm diuino, vt credendum est, instinctu statuit sacratissima Principum Apostolorum limina inuisere pietatis & religionis studio.* Rectè, si Tractoriæ ipsi traditæ aut ab Episcopo Rothado, aut ab Abbate Bauone, vel tenuissimum tota in historia pareret vestigium; vel ex reliqua vita, illam vnquam meruisse coniici posset. Peregrinantium in pœnitentia crebra mentio apud Bedam, in libello de Remediis peccatorum, & alios Pœnitentiales libellos. Exules tum vocabant, & illud exilium indictum ab Ecclesiæ prælatis fuit quatuor, aut plurium annorum, quibus domum redire non licebat. De iis est Marculphi *Tractoria in itinere * pergendo.* Habétque illud de veteribus Diplomatis, vt celeriter & securè viatorem suum prosequatur, sed præparcè victum ex alieno mendicat. *Vt vos eum nullo modo detineatis, nisi tantùm, quando ad vos venerit, mansionem ei & focum, panẽ & aquam largiri dignemini, & postea sine detentione liceat ei ad loca sanctorum festinare.*

Marculph. Formul. c. 33. & 34. Lup. Ferrar. epist. 101. 102. 103. 106. 107.

Dissert. c. 2.

Marculph. form. 33. cit. * fort. peragendo.

Credat fortasse aliquis Tractoriam vocari posse, quasi Tractatoriam, quod rem de qua in Synodo tractaretur, contineret. Sic enim Romani Pontifices Legatos suos ad Concilium mittebant, instructos monitis, quod Commonitorium dicebant, nos hodie vocamus Instructionem, & Memoriale. Siricium verò scimus in Concilio Romano Episcoporum octoginta, quædam decreta statuisse, quæ in Epistolam Synodalem retulit. Illam autem Epistolam in Concilio Teleptensi Tractatoriam appellatam fuisse legimus. *Priuatus Notarius dixit, exemplum Tractatoria Episcopi vrbis Romæ.* At in vetere Manuscripto Codice, eadem Tractoria vocatur. *Incipit Concilium Telense, per Tractoriam Siricij Papæ vrbis Romæ:* vt Tractoria & Tractatoria eundem sensum præferre videantur. Verùm aliam Tractatoriæ significationem à nobis expetit S. Augustini narratio de Maximianistis Episcopis. *Venerunt ad Carthaginem. sicut habet Tractatoria, quam etiam gestis alligauerunt, cùm litigauerunt de domo. Ergo primò Tractatoriam de illo miserunt, conquerentes quòd noluit ad illos exire.* Et paulò pòst. *Venerunt Episcopi, voluerunt vt ad eos exiret: non est egressus sicut eorum indicat Tractatoria actis inserta.* Quo modo cumque Tractatoria ista exponatur, certè legatis ad Synodum euntibus in modum instructionis data non est; vt neque Siricij superior Epistola Synodalis Vlteriùs igitur aliquid otiosis superest inquirendum.

Tractoria & Tractatoria.

Siric. epist. 4.

August. in psalm. 36. conc. 2.

Sed hæc omnia, tanquam exercitationis gratia dicta, haberi vult Hincmarus, qui docet expressè ab Episcopis legitimè impeditis ne ad Concilium vocati accederent, missos legatos, cum Tractoriis, quarum his temporibus crebra mentio est: vt hæc Prudentij Epistola, quæ data est Arnoldo ad hunc conuentum vice Episcopi sui misso, propriè Tractoria dici debeat, licèt malè concepta sit, vt dicemus. Nam in examinatione Willeberti Catalaunensis Episcopatus candidati, post nominatos tum præsentes Archiepiscopos & Episcopos, scribuntur adfuisse aliorum quinque Episcoporum legati, *vicem eorumdem patrum suorum, cum Tractoriis, sicut regulæ præcipiunt, exhibentes.* Quibus nimirum publicè constaret delegatos ab Episcopis fuisse, & sententiæ in Synodo dicendæ ipsorum vice, atque subscribendi potestatem accepisse. Illius Tractoriæ capita duo fuerunt: primum, Episcopi absentis excusatio, de qua Caroli Magni Capitulum intelligo, ex antiquis Canonibus excerptum. *Placuit, vt quotiescunque Concilium congregandum est, Episcopi & Presbyteri, qui neque ætate, neque ægritudine, aut alia grauiori necessitate impediuntur, competenter occurrant. Quòd si occurrere non potuerint, excusationes suas in Tractoria subscribant.* Alterum, eiusdem Episcopi consensus in decreta Concilij. Sic enim formula Hincmari. *Tunc relectæ sunt Tractoriæ Episcoporum, qui præ variis incommoditatibus ad eandem examinationem venire non potuerunt, continentes quicquid super examinationem & ordinationem sæpefati Willeberti canonicè inuentum & actum fuerit, se per omnia assensum præbere.* Et alibi Hincmarus idem Laudunensi nepoti sic loquitur: *Si ad Synodum à me vocatus non veneris, aut dignam excusationem, cum Tractoria per comministrum tuum mibi directa, in qua impossibilitatis, vel necessitatis tuæ causas ostendas, cur ad Synodum non venisti, non miseris, ego te valeo, & debeo indicare.*

Concilium missi Tractorias deferunt.

Tom. 2. Concil. Gall. formul. antiq. n. 11.

Capit. Car. M. l. 7. c. 20.

Hincm. ll. 55. Capit. c. 6.

Hîc tandem acquiescit animus, & huic Prudentij Epistolæ Arnoldo datæ, Tractoriæ nomen non iniuria impositum agnoscit. Sed quàm benè concepta sit, quàm legitimè Tractoriæ solennis formam exhibeat, non video. De excusatione à qua incipit, non disputo: volo canonicam esse in eo, quem à Synodis sæpe morbus abduxit, vt narrat Annalista Bertinianus. Licèt nonnihil dubij subesse potuerit, vt is qui Suessionensi Concilio, mense Aprili, mox deinde Carisiaco, ac fortasse postea Senonensi conuentui in consecratione Burchardi interfuerat, si fuit diuersum, *infirmitatibus penè omnibus notis* subitò *depressus* esset. De altero capite tota lis est. Consensum suum Æneæ ordinationi recusat, nisi antea his & illis articulis subscribat. Quæro ex te Prudenti, scis-ne de his articulis tractandum in Conuentu? Negas, (id enim aduentitium est) sed tractari desideras, & in sententiam tuam decerni? Quo tu id iure, quo exemplo? Quis vnquam priuatus Episcopus ab Ecclesia condita, à Conciliis factis, ab Hierarchia constituta, materiam ceteris omnibus cum potestate præscripsit, vt nisi hoc tractaretur, nisi sic definiretur, communibus decretis non assentiret? Hoc non est in Romani Pontificis iura inuolare, cuius suprema in Ecclesiam vniuersam potestas, & in sacra omnia Primatus, ea prærogatiua insignitur, vt Concilia regat, agenda proponat, sententiam primus dicat, & fidei capita, tanquam

Prudentij Tractoria extraordinaria est.

Episcopi legatis ad

oro

ore Petri pronunciet? Quis vnquam legatis suis, præter Romanum Episcopum tale Commonitorium dedit? Ad Concilium ceteri animum ferunt paratum obsequi, & meliorum iudicio cedere; tu mittis imperium. De proponendis quæstionibus Spiritu sancto instincti & afflati dicent ceteri; tu, tuúsque Presbyter Arnoldus publicam diuini numinis inuocationem præuenitis, & dicitis: Sic Patres docuerunt, ita tenet atque tenebit Ecclesia: Volumus vt hoc agatur in consessu, hoc statuatur. Si loquitur aliter Æneas, aut si de his tacet, neque nobis Episcopus est, neque vobis esse debet. Omnibus præimus; si sequimini, duces habetis: sin alia sentitis, ne comites quidem. Hic est sensus *celeberrimæ tanti præsulis Tractoriæ*, quæ in Archiepiscoporum & Romani Pontificis iura inuadit, quæ Comprouincialibus imperat, & de fidei rebus tractari iubet, vbi de ordinando Episcopo agitur; abstrusarum quæstionum definitionem extorquere conatur à *sancta & venerabili Synodo* sex Episcoporum, & vnius Presbyteri; quæ præteriti exemplo caret, nec imitationem apud posteros inuenit. Ipsam modò audiamus, qualem habemus ab Hincmaro.

CAPVT XII.

Epistola Prudentij, qua Capitula Carisiaca primus oppugnat, describitur, ac perstringitur.

Epistola titulus & diuisio.

Hincmar. l. de præd. Præfat.

ESTITVIMVS Epistolæ veterem titulum; nusquam enim Tractoriam inscribit Hincmarus, qui hoc illam elogio proscribit. *Sequitur Epistola Prudentij Trecassinæ ciuitatis Episcopi, quæ in processu operis sequentis* (libri de Prædestinatione) *sæpe commemoratur, & à catholicorum fide atque doctrina discordare monstratur.* Placet illam in quatuor membra partiri. Proœmium, quo absentiam excusat, & vicarium mittit Arnoldum: Propositionem generalem, de fide aduersùs Pelagij errores profitenda: Quatuor Capitula, Carisiacensibus velut Pelagianis, opposita: & Epilogum, in quo iterum de damnando Pelagio admonet: vt vel inopiæ materiæ, vel ardenti partium studio possit attribui, quòd in Epistola breui, quæ legentis manum vix impleat, repetitioni locus sit repertus. Sic autem incipit.

Initium Epistolæ, & salutatio.

Patri venerabili, & ceteris Patribus fratribúsque sincerissimè diligendis, atque Coëpiscopis reuerendis, Prudentius æternam in Domino salutem. Cur Archiepiscopum suo nomine Wenilonem non nominat, quod solent ceteri, neque omittit facere libro aduersus Ioannem Scotum? Cur Conuentus causam non exprimit, *ad ordinationem Æneæ?* Cur apud Senonas congregatos tacet Coëpiscopos? Cupit enimuerò legi ab omnibus Epistolam, & tanquam ad omnes vniuersè missam, sibi priuatim attribuere singulos, siue vt omnes doceat, quid credendum sit; siue vt obliterata Carisiacæ subscriptionis memoria, quid ipse ex animo credat, intelligant. Ita ne prima quidem salutatio mysterio vacat, & affectatione.

Prima pars Epistolæ, excusatio, & legati designatio.

Quantùm ad meritum peccatorum meorum spectat, iustissimo Dei iudicio: quantùm verò ad indebitas atque indeficientes eius misericordias pertinere dignoscitur, misericordissimo ipsius munere, infirmitatibus pene omnibus notis depressus, sancto desiderabilique vestro conuentui adesse prohibeor. Qui paulò antè Suessionensi, in quo Hincmari causa erat agitanda, & Carisiaco conuentui, ad quem Rex ipse ducebat, potuerat interesse. *Quod autem possum præsentibus litteris, atque Legato nostræ Ecclesiæ Presbytero Arnoldo, mei consensus præsentiam eatenus exhibeo.* Iam notatum, excusationis causam in Tractoria debuisse subscribi, & tale commonitorium nullis vnquam legatis datum, præterquam à Sede Apostolica, omnium Ecclesiarum magistra.

Arnoldus Presbyter Legatus.

Secunda pars Epistolæ, de fide contra Pelagium profitenda.

Vt is qui ordinandus est, Æneas sacri Palatij Notarius, consentiente Rege, postulatus à clero, probatus à Wenilone & Prouincialibus Coëpiscopis, notus omnibus, cur hîc non nominatus, & ne apice quidem laudatus? *Si Apostolicæ sedis omnibus institutis, & beatorum Patrum Innocentij, Zosimi, Bonifacij, Sixti, Leonis, Gelasij, Celestini, Gregorij, Hilarij, Ambrosij, Augustini, Isidori, Primasij, Fulgentij, Hieronymi, Cassiodori, Bedæ, aliorùmque adæquè catholicorum atque orthodoxorum virorum, scriptis & dictis.* Hi penè sunt omnes, quos in Epistola ad Hincmarum & Pardulum citat, & è quibus congeriem suam suffarcinat. Quos adeo non refugit Hincmarus, vt omnibus vniuersè Romanis Pontificibus, & omnibus qui à Sede Romana in canone sunt recepti, assentiri se profiteatur, & hîc nominatis, addi velit Paulinum Aquileiensem, *& Alcuinum virum religiosum & doctum*, quorum doctrina ab Ecclesia Romana acceptatur, & multis laudibus effertur. *Ac specialiter super quatuor Capitulis;* de quibus controuersiam mouit Gotteschalcus, & modò inter catholicos certatur, *quibus omnis Ecclesia catholica aduersùs Pelagium, eiúsque hæreseos sequaces pugnauit, ac vicit; atque ad posterorum memoriam litteris auctoritate & veritate plenissimis mandauit, confitendo subscribere, & subscribendo confiteri voluerit, eius me ordinationi consentaneum esse profitear: Sin aliàs, prorsus neque assentior, neque fidelibus Christi assentiendum suadeo.* Timidè loquitur Prudentius, & ea cautela causæ suæ vitium monstrat sapientibus. Quid enim *suadet fidelibus* quòd omnino facere cogendi sunt, si fideles esse volunt & haberi? Quicquid Ecclesia contra Pelagium & eius sequaces damnauit, damnet Æneas, aut catholicus non sit: quicquid Pelagio & eius reliquiis contrarium decreuit Ecclesia, suscipiat Æneas, aut eius consecrationi nemo consentiat. De quatuor Capitulis quid hæres dubius? *Suades* non consecrari, nisi Ecclesiæ de illis decreta confessus fuerit? Si certò scires decreta, non asseuerantiùs certiúsque diceres?

Hincm. ep. 1. ad Carol. reg.

Prudentius timidè loquitur.

Tertia pars Epistolæ, de 4. Capitulis.

Capitulorum verò quatuor præmissorum seriem, quamuis vestram prudentiam multò viuaciùs quàm meam extremitatem compertam esse, (edoctam esse, & scire) *non dubitem, necessariò tamen breuiter adnectendam indicaui, vt faciliùs quid sentiam, cui veritati consentiam, vestra beatitas recognoscat.* Quid opus hoc quatuor capitum delectu ad explicandum? Qui seligit aliquid ex omnibus, suspicionem mouet non catholicæ credulitatis. Nemo siquidem

quærit ex te *quid sentias*, nisi dubitauerit *cui consentias*, Gotteschalco an Hincmaro, Synodis Carisiacensibus, quarum posteriori subscripsisti, an hæretici & excommunicati partibus? Quid autem istud est, *cui veritati consentiam?* Suntne veritates duæ, quarum alteri consentire possit Æneas, tum à te reprobandus? Quo iure si veritatem tenet? Fateris vnam esse? Illa si aperta est, tu videlicet solus oculatus, qui hanc lucem videas, cæcus Æneas, cæcus Hincmarus, & Episcopi atque Abbates omnes Carisiacenses, quique ipsis consentiunt, qui solem non sentiant. Sin obscura est, illa non *pugnauit & vicit Ecclesia*; de illa *aduersus Pelagium eiúsque hæreseos sequaces* nihil decreuit Ecclesia. Liberæ sunt hominum cogitationes, donec certum lumen affulgeat: cur Æneam sensui tuo illigare contendis? Non potest tibi Confessus respondere, video *quid sentias, cui veritati consentias*; nos alia omnia, neque minùs vera, aut probabilia? quid cogis ad te transire vnus plures, suspectus catholicos, excommunicati patronus Episcopos?

1. Capitulum. de libero arbitrio.

Videlicet, vt liberum arbitrium in Adam merito inobedientiæ amissum, ita nobis per Dominum nostrum Iesum Christum redditum atque liberatum confiteatur, interim in spe, postmodum autem in re, sicut dicit Apostolus, Spe enim salui facti sumus; vt tamen semper ad omne opus bonum Dei omnipotentis gratia indigeamus, siue cogitandum, siue incohandum, operandum ac perseueranter consummandum; & sine ipsa nihil boni nos posse vllatenus aut cogitare, aut velle, aut operari sciamus. Non placent *spes & res*, & Apostolicum dictum à Prædestinatianis hoc in proposito perperam vsurpatum. Gratificatur & Gotteschalco, cùm prætermittit dicere de liberó arbitrio ad malum. Ceteris libenter subscripserit Hincmarus; an etiam Gotteschalcus, quà liberi arbitrij cooperationem cum Deo eiúsque gratia profitetur?

2. Capituli de Gemina Prædestinatione.

Secundò, vt Dei omnipotentis altissimo secretóque consilio credat, atque fateatur, quosdam Dei gratuita misericordia ante omnia secula prædestinatos ad vitam, quosdam imperscrutabili iustitia prædestinatos ad pœnam: vt id videlicet, siue in saluandis, siue in damnandis prædestinauerit, quod se presciерat iudicando esse facturum, dicente propheta, Qui fecit quæ futura sunt. Antea quidem sæpe diximus, geminæ prædestinationis vocem, non omni ex parte displicere Hincmaro: sed omnino decretum positiuum reprobationis ferre non potest: & in eo conuenire Prudentium cum Gotteschalco non dissimulat, vtriusque sententiam simul proferendo. Quod autem maximè vitiosum est in Prædestinatianis, vt etiam ad peccatum improbos prædestinari velint: & quod in Gotteschalco reprehendit Rabanus, singulos ita nasci bonos aut malos ex diuina prædestinatione, vt aliud esse non possint, absolutè & antecedenter, in Prudentio expressè non legimus: imò, quod ex eo frequenter relatum est, Gotteschalcanam hæresim, à Ioanne Scoto ita nuncupatam, in prædestinationis necessitate, (sanè antecedente & absoluta) constitutam, se nec defendere, nec tenere profitetur. Itaque cùm eius operis initio *Dei gratuitam gratiam, iustitiámque inflexibilem* commendat, necessitatem consequentem, & in sensu composito, quam vocamus, intelligere oportet, vt ab hæresi Gotteschalcana dissidere censeatur. Quare si decretum illud positiuum excipimus, minus reipsa nocet Hincmaro Prudentius, quàm conatu: & ipse se penè in Gotteschalci compedes induit, dum quærit, & affectat longiùs ab Hincmaro discedere. Progrediamur in articulis.

Hincmar. l. de præd. c. 5. & c. 10.

Prud. l. de vnica præd. c. 4.

Ibid. c. 1.

3. Capitulum de Christi morte pro solis fidelibus.

Tertiò, vt credat & confiteatur cum omnibus Catholicis, sanguinem Domini nostri Iesu Christi, pro omnibus hominibus ex toto mundo in eum credentibus fusum: non autem pro illis qui nunquam in eum crediderunt, nec hodiéque credunt, nunquam nec credituri sunt, dicente ipso Domino, Venit enim filius hominis non ministrari, sed ministrare, & dare animam suam in redemptionem pro multis. Hanc assertionem nunquam probauerit Hincmarus, quam *nenias, potiúsque blasphemias* appellat, & multis docet *quid Patres catholici senserint, de mysterio dominicæ passionis.* Atque alibi eandem Prudentij opinionem, Epistola siue libello ad quosdam fratres, ex Euangelio & voce *multi* probatam, confutat. Et quidem generaliter pro omnibus fusum sanguinem pretiosum, etsi omnes eo ad æternam salutem non aspergantur, tam multis vsque ad longa fastidia probat Remensis, vt stupendum sit, reperiri Episcopum, qui cum omnibus catholicis contraria credere se, audeat asserere. Quòd autem his verbis ex Prudentio allatis subdit Hincmarus, *Sed & Gotteschalcus in hanc venit sententiam*: ne puta cum Dissertatore, nihil aliud quàm quod Prudentius, dixisse Gotteschalcum. Est enim certissimum, & hanc thesim de infidelibus non redemptis cum Prudentio, & aliis cum catholicis docuisse miserabilem monachum, & aliud præterea, in quo ab iisdem catholicis penitus desertus est, solos prædestinatos ad vitam, Christi sanguine redemptos esse; reprobos autem qui ad fidem veniunt, non morte, sed baptismo Christi redemptos, secundùm Petri Apostoli dictum, *Eum qui emit eos baptismo negantes.* Medius igitur est inter Hincmarum & Gotteschalcum Prudentius, habétque sui sensus comitem Lupum Ferrariensem, prudentem virum & eruditum; dubios autem amicos Lugdunenses, vt ex superioribus patet.

Hincmar. l. de præd. c. 35.

Ibid. c. 34.

Ibid. c. 35. cit.

4. Capitulum. de voluntate Dei solos prædestinatos saluandi.

Quartò, vt credat, atque confiteatur Deum omnipotentem omnes quoscunque vult, saluare, & neminem posse saluari vllatenus, nisi quem ipse saluauerit: omnes autem saluari quoscunque ipse saluare voluerit: ac per hoc, quicunque non saluantur penitus non esse voluntatis illius vt saluentur: dicente propheta, Omnia quæcunque voluit Dominus fecit, in cælo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis. Non est simplex hæc assertio, sed enthymematis tanquam propugnaculis munita procedit. Quos vult Deus saluare, actu saluat; ergo quos actu non saluat, saluare non vult. Quos Deus saluare vult, actu saluantur; ergo quicunque actu non saluantur, eos Deus saluare non vult. Nisi per Deum & volente Deo nemo potest saluari; ergo quos Deus non vult saluare, saluari non possunt: ergo soli qui saluantur, Dei voluntate saluantur; qui non saluantur, eius voluntatis defectu non saluantur. Verbosè

& sophisticè. Meminimus enim distinctas à Ioanne Damasceno voluntates duas in omnipotente, antecedentem, quæ omnes respicit; & consequentem, quæ electos. Certè nisi per Deum, & consequentem Dei voluntatem, nemo actu saluatur: quibus autem consequentem illam dignatur impendere, actu saluantur omnes. Sed quos antecedente tantùm & generali voluntate saluare vult & saluari, profectò illos actu non saluat, nec ij actu saluantur. Meminimus & aduocatum Assueri hortos ad conuiuium parantis exemplum. Omnes aduocat, quia vult omnes epulari: nemo vescetur, nisi quem vesci voluerit: quibus apta ad iter subsidia dederit, iis vsi si fuerint, efficaciter epulabuntur; & hoc Rex voluit: qui renuerint, excludent ipsi se à conuiuio. Rex ita fore præuidit, sed non decreuit, aut voluit: omnes adueniunt quos consequente & singulari voluntate venire voluit; desunt ij quos sola voluntate antecedente voluit epulari. Vergit ad finem Epistola, Capitulis explicatis: audiamus.

4. & postrema pars Epistolæ.

Et licet quædam sint alia, quibus in Pelagio damnatis vniuersaliter Ecclesia consenserit, fategerit, atque subscripserit, hæc tamen specialiùs apud eum eiusque complices, per Apostolicam Sedem instantia beatissimi Aurelij Carthaginensis Episcopi, atque Augustini, cum aliis trecentis quatuordecim Episcopis, ab eius prauissimis sensibus eruta, vindicata, & multis tam Epistolis, quàm libris toto orbe vulgata, omnis hodieque gaudet confitetur, prædicat, & tenet atque tenebit Ecclesia. Tuam fidem Prudenti, & Christianam simplicitatem obtestor, quo iure, quo consilio, Africana Concilia contra Pelagium & Cælestium coacta, in causa Hincmari, & Capitulorum Carisiacensium producas? Quid enim de articulis tuis secundo, tertio & quarto, contra hæreticos illos decretum est, vt ea vlla ratione huc conferre possis? Vide Concilium Carthaginiense, & Mileuitanum secundum sub Innocentio I. Africanum sub Zosimo, quibus interfuerunt Aurelius & Augustinus: vide Synodales Epistolas, & familiares aliquot Episcoporum ad Innocentium: Innocentij ad hæc responsa, & ostende locis illis omnibus de prædestinatione positiua reproborum ad mortem, de Dei voluntate eos solos saluandi qui acta saluantur, de Christi sanguine pro solis credentibus effuso, vel verbo & apice vno quicquam tractari? Si *hæc specialiùs* per Aurelium, & Augustinum sunt *eruta & vindicata*, cur apud *Apostolicam Sedem* tacentur? cur *multis tam Epistolis quàm libris toto orbe vulgata*, *Sedes Apostolica* ne nominat quidem? Hoc non est fucum facere, & *damnatos* errores obliquè aduersariis obiicere, qui neque errores sunt, neque possunt esse damnati? Fac Remenses omnium hæresum reos, & Capitulis tuis adiice, *quædam esse alia* quæ in Ario, Nestorio, Eutychete, Monothelitis, Eunomianis, Nouatianis damnauit Ecclesia, *hæc tamen specialiùs ab eorum prauissimis sensibus eruta & vindicata gaudere & confiteri*, omnium hæreticorum colluuionem non aliter conferes in Hincmarum. Non hoc ago, inquies, quia falsum esset & calumniosum. Et *hæc specialia* qua mente audes asserere, *instantia Beatissimi Aurelij, atque Augustini, per Sedem Apostolicam esse eruta & vindicata*, quæ in omni instantia Aurelij atque Augustini, & in Sedis Apostolicæ responsis nullo penitùs modo leguntur? Huic calumniæ vanam numeri ostentatricem laciniam possum adiicere, quòd in illo Africano Concilio sub Zosimo, quod significas, trecentos quatuordecim Episcopos numeras: cùm Prosper non nisi ducentos quatuordecim, aut, vt alibi, decem & septem Episcopos fuisse scribat.

Mala fides Epistolæ.

Tom. 1. Concil. Gener.

Innoc. epist. 24.

Numeri ostentatio.

Prosp. contra Collat. & in chron.

CAPVT XIII.

Hæc Epistola Prudentij quem exitum in eo Conuentu habuisse probabiliter censenda sit.

Epistolam effectu caruisse probabile est.

VIS A Prudentij legatione & Epistola quid egerint, senserint, decreuerint sex Episcopi, & Arnoldus Presbyter ad fidem catholicam perparum, ad historicam veritatem scire nonnihil interest. Nam si Prudentio consenserunt, ipsi nouum fidei articulum condere non potuerunt. Sin autem nouitates illas repudiarunt, Prudentio primùm & Lugdunensibus, deinde Dissertatori nostro amplam gloriandi segetem sustulerunt. Omnis autem hæc quæstio, in mera coniectura posita est, & probabilibus tantùm argumentis efficere contendo, admissam Epistolam non esse, ac licèt ei non subscripserit Æneas, quam petebat tamen consecrationem accepisse. Ingredior in tractatum per Epistolæ conclusionem huc vsque dilatam.

Conclusio epistolæ explicatur.

His per omnia consentaneam (id est consentientem) *prædicabilem paternitatem* (Archiepiscopi Wenilonis) *fraternitatémque vestram* (Episcoporum æqualium) *gratia superna initam atque prævalidam* (contra Capitula his opposita) *& suo munere gaudentem, perpetuò conseruare dignetur*, Amphiboliam sonat consensus iste, aut prædicatus vt præsens, aut speratus in futurum. Optat enim eos valere, vel quia his per omnia consentiunt, vel quia lectis illis sperat consensuros: prius arbitror falsò prædicari, posterius frustra sperari à Prudentio. Hactenus enim fuisse in partibus Hincmaro contrariis Wenilonem, aut postea in eas transiisse, quis mihi persuadeat, spectanti grauem Archiepiscopum in Synodo Carisiaca priore, Gotteschalcum cum ceteris ad flagella, & depositionem condemnantem, in omnibus pene Conciliis ad Hincmari latus assiduum, in Suessionensi secundo eius iudicem cum Pardulo, quibus velut aliqua ratione ob amicitiam suspectis, impetrarunt rei, vt Prudentius seuerior adderetur? Hincmarum autem ipsum in Concilio Tullensi apud Saponarias inter Wenilonis iudices Archiepiscopos non nominari; ac proinde inuiolato amicitiæ fœdere vtrun-

Wenilo contra Hincmarum nihil sensit aut egit.

Concil. Tullens.

que ſemper coniunctum vixiſſe; nec obiectum Weniloni vitium in doctrina vnquam fuiſſe ab Hincmaro; hæc & ſimilia mihi magnopere ſuadent in hac ſententiarum contentione, Wenilonem adhæſiſſe Remenſi. Video poſſe obiici, quod libro primo narrauimus, Prudentio tradidiſſe Wenilonem Scoti capita decem & nouem ad refellendum. Imò potiùs ad examinandum, quod animo non maleuolente fieri potuit. Et erunt qui meritò dubitent, vtrum Prudentij reſpondentis aſperitas Archiepiſcopo grata extiterit. Deinde Ioannis Scoti liber cum Hincmari diſceptatione vix habet quicquam commune, & propiùs eſt, vt eum Hincmarus abdicet, quàm vt agnoſcat pro ſuo, queritúrque Capitula illa ſibi à Compilatore adſcribi. Hæc ergo traditio non probat Wenilonis oppoſitam Hincmaro ſententiam.

Hincmar. l. de præd. c. 31.

Neque Heriboldus & Epiſcopi cæteri.

De Heriboldo Autiſſiodorenſi alia ſentire non poſſum, audita Hincmari narratione, cum perpetua eiuſdem demortui appellatione perhonorifica, quam aduerſario ſuo, ne quid amplius dicam, non indulſiſſet. Fuit enim amicitia cum Floro Diacono Lugdunenſi iunctus Heriboldus, quem catholicum in hac controuerſia vocat, & agnoſcit Hincmarus: ab eo ſermonem incorruptum accepit, qui ex Ebbonis ſcrinio prodiit vitiatus: ab Heriboldo habuit Hincmarus, & in Synodali conuentu tranſcripſit. *Quem mutuante Heriboldo*, inquit, *quondam Autiſſiodorenſium venerabili Epiſcopo in Synodali conuentu apud Bonoilum tranſcripſimus.* Et alibi. *Conferentes ex ſcripto Flori Eccleſiæ Lugdunenſis miniſtri, quod olim in Bonoilo à veneranda memoriæ Epiſcopo Autiſſiodorenſe accepimus.* Ex his colligo, & dum viueret Heriboldus, cum Hincmaro familiariter verſatum eſſe: & in eius amicitia diem extremum clauſiſſe. Ergo neque ante Prudentij epiſtolam, neque poſt Æneæ conſecrationem apud Senonas, ab eius ſententia diſceſſit. Quid autem ea venerandæ memoriæ poſt viri mortem appellatio, ad eius apologiam conferat, in appendice videbimus. Hucbertus autem Meldenſis iam ſenex, & Gotteſchalcanis tumultibus controuerſiiſque vetuſtior, non temerè credi poteſt nouitates illas auerſatus eſſe, quod ſolent ſenes, qui opiniones altis radicibus infixas in animo, nunquam euellunt, vt iuniorum diſcipulos ſe profiteantur. Cùm ergo receptam antea à Patribus fidem penitus hauſiſſet, & hactenus conſeruaſſet, niſi quid non ſpernendi roboris in oppoſitum producatur, Epiſtolam Prudentij effectu vacuam deſeruiſſe, poteſt exiſtimari. Hæc iis dicimus qui nos cogent agnoſcere, interfuiſſe conſecrationi Hucbertum & cum eo, per inuſitatam diſpenſationem, retinendum Hildegarium. De Agio Aurelianenſi quid in alterutram partem arbitrandum ſit, niſi diuinando nemo dixerit. Herimanni & Burchardi iudicium æquè obſcurum eſt: ac licet Prudentio fauiſſe quis dicat, ad eius partes momenti perparum addiderit. Supereſt Arnoldus Preſbyter, quem abſque temeritate iudicare poſſumus Prudentianum fuiſſe, ſed vnus ipſe *ſancta & venerabilis Synodus* non fuit.

Ibid. præfat.

Ibid. c. 6.

De Ænea ordinato idem ſentiendum.

Quid autem de ordinato ipſo Ænea dicemus, cuius gratia totus hic apparatus ſtruebatur? Dic Pariſienſis Eccleſia qualem putes Æneam, cùm in ſolio tuo collocari enixè poſtulas? *Nos ipſi propoſitum ac mores longè prius inſpeximus, & inter graues probabiléſque perſonas, & ſanctitate feruentes, hunc quem Antiſtitem habere cupimus, abſque errore annuntiauimus. Ponatur celerrimè lucerna ſuper candelabrum, & lumen veritatis populus Dei videat, & æmula deuotione Præſulis veſtigia tenens, ſempiternæ beatitudini præparetur.* Quid tu ad hæc Wenilo cum ſuffraganeis tuis, & ipſo Prudentio? *Sit igitur vobis paſtor qui pro ſuis in Deum meritis bene complacuit; & ſequentes eius veracem doctrinam, & ſancta opera imitantes, ad cæleſtis regni paſcua properate felices.* Quod eſt *lumen veritatis*, niſi *verax doctrina*, quam futurus Antiſtes profitetur populo explicandam? Tuum hîc nomen apparet, Prudenti Trecaſſine, & quem Epiſtola ad Coëpiſcopos, iubes Capitulis tuis ſubſcribere, eiuſdem antea cum Coëpiſcopis *veracem doctrinam* laudaſti. Si fuit eadem cum hac tua, cur nouam ſubſcriptionem minaciter poſtulas? Si fuit diuerſa, & tamen *verax*, quare mutari imperas? Quare ipſe mutaſti? Cui enim bono tanta cautio in ſeligendis Capitulis, tantus ardor in proponendis, tantum pondus in exigenda ſubſcriptione & conſenſu, vt *niſi confitendo ſubſcribat, & ſubſcribendo confiteatur*, eius ordinationem ratam habere nolit Prudentius, ſi ante ordinationem huic eius doctrinæ conſentiebat Æneas, & hanc ipſam, non aliam, *veracem* Epiſcopi appellabant? Poſtea autem quàm ſacris infulis ornatus eſt, quod *lumen veritatis* prætulit, quam *veracem doctrinam* clero populóque Pariſienſi annunciauit? Da vnum ex vrbe tota, parochiáque vniuerſa, da ex monaſteriis competentibus omnibus, qui contra Hincmari ſententiam, vel putos errores Gotteſchalci, vel mitigatos à Prudentio ſectatus ſit. Solam igitur Hincmari doctrinam vt veracem ſubditos docuit Æneas, & aquæ eius fideles fuerunt.

Apud Lup. Ferrar. ep. 98.

Ibid. epiſt. 99.

Vtrum ſubſcripſerit, dubitat Vſſerius. Hiſtor. Gotteſc. c. 11.

Dic & tu Armachane Vſſeri, de Æneæ facto & doctrina quid cenſes? *Hiſce Capitulis accepta hac epiſtola ſubſcripſerit Æneas, necne, pro certo non habemus: ſubſcripſiſſe tamen ex eo nobis maximè fit veriſimile, quod inter Lupi Ferrarienſis Epiſtolas vna reperiatur, in qua & eius veracem doctrinam commendat, & ordinationem eius Prudentius cum reliquis Epiſcopis pariter confirmat.* Quod aſſertionis huius prima parte traditur, non improbo. Quod ſecunda, auctor ipſe non probat, quando & falsò Lupi dictum explicat, & falſum de Æneæ ordinatione ſupponit. *Veracem doctrinam* putat hæreticus Caluini aſſecla, eam eſſe quæ Prudentij articulis exponitur; at nos eam veriùs Hincmari Capitulis attribuimus, & aſſertam ab Ænea probabiliùs monſtrauimus. Ordinationem Æneæ Prudentij epiſtola priorem fuiſſe credit, & per hanc Lupi aut Wenilonis Epiſtolam, conſecrationi ſubſcripſiſſe Prudentium; vnde ſequitur & Æneam antea ſubſcripſiſſe Prudentio. At oppoſitum docuimus ex Epiſtola ipſa, qua tantùm Epiſcopi *ad*

dignitatem Pontificatus eum promouendum concorditer decernunt. non autem promouent, aut promotum remittunt. Ac licet Arnoldi legati consensu, & in eo Prudentij, factam concedamus ordinationem, quod ignotum est, non debuit Legatus Episcopi sui, sed suum, nominato Episcopo, cuius vices gereret, nomen apponere; quod in plerisque Conciliis factum videmus. Non debet igitur Vsserio verisimile videri, quod nulla certa ratione confirmat.

§. VNICVS.

Soluuntur rationes quibus Æneam Tractoriæ subscripsisse probare contendit aduersarius.

Soluuntur obiectiones Dissertatoris. c. 34.

ERIT-NE duce ac magistro suo felicior in coniiciendo Dissertator, qui postremus à nobis rogatur sententiam? Dic Præses amplissime, de opinione Æneæ quid censes? Non enim te video vel Vsserio, vel tibi ipsi per omnia consentientem. Nam si tuis principiis standum decernis, si aulicis ingeniis idonea est, & arridet Hincmari sententia; aulicus est Æneas. Si fuit eius sententiæ tam studiosus Rex Carolus, vt Prudentium in Synodo Carisiaca violenter opprimere, & ea vi quæ in constantem virum cadat, cogere ad subscribendum potuerit, credis-ne aut illi violentiæ restitisse Æneam in Palatio assiduum, aut resistentem ad vrbis regiæ Pontificalem cathedram fuisse delectum? Sed istud non quærit vir solertissimus; fuerit Æneas ante Prudentij Epistolam Hincmarianus; agitur modò de tempore consequenti, ipsámque Epistolam *lectam* ait, *reuerenter susceptam, & ratam habitam à Wenilone, & Coepiscopis suis.* Quod quàm verè affirmetur superiora demonstrant. *Imo & iuxta formam præscriptam:* Prudentij fuit præscribere, an Concilij? *Æneam Episcopum*, dic potiùs Episcopatus candidatum: nam post consecrationem in Episcopum, quid fuit opus consensu Prudentij? *vel subscripsisse, vel aliter professum doctrinam contentam, facillimè coniicere licet.* Dubitat vtrum subscripserit; at illud exigebat Prudentius: Dicit *aliter professum.* Quomodo? quo signo? quis id factum narrat? quis vel obscurè subindicat? Non est hæc diuinatio? Stabilitur autem illa nouem argumentis *iugi meditatione & cum eruditioribus collatione* dignissimis, quæ in summam colligo, & breuissimè dissoluo.

1. Obiectio. 1. Doctrinam ea Tractoria expressam catholicam esse, Patrum testimoniis per scripta iam antè probauerat Prudentius, eaque Episcoporum Prouinciæ manibus terebantur. Concludit. Illi ergo consenserunt Prouinciales Episcopi cum Ænea. *Responsio.* Argutè dictum: Ostende persuasisse prioribus scriptis: proba contrariis scriptis nihil egisse Hincmarum. Si primis crediderunt Episcopi, fuit opus istud superfluum. Si non assenserunt, fuit inefficax: quod assertiones solas ponit, non confirmat.

2. Obiectio. 2. Doctrina illa iam fuerat suscepta & confirmata ab eiusdem Prouinciæ Episcopis, cùm in Synodo Parisiensi libellum suum misit Prudentius ad Hincmarum & Pardulum. *Responsio.* Scis Lector eius fabellæ leporem alio loco fuisse dissipatum.

3. Wenilo excerpta è libro Scoti Capitula 19. Prudentio refellenda dederat, *sicque eiusdem sententiæ cum Prudentio esse satis professus est.* *3. Obiectio.* Ostendes per otium solidè & inuictè, Capitula Scoti pertinere ad Hincmarum, esse paria cum Carisiacensibus, ante Carisiacam hanc Synodum fuisse tradita; Wenilonem si Scotum reiecerit, dissidere ab Hincmaro. *Responsio.* Si quo signo professus est, quod velim exprimi, se contra Scotum conuenire cum Prudentio, an eodem vel alio quopiam signo professus sit, quatuor Epistolæ Capitula admittere. Probatis quinque his articulis, consecutionem laudabimus.

4. Lupus Ferrariensis Weniloni carus inprimis, Synodi Parisiensis, & huius Notarius, eadem sensit cum Prudentio. *4. Obiectio.* Quid colligis? Ergo Synodus Prudentij Tractoriam ratam habuit, vt & Æneas. Et hîc telam tibi ordiris non sanè facilem extricatu. Probabis enimuerò Lupum huic Synodo fuisse notarium: *Responsio.* ex Notarij sensu pendere Synodi sententiam: aliquid Capitulis Carisiacensibus, post illa scripta contrarium fuisse scriptum à Lupo: tam fuisse infensum Hincmaro Wenilonem, vt qui hunc amauit, illum odisse debuerit: tam fuisse Prudentij studiosum, aut Wenilonis Ferrariensem, vt alterutrius illorum gratia, inimicitias cum Hincmaro susciperet. Habes nodos quinque, quibus solutis conclusionem facies vtcumque probabilem.

5. Ecclesiæ Lugdunensis scripta contra Ioannem Scotum, & de tribus Epistolis, Ecclesiæ Senonensi non fuerunt ignota; ideóque ad eandem Ecclesiam Lugdunensem transmissa sunt quatuor Hincmari Capitula, vt ea refutaret. *5. Obiectio.* Dices, optime Præsidum, quid tandem inde conclusum velis, postquam euiceris, Tractatum Lugdunensem contra Ioannem Scotum anno 53. manibus hominum tritum fuisse, quem liber de Prædestinatione, te teste, anno 60. cœptus, nec ante 63. perfectus & editus, testatur adhuc scribi, & expectari, *quid contra* Capitula *ille scribens nitatur asserere:* quod dictum alio de opere vix intelligas. *Responsio.* *Dissert. c. 43.* *Hincmar. l. de præd. c. 31.* Quæro iterum, Tractatus ille quid ad Hincmarum faciat, aut ad Epistolam Prudentij? Præterea scio affirmare te, ad chronologiæ, vt soles, opportunitatem, sed probabis expressiùs, librum de Tribus Epistolis delatum fuisse in Regnum Caroli ante Concilium Suessionense secundum: lectum ab Ecclesia Senonensi, *ideóque*, audis? eam fuisse causam, cur Capitula Carisiaca Lugdunum missa sint. Post hæc igitur monstrabis duo, & missa esse ab Ecclesia Senonensi, in qua modò versamur: & *ideo* missa, quia librum de Tribus Epistolis legerat. Vis addi & tertium? Eo consilio missa esse, vt refellerentur. Rem tuam promouebis, si deinde tria alia conficies; Lugdunensem refutationem ad Ecclesiam Senonensem remissam esse: auctorem eius responsionis, quicquam nouè vllius momenti attulisse, quod ex libro de Tribus Epistolis Senonenses discere non potuerint: & hos vllo vnquam tempore, vlla occasione, tot sequentibus Conciliis quibus commemorata controuersia est, vsos fuisse, vel ad refutandos Remenses, vel ad Lugdunenses protegendos. Nos interea disquiremus in

Hincmaro toto, si quo verbo, vel obscurè, vel obliquè, iure vel iniuria de Wenilone, Ænea, Senonensibus omnibus, queratur, tanquam in his Capitulis sententiæ suæ aduersantibus. Nam ex Hieronymi præcepto, Hincmarus in suspicione hæresis noluit se esse patientem: & omnino vbi non clamauit, inde non doluit. Paucos hosce octo plus minùs articulos probabis solidè, non tuo illo vulgari (*vt credibile est*) sed certis & euidentibus scriptorum testimoniis, quibus reperiundis, non tam *ingem*, quàm profundam *meditationem*, & non *cum eruditioribus* solùm, sed cum eruditissimis catholicis *collationem* adhibebis, & rem magnam facies si monstraueris.

6. Obiectio. 6. *Iudicatum fuit*, puta à Senonensibus Patribus, Wenilone, Herimanno, Burchardo, & aliis, *formam regia auctoritate decernendi Capitula, quæ veram Ecclesiæ doctrinam euerterent, inconsultis Episcopis*, qui priùs Carisiaca Synodo Gotteschalcum assertorem damnauerant: posteriore contraria eius decretis capitula subscriptione probauerant, *Ecclesiasticæ disciplinæ, libertati, & religioni plurimùm noxiam esse*. Tria dicis, auctoritate Regia, & vt antea loquebaris, suprema vi, & violenta oppressione, Ecclesiæ doctrinam euersam fuisse. Quod est Regi Carolo iniuriosissimum, ab eius humanitate remotissimum, quòd solis Constantio, Zenoni, Anastasio, & similibus Lucifer aliquis obiecerit: neque hanc infamiæ notam vllus vnquam historicus Caroli Calui nomini inussit. Dicis deinde, hanc Catholicæ doctrinæ euersionem per Capitula Hincmari factam, ab Episcopis *decretam* esse. Quod & illis, & Ecclesiæ Gallicanæ toti pudendum est: eòque magis erubescendum, quòd in Concilio magno Tullensi Prouinciarũ duodecim, nihil admissum est quod Capitulis istis repugnaret. Ais postremò, *indicatum* illud fuisse: certè in Concilio isto Senonensi, quò rationes omnes tuas debes conferre, si quid conaris efficere. Quod ego aio omnibus penitus historicis fuisse semper, & esse incognitum. Tria cùm probaueris, negabimus inde deduci necessariò, Epistolæ Prudentij Episcopos assensisse, vel Æneam subscripsisse.

Responsio.

Contumelia Dissertatoris in Regem, & Ecclesiam Gallicanã.

7. Obiectio. Septimam obiectionem tanto zeli tui impetu vibratam video, vt religio sit vel syllaba vna fraudare lectorem. *Insolentissima Hincmari audacia & præsumptio, qui regia abusus auctoritate, definitionem quæstionum illarum, non solùm legitimis Synodis, (vt à Lupo Ferrariensi fuerat expetitum) impediret, sed regio nomine, ipse solus, cum fidelibus suæ factionis complicibus, clandestino conuenticulo vsurpare præsumeret, illis omnibus & scandalo, & contemptui non esse non potuit.* Quod non potuit non esse, quomodo tu potuisti non probare, imò non potuisti probare? Postulamus ergo monstrari à te, non per narrationes nudas, & diuinationes solitas, non prouerbiali tuo, *vt credibile est*, aut, *nemini dubium esse potest*: sed probatorum scriptorum auctoritatibus, insolentiam, audaciam, præsumptionem, abusum auctoritatis, & regij nominis in Hincmaro; fideles, complices, factionem, conuenticulum, in Synodo Carisiaca; legitimas Synodos impeditas ab Hincmaro, expetitas à Lupo; scandalum, & contemptum definitionis quæstionum illarum in omnibus consessus Senonensis Episcopis. Hoc facto, quæremus, an ex eo sequatur, doctrinæ à Prudentio propositæ Æneam subscripsisse?

Responsio.

8. Obiectio: In epistola Synodica ex Lupo sæpe citata, Prudentij nomen legitur; ergo in ordinationem Æneæ actu consensit, ergo Æneas in eius Tractoriam: siquidem non alia conditione consensurum se spoponderat. Sæpe iam responsum est, non esse Synodicam illam, sed ante conuentum scriptam, ab electionem Æneæ acceptantibus. Neque titulus illi appositus, *De ordinato ab ipsis Ænea*, Lupi Ferrariensis est, qui scribens *ad dignitatem Pontificatus promouendum decerni concorditer*, hoc ipsum in epigraphe sine dubio significasset dicens, *De ordinando ab ipsis Ænea*. 8. Obiectio. Responsio.

9. Eam Epistolam peracta ordinatione Wenilo Æneæ, Æneas Regi tradidit, *quò (vt verosimile est) totius prouinciæ iudicio permotus, ab Hincmari persuasionibus in his quæstionibus recederet: vel saltem iudicio Synodi eas definiendas permitteret*. Quod verum est, & ex Hincmaro probatur, in prima obiectionis parte, agnosco & amplector. Quod autem *verosimile* tibi *est*, mihi meditatum, & adinuentum parum subtiliter apparet. Nam cùm illam in manus Hincmaro dederit Carolus, si *verosimile est* Episcoporum Senonensium consilium, *totius iudicium prouinciæ* contempsit, & vnius Hincmari iudicio postposuit Rex Carolus: *Synodi* quoque *iudicium* neglexit, cùm ad illud tribunal eas quæstiones nunquam retulerit. In Carolum ex aduerso contumeliosi fuerunt Senonenses, qui quas nuper in Synodo Carisiaca decerni iusserat, rogatus est ab altera, vt vocas, Synodo damnatas æqui boníque consulere, tanquam in illa malè, & per vim, & eius violentiam definitas. Quæ omnia mihi *verosimilia* nullo modo videntur. Ac illud potiùs existimo, Æneam à consecratione reducem ad Carolum, rerum gestarum rationem cum Epistola reddidisse; quæ data deinde est discutienda Hincmaro. Quod regem in omnibus istis quæstionibus facere solitum, docent Capitula Valentina & Lingonensia, & alij articuli de Eucharistia, de visione Dei, de statu animarum, & similes alibi perstringendi. 9. Obiectio. Responsio. Hincmar. tom. 1.

Vides, vir eruditissime, tot rationibus nihil egisse te, quod ex sola meditatione, nulla auctoritate consistant; Hincmari doctrinæ apud Senonensium iudicia, nulla re penitus nocuisse Prudentium: longè probabilius videri, neque ratam habitam esse tractoriam, neque ab Ænea subscriptam: & tamen quasi parta victoria, deiectis Marianis trophæis, epinicio triumphali concludis, & exclamas. *Hic igitur celeberrimæ tanti Præsulis Tractoriæ fuit exitus, vt in sancta & venerabili Synodo perlecta, summa cum veneratione suscepta, omnium iudicio comprobata, etiam Regi totius Synodi precibus oblata, quasi Hincmarianorum Capitulorum Theriaca, postremò à Rege ipsi Hincmaro tradita fuerit expendenda.* Quæ quisquis superiorem disputationem legerit, cum risu excipiet. Non enim thrasonicis ostentationibus, sed nuda veritate causam nostram stare volumus. *Ridicula ostentatio Dissertatoris.*



CAPVT XIV.

Auctor libri de Tenenda Scripturæ veritate, Hincmari Capitula secundus impugnat.

Quanti liber hic æstimari debeat.

QVOD per Epistolam & Capitula Prudentius, hoc pleno tractatu aggressus est alius quidam ignotus, Lugdunensis Ecclesiæ nomen mutuatus, malam causam pessimè omnium agere, & partium suarum more, non tam fauere Gotteschalco, quàm Hincmarum insequi. Non peruenit quidem ad nos plenus & integer, sed minimo controuersiæ damno, quæ iam frequenter ad nauseam repetita, noui nihil parere posse, hoc ipso libello fatetur, qui penè totus ex alienis sensibus suffarcinatus est. Quò minor erit opera in eo ponenda, qui lectis ceteris, abiici potuit; si foret solus, contemni.

Auctor eius anonymus est.

Placet in primis mores auctoris inquirere, non nomen; huius enim reperiundi certa desperatio est; illos Hincmari solius ductu & auspiciis vestigare possumus. Video quidem Remigium Archiepiscopum à Dissertatore nominari, sed profectò iniuria: nam & indignus Remigio labor est; & aliena penitus à Remigio probra, quæ in hunc anonymum Hincmarus congerit; & quæ rapsodus hic ab Epistolario, cui pari licentia Remigij nomen affixum est, non mutuatur, ita mutat, vt muccosæ naris eum esse oporteat, cui diuersitas non oleat. Si dignaris explorare, Lector, & vtrique laboris aliquid impartiri, mihi mox assentiere: sin parcis tempori, prudentiùs & minore sumptu verum scies me referente. Quod de Remigio dico, de eius Comprouincialibus Episcopis intelligi cupio, & ad hunc librum, non minùs quàm ad Capitula Valentina, Hincmari professionem extendo, non esse à Remigio venerabili Archiepiscopo, & honorabilibus consacerdotibus Prouinciæ Lugdunensis conscriptum, quorum neminem tam durè & acerbè tractatum voluit Hincmarus, quàm asperè in hunc sæuit, non sine indignatione, & contemptu. Neque iustiùs assignes Ebboni Gratianopolitano, quem Compilatoris nomine tam accuratè defricat. Siquidem duos esse aduersarios locis mox citandis non obscurè significat. Neque ego vilioris scripti parentem sub infulis quærendum arbitror: solet quippe Hincmarus Sacerdotes Domini maiore cum reuerentia conuenire, si Ebbonem excipis, à quo plurimùm offensus, apertas cum eo inimicitias gerere non dissimulat. Quid quòd scriptorem illum *de schola* Gotteschalci fuisse asserit; Episcopum autem Monachi scioli discipulum censeri, nusquam leges apud Remensem, non Prudentium, non Compilatorem, non quenquam alium. Adeo iræ suæ admoderatur Hincmarus. Priuatus igitur est, & ipse sciolus, dignus magistro discipulus: sed quod minùs mireris, è regno Lotharij: vt ex eo coniicio, quòd hîc *libellus de scrinio bonæ memoriæ fratris vestri Lotharij sine nomine auctoris*, ad Carolum Regem, aut ad ipsum Hincmarum delatus est, eodem ipso narrante: qui si natus esset apud Sequanos, è Caroli iustiùs, quàm è Lotharij scrinio foret eductus. Hoc indicatum voluit, qui Lugdunensis Ecclesiæ titulum illi opusculo primus imposuit, quique in textum decantatam formulam intrusit, *Peruenit ad nos, id est, ad Lugdunensem Ecclesiam quædam schedula*; de qua dictum à nobis antea. Scripsit autem ille post Ebbonem, eiúsque librum de Tribus Epistolis, cuius riuulis hortulos suos irrigat: & nisi fallor, in Ebbonis ipsius gratiam, noua Capitulorum Carisiacensium oblata occasione, quæstiones easdem euentilauit, vt libri de Tribus Epistolis doctrinam magis magísque confirmaret, seruum pecus, assentator æmuli, stipendiarius satelles Ebbonis. Huic enim illum militasse, non obscurè docent ea quæ supersunt è tertij Capituli examine. Quamobrem non vereor asseueratè dicere, neque Remigium, neque Lugdunensem Ecclesiam, nec Episcopum vllum, nec peritum hominem, huius libelli auctorem videri: quicquid in titulo solita sua αὐθεντία scripserit Dissertator.

Non Remigius.

Non vllus Prouinciæ Lugdunensis Episcopus.

Non Ebbo Gratianopolitanus.

Sed priuatus aliquis Ebboni gratificatus.

E regno Lotharij.

Hincm. ep. 1. ad Carol. reg.

L. de Tenenda Scr. verit. post c. 12.

Quare quisquis hic est, & quo se cumque nomine vult appellari, sic describitur ab Hincmaro. *Quas etiam sententias quidam lingua rusticus, sensu insulsus, & secundùm scire suum, intelligentia prauus, libello inseruit, quem tacito suo nomine incompositum satis composuit.* Vocat & alibi *rusticum* non sanè stilo modóque dicendi, qui tolerabilis est, sed in communi hominum consuetudine, & pingui atque adipata pronunciandi ratione; sic enim exponere cogimur Hincmarum de viro sibi noto scribentem, licet in libello suo *lingua rusticus* nobis non appareat. *In quo*, subdit Hincmarus, *quatuor à nobis excerpta Capitula, quantùm ex ipso fuit, discerpere, & hæretica demonstrare curauit*: quod in ipso libello aperta luce cognoscitur, *vt de pusillo crescens, maior fieret de minore.* Hoc de Remigio diceret Remensis? *& de nostris blasphemiis, quia de suis non poterat laudibus, emeret modo quocunque fauores.* Non egebat fauore Remigius, aut Ecclesia Lugdunensis, vt eum tam malis & indignis artibus colligeret. Quid autem illis opus fauore in Regno Caroli? Aut quantùm ab eo sperare gratiæ potuerunt Lothariani contra Hincmarum? Pertinet ergo scriptor iste ad Lotharium, atque vnius Hincmari metu *tacito suo nomine* latere tentauit. Pergit Hincmarus post allatum ex historia profana exemplum: *Nam & isdem qui præfatum contra nos scripsit libellum, quantùm datur intelligi, si artem sciret qua votum suum ad effectum quod desiderauerat perducere valuisset, vt innotescere posset, voluntariè hæreticus esset.* Hoc est, tanto ambitionis & vanæ gloriæ desiderio flagrat, vt si claritatem nominis consequi posset ex hæresi, libenter eam complecteretur. *Sed quia contractus scientia, & distractus iactantia, nec quantùm voluit docere praua, præualuit*, non enim magnas hæreses, vt ait ille, faciunt parua ingenia, *& arrogantia inflatus, atque iactantia, velut quibusdam calcaribus stimulatus, & quasi quodam pressorio oppressus, intra silentij metas sine aliquo sono se cohibere non potuit.* Nec posse loqui præ ignorantia, nec tacere præ arrogan-

Describitur ab Hincmaro. l. de præd. c. 22.

Ibid. c. 29.

tia natiuus vulgarium sectariorum character est. Gotteschalcum ipsum per initia sæpe vidimus sciolum, & innotescendi cupidum: vt non immeritò rusticum hunc, verè semidoctum, hæreticorum metas flectere, voto saltem & cupiditate gloriæ, reprehendat Hincmarus. Qui eandem ambitionem omnibus aduersariis suis [Ibid. c. 17.] obiicit scribens, *ab obtrectatorum nostrorum venundationibus, qui de nostra infamatione sibi quærunt emere laudis famam, redimet nos qui redemit Israël ex omnibus iniquitatibus suis.* Neque tantùm rusticus, imperitus, arrogans est scri-[Ibid.]ptor ille, sed etiam delirus, vt alibi vocatur. *Scripsit quidam delirus, quem suprà memorauimus, contra nos.* Quo ex verbo intelligimus fuisse illum non ætatis feruore, sed mentis infirmitate gloriolæ appetentem. Sua spe igitur miserè frustratus est, qui non nisi per vitia posteris innotescit; ac ne innotescit quidem anonymus.

[*Probatur ea descriptio ex isto tractatu.*] Istiusmodi mores hominis, in vita conuictúque quotidiano speculari potuit Hincmarus: nobis autem ex solo tractatu, eóque imperfecto, quibusdam vestigiis licet deprehendere, & auctoris simul atque operis dare notitiam. [*Rusticitas scriptoris.* c. 1.] Rusticitas obiicitur; quæ paret statim à limine, dum neglecta præparatione animorum, impetu fertur in inuectiuam, & inuerecundè seculo suo falsa obiicit *Sacerdotum generalia Concilia intermitti*, cùm essent illis temporibus in Conciliis frequentissimi Antistites: *legum seueritatem & iudicum vigilantiam subtrahi*, cum Capitularibus & Missis dominicis omnia personent, quantùm quidem per bella licuit, & irruptiones barbarorum. *Specialis doctrinæ studia pene vbique extincta.* Quæ est illa *specialis doctrina?* quam ob causam *vbique extincta?* non vigebat in monasteriis? non lucebat in Prælatis? Scitum est inter arma silere leges, & studia litterarum. Declamaret igitur in bella, in barbaram crudelitatem, & infidelem fratrum Caroli amicitiam, principium & fontem malorum omnium. Addit quòd in media hæresi sit intolerabile, *contemni veritatem scripturarum, calcari auctoritatem Patrum, ex proprij sensus temeraria præsumptione, quæ apertissimè contraria sunt diuinæ veritati, doceri, statui, conscribi.* Ab iis videlicet qui Scripturam & Patres perpetuò loquuntur; neque quicquam, nisi ex eorum sensu, definitum volunt: quem si quando non assequuntur, error [L. de Trib. Epist. c. 1.] ille est, non contemptus. Quantò cautiùs vrbaniúsque causam aggreditur Epistolarius, benignè expositis iis quæ de Gotteschalci prædicatione narrantur, & propositis regulis, sine cuiusquam contumelia, secundùm quas controuersiam velit terminari. Memini Prudentio placuisse in hæc verba ordiri: *Blasphemias tuas, Ioannes, atque impudentias*, &c. Sed hæc ferocia est, tanquam satellitis in prædam & iugulum inuolantis. At hic noster illotas manus adfert ad opus, & aduentum suum pedum supplosione significat, vt paganus. Eundem patrum contemptum quàm falsò, tam horridè & rusticè aduersariis inferiùs exprobrat. Vbi de Fulgentio, non satis honorificè inter ceteros [L. de Ten. verit. script. c. 8.] recepto. *Et nunc nescimus qua ratione, imò infidelitate, & contentione simul cum Beato Augustino abiicitur.* Estne *infidelis* qui paria omnia cum Fulgentio non sentit? an *abiicit Augustinum*, qui Fulgentium sequi aliquando detrectat? *Et ab eis qui catholici videri volunt, tales ac tanti viri Dei iniquissimè iniuriati & spreti, velut quisquiliæ & purgamenta vilissima conculcantur.* Quæris quisquis in hæc incurris, quis dici debeat *lingua rusticus?* Qui sunt autem in quorum scriptis tantum facinus concipiatur? Nam illud de Pardulo non nisi diuinando concipitur: de Rabano & Amolone cogitari non potest: Hincmarus sensum suum de Fulgentio nondum libris de Prædestinatione enunciauerat, cùm hæc tam exaggeratè, ne dicam impudenter, scribebantur. *Et est*, inquit, *nimis mirabile, imò horribile, quomodo vt suis adinuentionibus & ineptiis credatur exigant, cùm ipsi beatissimos Patres, & inlustrissimos doctores Ecclesiæ abiecerint.* Vrbana sanè dicta, & Attici flosculi! *Ac per hoc nisi se citiùs corrigere studeant, verissimè hæretici iudicari possunt.* Subdit quoque cum Patribus, *etiam scripturæ sanctæ cælestem auctoritatem* ab iisdem *contemni.* Sales istos tam vrbanos ignorabat Rabanus Maurus, cùm de Prudentij eodem in proposito sententia [Raban. ep. ad Hincm.] scribebat. *Quia hoc nusquam in scripturis sacris ita mixtim positum inueni, eius traditionibus adsentire non acquiesco.*

Progrediamur in Hincmari descriptione. [*Insulsitas auctoris.*] *Delirum* vocat, & *sensu insulsum.* Id quàm verè dicatur, si fusiùs probare contendam, multa erunt ex breui opusculo describenda. Paucis [L. de Ten. script. verit. c. 5.] contenti simus in exemplum. Primo Capitulo scripsit Hincmarus, quod tradit scriptura, quod omnes huius controuersiæ tractatores communiter profitentur, hominem sine peccato rectum à Deo esse conditum, & in paradiso positum, vt in sanctitate iustitiæ permaneret. Quid hîc reprehendendum? Quòd nulla commemoratio gratiæ Dei facta est; *tanquam per ipsum tantummodò liberum arbitrium in sanctitate potuisset permanere. Quod Deus voluisse solummodo dicatur, non vt fieri posset, dono suæ gratiæ inspirasse, vel adiuuisse.* Perquàm insulsè! Vnde enim habuit homo liberum arbitrium, nisi à conditore Deo? Quale accepit in conditione? Infirmum & vitiatum vt nos posteri, an potiùs sanum ac vegetum in primæua innocentia? Quomodo iustè Deus velle potuit illum in sanctitate permanere, si vires & gratiam ad manendum necessariam non ministrauit? Vides quàm sæpè Dei gratia paucis in verbis intelligatur. Voluit enim compendium facere Hincmarus, non homiliam. Sequitur delirium: reprehendi Hincmarum qui de gratia tacuerit, inde probat, quòd *Dixit Deus, fiat lux, & facta est lux; & diuisit inter lucem & tenebras.* De Angelis, inquit, hæc Patres intelligunt; facti sunt lux Angeli, electi simul creati, & verbo eius illuminati, qui per se & in se nihil fuissent quàm tenebræ. At Angeli refugæ sibi relicti sine gratia conditoris tenebræ remanserunt. Pauca ista quantas tenebras patiuntur? Nam in primis id probat quod in quæstionem non venit, tanquam neget illud Hincmarus, quod vt summum, non exprimit. Deinde, rem fidei sensu mystico probat. Quomodo possumus & nos inferre, Angelos refugas à Deo factos esse tenebras, cùm sit scriptum, *Ego Dominus & non est alter, formans lucem, & creans tenebras.* [Is. 45.] Non ergo tantùm diuisit inter lucem & tenebras; sed vt lu-

cem fecit, ita & tenebras, non sola desertione, sed positiua effectione: quod nemo theologus asseruerit. Tertiò, vult apostatas Angelos, nullum à Deo gratiæ lumen accepisse, sed sibi suisque viribus relictos, impios mansisse. Quod recta theologia plurimùm improbat, vt hæresi Prædestinatianorum affine: ex eo enim sequitur, creatos esse vt perirent; tales factos vt aliter esse non possent; libertate caruisse ad vitæ assecutionem per meritum necessaria. Certum igitur est gratiam omnibus æquè collatam, sed non æquè collocatam. Præterea docet, electis Angelis ipsa creatione datam gratiam, quia *dixit fiat lux*. Quidni & idem de Adamo intelligere potuit Hincmarus cùm scripsit, Deus condidit hominem *rectum sine peccato?* est enim dictum in Genesi *faciamus hominem*, & si nullam in creatione gratiam percepisset, an fuisset, an stetisset *sine peccato rectus?* Denique his positis, & aliquibus Patrum auctoritatibus, citra necessitatem, extra quæstionem allatis, epinicio concludit, attendendam esse scripturam, attendendos Patres fidelissimè disputantes: ea videlicet de re, quæ nulli dubio subiacet apud Remenses. *Et non iuxta impium Pelagianum errorem credendum, primum hominem solo suo arbitrio in bono quod acceperat permanere potuisse.* Quod Hincmarianus nemo dixit; quod in Hincmari Capitulis ne per vmbram quidem reperitur; quod à quæstione primi Capituli de Præscientia & prædestinatione diuina, est remotissimum. Quare eò digredi, & inde reprehensionis occasionem arripere, hominis insulsi est, & inepti.

Aliud eiusdem rei exemplum. c. 4. Mox sequitur, delirium dicam, an hallucinatio hominis cerebrosi? Scripsit Hincmarus in eodem primo Capitulo, *Deum elegisse ex massa perditionis secundum præscientiam suam, quos per gratiam prædestinauit ad vitam.* Arguit iste, quòd in electione solam nominet Præscientiam, non etiam gratiam; quam soli prædestinationi attribuit. Iterum dico, insulsè! Quis enim electionem aut nominare potest, aut cogitare absque gratia, quæ prima & summa gratia est, gratiarum omnium, quæ per prædestinationem præparantur, solum & fundamentum? *Hoc*, inquit, *manifestè contrarium est catholicæ fidei.* Quidnam illud? Electionem non esse ex gratia. Verè, sed nunquid hoc præfert Carisiacense Capitulum? Quid frustra laboras? Quid bona verba disperdis ex Iacob & Esaü exemplo, & ex Apostoli Pauli auctoritate, vt electionem probes meritis præuisis priorem esse? Habes consentientes, quos fingis aduersarios. Sed tu distinctiùs disputa, & seposita electione, demonstra prædestinationem sine fidei damno meritis præuisis anteriorem dici non posse: hoc tibi plurimi graues & eruditi Theologi non concedent.

Reuelationem factā Isaac perperam tradit. c. 7. Et quando Geminorum facta est mentio, quæro ex te, veritatis in scriptura tenendæ gloriose assertor, qua ratione, qua auctoritate scripturæ, quibus Patrum testimoniis monstraturus sis, Isaacum in vtriusque filij benedictione non retractanda, vidisse magna sancti Spiritus illustratione, allegoricum sensum quem referebant, & totum primæ electionis ad vitam mysterium, qua frueretur Iacob, Esaü priuaretur? Vidisse *in duobus illis pari prima præuaricationis conditione damnatis, necdum natis, mirabile & terribile iudicium Dei, videlicet vt vnum gratis diligeret & eligeret; alterum iustè odisset, ac reprobaret.* Non nego sensum illum nonnullis Patribus Græcis Latinisque placere, atque inter Scholasticos Theologos celebrari, sed hoc aio, litteralem sensum non esse, aut Malachiæ qui primus extulit, aut Pauli qui fusiùs explicuit: neque fuisse necesse vt ad eum ascenderet *cæcus & pius pater*, ne suo errore per fraudem minoris agnito factum rescinderet. Hanc quippe reuelationem neque signo vllo sacra prodit historia, neque illam exponens tangit Augustinus, aut quis alius Patrum. Cur ergo nouè ac temerè inducitur ab eo, qui Scripturæ veritatem immobiliter vult teneri? Plura non addo tædij metu: atque hæc ex primo tantùm Capitulo collecta sunt, quia posteriorum duorum examen, licet alia methodo, iam antè peregimus.

Quàm sit porro *contractus scientia*, sine mediocriter eruditus, facilè deprehendet qui cum libello de Tribus Epistolis contulerit, ex quo plurima mutuatus est; ipsam quoque libri Hypognosticon refutationem, & alterius libri S. Hieronymo perperam adscripti de obduratione Pharaonis, quem ipse *de libero arbitrio* vult inscriptum. Quæ disputatio semidoctum redolet, quicquid apud alios arridet, ingratus in sua scripta intrudentem. Quid enim ea quæstio ad Capitula conducit? Quid verò politum & elegans; quid reconditum & subtile; quid acutum & solers toto opere reperitur? Qui delectus auctoritatum in Patribus? quæ productorum ab aduersariis locorum ingeniosa expositio? vbi splendor orationis, vbi veneres dictionis? Quæ vis in refutando, quod pondus rationum in probando? Videbamus modò in præuisione meritorum electionem à prædestinatione non distinctam. Accipe contradictionis speciem, in prædestinationis immobilitate incautiùs venditata. *Si quis dicit, quod præscientia & prædestinatio eius aliquem compellat vt malus sit, & aliud esse non possit, horribiliter blasphemat.* Verè, quantòque minùs Gotteschalcicè, tantò magis catholicè. Quomodo igitur paucis pòst versibus dicit, *omnipotentem atque æternam præscientiam & prædestinationem mutare, vel destruere non valet?* Vnde ad obscuræ & implexæ ratiocinationis cumulum colligit, hominis esse seipsum mutare & corrigere. Nam si æternam Dei prædestinationem ab omnibus hominis operibus independentem mutare non valet, seipsum quomodo mutabit in tempore? Et inferiùs, quisquis vtriusque testamenti dicta de gemina prædestinatione *fideliter legit, vel audit, ita ea debet accipere & tenere, tanquam verè æternaliter apud Deum præscita, & præordinata ac præfinita, vt omnino aliter esse non possit.* Quomodo igitur præscientia neminem compellit, vt aliud esse non possit? Quomodo mutabit homo seipsum, quando, quod æternaliter de eius salute præordinatum est, omnino aliter esse non potest? Non est prædestinatus vt sit malus, & tamen aliud quàm damnatus esse non potest, quia omnipotentem præscientiam mutare non valet. Hos nodos qua ratione soluat, nisi necessitatis antecedentis & consequentis, aut sensus compositi atque diuisi aduocata distinctione, quæ huic scriptori penitùs ignota est.

Exigua scriptoris doctrina. *Ibid. c. 9.* *Confusa argumentatio. & species contradictionis. Ibid. c. 5.* *Ibid. c. 7.*

Est discipulus Gottesch- Denique id hoc in homine notandum exhibet Hincmarus, quòd sit *de schola Gotteschal-*

chalci, sed catholicus. ci, non tamen hæreticus, nisi fortasse voto & animo. Siquidem inter eos catholicos militat, qui vt Hincmarum lædant, Gotteschalcum tueri simulant, non in iis quæ manifestè discedunt à fide, sed in aliis leuioribus, vt gemina prædestinatione, solorum fidelium redemptione, voluntate solos electos saluandi. Quare suspicionem hæreseos à se remouet, cùm scribit, *Ibid. c. 5.* *Præsciuit Deus malos futuros, sed ipsa sua præscientia non eos compulit fieri malos. Si quis neget esse apud Deum præscientiam & prædestinationem, manifestè infidelis est.* Subdolè, idem enim profitetur & Gotteschalcus. *Si quis dicit, quod præscientia & prædestinatio eius aliquem compellat vt malus sit, & aliud esse non possit, horribiliter blasphemat.* Et ista verbo tenus aliquando protestatur Gotteschalcus, sed omnino doctrinæ contextu, & hæretica mente Prædestinatianis consentit. Hic ergo Gotteschalci discipulus ita videri cupit, vt fidem tamen non eiuret. Quòd verò ambitionem, & innotescendi studium illi obiicit Hincmarus, illud vt à doctrina remotum omittimus: nisi quòd & hinc probatur fuisse priuatus, quando dignitatis Episcopalis amplitudo, satis ex se se claritatis possidet, vt vlla alia ex re notitiam & splendorem, nisi ab eximia virtute & pietate mutuari necesse non habeat.

CAPVT XV.

Liber quartus & vltimus Lugdunensium, cui Titulus, Absolutio cuiusdam quæstionis, breuiter decurritur.

Huius libri auctor non est Remigius, sed alius anonymus.



NEQVE contentiosus est libellus iste, nec quæstionem producit controuersiæ nostræ admodum vtilem; vt omnino prætermitti potuerit, nisi statuerent aduersarij, vel spicilegium eripere sequuturis. Latet adhuc auctor inter anonymos, nemine hactenus nomen tradente. Nam rara, & vni monetario Præsidi concessa felicitas est, hos omnes libellos, tanquam numos, illustri capite signare: & ne fallamur in pluribus, vni Remigio assignat omnes, *Contra Dissertat. c. 31.* atque hunc eò studiosiùs, quò videri magis affectat in re leuium leuissima ab Vsserio recedere, quem in dogmatis assectatur. Sic enim narrat, fide catholica in libro de Tribus Epistolis per Remigium regulis septem exposita, maximè vbi à Deo disposita omnia dicuntur immobili & incommutabili prædestinationis æternæ lege, ortam esse subitò inter Lugdunenses clericos eruditam disputationem, quomodo tota massa humani generis damnata dicatur, & tamen ex ea sint aliqui electi à Deo: quam breui isto tractatu Remigius Archiepiscopus, omnium magister, exposuerit. Quæ fabella tam affabrè ficta, cùm eiusdem auctoris plerisque aliis ad veras historias Luciani amandanda est, donec antiquioris alicuius historici testimonio confirmetur. Permirum enim videtur, librum de Tribus Epistolis neque Lugduni, neque à Remigio scriptum, vt probauimus, qui totis illis septem regulis, massæ damnatæ, & electorum ex ea secernendorum nullo modo meminit, Lugdunenses studiosos in hanc quæstionem coniecisse. Vix etiam mihi persuadeat, aut Remigio tantùm à publicis Ecclesiæ suæ rebus otij fuisse, vt ad omnes theologicarum quæstionum rumusculos opuscula conscriberet: aut bene studentes illos & intelligentes clericos, Atheniensibus similes, ad nihil aliud vacasse, nisi aut dicere, aut audire aliquid noui. Credibiliùs aliquis diuinauerit, in cœtu Theologorum eius factionis, quam Lugdunensem vocamus, cùm Hincmari Capitula quatuor hostili animo, & criticis oculis legerentur, extitisse nonnullos, qui in primo statim reprehenderent quod dicitur, hominem primum peccando factum esse massam perditionis totius humani generis. Deum autem ex eadem massa, secundùm præscientiam suam elegisse, quos per gratiam prædestinauit ad vitam. Alios ex aduerso contendisse, nihil hac in propositione censura dignum videri; quærendum aliud quod vnguis impressionem, & obelum iustiùs mereatur. Vtrisque opinionem suam animosè tuentibus, & ratis indecorum cedere, incaluisse disputationis æstum, vt fieri solet inter ingeniosos, & soluto conuentu ab vno meliùs sentientium, explicatam hoc scripto quæstionem, maiori controuersiæ incidentem, & inter eiusdem exercitus milites, absque partium damno agitatam. Hæc qui cogitabit & efferet, quid alienum ab historia temporum, quid ab vsu communi Theologorum abhorrens, quid remotum à Capitulis Carisiacensibus adducet in medium? *Probabilior coniectura.*

Maneat igitur ignotus hic scriptor, sit etiam incertum quibus in castris militet? Lugdunensium quidem partium, oppositarum Remensibus esse, putaui aliquando, inductus Titulo Lugdunensis Ecclesiæ: eóque præterea, (quod plures vulgò decipit) argumento, quòd geminam prædestinationem asserat, & supponat, non probet: quippe apud se suósque certam & contestatam. Verùm illam longè aliter exhibet quàm ceteri; massam videlicet totius humani generis prædestinatam esse à Deo ad iustam ac debitam damnationem, & nihilominus discretos electos, *manente inconuulsa damnationis prædestinatione in reprobis.* Vnde inter alia quæ concludit, istud expressè enunciat, esse reprobos *in æternum diuini iudicij prædestinatione damnatos*: illa videlicet quæ ante saluandorum secretionem totam massam inuoluit. Quod nemo Remensium negauerit, inter quos atque Lugdunenses, non controuertitur de prima illa damnatione, toti massæ per Adami peccatum communi & debita, de qua sola hic disputat; sed de secundo decreto, relinquendi reprobos in illa damnatione, dum ab ea separantur saluandi: contendente Hincmaro nullum nouum & positiuum, circa reprobos decretum intercedere, sed eos tantùm in massa relinqui & deseri, à qua alij positiuo decreto educuntur ad vitam. Cui sententiæ nullo verbo repugnat hic auctor, imò illam potiùs confirmat, & in bono lumine collocat: neque positiuum reprobos damnandi decretum vnquam appellat. Quamobrem si quis præfractè pergit contendere, esse illum Lugdunensis factionis, vulgari illi opinioni, *Non videtur contra Hincmarũ scripsisse.* *Geminam prædestinationem quo sensu agnoscat.*

quæ potiùs credita est, quàm expensa sic assentiar, ne quid proprio iudicio dare videar, vt negem omnino contra Hincmarum pugnare. Quis enim toto in opusculo proferre possit quicquam, aut Capitulis quatuor repugnans, aut Gotteschalci assertionibus certo proposito consentaneum?

Non est alienus à Christi redemptione ad omnes referenda. Quid si in Patrum referendis auctoritatibus, tanquam aliud agens, putetur eos locos professa opera elegisse, in quibus Christi redemptio pro omnibus facta fuisse significatur? Potuit enim alia ex Ambrosio producere, quàm istud. *Quis enim diues, nisi solus Diues, qui omnia creauit? Sed multò magis diues misericordia, qui omnes redemit. Quis enim mutare naturam potest, nisi qui creauit naturam? Itaque suscitauit mortuos.* In quibus & reprobos redemptionis dono suscitari vidimus in Hincmaro. Potuit hæc ex Leone prætermittere. *Redit in honorem suum ab antiquis contagiis purgata natura.* Et similia, si non naturæ toti, sed aliquibus tantùm priuatis & singularibus hominibus vtilem fuisse Christi passionem existimauit. Atque idem propositum non parum adiuuat scripti modestia, quod nullo aduersùs Hincmarum felle tinctum, temperatè sedatéque Theologiam suam exponit: cùm Lugdunenses alios, Epistolarium, & Scripturarium, odio eiusdem Hincmari, & æmulatione exacerbatos, plura in eum conuicia coniecisse viderimus. Habent ista momenti nonnihil ad Scriptorem hunc Hincmari partibus asserendum: nisi malit aliquis medium inter contendentes stetisse, vt & nos rem illam in medio relinquamus.

Ambrof. in Epist. ad Ephes.

Non inuehitur in Hincmarū.

Qualis sit eius doctrina. Denique scriptorem istum exornat scientia temporum propria: sola videlicet Scripturæ & Patrum lectio, Theologiæ solertis indagine destituta, quæ locos exaggerare nouit, non exponere: quæ obuia quæque solet producere, non subtilia. Vnde & à vero quæstionis statu nonnunquam abducitur; & emergentes in animis lectorum ex Patrum dictis tenebras non dissipat, & ad scopulos orationem incautiùs allidit, quos disceptatrix Theologia nullo negotio deuitat. Quæ omnia in accuratiore libri expositione Lector attentus inueniet: ornamenta autem illa ex historia sacra profanáque, ab Hincmaro frequenter, at non concinnè semper adscita, scriptor iste vel ignorat, vel negligit.

Status quæstionis, & libri subiectum exponitur. Iam opusculi ductus simplex est. Statu enim quæstionis, pluribus quàm perspicuitas requirat, exposito, & quibusdam in eum additis, sententiam suam, Scripturæ primùm, deinde Patrum antiquorum dictis confirmat: postremò paucis versibus concludit, & in fine præcipitat. Quæstio in eo posita est, an verè dicatur, *Tota generis humani massa ex merito primæ præuaricationis ad interitum damnata?* Dubitationi locum præbent duo, immobilitas Dei, & aliquorum ex ea massa eductorum saluatio. Nam si totam massam æterno, & incommutabili decreto constituit damnare, cùm aliquos ex ea eligit ad salutem, id faciat oportet decreto posteriore, atque adeò non æterno; & prius decretum mutet, pro parte electorum. Si dicis vtrunque decretum æternum esse, pugnantia loqueris, vt Deus æternaliter atque immobiliter totam massam damnare decernat; & simul æternaliter, atque incommutabiliter non totam massam damnare, sed multos ex ea secernere, & eligere ad salutem decernat. Quidam his laqueis implicati, noua distinctione extricare sese conabantur, negabántque, æterno decreto totam massam esse damnatam, sed tantùm ex parte damnatam in reprobis, & ex parte non damnatam in electis. Ita conflictum æternorum decretorum dirimi, & immobilitatem Dei sartam tectam conseruari, crassa & pingui theologia docebant. Eam diuisionem euertit auctor hic noster, multísque probat, omnes penitus Adami posteros merito paternæ transgressionis, *pari reatu, pari conditione, pari sententiæ damnatione* esse naturaliter, & nasci *vasa iræ, vasa vindictæ, vasa damnationis æternæ.* Ex qua massa nihilominus aliquos eligit Deus, gratuita sua misericordia, & *ereptos de potestate tenebrarum transfert in regnum dilectionis filij sui.* Quia iuxta Apostolum, *habet potestatem figulus luti ex eadem massa, simul & tota damnata, facere aliud vas in honorem, per misericordiam suam, & aliud in contumeliam, per iustitiam suam*, quos scilicet in debita damnatione iusto iudicio relinquit & deserit, non eligendo. Hæc est quæstio, & istud auctoris propositum pium atque catholicum.

Difficultatibus in errorem inducentibus auctor non satisfacit. Video, inquis, quid agat, & probo. Sed illos æternitatis nodos, qui ad stolidam diuisionem malè philosophantes impulerunt, quomodo soluit? Totus est in conficienda thesi, de totius massæ damnatione, & aliquorum electione, quia Scripturam habet & Patres, illam apertè denunciantes. Sed incidentem quæstionem ab obiectione, quomodo istud extra Dei mutationem possit intelligi, quod sola explicat Theologia, traditum ab eo non apparet. Quid prodest autem Patres audire, si non intelligas? Vis exemplo discere, absque facula Theologiæ, eius decreta & mysteria temerè tentari, *qui posuit tenebras latibulum suum*, neque hoc scripto emergentem difficultatem satis illustrari? *Quantùm pertinet ad meritum culpæ, ait, iustè omnino & tota massa & simul æterna sententia condemnata est. Quantùm verò attinet ad bonitatem & misericordiam conditoris, ipse sibi nec necessitatem imposuit, nec potestatem abstulit, vt de creatura sua posset inde saluare, quantùm inde placeret.* Non satisfacit, neque omnino causam nouæ diuisionis euertit. Sic enim opponent illi: si tota simul massa æterna sententia damnata est, qui postea inde liberantur, æterno decreto gratiã illam recipere non possunt. Sunt enim priùs damnati merito, postea saluati gratia; quas voces ignorat æternitas. Deinde, si decreuit æternaliter & immobiliter, sibi profectò *necessitatem imposuit, & potestatem abstulit* aliter agendi, quia vt ait Apostolus *Impossibile est mentiri Deum*, immobilitatem consilij sui soluendo. Quare ne digito quidem difficultatem attingit, matrem quæstionis. Hebr. c. 6.

Alia responsio inefficax. Accipe igitur ab eodem aliquid explicatiùs. Non est infrequens in Scripturis, videre Deum, & audire iustè aliquid in improbos decernentem, quod tamen deinde vel suapte pietate, vel iusti hominis supplicatione placatus indulgeat. Quod Mosi non semel accidit, stanti in confractione in conspectu eius. *Non quòd in eius voluntate vlla sit mobilitas, sed quia ita illud iusta seueritate decreuerat, vt id postea vnica pie-* Deuteron. c. 9.

tate, & iusta interueniente causa relaxaret. Potest ergo talibus exemplis intelligi, & quomodo totam massam damnationi addicat, exigente iustitia; & aliquos tamen deinde suadente misericordia inde liberet & eripiat. Vellem quàm pulchrè ista, tam solidè dicerentur. Non enim peruidet Theologus, comminatoria hæc & conditionata esse decreta, nulla ex parte cum æterno & incommutabili decreto, in quo versatur quæstio, conferenda. Distinctionis ergo quæ impugnatur, auctores, iure consecutionem negauerint, si nihil firmius additur.

Tertia expositio adhuc imperfecta.

Paulùm vlteriùs promouet tertio conatu, & de destinatione totius massæ generaliter ad interitum, déque quorum misereri vult electione, sic loquitur. *Vtrunque simul in æterno Dei consilio semper fuisse, nulli fidelium dubitare licet. Quia quamuis iuxta ordinem rerum temporalium*, (hoc est, modo concipiendi humano) *precedat in genere humano iusta illa damnatio, & subsequatur illa misericors exinde liberatio; apud æternam tamen, atque incommutabilem veritatem, vbi nihil est antè, nihil postea, sed omnia & æqualiter & simul, tam præcedentia scilicet, quàm subsequentia in rebus mutabilibus, vno cernuntur intuitu, vno disponuntur nutu; vtrunque vt dictum est, & sempiterna præscientia præcognitum, & sempiterna dispositione constat esse præfixum, ac præfinitum.* Hic & vera loquitur, & mutationis opinionem quæ turbat aduersarios, amolitur à Deo. Sed assertio est, non probatio; fidei articulus, non eius elucidatio. Cùm illi propositioni assenserit aduersarius, quærendum adhuc superesit, quomodo possit intelligi, vt vno cernat intuitu, & totam massam damnatam, & non totam damnatam, sed aliquos ex ea liberatos? vt *æqualiter & simul* disponat omnes damnare, & non omnes damnare? Quòd si *nouitas diuisionis inducitur*, vt vno & eodem intuitu videat, vno decreto disponat massam ex parte damnare, ex parte non damnare, quid ab eius æternitate & immobilitate dicetur alienum? Misericordiæ, inquis, & beneficij magnitudini, quo donantur electi, multùm detrahit, qui putat beatos fieri ex non miseris, saluatos ex non damnatis. Imò, excipiet aduersarius, suprema felicitas est nunquam fuisse miserum: summum misericordiæ genus, ibi semel constitui, vbi misericordia non egeas. Admitte diuisionem, cogita Petrum & Paulum in parte non damnata collocari, cùm potuissent Pharaonis, Iudæ, Antichristi comites fieri in parte damnata, integro diuinæ pietatis beneficio perfruentur, quòd non tantùm salui fiant, sed etiam extra omne damnationis periculum salui semper esse debuerint. His responsionibus silentium auctor noster indicit, monstrans ex Scriptura & Patribus non esse admittendam diuisionem, sed totam generaliter massam esse damnatam, & qui saluantur, ab illa eximi: vlteriùs non progreditur, quomodo intacta Dei æternitate possit illud intelligi: quæ res tamen vna disputationi dedit initium, quam modò dupondius quilibet in theologia perfacilè commonstret, post intelligentiæ nostræ imperfectionem professam, rationis instantibus, & decretis pluribus in æterna vna prædestinatione distinctis. Qua lingua si non vtuntur Patres antiqui, vni tamen illi se præbent intelligendos.

Theologiæ cognitio ad Patrum lectionem afferenda.

Lapsus auctoris.

Eiusdem Theologiæ necessitatem efficaciùs docet auctor iste, lapsu, vt ego semper existimaui, improuiso, dum incautus in Gotteschalcum, & Prædestinatianos incurrit, & in ipsa quæstionis expositione, ait permanere in reprobis reatum, quia manet in eis damnationis sententia, & illam solui sententiam in electis, in quibus idem reatus per Christi sanguinem est solutus. Atque iterum in conclusione & quæstionis & libri: *Manet namque in illis* (reprobis) *antiqua, & prima præuaricationis reatus, qui in istis* (electis) *Christi sanguine est deletus.* Quis est autem primæ præuaricationis reatus, nisi peccati originalis macula? hæc si manet in reprobis, etiam post baptismum; si soluitur in solis electis per applicationem Christi sanguinis in baptismo, redimus ad Prædestinatianum dogma ex Fausto Reiensi suo loco productũ: accedimus ad Gotteschalcum in Amolone dicentem, Baptismi sacramentum perfunctoriè & frustratoriè, omnibus qui post eius perceptionem pereant, dari; & omnino Christo per illud, & Ecclesiæ non incorporari, ac per hoc nec vnquam fieri & esse Christianos. Nam si reatum originis retinent, effectu baptismi fraudantur, neque verè & Deo iudice Christiani sunt. Manente autem illo reatu, peccatorum actualium reatum, & culpam aliis Ecclesiæ sacramentis tolli nemo putauerit. Stante culpa fieri non potest, vt tollatur pœna, vel minuatur. Habemus igitur baptizatos, omnibus & originis & vitæ criminibus, eorúmque pœnis oneratos & obstrictos, quod sine infinita rerum perturbatione, & illæsa Ecclesiæ fide scribi omnino non potest. Fefellit, opinor, auctorem vox *reatus*, & causam cum effectu confudit. Etenim primæ præuaricationis reatus, causa est debiti damnationis. Quod in baptismo reproborum aliquo modo manere censeri potest, quando ad tempus sublatum, reuiuiscet aliquando, & captiuum suum per finalem impœnitentiam ad interitum trahet: non sic tamen, vt originalis reatus pœnam apud inferos luat, quem gratia regenerationis in Christo in perpetuum aboleuit, & chirographum decreti, quod aduersùm nos erat, deleuit, vt in Apostoli verbis præclarè scriptor expendit.

Malè defenditur à Dissertatore. c. 31. cit.

Scio hunc errorem aliter à Dissertatore Monetali Theologo defendi, & ad reditum peccatorum per vitium ingratitudinis reduci, *iuxta obseruationem Magistri nostri Andreæ Duuallij Doctoris Sorbonici, in notis ad librum de Tribus Epistolis, ex D. Thoma.* Quasi tantùm velit, eo peccato quod post baptismalem remissionem contrahit reprobus, quóque perseuerante damnatur, reuocari moraliter originalis grauitatem, & eius culpæ, suppliciòque pondus aliquod adiicere. Verùm, neque sapientissimus Magister noster Duuallius hunc omnino locum tangit, aut librum: neque allata ab eo ex D. Thoma explicatio vlla ratione huic dicto patrocinatur. Ibi enim cum Epistolario agitur, qui contentionis gratia, peccata actualia remissa redire disputat; de originali autem pronunciare nihil audet certò & affirmatè. At iste noster, actualia omnino non cogitat, originale verò affirmat non redire, sed manere; neque vnquam aut D. Thomæ, aut Duuallio, aut Ebboni ipsi Epistolario venit in mentem quærere, vtrum reatus & macula primæ præuaricationis

nis

nis maneat in baptizatis postea peccaturis, postea perituris: alia est ergo scriptoris huius, & illius causa, atque alterius excusatione, alter malè contegitur. Et hæc de absolutione quæstionis, & omnino de Lugdunensibus libellis, absoluta sunt.

CAPVT XVI.

De Concilio Valentino Tertio, in quo Capitula Carisiaca tertiùm oppugnata sunt. Et in primis vniuersè quædam de eo prænotata.

Synodus hæc plurimùm extollitur.

QVi Valentinum Concilium tertium posterioris controuersiæ catholicorum cum Hincmaro fomitem & animam vocauerit, is meo iudicio rem attigerit: adeo apertè Hincmari Capitulis infestum creditur, adeo frequenter ab aduersariis citatur, ambitiosè laudatur, & velut quædam Christianæ religionis columna extollitur. Iacobus Vsserius præter ceteros, & eius assecla Dissertator Præses, canones omnes ad vnguem describunt & vindicatum Gotteschalcum prædicant: addit iste condemnatum Hincmarum, Concilium *ab vniuersa Ecclesia tacito consensu approbatum, & confirmatum fuisse, solo Hincmaro reclamante*, & eiusmodi grandia, terrendis pueris non inutilia. Quæ nos vt solidè, & remota ambitione verborum expendamus, hæc credimus prænotanda.

Vsser. l. de hist. Gottesc. c. 11. Dissert. c. 37.

Antehac non satis perfectè fuit cognita.

I. Perdiu parum accuratè cognitum fuisse Concilium Valentinum quod tangimus, historicis omnibus qui ante renatum Hincmarum, & Flodoardum scripserunt, imperfectam solummodò eius notitiam assecutis. Pono exemplum in Cæsare Baronio, qui nobis ob partam ex historia gloriam, & veterum postremus, & recentium primus dici potest: is enim nulla sua culpa, & non magno historiæ Ecclesiasticæ damno aberrat à vera huius Synodi traditione. Cur ita? Quia cùm illam non aliunde haurire potuerit, quàm ab Hincmaro, vel Flodoardo, priorem adhuc tenebris clausum videre non potuit: posteriorem lingua vernacula loquentem, & noua versione Latina sibi notum, censeri non debet perfectè intellexisse. Vnde consequitur, vt imitatoribus Baronij, Seuerino Binio, Posseuino, Gordono, & ceteris, non plus fidei hac in re, quàm ipsi eorum principi debeatur. Conuenit in hac obseruatione nobiscum Dissertator, sed eam ad Gotteschalcum refert, quem negat eo Concilio damnatum, licet coactum dicat Baronius, *contra Scotos quosdam vagos homines, quorum princeps Gotteschalcus, de prædestinatione & præscientia Dei, & de libero arbitrio prauas opiniones in vulgus spargere laborabant, ex quibus catholica doctrina corrumperetur.* Sed in eo tantùm peccat Baronius, quòd Scotos vagantes, & eorum principem vocat Gotteschalcum: non autem in illis erroribus Gotteschalco assignandis, vt paulò pòst correctiùs dicat, *illum fuisse horum errorum auctorem, & magistrum discipulorum.* Quod aliunde sibi notum esse non tacet. Ego verò ad notationem istam eos reuoco, qui eximiam quandam huic Concilio auctoritatem deferendam putant, velut Carthaginiensi cuidam, aut Laodiceno, & illis primæ notæ prouincialibus Conciliis, quæ qui vel expendere aggrediatur, fidem suam suspectam reddat. Nam si Baronius; qui nullum antiquitatis Ecclesiasticæ sinum reliquit intactum, fidelium librorum defectu, Synodi huius scopum non omni ex parte attigit, quis dedecorari se putet, si nonnihil de illa ignorare dicatur? aut si posteriores auctorum copia locupletati, plus aliquid videre confidant?

Baron. ad an. 845. tom. 10. Binius not. in hoc Concil. Possevin. in appar. Gordon. in chronolog. ad an. 855. Baron. ibid. ad an. 855.

Cur ab aliquibus scriptoribus magni fiat.

II. Obseruandum igitur hanc illi apud priores auctoritatem aduenisse ex numero canonum, & qualitate. Tres enim & viginti numerantur, quot Ephesina, Quinta, & Sexta Synodi generales non condiderunt. Illis fidem regunt, & mores. In fide, ad antiquiora Concilia, & Patres Ecclesiæ respectare se profitentur, nihil vltra docere. In moribus, magnis morbis medicinam afferunt, ne indiscussi, imperiti, improbi ad Episcopales sedes proueliantur; ne res Ecclesiæ occupentur à laïcis, ne subditos Episcopi opprimant, quin potiùs præbeant se in omnibus bonis operibus exemplum: ne vterque iudicio contendentium iurare cogatur, quòd alterum peierare necesse sit: vt singularium certaminum vsus detestabilis omni seueritate comprimatur: & similia, quibus quid sanctius antiquitas veneranda produxit?

Qui ad plures circumstantias non attenderunt.

III. Verùm si spectatur attentiùs à quibus, in quos, quo animo, quo consilio canones isti decernantur, excutietur malè cauta securitas, & grandis orietur suspicio, mixtas esse huic tritico paleas, ventilabro rationabili secernendas. Cogita enim Lotharij Episcopos, Carolo non amicos, Hincmari æmulos; indictum à Lothario Concilium è tribus Prouinciis: quæsitum prætextum vt Episcopi accusati causa cognosceretur, cuius Episcopi nomen tacetur; cuius iudicij exitus non explicatur; cuius Concilij causa ne canonem quidem vnum facit, cùm Archidiaconi Viennensis querela in postremo canone paginam excedat. Attende Ebbonem cum Archiepiscopis nominatum sine exemplo, Euangelia in medio collocata præter talium Conciliorum morem, Capitula sine litteris Synodalibus missa, non à Synodo, sed à Lothario; non ad Ecclesias, sed ad Carolum Regem; non ab inferioris ordinis clerico, sed ab Episcopo, ipsóque Ebbone perlata: & eiuscemodi alia, quæ considerabuntur à nobis. Hæc profectò sapienti cuique suspecta esse debent, vt pretiosum à vili separare conetur. Ne verò putes Hincmari, aut cuiusquam alterius rei studio Valentinum Concilium ab anterioribus scriptoribus magno æstimatum, eleuare me, quódque hactenùs apud aliquos auctoritatis possedit, velle detrahere. Scio quid aduersariis optimo iure soleat obiici, quæcunque pro illis faciunt, in immensum extolli; quæ contra illos, indignissimum in modum deprimi. Cupio amorem partium vsque eò nunquam apud me procedere. Dignitatem Synodo Valentinæ seruatam volo, sed intra meritum. Opto canones æstimari, sed post discussionem in mensura, & pondere, non impetu fauoris, non præiudicio priorum. Si cui trutina quam offero, minùs æqua videbitur, non iudicio suo, sed potiori ratione, alteri lanci momentum adiiciat.

Quot, & quales Episcopi in hac Synodo fuerint.

IV. Itaque quod in aliis Conciliis, hoc etiam in isto spectandum arbitror, ex quibus Episcopis sit conflatum: eáque in parte nihil eximium video, siue virtutis, siue doctrinæ gloria petitur, quo animi nostri ad admirationem decretis præstandam permoueri debeant. Nam Episcopi sunt tantùm quatuordecim, quem numerum in Synodo Palæstina Pelagius decepit. E tribus Prouinciis collecti. Qua necessitate? Num satis erat Agilmarus cum suffraganeis suis, vt subditi Episcopi causam in Concilio prouinciali audiret? Agilmarus ipse Viennensis Metropolitanus quid gessit in vita, quo nomen cum laude ad posteros propagaret? De Rotlando Arelatensi nihil video in historia, nisi quòd post hæc tempora, *Abbatiam S. Cæsarij apud Ludouicum Imperatorem, & Engilbertam, non vacua manu adeptus sit*, quod in margine statim explicatur, *emerit*; ac mox cum Saracenis confligens, captus ab eis in eorum vinculis nauibúsque decesserit. Remigium Lugdunensem, & laude dignum prædicauimus antea, & modò vt virum grauem, & sapientem veneramur: sed eam gloriam huic causæ, & Hincmaro ipsi obesse nolumus, & si quis contentiosiùs volet disputare, de Magni nomine quod ab aduersariis illi nuper donatum est, non parum detrahet. Illum siquidem ex solo penè Hincmaro, & Conciliorum titulis nosse incepimus: nam à Lupo Ferrariensi quid habemus præter nudum nomen, & sedis titulum? Scripta verò Ecclesiæ Lugdunensis nomine illi attributa legitimè, tum credemus, cùm vetustiorem & locupletiorem Paradino testem nacti fuerimus. Tres Archiepiscopos Ebbo sequitur, de quo nobis peculiaris erit quæstio. Ragenutus Aueniónensis, Elias, Baldemarus, Richardus, incertarum sedium Episcopi, Audinus Chorepiscopus, nomina subscripta Concilio, excisis reliquis, quid sunt aliud quàm nomina? Decernant isti de rebus fidei? aliorum Conciliorum definitiones, in quæ nihil habent iuris, repudiandas edicant? amplissimorum Conciliorum mores & ritus affectent, velut parem cum illis auctoritatem sibi conciliaturi?

Aimoin. l. 5 hist. c. 23.

Lup. Ferrar. epist. 122.

Quomodo eos laudet Hincmarus. Dissert. c. 37.

Atenim testimonio Hincmari ipsius nihil opponi potest, qui quorum censura læditur, eorum laudes prædicat. Quantam oportet esse virtutem quæ gloriam etiam ab hoste accipiat? Gaudeo vel hîc agnosci, vera dicere potuisse Hincmarum, qui si Lugdunensium partes foueret, fraudum eius & nequitiarum nulla esset tota in Dissertatione, in fabula Prædestinatiana, in Synopsi, memoria. Quid ergo ad gloriam Valentinorum Patrum scribit Hincmarus? *Tantos ac tales viros* appellat. Satis vniuersè, quod ad eorum gradum & ordinem æquè, vt ad personam applicetur. *Remigij Coëpiscoporúmque eius Diœceseos mentem catholicam atque doctrinam cognouisse.* Non sentis angustius fieri testimonium, quod de vnica feratur prouincia? Quales igitur aliæ duæ? nunquid in illis Ebbo, caput auctórque censuræ? Iterum vocat: Quos? Lugdunenses eosdem, *spiritales viros, quorum & vitam religiosam, & doctrinam catholicam, & ordinationem canonicam non ignoret.* Egregiam verò laudem, quod in Sedes suas intrusi non sint, quòd non hæretici, quod religiosè viuant absque scandalo, vt decet Episcopos; & id in vna è tribus Prouinciis, vt hæc exceptio, ceteros faciat esse suspectos. Quid minùs de vtraque Carisiaca Synodo dixerit? Quæ laus in Remigium hoc loco collata, Æneam nostrum ipsi reddit inferiorem? vterque enim è Palatina militia, *canonica ordinatione* venit ad infulas: Remigij *catholicam doctrinam*, Hincmarus, Æneæ *veracem doctrinam* prouincia Senonensis agnoscit. Illi *vitam religiosam* attribuit Remensis, huic Wenilo *sancta opera*; Clerus autem Parisiensis *inter graues probabilésque personas, & sanctitate feruentes absque errore annumerat*. Fuit inquis, *S. Remigius huius Concilij præses & genius, vt Augustinus Africanorum*. Quî probas quod ego pernego? Cur enim Remigius in aliena prouincia? Cur non Agilmarus in sua, tempore ordinationis longè superior? Nam illi Bernardo, impij sceleris in Pij Imperatoris exauctoratione socio & administro, successisse legitur absque medio Agilmarus, Amoloni autem quàm recens successit Remigius? Sed istud affirmatur, vt pleraque, ad imperitorum ludibrium, vt auctor Canonum esse credatur Remigius, vt prosopopœia illa Remigij, doctrinam suam in Concilio proponentis, & Patrum sententias rogantis, quales Poëtæ solent in fabulis excogitare, fidem apud credulos inueniat. Nominatur, inquies, trium Metropolitanorum primus Remigius. Hinc ergo colligi putas Synodo præsedisse? At meministi Parisiensem Synodum à te nominatam, in qua Lantrannus Turonum Antistes primus appellatur: in alia Parisiensi Synodo primum subscripsisse Hincmarum Remensem, quos, vt opinor, Synodorum illarum præsides fuisse non affirmas. Nec ignoras veterum eiusmodi Synodorum inscriptiones non eodem semper ordine diuersis in exemplaribus dispositas reperiri, antiquariis prout ad hanc aut illam diœcesim pertinebant, Antistiti suo priorem locum gratificantibus.

Hincm. ep. 1. ad Carol. reg.

Idem l. de præd. c. 36.

Remigius non fuit præses Synodi.

Bernardus Viennensis.

Dissert. c. 36.

Ibid. c. 12.

Causa Concilij quæsita & affectata.

V. Post Episcopos, causam congregandi Concilij, circumstantiásque videamus. Habentur in Præfatione Concilij in hæc verba. *Cum propter causam Episcopi ciuitatis ipsius* (Valentinæ) *criminibus diffamati, ex iussione præfati pij Principis* (Lotharij) *reuerentissimi trium Prouinciarum Episcopi in vnum collecti resedissent.* Quàm magna in ipso limine paret affectatio? Iudiciaria Synodus est, de capite Episcopi cognitura, vnam ob rem consentit Lotharius Episcopos conuenire, vt Episcopo accusato ius in Synodo reddant. Quis dubitet quin illam vnam rationem Imperatori obiecerit Ebbo, vel quis alius, vt permitteret Episcopos conuocari? Quid tamen minùs actum in illa, quàm tale iudicium? Expectabam obiecta Episcopo crimina, productos accusatores, aut testes, rei defensionem, aut confessionem, electos iudices quibus secretò confiteretur, quod ab Ebbone Remensi factum scimus. Concilij postremò sententiam, qua vel reus de gradu & communione fidelium deiiciatur; vel innocens ordini dignitatíque suæ asseratur, vt Hincmarus in Suessionensi. Aliorum Episcoporum iudicia in aliis Conciliis vidimus, Prætextati Rothomagensis in Parisiensi; Promoti in alio Parisiensi; Armentarij in Reiensi, Ægidij Remensis in Metensi, vt sexcenta alia taceam; in quo illorum, tam festinanter & rapidè narrata facti historia, quàm leuiter & perfunctoriè primarium istud caput, & vnicè allata Synodi

Tom. 1. Concil. Gallic.

causa refertur? De toto iudicio nihil hîc auditur, nisi pauca hæc verba, *post obiectiones Episcopo factas, discussas & finitas.* Cui *Episcopo?* quas *obiectiones?* quanta cura *discussas?* quam in partem *finitas?* Ita causam Prætextati narrat Gregorius Turonensis? Ita condemnatum Ægidium refert historia Concilij Remensis? Sic Ebbonem depositum in Concilio docet Hincmarus? Quid deinde? *Placuit omnibus in sancta Synodo constitutis, ne fratrum conuentus absque ædificatione discederet, hæc pauca &c. deuota & solicita pietate adnotare.* Pauca illa, sunt canones fidei, decreta morum, Conciliorum librorúmque censuræ, contumeliæ Episcoporum. O *ædificationem!* ô causæ appendicem! Huc nimirum properabatur, dum Episcopi iudicium leuissimè perstringeretur. Episcopalis accusatio, apud Lotharium præcipua erat congregandi conuentus causa, apud Ebbonem prætextus, apud consilij participes occasio, vt *pauca* illa *subter annecterent*, & Caroli Episcopis insultarent. Quàm multa enim Concilia peracto iudicio, & causa conueniendi expleta, *absque* tali *ædificatione discesserunt?* Quàm multis Episcopis, absque trium prouinciarum coitione ius dictum? Cui vnquam Concilio tam breue caput, tam grandia membra obuenerunt?

VI. Sed in hoc capite nondum animus acquiescit. Potius vt sciamus quis ille sit Valentinus Episcopus, tantis *criminibus diffamatus*, vt *iussione principis*, vt vocatis *Episcopis trium Prouinciarum*, vt aliis circumstantiis quas modò expendemus, opus fuerit ad eius iudicium peragendum; quod tamen tam nullius momenti fuit, vt eius effectum nihil penitus interesset ad posteritatis memoriam conseruari? Circa hæc tempora Episcopatum in Valentina ciuitate gessisse ab nonnullis historicis scribitur Bonitus, ab aliis ne nominatur quidem. Nouum illud, quòd Ioannes Columbi, res gestas Valentinorum Episcoporum priuato studio prosequutus, in historia Bonitum nominat, Lambertum inter & Ratbertum, adeò nudè, vt aliis omnibus dotibus spoliatus esse videatur: in catalogo autem Valentinorum Episcoporum, hoc etiam nomine, quod vnum supererat, exuit, & omnino præterit, Lamberto Ratbertum immediatè subiiciens. De Valentino autem Concilio, quod modò tam gloriosè iactitatur, *mussat*, vt tacendo fortasse insinuet, quod nos clamamus, Episcopi Valentini accusationem, merum esse colorem huic Concilio quæsitum, vt de dogmatis ageretur; proinde ad res gestas Valentinorum Episcoporum propriè non pertinere, quas susceperit narrandas; sed ad contentionem inter diuersorum regnorum Episcopos, quam ab instituto suo alienam, licet in vrbe Valentina tractatam, existimat. Robertus in Gallia Christiana, longè alium in antiquis illis Episcopis sequutus ordinem, Saluio secundo Bonitum substituit, atque *forte* eum esse *propter quem Concilium Valentinum factum.* Vidi ego fidele apographum in Sirmondi musæo, seriem Valentinorum Antistitum, cum plurium elogiis continens, in quo Bonitus dicitur *vir miræ probitatis*. Id si verum est, vnde crimina illa quæ & Episcopum diffamarunt, & Trium Prouinciarum Concilium conuocarunt? Quicquid de Bonito crediderimus, certum est per hæc tempora vel Episcopatu cessisse condemnatum, vel vita, absolutum. Siquidem paucis pòst annis in Concilio Tullensi ad Saponarias, subscriptus legitur Ratbertus Valentinensis Episcopus, eius successor. Ceterum, ex hac narratione quid certum discimus de primaria, & vnica in mente Lotharij causa Concilij Valentini?

Incertum est quis Episcopus in eo fuerit iudicatus.

Bonitus Episcopus.

Ioan. Columbi l. 1. de gest. Valentinorum Episc. n. 14.

Robert. in Gall. Christ.

VII. Sed quis non miretur causæ tam obscuræ, tam nobiles circumstantias circum iniici, & extraordinariis cærimoniis agitari rem illis temporibus, illis in Conciliis pene quotidianam? Conueniunt Valentiam Patres, vt Valentinum Episcopum sua in vrbe iudicent. Hoc mihi nouum videtur & insolens, & rarissimis exemplis antea in mediocribus istis sedibus factum, si vnquam ostendetur. Tres prouincias frustra congregatas, si Lotharij animum attendimus, & Lugdunensem Archiepiscopum primo loco temerè positum, antea memorauimus. Nuncupatis Archiepiscopis subditum Ebbonem, vnum ex omnibus Episcopis, insusitatum est, nec caret mysterio, quod mox aperietur: qui siue in causa Episcopi Valentini, siue in concinnandis canonibus collaborauit Archiepiscopis, præter morem ita Metropolitanis adiungitur. Sequuntur *Presbyteri, & deuotissimi Diaconi.* Hos ordines ad Diœcesana, & Prouincialia Concilia fateor admitti. De paulò maioribus, quæ ex pluribus Prouinciis conflantur, licet dubitare, quia expressos alibi non video, maximè in causis istis iudicialibus. Itaque si reperti sunt in ceteris, quare in hoc solo exprimuntur? Si talibus non adfuerunt, quare in hoc & admittuntur, & nominantur? *Euangeliis*, inquit, *in medio positis.* In hac circumstantia vt postrema, sic parum vsitata defixus hæreo. Nam in Generalibus Synodis, de fidei articulis decernentibus, vt Nicæna, Constantinopolitana, Ephesina, in aulæ medio sacris Euangeliorum codicibus, tanquam ipsi Christo thronum erigi solitum, & scio, & magna cum veneratione suscipio. In Synodis minoribus apud Burchardum lego, Sellam in medio poni sacris reliquiis, cum plenario, & stola. Licet Isidoro Mercatori mos ille sit ignotus, ex quo tamen initiandæ Synodi ritum penè descripsit. Sed in istiusmodi Conciliis, in quibus primariò de gradu Episcopi accusati decernendum est, & si quid præterea additur, ad ritus, aut ad mores, breuis appendix ex accidente censeri debet, posita in medio Euangelia, quantùm recordari possum, non legi, non didici. Quare donec in paribus Synodis, aliis in regionibus, aut in ipsa Gallia, quæ rituum Ecclesiasticorum semper fuit retinentissima, frequens vsus illius cærimoniæ mihi ex certis historiis commonstretur, concludam & hanc, & superiùs allatas, apertam præferre affectationem: Ebbone, ex curiosa illa diligentia sibi laudem, Synodo auctoritatem quærente; nobis autem nimiam solicitudinem in fraudis argumentum vertentibus. Qua de re modò dicendum.

Circumstantia extraordinem adhibita.

Presbyteri & Diaconi in hac Synodo.

Euangelia in quibus Synodis posita.

Burchard. tr. de Synodo initianda.



CAPVT XVII.

Quis sit auctor Decretorum Concilij Valentini.

Quæ sit huius quæstionis vtilitas.



DECRETA Valentina quis scripserit quærere & nosse, ad auctoritatem perparum interest, ad caritatem plurimùm. Siquidem in publicis conuentibus ab vno componi necesse est, quod deinde omnium approbatione commune fiat. Neque ego fidei symbolum ad altare inter magna solennia lego, quia Gregorij Nysseni opus, sed quia Concilij Constantinopolitani, & Ecclesiæ vniuersæ fides est. Ergo Synodo Valentinæ quantùm reuerentiæ deferendum est, eius decretis, à quocunque tandem profecta sint, tantùm roboris viriúmque debetur. De caritate non idem dixerim. Nam cùm articulorum in Synodo definiendorum electio, fit, vt plurimùm, proponentis, præsidibus consultis, & honesti rectique specie in sensum suum facilè perductis, & eorundem collectio ex scribentis animo stilóque pendeat, asperitatem alios læsuram, sensim sine sensu præsentium, inde profluere nihil prohibet, quæ tum demum appareat, cùm vix vllus remedio locus est. Id quoniam memorabili exemplo Concilium istud nos edocet, coactum postea præcipua ex parte corrigere, quod imprudens admisit: magni profectò refert canonum auctorem inuestigare, ne quod ab vno peccatum est, in multos innocentes refundatur. Si tamen innocentes sunt, qui culpam vnius temerè à se delecti non vetando, vel probando suam fecerunt; quod erit postea considerandum. Et iam cùm omnia vndique affectatione septa & munita superiùs videremus, in magnam conceptæ fraudis suspicionem venimus, quæ tam leniter stillauit in canones, vt multos hactenus fefellerit. At non Hincmarum, cuius res agebatur: is enim sic vnius inimici refutat impetus, vt Cōcilio non semper videatur iratus.

Remigius non scripsit hæc Capitula.

Itaque in huius facti suspicionem veniunt duo Antistites illius consessus celeberrimi, Remigius Lugdunensis, & Ebbo Gratianopolitanus, nomina iamdudum in hac lite frequentata. Pugnat pro priore Præses Dissertator acerrimus, posteriorem appellat Vsserius, in amore Gotteschalci pares, in historica fide admodum dissimiles: hic enim quæ facta sunt, narrat; ille quæ cupit facta esse, diuinat: ille odio Hincmari, & studio partium implicatissimus; hic moderatior in speciem, & tuendo Gotteschalco magis idoneus, si dogma permitteret: hic breuitate, &, vt apparet simplicitate cautior; ille *iugi meditatione*, & affectata defensione, vulneribus opportunior. Ille ergo Remigium Capitulorum Valentinorum artificem fuisse certò affirmat, probátque ex verborum & sensuum consonantiâ vtriusque libelli de Tribus Epistolis, & De tenenda veritate scripturæ. Id enim expresè tradit Hincmarus, eundem esse Capitulorum istorum, & libri de Tribus Epistolis scriptorem. Quod cùm libentissimè concesserimus, promptum erit addere, librum de Tribus Epistolis ab Ebbone scriptum esse, non à Remigio, vt suo loco confecimus, ergo, contra boni Dissertatoris mentem, ex Hincmaro concludimus, Ebbonis partum esse, non Remigij, Capitula Valentina, & fidem simul apud te nostram liberamus Lector, vt hoc propriè loco istud ipsum monstremus, cuius probatio librum de Tribus Epistolis, non alteri quàm Ebboni adiudicat. Secunda eius ratio est, quia *credere par est, Remigium esse canonum conditorem, quod tamen Hincmarus agnoscere detrectat, propter insignem viri auctoritatem. Sed tacito nomine simulat esse Ebbonem Gratianopolitanum.* Ad hæc respondetur, *par esse credere* verum dici ab Hincmaro, res sui temporis apud Regem libro contentioso narranti, cui libro nemo contradixit. Illo autem libro asseueranter affirmat, neque Remigium, neque vllum Prouinciæ Lugdunensis suffraganeū Episcopum, compositorem esse horum Capitulorum: ergo quod *detrectat agnoscere,* falsum est, & quod tacito nomine significat, verum, vt mox videbimus, non simulatum est. Tertiò idem probat. *Saltem quoad sex primos articulos, quorum Remigius Concilij Præses singularem habebat notitiam, ob agitatas & sæpiùs expositas quæstiones illas in Ecclesia sua*, nullo modo Ebbo dici potest Archiepiscopis collaborasse: vnde permittit concludi, non repugnare se, quò minùs posteriores articulos composuisse dicatur, modò priores sex, qui de doctrina sunt, Remigio integri tribuantur. Verùm ista Capitulorum duos in auctores diuisio sine teste prolata, nouè excogitata, non aliunde proficiscitur, quàm ex certo atque obfirmato proposito persistendi in opinione semel concepta, de omnibus istis & articulis, & libellis Lugdunensibus, ad vnum Remigium reducendis: licèt alia omnia sentire nos iubeat Hincmari oculati testis auctoritas. Nam quod attinet ad Capitula quæ versamus, nullo vnquam verbo significauit Hincmarus, à duobus Episcopis esse conscripta, sed in vnicum perpetuò inuehitur refellendo, & septimum quod putat contumeliosissimum, non alteri refert acceptum, quàm priorum sex auctori. Quare certum nobis esse debet, omnes vni scriptori assignandos esse canones, & eum non esse Remigium.

Contra dissertatorem. c. 37. cit.

Hincmar. l. de præd. c. 31.

Malè diuersis auctoribus canones illi assignantur.

Omnes sunt Ebbonis Gratianopolitani.

Veriùs igitur magisque sincerè Vsserius Armachanus, totum istud opus in Ebbonem vnum Gratianopolitanum Episcopum reiicit, eáque in re iustè ac sapienter credendum putat Hincmaro, quem nemo falsi postulauit, nec Ebbo ipse, tam manifestis notatus characteribus, & tantùm non digito monstratus, alienum se vnquam ab eo facto protestatus est: quemadmodum neque Remigius eam sibi, si quæ fuit, laudem detrahi questus est. Rem autem mihi certam, probat Vsserius locis ex Hincmaro duobus, quos solos ante reuocatum ad vitam librum de Prædestinatione, cognitos habere potuit. Prior est, in præfatione Concilij Valentini, in qua *ex omnibus Episcopis solus nominatur vnà cum Archiepiscopis, & collaborasse eis quàm maximè prædicatur.* Posterior, in Epistola prima ad Carolum Regem, priori de Prædestinatione operi ab Hincmaro præposita, quam à Flodoardo accepit Vsserius, vbi de vita moribúsque viri, præter cetera scribit Remensis, remotum esse ab elationis & iactantiæ spiritu, atque in humili monachi & Abbatis loco semper velle consistere, quod dictū inferiùs reponemus. *& idcirco*, ait, *discredimus ista Capitula ab eo conscripta, quia præter-*

Secundùm Vsserium. l. de hist. Gottesc. c. 12.

Hincmar. epist. 1. ad Carol. Reg. *missis aliorum consacerdotum nominibus, solius Ebbonis nomen, cum Archiepiscopis est ibidem iactanter, vt quibusdam videtur, expressum: & quòd quàm maximè in hoc ipse collaborauerit: Quasi è regione sit sensum, vt etiam cum Archiepiscopis, maior ceteris & doctior in sententia fuerit.* Audis vrbanitatem ironiæ? Quia locum superiorem & Episcopatum non affectat, neque ampliùs quicquam esse desiderat, quàm Diaconus, & Abbas monasticus (quem non nescit in Concilio vocari Episcopum) idcirco non credimus Capitula esse ab eo conscripta. Non est enim alterum verius altero. Ac rursum. Quia cum Archiepiscopis solus inani cum iactantia nominatur; quia in Concilij canonibus maximè laborasse dicitur, quia maior doctiórque ceteris parere voluit, vir ille humilitatis religiosæ alumnus, idcirco non credimus capitula ab eo confecta. Nam cùm *sanctus Augustinus se aliis* in Africano Concilio *supposuerit, cùm ipse plus aliis laborauerit, quantò magis iste religiosus, & vir cautus* (videlicet supra Augustinum) *in huiusmodi se efferre noluisset, aut praferri despectis ac pratermissis ceteris Coepiscopis permisisset?* Quis credat in his exæcutisse Dissertatorem Præsidem, quæ ductor eius in germano sensu sine dubitatione accepit Vsserius? Ego verò fidenter dixerim, Ebbonem ipsum lecta probè intellexisse, & palam postea inimicitias cum Hincmaro professum, transisse in Compilatorem, cui caput libro de Prædestinatione sicco sale defricatur.

Idem probatur vlteriùs. Vlteriùs probando non potuit progredi Armachanus; qui si tamen in vmbra superiorum locorum Ebbonem agnouit, quantò securiùs in sole libri huiusce posterioris de Prædestinatione, Capitulorum Valentinorum omnium auctorem proclamasset Ebbonem? In eius siquidem limine profitetur Hincmarus, ignotum antea illorum fabrum, sibi iam tandem certò cognitum esse. Hincmar. epist. 2. ad Carol. cit. *Nunc verò quia certi sumus, cuius compositioni debemus dè sapenominatis quastionibus respondere.* Quam notitiam tum etiam publicat maximè, cùm nomine prodendo abstinere se dicit. Non enim aut incertus aut ignarus personæ scriberet, Idem l. de præd. c. 36. *Quicunque talia contra rectam fidem scripsit, ponat se ante se, & ab ipsis rudimentis infantia, vias gressuum suorum cogitet, & quo itinere ad hac qua tenet peruenerit, solerter inspiciat.* Contra canones enim ordinatum fuisse superiùs obiecerat. Quibus mox subdit, *Nunc autem quenquam ex nomine, & manifesta reprehensione designare non volumus: scientes Dominum significationibus potiùs, quàm apertis inuectionibus, proditorem corripuisse, vt conscius ageret pœnitentiam.* Additis verò ex virtute causis, ob quas satiùs putat hominem non appellare, subiicit, *Nominatim denotare illum non volumus, quem secundùm dominicam iussionem secretò, & cum adhibitis corriperemus, si non tantisper, & tantis qua depingitur foret causa notissima.* Hæc & eiuscemodi plura sparsim opere toto seminata, vel surdis inclamant, & nomen, & personam compositoris istius Hincmaro fuisse certò cognitam; cuius tamen religiosas ob causas index esse refugiat. Verùm ne cognitionem istam gloriosiùs, quàm veriùs, ostentari putet à viro minimè patiente, & si quid certò nosset, nominaturo, sic eum remoto velo semel aperit Hincmarus, vt nulla latebra celare possit infamiam. Nam in septimo Capitulo habitans, cui priora sex antè euoluta coniungit. *Istorum*, inquit, *compositor Capitulorum, primi Adam filius, sciens se peruersa scripturum; in præfatione eorumdem Capitulorum, nomina Episcoporum connumerauit,* (Archiepiscopos intellige, qui soli nominati) *volens se inter ligna paradisi, ne peccator agnosceretur, abscondere, & quasi opertus operimento pretiosorum lapidum, & condensis frondibus palliatus, vt gloriosior ceteris appareret, in isto Capitulo se monstrauit, sicut & in illis Capitulis, qua nomine Valentina Synodi prænotauit, in quibus se ex nomine quàm maximè conlaborasse descripsit.* Ibid. c. 36. Hîc si quis Ebbonem non videt, trabem habet in oculo: Qui non omnes illi vni donat articulos, diuisionem quærit: Qui dicit *par esse credere* à Remigio scriptos esse, in quem nihil eorum quadrat, quæ Compositori Capitulorum Valentinorum attribuuntur, debet sapientium omnium vapulare conuiciis. Quòd si in *causa tantis*, hoc est, tam multis *notissima*, pergit Hincmarum arguere mendacij; vni sibi fidem octauo pòst seculo deberi, ostendat necesse est.

CAPVT XVIII.

In Capitulis Valentinis quid, & quo iure reprehendat Hincmarus?

Publicè & priuatim aliqua peccata sunt in Hincmaro. QVOD iniuriam à Concilio Valentino sibi factam queritur Hincmarus, dubitari iure potest, publicam-ne velit esse, an priuatam, hoc est, ab omnibus in commune Patribus, an ab Ebbone solo Capitulorum opifice irrogatam? Siquidem non semel de omnibus expostulat, & verò sunt in hoc negotio non pauca, quæ ab vno priuato proficisci non debent, ideóque omnibus imputanda. Rursum frequentissimè in Compositorem Capitulorum inuehitur, suáque illi vitia impingit, quæ vnius hominis maleuolentia fraudibúsque peccantur. Existimo ego in istiusmodi rebus à publico vix secerni posse priuatum: quia quod priuatus peccat, suum probando facit publicus Conuentus; neque sic peccaret priuatus, nisi publico sciret fore iucundum. Quia tamen eminent in aliquammultis articulis rationes, quæ huic potiùs, quàm illi, factum tribuere suadeant, refertque disciplinæ, vt ordo, quoad fieri potest, quæratur in rebus, ordior ab iis quæ totum consessum culpa non vacare commonstrant.

1. In ipsa Concilij actione. Istud in primis reprehensione nobis dignum videtur, quod fortasse Hincmarum celatum est, Synodum in causa Episcopi, criminum accusati congregatam, perstricto breuissimè negotio, rapidè in alia omnia ferri à primario fine aliena, & de controuersis quæstionibus ita tractare, quasi fides vna Synodum coëgisset, qua in re quantùm insit affectationis iam antè vidimus. Quantùm porro contentionis & æmulationis appareat, non tacet Hincmarus, qui sopiri maluisset quæstiones, quàm conten-

dentium studia, tanquam flabello inflammari. *Silentium*, inquit, *in suis prouinciis imponere tam facilè, sicut fortè poterant, noluerunt errori, donec ad plurimorum notitiam peruenta, plurimorum iudicio quæstio sopiretur.* Nascentem nouitatem suis in Diœcesibus facilè poterant opprimere pastores prouidi, manifestus erat error, constabat de eius proscriptione in Prædestinatianis, qui ab inferis excitabantur, *Noluerunt:* quo consilio? Deus scit. Incaluerunt animi disputando, auctus est imperito vulgo numerus errantium, creuit scandalum, conglobatæ factiones, res effecta digna Concilio: & inuidia quæ caritatem vulnerabat, exoculauit prudentiam, vt eò negotium perduceret, quod solent cauere sapientes.

Hincmar. epist. 2. ad Carol.

2. *In Ebbonis electione.*

Sed esto, Concilium qualicunque de causa collectum, ad hanc etiam extendat se vtilem, imò necessariam; fuit-ne deligendus Ebbo vox Concilij, quem Promotorem modò vocamus, qui gerenda Concilio proponeret, qui Patrum sententias ad arbitrium suum colligeret, qui ad extremum Notarij vice statuta ingenio stilóque suo conscriberet? Erat hæc via terminandæ quæstionis, pacísque reuocandæ, ac non potiùs fouendæ, augendæque discordiæ? Quid enim de illo Hincmarus? *Sed quoniam fortè istorum Capitulorum compositor nimis contentiosus est, & nec cum catholicis credit, & dicit quod crediderunt & dixerunt catholici: & esse mauult Aristodemus Apostoli Ioannis contradictor contrarius, quàm Apostoli Ioannis, & Apostolici Cælestini discipulus, accipiat tunicam nostram.* Quantò æquiùs Suessionensi secundo, nonnihil contentioso, & Turonensi illi, quod Parisiense vocat Dissertator, Lupus Ferrariensis Abbas, placido vir ingenio, & concordiæ studioso egit notarium?

Hincmar. l. de præd. c. 21.

3. *In Hincmari condemnatione.*

Fuerit verò arbitraria apud eos talis electio, an etiam Hincmari eiúsque Capitulorum condemnatio, ipso nec appellato, nec audito? Factam enim damnationem & Concilium ipsum loquitur sæpe producendum, & non ignorat Hincmarus, cùm ait, lecta à se *Capitula Synodalia venerabilium consacerdotum, trium scilicet Prouinciarum, in quibus nos, licet nomina nostra sint tacita, designatione tamen effectus, velut non catholicos reprehensos, & sine fraternitatis respectu, despectos reperimus. Capitula quoque quæ ex catholicorum Patrum sensibus & verbis excerpsimus, velut inutilia, imò noxia, repulsa, & abominata inuenimus.* In quo nemini dubium esse potest, quin contra Euangelica decreta de correctione fraterna peccatum sit. *Quomodo enim fieri posset, vt sic fratres nostri nos succensorie, cum adnihilationis despectu iudicarent, qui regulam Dominicam qualiter confratrem quisque admonere debeat, continuè præ oculis, & in vsu quotidie habeant?* Et mox fusiùs. *Et quomodo fratres nostri talia agerent, antequam nos secundum Euangelicam regulam vel viua voce, vel scriptis suis inde interrogarent, vt vel volentes discere, docerent; vel prauum sentientes, & ad tramitem veritatis, & fidei redire contemnentes, fraternè, & sæpius commonerent, & vt in vnum conueniremus, nos cum mansuetudine, & lenitate inuitarent?* Actum præterea contra regulas Ecclesiasticas, quæ iubent accusatos Episcopos in Conciliis audiri: at hîc neque accusatio, neque citatio apparet. *Non credidimus*, inquit, *vt fratres & Coëpiscopi nostri, contra regulas Ecclesiasticas aduersùm nos talia debuissent conscribere: præsertim cùm non ignorarent, dominicis institutionibus, & legibus sancto Spiritu promulgatis* (hoc est, Synodorum canonibus) *præfixum esse, qualiter si in sæpefatis Capitulis fidei obloqueremur, nos compellare, & tunc Synodali iudicio nos nostrásque sententias à sua debuissent communione explodere.*

Hincmar. epist. 2. ad Carol.

Ibid.

Idem epist. 2. ad Carol.

Non peccarunt in vsurpatione iurisdictionis.

Vidi qui Valentinos hîc etiam arguerent, quòd iurisdictionis suæ limites prætergressi, habitum sub Carolo Concilium, eiusdemque Caroli Archiepiscopum, Lothariani ipsi præter ius fásque iudicarint. Semper enim fuerunt in Ecclesia obseruati legitimæ potestatis termini, vt sententia in eum lata qui subditus non esset, irrito conatu in ventos abierit. Quare ne discedamus ab historia nostra, Rabanus Gotteschalcum ad Archiepiscopum suum remisit coërcendum: Archiepiscopus Altiuillarensi monasterio congruè non tradidisset, nisi vniuersi Concilij iudiciū, & Bauonis Abbatis consensus accessisset. Verùm istud in querelis suis Hincmarus non numerat: & iure quidem optimo, quia nouæ disputationi locum dedisset. Imò causæ fiducia, Concilio alicubi cogendo suam offert præsentiam, opiniones absque contumacia positurus, si conuincatur erroris. Nam in fidei rebus, nulli sunt termini, quia catholica est religio; & vt in perduelles, quod ait Tertullianus, omnis homo miles est; sic errantium in fide omnis Synodus magistra est. Nouatiani schismate Romæ exorto, coacta sunt per Ecclesias omnes crebra Concilia. De Montani prophetia non vna Synodus deliberauit. Elipandum Toletanum, & Felicem Vrgelitanum Hispanienses Episcopos, in Regno suo Carolus magnus damnandos curauit: sed eo caritatis ordine, quem sua in causa neglectum dolet Hincmarus. Discimus enim ex Concilio Francofordiensi, litteras ab Elipando erroris sui testes quaqua versum missas, in Conciliis priuatis Italiæ Galliæque diligenter examinatas, & confutatas fuisse. Quod imitari voluerunt, Ebbo in libro de Tribus Epistolis, & Scripturarius in libello de Tenenda veritate Scripturæ, sed nulla Synodi auctoritate, licèt Ecclesiæ Lugdunensis nomen mutuati sint. Quin etiam Carolum ipsum Regem scimus, ad Elipandum humanissimè atque eruditissimè scripsisse, & Adriano Pontifici auctorem fuisse, vt & ipse scriberet, nouúmque de adoptione Christi errorem proscriberet. Quibus peractis, & obstinato in hæresi Toletano, conditus est Canon, quo Patres Francofordienses *vna voce contradixerunt, atque hanc hæresim funditus à sancta Ecclesia eradicandam statuerunt.* Quid simile fecerunt Lothariani Lugdunenses appellati, qui nullo vnquam apice Hincmarum ipsum auocarunt à sententia, eius opiniones priuata contentione, & anxio dubitantéque stilo lancinare contenti? Felix autem Vrgelitanus adeo fortiter admonitus est, vt in Concilio Ratisponensi primùm, deinde apud Adrianum Papam hæresim eiurarit; ac deinde reuersus ad vomitum, eodem anno quo Francofordiæ cum consorte suo Elipando damnatus fuit. *Aduocatus voluntariè veniens ad Aquis palatium, ibique in præsentia Optimatum illius* (Caroli Regis) *fine*

Elipandus Toletanus. Concil. Francoford. sub Carolo M. tom. 2. Concil. Gall.

Ibid. can. 1.

Felix Vrgelitanus. Alcuin. l. 1. aduers. Elipantum.

sacerdotum Dei, rationabiliter auditus, & veraciter conuictus, tandem ex animo cum discipulis suis ad catholicas se partes adiunxit. Audis *aduocatum* Hispanum ad Gallicanam Synodum? *Inuitari* cupiit Hincmarus ad Lugdunensem aliquam. Vides voluntariè venisse Felicem? Non renuit Hincmarus *in vnum conuenire*, de quæstionibus controuersis tractaturus, *sciens quia Episcopus ideò ad Synodum consacerdotum venire debet, vt aut discat, aut doceat.* Post multam disputationem, damnata est Felicis & Elipandi hæresis: nihil moræ obiecit Hincmarus, si conuinci posset erroris, quin ipse cum sententiis suis communione fidelium priuaretur. Hanc illis in se potestatem permisit, si vera, aut, vt minimùm, controuersa docentem, audire maluissent, quàm perdere.

Hincmar. epist. 1. ad Carol.

§. VNICVS.

Earumdem reprehensionum continuatio.

4. *In nimio contemptu Hincmari.*

VT igitur ad perperam facta Valentinorum nostrorum reuertamur, indignè se ab illis despectum iustè obiicit Hincmarus, non sine aliqua inter ipsos vanitatis & arrogantiæ ostentatione, quod fortasse in Ebbonem solum non quadrat. *Scimus*, ait, *quia sunt nonnulli qui dum plus sapere, quàm oportet sapere, student, à proximorum pace resiliunt, dum eos velut hebetes stultósque contemnunt.* Grauis profectò contumelia, & ab Hincmaro, si quæ alia, penitus aliena, quem si voluerunt vt hæreticum traducere apud imperitos, qua spe *stultum & hebetem* apud sapientes & ingeniosos reputarunt? *Si autem talia scripserunt, si forte illi scripserunt,* (nondum enim notus tum erat Capitulorum architectus) *vt suam sapientiam de nostra insipientia demonstrarent, & plus de iactantia laudis appetitum quærerent, quàm bona nostra, & benè à nobis dicta, si forent, per caritatem sua facerent; si etiam secus à nobis dicta inuenerunt, plus illa publicare, quàm nos fraternè corrigere maluerunt; miramur de tantis & talibus viris Archiepiscopis & Episcoporum primoribus, maximè autem de Ebbone, qui religiosus est, vt audiuimus.* Iamdudum Lotharianis omnibus ex regis sui animo innatam aduersùs Carolinos, maximéque summum illorum Hincmarum, æmulationem monstrauimus, quæ contentiones theologicas aluit & fouit, cùm momento possent extingui, si vel Amolonis sensum sequutus esset Lotharius, vt Carolus Hincmari; aut diutiùs Lugdunensem cathedram tenuisset Amolo, vt Remensem Hincmarus: aut denique tam parum actuosus fuisset Ebbo apud suos, quàm Prudentius in Tricassibus. Hincmarus ex aduerso, siue quòd legeret in propheta, *Væ qui spernis, nonne & ipse sperneris, cum fatigatus desieris contemnere, contemneris:* siue quòd pœnam talionis hoc loco necessariam esse crederet, contemptum contemptu castigans, scribit ad Carolum, non respondere se Episcopis, sed ipsi Regi à quo accepit Capitula: & illis in responsione primum dare locum, non ob materiæ præstantiam, sed ob Synodi nomen quod præferunt. *Sed quia hæc in sugillationem nostram, & contra excerpta à nobis Capitula confecta noscuntur, ea primùm iudicauimus ponere, quæ maioris nominis, licet non auctoritatis, quia partim non veritatis; propter tamen Synodalem prætitulationem dignum duximus magnipendere.* Sic ipse, longè quàm illi modestiùs, sed neutri efficaciter: quando mutuus hic despectus aptum nodo cuneum non admouet, neque vnquam vidimus ortas ex varietate doctrinæ dissensiones, voluntatum discordia terminatas.

Hincmar. ibid.

Ibid.

Isaiæ c. 33.

Ibid.

Alia sequitur querimonia, quæ iudicabis, Lector, an solum Gratianopolitanũ, an Synodum vniuersam feriat, mihi certè vtrorumque culpa factum videtur, vt & Ebbo ita scriberet, & aliter scribi Consessus non imperaret; quod vix credi potest aut prætermissum obliuione, aut neglectum incuria, vel omninò sincerè suppressum. Scilicet cùm satis constaret bellum Carisiacensibus Capitulis indici Valentiæ, Synodi decretis ea Capitula præfixa non sunt, quæ omissio fraudis suspicione non caret, & ianuam multis pandit incommodis. *Quæ Capitula, sicut à nobis excerpta sunt, suis scriptis inserere noluerunt, ne ab illis legerentur, in quorum manus illorum Capitula deuenirent. Prius enim si de conscientia rectæ intelligentiæ fuere confisi, ponentes ea quæ destruere nitebantur, sicut illa cum integritate sua acceperant, in quibus euellenda & dissipanda erant, legentibus demonstrare: & tunc illis per auctoritatem destructis atque dispersis, sua rationabiliter & ordinabiliter plantare debuerant, ac in sublime ædificantes extollere.* Nam si scriptorem spectas ad refutationem accinctum, priùs debet Architecti more veteres macerias & rudera malarum opinionum disiicere, quàm ad nouam substructionem deueniat: & notus ille artifex est, qui duplicem ad se accedentibus mercedem imperabat, si quid ab aliis didicissent: quòd laborem sibi duplicandum diceret, in dedocendis primùm discipulis, tum postea docendis. Lectorem autem si consideras, solet prudens & veri cupidus, quæ refutantur, quæque contrà afferuntur, inuicem opposita conferre, vt æquitas causæ clariùs ex eo conflictu elucescat. Qui verò dicta ab aduersario subtrahit, magnam mouet suspicionem doli mali, & iudicium corrumpit, ne pars altera possit audiri. Quomodo enim falsi reuincetur si quid addit aut detrahit, si mutat, aut obliquè detorquet, si fallit, aut calumniatur? Ea verò se passum ab Ebbonis Capitulis, non dissimulat Hincmarus. *Quædam, inquit, de his quæ in Capitulis à nobis excerptis habentur, alio sensu & verbis tetigerunt, vt abominanda illa monstrarent: quædam autem suppresserunt, & taliter inde memoriam habuerunt, quasi nos contra sanctorum Patrum sensa in Africana, & Arausica Synodo senserimus.* Et quæ sequuntur inferiùs reponenda, cùm malam Ebbonis fidem aperiemus, quæ modò cum Synodi vniuersæ consensu coniungitur. Non enim peccant solùm qui faciunt, sed & qui consentiunt facientibus ea.

5. *In suppressione Capitulorũ quæ impugnata sunt.*

Hincmar. ibid.

Atenim, inquies, hoc in articulo æquum non poscit Hincmarus. Nam quòd Capitula sua referri vult integra, librum cogitat quo refellantur, non Concilium quo canones decernantur. Quid enim aliud canon est, quàm lex Ecclesiastica? lex autem, vt ait ille, non disputat, sed imperat: neque in Canonibus Conciliorum disceptari solet aduersùs hæreticos,

Obiectio ex forma canonum.

V. Dissert. c. 39.

sed in summam colligi, & vibrante sententia decerni, quid contra eorum errores sit fide catholica credendum. Africanam vide & Arausicam Synodos, si scripta Pelagij; vide Francofordiensẽ à nobis memoratam, si Elipandi recitauit Epistolam, vno canone fœdam hæresim damnare contenta. In libris autem, quæstio prolixiùs agitatur, ex Scriptura & Patribus redarguuntur errores, aperiuntur fraudes hæreticæ, verba omnia suis momentis expenduntur: tum enimuerò necesse est ob oculos legentium, aduersariorum dicta poni, ne quid ipsi sibi criminentur affingi. Sic voluit Hincmarus in fronte libri posterioris de Prædestinatione, parere Capitula omnia, Flori, Prudentij, Valentina, quibus respondet. Ita Scripturarius Capitula Carisiaca traducturus, integra recitat. Neque hac in parte peccat Ebbo in libro de Tribus Epistolis, ex singulis quod est ad confutationem necessarium excerpens.

Responsio. Ad hæc respondetur, quæ de Conciliis, déque libris in obiectione dicuntur, à nobis non improbari. Sed ea Concilio isti Valentino non conuenire, cuius canones in longum producti, & locis è Scriptura petitis referti, disputantibus quàm iubentibus propiores sunt. Cúmque vnum maximè Hincmarum lacessant, reum illum faciunt omnium quos damnant errorum, quod est iniustitiæ plenum & calumniæ, nisi distinctiùs ostendant quid in eo vitij repererint, quid in aliis; quod certiùs assequi non possunt, quàm eius scriptis & Capitulis in publicum educendis.

6. In Ebbonis aduersum se odio. Venio iam ad ea quæ singularem Ebbonis personam propiùs tangere videntur, cúmque hîc intueor, non vt Collectorem, aut Compilatorem, sed vt Compositorem Capitulorum Valentinorum, & Reprehensorem Carisiacensium, his enim titulis omnibus in libro de Prædestinatione insignitur. Hic ad excipienda in Concilio, & scribenda Capitula, quibus impeteretur Hincmarus, acerba duo attulit, animum & stilum: in animo, inuidiam, odium, æmulationem: in stilo, malignitatem, fucum, asperitatem. Animum ostendunt iacta per Hincmarum in eum conuicia; & plus vini ab exemplo Hieronymi, quàm olei ex Augustini mansuetudine mutuatum. Dicitur enim *reprehensibilis reprehensor*, hoc satis moderatè: *acerrimus reprehensor*

Hincm. l. 11. de præd. c. 11. *noster*, paulùm incitatiùs. Audi crescentem, *noster, quia veritatis, secundum suam intelligentiam, infestissimus persequutor*. Quale autem

Ibid. c. 36. istud, in capitis vnius epigraphe. *Filius Ephrem contra nos intendens arcum, misit sagittas: sed suum fortè sentiet arcum prauum, cuique conuersus ipsius gladius, non præstitit auxilium in die*

Ibid. c. 22. *belli.* Ad illud verò quid aceti potest adiici? *Fortè lethargica passione oppressus, aut silenico cantharo debriatus, memoria mortua, ignorauit quia* &c. Potuit modum excedere Hincmarus ipse, & aduersarium, quamlibet infestum, alio debriare cantharo, quàm fellis & absynthij. Ex eodem horto decerpti sunt hi flores stili naturam significantes. *Insulsus exceptor, incompositus com-*

Ibid. c. 9. *positor, falsidicus compilator, hæc Capitula ex*

Ibid. c. 22. *Floro commasticans expuit. Verba veritatis ad mendacia quantùm potest inflectit.* Quæ certè ex Hincmari calamo non fluerent, nisi graui quadam lacessitus iniuria, sui muneris esse crederet redhostire, & stulto secundùm stultitiam suam respondere. At dolus & factio ipsi suboluerunt, cùm totam Capitulorum inuidiam cupiit in Ebbonem cadere; scripsitque, Capitula hæc sibi tradita esse à Rege, *sub titulo, quasi in Valen-* Hincmar.

tina Synodo conscripta fuerint. Quasi diceret, epist. 2. ad

Ebboni potiùs quàm Synodo tribuenda: neque Carol.

aliam propriè, quàm priuatam auctoritatem illis inesse.

Summa est, magnam Capitulorum partem mutuatum esse Compositorem, ex Flori sermone, Catholico quidem illo, & sensus veritate cautè incedente, quà corruptus non est, sed malignè quæ recta sunt deflexisse, quæ coniuncta diuisisse, aut ex aduerso diuisa coniunxisse, vera adulterasse mendaciis, & aliis artibus simplicitati lectorum suorum illudere. Quid enim aliud ista significant in Capitulorum ipsorum, cum Flori scripto comparatione, posita? 7. In mala fide eiusdem compositoris Capitulorum.

Quæ alieno labore exempla collecta inuenit, inordinato ordine posuit. Deinde postquam inordinatè posuit, quod ordinatè alieno ore accepit, Ibid. c. 6.

&c. Ac inferiùs eodem capite exeunte, post recitatum Macarij Antiocheni exemplum in Sexta Synodo, malæ fidei accusati, quòd testimonia catholicorum detruncasset, *Sic & iste*, inquit, *ad hoc illius viri docti* (Flori) *composita scripta scienter malè deposuit, vt suam prauam intelligentiam, quia ex veritate non poterat, ex mendacio confirmaret, festinans falsa ostentare, vt posset vera subripere, aut insciens, aut oblitus.* Et rursus alio loco. *Noluit hæc iste Compilator* Ibid. c. 10.

sic ponere, sicut illa Florus in suo scripto bene studuit ponere, & in quantocunque illa verbis conuertit, in tanto à recto sensu peruertit. Ac mox, *Immutauit Compilator incompositè verba composita, & rectum sensum transtulit in peruersum.* Meministi, Lector, eductum fuisse ex Ebbonis scrinio Flori sermonem, duobus locis corruptum, illo proinde deteriorem, quem antea de manu Heriboldi, cui Florus idem miserat, Hincmarus acceperat. Illum tractatum si tam curiosè seruabat Ebbo, dubitas quin vti potuerit ad conficienda Capitula? Si iam tum corruperat, putas & in istis Hincmarum calumniari? Pronunciat autem vniuersè post hæc visa, & omnibus propalata, Gotteschalci & soda- Ibid. c. 5.

lium eius morem esse, *vt catholicorum testimonia, excerpta detruncent, & ad suos sensus, sicut & Scripturarum sententias, inflectere curent, quatinus auditorum sibi sensus, si minus cauti fuerint, conciliare preualeant.* Et hæc quidem in ipsa Capitulorum materia insita sunt, velut fermentum, quò illorum massa corrumpitur: alia autem vitia in delectu eorumdem, & serie superiùs commemorare incœpimus, cum Hincmaro Capitulorum suorum omissionem molestè ferente. Sic enim pergit de mala fide apud Regem expostulare. *De quodam autem* Idem ep. 2.

Capitulo, id est, quod omnes homines vult Deus ad Carol.

saluos fieri, licèt non omnes saluentur, funditus tacuerunt. De quodam etiam Capitulo, quasi ludificatio aliqua in sacris mysteriis esse possit, ita scripserunt, vt legentes, hoc à nobis dictum fuisse intelligere possint, de quo nihil à nobis est memoratum. Inseruerunt etiam in eisdem suis scriptis de quibusdam sexdecim Capitulis, quasi nobis debeant imputari, de quibus nihil audiuimus, nec vidimus. Hæc omnia tibi, Lector, Hincmarus offert capita, quibus sententiam contra

se latam in Concilio reddit infirmiorem, & omni ex parte dignam, quæ benè perpensis omnibus retractetur. Et nos eiusdem auspiciis inferiùs validiore coniectura falsi crimen eidem Ebboni obiiciemus, in Censuræ, & Capitulorum probabili admodum corruptione: modò satis erit, dum illa examinantur, hanc suspicionem animo nostro identidem occurrere.

CAPVT XIX.

Censura Capitulorum Carisiacensium in Concilio Valentino lata expenditur.

Hincmarus & Ioan. Scotus in hoc Concilio censurâ passi.

SCRIPTORES duos catholicos tacito nomine, indicatis operibus, nota censoria perstrinxerunt Valentini Præsules, Hincmarum, & Ioannem Erigenam: bis vtrunque, sed non eodem modo. Hunc videlicet apertissimè, & expresso cognomine; illum obscuriùs, & cum Concilio suo confusum: hunc magno contemptu, & pluribus in vniuersam doctrinam opprobriis, nullo singulari canone in priuatos articulos vibrato; Illum, damnatis Capitulis quatuor generatim, ac præterea numero certo canonum in aliqua è Capitulis singulatim constitutis. Primus itaque canon, de vitandis vocum nouitatibus, vtrunque meo iudicio fecit, sed eminùs & obtusè, quem ad se pertinere vel non credidit Hincmarus, vel dissimulauit. Ceteros, qui vulgò putantur eius Capitulis aduersari, fusè persequitur libro de Prædestinatione. In quarto manifesta opinionis, tanquam erroris, condemnatio est. Sextum integrum ipse sibi applicat, cuius ego posterius membrum soli Scoto Erigenæ assignandum existimo. Septimi peculiaris consideratio est, breuem apud nos appendicem factura. Gotteschalcum non semel his canonibus proscriptum prætermitto, quia catholicorum lites euoluo. Ioannis Scoti memoriam hoc loco reuocare necessarium non arbitror. In causa igitur Hincmari solius immorandum est, quem censura sua sic infamant Valentini.

Censura Hincmari. can. 4.

Porrò Capitula quatuor, quæ à Concilio fratrum nostrorum minùs prospectè suscepta sunt, propter inutilitatem, vel etiam noxietatem, & errorem contrarium veritati: sed & alia XIX. syllogismis ineptissimè conclusa, &c. à pio auditu fidelium penitus explodimus, & vt talia & similia caueantur, per omnia auctoritate Spiritus sancti interdicimus. Nouarum etiam rerum introductores, ne districtiùs feriantur, castigandos esse censemus. Non dubitat Remensis, quin his verbis fœdam subierit condemnationem? cùm scribit, in hoc Concilio inuenisse se Capitula à se excerpta *velut inutilia, imò noxia, reiecta & abominata:* séque ipsum, *velut non catholicum reprehensum, & sine fraternitatis respectu, despectum.* Sed placet de verbis singulis in iudicium venire, vnde & iudicum mentem, & æquitatem sententiæ, & rei iudicatæ vim & robur æstimemus.

Hincmar. epist. 1. ad Carol.

Expenditur singillatim.

Porro, inquit decretum. Eam vocem cùm lego, sub exitum Canonis quarti positam, videre mihi videor breuem collectionem præcedentium Capitum, quibus contrariæ Capitulis Carisiacensibus quatuor, opiniones pro catholicis sunt traditæ. Qua Synopsi ritè conclusa, tanquam hac negotij parte confecta, mox ad alia transeatur. Hîc autem ex aduerso, prioribus illis canonibus allusum tantummodò est ad duo Hincmari Capitula, primum, & vltimum: quinto postea Canone, de secundo Capitulo dicitur, tertio penitùs prætermisso. Perturbatio hæc est, non tradendæ doctrinæ methodus. *Capitula quatuor*, sine dubio Hincmariana; *quæ à Concilio fratrum nostrorum* Carisiaco; non enim pseudosynodum & conuenticulum vocant æmuli Episcopi, sed Concilium, qui quid sit Concilium, quid Pseudo-synodus à Dissertatore Monetali Præside nondum didicerant. Sequitur in textu, *minùs prospectè suscepta sunt.* temerè, inconsideratè: siue, quòd ad rem quæ agebatur, parum attenderent, siue doctrinam quæ Capitulis tradebatur, ignorarent. Ita Capitula discernunt à Concilio; compositorem, à suscipientibus; illum erroris, hos imperitiæ & imprudentiæ insimulant. *Propter inutilitatem, vel etiam noxietatem, & errorem contrarium veritati.* Notæ sunt hæ, & vt vocant, qualificationes propositionum, quæ dicuntur inutiles, noxiæ, erroneæ. Quæ verò propositiones? *Capitulis quatuor* contentæ. An tales singulæ? an omnes vniuersè, & vt aiunt, respectiuè: nihilne Capitula illa loquuntur, quod noxium non sit, & contrarium veritati? Si respondes, priuat is canonibus singulorum Capitulorum notam satis designari, dicam & ego *nimium errorem* vni tantùm assignari, in canonibus, & quatuor proscribi Capitula, cùm non nisi tria canonibus vellicentur. Sed in sequente censura confusio maior est, neque video qua ratione malignitatis & iniustitiæ possit Ebbo excusari.

Conuentus Carisiacus verum Concilium.

Malitia & iniustitia censoris.

Sed & alia XIX. syllogismis ineptissimè conclusa, & quæ sequuntur, nulla necessitate describenda. Certum est Ioannis Scoti librum de vnica prædestinatione, hoc obelo configi, ex quo Capitula nouemdecim excerpta scimus ab ignoto aliquo, & otioso Hincmarianæ partis aduersario, fortasse ab ipso Ebbone, quæ per Wenilonem Prudentio tradita, fusè, penè dixi furiosè, confutata sunt. Vide tamen quàm malignè hoc loco Capitulis Hincmari subiiciantur, tanquam germana, & ab eodem parente: vt controuersiæ negligentiores facilè possint decipi, & credere geminum vnius auctoris opus tot maculis deturpari. Id autem eò fuit facilius, quòd tum latebat adhuc illorum syllogismorum auctor, & qui profectos nesciebant à Scoto, cùm viderunt in censura *secularem litteraturam iactari* à nonnullis, in Hincmarum oculos reflectere poterant non iniustè. Ignorasse autem plurimos Capitulorum 19. parentem, certo argumento est, quòd ne ipsa quidem Capitula Hincmarus ante illud tempus habebat cognita, cuius tamen maximè intererat nihil eorum præterire, quæ controuersiam adiuuarent. Iam audita est Hincmari super hac re querela. *Inseruerunt etiam in eisdem scriptis suis, de quibusdam sexdecim*, vel potiùs nouemdecim, *Capitulis, quasi nobis debeant imputari.* vt à nobis conscripta, *de quibus nihil audiuimus, vel vidimus, antequam venerabilis Ebbo Gratianopolitanus*

Scoti doctrina Hincmaro imputata.

Hincmar. epist. 1. ad Carol.

Episcopus, vobis ea, quasi, audis? non verè, sed in speciem, velut *à bona memoria fratre vestro Lothario transmissa*, re autem ipsa è suo fortasse scrinio educta, *apud Vermeriam palatium detulit*, proximo post istud Concilium anno. *Quorum Capitulorum auctorem nec ibi memoratum inuenimus, nec cùm multùm quæsierimus, inuenire valuimus.* In eo igitur Ebbonis fraus posita est & malitia, quòd alienos errores in Hincmarum conferre conaretur.

Scoti censura non rectè concepta.

Iniustitiam verò appello, formam eius doctrinæ spissè & vniuersè repudiandæ, quasi quæ toto illo opere dicuntur, sint *commentum diaboli*, neque vsquam quicquam attulerit, in quo *argumentum fidei deprehendatur.* Atqui, vt rectè admonet Hincmarus ex Beda, *nulla falsa doctrina est, quæ non aliqua vera intermisceat.* Nec ipse quidem Gotteschalcus ex toto reiiciendus est, quia non vbique hæreticus. Quare cùm in Concilio Francofordiensi, Elipandi Toletani causa agitaretur, & eius Epistolæ responderent Patres Gallicani & Germani, sapienter in Synodica sua dixerunt, *Tempus est, vt ad discutiendos sensus libelli vestri veniamus, in quo sanctorum Patrum per loca testimonia inuenimus posita, sed malè perfidiæ veneno corrupta, & inter flores pulcherrimos fidei catholicæ, anguinos erroris vestri dentes insertos.* Quod pluribus exemplis demonstrare pergunt, separantes pretiosum à vili; testimonia Patrum, à veneno perfidiæ; fidei flores, à dentibus anguinis. Antea quoque de eadem hæretici Epistola dixerat Paulinus Aquileiensis. *Sicut mos est hæreticis tristia lætis, dulcia permiscere amaris, veneni poculum mellis sapore temperare; quædam in eadem Epistola plena blasphemiis & catholicæ fidei reperta sunt modis omnibus inimica; quædam verò si dici liceat, inueniri poterant, non reiicienda.* Quare non tota Toletani Epistola, sed certus & determinatus eius error primo Concilij Canone damnatus est. Sic in quinta Synodo, antea Origenis, & Theodori Mopsuesteni fuisse collectos errores videmus qui proscriberentur: ac deinde in Constantiensi Concilio Ioannis Hussij, & Wicleffi hæreses, longa serie nominatas reiecit Ecclesia. Itaque cùm apud Ioannem Scotum reprehendenda non pauca legi agnoscamus: at Ebbo vicissim fateri possit, recta & proba nonnulla reperiri, debuit in censura sua flores à venenis secernere, aurum à cupro; iniustus, si voluit credi omnia æquè reiicula esse: obscurus & confusus in docendo, si non curauit simpliciores scire, quid illo in scripto tenendum, quid abiiciendum esset: atque vniuersè, quò distinctior strictiórque censura est, hoc æquior & vtilior videtur. Sed benè & nauiter doctum esse oportet qui hoc faciat, non aliquem semidoctum, aut nihil magis, quàm æmulum. Venio ad conclusionem censuræ, vtrique operi communem, Hincmaro vni, ex Ebbonis mente, inuidiosam.

Idem l. de præd. c. 19.

Concil. Francoford. in Epist. Synod. tom. 2. Concil. Gall.

Paulin. Aquileiens. ibid.

Censura Valentina nunquam admissa.

A pio auditu fidelium penitus explodimus. Capitula quatuor, & alia 19. syllogismis conclusa. tanquam impia videlicet, & abominanda reiicimus. Satis quidem seuerè, si iustè. Quid enim aliud de Arij Macedoniique blasphemiis scriberes? At tu ipse Censor austere, in vno è *quatuor Capitulis; pium* inesse *sensum* alio loco fateris; sententiam *à pietate venientem* appellas; metu discordiæ iubes *honorari.* Qua igitur fronte modò *à pio fidelium auditu explodis?* Quid præterea? *Et vt talia & similia caueantur per omnia auctoritate Spiritus sancti interdicimus.* Quibus? Subditis vestris in quos solos censura vestra ius habet? An Ecclesiæ vniuersæ? Quo more, quo exemplo? Quàm pauci vobis viuentibus videntibúsque, quàm penè nulli sequentibus seculis *auctoritatem* vestram sequuti sunt, apud quos, vt minimùm, dubiæ & incertæ fidei creditæ sunt quæstiones illæ, vltro citróque catholicis scriptis agitatæ? Vestræ illi censuræ non cessit Hincmarus; illam perdiu Scholastica Theologia ignorauit; oppositas Capitulis quatuor Carisiacensibus, quæ reiicitis, sententias, hoc est vestras, amplexati nostrates hæretici, aduersarios, & Hincmaro paria sentientes habuerunt catholicos controuersiarum doctores. Carisiacensibus propiora sunt Concilia etiam Generalia, quàm Valentinis; & vos tamen in fidei rebus, Euangeliis in medio positis, auctoritatem sancti Spiritus aduocatis, quasi iurisdictionis vestræ terminos in omnes fideles velitis extendere, vt id doceatis, quod non admittitur. Hæc est auctoritas & iurisdictio, ac non potiùs præsumptio, & inanis ostentatio? *Nouarum etiam rerum introductores*, inquiunt, *ne districtiùs feriantur, castigandos esse censemus.* Quæro iterum, quos? quibus in terris? Vltra tres Prouincias non progredietur illa constitutio: nihil sibi iuris Ecclesia Lugdunensis in Remensem, aut Gratianopolitana in Senonensem vindicabit. Scimus quàm efficaciter factio tota, post scriptoris Lugdunensis qui Florus vocatur, declamationem, Ioanni Scoto insidias posuerit, eúmque tandem ex aula & regno Caroli expulerit. Sed Hincmaro, quid nocere potuit ingens illa coniuratio, & Imperium in Carolo, & Romam in Pontifice Nicolao commotura? Quid si etiam quærimus quæ sint illæ res nouæ? qui earum introductores? Certè reexortos, & modernos Prædestinatianos impetit Hincmarus, & interim agit fortiter contra *cribratores Capitulorum suorum, sed non consumptores eorum.* Denique censuram suam auctores ipsi damnarunt, & proximè sequente Concilio, re maturiùs deliberata, etiam sine Euangeliis in medio positis, deleuerunt

Hincmar. l. de præd. c. 24.

Aliam Scoti censuram sibi applicat Hincmarus.

Alteram censuram, aut, si mauis, censuræ partem alio loco positam, in istud de Hincmaro iudicium non inferrem, nisi suam ipse faceret, quæ manifestè Ioannem Scotum lacerat & cruentat: cuius doctrina nihil habet commune cum Remensi, excepto quòd Gotteschalcum vterque oppugnat, quódque inuitatus ad scribendum Erigena, eidem Hincmaro librum dedicauit. Sed hæc quàm sunt extrinseca, & vt magnum, reprehensioni, quæ in libro de Tribus Epistolis non deest, non autem censuræ Synodali obnoxia? Sic igitur scribunt censores: *Inanes autem quæstiunculas, & aniles pene fabulas.* Certè in Scoti opere nonnulla eiuscemodi leguntur, *Scotorúmque pultes*, de quibus alibi, *puritati fidei nauseam inferentes*. quòd illa simpliciùs, absque philosophicarum argutiarum fuco tractanda sit, *quæ periculosissimis & grauissimis temporibus*, fuerunt enim reipsa Caroli Calui tempora bellis & calamitatibus molestissima, *ad cumulum laborum nostrorum, vsque*

Concil. Valentin. can. 6.

ad scissionem caritatis, inter Reges fratres, atque inde illorum subditos, *miserabiliter, & lacrymabiliter succreuerunt*, ex quo Prædestinatiana hæresis per Gotteschalcum restituta est, *ne mentes Christiana inde corrumpantur, & excidant à simplicitate, & castitate fidei quæ est in Christo Iesu, penitus respuimus, & vt fraterna caritas cauendo à talibus auditum castiget, Domini nostri amore monemus.* Hæc non vni Scoto, sed sibi dicta cùm putaret Hincmarus, post explicatos priores articulos de suis duos, de præscientia & prædestinatione Dei, atque de libero hominis arbitrio, retorquet oculos in hanc censuram, & quæstionum leuitatem sibi obiici miratus, Censorem suum ad iniquitatem iudicij sui recognoscendam inuitat. *Quapropter, hæc quæ scripsimus, Capitulorum Compilator relegat, & videat si in eis, vti in præfato sexto Capitulo scripserat, poterit inuenire ineptas quæstiunculas, & aniles pene fabellas Scotorúmque pultes, puritati fidei nauseam inferentes, &c. Videat nihilominus si de duobus præscriptis Capitulis, & de aliis etiam duobus in processu scribendis, quæ ex catholicorum verbis excerpsimus, Christianæ mentes corrumpantur, & excidant à simplicitate fidei quæ est in Christo Iesu.* Deinde in ipsum iaculatorem, telum retorquet. *An de illis, quæ ipse cum modernis Prædestinatianis, & priscorum Prædestinatianorum anathematizatis excerpsit adinuentionibus, ad compressam & funditus extinctam hæresim resuscitandam, quæ ad cumulum laborum nostrorum periculosissimis & grauissimis temporibus, vsque ad vnanimis scissionem fraternitatis miserabiliter & lacrymabiliter remouetur.*

Et confutat in censorem retorquenda.

Hincmar. l. de præd. c. 21.

Quibus verbis intelligi vult, quod nemo sapiens neget, in hisce contentionibus, quæ à catholicis aduersùs renascentes subinde hæreses suscipiuntur, paci & concordiæ vulnus nunquam à parte catholica inferri, sed à nouitate & hæresi, quietem Ecclesiæ turbante; dum veterum incendiorum sopitos cineres excitat, catholicorum autem vna cura est, aquam adferre & flammam extinguere. Iniustissima nihilominus eiusdem nouitatis querela est, iam antè à nobis obseruata, & nouo exemplo confirmanda, turbas ab iis concitari, à quibus inhibentur, & lædi caritatem ab iis, qui fidem perimi vetant. Audi Ebbonem Nouantium lingua loquentem. *Recordetur fraternitas mundi malis grauissimis se vrgeri, messe nimia iniquorum, & paleis leuium hominum se durissimè suffocari. Hæc vincere ferueat, & corrigere laboret, & superfluis cœtum piè dolentium, & gementium non oneret.* Vult Ecclesiasticas curas aduersùs iniquos & leues homines conferri. Præclarè. Qui sunt autem magis *iniqui*, quàm sanctissimæ pacis perturbatores hæretici? qui magis *leues*, quàm qui spreta Ecclesiæ auctoritate circumferuntur omni vento doctrinæ? *Superflua* vocat quibus amputantur noxia? Qui sunt denique alij *piè dolentes*, quàm catholici, ex quo miserabilem Monachum cum furiis suis Galliæ sinu exceperunt?

Nouatores iniustè queruntur de catholicis.

CAPVT XX.

Capitula Valentina Carisiacis admodum leuiter opposita esse monstrantur.

SENTIO me difficilem in locum esse delatum, qui disputationem meam præter solitum ab opinione receptissima, ad alias cogitationes penè vi abripit, & contra ipsos actores huius tragœdiæ, venire compellit. Nemini enim dubium esse potest, quin Ebbonis animus fuerit, in Capitulis Synodi Valentinæ condendis, Hincmaro & eius Capitulis infamiam parare; idque facere constituerit singula vellicando & carpendo; quod in Ioannis Erigenæ syllogismis præstare dedignatus est. Constat aliunde sic eius mentem ab Hincmaro perceptam fuisse, vt se ipse reuera læsum offensúmque persentisceret: sæpéque sit questus, Capitula sua, quasi à fide discordent, malignè carpi & exponi. Eámque ob causam, cum Valentinorum Canonum compositore sic agere solet, tanquam nullo non loco positas videat insidias; & verba singula sic cauet, vt spicula, quibus certum vulnus intenteretur. Denique hæc modò peruulgata est inter plurimos, maximéque Nouantes opinio, Carisiaca Hincmari Capitula quatuor, non solùm vna censuræ, quam modò explicuimus, spongia deleta esse simul & semel, verùm etiam singulis contrarios Canones in nobilissimo celeberrimóque Concilio fuisse decretos. Quod ergo facere voluit Ebbo, quod factum sensit Hincmarus, in causa ipsi sua præsentes: quod magno consensu posteritas factum credit, & vt trophæum ostentat, quis ego sum vt negem ab Ebbone præstitum, rectè ab Hincmaro, vel nostratibus doctis hactenus creditum? Id verò mihi credas, Lector, non postulo, sed oculis tuis, sed canonibus, sed syllabis, sed sapientibus, quos, post illorum examen accuratum, susurrantes frequenter audiui, non esse quantùm vulgò iactatur, Concilium Valentinum oppositum Carisiaco. Quisquám-ne mentem suam scripto expresserit? nescio.

Composita sunt Valentina Capitula, vt Carisiacis opponerentur.

Hincmar. l. de præd. c. 16. 21. 27.

Atque istud non alia ratione confici potest efficaciùs, quàm diligenti singulorum Canonum consideratione, & cum Carisiacensibus collatione: vbi nonnullos reperiemus à scopo aberrantes, neque penitus Hincmarum ferientes: alios aduersùs Gotteschalcum immissos, ac proinde Hincmaro fauentes: aliquos in leuissimis quæstionis partibus occupatos: ex quibus necessariò intelligetur quod profitemur, leniter, & tantùm acu punctum illis canonibus esse Remensem, cui vni pessundando Gratianopolitanus laborabat. Baronius certè limatissimo vir iudicio, cui ex solis istis canonibus, non autem ex aliis quas exposuimus antea circumstantiis, notum fuit hocce Concilium Scotis vagantibus, & Gotteschalco, non vlli alteri vidit esse contrarium. Sed quoniam hæc est futura sequentis sectionis materia, inquiramus interea hoc loco, quæ tandem esse potuerit adeo grauis hallucinationis causa in Ebbone & Hinc-

Quæ tamen Hincmarum leuiter feriunt.

Baron. ad an. 855. tom. 10.

maro, vt ille, quod ardentissimè cupiebat, Hincmarum lædere, hoc mollissimè fecerit: hic, perstricta tantùm cute libatus, se crediderit periculosè sauciatum?

Cur Hincmarus illis tantopere offensus fuerit.

Hîc ego non vereor agnoscere, magnis viris humanitus non pauca contingere, & disputantes Theologos, non minùs quàm litigantes aduocatos, æstu nonnunquam & zelo longiùs abripi, quàm recta ratio sinat & modestia; vt ea proferant in feruore contentionis, quæ sedatis auditorum animis probari non debeant. Neque disputatione sola hic animorum ardor accenditur, sed priuatis inter suos colloquiis, salibus & dicteriis in æmulos iactatis, rumusculis & imprudentium aut maleuolorum delationibus: quæ omnia scriptis, quæ non rarò professa opera obscurantur, plurimùm lucis afferunt inter præsentes: sunt autem leuiora, quàm vt in iis colligendis aut otium ponat, aut se deprimat historia. Hinc fit vt ignotis hisce causis, ad posteros soli perueniant effectus: miremúrque modò quæ res Hieronymum & Augustinum, Epiphanium & Chrysostomum; aut apud veteres, Demosthenem & Æschinem, Catonem Censorium, & Scipionem Africanum, Ciceronem & Salustium tam acerbè inuicem commiserit. Nihil ergo mirum est, si relatam in commentarios ab Hincmaro, diligentérque inculcatam Capitulorum oppositionem, nos modò non videmus, & iudicamus illi fore honorificentius si posteritas ignoraret, ipsum, aut à Concilio corrigi potuisse, aut ab Ebbone, quantumlibet æmulo, reprehendi.

Quomodo Hincmaro nocere conatus sit Ebbo.

Alia ex parte hærebat Ebbo inter sacrum & saxum, odio suo ita gratificari expetens, vt tamen honori consuleret: ita certus Hincmari gloriam atterere, & oppugnare doctrinam, vt tamen catholicus & esse vellet, & haberi. Videbat autem in dogmatis Gotteschalci, quem vniuersè damnabat Hincmarus, suprema controuersiæ capita præcisè repudianda; in quo se catholicum monstraret: aliqua benignioris sensus capacia, in quibus tuendis displiceret Hincmaro: sed hæc omnino leuiora, quæ altum vulnus eius existimationi non infligerent. Addendum igitur esse fellis plusculum, & in eius doctrina posse quædam obscurari, efferri suspiciosè, malignè concipi: omnia vniuersè sic confundi, vt vni Hincmaro non leuis pararetur inuidia. In quo spes eum sua frustrata est, quia catholicus parere non potuit in quæstione, quin assentiretur Hincmaro, & sic tacitè atque inuitus eius Capitula probaret; & sapientibus modò inuidus & vitilitigator videtur, qui nodum quæsiuit in scirpo. Hincmarus autem in rebus adeo seriis ludum & fraudem execratus, non apertiore, quàm iniquiore Capitulorum suorum censura exacerbatus, inuidiæ animum aduersarij exedentis, non nescius, rem ad viuum resecat; peruadit ad mentem scribentis, & ex ea scriptum æstimat; syllabas omnes, velut appositos sibi laqueos, summa vigilantia cauet; & in erroris suspicione sibi fraudulenter obiecta, iustiorem aduersario mouet infamiam. Diuersicolorem eius doctrinæ textum ostendit, catholicorum & hæreticorum (inter quos medius esse vult ille) assertionibus distinctum & variegatum, irridétque tanquam monstrosam chimæram. *Quæ catholici dicunt, dicit, vel potiùs ad illa se affectando componit; & quæ heretici dicunt, pro viribus asserit. Sicut de chameleonte refertur, qui in omnes quos viderit mox se colores conuertit: & de Æsopi barba fabulosè refertur, quia quicquid de ea dominus serui dolosi dixerit, dictum suum in illa inuenire valebit: sic & iste suam sententiam temperat, vt & catholicis, & dyscolis se accommodans, cum vtrisque se partibus præstet, nulli conueniat.* Conatur igitur Ebbo, quod omni ex parte perficere non potest, veritate catholica impeditus: Hincmarus autem præferuidè, post apertum vulnus, in iis quæ confusiora videntur, secto verborum cortice, peruadit ad medullam inuidiæ, & ex armorum genere, quale sit belli caput ostendit; probantibus suis, confusis autem, & illo impetu perturbatis aduersariis, qui se simul & perceptos & captos erubescunt. Nos verò, qui in rem præsentem nunquam venimus, quibus è tanto lapsu temporum solæ supersunt membranæ, & chartæ litteris illitæ, mutæ, mortuæ, illas frigidi legimus, & tranquillo mentis statu quid doceant, quæ tractent, ad quos pertineant, quibus proinde sint reddendæ, iudicamus. Quare propositiones Hincmari ab erroribus Gotteschalci secernimus, & velut ignotam Ebbonis fraudulentiam prætervecti, Carisiacensium & Valentinorum Capitulorum affinitatem contemplamur.

Sed frustra, & maiore suo damno.

Cum Chameleonte confertur ab Hincmaro. c. 11.

Ex Concilio, non ex Hincmaro Capitula modò disponuntur.

Hoc loci istius institutum vt persequamur, monere necesse est, aliter in ipso Concilio, aliter in Hincmaro respondente, Capitula disponi, & nonnunquam concipi. Nam primum penitus omittit, & *præmissas commendationum fabulas*, vocat: In quarto, Capitulorum suorum censuram omittit, quam percurrimus. Sextum secundo loco tractat. Quibus omnibus in præfatione numerum vnum detrahit, atque vltimo controuersorum, nouem sententias subiicit ex Lugdunensi Scripturario depromptas. Ex moralibus autem, siue quæ disciplinam & mores dirigunt, vnum tantummodò famosum, de legitima Episcoporum electione & ordinatione producit, atque illud auctum duplici veterum Patrum auctoritate, quæ non legitur in Concilio. Eius diuersitatis certa ratio est, quòd in opere posteriore de Prædestinatione, quo solo vtimur, Capitula describit & euentilat, qualia post Concilium Tullense à Carolo Rege suscepit, non qualia vel in Concilio Valentino iacent, vel Ebbo detulit ad Carolum, vt missus à Lothario. Qua etiam de causa Concilij ordinem sequi decreuimus, quia Carisiaco proximum est, nósque in eo versamur, Tullense suo tempore consulturi. Pleraque nihilominus de libro nominato ad explicationem sumemus, quòd eadem penitus sint Capitula, quibus posteriùs responsum est. Aggredimur ergo rem magni hac in disputatione momenti, vt Concilij Valentini canones de doctrina tractantes, cum Hincmari opinionibus, & Capitulorum Carisiacorum sensu non malè in plerisque conuenire monstremus: vnde sequitur, & absurdè Capitula eadem fuisse à Valentinis repudiata, vt *inutilia & noxia*, & Concilium istud inaniter ab Vsserio, atque eius socio Dissertatore, velut quendam de Carisiaca Synodo triumphum ostentari.

CA-

CAPVT XXI.

Capitula Valentina cum Carisiacensibus singillatim conferuntur.

I. CANON.

Quòd nouitates vocum omni studio vitandæ sint.

Summa canonis.



HÆSIS hæc est, quæ causæ iugulum premere, & aduersarium vrgere non solet. Hîc videlicet prolatis Apostoli Pauli ea de re monitis, aiunt Patres, studio pacis & caritatis vitare se studiosè *nouitates vocum, & præsumptiuas garrulitates, vnde potiùs inter fratres contentionum & scandalorum fomes excitari potest, quàm ædificatio vlla timoris Dei succrescere.* Vtque fluctus illi contentionum sedentur, docent quibus *Doctoribus piè & rectè tractantibus verbum veritatis* fortiter & securè sit inhærendum: videlicet *Cypriano, Hilario, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, ceterisque in catholica pietate quiescentibus.* De his enim quæstionibus *in quibus fratrũ animi non parum scandalizati probantur*, illud tantùm tenere se, *quod ex maternis Ecclesiæ visceribus hauserunt.* Sic illi. Exordium commune Rhetores vocant, & vitiosis annumerant, quod pars vtraque litigantium æquè potest ad vsus suos accommodare. Tale profectò est prooemium istud, quod nisi breuitati studuisset Hincmarus, Capitulis suis poterat præponere. Atque omnibus huius canonis partibus libentissimè subscribit, neque alio sensu *commendationum fabulas* vocat, quàm quia magno ambitu verborum id postulant, quod catholici omnes vltro concedunt, & ipsum obliquè nouitatis insimulant, cui prohibendæ, & in disputationis palæstram ingressus est, & hæc è Patrum dictis excerpsit Capitula.

Nouitatis refugit & impugnat Hincmarus.

Sic enim canonis auctori, aduersus vocum nouitates declamanti, & in censura *nouarum rerum introductores castigandos* esse censenti, respondet, *Et nos ita etiam concensemus.* Deinde, qui sint illi clariùs explicat, & in aduersarium retorquet ictum. *Veteres Prædestinatianos, nouarum scilicet rerum introductores, sanctus Augustinus in libris de correptione & gratia, De prædestinatione sanctorum, ac Bono perseuerantia, Hypomnesticon nihilominus libro,* quem præcipui aduersariorum recipiunt, *& libro De prædestinatione & gratia, sufficientissimè & fidelissimè, atque paternè castigare curauit. Deinde, sanctus Cælestinus auctoritate Apostolica, instantia sancti Prosperi, & sententia Synodali redarguit, atque compressit. Et nunc itidem harum nouarum vocum introductores eadem auctoritate sanctarum scripturarum & catholicorum, atque antiquorum Patrum prolatis sententiis necesse est castigare, redarguere, atque comprimere.* Qui verò sint illi Patres, quorum in his quæstionibus doctrinam desiderat amplecti, tum sæpè alibi, tum in Epistola ad Carolum priore fusè docet, cùm nominat *diuinas & authenticas scripturas, catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ, sanctæque Romanæ sedis præsules, & qui ab eadem Apostolica sede Romana nobis in canone recipiendi dati sunt.* Præterea, qui post Gelasij decretum de scripturis authenticis, sensu & doctrina catholica, & sanctitate conuersationis floruerunt in Ecclesia, & à veterum illorum doctrina nunquam aberrarunt, quales sunt Beda, Paulinus Aquileiensis, & Alcuinus vir religiosus & doctus. *Quorum fidem & doctrinam Apostolica sedes Romana non solùm benignissimè acceptauit, verùm & multis laudibus extulit.* Conueniunt igitur vtrique, Hincmarus pro Carisiacensibus, & Ebbo pro Valentinis in duplice thesi contenta canone, vitandas esse vocum nouitates, & veterum Patrum doctrinæ esse inhærendum: vt certamen totum referri debeat ad hypothesin, quæ sint vocum nouitates, & quæ veterum doctrina? Qui sunt interim noui Nouantes, qui solum iactant Augustinum, solum ab Ecclesia probatum, vnum fidei catholicæ regulam dici volunt, quem Valentini Patres in turba ceterorum appellant?

L. de præd. c. 31.

Idem epist. 1. ad Carol.

Augustinus cum aliis citatus.

II. CANON.

De æterna Dei præscientia bonorum & malorum.

Sectio Canonis.

AD hypothesin primo isto gradu deuoluitur, sed nondum ad Capitula Carisiaca: primò sibi oblatum, præterire potuit Hincmarus cum antecedente: salutauit tamen, & nos in cursu conuenimus. Duabus partibus constat Canon: priore, Dei præscientiam æternam esse docet; posteriore, præscientiam eandem necessitatis nihil in hominum actiones influere: neque tales esse singulos, quia præuidit & præsciuit Deus tales futuros, sed quia id ipsi volunt esse. In illa parte consentiunt omnes; in hac Ebbo & Hincmarus concordibus animis Gotteschalcum impugnant. Prioris membri summa est, æterna & incommutabili præscientia futura omnia præuideri à Deo, quare *fideliter tenendum, bonos præscisse omnino per gratiam suam bonos futuros, & per eandem gratiam æterna præmia accepturos: malos autem per propriam malitiam malos futuros, & per suam iustitiam æterna vltione damnandos.* Hunc, & sequentem articulum, riuos esse notat Hincmarus ex Flori sermone deductos, sed turbidos & à fonte corruptos. *Quæ alieno labore exempla collecta inueni: Ebbo, inordinato ordine posuisse; meliùs illum posuisse; imò illum bene, quia iste malè.* Locis duobus vitiatum Flori sermonem, quem ex Ebbonis scrinio accepit, *& ipsius religiosi & docti viri à compilatore Capitulorum scriptum commixtum, atque confusum, & detruncatum reperiri.* Plura de his curiosos docebit Hincmarus, nos aliud agimus. Eandem de præscientia diuina doctrinam, apertè tradit Gotteschalcus, quam velut solum quoddam absolutæ prædestinationi substernit. Ebbo igitur doctrinam suam ab explicata distinctè præscientia auspicatus, Gotteschalco fauet duplici ratione, & quòd eam innuit esse geminæ prædestinationis quæ secutura est, fundamentum: & quòd veram

Summa prioris partis.

Hincmar. l. de præd. c. 6.

Quomodo faueat Gotteschalco.

& catholicis omnibus gratam propositionem, à Gotteschalco æquè assertam proferens, horrorem Gotteschalci ab animis excutit, ne monstrum videatur ex hæresi conflatum, qualem describit Hincmarus: quæ subdola insinuatio est, cautioribus etiam decipiendis non inepta. De Hincmaro autem quid dicemus? Id primum, quæstionem hanc primo Carisiaco capite supponi, non tractari; ac proinde istud à Concilio non tangi. Deinde, quod vnum quærimus, sententiam illis verbis contentam probari ab Hincmaro, & pro catholica haberi. *Quapropter vtcunque à ratione non videtur penitus alienum: de præscientia enim Dei catholicæ fidei aduersa non loquitur.*

Hincmar. ibid.

Pars posterior proposita.

Posterius membrum æquè catholicum, docet præscientiam Dei, nulli malo necessitatem imponere, vt aliud esse non possit, *nec ex eius praiudicio aliquem, sed ex merito propriæ iniquitatis condemnari: nec ipsos malos ideo perire, quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt; suóque vitio in massa damnationis vel merito originali, vel etiam actuali permanserunt.* Necesse non est hunc locum diutius premere, quòd ea sententia & recurrat inferiùs, & Prædestinatianos penitùs opprimat, nec dubitari possit quin eam Hincmarus cupidissimè amplectatur.

III. CANON.

De Prædestinatione Dei, electorum ad vitam, & impiorum ad mortem.

Prima canonis propositio.

HIc tandem primum Carisiacense Capitulum tangitur, sed extremo tantùm digito, & leui impetu: Gotteschalci autem κυρία δόξα graui anathemate prosternitur. Est autem Canon confusus admodum, eius compositore conato simul & Florum exprimere, & ab Hincmari sensu recedere, & suum probare. Lucem aliquam afferemus, posita propositione præcipua, circum quam versantur ceteræ, de duplici prædestinatione. Illam negauit Hincmarus exeunte Capitulo primo; *Ac per hoc, vnam Dei prædestinationem tantummodo dicimus, quæ aut ad donum pertinet gratiæ, aut ad retributionem iustitiæ.* Posteriora verba Prosperi sunt: priora consecutionem ostendunt ex aliquo præcedente deductã. Videlicet, præsciuisse Deum reprobos perituros, sed non vt perirent prædestinasse; verùm iudicio iustitiæ in massa perditionis reliquisse. Capitulum autem Valentinum postquam dixit, quod eodem penitùs redit, malos suo vitio in massa damnationis permansisse, subiicit nullo interposito. *Sed & de prædestinatione Dei placuit, & fidenter placet &c. Fidenter fatemur prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem.* Ad hæc Hincmarus, ostendens ex principio quod ab vtroque agnoscitur, diuersam conclusionem colligi non posse. *Quomodo* inquit, *hoc possit vtrunque fieri, videre non possumus, scilicet, vt & in massa damnationis relicti permaneant, & item iidem prædestinati à Deo, ipsius prædestinatione ad mortem vadant.* Puta sic agere Remensem. Fateris Ebbo reprobos in massa damnationis permanere, quod

Malè ex antecedenti deducta.
Hincmar. ibid. c. 6.

& ego profiteor. At massam damnationis communem omnibus, priùs intelligimus, quàm vlli ex ea per præscientiam cognoscantur electi, vel per voluntatem Dei eligantur, & prædestinentur ad vitam: ergo post factam saluandorum electionem omnino gratuitam, qui non electi, siue, qui relicti sunt in massa, non pereunt ex eo quod prædestinentur ad mortem, sed quia in ea morte quam meruerunt, relinquuntur: relinquuntur autem, quia non eliguntur, neque prædestinantur ad vitam. Ergo qui meum admittis antecedens, conclusioni malè repugnas. Pergit ostendere totum hunc locum longè meliùs à Floro fuisse conceptum. Nec superfluum videtur annotare, dilucidè ab Hincmaro narrari casum Adami, & genus humanum ex eo massam damnationis factum, cui postea superuenit Dei electio pro quibusdam: quæ omnia prætereuectus est Capitulorum compositor, ne prædestinationis positiuæ pro reprobis, vanitas facilè deprehenderetur. Vnde paret non meliùs tantùm, sed etiam candidiùs Hincmarum philosophari.

Sed hæc disputatio est, à qua decreueram abstinere, aliam vtriusque Concilij comparationem pollicitus. In hoc ergo capite, in quo Valentinenses Carisiacensibus contradicere manifestè videntur, quantùm inuicem dissident? Nonne & in Capitulis, & vbique semper pro vnica prædestinatione pugnat Hincmarus? At canon iste geminam cum Ratramno, Lupo, Prudentio, & aliis asserit, & hac ex parte Gotteschalcum tegit. Respondeo, differre voce, re autem ipsa conuenire posse, si de verbis digladiari nolunt. Frequenter enim toto hoc opere admonui, geminam prædestinationem horrori non esse Hincmaro, nisi malo & Gotteschalcano sensui applicetur: Ebbonis autem sensus Catholicus est, Gotteschalcano repugnans; ergo sensu Ebbonis geminam prædestinationem admittit Hincmarus. Primæ nostræ propositionis testis est caput decimum nonum, quo docet *qualiter vna Dei prædestinatio, gemina fideliter dici possit.* In quo hæc legimus expressa. *Quoniam Gotteschalcus, & sui complices geminam prædestinationem dicunt, non per totum, neque in toto refutare debemus: sed sensum catholicæ fidei contrarium, in hoc dicto, quo prædestinationem Dei geminam adstruunt, fidei catholicæ filij, abominari & anathematizare debemus.* Minoris verò propositionis confirmatio, indidem petitur, cùm explicat quis illi voci catholicus sensus, alius à Gotteschalcano, possit inijci. Vult siquidem Gotteschalcus eodem penitus modo positiuè ad mortem prædestinari reprobos, quo electi positiuè prædestinantur ad vitam. & illam prædestinationem ait cum Prædestinatianis, esse antecedenter, & necessariò immutabilem, & sic Deum esse auctorem perditionis illorum. Quod non tantùm Ebbo non probat hoc canone, sed vt fidei catholicæ filius abominatur & anathematizat. *Qui verò in sinu catholicæ matris Ecclesiæ positus, ita Dei prædestinationem voluerit dicere geminam, vt in effectu operum Dei, qui fecit quæ futura sunt, hoc recto sensu intelligat, &c. Non discordat à vero, si hanc Dei prædestinationem sic dicis geminam,*

Conuenit cum Hincmaro in sensu primario & catholico.

Ibid. c. 19.

sicut catholici doctores caritatem geminam dicunt, qua vna est, & in preceptis duobus, dilectione videlicet Dei & proximi, gemina dicitur. Et inferiùs, multis interpositis exemplis, ait illis apertissimè demonstrari, *quia hac Dei prædestinatio ita recto sensu potest gemina dici, non quò ea ipsa prædestinatione sic prædestinentur reprobi ad interitum, sicut prædestinantur electi ad vitam: sed quia electis dat gratia, quod non meretur malitia; relictis autem reddit æquitas, quod meretur iniquitas.* Quibus verbis non dubito quin libenter subscribant Valentini omnes cum Ebbone collaborante. Quemadmodum Hincmarus cum Carisiacensibus suis omnibus facillimè subscribent dicto Lugdunensis illius scriptoris, qui Florus creditur. *Prædestinationem æterni consilij & iudicij Dei, siue in remuneratione iustorum, siue in damnatione iniquorum, propter vnam ac simplicem diuinam scientiam, in qua simul atque æternaliter de omnibus praordinatum, & præfinitum est, vnam veraciter dicimus: Et propter duplicem eius efficientiam, qua alij misericorditer liberantur, alij iustè damnantur, duas dicere non timemus.* Ergo in primario capite conueniunt, sensu videlicet catholico, hæreticum repudiando: habent & alia communia, exquisitum & tenue punctum est, in quo dissentiunt.

L. Eccles. Lugdun. aduers. Scot. c. 1.

Nam gemina prædestinatione vtrinque semel admissa, si quæritur vlteriùs, eius prædestinationis diuisio quæ sit, quæ partes potentiales? Respondebit Ebbo, duo decreta Dei positiua circa electos ad vitam, & reprobos ad mortem. Positiuum non vocabit Hincmarus in reprobis: quia negationem solam videtur admittere. Si quid tamen illa in parte explicatiùs docetur extra prædestinationem fatalem & absolutam ad mortem, de qua cum Gotteschalco disputat; non refugiet positiuam voluntatem, eos in illa massa relinquendi, è qua ceteros educit. Et de positiuis illis si quæritur, quid primùm spectent, in quo fundentur? Dicet vterque, in misericordia, & in iustitia: vt in priore, sola misericordia, sine vllo merito spectetur; in posteriore, meritum malum ante omnia consideretur. Sic enim canon hic noster, *In electione saluandorum, misericordiam Dei præcedere meritum bonum; in damnatione autem periturorum, meritum malum præcedere iustum Dei iudicium.* Quid autem Hincmarus? Breuiter, *Electis dat gratia, quod non meretur malitia: relictis autem reddit æquitas, quod meretur iniquitas.* Rursum quæritur, an positiuum in malis decretum, versetur circa malitiam statuendam? Negat vterque, quia hæreticum & Prædestinatianum, quod sæpè repetit Hincmarus. Valentinus verò canon. *Prædestinatione Deum ea tantùm statuisse, quæ ipse vel gratuita misericordia, vel iusto iudicio facturus erat. In malis verò, ipsorum malitiam præscisse, quia ex ipsis est; non prædestinasse, quia ex illo non est.* Hinc probè distinguit Hincmarus, præsciuisse Deum, & prædestinasse hominem cum libero arbitrio se facturum: præsciuisse, non prædestinasse arbitrio suo malè vsurum: præsciuisse & prædestinasse quosdam ex perditionis massa erepturum: præsciuisse non prædestinasse alios in ea permansuros. Progredior. Illud ergo decretum positiuum quod malos siue reprobos afficit, quid primùm spectat? Et hic vterque conuenit, Pœnam peccato debitam. Sic enim Ebbo. *Pœnam sanè malum eorum meritum sequentem, vti Deum qui omnia prospicit, præsciuisse & prædestinasse, quia iustus est.* Neque aliter Hincmarus. *Pœnam illis, quia iustus est prædestinauit æternam.* Quòd si decreto æterno & immutabili positiuè prædestinata est reprobis pœna, nónne sequitur, quod ait Gotteschalcus, necessariò antecedenter damnari, nec aliud esse posse? Negat enimuero vterque cum tota catholicorum vniuersitate. Quod de Hincmaro cùm sit frequenter repetitum, neque omnino dubitari possit, & expresè in Capitulo Carisiaco scripserit, *Quos in massa perditionis reliquit, perituros præsciuit, sed non vt perirent prædestinauit.* Ebbo etiam vehementiùs in hæresim Gotteschalci fulminat, cùm ait, *Verùm aliquos ad malum* (culpæ aut pœnæ) *prædestinatos esse diuina potestate, videlicet, vt quasi aliud esse non possint* (quæ fatalis est Prædestinatianorum necessitas) *non solùm non credimus, sed etiam si sunt, qui tantùm mali credere velint, cum omni detestatione, sicut Arausica Synodus, illis anathema dicimus.* Sic agerent Arausicani, & Valentini Patres aduersùs imaginariam hæresim, & monstrum fictitium, nisi reuera existerent eius perfidiæ professores? Quanquam & amicis gratificatus Ebbo, hypotheticam particulam addidit, quam in fonte suo, hoc est, sermone Flori non reperit. Sic enim legere potuit. *Qui ergo dicit,* (quod Ebbo extulit, *si qui sunt) quod hi qui pereunt prædestinati sunt ad perditionem, & ideo aliter euenire non potest: similiter quoque & de iustis, tanquam & ipsi ideo saluentur, quia prædestinati ad salutem, aliud esse non potuerunt. Qui hæc tam confusè, & insulsè dicit,* nónne turbarum & errorum omnium auctor est Gotteschalcus?

Vt & in aliis plerisque.

Hincmar. ibid. c. 6.

Ibid.

Florus serm. de prædest.

Quid hoc rei est? peruenimus ad vmbilicos, vbi confoditur Gotteschalcus, & canone toto nihil apparuit, quo propriè peteretur Hincmarus. Vbi est decantatum illud Valentini canonis, cum Capitulo Carisiacensi discrimen? Relegamus vestigia, si fortè imprudentes, & alia cogitantes, oppositionem illam præteriimus. Lectum est initio. *Fatemur prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem.* Ecce prædestinationes duas fatetur Ebbo; at Hincmarus *vnam Dei prædestinationem tantummodo dicimus;* sed quæ gemina fideliter dici potest. Præterea, illa impiorum prædestinatio ad mortem, quid aliud significat, quàm impios prædestinatos esse positiuè ad mortem? Hincmarus autem ex aduerso. *Pœnam illis prædestinauit æternam.* Et alibi clariùs, in expositione geminæ suæ prædestinationis. *Reprobi autem non à Deo prædestinentur ad pœnam, sed retributione iustitiæ illis pœna prædestinetur æterna.* Audio, & grande mysterium capio, vt Ebbo Concilium impetrarit à Lothario Imperatore, tres Prouincias mouerit, Archiepiscopis tribus collaborauerit, tres longos canones magno apparatu scripserit, Flori sermonem & ingenium suum in illis condendis eliquarit, vt in Concilio decernendum curaret, duas esse

Leuissimo inter vtrunque discrimine.

Hincmar. ibid. c. 6.

prædestinationes, & impios prædestinatos esse ad pœnam; aduersùs aliud Catholicum Concilium, in quo decretum erat, vnam esse prædestinationem, sed geminam, & impiis pœnam prædestinatam. O bellum! ô causam belli!

IV. CANON.

De Redemptione sanguinis Christi, & de quatuor, & nouemdecim Capitulis.

Summa Canonis. CANON hic vel titulo ipso indice, bifariam diuiditur, Hincmaro si quis alius, infestus. Nam pars eius prior vnum eius articulum erroris notat, posterior omnia reiicit, vt noxia. Censuram hanc generalem iam deleuimus, neque quicquam occurrit modò, quod aut addere oporteat, aut iterare compellat. Prior singularem censuram continet Capituli quarti Carisiaci de Christi sanguine pro omnibus effuso. Concilij, vel Ebbonis opinio est, Christum pro omnibus omnino hominibus passum non esse, sed pro solis fidelibus: & errare illos in fide, qui putant illos etiam infideles, qui Christi incarnationem & passionem præcesserunt, ad eius redemptionem pertinere. Ita pars Hincmari perstringitur. Sed si attentè propositionis confirmationem expendimus, ad Gotteschalcum non parum acceditur, affirmantem non fideles omnes, sed solos electos qui reipsa saluantur, Christi sanguine redemptos esse, vt sæpe retulimus, & hoc in proposito referre non omittit Hincmarus. Quæ omnia necessariam faciunt accuratam canonis totius, & pene singulorum verborum expositionem, cui fatemur vltro Hincmari opinionem repugnare. Sic ergo loquitur Canon,

Textus Canonis. *Item de redemptione sanguinis Christi:* taxationem significantiùs dixit Seruatus Lupus: pretium enim oblatum dicit *taxatio*, effectum potiùs innuit *redemptio. Propter nimium errorem qui de hac causa exortus est, ita vt quidam, sicut eorum scripta indicant, etiam pro illis impiis qui à mundi exordio, vsque ad Passionem Domini, in sua impietate mortui æterna damnatione puniti sunt, effusum eum definiant, contra illud propheticum, Ero mors tua, mors: ero morsus tuus inferne. Illud nobis simpliciter & fideliter tenendum, ac docendum placet, iuxta Euangelicam & Apostolicam veritatem, quòd pro illis hoc datum pretium teneamus, de quibus ipse Dominus noster dicit, sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis; vt omnis qui credit in ipso non pereat, sed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Et Apostolus, Christus, inquit, semel oblatus est ad multorum exhauriendæ peccata. Porro Capitula quatuor, quæ à Concilio fratrum nostrorum minus prospectè suscepta sunt,* &c.

Obseruationibus explicatur. Non potest tota hæc oratio fine obseruationibus intelligi, & cum obseruationibus fateor à me parum intelligi, quàm aptè huic proposito quadret. *1. De vetere hæresi.* Sit igitur prima hæc obseruatio, quam debere me profiteor R. P. Ioanni du Bosc ex Venerabili S. Francisci Ordine, qui caput istud pleno libro Gallico disputauit, eique titulum fecit, *Du Bosc I. I. C. pro omnib.* *Iesus Christus mortuus pro omnibus.* Auditum aliquando apud veteres Hæreticos hunc errorẽ, *mort. c. 30. 31. &c.* patiente Christo redemptos, & resurgente eductos ex inferis damnatos omnes, qui ante Seruatoris aduentum mortui, peccatis exigentibus torquerentur. Eam hæresim dudum à Philastrio, Augustino, Gregorio, Concilio Parisiensi *Ibid. c. 35.* fuisse damnatam. Ad eam sine dubio canon hic respicit, & illius procul vitandæ causa, permoueri se Patres admonent, tum ad decreti istius editionem, tum ad eius quam exponunt opinionis delectum. Quid enim aliud indicare potest causalis particula, *propter nimium errorem?* *Causa cur Valentini sententiam Hincmari repudicent.* Cui deinde subiungitur, *illud nobis tenendum placet:* adeo vt nisi *nimius error* vetaret, aliud tenendum placere posset. Itaque opinio quam deserunt, præcisè in se spectata non displicet, sed tantùm ob consecutionem, *propter errorem qui de hac causa exortus est.* Et iure quidem: nam si quæ sententia ineuitabilem erroris laciniam trahit, absque dubitatione erronea est, & repudianda.

2. Hincmari sententiam ab illa esse alienam. Secunda obseruatio pendet à prima. Nam hoc posito, certum est Hincmari partem hoc canone non tangi, si nimium illum errorem professa non est: neque verò sententiam eius vllo modo lædi, quantumlibet errore illo decepti fuerint aliqui, si ex illa naturali consecutione non deducitur. Veritatem enim principij non corrumpit falsa conclusio, quæ malè philosophantis vitio colligitur: sed quæ vera & certa connexione cum antecedente coniungitur, à quo quicquid habet roboris, trahit. Nam si sic agat Eutychianus aliquis, Propter diuisionem personarum in Christo inductam à Nestorio, mihi tenẽdum ac docendum placet, ne naturas quidem in eo esse distinctas, sed factam ex duabus vnam. Si dicat Caluinista, Propter eorum errorem qui in altaris Sacramento simul cum vero pane, verum Christi corpus constituunt, mihi tenendum placet, non veritatem corporis in pane, sed figuram tantùm inesse. Ad hæc nos catholici quid respondebimus? Esse profectò errores illos, sed ab Ecclesia Romana non doceri neque porro ex Ecclesiæ doctrina verè deduci. Atqui nullus vnquam scriptor æquus, iniquus, amicus, æmulus Hincmari hunc illi errorem obiecit; & quòd obliquè hoc ipsi canone imputetur, calumniã vocat: neque si omnes eius sectarij verbis scriptísque illum tradidissent, sentẽtiæ quicquam nocuissent, quia ex illa recto ordine, & sana argumentatione deduci non potest. Ergo cùm fateamur hunc esse errorem, & ab hæreticis olim quibusdam assertum fuisse, iure tamen negamus illum Hincmaro, & eius sentẽtiæ posse attribui. Quæ cùm expendit vir eruditus quem suprà laudauimus, ad excusandum Concilij canonem in quo versamur, & Lugdunensem librum de Tribus Epistolis, vtrobique putat agi tantùm aduersùs exoletum errorem; siquidem ab iis agnosci ait, Christum sufficienter passum esse pro omnibus fine exceptione hominibus; sed non efficaciter: quæ est ipsissima Hincmari & catholicorum sententia: ac proinde negat illam his disputationibus peti. Præclarè omnino, & vt Theologicum animum decet, pro iure loquitur. At ego historicũ oculum huc adferens, factum intueor: ille quid agere debuerint Valentini Patres, cum Ebbone suo colla-

borantes, ego quid reipsa fecerint ab Ebbone decepti, considero.

3. Eidem Hincmari sententia iniustè attribui.

Nam certum mihi est, quam facio tertiam obseruationem, voluisse à nobis intelligi, opinionē Hincmari hoc ipso errore afflatam esse, ideóque à se procul abiici. Quis enim sanos putet, si adducto errore penitus ab ea sententia remoto, concludunt eam ob rem opposito sensui se adiungere, & Capitula, quibus error noxius & contrarius veritati continetur, damnare? Eúmne ferendum dixeris, qui quia Trinitatem personarum aliqui olim negarunt, damnandum eum putet qui duas in Christo voluntates fuisse affirmet? Quid enim Sabellio cum Monothelitis; imò cum catholicis? Idem præterea conficio ex ipso canonis fonte, vnde verba ipsa huc translata sunt, ab eodem vtriusque operis parente. Nam Ebbo libro de Tribus Epistolis, eodem argumento vniuersalem de omnium hominum redemptione propositionem conatur euertere, ex illis eripiens *infinitam multitudinem impiorum qui ab exordio mundi, vsque ad passionem Domini, per quatuor fermè annorum millia, in sua impietate sunt mortui, & apud inferos æterna perditione damnati*, pro quibus nunquam Dominus passus, nunquam mortuus est, nec pro eis pretiosum sanguinem fudit. Causam adiicit huic canoni respondentem; *Quoniam solos illos ex his qui ab exordio mundi, vsque ad passionem eius exstiterunt, eadem passione sua redemisse, & saluasse, atque ab inferni claustris eduxisse credendus est, qui & fideliter eum sperauerunt venturum*, &c. *Sanctos videlicet Patriarchas, & Prophetas, & ceteros iustos, de quibus etiam per Osee prophetam antè promiserat dicens, De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua ô mors, & morsus tuus inferne.* Vides eandem rationem, eodem modo explicatam, eadem Scripturæ auctoritate firmatam, contra vniuersalem Hincmari propositionem vibrari: & dubitas quin eadem propositio Canone impetatur?

L. de 3. Epist. c. 18.

Osee c. 13.

4. Canonis auctorem malè ratiocinari.

Est autem, vt hoc ad euidentiam quæstionis addamus, & quartam faciat obseruationem, vtroque loco Ebbonis argumentum tale. Christum pro hominibus passum esse, est eos passione sua redemisse, & saluasse. Atqui impios ante passionem suam mortuos non saluauit, nec redemit, ergo pro illis non est passus. Minoris propositionis confirmatio hæc est. Non saluauit, si damnatos non eduxit ab inferis: atqui verum istud, & fide catholica contestatum; igitur & illud. Ergo qui docent Christum passum esse pro impiis illis sic damnatis, cùm eadem ratione affirment, illos ab inferis liberasse, quod veteres hæretici dixerunt, *nimium errorem* in Ecclesiam teuehunt, ex suo dogmate consequentem. Ad extremum ergo concludendum est, illud dogma esse erroneum & noxium, Capitula quibus continetur à Concilio Carisiacensi temerè, & *minus prospectè suscepta* esse; & in contrariam penitus sententiam pedibus eundum. Ad hoc argumentum respondet Hincmarus in primis, negata maiore, quæ fallit ambiguo, & à potentia actum infert; videlicet quia hominibus facta potestas est parandæ salutis, actu saluatos fuisse dicit. At non scripsit Hincmarus, neminem esse *quem non Christus passus ad æternam salutem redemerit: sed pro quo Christus passus non fuerit, licèt non omnes passionis eius mysterio redimantur.* Quæ diuersa longè propositio est. Deinde, ex eiusdem Hincmari principiis secundi argumenti maior imbecillitatem suam prodit, quando pluribus gratuitis donis merito passionis instructi fuerunt, etiam qui actu saluati, aut ab inferis educti non sunt. Ait denique, nihil scripsisse se contra propheticum dictum, *Ero mors tua.* Quod verissimè dicit. Non ignorasse quid illo de errore scripserint Gregorius, Augustinus, Beda. Protestatur *non timere se calumnias istius obtrectatoris sui, de reprobis, quas*, inquit, *in suo quarto Capitulo ad reuincendos nos in medium deuecauit.* Quo dicto & opinionem nostram confirmat, mentem Ebbonis in canone condendo fuisse, vt eo premeretur Hincmarus: sed factum illud queritur per *calumniam*, & *obtrectationem*. Hæc sunt quæ fateor, vt à Concilio Valentino, contra Concilium Carisiacense facta, à me non intelligi.

Hincm. l. de prædest. c. 34.

Ibid. c. 27.

Ibid. c. 28.

5. Eundem sibi contradicere.

Ad Ebbonem compositorem canonis quod attinet, potest in eum quinta obseruatio conferri, quod æmulis frequenter euenit, dum alterum lædere affectat incautiùs, sibi ipsi nocuisse. Nam primùm in contradictionem incurrit. Qui enim libro de Tribus Epistolis opinionem Hincmari multùm exagitatam, concludit venire ex pietate, teneri posse si Patrum auctoritatibus stabiliatur, nihil contentiosè disputandum, neutram opinionem catholico & concordi animo debere damnari ab æmulis. Idem ipse hoc canone pronunciat, sententiam eandem grauissimi cuiusdam erroris altricem esse, damnat vt noxiam, contrariam veritati temerè ab Episcopis admissam: vult oppositam ex fide teneri, *iuxta Euangelicam & Apostolicam veritatem.* Non est hic flatus calidus & frigidus eodem ore exhalatus? Neque id tantùm: sed in illa fuimet oppositione, qui fictitium errorem aliis exprobrat, in verum incidit. Nimirum eodem de Tribus Epistolis opere, *fideliter credendum tenet* fideles omnes vniuersè, etiam reprobos, etiam nondum ad fidem vocatos, ad Christi redemptionem pertinere: nunc autem in canone *fideliter tenendum placet*, copiosam apud Deum redemptionem solis electis circumscribi: quæ Gotteschalci & Prudentij opinio est, quam prolatis scripturæ locis stabilire contendit. *Vt omnis qui credit in ipso, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Quis verò ille est? Profectò electus: non vllus alius. Credat aliquis, non credat; si perit & non habet vitam æternam, pro illo datum non est hoc pretium. Vidimus autem, superiùs voces illas *redimere*, & *saluare* sensu Ebbonis realem effectum, & actualem salutem inferre. Sic illi *multi, ad quorum exhaurienda peccata Christus semel oblatus est*, secundùm Apostolum eiusdem canonis mente, non alij sunt quàm electi. Qua in explicatione consentientes modò habet hæreticos interpretes, Bezam, & alios. Vide autem iterum, Lector, quàm aptè hæc omnia inter se, cúmque veritate cohæreant. Docent Concilij Carisiacensis Capitula, neminem esse, fuisse, aut futurum posthac hominem pro quo Christus passus non fuerit, non tamen omnes eo beneficio actu redimi. Illud qui affirmant, in grauem, inquit, illorum errorem incidunt, qui damnatos impios ante Christum natum, ab eo putant eductos fuisse ex inferno. Quem vt vi-

L. de Trib. Epist. c. 15. 16.

Ioan. c. 3.

Hebr. c. 9.

temus fide credendum est pro solis electis passum esse Christum; licet priori in opere docuerimus venisse & crucifixum fuisse Christum, vt fideles omnes etiam reprobos redimeret.

Auctor Canonis arguitur.

Ad extremum, vt res magni momenti colligatur in summam, quando Præsidi amplissimo Dissertatori æquum videtur, totam Concilij Carisiacensis inuidiam in vnum Hincmarum deonerare, quia Capitula composuit; nobis eodem iure licet, seruata Valentinis Patribus reuerentia, solum Ebbonem canonum conditorem conuenire, & hominem mirari olim religiosum Abbatem, nunc Episcopum Catholicum, nec indoctum, adeo in transuersum inuidia & odio aduersùs Hincmarum abripi, vt se, & eos quibus collaborat Episcopos, in labem & dedecus iniquæ & imperitæ censuræ præcipites agat. Quam enim commemorat hæresim, aut putat assertam ab Hincmaro, & id falsitatis est; aut non credit, sed falsò à se nouit imponi, & hoc malignæ calumniæ. Sic eandem hæresim aut verè credit ex illa educi sententia, quod malè ratiocinantis imperitiæ est: aut peruidet quidem non sequi, sed ex quadam verisimilitudine apud incautos illi opinioni, & eam propugnantibus Episcopis inuidiam creare conatur; & hoc calumniantis imposturæ. Tum autem tali fundamento superstruere censuram atrocem in Concilium totum; Regi, Episcopis, Abbatibus catholicis præter ius fásque conuicium facere, cuius postea facientes pœniteat, & turpi retractatione alio in Concilio delere cogantur, quid tandem existimemus esse, quàm præcipitantis inuidiæ infelicem & pudendum exitum? Ignosce Lector, iis verbis vtenti mihi, quæ in Dissertatore toleranda non putaui. Ego enim Ebbonis causam, cum rationibus Hincmari nulla ex parte conferri volo, qui in flagranti delicto deprehensus, quod Hincmaro reuera nunquam accidit, verbis quæ sola Latinus sermo suppeditat, debet exhiberi.

V. CANON.

Quòd omnes regenerati à peccatis abluti sint; non tamen omnes salui fiant.

Sensus Canonis.

DVo fidelium genera distinguit, alios electos, alios nihilominus reprobos futuros, omnes tamen ex æquo verè in baptismo regeneratos, & Ecclesiæ incorporatos esse, quia in Ecclesiæ Sacramentis nihil est cassum & ludicrum. Omnes igitur Christi morte & sanguine redemptos esse: sed illos æterna salute saluari; hos ad plenitudinem salutis non peruenire, quia à salute fidei percepta, & redemptionis gratia, volentes, praua doctrina, vel vita excidunt.

Expositio C[illegible] is.

Prædestinatianos & Gotteschalcum hoc canone feriri, notius est ex sæpe dictus libro secundo, quàm vt inutiliter hoc loco repetatur. Corrigit interim præcedentem suum Compositor incautus, fidelibus reprobis ad Christi redemptionem reuocatis; quos superiori ratiocinatione videbatur exclusisse. Hincmari verò partibus apertissimè fauet; non in eo tantùm, quòd Gotteschalci damnat errorem, negantis baptizatos illos Christi morte redimi, sed tantùm baptismo, secundùm illud Apostoli Petri, *Eum qui emit eos baptismo negantes*: verùm etiam in eo quòd ad Epistolam Amolonis alludit, qua reprehenditur idem Gotteschalcus, asserens illos qui ex numero fidelium pereunt, in baptismo Christo & Ecclesiæ non incorporari, nec vnquam esse Christianos. Vnde sequitur, erga huiusmodi homines cassa & ludificatoria esse Ecclesiæ Sacramenta. Quo vno respectu, vt & ipse ad præterita oculos reflectam, soluta dico *multa certissima argumenta*, quibus olim *ingis meditatio* Dissertatoris efficere conabatur, has hæreses Gotteschalco fuisse impositas ab Hincmaro. Hic enim locus, assertas fuisse docet ab aliquibus, qui controuersiam istam tractarent: non enim fictitios errores tanta verborum exaggeratione expositos, proposuit Ebbo Synodo ad damnandum, vel hostem sibi finxit, assertione contraria reuincendum. Atqui Gotteschalco ipsi attribuit Amolo, neque ab alio proficisci potuerunt, quàm à Prædestinatiano: nihil igitur hac in re Gotteschalco affinxit Hincmarus. Ac licet, quod nunquam concessero, in scriptis Gotteschalci non iacerent, quia tamen palmares sunt hæreses Prædestinatianorum, sine dubio ab illis reexortis, & eorum primicerio Gotteschalco processisse, omni probabilitate affirmari potest.

Amolo ep. ad Gotteschal.

Defenditur Hincmarus contra Dissertatorem.

Dissert. c. 22.

Queritur Hincmarus errorem hic damnatum sibi obliquè attribui.

Denique cùm est ab Amolone scripta Epistola ad Gotteschalcum, ac longè postea cùm Carisiacensia Capitula confecta sunt, ignorabat adhuc Hincmarus, illum, qui hîc proscribitur, errorem esse Gotteschalci; non potuit igitur esse causa cur in illo reprehenderetur à Lugdunensi. Antecedens conficio ex Hincmari testimonio, & simul, quod huc maximè pertinet, iustam eius querimoniam ostendo, quòd hoc canone quasi eius erroris reus perstringi videatur. Sic enim ad Carolum Regem scribit; *De quodam etiam Capitulo, quasi ludificatio aliqua in sacris mysteriis esse possit, ita scripserunt, vt legentes, hoc à nobis dictum fuisse intelligere possint, de quo nihil à nobis est memoratum: & quare nihil à nobis inde sit dictum, & in cuius scriptis à nobis, posteaquam illa Capitula scripsimus, sit inuentum, suo loco dicemus.* Multa pollicetur, & sine dubio præstitit priori opere de Prædestinatione. Quo quia magno historiæ damno carere cogimur, nonnihil subodorari possumus ex eius tractatus argumento, quod ad eiusdem Epistolæ calcem in hæc verba legimus. *Tum demum ponemus de Capitulo confratrum nostrorum quinto, vnde notam nobis, quasi tacitè, & è latere impegerunt, quod in Gotteschalci scriptis inuenimus, postquam Capitula quatuor sæpe memorata excerpsimus; & quid inde sentiamus, Domino inspirante dicemus.* Itaque vafrities fuit Ebbonis, hunc errorem ita proposuisse Concilio, vt eius inuidiam obliquè cadere vellet in Hincmarum; quemadmodum superiùs eiusdem iniustitia fuit, *nimium errorem* apertè imposuisse Remensi, cuius hæc est querela. Hincmari verò innocentia fuit, serò illum errorem, & eius auctorem didicisse, nec antè quidem, quàm Capitula scriberet: & ex scriptis Gotteschalci didicisse, iis ipsis forsitasse quæ ab illo missa fuerant Amoloni. Ergo Dissertatoris fabula est, Amolonem *suppositiis & falsis Gotteschalci scriptis, fraudulentia* Hincmari circumuentum fuisse, vt illum

Hincm. ep. 1. ad Carol.

Ibid.

errorem argueret, quem nesciebat Hincmarus.

VI. CANON.

De gratia & libero arbitrio.

Summa Canonis. SECVNDO Carisiacensi articulo respondet hic canon, quo noui nihil priuatim decernitur, sed de gratia, de libero arbitrio, de natura & gratia, quid plena fide & constantissimè sequatur Concilium, à Scriptura sacra, ab Africana, & Arausica Synodo, à Romana sede petendum definit, quod in aliam partem nullo modo declinare præsumit.

Hincmarus in eo cum Valentinis conuenit. Vt paria paribus reddamus, respondentem vniuersè audiamus Hincmarum, & eosdem fidei suæ, iisdem in articulis, iisdem verbis fundos testes producentem. Descripto enim ad vnguem canone, ita subiungit. *Verùm & nos, sicut suprà ostendimus, quod sanctissimi Patres auctoritate sacrarum scripturarum nobis tenendum reliquerunt, & quod beatissimi Pontifices Apostolicæ sedis catholica fide tenuerunt, de gratia & libero arbitrio tenuimus & tenemus, scripsimus, & stilo catholico scribimus. Sed & de natura & gratia in aliam partē nullo modo declinare præsumentes, quod Compositor Capitulorum cum eclipsi posuit, nos supplentes adiicimus, firmissimè credimus, & tenemus, videlicet, quod illi crediderunt, & tenuerunt.* Deinde, ne quid dissimulando subterfugere videatur, Capitulum suum membratim illis auctoritatibus probaturus, ita præfatur. *Sed & quoniam istorum Capitulorum, quæ inter manus habemus, Compositor, Africanæ, & Arausicanæ Synodorum fecit memoriam, & conscriptas sententias suis subiunxit Capitulis*, quas ex Scripturario deprompsit, *ne refugere videamur, prætermissis responsionum illius obiectionibus, & à quocunque dicatur, nos illi non voluisse, sed respondere non potuisse, nullique subripiatur suspicio, quasi Capitulum à nobis excerptum ab his Patrum sententiis discordet, conferamus sicut reuera ad lineam rectæ fidei, Capitula à nobis excerpta, istis Patrum sententiis, & videat Lector si his poterit conuenire. Ponentes primùm de Synodis, quarum memoriam fecit, demum de sententiis Patrum, quas suo subiunxit Capitulo, sensus earumdem sententiarum, ex Capitulis à nobis excerptis comparare curemus.* Quod fusissimè more suo, duobus capitibus, multis paginis præstare pergit. Addo ad coronidem, dictum Capitulo tertio de Arausicana Synodo, quod omni confidentia excipit Hincmarus, & in auctorem retorquet. Cùm enim Ebbo scripserit, *Si sunt qui tantùm mali credere voluerint, cum omni detestatione, sicut Arausica Synodus, illis anathema dicimus.* Hincmarus, quanquam ab ea hæresi remotissimus, vt ne per suspicionem quidem illud anathema metuere debeat; ne quis tamen eum inani tantæ Synodi formidine terreri posse arbitretur, ad illam ipsam pro sua opinione prouocat prouocantem, & respondet. *Faciat sicut promisit: legat totam illam Synodum, & videat si inuenire potuerit, vt prædestinatos ad interitum, aliquo modo eadem sacra Synodus dixerit, & si hoc ibi inuenerit, quod dixit dicat, vt non aliud quàm verum dicat, quia professus est sicut illa Synodus dixit, se dicere.*

Hincmar. l. de præd. c. 21.

Ibid. c. 22.

Hincmarus ad Arausicanam Synodum alibi prouocat. c. 12.

CAPVT XXII.

Canon septimus de non ordinandis Episcopis parum idoneis breui excursu lustratur.

SI fidem theologiámque spectamus, vltra metas excurrit oratio: si mores & historiam, redimus ad carceres, & canonum Conciliique originem repetimus; vbique enim vnus est Ebbo, & vtrosque liuore & calumnia, tanquam atramento exarauit: vigoris tamen Ecclesiastici zelo tam commodè vestiuit, vt ab ignaris temporum sine exceptione laudari potuerint. Quid enim æquius, quàm idoneos viros præcedente testimonio bono ab iis qui foris sunt probatos, legitima cleri populique petitione delectos, qualem Æneam Parisiensem suprà vidimus, non homines maculatæ vitæ, pompis seculi turbidos, simoniaca hæresi pollutos, ad Episcopatum secundùm leges & canones admoueri? Hæc quidem ad speciem honesta, sed fœditas latet in animo: loquitur Ebbo, de Hincmaro loquitur: & in Remensi cathedra sedere dolet inquilinum, à qua ciuis ipse, & præcessoris nepos exclusus sit. Referebas hunc canonem aliquando Lector ad Burchardum, duobus antè annis, ex Lotharij regno, ad Sedem Carnotensem translatum, eo modo euentúque, quem ibi narrabamus, aut ad alios fortasse non dissimiles: quippe qui tibi persuadere non deberes, aut ista de Hincmaro cogitari, & scribi ab Ebbone; aut de se scripta Hincmarum interpretari potuisse. Nimirum *indiscussus & inexaminatus* fuit Hincmarus, maximè post Concilium Suessionense secundum, quo Beluacensis Synodi acta, & eius promotionis circumstantiæ omnes sunt expensæ? *Litterarum pene ignarus* vlli hominum parere potuit Hincmarus, aut *minùs Apostolicæ praeceptioni appropinquans*, vir à teneris vnguiculis monasticis legibus disciplinisque formatus & subactus? *Pompam seculi, simoniacam hæresim, cupiditatem illicitam, vitam maculatam*, ne inuidia quidem ipsa vnquam sancti Dionysij monacho ausa est obiicere, qui celeberrimi Monasterij reformationem consilio & oratione apud Abbatem & Episcopos, vitæ religiosissimæ exemplo apud æquales promouit, stabiliuitque.

Hic canon malè vibratur in Hincmarū.

Verùm Ebbonis consilio accuratiùs expenso, videbis simile quiddam narrationibus satiricis, quarum fictores quædam intermiscent artificiosè, iis minimè conuenientia, quos maximè perstrictos volunt, vt hac arte tecti lateant incuriosos, subtilioribus placere contenti. Eadem solertia in hunc canonem plurima inferuntur ab Hincmaro aliena, vt ea quibus pungitur tum ipse, tum alij solertiores sentiant: latente interim aculeo, & verbis præclara omnia ostentantibus. Nam in primis vult electionem fieri *quando ciuitatis Episcopus vocatione Domini decesserit.* Rectissimè: sed nihil magis obiectum Hincmaro fuisse scimus, quàm superstite adhuc Ebbone præcessore ad Remensem

Species honesti se tegit.

Quàm cautè tangat Hincmarum.

cathedram ascendisse. Deinde iubet à Principibus postulari liberæ electionis potestatem. Iure omnino. Sed in Concilio Vernensi petitum est à Rege, vt Ecclesiæ Remensi iam decennium absque pastore laboranti, Episcopum quæri permitteret, qui postea in Beluacensi nominauit Hincmarum. Tertiò, vt in clero, populo, in Diœcesi, aut certè eius vicinia, probata & officio digna persona quæratur. Nihil iustius: nam & postea Nicolao Pontifici doluit Egilonem à Carolo Rege Senonensi Ecclesiæ datum esse Archiepiscopum, eæque translationes in posterum fieri vetitæ. Hincmarus autem Sessonensis erat prouinciæ, non Belgicæ secundæ, cuius Metropolitanus Remensis est. At *indecorum*, inquit Pontifex, *quin potius illicitum est, in aliena stipendia quenquam obrepere, & ex transuerso venientem in castra, inter quæ non militauit, ducatum accipere.* Quartò, si ex aula deligitur, *examinandum solicitè* à Metropolitano præcipit. Atqui in aula Ludouici Pij, & Caroli Calui ante Episcopatum versatus est Hincmarus, vtrum tamen à quoquam sit examinatus, non apparet.

Concil. Vernens. II. c. 9.

Nicol. I. epist. 54. ad Carol.

Ne postula, Lector, hoc loco eius Apologiam, qui nulla vnquam in causa fuit elinguis, in sua autem semper profusissimus. Vnum ostendere contendo, Ebbonem hoc canone in Hincmarum collineasse; iure istum in se hæc dicta recepisse, quod vellem factum moderatiùs. Idem autem procul omni dubio persuadent, tradita Carolo Regi per Ebbonem Capitula Valentina, & per illum Hincmaro, in quibus post supradictos Canones de doctrina fidei, habetur vnicus iste septimus, de non idoneis Episcopis, & quidem duplici auctoritate auctus, Martini Bracarensis, & Papæ Leonis. Nam si quid aliud Ebbo voluit, quàm Hincmarum carpere, quare vnum istud è Capitulis moralibus in Galliam attulit? Si decreta Valentina regno Caroli vtilia fore putauit, cur omisit egregia de Episcopis & presbyteris, de scholis instaurandis, de iuramento partis vtriusque non admittendo, de bonorum Ecclesiasticorum inuasione, de singulari certamine prohibendo? Ista videlicet Remensem æmulum non lædebant, neque regendis in alieno principatu moribus, sed vexando alieni Principis administro laborabat.

Verè hic canon editus est in Hincmarũ.

Hincmar. l. de præd. Præfat.

Istud autem Capitulum in sugillationem Hincmari qua de causa superioribus addiderit Ebbo, si quærimus ab Hincmaro ipso, facilè respondebit, illo fidem quæsitam antecedentibus, cùm sæpenumero vitam improbam sequatur peruersa credulitas, neque ægrè persuaderi homines, hæretica ab Episcopo doceri, quem constet moribus esse perditum. *Vt faciliùs*, inquit, *possit legentibus persuaderi, non esse mirum si praua docemus, qui peruersè, & inconsideratè, atque indebitè ad ordinem docendi accessimus*: dicente Gregorio, *Restat vt quorum vita despicitur, & prædicatio contemnatur.* Ac iterum longè postea ordinationis suæ interpositam narrationem sic excusat, *Sed zelo ac necessitate veritatis & fidei ad ista respondimus: ne fortè cùm quisquis hoc Capitulum legerit, vt de nobis dictum, ita illud in nobis putet esse completum: & sicut inordinatè ordinatos, ita nos credat in sinceritate fidei dubiosa & hæretica prauitate pollutos.* Vetus est Cypriani dictum, quotidiana etiamnum experientia probatum: aduersùs Nouatianos famam Cornelij lacerantes: *Quòd autem de illo quædam inhonesta, & maligna iactentur, nolo mireris, cùm scias hoc opus esse semper Diaboli, vt seruos Dei mendacio laceret, & opinionibus falsis gloriosum nomen infamet, vt qui conscientiæ suæ luce clarescunt, alienis rumoribus sordidentur.*

Per eum Hincmari fides in dubium vocatur.

Hincmar. l. de præd. c. 36.

Ibid.

Cyprian. epist. 52. ad Anton.

Iam verò quàm grauiter hic articulus Hincmarum pupugerit, ex eo patet, quòd omnibus ingenij viribus ad eius euersionem connitatur: non absolutè quidem in se spectati; æquum enim imperat; sed relatiuè ad eos quos vel rectà impetit, vel obliquè; quia modo hactenus inaudito summorum virorum quærit infamiam. Non enim erat ferenda lex, nisi vulgò peccaretur, & id fieri contextus ipse declarat in aditu. *Et quia indiscussi & inexaminati*, &c. *peccatis nostris agentibus per ciuitates Episcopi ordinantur*, peccari oportet, & à Principibus qui tales nominant, & ab Ecclesiis, id est, à clero & populo qui postulant, & ab iis qui ordinantur, & à Metropolitanis, eorúmque suffraganeis qui ordinant; ita demum *generaliter omnes Capitulum istud tangit Episcopos, eo solo excepto qui dictauit.* Atque hoc primum eius vitium est, quòd cùm ceteris malediceret, se ipse prior non respexit. *Videas enim qualiter isdem ad ordinem sacrum perueneris, & sic in semetipso tantùm gloriam habebit, non in altero. Reuertatur hic derogator noster ad suam conscientiam, qui contra sacras regulas ab Ecclesia* (Remensi) *in qua fuit tonsus & ordinatus* (ab Ebbone auunculo) *discedens, ad alias Prouincias* (Gratianopolim) *conuolauit, & canonica excommunicatione deuinctus, quia verbum Domini non est alligatum, irregulariter vsurpauit regimen, & sibi ac ordinatoribus suis, nec non & subditis adauxit discrimen, sicut Leo Papa demonstrat.* Vult enim Canonis auctor rogari Principem, vt Canonicam electionem Episcopi Clero & populo permittat; an hoc seruauit in Ebbone Lotharius? Præcipit Canon, vt si in Diœcesi ad Episcopatum idoneus nullus reperitur, certè à vicinia ipsius petatur: Fuit-ne Remensis Monachus Ebbo, Viennensi Prouinciæ & Gratianopoli vicinus? Decernunt canones Ecclesiastici, quod est hoc in proposito præcipuum, *vt de alia Ecclesia petitus, vel sumptus, non sine placito, vel litteris eius Episcopi, cuius fuerat Clericus, ordinetur.* Quam legem in decreto suo renouare omisit, *aut obliuione captus, aut conscientia stimulatus.* Qua ex obiectione coniicio, Ebbonem viuo, aut certè apud Lotharium agente auunculo, non fuisse Gratianopolitanæ Ecclesiæ datum Episcopum: quid enim litteris indigeret, qui præsentem haberet Metropolitanum suum? Quare hac etiam in parte Hincmaro priùs ordinato, fuit inferior.

Primum canonis vitium, quod ab auctore vitioso scriptum est.

Hincmar. ibid. c. 36.

Peccat præterea decretum in materia, quòd in omnes sacros profanósque ordines effundatur calumnia, vt modò notabamus, & magnificè ostendit Hincmarus. *Videant quicunque illud legerint, si tam monstruosam criminationem generaliter cunctis Episcopis, ciuitatibus, plebibus, Archiepiscopis, Principibus inlatam, & impactam audierint.* Notantur enim Principes, vt qui canonicam electionem impediant: quòd in Palatio Clericos alant *maculatæ vitæ, & inliteratos.* Episcopi, quòd *scientia litterarum pene ignari*.

Secundum vitium in materia contumeliosa.

simoniaci, ambitiosi, auari ad Pontificales infulas adueniant. Archiepiscopi, quòd *cupiditate victi, muneribus decepti*, tales indiscussos & inexaminatos, aut negligenter, & ægrè examinatos ordinent: clerus & populus, quòd temerè quemlibet postulent, quòd non quærant ex diœcesi, aut vicinia probatas personas, & officio dignas. *Ecce quales esse Principes denotauit; ecce quales Archiepiscopos, cupiditate scilicet victos, & munere deceptos descripsit; ecce quales Episcopos per ciuitates ordinatos adseruit.* Quod si verum est, *væ illis terris, quas tales non solùm infructuosa, verùm & noxiæ ficulneæ non modò occupant, certè sed opprimunt: Væ peccatricibus ciuitatibus, quibus pestes huiusmodi insident: væ miseris plebibus, quæ erroneæ, & sine pastore non solùm dentibus, verùm & gutturibus luporum hiantibus sine vllo patent obstaculo.* Ista verò procul à veritate obiici, docet Æneæ Parisiensis electio, & aliqua ex parte Burchardi Carnotensis, quem Wenilo propinquus cum suffraganeis suis, ægrè, & vix tandem, post examen à Concilio imperatum, ad ordinationem admisit. Idem videre est in iis Episcopi eligendi consecrandique formulis, quæ postremam partem tomi secundi Conciliorum Gallicanorum faciunt, maximam partem ex Hincmaro descriptis, in quibus electionis liberrimæ, & veterum canonum florens obseruatio declaratur; vt iure optimo respondeat Hincmarus, non esse vnum Ebbonem perfectum illum Episcopum, & legitimè ordinatum, qui possit dicere *remansi ego solus. Quocirca & Dominus, gratias suæ misericordiæ sempiternas, plures, & aliter, & alios, per ciuitates habet ordinatos Episcopos, & alios ordinantes Archiepiscopos, talésque Principes, qui sua concessione à diuinis regulis per contemptum deuiare non satagunt.* In ipso etiam Lotharij regno, cui potissimùm consulere debuit Concilium Valentinum, & in iis qui Concilij pars fuerunt, illis vitiis carere Remigium, & Lugdunenses suffraganeos, *quorum & vitam religiosam, & doctrinam catholicam, & ordinationem canonicam non ignoraret.* De reliquis duabus prouinciis silet ex composito, nam si potuit Agilmarus Ebbonis Metropolitanus, Abbatiam emere, alij credi possunt non omnes fuisse integerrimi.

Tom. 2. Concil. Galliæ.

Tertium vitium in forma hactenus inaudita.

Neque forma & ratio dicendi seruata in decreto, Remensi probatur: qui verba singula reuocans ad examen, describi ait Episcopos non Episcopos, *sed peruasores ciuitatum & alieni ministerij inuasores, fures & latrones.* Qui discuti debeant, tanquam dubiæ aut prauæ fidei: examinari, tanquam improbi: litterarum ignari, velut duces cæci futuri, & præcones muti: procul remoti ab iis virtutibus, quas requirit Apostolus, adeóque ordinatione indigni. Quæ sic exprobrari vniuersè, tam est nouum atque inauditum in Ecclesia, nihil vt simile in Conciliis & Pontificum decretis reperiatur. *Relegat denique sancta fraternitas Concilia & decreta à Romanis Pontificibus celebrata & promulgata; reuoluat in Græcis regionibus decreta Concilia; perscrutetur in Italicis, Gallicis, Germanicis, Belgicis prouinciis actas Synodos, & videat si de sub cælo isto, istiusmodi Capitulum Comprouincialis, quantò magis Generalis, Synodi obtutibus vnquam Apostolicæ Sedis Pontifex dederit, vel miserit, aut quilibet Imperatorum sua sanctione Synodo congregatæ direxerit, vel si quælibet Synodus ediderit, aut si quisquam Episcoporum Synodo præsentare vnquam, vel vsquam præsumpserit.* Certè Gregorius Magnus Prælatorum mores pro concione reprehendens, vniuersè de peccato loquutus est, séque in illorum numerum coniecit: agens autem de Simoniaca hæresi, paucis illam obiecit. *Cum esset Pontifex primæ Sedis in toto terrarum orbe, non omnes generali inuectione, interponens nonnullos, sicut iste ferula magistrali, sine vlla exceptione, percussit. In istius autem Compositoris Capitulo videat Lector, quæ plebs dominica non sit conculcata; quæ ciuitas non sit dehonorata; quis Episcopus non sit, non dicam morsus, sed annullatus: quis Princeps non reprehensus; quis Archiepiscopus non confutatus?*

Greg. hom. 17. in Euang.

Quartum vitium in reprehensione iniusta ordinationis Hincmari.

Verùm ne Remensis oratorem hîc agere, & in se vnum scripta, in omnium iniuriam effundere videatur ordinationis suæ causam suscipit, ea tantùm parte qua vitiosa potuit esse, & ex actis Synodi Suessionensis, ostendit legitimè depositum Ebbonem, & à Pontifice Romano ad laicam solùm communionem admissum fuisse. Ac proinde eodem momento potuisse alium in eius velut demortui locum sufici; cùm ipse tamen non nisi decennio pòst, postulatus à Concilio, consensu Caroli Regis, secundùm leges omnes Ecclesiasticas ab Archiepiscopo sit consecratus. Nec est quòd Principis gratia, vel summæ potestatis violentia possit opponi. Nam *Princeps noster Ecclesiasticis regulis humiliter subditus, iustis & rationabilibus Sacerdotum petitionibus deuotissimè annuit; & vt regulares ac regulariter ordinentur Episcopi, & ministerium suum Deo placitè peragant, fauendo, monendo, & adiuuando agit & ipse satis.* Et nos hoc de Concilio egimus satis: hoc addito, inuitari Lectorem ad calcem tomi secundi Conciliorum Gallicanorum, vt Hincmarum spectet in examine futuri Episcopi apud Catalaunos Willeberti, hominis antea ignoti, & ex remotiore Diœcesi assumpti, statuátque nobiscum, & ab Archiepiscopo Remensi iuxta Ecclesiasticas regulas peragi omnia, & Regni Carolini Episcopos ab Ebbone hac in parte calumniam pati.

Tom. 2. Concil. Gall. formul. ant. n. 11.

CAPVT XXIII.

Capitula Valentina Ebbo Gratianopolitanus ad Carolum Regem defert in Galliam.

QVA via Carisiacensia Capitula Valentiam deuenerint, vbi tam acerbè sunt habita, ignoramus. Publica legatione factum illud non arbitramur, cuius nullum in libris extat vestigium: neque illa videri debuit Hincmaro necessaria, post admonitas de controuersis quæstionibus, & meliùs sentientium opinionibus, Ecclesias Lothario subditas, quod Tribus Epistolis satis supérque confecerat. Quare Scripturarius, qui creditur Lugdunensis, quique illa confutanda suscepit, habere se testatur, non à Synodo, sed opera priuatorum, Hincmari partibus mi-

Necessariò non fuit Capitula illa ferre in Galliâ.

Ecclef. Lugd. l. de ten. verit. scr. c. 1.

nimè studentium. *Peruenit ad nos quædam schedula* (priuatim scripta, non vt à Synodo decreta) *studio fidelium & bonorum virorum, in nostram notitiam perlata; atque vt ad eam sedulè respondere deberemus, accuratè commendata.* Ad vellicandum, non ad confirmandum & probandum. Eodem modo si præter veritatis indagationem, aliud nihil quærerent Lugdunenses, & eius factionis antesignanus Ebbo, post trium Epistolarum confutationem, necesse non erat pugnare Conciliis, & canones in iis conditos, Episcopi factiosi opera, magnificè per Caroli Regiam ostentare. Visum est tamen viris optimis perniciosum Ecclesiæ bellum, quod nunquam maturè satis sopiri potuerat, indicere, & Ebbo tanquam fecialis, anno Synodum consequuto, sexto videlicet supra quinquagesimum, clarigatum venit in Galliam. Quo animo, quóve consilio hanc legationem peregrinus Episcopus extra diœcesim, vltra Imperatoris sui limites progressus obierit, ex tribus quæstionibus hîc necessariò ventilandis facilè iudicabitur. Quo mittente venerit? ad quem venerit? Quid detulerit? Quæ capita non aliunde certiùs ediscere possumus, quàm ex Hincmaro, contra quem vnum legatio hæc obita, & ab ipso vno descripta est.

Ebbo non videtur missus à Lothario, nec à Synodo.

Hincmar. Epist. 2. ad Carol.

Missum se à Synodo Valentina, & ab Imperatore Lothario prætendit Ebbo, vt aliquam peregrinationi suæ auctoritatem conciliaret. Idque declarat qui hoc à se non credi satis indicat Hincmarus. Capitula nouemdecim nec audiui, inquit, nec vidi, *antequam venerabilis Ebbo Gratianopolitanus Episcopus vobis ea quasi à bonæ memoriæ fratre vestro Lothario transmissa, apud Vermeriam palatium detulit.* Non ait verè, sed *quasi*. defuncti Principis nomen obtendens, à quo falsi non posset reuinci. Ac paulò pòst, *Ista Capitula quæ vobis ex nomine confratrum nostrorum transmissa sunt.* Adsciuit ergo publicum Synodi nomen, sed quo iure qui Synodalem Epistolam ab Episcopis subscriptam non præferebat; qui non ad Ecclesias, neque ad earum Antistites, sed ad Regem accedebat; quem pro Synodi Legato receptum vel à Rege, vel ab Episcopis nusquam apparet? qui pauca tantùm Synodalium decretorum capita, vt videbimus, & cum illis aliorum scriptorum farraginem, alienorum à Synodo, deferebat? Ais imperatam à Lothario Legationem. Quando? Statim post Synodum absolutam. Quo anno? 855. Cur igitur anno sequente, tanto post Concilium interuallo temporis, abdicatione, & morte Imperatoris interiecta, perfecta est? Nónne illo Imperium, & hominem in Monasterio exuente, expirauit ea commissio, & nisi se à filio & successore Ludouico II. missum Ebbo possit ostendere, vanam & cassam Legationem, & titulum sine re huic spontaneæ profectioni quæsitum esse iure merito asseremus? Perierat videlicet Ebboni suæ fructus iniuriæ, nisi ea doluisset Hincmaro, & eum dolorem suis ipse oculis hausisset. Vult autem diligenter animaduerti Remensis idem, neque Remigij, neque Comprouincialis vllius Episcopi consilio consensúve factam hanc legationem: *ista Capitula,* inquit, *ab aliis quam ab illis delata vel transmissa sunt.* Non detulerunt Lugdunenses, quia mittenda non censuerunt; quin potiùs occultanda,

Hincmar. ibid.

vt quæ *inter cetera mala quæ nunc in hoc mundo crebrescunt, ad immittendam inter Domini sacerdotes discordiam, sint confecta.* Malè igitur Synodi totius nomen vsurpauit Ebbo; neque iustiùs illis contra Hincmarum libellis, Lugdunensis Ecclesiæ titulus præfixus est.

Non debuit ad Regem mitti, sed ad Episcopos.

Cur ad Regem, non ad Episcopos missum se dixerit, idem Ebbo, nullam, quæ quidem appareat, rationabilem causam edidit. Atqui quàm hoc foret ab Ecclesiæ moribus & institutis alienum, vt qui de fide & religione tractarent Canones, neglectis Episcopis, Regi offerrentur Synodi nomine, præter innumera post natam Ecclesiam exempla, sentire potuit ex Hincmaro ipso, qui Tribus Epistolis ad Ecclesias, non ad Lotharium missis, virorũ Ecclesiasticorum, non secularium Principum sensus de propositis articulis exquisierat. *Labia enim Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent de ore eius.* Eadem modestia, & Canonum obseruantia Rabanus Maurus gyrouagum Monachum in amplissimo & ipso trium Prouinciarum Concilio damnatum hæreseos, remiserat cum Epistola Synodali; non ad Regem, sed ad Metropolitanum suum; non ad executionem latæ de carcere sententiæ, sed ad reum tribunali suo sistendum, & sententiam, vt æquum videretur, ferendam. Tulit Hincmarus, compressit hæreticum, & belli sacri fœdus iniit cum Rabano. Hoc est Deo & veritati, non contentioni & æmulationi militare. Correxit hunc Episcopi errorem, qui primus vidit Rex Christianissimus, & articulos ad se delatos, non apud Regni proceres in Placito, sed ab Episcopis voluit expendi, atque Hincmaro omnium doctissimo, & in quæstionibus illis exercitatissimo dedit in manus: eo facto fideliter sequutus *& præcepti dominici iussionem, & Christianam prædecessorum suorum consuetudinem,* vt in simillimo casu postea scripsit Hincmarus. *Est enim & diuinis legibus cautum, & prisco anteriorum Principum more suetum, vt quotiescunque in catholica fide, vel diuina religione noui aliquid emerserit, à principali sententia Episcoporum consultui referatur:* non vt Episcopi & Concilia, Reges & purpuratos consulant.

Malach. c. 2.

Hincmar. epist. 2. ad Carol.

Quid attulerit ad Regem.

Quid porro attulerit ad Regem, ineunte libro memoratum est; atque ex iis quæ hæc ipsa secunda ad Carolum Epistola, quæ Præfationem facit posterioris operis de Prædestinatione, continet, manifestè potest intelligi. Nam qui nocere volebat Hincmaro, facilè concipitur vndecunque corrogasse quæ Capitula & opiniones ipsius obscuratura, & vel pondere, vel multitudine oppressura viderentur. De Capitulis autem Valentinis, quæ nomen & speciem Legationi dabant, certum arbitror sola septem priora, tacitis posterioribus omnibus, obtulisse: cùm & illa sola referat Hincmarus ea in præfatione, qua tradita sibi omnia diligenter recenset; & istorum penitus non meminerit libro de Prædestinatione, quo nihil intactum præterire conatur. Quæ obseruatio Lotharium & Episcopos ab hac Legatione adornanda iterum remouet. Nam si canonibus Valentini Concilij missis, Carolo & eius regno prodesse cupiit Lotharius, cur posteriores omisit pulcherrimos atque vtilissimos? Si quid vtilitatis aut gloriæ sperauit Synodus ex Capitulorum suorum ostentatione

ingesta Carolo, & eius Episcopis probrum factura, cur non misit omnia, æquè profectò laude dignissima?

Videtur obtulisse Capitula à se corrupta.

Sed latet hîc ampliùs aliquid, Hincmari stilo eruendum. Hos enim ipsos articulos quales Ebbo Regi obtulit? integróś-ne & germanos, vt à Concilio: an reformatos incude sua, interpolatos, corruptos? Istud enim validè suspicari me iubet Hincmari suspicio ipsa, non vno loco, nec paucis verbis concepta, vtraque in Epistola vtrique operi de Prædestinatione præposita. Nam in priore sic legimus, cùm ignotus adhuc esset Capitulorum Valentinorum faber. *Vnde & fieri potest, vt ista Capitula, quæ vobis ex nomine confratrum nostrorum, ab aliis quàm ab illis delata vel transmissa sunt, taliter in sugillatione nostra conscripta non fuerint.* Et mox: *Quomodo enim fieri posset, vt sic fratres nostri nos jucensoriè cum annihilationis despectu indicarent?* Item. *Si autem talia scripserunt, si fortè illi scripserunt.* Et post plura. *Sed credendum est, si illa scripsissent, ad nos contra quos illa scripserant, transmisissent.* Efficacitate carere non debet hoc argumentum apud Dissertatorem aduersarium, qui librum de tribus Epistolis, contra Hincmarum, ab Ecclesia Lugdunensi compositum, ab eadem Ecclesia, ad eundem Hincmarum fuisse missum disputat, & quidem tam festinatò & præcipitanter, vt pene volante Pegaso ad eum deferendum opus fuerit. *Nunc autem illis quomodo rescribere possumus, cùm vtrum illa scripserint, ignoremus?* Atqui qualia Carolus ab Ebbone suscepit, Hincmaro tradidit. Non erant igitur authentica, non parebant in iis Episcoporum subscriptiones: credi probabiliter potuit admissa corruptela: potuit cum aliqua ratione dubitari, essént-ne genuina & natiua Concilij Capitula. *Ea primùm iudicauimus ponere, quæ maioris nominis, licet non auctoritatis, quia partim non veritatis, propter tamen Synodalem prætitulationem dignum duximus magnipendere.* Si maioris nominis, cur non etiam auctoritatis? Vnde enim nomen, vnde auctoritas? Nónne à Synodali prætitulatione? Hæc si vera, si certa est, debetur illis auctoritas. Sin auctoritas non debetur, & negatur veritas, ista profectò certa non est prætitulatio. In posteriore autem Epistola, cùm iam certò nosset Capitulorum Valentinorum artificem, licet sub alterius Synodi nomine, ab alio Regi oblatorum. *Hæc eadem Capitula, inquit, sub titulo, quasi in Valentina Synodo conscripta fuerint, sub Hlothario Imperatore, dedistis.* Nullum est de auctore dubium, constat vt à Synodo Lingonensi probata, fuisse in Concilio Tullensi perlecta, & per Remigium Lugdunensem Regi tradita; nihilominus nondum asseueratè ponit *in Synodo Valentina fuisse conscripta*, sed *quasi conscripta fuerint*. Qui didicerat auctorem, num æquè certò scire potuit approbatores? Nónne hæc dubitatio, docta negatio est?

Hincmar. epist. 1. ad Carol.

Idem epist. 2. ad Carol.

Ea coniectura confirmatur.

Coniecturam hanc tanta auctoritate probabilem, confirmabit duplex consideratio, Capitulorum ipsorum, & eorum auctoris. In Capitulis siquidem duplicem Hincmari censuram spectauimus: Vnam, quæ singula eius Capitula singulis canonibus carperet: alteram, quæ semel omnia, vt erronea & noxia proscriberet. Si cui mordicus tenendum videtur, in priorem nihil vitij Ebbonis manu illatum esse, quia Capitula eadem in Synodo Lingonensi repetita legimus: certè de posteriore censura nihil prohibet Hincmari negationem accipere, quando in eadem Synodo Lingonensi non apparuit, aut si mauis, deleta est. Auctorem verò si attendimus, Ebbonem ipsum, nihil hoc in facinore noui accidet, quum sciamus ab eius scrinio profectum Flori sermonem, duobus locis corruptum; iterum cùm in Capitula inferretur, eiusdem stilo sæpe violatum, vt creberrimè queritur Hincmarus, & nos antea tetigimus. In Concilio etiam Tullensi posteriore deprehensuri sumus, falsos canones quorumdam factione, pro veris suppositos fuisse. Illi autem intererat Ebbo, & eius res agebatur, & Hincmari auctoritas erat eleuanda, & multis vestigiis Ebbonem illic si necesse videbitur, agnoscemus. Qui ergo falsos canones, falsam Episcoporum subscriptionem, quæ sola ad nos peruenit, in magno Prouinciarum duodecim Concilio potuit aut suadere, aut curare, aut perficere, quidni probabiliter censeri potest exiguæ quatuordecim Episcoporum Synodo imponere potuisse?

Ad extremum, quis fuerit huius legationis euentus, quo sit animo exceptus à Rege, cum suis contra Hincmarum centonibus Gratianopolitanus Episcopus, non satis colligi potest ex effectu; id enim tantùm consequutum est, vt scripta omnia excutienda, & refellenda traderentur Hincmaro. Et id quidem non apud Vermeriam palatium, vbi recepta sunt, vnde credibile est abfuisse tunc Hincmarum: sed aliquantò postea in Neustria, cùm in expeditione contra Nortmannos stationem haberet Carolus. Mihi tamen nonnihil præterea in Annalista Bertiniano videre videor, quo respondeam, exceptum perhumaniter Ebbonem, & contraria Hincmari sententiæ scripta libentissimè visa tunc à Carolo, cuius amor in Hincmarum aliquantùm refrixerat. Anno enim quo celebrata est Valentina Synodus 855. scribunt Annales, quod antea narrabamus, *multa catholicæ fidei contraria in regno Caroli, ipso quoque non nescio, fuisse concitata.* Quod Hincmaro in flagrante gratia constituto factum, ægrè crediderim. Quibus autem ventis illa tranquillitas perturbata sit, quis requirat in aula regia Euriporum æstuosissimo? Cogita tamen damnatos antea in Suessionensi Concilio Remenses Clericos, & in iis Wlfadum Regi carissimum: eximiæ virtuti virorum illustrium paratam semper inuidiam: Prudentij & Gotteschalcanorum sodalium animos inquietos: externas quoque bellorum clades, quæ populorum odio agentes in rebus obiiciunt. Hæc & similia, cuius facilè persuadeant, æstum amicitiæ regiæ aduersùs Hincmarum ad tempus deferbuisse: illo mentis statu commodè vsum Ebbonem interuenisse tempori, & hanc Regi, si vellet, redigendi in ordinem Remensis occasionem obtulisse. Sed illam breui nubeculam è fronte regia vir doctus, & meritus clarus abstersit.

Quomodo sit excepta Ebbonis Legatio.

Annal. Bertinian. ad an. 855.

§. VNICVS.

Quædam de hac Ebbonis profectione nuper excogitata discutiuntur.

TRIA nos docuit hac de legatione, nuda & simplex temporum historia, qualem amat

veritas: tribus aliis obseruationibus imbuere nos conatur Dissertatio, non ab historia, sed à *iugi meditatione, & cum eruditioribus collatione*, in quibus *summa* eius *fides* maxima ex parte consistit. Prima rationem explicat, qua Lotharius excitatus est, vt ad Carolum fratrem suum hæc Capitula mitteret, ne per vmbram quidem ab vllo scriptore traditam.

Fictitia Dissertatoris narratio. c. 38. Sic enim narrat, poëtica qua valet fictione. Peracto Concilio Valentino Lotharium Imperatorem conuentum à Remigio: monstratos illi cum canonibus, plures de controuersia libellos; postulatum vt decreta illa non tantùm suo in regno seruari præciperet, sed etiam ad Regem Carolum deferenda curaret, sex maximè, aut septem prima, *cùmque exhortaretur vt in regno suo nequitiam illam vlteriùs progredi non fineret; Hincmari & sectatorum audaciam & petulantiam reprimeret, & canonum illorum publicationem, & obseruationem iniungeret*. Pollicitum hæc præstare Lotharium ad Prumiense Monasterium conuolasse, & in extremis positum illam Ebboni curam demandasse, & iniunxisse, vt ad Carolum fratrem canones aliósque libellos perferret, cum morientis precibus, vt saluberrimæ Episcoporum petitioni, & obsecrationi pro Dei gloria satisfaceret. Sic habet fictio, nusquam apud historicum lecta, nunquam hactenus audita animis nostris repræsentans. At pudet iampridem, pigétque sapientes, eiuscemodi fabularum in res serias tam crebrò intrusarum, ab eo qui *summam fidem* in opere historico venditet. Poëtarum est fingere quæ geri potuerunt: historia verè gestis illigatur. Hanc Lotharij curarum vltimam non leuis momenti, si per incuriam prætermiserunt historici, culpa non vacant: si recens excogitauit meditatio, explodenda est.

Nunquam hactenus audita.

Refellitur. Quid quòd ne veri quidem similitudine ornata in conspectum hominum immittitur? Quis enim putet Lotharium lethali morbo correptum, omissis interioribus curis, & ingentium scelerum punctionibus, in iis mentem occupasse, quorum executio successoris filij voluntati suberat? Quis non miretur, aut harum rerum satagentem Lotharium, aut ista meditantem Dissertatorem, oblitum esse regni ipsius Lotharij, vt in eo canones illi promulgarentur, & executioni mandarentur, de Caroli Regno tantopere solicitos? Nam si promulgati essent, quæ id tacuisset historia? quid necesse foret in Synodo Lingonensi ab iisdem iterum repeti? Quare Germanicum Ludouici fratris regnum tanto in negotio neglexit Lotharius, de Carolo anxius? Nam in eo primùm damnatus fuerat Gotteschalcus, ab incompetente, vt disputat Dissertator, iudice Rabano Mauro, tum adhuc superstite. Tam autem erat corrupta Episcoporum electio, vt anno sequente eidem Rabano Carolus Archiepiscopus, Regis & Procerum voluntate potiùs, quàm libera Episcoporum ordinatione successerit. Quàm verò fuit, secundùm hanc fabulam, impius in fratrem Carolus, qui pœnitentis & Monachi, & morientis monita, regno & Ecclesiæ *saluberrima & sanctissima*, solenni venerabilis Episcopi legatione missa contempserit? Quàm porrò immemores eorumdem monitorum, & eiusdem legationis Valentini Patres, qui cùm eadem Capitula in bonum publicum in Concilio Tullensi priore probanda exhiberent, Lotharij morientis supremas voces, & mandatum vltimum prætermiserunt? An erubuerunt vel Episcopi meminisse, vel audire Carolus, & Lotharij filij, quod à patre postulasse Remigius fingitur, vt rogaret Carolum *illorum canonum publicationem & obseruationem iniungere?* Et hæc narratio facti est, etiam in poësi vitiosa, quia continet ἀλογον. Quæ sequitur positio, iuris est.

Legationem à tota Ecclesia canonibus & Conciliis non conuenire. Rectè factum vt Capitula Valentina deferrentur in Galliam: fuisse *antiquum Ecclesiæ morem, vt error in fide, Synodali iudicio damnatus, ceteris Ecclesiis in diuersis regni partibus constitutis, per litteras Synodicas ad omnium Episcoporum notitiam deferretur*. Ita dictum à Lugdunensi Floro contra Scotum disputante; factum à Rabano damnante Gotteschalcum; malè omissum ab Hincmaro, in eadem causa Gotteschalci. Thesim admitto, in his ipsis exemplis à me dudum probatam. Lis est in hypothesi, in qua euenit quod antiqua Ecclesia nunquam vidit, vt decreta de fide, in priuato Concilio, contra Concilium anterius definita, non ab Episcopis ad Ecclesias, sed à Rege non ampliùs rege, ad Regem alteri regno imperantē, legatione quasi laica, sine litteris Synodicis mitterentur, contra voluntatem Episcoporum alia omnia definientium, publicanda & obseruanda. Quæ omnia si ostenderit veteris Ecclesiæ canonibus fuisse sancita, moribus recepta, exemplis confirmata: quæremus deinde Capitula Carisiaca quem habeant errorem, in alia Synodo, fortasse non maiore, damnandum? quas litteras Synodicas, quibus ab Episcopis subscriptas, Ebbo detulerit ad ceteras Ecclesias? Num canones illi delati sint ad Regem; vni Episcopo dati non omnibus, ad arbitrium regis; & dati ad examen, non ad *promulgationem*; examinati & refutati, non ad *obseruationem* admissi? Concludemus denique moris antiqui qui producitur in thesi, ne micam quidem in hypothesi repræsentari.

Cur ad regem delati sint canones malè explicat. Dissertator c. 38. cit. Tertium quod narrat probaturus, decreta fidei ritè & legitimè ad Regem, non ad Episcopos esse perlata, partium amor extudit, non studium veritatis. Nam quod iij Hincmaro, si factum ab eo fuisset, conuiciis omnibus exciperetur, tanquam ab assentatore aulico: ex Politicorum fontibus ductum, in Ebbone laudatur. Sic enim loquitur de fidei decretis, & de regno alteri Principi subdito. *Similiter antiquissimis Ecclesiæ institutis, maximè in regno nostro confirmatis, etiam à Christo ipso sic diuisum fuisse totius Ecclesiæ regimen inter Sacerdotes & Reges, vt quod illi docerent, isti quasi Episcopi ad extra executioni demandarent*, obseruauerat ab an. 848. *Lupus noster Ferrariensis Epistola* 81. *ad Amulum Lugdunensem, Remigij decessorem*. Hæc si nihil aliud significant, quàm Christianis Regibus id officij incumbere, vt decreta fidei morúmque per Ecclesiæ Prælatos constituta, obseruanda curent à populis, vt catholica fides, & mores ea fide digni sanctè fideliterque colantur; nulla inter nos est quæstio, & id admonet citatus Lupus Abbas, *vt quod sancti docerent Pontifices, & ipsi implerent, & impleri facerent deuotissimi Reges*. Si quid autem aliud tanto verborum apparatu postulat, videat qua ratione in regno *Lupus Ferrar. epist. 81.*

nostro

nostro explicata sint & confirmata, quæ dicit antiquissima Ecclesiæ instituta, dicente Concilio Parisiensi sexto, sub Ludouico Pio Caroli Calui patre. *Principaliter itaque totius sanctæ Dei Ecclesiæ corpus* (non ait *regimen*) *in duas eximias personas, in Sacerdotalem videlicet, & regalem, sicut à sanctis Patribus traditum accepimus, diuisum esse nouimus.* Hoc est, populum omnem Christianum duabus potestatibus regi, Ecclesiastica, & Laïca, à Sacerdotibus & Regibus. *Quantùm pertinet ad huius temporis vitam, in Ecclesia nemo Pontifice potior: & in seculo, Christiano Imperatore nemo celsior inuenitur.* Ecclesiam distinguit à seculo, res sacras, à profanis. Ac deinde de viris Ecclesiasticis, & Ecclesiæ regimine dicturi Patres sic incipiunt: *Quia constat religionem Christianam, per successores Apostolorum salubriter administrari, populisque ad vitam æternam ducatum exhiberi debere.* Per Episcopos vitam æternam; per Episcopos religionem, Episcopos Apostolorum Ecclesiæ principum successores. Nondum hîc reges audio nominatos, quorum officium inferiùs describitur hoc initio. *Regale ministerium specialiter est populum Dei gubernare, & regere cum æquitate & iustitia, & vt pacem & concordiam habeant, statuere. Ipse enim debet primò defensor esse Ecclesiarum, & seruorum Dei, viduarum, orphanorum*, &c. Quæ omnia verbis iisdem repetuntur in Aquisgranensi II. Concilio, sub eodem Pio Imperatore. Additis præterea Fulgentij & Isidori adhortationibus, vt *pre omnibus ita se sanctæ matris Ecclesiæ catholicæ meminerit filium, vt eius paci atque tranquillitati per vniuersum mundum, suum faciat prodesse principatum. Ceterùm intra Ecclesiam, potestates* (gladij & vindictæ) *necessarias non futuras, nisi vt quod non preualet Sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc imperet per disciplinæ terrorem.* Quæ omnia ducunt originem à celebri Gelasij Pontificis dicto, per Hincmarum nostrum sæpissimè vsurpato. *Duo sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, & regalis potestas. Nosti enim, fili clementissime, quòd licet præsideas humano generi dignitate, rerum tamen Præsulibus diuinarum deuotus colla submittis, atque ab eis causas tuæ salutis expetis.* Quemadmodum vicissim, *quantùm ad ordinem pertinet publicæ disciplinæ, legibus tuis ipsi quoque parent religionis Antistites.* Ad hæc Pontificum & Conciliorum placita, mentem suam quomodo sit accommodaturus, viderit Dissertator; ad institutum certè nostrum si applicatur eius oratio, in ridiculam degenerat.

Concil. Paris. c. 2. tom. 2. Concil. Gall.

Ibid. c. 3.

Ibid. l. 2. c. 1.

Concil. Aquisgran. II. c. 3. n. 2. & 3.

Gelas. ep. 10. ad Anastas.

Probatio Dissertatoris, proposito non congruit.

Nam si regna duo diuisa consideras Lotharij & Caroli; si Episcopos animis sententiisque discordes; si Concilium priuatum Episcoporum quatuordecim, vnius factione infensi Remensibus, impulsum; si quæstionum naturam inter Theologos vltro citróque, absque fidei iactura, tunc agitatatum: si Ebbonis ipsius iter ad Carolum, Capitula quædam pro fidei canonibus asserentis; requires statim cui bono magnifica illa sententia, de antiquissimis Ecclesiæ institutis in Gallico Regno confirmatis, de diuiso per Christum ipsum totius Ecclesiæ regimine, inter Sacerdotes & Reges: de illis docentibus decernentibúsque, istis quasi Episcopis ad extra executioni demandantibus? Quis enim dixerit ità diuisum esse regimen Ecclesiæ, vt vnius regni Episcopi, alterius regni Principi & Episcopis imperent? Quid ampliùs iurium habent Capitula Valentina in Episcopos Carolinos, quàm Carisiaca in Lotharianos? Da in antiquissimis Ecclesiæ institutis, ab eius exordio, in re nondum à Romano Pontifice, vel plenario Concilio iudicata, Episcopos externo regi subditos ab aliis Episcopis damnatos, eámque damnationem ad illorum Regem delatam, velut ad eum, qui executioni mandare teneretur iure diuino, & institutione Christi, quod alij docerent, istorum doctrinæ contrarium? Quid cùm illud facere prætermisit Rex Carolus, cùm Episcoporum suorum vni, læso & offenso priuatim, eiusmodi Capitula tradidit, non credenda, sed examinanda, an iura diuina, & antiquissima Ecclesiæ instituta contempsit, quia Ebboni non obediuit? Non magis certè, quàm Amulus Lugdunensis in Epistola Lupi citata, cùm roganti Carolo Regi, non concessit vt Bernum consecraret Episcopum, licet Abbatis eiusdem monitu, satis meminisset Christi potestatem in Sacerdotes & Reges diuisam esse, ad Ecclesiam gubernandam. Iam Hincmarus ille Valentinorum canonum ventilator, Patres item omnes Concilij Tullensis ad Saponarias, eorumdem canonum exsibilatores, iura videlicet diuina conculcarunt, cùm riserunt à quatuordecim Episcopis toti Galliæ credendi, & ista credendi, legem imponi, cum opinionis contrariæ censura. Colligamus igitur, Ebbonem publica legatione legitima, & Synodali functum non fuisse; proprióque suo genio, non Lotharij, vel Synodi voluntate, canones aliquot Valentinos, quos voluit, quales voluit, fortasse corruptos, ad Regem Carolum, cum pluribus aliis aduersus Hincmari Capitula, & opiniones libellis, detulisse contra morem Ecclesiæ, res fidei ad Episcoporum cognitionem, non ad Regum tribunalia referentis.

CAPVT XXIV.

Hincmarus scriptis ab Ebbone delatis, priori opere de Prædestinatione respondet.



VOLVIT Rex sapiens Hincmarum tot Capitulorum & scriptorum esse arbitrum, eique dedit expendenda, cùm ad villam Nielfam in Neustria contra Normannos statiua haberet, vt sæpe dictum est. Ita quæ Legatio Remensi parabat infamiam, gloriæ segetem attulit, & vt mala persica pestilentem succum natiui soli, clementiore sub cælo consita exuunt: sic libellorum istorum vulgus, in regno Lotharij noxium & virulentum, Carolinorum Episcoporum

Capitula Valentina Hincmaro dantur ad examen. Hincmar. epist. 2. ad Carol.

manibus, Hincmari maximè, exarmatum est. Hic enim vbi primùm licuit per otium, diligenter lectis expensisque, ingens opus opposuit De Prædestinatione, tres in libros diuisum, quod nos Prius opus appellamus, ad eius distinctionem, quod eodem titulo prænotatum versamus manibus, & frequenter citamus. Prioris illius hoc est elogium in Flodoardo. *Composuit volumen ingens, plures continens libros, de Prædestinatione Dei & libero arbitrio, contra quosdam reprehensores suos Episcopos, maximéque contra Gotteschalcum, atque Ratramnum Monachum Corbeiensem, ad Carolum Regem.* Episcopos intelligo, Prudentium, Ebbonem, & alios nomen Lugdunensium mutuatos: nam in toto Caroli regno nemo mihi nominauit Episcopum, excepto Prudentio, Hincmari opinionibus repugnantem. Prudentij autem Epistolam ad Wenilonem, quam vocamus Tractoriam, libris illis esse confutatam, docet Hincmarus: *Cuius,* inquiens, *in præfatis libris mentionem fecimus.* Idem de Ratramno eodem loco scribit: *Ratramnus nihilominus Monastery Corbeia monachus, libellos duos, quos nobis examinandos dedistis, ea intentione elaboratos porrexit,* &c. *Indéque prætermissis aliis, quorum nomina hic non necessarium recitari putauimus, quoniam in vnam concurrunt sententiam, & in præfatis tribus libris, iam vt potuimus, ex catholicorum auctoritate respondimus.* Præterea & auctori de Tenenda veritate Scripturæ satisfactum eo libro, testatur inferiùs, posteaquam hominem suis coloribus pinxit. *Cui* inquit *in suprà memoratis libellis, quantùm omnis gratiæ largitor dare dignatus est, cum aliis recens reexortis Prædestinatianis, respondimus.* De Gotteschalco & Capitulis Valentinis, omitto dicere, quæ principium & causa scribendi fuerunt.

Opus prius de Prædestinatione quale sit.

Flodoard. l. 3. hist. c. 15.

Hincmar. l. de præd. c. 5.

Ibid. c. 22.

Faciunt illa librorum trium materiam, quam vocant inuentionem: dispositio verò quæ fuerit, ex eodem habemus auctore, in Præfatione sic referente. *Ne sine responso vestra dominatio maneat, vobis, de cuius manu illa accepimus, corde, ore, & stilo, non formidantes carpentium nos derogationem, respondere curamus.* Hæc est innocentiæ fiducia, non modò de præteritis, sed etiam de his scriptis securæ, cùm & illa frustra tentata fuerint ab æmulis, & ista vigilantibus oculis legi debeant à confutatis: vt nihil stolidius audaciúsque cogitari possit Hincmaro, si mendaciis vllis opus istud asperfit, quæ cum infinito suo dedecore reuincenda non ignorabat. Sequitur ordo dicendorum. *Primo scilicet mittentes ea quæ ab eisdem fratribus nostris in Synodo conscripta fuisse leguntur, licet hinc ante alia fuisse conscripta reperiantur.* Primus locus Valentinis canonibus datur, tum ob Synodalis nominis auctoritatem, tum quia rectâ fronte nos lacessunt. *Deinde illa, quæ à pluribus, & per aliorum manus de pluribus ex his causis accepimus.* Quæ loquendi forma in eam me ducit opinionem, eas schedas, maximè quæ breuiores erant, expansas & syllabatim descriptas fuisse, quo clariùs singulis responderetur: quæ res operi tumorem conciliauerit, vt *ingens opus* à Flodoardo nuncupetur. Fuit eiusmodi Epistola Prudentij ad Wenilonem: at non Ratramni libri duo prolixiores, quos membratim concisos toto opere, prout se dabat occasio, résque poscebat, sparsos fuisse credibile est. *Post hæc Capitula à nobis excerpta de Patrum sensibus & verbis, vt illa excerpsimus, ponere procurabimus.* Eúntque illa Patrum veterum, & præsertim Romanorum Pontificum auctoritate confirmanda. *Cum constet illud esse verum atque catholicum, quod ipsa mater omnium Ecclesiarum, & vniuersalis Ecclesia duxerit adprobandum.* Patres autem ceteros ab Ecclesia Romana receptos probatósque, postquam aliqua ex parte recensuit, suáque Capitula cum eorum dictis congruentia demonstrare pollicitus est, subiicit dignam Hincmaro contestationem, quam solita in eum beneuolentia Dissertator appellat, *insuetatum sibi modestiæ specimen*, licet in eius operibus eiuscemodi alia reperire sit. *Denique si talium, vt diximus, sententiis concordari Capitula, quæ excerpsimus, demonstrare non potuerimus, parati sumus doctioribus, & catholicis aurem accommodare, sensum subdere, & sine contentione, nos doctrinæ illorum subiicere.* Quartus ordine libellus de Tenenda veritate scripturæ, quo Carisiacensia Capitula refutantur, & ipse refellitur. *Ipsius etiam reprehensiones ponemus, & eas, quantùm Dominus dederit, confutare studebimus.* Et quoniam Valentinus Canon quintus, eorum errorem damnat, qui non omnes regeneratos putant à peccatis suis ablui, & Ecclesiæ incorporari; eius hæreseos inuidiam in verum auctorem Gotteschalcum deriuat, *Tum demum ponemus de Capitulo confratrum nostrorum quinto, vnde notam nobis, & quasi è latere impegerunt, quod in Gotteschalci scriptis inuenimus, postquam Capitula quatuor sæpe memorata excerpsimus, & quid inde sentiamus, Domino inspirante, dicemus.* Agmen claudunt Ioannis Scoti Capitula, quæ & ipsi Remensi à Valentinis imponuntur. *Et sic tandem subiiciemus illa decem & sex* (nouemdecim) *Capitula, pro quibus de Scotorum pultibus confratres nostri, in hac duntaxat causa, nos pascere decreuerunt, & quid de eisdem Capitulis sentiamus, ex Catholicorum Patrum sensibus ostendemus.* Hæc sunt librorum trium, vnum *ingens opus* conficientium capita, eorúmque indices, tanquam pixides in pharmacopolio cum titulis suis dispositæ, ex quibus discimus quantùm detrimenti controuersia nostra ceperit. Et hanc Flodoardo habemus gratiam, quòd conseruata hac Præfatione, quæ est Epistola ad Carolum Regem, iacturæ nostræ magnitudinem nobis ostenderit.

Operis dispositio.

Idem epist. 1. ad Carol.

Capitula Valentina.

Varij libelli.

Ratramni libri 2.

Capitula Carisiaca.

Hincmari modestia.

Liber de Tenenda veritate Scripturæ.

Error Gotteschalci.

19. Ioannis Scoti Capitula.

Quæ porro forma & ratio scribendi fuerit in eo seruata, paucis idem aperit in operis posterioris præfatione. *In præfatis relationibus,* (tot libellorum) *prouocati multiplicibus multiplicium inlationibus, multipliciter multiplicibúsque conlationibus, non sine, sicut scimus, & confitemur, Lectoris tædio, sensu sed tamen catholico in tribus libris lacinioso sermone respondere satagimus.* Cui nota fuerit Hincmari exuberans facundia, & sempiterna citandorum auctorum cupido, cum intrusis ex historia sacra profanáque apophthegmatis, & exemplis, quæ fuit doctrinæ supellex illis temporibus exquisita, facilè intelliget opus citationibus laciniosum, repetitioni-

Stilus auctoris.

Idem epist. 2. ad Carol.

bus fastidiosum, congerie & strue rerum rebus impositarum obscurum & implicatum. Si quis autem eius magnitudinem metiri volet, meminerit opus posterius, quod habemus præ manibus, prioris esse compendium; cui & ipsi, licet *responsione laciniosa* remota, compendium aliud, siue Epilogus sex longorum Capitum adiici debuit.

Liber scriptus omnium Episcoporum nomine. Redeo ad caput Præfationis, siue Epistolæ, quam Carolo Regi offert Hincmarus, non solus, sed *vnà cum Collegis Dominis & fratribus venerandis Episcopis*. Quod idem in titulo posterioris Præfationis, & Epistolæ ad eundem Regem legitur, vt iam non liceat Lectorem super hac re dubium, remittere ad librum qui non extat, quasi se in eo scriptor explicuerit, & quomodo in operis consortium admissi sint reliqui, monstrauerit Id ergo positum est in coniectura, quam variis modis probabilem facere licet: neque opus est Dissertatoria machina, vt Concilia Turonibus Parisios transferamus, ne falsò dixerit Prudentius Epistolam *Synodi consensu* misisse se ad Hincmarum & Pardulum præsentes. Potuit igitur Hincmarus omnium simul Episcoporum consensum accipere in placito, in Synodo, in conuentu quolibet, quales tum frequentes erant: potuit rogare priuatim à singulis; potuit legitima interpretatione omnium nomen in illo opere vsurpare, quo sententia in errores Gotteschalci lata, & illis contraria Capitula, communibus suffragiis in Conciliis probata, propugnabantur. Potuerunt ipsi Antistites Hincmarum rogare, vt iniuriam Valentina censura acceptam vindicaret. Non enim fuit istud inter Ebbonem & Hincmarum singulare certamen, sed pars vniuersa Remensium, quæ ex Carolini Regni Episcopis Abbatibúsque constabat, læsa à parte Lugdunensium, vnius stilo communibus animis offensionem debuit propulsare.

§. I.

Illius operis Præfatio à calumniis, & grauibus aduersùs Hincmarum contumeliis vindicatur.

Indigna Dissertatoris conuicia aduersùs Hincmarū. § 33. TANTA historicæ Dissertationis importunitas est, & calamus atro felle tinctus, vt nescias sit-ne nobis dolendum, an Hincmaro gratulandum, quòd ingens & varium illud opus temporum iniuria perierit. Nam si vna, nec longissima quæ superest Præfatione, ad indignas aduersùs Hincmarum calumnias emittendas auctor abutitur, quid putas de libris tribus lacinioso sermone productis fuisse sperandum? Si capitis vnius flores sunt isti, *plurima & ineptissima argutia, fraudulenta nequitia, Hincmariana nequitia gradus, pernicacia qua maior fingi non potest, impudens mendacium, impudens audacia*, & alia maiore spiritu anhelata, *Hincmarus & Pardulus ausu temerario, & sacrilega præsumptione, iura omnia & canonicum ordinem peruerterunt*. Cur tam variè in vtroque opere scribit Hincmarus? *nisi quia superbia eorum qui te oderunt, (Domine) ascendit semper, & impius cùm in profundum venerit, contemnit.* Ac ne credas sacris infulis pepercisse, & characteri: *Quis tantam*, (inquit exaggeratione rhetorica) *non hominis cuiuslibet è plebe, sed Præsulis, Metropolitani, qui Ecclesiæ & Regni necessitatibus semper intentus*, &c. *nequitiam non miretur, imprudentem & infrunitam fallaciam æquo animo ferre, & fidem vllam à Lectoribus in reliquis exigere possit?* Hæc inquam, si capite vno aduersùs Præfationem operis prolixi congeruntur, quantam in amplitudinem turgesceret lutea bilis, si pareret opus integrum: illud inquam opus *minori fuco compositum*, in quo *nondum ad supremam, quam postremò attigit fraudulentiam peruenerat?* Et queritur omnis secta cùm nouitatis & hæreseos accusatur, de contra pugnantium contumeliis: cùm maximè hoc sibi iuris vendicat aduersùs illos, atque in primis sacro-sancta Episcoporum capita, è quibus summa cum auctoritate reuiuiscentium errorum prodit condemnatio? Vt vel recentissima satyra, in Illustrissimum Vabrensem, virtutis, sapientiæ, doctrinæ florem delibatum, in eadem officina ingenti bonorum omnium scandalo fabricata demonstrat.

Videamus autem quibus tandem criminibus hæc conuicia mereatur Hincmarus. Has in eum sordes coniiciendi, ansam arripit ex tribus articulis, in quibus Hincmarus iniuriam sibi factam esse queritur à Valentinis, quorum primus est, quòd *malè & nullo fundamento queritur non fuisse in Concilij canonibus expressa*, (Capitula sua) *ne ab illis legerentur, in quorum manus canones deuenissent*. Quod negat Dissertator fieri solitum in Conciliis. Verè & legitimè, quod & nos antea concessimus. Sed Concilia scriptis auctorum nullam vim inferunt, verba & sententias non adulterant, vt ea iustiùs damnare censeantur. Hoc verò passum esse se queritur Hincmarus, dolétque non posse Capitula Carisiaca ex aduerso Valentinorum perlegi ab iis, qui hæc illis esse opposita existimabunt. Respondet Dissertator, *gratis ista dici, non ex veritate* quia *nullo modo fuere memorata illa Capitula*, præterquam in canonis quarti censura. Verùm ceteris canonibus ad illa fuisse allusum, quarto canone nimium errorem, quasi ex illis consequutum, Synodos duas canone sexto tanquam Capitulis illis contrarias, allegari, qua ratione negauerit? Sed hæc alio iam loco disputata sunt.

1. Obiectio. Falsò queri Hincmarum de suppressis suis Capitulis.

Responsio.

Secundus querimoniæ locus, in nouemdecim Ioannis Scoti Capitulis situs est, quæ sibi quasi imputata molestè fert Hincmarus, de quibus nihil vidisse se, & audiuisse priùs affirmat, quàm ab Ebbone deferrentur ad Carolum, quod est *impudens mendacium, & infrunita nequitia*, tum quòd neget ea sibi fuisse nota, tum quòd sibi nolit imputari. Prius enim falsum esse hinc probatur, quòd Hincmari & Parduli rogatu iam ab anno 851. scripserat Scotus, & vtrique scriptum consecrauerat Epistola dedicatoria, quæ etiamnum extat. Præterea monachum in aula assiduum aulici ipsi non poterant non crebrò videre & alloqui. Impudenter ergo mentitur Hincmarus, cùm scribit de Capitulis illis ante aduentum Ebbonis nihil audisse se, vel vidisse, nec cùm multùm quæsierit, inuenire valuisse.

2. Obiect. Impudenter mentiri, qui neget Scoti Capitula sibi fuisse cognita.

Responsio. Ad hæc respondeo primùm vniuersè in hac facti quæstione maiorem Hincmaro fidem de se, apud Regem conscium, publico scripto di-

centi deberi, quàm cuiuis alteri, cùm præsertim à nemine siue amico, siue aduersario mendacij fuerit accusatus. Qui autem octauo pòst seculo absque teste vllo, mendacij & impudentiæ illustrem virum postulat, leuibus tantùm rationibus, quarum nonnullas comminiscitur, munitus, illum ex omnium sapientium tribunalibus, cum suis coniecturis esse abigendum. Deinde id quod est in quæstione considerari cupio. Librum enim Ioannis Scoti, ab Capitulis nouemdecim necesse est distinguere, quando de istis solis, non de illo hîc agitur. Esto enim, librum Hincmari & Parduli rogatu scripserit Scotus; scriptum vtrique singulari Epistola dedicauerit, quàm certò inde deducis lectum ab Hincmaro, quem in summis regni negotiis occupatissimum fuisse non diffiteris? Quàm multi optimatibus offeruntur libri, quorum magnum est si vel miniatos tituli characteres cursim semel aspiciunt? Capitulorum autem ignorandorum longè potior est ratio: quippe quæ ab inimica manu (quidni Ebbonis?) excerpta, sine nomine & excerpentis, & scriptoris vnde sunt excerpta, per manus factionis diu antè cucurrerunt, quàm ad Hincmarum peruenirent. Ad eorum aspectum commotus absurditate Remensis, Capitulorum, non libri, quæsiuit collectorem, nec inuenit; ac iure meritò *putauit alicuius inuidia ad cuiusquam opinionem infamandam fuisse compilata.* Quod & aliàs factum exemplis comprobat. Denique quadriennio pòst vel quinquennio, si Dissertationi chronologicæ creditur, in posteriori opere de Prædestinatione, ita scribit his de Capitulis Hincmarus, vt nondum certò nouerit Recapitulationem aduersùs Ioannem Scotigenam esse à Prudentio scriptam, & Capitula 77. esse ex Scoti libro desumpta, aut librum à quoquam alio aduersùs decem & nouem Capitula fuisse compositum. In hanc contentionem non intrudere se, donec aliquid certius de auctoribus didicerit; expectandum sibi dum Capitula ista impugnet aliquis, aut tueatur; & similia, quæ tam asseueranter à viro graui & sapiente, apud Regem omnium testem, consentientibus Episcopis, audituris aduersariis, per impudens mendacium, & fraudulentam nequitiam dici qui volet credere, verendum est, ne postquam humanam fidem pessumdederit, titubet in diuina. Videat interim Lector, nihil-ne fraudis & amphiboliæ narratio hæc contineat. *Ioannes Erigena in Regno, & in Curia Caroli Regis Scotus celeberrimus, eius comes & indiuiduus mensæ & cubiculi, iuxta Matthæum Westmonasteriensem, quotidie cum Hincmaro versabatur.* Crediderit enim aliquis testimonium Westmonasteriensis in medio collocatum, vtramque partem narrationis attingere, cùm de regia familiaritate tantùm agat; de consuetudine cum Hincmaro, nullo verbo meminerit.

Distinguenda Scoti Capitula, ab eius libro.

Hincmar. l. de præd. c. 31.

Fraus citationis.

Posterius hoc in articulo quod queritur Hincmarus, est, hæc Capitula, adeóque alienos errores, sibi per iniuriam imputari. Respondet Dissertator, id meritò fieri, scribente Cælestino Pontifice, quem Hincmarus ipse pro se alibi aduocat, *Quid spei est, vbi magistris tacentibus hi loquuntur.* &c. alibi reddenda. Atqui fauor istiusmodi & taciturnitas Hincmaro exprobratur tacito nomine à Lugdunensi scriptore aduersùs Scotum, vt suo loco retulimus. Ad hæc aio ego, Thesim, & Cælestini dictum bonis omnibus vehementer probari, nihilque in votis habere amplius, quàm vt sentiant tandem aliquando Ecclesiæ magistri, inter tot nouitates quæ reparantur ex hæresum proscriptione, silentium erroribus fauere, & loqui magis, eos qui permittunt taliter loqui. Ad hypothesin autem quod pertinet, Hincmarum ea premi pernego; quomodo enim loqui taliter Scotum permisit, qui quid loquutus sit, & an rectè, aut secus loquutus sit, ignorauit? Quod autem eius coercendi ius habuit? Nónne statim vbi talia Capitula in eius notitiam venerunt, ab eo sunt improbata? Quid verò posthac scripsisse reperitur Erigena? Nullo igitur suo merito Hincmarus Scotorum pultibus pascitur, & opprobriis deturpatur.

Iniustè Hincmaro imputantur.

Hincmar. epist. 2. ad Carol. ex Cælest. epist. 8.

Eccles.

Lugd. 1. aduers. Scot. c. 4.

Responsio.

§. II.

Ebbonem non calumniatur Hincmarus.

VERUM leuiores hæ sunt, & priuatæ querimoniæ, Canones simul omnes Valentinos complectitur Tertia, quando dolens se *succensente cum annihilationis despectu* iudicatum à Tribus Prouinciis, fictitios esse canones illos, pérque eos Ecclesiæ illudi, multis leuissimis ratiunculis, vel potiùs argutiis, quoquo modo laborat imperitis persuadere. Quarum vna est, quòd *istos vnius Ebbonis opus esse fingit: & auctorem, seu Compilatorem quem vult, notat, vt legitimas Concilij definitiones infamare, & calumniari ad libitum valeat.* Vbi *animaduertenda Hincmari impudens audacia*, quòd cùm illud in Concilium Valentinum audeat, nihilominus ipse & Capitula sua, & vtrunque opus de Prædestinatione, non suo tantùm, sed etiam Collegarum Episcoporum nomine profert. Sunt etiam obseruandi *Hincmarianæ nequitiæ gradus*, nam hac in Præfatione canones istos falsos esse simulat, Scoti Capitula pro suppositis habet, Episcopos, atque ipsum Ebbonem magnopere laudat; canones ipsos, licet adulterinos, reuerentia Synodalis tituli magnifacere se profitetur, Sancto Augustino conflatam inuidiam obseruat, catholicis & doctioribus aurem accommodare promittit. In alio autem opere, Concilij canones certos agnoscit, Ebbonem & ordinationem eius infamat, canonum decreta veluti spuria vitulamina, & hæresim reuictam insequitur, Prædestinatianam hæresim ab ipso Augustino & Prospero impugnatam fingit. Ita eius superbia ascendit semper, & impius in profundo contemnit. Ita Gotteschalcanus socialis Præses aduocatus disserit, quàm iracundè, tam præposterè. Non enim nescit, adagio academico distinguenda esse tempora, vt concordentur scripturæ: quod in vtraque præfatione tam est obuium & apertum, vt ne infantem quidem Lectorem præterire possit. Addo ampliùs, vbi pertinaciam ille, nequitiæ gradus, impudentem audaciam, superbiam, impietatem liuentibus oculis reperit, ibi me illius virtutis oculis quæ *non cogitat malum, non æmulatur, non* agit aut loquitur *perperam*, intueri caritatem, prudentiam, modestiam, pacis concordiæque studium, dignas magno Antistite offensio virtutes.

3. Obiectio: *Simulare Hincmarũ canones esse fictos.*

Sciebat quidem Remensis, venisse in Galliam, vehente Ebbone, canones: videbat Synodi Va- *Responsio.*

ſentinæ nomen præferre; audiebat Lotharij nomen magnificè oſtentari; alia tamen ex parte canonum tenorem non ſine ſtupore legebat, ſe ſuóſque in iis fœdè tractatos ab externis Epiſcopis; quæſtiones, vt minimùm, tunc adhuc dubias, inter errores recenſitas à priuato Concilio; facinus horrebat ab Eccleſia condita inauditum, ſcilicet à catholicorum Synodo, catholicorum Synodum vt imprudentiæ, inutilitatis, noxietatis ream, inauditam, innocentem reiici. Quid enim illis in Capitulis noxium & erroneum traditur? Qua re Valentinos Patres læſerunt Cariſiaci Antiſtites? Quæ forma iudicij eſt, non ſubditos, non citatos, non auditos, adde ex Euangelicæ caritatis lege, non monitos priuatim, non aduocatis teſtibus reprehenſos, derepente toti Eccleſiæ abominandos proponere? Vbi modeſtia illa & caritas Auguſtini, & Africanorum Mileui congregatorum, erga Dioſpolitanos Antiſtites, à Pelagio fœdè deceptos, & hæretici abſolutione ceteris Eccleſiis ſcandalum obiicientes? Inter hæc anceps animus, prudens & pacis ſtudioſus, quid ageret, quò ſe verteret, cùm hinc in Concilium & Ebbonem vehemens ſuſpicio impelleret: inde caritas, rei atrocitatem, & indignitatem facinoris obiiciens, velut iniecta manu ſuſtineret? Omnibus ſapienter libratis, vicit apud virum monaſticis ſtudiis innutritum, pars religioſior; egit apud ſe virtutis cauſam; extudit ab ingenio ſuo argumenta, quibus ſibi aliíſque perſuaderet, alienos eſſe ab hac iniuria Valentinos, aliunde corrogatas eſſe propoſitiones, Concilij nomine veſtiendas. Dic *argutias*, appella *ratiunculas*, æſtima *leuiſſimas*, potiores non reperit tali in cauſa, tam propinquo lumine contrariæ veritatis. Quid me putas dicere? Perſpicaciſſimum hominem excæcauit caritas, ne videret quod videbat, ne apprehenderet quod tangebat. Argutiæ illæ voluntatis partus ſunt, non intelligentiæ: eiuſmodi autem, vt ex diuinis humaniſque legibus depromptæ, cum omni leuitate ſua, quemlibet Epiſcoporum illorum ab hoc conſilio penitus abducere debuerint. Subſtitit primùm incertus an reſcriberet. *Nunc autem illis quomodo reſpondere poſſumus, cùm vtrum illa ſcripſerint, ignoremus?* Deinde Regis imperio coactus, magna cum reuerentia propoſitionibus reſpondit, Synodi titulo venerandis; neminem nominauit, nec Ebbonem, nec Concilium offendit contumelia. *Et his*, inquit, *Capitulis, quæ nobis nuper dediſtis, pro noſtri ingenioli capacitate, ſub dubietate tamen reſpondimus; quia non credidimus, vt fratres & Coepiſcopi noſtri, contra regulas Eccleſiaſticas aduerſum nos talia debuiſſent conſcribere.* Vide ſinceritatem ſcriptoris, non ſimulat ſe credere, ſed in dubio mauult non credere, quod remotum eſt à ratione. Vide modeſtiam, *pro ingenioli capacitate*, inquit, & alibi, *pro mediocritate noſtra intelligentiuncula*. Vide prudentiam, quod certiſſimè ipſi non conſtat, licet omnibus ex partibus probabile, non audet credere, ne verbo lædere periclitetur immeritos. Quid quòd ſua omnia peritiorum iudicio ſubiicit? Quòd Valentinos ad pacem & concordiam vehementer hortatur? Illorum nonnullos, maximéque Ebbonem laudibus proſequitur, vt mitiget? Putas, Lector, hæc facta dictáque ab homine fraudulento, nequam, peruicace, impudente, infrunito, ſuperbo, impio proficiſci debuiſſe?

Hincmari prudentia.

Caritas in aduerſarios.

Epiſt. 1. ad Carol.

Epiſt. 2. ad Carol.

L. de præd. Epil. c. 2.

Atenim, in poſteriori opere, mutato animo acriter inuehitur in Ebbonem, & cuius antea virtutem & ordinationem probauit, eiuſdem in ſe odium, & ordinationem, contra regulas Eccleſiaſticas factam, vehementer improbat, quod eſt loqui pugnantia. Mutauit quidem, ſed iure ac meritò, mutato rerum ſtatu, nouiſque circumſtantiis emergentibus. Nam triennio pòſt prius iſtud opus in quo verſamur, reuelatis myſteriis quæ tam diligenter occulebantur antea, cùm publicè notus eſſet Valentinorum Capitulorum auctor Ebbo, neque conſilium eius diſſimulari poſſet: cùm conſtaret omnibus puduiſſe facti Valentinos Patres, & latam in Capitula Cariſiaca cenſuram, in Concilio Lingonenſi reſcidiſſe, vt mox viſuri ſumus: cùm Tullenſis Concilij motus orientes auctoritate Remigij Lugdunenſis eſſent compoſiti; & pax inter Epiſcopos conſeruata: in vnius Ebbonis caput, malorum iſtorum principium, Remenſis ira deferbuit, & Capitula non iam penitus vt à Concilio, ſed vt ab *infeſtiſſimo perſecutore, & reprehenſibili reprehenſore* compoſita, viuidè, fortitérque agitata ſunt. Id autem factum eſt, integra cum reliquis pace & concordia, maximè cum Lugdunenſibus, quorum virtutem & ordinationem ſibi notam laudare pergit. *Nunc verò*, ait, *quia certi ſumus, cuius compoſitioni debemus de ſæpenominatis quæſtionibus reſpondere, contra hæc Capitula, quantùm ex nobis eſt, pacem habentes cum omnibus, ex ſanctarum ſcripturarum auctoritate, & catholicorum Patrum ſententiis ſimpliciter reſpondere curabimus.* Quod addidi, Lugdunenſibus ſemper amicum fuiſſe, id eò vſque demonſtrat, vt etiam ab ipſis neget Capitula Valentina ad Tullenſem Synodum permanaſſe. Sic enim ad Carolum ſcribit, *In cuius* (Remigij Lugdunenſis) *Coepiſcoporúmque eius diœceſeos, quorum etiam & ante ordinationem mentem catholicam, atque doctrinam, ſicut & vos non latet, cognouimus: quantùm ſenſui puſillitatis noſtræ fidem accommodare audemus, percepimus, quia non ex ipſis, vt non dicamus per ipſos, Synodo Capitula ipſa fuere prolata.*

Cur aperte his agat in opere poſteriori.

Epiſt. 2. ad Carol.

Ne leuiter hoc teſtimonium prætereuehere Lector: *mentem doctrinámque catholicam* in Remigio & comprouincialibus Epiſcopis à Carolo Rege, & Hincmaro cognitam cùm vides, intelligere debes, hac in controuerſia veniſſe Remigium in ſenſus Amuli præceſſoris, eadem cum Hincmaro ſenſiſſe, & ipſum, & omnes eius ſuffraganeos. Non enim habet Hincmarus doctrinam ſuæ oppoſitam pro catholica. Qua vna obſeruatione ſemel euertuntur trophæa illa Lugdunenſia, contra Hincmarum, Remigij & Lugdunenſium nomine ex libellis diuerſis erecta, & per Diſſertatorem ſine fine oſtentata, & à nobis nunquam admiſſa. Neque timendum videtur, ne fraudulentæ nequitiæ, & impudentis mendacij hoc etiam loco accuſetur, quando eiuſdem rei teſtem aduocat Regem, & de ſuperſtitibus, iſta ſine dubio lecturis, pronunciat. Sunt igitur veri & germani Lugdunēſes, Hincmari partibus reſtituendi cum Amolone, & ſpuria libellorum vitulamina, in alios agros transferenda. Præterea cùm prioribus libris, in quibus Lugdunenſiũ

Remigius non eſt auctor libellorum Lugdunenſium.

legitimam ordinationem agnoscit Remensis, illo posteriori opere non pugnat, quo illegitimam Ebbonis ordinationem criminatur. Est enim à nobis notatum non semel, de solis Lugdunensibus ista scribi, quæ & alibi eodem in opere repetuntur; de aliarum verò prouinciarum Episcopis qui Synodum Valentiæ celebrarunt, in quibus Ebbo numeratur, sileri.

Quomodo laudetur Ebbo ab Hincmaro.

Encomium Ebbonis, priori Epistola contentum, si denique obiicis, profectò repugnans malæ eiusdem tractationi, quæ in libro posteriore passim occurrit, nemo tam est vrbanitatis ignarus, qui non deprehendat, admonitionem esse illam, non laudationem; & eas virtutes illi non attribui, sed suaderi. Nam de Monacho ad Episcopatum contra canones euecto, & in Synodi Canonibus, inter Archiepiscopos, præter morem omnem, nominato, cùm ait illum *humilitatis tenore nutritum* in Monasterio, *humilitatis locum obnixè tenere & appetere velle, contra elationis & iactantiæ spiritum*, hebes acumen eius oportet esse, qui non videat, contrario sensu hominem ambitionis vanitatísque damnari.

CAPVT XXV.

De Concilio Lingonensi, in quo Capitula Valentina correcta sunt, rescissa Carisiacensium censura.

Concilij Lingonensis occasio.



HACTENVS Carisiacum & Valentinum, Concilia duo in speciem contraria, reipsa autem aliqua tantùm ex parte pugnantia cum appendicibus suis, non indiligenter tractauimus; quæ supersunt, quid aliud esse dicam, quàm Conciliorum de illis iudicia, siue confirmari, siue corrigi, siue examinari debuerunt? Primum occurrit Lingonense, cui magna causa, quæ vertebatur in regno Caroli Calui, occasionem præbuit. Anno enim 58. Ludouicus Germaniæ Rex in Caroli fratris regnum cum infesto exercitu irrupit, & nemine obsistente, ad Attiniacum vsque Palatium, per suorum incendia & rapinas peruenit. Inde Caroli Episcopos ad Concilium Remis celebrandum, specie rerum Ecclesiasticarum reparandarum, re autem vera ad eos si posset seducendos, euocauit. Manserunt in fide Regi debita, & iurata, constantes Episcopi, & eius ausus violentos crebris legationibus comprimere studuerunt: quarum prima missa est è Synodo Carisiaca, vt patet ex Epistola Sacerdotalis vigoris & libertatis plena, quam Hincmari opus esse dubitari non potest. Vnus Wenilo Senonensis venerandam hactenus caniciem, & eximias anteactæ vitæ laudes dedecorans, prodito Carolo, ad Ludouici partes se adiunxit. Quod iniquissimè ferens Carolus, anno sequente recuperato Regno, Concilium generale ad Tullum Leucorum indixit, quò proditorem Archiepiscopum in ius vocaret. Coniunxit se patruo Carolus Rex Aquitaniæ, Lotharij Imperatoris filius, & Episcopos suos ad idem Concilium adesse voluit; conueneruntque duodecim Prouinciarum Episcopi. Dum ergo Tullum vndecunque concurritur, instante inchoandæ Synodi tempore constituto, nonnulli eorum qui Valentinam quadriennio antè conflauerant, in Andemantunno Lingonũ, cum eodem Carolo nepote, Rege suo substiterunt, & Synodali consessu de Valentinis Capitulis deliberarunt, qua potissimùm ratione, ea tali tantóque Concilio probanda curarent. Illis siquidem fidei plurimùm Hincmariana responsione detractum sentiebant: vtque feliciter hactenus sub Valentinorum Patrum nomine latuerat Ebbo: ita Valentini Patres plenarij Concilij auctoritate, decretis suis robur, virésque quærebant. Id vt commodiùs securiúsque assequerentur, visum est ea diligentiùs expendere, reuocare ad incudem, sicubi necessarium videretur, corrigere, ne fœdam in tanto Galliæ theatro repulsam paterentur, quam nihilominùs vitare non potuerunt.

V. Annal. Bertin. ad an. 858. & tom. 3. Concil. Gall.

Epistola Synodalis ab Hincmaro scripta.

Wenilonis proditio.

Concilium Patrum Lingonensium.

Distinguitur hæc Synodus à Valentina.

Non hîc disputo, sit-ne Synodus ista, eadem cum Valentina censenda, cuius penè iidem sunt canones. Nam & locus, & causa Synodi, & Episcoporum numerus, & canonum correctio, diuersitatem apertè loquuntur. Ac memini audire Sirmondum, pœnitentem quòd primos canones qui doctrinam spectant, hac in Synodo non descripserit integros, sed ad Valentinam remiserit, inde petendos, quia iidem sunt vtrobique, si quarti correctionem excipias: sic enim meliùs Synodi vtriusque distinctionem declarasset. Nihilominus illa vel identitas, vel similitudo canonum doctrinalium, præter ceteros, ab iisdem Episcopis affectata, liberam nobis potestatem faciet, aut Lingonenses, aut Valentinos sine discrimine prout videbitur, nuncupandi; neque res vlla cogit illos noua cum Carisiacensibus Capitulis collatione retractare. Itaque Synodum istam quæ tangunt priuatim, ea curiosiùs inuestiganda, quod in aliis quantùm licuit, fecimus: qua ex commentatione tuum erit, Lector, iudicare quantùm momenti ad Lugdunensium partes afferat. Nam magno illam æstimat nouus Synodorum arbiter, Præses Dissertator: ego, si eius regulas sequor, ad Pseudosynodum, Conuenticulum, furtiuum, clandestinum, præcipitatum, paucorum Episcoporum & factiosorum, quæ superiùs elogia vidimus, nihil huic Conuentui deesse video, præter leuem aliquam Gotteschalci offensionem. Sed de nomine futilis est quæstio, modò absit contumelia. Rem considero in Hincmaro. *Quæ Capitula*, inquit, *in hoc ipso anno, in Kalendis nihilominus ibidem descriptis, & in suburbio Lingonicæ vrbis, ad instructionem Dominici populi, ipse* (Remigius) *& Comprouinciales Episcopi ediderunt.* Hac in narratione quinque deprehendo, Personas Synodum componentes, locum Synodo delectum, tempus captatum, causam quæsitam, Capitula edita. Ordior à personis.

Hincmar. epist. 2. ad Carol.

Qui Episcopi illam composuerint.

Quinam igitur Episcopi Concilium Lingonense fecerunt? *Remigius, & Comprouinciales Episcopi.* Omnés-ne? Non arbitror, sed abfuisse Lingonensem ipsum Episcopum, Isaac clari nominis virum, qui quia vexabatur ab Anscario quodam Subdiacono, eámque causam ad Concilij Tullensis proximi tribunal deferre cupiebat, verisimile est priùs eò migrasse, vt iu-

Concil. Tullens. ad Sapon. c. 5.

dices de negotio instrueret, & vt fieri solet, sibi conciliaret. Meminisse autem te cupio, Lector, hunc ipsum fuisse olim Parduli Diaconum, in Concilio Carisiacensi primo, quod virgis subdidit Gotteschalcũ. Quin etiam ampliùs, Theutboldum tunc Lingonensem Episcopum eidem interfuisse Concilio, vt facilè tibi persuadeas, contra Hincmariana Capitula non venisse Lingonenses. Aliud quæro de præsentibus. Soli-ne interfuerunt *Remigius & Comprouinciales?* Vide titulum canonibus appositum, *Remigius, Agilmarus, Ebbo, & ceteri Coepiscopi eorum.* Iterum Ebbo nominatus solus cum Archiepiscopis, sine exemplo præteriti. Quidni enim qui maximè & hîc eis collaborauerit? vt meliùs, videas imaginem Valentini. Sed vbi Rodlandus Arelatensis tertius Archiepiscopus, cum suis Coepiscopis? nam neque Catalogo Tullensium Antistitum reperitur adscriptus. Truncam igitur video Lingonensem Synodum, & hac parte Valentina minorem, quæ ipsa satis exilem numerum Episcoporum recensuit.

Locus Synodi. Vbi autem factum illud grande Concilium? *In suburbio vrbis Lingonicæ:* siue, quod eodem redit, *in Andemantunno Lingonum:* intra ditionem quidem Regis eorum Caroli, sed non postulato, quòd sciamus, loci ipsius Episcopi consensu, non procul à loco generalis Concilij, Tullo Leucorum. *Tempus.* Quando factum? *hoc ipso anno in Kalendis*, vel, vt in canonum titulo legimus, *ante quindecim dies* quàm Synodus Tullensis haberetur, hoc est, explicante Sirmondo, *circa Kalendas Iunias:* siquidem *mense Iunio* Synodus Tullensis accepit initium. In itinere, à peregrinis non conuocatis, sed fortè aduectis, puluerulentis, æstuantibus. Tantùm erat in mora periculi! Tanti referebat Prouincias decem à duabus præueniri, in causa ab instituto conuocatæ Synodi penitus aliena, in Capitulis sibilo excipiendis.

Prætextus. Quæ porrò fuit tantopere vrgens, tam rapidè, & vt Dissertatoris verbo vtar, *præcipitanter* prærepti causa Concilij? *Ad instructionem Dominici populi.* Papæ! Non erant idonei decem prouinciarum Episcopi, vt dominicum populum instruerent, nisi priùs ab Ebbone fuissent instructi? Erat opus viatoria illa, & currente Synodo, vt instruerentur? non potuerunt articuli priuatim ab Remigio, vel sociis, tam ardenter *instructionem Dominici populi* sitientibus, proponi aliarum prouinciarum Archiepiscopis, vt eas toti Synodo vellent exhiberi? Ille mos Ecclesiasticus est, nihil vt magnæ Synodo proponatur, nisi minore Synodo ante decretum? Quæ sunt in Synodo illa Tullensi proposita, & statuta de personis, de priuilegio Monasterij S. Benedicti, de negotiis ceteris, ea sunt prioribus Conciliis minoribus antè ventilata, quàm exponerentur? An est quæsita Capitulis illis ex Synodali nomine veneratio & auctoritas, quemadmodum antea Valentinis? O malè consultos Tullenses, prouinciarum decem Episcopos, qui reliqua omnia sibi absque præcedentis Synodi deliberatione proposita, libenter audierunt, cognouerunt, decretis suis terminarunt: hæc sola Capitula, Synodi Lingonensis nomen præferentia, reiecerunt!

Sed ne nugemur in næniis refellendis: prætextus hic est: vera & solida causa, Ebbonis in Hincmarum inuidia, quæ vt Valentinorum Capitulorum compositionem suasit, sic ad eorum exquirendam confirmationem à generali Galliæ totius Concilio impulit, vt in posterum contemptis Hincmari Capitulis, vnius Ebbonis doctrina, in Cisalpinis regionibus floreret. *Vera causa.* Hoc ostendit Synodi præueniendæ ardor, publicè proponendi extra omne Concilij institutum importuna solicitudo, ingens cura vt reiecta in aliam consultationem, actis Synodi saltem admiscerentur; Remigij studium, vt biduo postquam explosa fuerant, Carolo Regi offerrẽtur: affectata, intempestiua, inuidiosa omnia. Quid quòd alterius Synodi quæsitum nomen est, quòd sub Valentinorum titulo excussa tribus Hincmari libris, pretij plurimùm apud rectè sentientes perdidissent? Quid quòd posteriore Tullensi Concilio, eadem factione curatum est, vt postposita Synodica Hincmari Epistola, qua, teste Dissertatore, catholica & Augustini doctrina explicatur, quibusdam aliis capitibus, nonnulli Antistites subscriberent, vt sequens narrabit historia? Quid aliud ista clamant, quàm Ebbonem sempiternum Hincmari æmulum, quotiescunque se dedit occasio, nihil intentatum reliquisse, quò Remensis gloriam, infamata doctrina, obscuraret? Neque satis mirari possum, & dolere, grauitatem suam illi rei commodasse Remigium, & Gratianopolitani artibus, & inani religionis specie deceptum, contra amici, & omnibus venerandi Metropolitani rationes venisse pro æmulo.

Denique, quid in illo cursu, paulò ante Concilium generale, pauci Episcopi fecerunt? *Capitula ediderunt.* *Quæ Capitula condita.* Quæ & qualia? An contra Anscarium Subdiaconum, Sedis Lingonicæ viuo & incolumi Episcopo peruasorem? Id enim & *Dominici populi* exigebat *instructio*: & poterat Regis æquitas iniuriam suo in regno propulsare: & *Concil. Tullens. ad Sapon. c. 5.* dignum erat Episcopis Ecclesiasticæ disciplinæ zelum ostentantibus. Nec longè aberat exemplum, vt quemadmodum Valentiam Episcopi iudicandi ratio traxerat; sic eosdem comprimendi Subdiaconi, & Episcopalium iurium tuendorum causa apud Lingonas tantisper subsistere iuberet. Minimè verò istud gentium. Quia fuit excogitandus Ebboni prætextus ad cogendum priùs Concilium, & Valentia opportunè se obtulit: Lingonas autem necessitate deportati, consilium ceperunt in arena Concilij faciendi, & quam nullo negotio poterant, & fortasse debebant, ad se causam reuocare, in Synodo Tullensi permisere cognosci: vt & hinc manifestè videas, quàm fuerit Ebbonis in hisce molitionibus, recta & sincera mens. Hanc ergo causam si putarunt negligendam, quam Deus vltrò ipsis offerebat, quæ inquam, & qualia *ediderunt Capitula?* Valentina retractata, & correcta. *Mutatio facta in Valentinis.* 1. In numero: nam Valentiæ, tria supra viginti; apud Lingonas non plura sexdecim decreta sunt. Istud tolerabile; cùm è multis certa quædam eligere liberum habuerint, quæ maiori Concilio exponerent ad confirmationem. 2. In innouatione. Est enim illa nouitas, eosdem Episcopos è superiori suo Concilio multos detrahere canones, multos de nouo adiicere. Neque hoc admodum reprehensioni videtur obnoxium, quippe quod libertati conceditur.

Sed prudentiæ zelique fuerat, de prioribus eligere meliora, & *ad instructionem Dominici populi* maximè conducentia, cùm videamus omissa ex Valentinis pulcherrima & vtilissima; conseruata ex aduerso contentionis & rixarum plenissima, quæ maximè suppressa oportuit, vt docuit euentus. 3. In ipsius Valentini textus mutatione, quam in præcipuis duobus canonibus ostendo. Nam è canone 4. detracta est Capitulorum quatuor Carisiacensium censura: & aucta Scoticorũ syllogismorum atrocibus verbis reprehensio. Eam mutationem non tacet Hincmarus, vbi canonẽ hunc quartum, sibi post Concilium Tullense, aliter traditum scribit, quàm acceperat post Valentinum. *De hoc Capitulo quædam adempta inuenimus ex eo quod nobis ante triennium, sicut suprà memorauimus, in Nielfa villa Rothomagensis Episcopij commisistis. Ibidem enim scriptum habetur, Porrò Capitula quatuor, quæ Concilio fratrum nostrorum minùs prospectè suscepta sunt*, &c. At in Capitulo Lingonensi *subtexuit Capitulorum compositor, Porro, inquit, Capitula numero decem & nouem syllogismis ineptissimè & mendacissimè à quodam Scoto conclusa*, &c. Vnde discimus, non Lingonensium minùs, quàm Valentinorum articulorum fabrum & auctorem esse Ebbonem. Præterea Valentinum canonem septimum, quem sibi, Episcopis, Regi perquàm iniuriosum semper existimauit Hincmarus, Ebbo iam Lingonensis, octauo positum loco, verbis aliis, atque alia forma, longè tolerabiliori, concepit: vt nulla iam contumelia Hincmarum pulsare velle videatur, sed vnum eligere Ioannis Scoti vile caput ad nocendum. Factæ sunt igitur & Ebboni, & bonis Valentinis Patribus δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι. Atque vt rectè iudicat post Vsserium Præses Dissertator, *ne Rex ipse Carolus Caluus, qui quatuor illis Capitulis subscripserat, & Hincmarus, qui eorum auctor erat, contentionis & querelæ occasionem sumerent, abstinendum clausula illa, quasi non necessaria, censuerunt.*

Hincmar. l. de præd. c. 30.

Vsser. hist. Gottesc. c. 21. Dissert. c. 40.

Iusta quidem mutatio, sed malè facta.

Hoc tandem est punctum, quod in isto Lingonensi Concilio intelligere non possum; in quo Lingonenses Episcopos aio, Ebbonis instinctu æquum fecisse, iniquè: in leuitatem incidisse, prudenter. Vsserium autem & Dissertatorem, Synodo Lingonensi patrocinari non potuisse, nisi Valentina, illius matre pessumdata. Æquum quippe fuit, Hincmaro famam & existimationem catholici hominis, & ritè consecrati Episcopi, Valentinis canonibus detractam, restitui. Restituerunt Lingonenses, obliterata Capitulorum censura, & contumelioso canone temperato. Id autem intacta Valentinæ Synodi auctoritate fieri non potuit, cuius retractari iudicia, rescindi decreta, corrigi canones oportuit. Retractarunt, resciderunt, correxerunt Lingonenses, sed iniqua præsumptione: contra rationem, quæ non patitur celebre Concilium ab exili conuentu, cui quòd Synodi nomen non eripitur, indulgentiæ est, iudicari. Contra regulas Ecclesiasticas, quæ vetant cuiusuis Concilij decreta, nisi à maiore Concilio rescindi: contra legem Imperatoriam, in Concilio Valentino citatam, *de confirmando iudicio Episcoporum*, quæ licet de causis ciuilibus lata sit à Constantino, in Ecclesiasticis tamen vsurpata semper est ab Ecclesia. *Sanximus sententias Episcoporum quolibet genere latas, inuiolatas semper incorruptásque seruari: nec liceat vlterius retractari negotium, quod Episcoporum sententia deciderit*, ab angusto maximè Concilio, cui nullum ius in maius numerosiúsque competit.

Concil. Valent. in fine.

Fuit, inquis, ipsorum opus canon Valentinus, cur ergo refingendi potestatem negas artificibus? Audio. Et hæc leuitas est, in cursu, præproperè, nulla iusta causa mutare sententiã, conuellere decretum: quod si maturo antè consilio latum fuit, cur modò supprimitur? sin temerè, cur tunc temporis factum? Liuoris & odij est, quòd Valentini Carisiacos damnarunt: leuitatis & temeritatis, quòd Lingonenses Valentinis, hoc est, sibi ipsis fuerunt oppositi. Nihilominus, si potest vitiorum iusta esse aliqua defensio, cautè & prudenter fecisse Lingonenses arbitror. Habebant enimuerò in conspectu tres Hincmari libros, omnium manibus expositos, pro Capitulis Carisiacensibus contra censuram Valentinam fortiter dimicantes. Reperturi erant in Tullensi Concilio Hincmarum, & eius doctrinæ fauentes plurimos: visuri Regem, & Episcopos Synodi Carisiacensis auctores probatorésque, quibus Capitulorum quatuor damnationem in os impingere, non inurbanum tantùm, sed etiam periculosum videbatur. Aliud quippe est membranæ omnium patienti muta verba committere, aliud contrà dicturis coram audacter ingerere. Et quotidie videmus istos sine aduersario Thrasones, Alexandrum inter pocula debellantes, qui ad primum aduersariæ tubæ bombum, pallent, & tremunt totis artubus, leones in pace, in bello cerui. Timuit ergo Capitulis suis Ebbo, si damnaret aliena: præcepit animo quod euenire potuit, accidítque reuera; & crassam offensionem sustulit, quò noceret callidiùs.

Leuitatis nota in ea mutatione.

Vides, Lector, actionis huius festiuitatem, dum grauiter illos reprehendo, qui & sibi maximè incommodant, & causæ meæ plurimùm fauent. Iucundius restat spectaculum Dissertatoris Amplissimi, qui vt Synodum Lingonensem excusaret, grauiùs punitus est Valentinam ob damnatum Hincmarum, quàm quisquam inimicus possit optare. Duo enim de Lingonensibus narrat: veritos ipsos *ne contentionis & querelæ occasio sumeretur* ex censura; & illa *quasi non necessaria abstinuisse*. Ex quibus verbis intelligimus, censuisse Lingonenses, canonem illum censorium *contentionis & querelæ* seminarium esse *non necessarium*. Ergo Valentiæ cùm sederent iidem, *positis in medio Euangeliis in Christi nomine, contentionis & querelæ* sementem iecerunt: in materiâ fidei damnando articulos, *noxios & erroneos*, rem fecerunt *non necessariam*, hoc est, superfluam, fraternæ caritati, & Euangelij regulis repugnantem; quam maturiori iudicio consideratam, sine *Euangeliis, & Christi nomine, contentionis & querelæ* metu censuere tollendam. Atqui si verè eiusmodi fuerunt Capitula, qualia describit censura, quouis metu deposito, obfirmato ad fidem catholicam tuendam animo, vel vsque ad martyrium, si necesse foret, debuerunt generosi illi censores Valentini, damnationem illorum in tanto, támque propinquo Trium Regnorum Concilio, etiam inuitis Rege Carolo Caluo, & Hincmaro, ceterísque *factiosioribus* Episcopis procurare. Fuit

Hac Synodus violat Valentinã.

Lapsus Dissertatoris.

ipsorum zelum prouinciarum duodecim, aduersus paucos *factiosiores* pro exterminandis è regno Christianissimo *noxiis & erroneis* Capitulis animare, & hæreseos surgentis incendium suo cruore restinguere. Hoc sibi faciendum non putant, & *clausula illa quasi non necessaria* abstinent. Fidem ergo produnt, *canes muti non valentes latrare*: vel quod clausula illa continetur, falsum & seditiosum agnoscunt. Eligat Præsidis solertia, vtrum à nobis existimari cupiat: memineritque se iamdudum, pari in causa, eandem infidelitatem Prudentio per incautam fictionem assignasse. Alia non dico, quæ Hincmarus non tacet. Euentum artificij quæro ex historia.

Hincmar. l. de præd. c. 30. cit.

CAPVT XXVI.

De Concilio generali Tullensi apud Saponarias, in quo Capitula Lingonensia, quæ & Valentina, ægrè audita; ad pleniorem discussionem remissa sunt.

Ex quibus Episcopis conflata Synodus.



LTE panzerant, vt videbatur, Valentinas opiniones, Synodi Lingonensis Antistites, & Conciliis duobus, tanquam lorica clypeóque munitus Ebbo, Tullum accesserat, totam aciem Hincmari vno spiritu difflaturus. Cùm mense Iunio celebrata est vniuersalis Synodus, præsentibus tribus Regibus, Carolo Caluo, Lothario, & Carolo eius nepotibus. Sederunt in ea Prouinciarum duodecim Episcopi, nominati quadraginta, *& alij multi*. In quibus Valentinensis Episcopus Ratbertus; Carnotensis Gislebertus, non Burchardus ille; Laudunensis Hincmarus, non iam Pardulus; Isaac Lingonensis, non Anscarius Subdiaconus; Baiocēsis Erchambertus, non Tartoldus Diaconus; Atto Virdunensis exprimuntur, licet hic ad aliam Synodum citetur, irregularis promotionis reus. Et quod magis mirandum est, cùm aduersùs Wenilonem Senonensem, turpissimæ proditionis accusatum à Carolo Rege, Synodus ista maximè celebretur, eiusdem tamen iudicio traditur Tartoldus ipsius Diaconus, qui Baiocassensem Episcopatum temerè inuasit. Sed hæc aliena.

Epist. Synod. ad Wenil.

Concil. Tull. c. 4.

Capitula leguntur in Synodo.

Peractis magni momenti negotiis, quorum summa Canonibus continetur, ventum est ad recitanda Capitula Lingonensia, vt duobus iam Conciliis stabilita, ab hoc vniuersali, per totam deinde Galliam spargenda, admitterentur. Susceperat eam Prouinciam Remigius Lugdunensis, qui nescio qua de causa primus Archiepiscoporum in Epistolis Synodalibus ad Wenilonem Senonensem, & ad Episcopos Britonum nominatur. Quo animo sit exceptus, & quo successu auditus ab omnibus qui Concilio intererant, reuocat in memoriam Hincmarus Carolo Regi, præsenti & spectanti. *Quæ siquidem Capitula in Conuentu Episcoporum, habito in territorio Tullensi, in villa quæ dicitur Saponarias, ante biduum quàm vobis porrecta fuerint, sunt recitata, proferente & deponente ea Synodo Domno Remigio Lugdunensium Archiepiscopo.* Subdit, quod

Hincmar. epist. 2. ad Carol.

modò notabamus, Lingonensia esse, nulla Valentinorum facta mentione, quanquam verè, censura canonis quarti excepta, eadem fuere cum Valentinis: de sex prioribus loquimur, & fidei doctrinam tractantibus. Non sine aduerso murmure & fistula pastoritia, vt ait ille, fuisse audita, docet idem Remensis. *Nam vt verè & nos fateamur, conscientia nostra, super pridem Capitulis, quæ vt diximus, Remigius Archiepiscopus Synodo præsentauerat, recitatis, catholicorum ad memoriam reducentes Doctorum traditiones, non modicè se concusserunt.* Non poterant arridere vel Hincmaro controuersiæ peritissimo, vel iis qui recentem eius librum de Prædestinatione, aut qui Gotteschalci causam aliunde nouerant, propositiones è minuto, & tanquam in Canali Concilio adhuc calentes ab incude, quæ Prædestinatianorum veterum nouorúmque erroribus primo intuitu fauere videbantur. Erant ista secuturæ tempestatis primordia, & quasi prognostica.

Non sine motu audita.

Verùm postquam sequenti die alia iterum Capitula publicè recitata sunt, tum enimuerò zelum catholicum Episcoporum aliqui tenere non potuerunt: sed alij interloqui, alij sibilis pronunciantem prosequi voluerunt. *Et in crastina alia quadam Capitula, de quibus post loquuturi sumus, relecta fuere: super quibus, sicut quibusdam ex fratribus visum est, quorumdam sensus est motus. Vnde nostrorum quidam fidei Christianæ Zelo succensi, aliqua Synodo suggerere voluere.* Tum nonnullis interpositis. *Quapropter quamuis blando sibilo eos quidam charaxare voluerunt.* Genus istud verbi, apud Latinos perquàm inusitatum, interpretor delere, fodicare, probrosis characteribus signare. Nam Hincmarus iunior auunculo suo, scribit in suo pitaciolo verbum quoddam, non fuisse *intercharaxatum*: hoc est, in spatio interlineari scriptum, inferiore deleto. Dixerat autem longè antea Prudentius hymnographus,

Alia Capitula maiore tumultu excepta.

Charaxare, quid?

Hincmar. Laudun. post epist. 35.

Lictor improbus
Charaxat ambas vngulis scribentibus
Genas cruentis, & secat faciem notis.

Prudent. hymn. in S. Roman.

Quare cùm ea vox characteres impressos exigat, idque sibilo fieri non possit, arbitror additum manus motum, quasi lineas ducentium, ad delendos, aut vt aliqui loquuntur, cancellandos articulos qui legebantur.

Moræ nonnihil postulat à nobis locus iste, & factum non oscitanter prætereundum, vt duplicem articulorum recitationem agnoscamus; In priori siquidem à Remigio recitata sunt Capitula Lingonensia: in posteriore *alia quadam Capitula*: duobus id factum diebus: neque satis constat, an non etiam à duobus recitatoribus: nam in posteriore nullius nomen exprimitur. Priori die concussi sunt animi auditorum: sed vltra motum interiorem, & indignationem solo vultu significatam vt exteriùs appareret, nemo processit: sequenti die vocis sibilus additus, & motus manuum deleri cupientium, quæ audiebantur. Ac modestus ille, & *blandus* fuit *sibilus*, qualis viros grauissimos in Concilio sedentes, quantumlibet iratos decebat. Quanquam per Hincmarum licet arbitrari tentatum fuisse, non autem expressum; *Voluerunt* inquit, *charaxare*, non autem, charaxarunt. Vtraque Capitula duabus lecta sessionibus, fusè fideliterque nobis repræsentat Hincmarus in vestibulo libri

Duplex recitatio distincta.

Hincmar. l. de præd. Præfat.

de Prædestinat. cum ceteris quæ accepit scriptis, & quidem sub communi vno titulo; *Hæc Capitula in Synodo Tullensis territorij primò relecta, & à quibusdam fratribus refutata, sequenti autem opere catholicorum doctrina sunt pleniùs confutata.* Sequuntur articuli quinque de controuersis quæstionibus, omisso primo, in Synodo Valentina statuti, correcti in Lingonensi, *Capitula secundo die recitata.* hoc est, erasa Carisiacensium Capitulorum quatuor censura. His eodem tenore subiiciuntur *Sanctorum Patrum de gratia & libero arbitrio sententiæ*, ex libro Lugdunensi dicto, De tenenda Scripturæ veritate decerptæ; vt certò intelligamus has ipsas esse, quæ sequenti die recitatæ, pene tumultum excitarunt in consessu, neque alibi quærendas alias: quæ si forent, certè non omisisset Remensis hoc loco describere, in quem omnia confert, quæ accepit examinanda; & quorum illo in opere mentionem facit. Post hæc, suggerente, vt credibile est, aliquo Hincmarianæ partis Episcopo, sequuta est Capitulorum Carisiacensium recitatio, teste Hincmaro ipso, qui ait, *post lectionem præcedentium in præfata Synodo relecta esse:* nimirum vt de vtrisque certius iudicium ferretur. *Refellitur Vsserius. 1. hist. Gotesch. c. 13.* Miror equidem creditum ab Vsserio, secundam recitationem è Capitulis Hincmari solis conflatam fuisse, siue *quatuor Carisiaca Synodi Capitula altero die relecta esse.* Quæ sanè ridiculum fit putare ab Hincmari fautoribus excepta esse sibilo, & digna iudicata quæ delerentur. Sed stuporem nostrum meretur longè incredibilior, & se ipsam perimens Dissertatoris assertio, *Et Dissertator c. 40.* tribus constans partibus, quarum prima est, dictum illud Vsserij falsum esse, & *Hincmari Capitula in Concilio non fuisse recitata:* in qua repugnantē habet Hincmarum. Secunda, Hincmarum tamen, *in plurimis infidelem, & sic in reliquis nullius fidei, hoc asserere, & innuere* verbis illis: *Et in crastina alia quædam Capitula, &c. quod reiiciendum est.* siue mendacium, cùm illis in verbis eorum Capitulorum ne vmbra quidem appareat: sit autem apertissima illorum mentio in iis quæ modò citabamus. Atque is cùm dicat Capitula quæ profert *a quibusdam fuisse refutata*; necessariò distinguenda sunt Capitulorum genera duo, secundo die lecta, quando sua ipsius Capitula neque refutasse, neque refutari per suos permisisse censeri potest, nisi eadem opera Gottescalci agnomen in se transtulit, vt *stultorum princeps*, & alpha stolidorum voluerit appellari. Tertia pars assertionis est, supradicta verba, *Et in crastina die, alia quædam Capitula*, &c. *Apertissimè superaddita, & postea reliquis inserta apparere; siquidem reliquorum legitimum sensum corrumpunt.* Vnde illa velut reiectitia concludit parenthesi. Quæ nimiùm longè arcessita critica est, fundamento destituta, diuinatio *iugis meditationis, & collationis* partus. Est autem illa fabricata, vt quæ sequuntur, *Super quibus, sicut quibusdam fratribus visum est.* &c. demonstrent, animorum commotionem in Lingonensium canonum lectionem cadere, *vt certissime patebit ex auctoris mente cuilibet mediocriter attento.* Quod & mihi certissimè patere maxima ex parte agnosco, etiam sine diuinatione critica, dum recitationes duas, duplicia, imò triplicia Capitula recitata dico, Lingonensia primùm, deinde Lugdunensis Scripturarij; tum Carisiacensia. Qua narrationis Hincmarianæ nuda & simplici expositione, & textum tueor integrum, & commotiones duas diuersis Capitulis assigno, Lingonensibus solis, leuiorem primo die, grauiorem Lugdunensibus *in crastina.* Quas non video quanti referat Dissertatoriæ litis in vnam confundi, contra mentem & verba Hincmari, *quem vnicum eorum omnium testem habemus.*

§. VNICVS.

Sedati motus Concilij, & eius exitus felix Hincmaro.

QVÆRIS à quibus, & quam ob causam tumultuatum sit auditis Capitulis? *Qui Capitulis illis reclamarint.* Si primam quæstionem ponis tantùm in Lingonensibus, & Lugdunensibus, facilis responsio est, à partibus Hincmari, ab Episcopis maximè Carisiacensibus. Si addis, Carisiaca Capitula verè lecta, aio & ego venisse in tumultum illum partem Ebbonis, dum vtrique pro suis pugnant articulis, & aula tota dissonum murmur, vt fit, diditur: quod paulò copiosiùs edisserendum est ex Hincmaro. Is enim non alios quàm doctrinæ suæ consentientes, primis Capitulis reclamasse significat, cùm ait fuisse *fidei Christianæ zelo succensos.* Dissertator *fructuosiores & fideles Hincmari.* Et hic in eorum numero reponit Hincmarum, & hoc ipsum de se fateri: quod à veritate & à verisimilitudine remotum esse sequens eius narratio declarat, dum se refert, cum aliis rerum peritis motum illum sedasse, prolata Augustini sententia, de quæstionibus vbique priùs sollicitè disceptandis, quàm ad plenarium Concilium perducantur: vt intelligamus saltem de Conciliis duobus Lingonensi & Carisiaco fuisse disceptatum. *Nos tamen plures qui eorum & fidem, & doctrinam, & prudentiam nouimus, minùs in eis ista nescientibus,* (quales erant Regni Austrasiæ Antistites) *sententiam pro dissensione Baptismi de Beato Cypriano, à sancto Augustino conlaudatam sæpenumerò, in libro secundo de Baptismo positam, proposuimus. Quomodo enim (inquit) potuit ista res tantis altercationum nebulis inuoluta, ad plenarij Concilij luculentam inlustrationem confirmationémque perduci, nisi primò diutiùs per orbis terrarum regiones multis hinc, atque hinc disputationibus, & conlationibus Episcoporum pertractata constaret.* *August. Li. de Bapt. contra Donat. c. 4.*

Hæc vis responsionis est, & simul altera quæstio proposita, de causa tumultus. *Quam ob causam reclamarint.* Erant in Concilio non pauci totius controuersiæ gnari; erant aliqui ignari. Cùm audirent vtrique Lingonensia Capitula recitari, rem putauerunt non ferendam: priores quidem, quia cùm opiniones suas haberent pro catholicis, alias primo aspectu repugnantes, non patiebantur asserri, & suum pro veritate zelum declarandū rebantur, quòd meminissent dictum à Cælestino Papa, *Timeo ne magis ipsi loquantur, qui permittunt illis taliter loqui. In talibus causis non caret suspicione taciturnitas, quia occurreret veritas, si falsitas displiceret. Meritò namque causa nos respicit, si silentio faueamus errori.* *Cælestin. epist. 8.* Verbo vno, prodi veritatem silentio, & permissam malè loquendi potestatem, erroris esse participationem. Posteriores autem, sensum suum à quæstionibus abducentes, generalius aliquid indi-

gnabatur, articulos videlicet de rebus fidei proponi, quæ multis leucis aberant à causis, ob quas fuerant conuocati; & proponi ab infirmo & currente Concilio, quod Vniuersalis Concilij mentem, nullo catholico exemplo, quindecim antè diebus anticipauerat: ita magisterium à paucis in multos vsurpari; quasi prouinciæ duæ cum iuniore Rege, vix hactenus ignotæ duces, Prouinciis decem, & regibus duobus vltrò non rogatæ, se præberent. Hincmarus autem, & sedatiores quique, quibus ob Conciliorum frequentiam noti erant duarum prouinciarum Episcopi, motus illos compescuerunt, allegato Augustini exemplo Cyprianum excusantis, quòd suam de rebaptizandis hæreticis sententiam, priuatis Conciliis probandam curaret, conseruata interim cum alia sentientibus concordia: esse enim sæpius examinandum, quod aliquando ad plenarium Concilium referri oportet: liberam in Concilio sentiendi cuique esse facultatem: nihil illos imperare velle Synodo, sed offerre. Auditos in Synodis Generalibus etiam hæreticos; quantò libentiùs Lingonenses istos, catholicos, eruditos, sapientes viros? Ita Remensis noster, dictos Lugdunenses, perpetuos æmulos excusat, & Conciliorum à quibus indignè passus est, contra immaturum fidei zelum, pro caritate patrocinium, animo verè generoso, suscipit. Dum fingit ex aduerso pertinacissimus inimicorum Hincmari Dissertator, motus illos ab Hincmaro ipso excitatos fuisse, & habuisse ad manum quasi stipendiarios Episcopos, *qui in sui gratiam etiam Præsules præstantissimos, non illi consentientes, in plena Synodo sibilo charaxare soliti essent.* Quod antea, quod postea nunquam factum legimus, audiuimus, suspicati sumus; quod Hincmarus aut vetuit fieri, aut inchoatum compressit, hoc inquit, facere *soliti erant.* Et hæc primo die gesta.

Repressi ab Hincmaro.

In crastina autem, cùm posterior fieret recitatio sententiarum de gratia & libero arbitrio, vehementiùs impulsi sunt animi, præterita iam actione ad iracundiam excitati, ad sibilum vsque, & charaxationem quorumdam: non quòd illas in se & absolutè spectatas reiicerent: vt pote catholicas, & è Conciliis, Patribusque collectas: sed quòd eas proponendi modus, in auctore illius libelli, quem Episcopum non fuisse probabiliter coniecimus, tanta ambitione, & aduersariorum, quos facit, contemptu redundat, vt nihil à sapientibus, nisi merum contemptum auferre debuerit. Quippe qui res peruulgatas, & nemini catholico vel negatas, vel ignoratas, tanquam reconditissimam Theologiæ medullam supercilio magistrali, audituris, velut discipulis enunciat: earúmque ignorantiam, imò corruptelam iis falsò exprobrat, qui Carisiacensibus Capitulis subscripserunt. Ad hæc cùm recens accederet Capitulorum Carisiacensium recitatio, & spectata iam omnibus eorum cùm Lingonensibus oppositio & pugna; iámque pro se singuli, vt quisque theologus videri cupiebat, in hanc & illam partem altercarentur, non potuit non existere tumultus sanè importunus, neque is sedari commodiùs, quàm per primos illius auctores. Itaque Remigius Lingonensium recitator, vnde prima mali labes, simul turbas eiusce modi exosus, simul impendentem suis ignominiam metuens, aduerso flumine ventóque remigandum non esse sapienter existimauit; sed fluctuantem nauem alteri malaciæ, quæ proximè occurreret, reseruandam. *Sed motus nostri* (Concilij totius, diuersas ob causas excitati) *ab eodem venerabili Archiepiscopo Remigio Lugdunensium, sunt modestè compositi, eo venerabiliter perorante, vt si quorumcunque nostrorum sensus ab eisdem prolatis Capitulis* (omnibus vtroque die recitatis) *in aliquo dissentiendo, se commoueret, ad proximè futuram Synodum catholicorum libros doctorum quique deferre curemus, & sicut meliùs secundùm catholicam & Apostolicam doctrinam in commune inuenerimus, de cetero omnes vnanimiter teneamus.* Crediderant Lingonenses solam Capitulis suis admittendis moram fore in censura Carisiacensium, eóque obice sublato, venturos statim vniuersos Galliæ Episcopos in suam de singulis quæstionibus sententiam. Sapientiùs Prouinciæ decem, spectata rei magnitudine, & quæstionum obscuritate, præcipitem Lingonensium festinationem obliquè perstringentes, quam & sententia sua coactus est agnoscere Remigius, ampliandum censuerunt. Itaque decretum fecerunt secundùm eiusdem Remigij sententiam, quod & in Caroli Regis Capitula referri voluerunt, in hæc verba. *Relecta sunt denique in eadem Synodo quædam Capitula, super quibus quorumdam fratrum sensus dissentire probantur. Vnde conuenit inter Episcopos, vt, Deo fauente, pace ac tranquillitate recuperata, simul conueniant, & prolatis sanctarum scripturarum, atque catholicorum doctorum sententiis, quæ saniora sunt, concordi vnanimitate sequantur.* Eam in rem concesserunt eadem Capitula Concilij actis inseri: quomodo enim examinarentur ex authentico exemplari expressa, nisi publica auctoritate asseruarentur? Inde igitur ad nos peruenerunt, eáque ad huius Synodi calcem descripsit Sirmondus, cum titulo. *Hæc decreta Synodica obtulerunt eidem conuentui, & Regibus adsidentibus, Remigius, Agilmarus, Ebbo, & ceteri Coepiscopi eorum, qui ante quindecim dies, in Andemantunno Lingonum cum Rege suo Carolo congregati, confirmauerunt,* iam antea Valentiæ constituta.

Vnde maior motus.

Compressus à Remigio.

Concil. Tull. c. 10. Capitul. Car. Calui tit. 25. n. 11.

Non dubito quin animo tuo, Lector, scrupulus hæreat, cùm Remigium vides Lingonensium Capitulorum fautorem, etiam vsque ad eorum recitationem in consessu publico, & oblationem Carolo Regi, velut qui se palam & apertè Hincmari opinionibus repugnantem velit ostentare: cùm tamen & Hincmarus Prouinciæ Lugdunensis Episcopos, catholicos semper existimarit, id est, sibi consentientes: & nos perpetuam Remigij cum Hincmaro amicitiam, Amolonis successore dignum vtrunque, tueamur. Verùm multa possum afferre, quæ illum tibi stirpitus euellant, suadeántque, si Remigius Ebbonis, aliorúmque voluntatibus obsecundauit, vt eam curam in se reciperet, non ideo tamen Hincmari partibus, & amicitiæ renunciasse. Nam in primis vltro & volentem illam prouinciam non suscepisse, docet Hincmarus ipse, sed aliorum precibus inductum: *Percepimus, quia non ex ipsis, vt non dicamus per ipsos, Synodo Capitula ipsa fuere prolata.* Scimus autem publicam legationem obeuntes, non suo semper sensu, sed eorum à qui-

Remigij Lugdunensis excusatio.

bus mittuntur, arbitrio loqui: & Senatores subscribere Senatusconsultis, quibus ipsi priuatim in dicenda sententia contradixerunt. Deinde non nesciebat, obliterata Carisiacensium Capitulorum censura, cuius delendæ fortasse præcipuus auctor fuerat, Valentinis Canonibus grauiter lædi Gotteschalcum, leuissimè Hincmarum. Posse præterea fieri, vt si quis alius eas Synodo, ardentiùs & seditiosiùs exhiberet, flammas excitaret non facilè sopiendas; studendum esse concordiæ & tranquillitati: videre se molles aditus & tempora fandi: modum pariter quò deduci, quatenus progredi negotium deberet. Quæ omnia non temerè credi à nobis, rei ipsius declarauit euentus.

Finis controuersiæ Carisiacensium Capitulorum victoria.

Atque hic propriè finis sine fine controuersiæ ab *vniuersali Concilio* Galliæ impositus est, in quo neutra probata, neutra damnata Capitula sunt: non Carisiaca, quia illorum leuissima facta mentio est: non Lingonensia, siue Valentina correcta, quia ad aliam discussionem remissa, quæ secuta nunquam est. Hoc tamen dedecoris Lingonensibus adhæsit, quòd sine Episcoporum motu & sibilo non potuerunt audiri; hæc gloria Carisiacensibus accessit, quòd alterius Concilij examen metuentibus aduersariis, neque vnquam ausis ea reponere, & Synodalis decreti executionem rogare, ipsa in posterum totâ Galliâ, & vniuersâ Ecclesiâ retenta sunt, neque seculis pluribus de illis dubitatum est. Ita disturbati Ebbonis conatus, cum duobus suis Conciliis; refutati impetus Prudentij cum præcipite sua Tractoria; euulsus Seruato Lupo Synodalem discussionem expectanti scrupulus, non tunc quidem positiuo decreto, sed aduersariorum fuga, quam fidei & veritatis athletæ nunquam inierunt. Ita demum Gotteschalci & Prædestinatianorum deserta funditus causa est, nemine posthac per Gallias, contra Hincmarum, pro vlla Valentinarum propositionum tuenda, auso scribere. Quis autem non agnoscat singulari Dei prouidentia factum esse, vt suorum repulsam Remigius ipse primus sentiret, & auctor foret sententiæ, quam prosequi nemo deberet; ne se Remensium artibus superatam pars Lugdunensis quereretur? Factum autem illud in præsentia Regum nepotum, ne Caroli patrui vim & nimiam potentiam, aut Hincmari tyrannidem in Conciliis aliqui criminarentur: Videntibus tot Prouinciis, tot Archiepiscopis & Episcopis, vt quid, & quomodo apud Saponarias gestum esset, nullam Galliarum partem lateret. Nullus ergo tum dubitauit, quin Remensibus palmam concesserint Lugdunenses, dum à Concilio plenario non auditi, non admissi, seipsos perpetuo silentio damnarunt; intactis alia ex parte Hincmari Capitulis, & ab eo post Concilium, nouo opere, sine contradictione, ad cumulum victoriæ defensis.

Peruersum de huius Concilij exitu iudicium Dissertatoris. c. 40. cit.

Sed hæc omnia longè aliis oculis intuitus Dissertator egregius, superatum esse Hincmarum, damnata Capitula, victores Lugdunenses pronunciat, atque admirabili argumentatione conficit. *Soli canones*, inquit, *Concilij Valentini & Lingonensis lecti, publicati, & actis Concilij Tullensis inserti sunt, & sic confirmati.* Imò remissi, neque omnino publicati, licet publicè lecti. Nam quomodo auditi? quo decreto confirmati? *Capitula illa quatuor* (Carisiaca) *tacitè reprobata, saltem donec aliter fuisset definitum.* Profectò tacitè, quorum censuram sustulerunt Lingonenses, ignorarunt Prouinciæ decem, Concilium nullo verbo attigit. *Reprobata*, inquit. Imò tacitè confirmata, reiectis expressè Valentinis, *donec aliter fuisset definitum*, post accuratum examen. Atqui, *nunquam aliter definitum.* Ergo nunquam *confirmati canones Valentini*, nunquam reprobata Capitula Hincmari, de quibus *nihil prouisum*, in Tullensi Concilio, vt ipse testatur. Et hoc venustum. *Hincmarus*, inquit, *non amplius ausus Conciliis sequentibus Episcopos excitare, vt sua Capitula iam sæpius reprobata, probarent & confirmarent.* Quid istud est, *non ampliùs ausus*, qui nunquam tentauit? Dic illud de Lugdunensibus, qui omnem conatum adhibuerunt. Vtrius autem fuit, Conciliis sequentibus Episcopos excitare, vt Capitula sua probarent? Hincmari, qui nihil rogauerat, nihil obtinuerat? An Remigij, qui legerat vt confirmarentur, & tantùm obtinuerat, vt ad examen remitterentur? Si nullus in eis fuit næuus, cur timuit Ebbo excutienda offerre? Si fuit, cur non timuit offerre confirmanda? Quale porro istud, quàm verum, Capitula Hincmari *iam sæpius reprobata?* Numera quoties? ede à quo Concilio reprobata? à Valentino, inquis. Perge sodes. A Lingonensi. Quid ais? memorem te volo. Dixisti hos ipsos Lingonenses, antea Valentinos, *abstinuisse clausula illa quasi non necessaria.* Ergo non reprobarunt. Quid posteà? à Tullensi? At fateris *de quatuor illis articulis nihil prouisum esse.* Non ergo in eo reprobata. Hoc est ratiocinari? Quantò validiùs Hincmarus, si quid fidei oppositum in Capitulis assereremus, secundùm leges Ecclesiasticas, debuerunt Episcopi *nos compellare, & tunc Synodali iudicio nos nostrásque sententias à sua communione explodere.* Hoc Tullenses auditis iis, quos aduersari nobis nouerant, non fecerunt; imò potiùs illos exploserunt: ergo nihil de nobis sinistrum cogitarunt. Ac demum concludis, & operculum adiicis patella dignum. *Et sic*, tali sententia Concilij quam vidimus, *Canones illi vtriusque Concilij, Valentini & Lingonensis*, sibilis Episcoporum excepti, *reiectis illis quatuor spuriis & illegitimis Hincmari Capitulis*, de quibus in Concilio nihil credis auditum esse, *auctoritatem legitimarum definitionum, & decretorum Synodalium semper retinuerunt.* semel correcti, iterum reiecti, nunquam admissi: doctrina Capitulorum Carisiacensium in Ecclesia Catholica, in posterum semper florente.

Capitula Carisiaca non sunt repudiata.

Capitula Valentina non sunt admissa.

Hincmar. epist. 2. ad Carol.

CAPVT XXVII.

Hincmarus acceptis statim à Concilio Capitulis Lingonensibus, posteriori opere de Prædestinatione satisfacit.

Consilium Lingonensium intercidendis Capitulis.



NATVRÆ deficientis indicium est nisus valido similis, dum eodem impetu vires omnes perdit, quo colligit. Hic conatus est, in quo pars Lugdunensium victa succumbit. Existimarunt quippe prudenter, non esse tentandam sibi apud Concilium pacatum & eruditum,

tum, certaminis aleam cum Hincmaro, quo remissi erant à Tullensi; Capitula sua meliùs in dubio relinqui, quàm curiosiùs inspici; Hincmarum solum lacessendum, quem erat credibile post tres libros *lacinioso sermone* scriptos, ex lassitudine quieturum: hoc verò silentium, probabilem apud suos fugæ speciem præbiturum. Constituunt igitur inter se Capitula in Concilio recitata, non expectata Synodo alia cui addicebantur, præcipiti festinatione Hincmaro per Carolum Regem offerre, vt iis priuatim, citra collationem & disputationem respondeat. *Quæ siquidem Capitula, in conuentu Episcoporum habito in territorio Tullensi, in villa quæ dicitur Saponarias, ante biduum quàm vobis porrecta fuerint, sunt recitata.*

Hincmar. epist. 2. ad Carol.

In hac traditione nonnulla obseruata.

Hæc est secunda Capitulorum traditio, posterioris operis de Prædestinatione parens & causa, cuius cùm tempus sit in aperto, ceteras circumstantias non minùs notas habemus ex Hincmaro. Factam videlicet illam, non ampliùs ab Ebbone, sed à Remigio Lugdunensi, & iussum à Carolo Rege Hincmarum, illis denuo respondisse. *Nuper elapso mense Iunio*, quo celebratum fuerat Concilium ad Saponarias, *dedistis nobis quædam Capitula, sicut nostra dixistis humilitati, à Remigio Reuerentissimo Lugdunensium Archiepiscopo vestræ porrecta sublimitati, iubentes vt tempore congruo de his vobis redderemus responsum, si vnanimes vno ore eorumdem Capitulorũ sensui concordaremus? An quia vobis à cana patrum fide in quibusdam dissentire videbantur, noster sensus, quem à Catholico tramite non deuiare credebatis, ab eis in aliquo dissideret.* Qua ex narratione primùm discimus, non publica Concilij auctoritate, sed priuata voluntate, aut vt summum, Lingonensium Patrum, qui quot, quive fuerint, præter tres nominatos, nescimus, impulsu hæc Capitula fuisse à Lugdunensi tradita: quod factum non ignorasset Hincmarus, si decretum esset in Synodo; neque credibile est decreturam Synodum, vt Regi potiùs, quàm Episcopo traderentur. Deinde, quæ fuerit Caroli Regis Christianissimi, de eorum doctrina opinio; non fuisse videlicet ad omnes antiquæ fidei, & veterum Patrum articulos exactam. Ex aduerso rectæ & orthodoxæ fidei testimonium Hincmaro dedisse, sensumque illum huius controuersiæ occasione declarasse. Quod omnino regis animo tam altè non insideret, nisi eadem esset omnium toto Regno Episcoporum opinio, (Prudentium semper excipio) qui si aliud nôssent & sentirent, ab ea existimatione regem sine dubio abduxissent. Tertiò, iussum à Rege Hincmarum mentem & manum denuò ad respondendum his articulis adiunxisse, idque fine duplici, tum vt Remigio & Lingonensibus satisfaceret; tum vt Regem ipsum, & in eo regnum totum in *cana patrum fide* confirmaret. Alium inferiùs causam addit, vt eorum articulorum conditorem refellat. *Quis verò sit istorum Capitulorum compositor, cui quasi à nouo cogimur respondere, ipse se prodet*, &c. Audis *cogimur*? Non regio solùm imperio, sed etiam infinita importunitate aduersarij, vt indefessi, sic fatigare conantis. Addi potest ad cumulum, Lectorum vtilitas, qui hoc in opere perspicuam breuitatem reperturi sunt, prioris prolixitate defessi, vt inferiùs dicenda monstrabunt.

Ibid.

Hincmari recta fides agnita.

Quare Capitulis responderit.

Ibid.

His ergo Capitulis (siue Lingonensia, siue Valentina vocare malueris) ab Remigio per regem acceptis, vt eiusdem regis voluntati, & aduersariorum importunitati satisfaciat Hincmarus, libro posteriori de Prædestinatione respondet, quem præ manibus habemus, quique tam sæpe laudatus à nobis est, vt quicquam modò addere pene superfluum videatur. Audiamus tamen auctoris de opere suo iudicium. Ostendit in primis se ex imperio contradicere aduersariis. *Contra eos quibus à vestra dominatione, pro imposito nobis ministerio, iussi sumus reddere rationem, contra hæc tantùm Capitula, quantùm ex nobis est, cum omnibus pacem habentes, simpliciter respondere curabimus.* Fuit enim prius opus fastidiosæ prolixitatis, & epitomen postulat: *Vt cui fortè illa legere non licuerit, vel non libuerit, hic compendiosas pro tempore Capitulorum responsiones inueniat.* Et hîc lepidum illud est, quòd isti compendio, aliud quoque compendium ad extremum superstruit, Epilogi nomine, quod ab octauo supra trigesimum capite incipit. Quàm multa in tot scriptis eadem de materia superfluere, quàm crebrò repeti, quàm frequenter inculcari necesse est! Cruda autem scriptorum antiquorum frusta, & velut materiam inelaboratam, sine expositione, sine reflexionibus, vt vocantur, iniici vt plurimùm & videmus legendo, & ex auctoris monito discimus. *Quas furatis horulis, à diuersis occupationum distensionibus, qui cogitationum ferias non habemus, sicut de sententiis sanctorum Patrum accepimus, ne torpore, vel inobedientia à vestra denotaremur christiana deuotione, committere schedulis tumultuario sermone studuimus.* Quod licet non moneret ipse, satis tamen ostenderent maculæ nonnullæ, non esse ductum opus continente spiritu, & perenni commentatione, sed temporum spatiis, & variis curis interruptum, adeòque tumultuarium. Exemplum sit in primo canone Valentino, quo producto, & refutato ampliter, ceteros canones expectanti Lectori, derepente Capitula sua ingerit confirmanda. Sic post multa, de Capitulo quarto prolata, interiecta Capitulorum Ioannis Scoti mentione, redit iterum ad Capituli sui quarti materiam, & diutiùs in ea consistit. Omitto crebras Capitum ipsorum interruptiones, ex iniectu quæstionum minùs necessariarum, quæ videri possunt inferciendis auctoritatibus quæsitæ. Quales sunt de diabolo, de Antichristo, de Romanæ Ecclesiæ primatu. Neque ista locorum congeries, quæ paginam vtranque facit, vel operi, vel Hincmaro publicis negotiis distento peculiaris est, quum Prudentius in otio litterario eius formæ Epistolam Ad quosdam fratres scripserit, in qua præter struem & aceruum auctoritatum pauca legimus. Distinctior tamen opere priori liber hic esse dicitur, & aptiùs doctorum sententias Capitulis applicare, cum refutatione aduersariorum. *Sed in hoc maximè, benigno lectori nos satisfacere autumamus, quia singulorum singulas semper ponentes sententias, singulariter ad obiecta, & resistentia fidei respondere studuimus.* Vt hinc etiam intelligamus, partum opere priori tædium esse Lectori, non *lacinioso* tantùm *sermone*, sed etiam rerum confusione, & & stili obscuritate. Vtri autem operi conueniat

Illis respondet libro de Prædestinatione.

Qualis sit ille liber.

Ibid. c. 8.

C. 16.

C. 32.

C. 27.

C. 24.

Opere priori distinctior.

Ee

quæ sequitur excusatio, non facilè dixerim. *Et vel in hoc solo deuotum quemque Lectorem nobis conciliari confidimus; quia cùm ex sua mente nostrum laborem perpenderit, nos apud se excusatos habebit.* Nimirum opus laboriosius, quàm ingeniosius, diuturnum studium, & indefessam veterum Patrum lectionem desiderat, quam in otio assequi non licet omnibus, in summa & difficillima perturbatissimi tum regni administratione, vel exprimere paucis cõcessum est: vt iam non excusari à beneuolo Lectore debeat Hincmarus, tam perplexi laboris ergo, sed potiùs ob collectam à longo doctrinam laudari.

Hic postremus est omnium in Gallia de controuersia librorum.

Hæc pauca de libro non modico, cuius duplex prærogatiua est; altera, quòd in vices publicæ & Synodalis discussionis, volentibus aduersariis, successit: altera, quòd impetus Lugdunensium repressit in posterum, eósque ad silentium adegit, factus ipse tantæ contentionis terminus, & opus extremum. Quod velut præsagiens Remensis post Capitulorum probationẽ, aduersariis insultat identidem, & quasi de parta ex illis victoria triumphum canit. Lubet tædij leuandi causa, nonnulla ex eo cantu excerpta huc inferre, quibus hostes veritatis verè fugatos cognoscimus, qui talia iactantem taciti audierunt. Primo enim de suis Capitulo, ad Patrum verba & doctrinam relato, sic subiicit. *Accedant reprehensores, & oppugnatores nostri, imò impugnatores, sed non expugnatores rectæ fidei, & afferant vngues acutissimos, cum subtilissimis acubus, & in morem fœminarum acupingentium, extendant, & diuersis coloribus prauorum sensuum suorum diuariare, atque decolorare Capitulum istud attemptent: & vbicunque vel in solo verbo, quantò magis in sensu, orthodoxæ fidei, ac catholicorum Patrum doctrinæ aduersum, vel diuersum inuenerint, minutatim transpungant. Quòd si inuenire nequiuerint, malitiæ suæ mucrone perfossos, & victoria veritatis confusos, atque redargutione ipsius Beati Augustini atque Prosperi, quorum se dictis victores iactabant, verecundiæ rubore perfusos intelligentes, nos carpere desinant, & sano intellectui manus donent.* Et aliquantò post. *Dicant obtrectatores nostri, quid discors, vel obuium, siue deuium inuenerint istis sanctorum Augustini, Gregorij, atque Prosperi dictis, in Capitulo à nobis excerpto. Et si non possunt dicere, manifestum est maluisse illos maledicere, quàm verum dicere.* Ita prouocati Lugdunenses, silerent videlicet, si quid vel ad speciem possent opponere? Ex quibus autem opponere? Augustino atque Prospero, quorum perpetui buccinatores esse contendunt. Ac deinde in secundo Capitulo sic triumphat. *Hinc quoque quilibet columbino oculo intendens, quæ proposuerunt sancti Patres nostri,* (Cælestinum, Synodum Arausicanam, & fusè Prosperum citauerat) *& quæ subsecuti sumus, & non accipitrinis vnguibus carpere fraternam & innoxiam simplicitatem quærens, videat quæ licet breuioribus verbis, propter minus capaciũ, minúsque studiosorum inertiam, contexuimus, à reuerenda, & veneranda, atque catholica prolixitate tantorum doctorum, nec in aliquo deuianimus: cùm constet, quia quicunque nos venenato dente rodere sine causa maluerit, se maliuolum, & non nos non catholicos comprobabit.* Vel sic lacessiti debuerunt à se liuoris & maleuolentiæ crimen amoliri, & ostendere pro fide & veritate catholica pugnantes, reperisse Capitula ipsius *inutilia, noxia, & errorem veritati contrarium* asserentia. Cuius auctorem censuræ sic priuatim compellat, inter cetera inferiùs, *Et si cum tali sententia ad illum iudicium veneris, scias pro certo, quia non claua herculea, sed quæ ampliùs pensat, Apostolica ferula, talem in capite ictum accipies, vt vix, aut nunquam vlteriùs iam resurgas.* Et ista venerabilis Ebbo patienter accepit. Breui demum antedictorum omnium ἀνακεφαλαιώσει in Epilogum suum sic ingreditur. *Quoniam quidem longè superiùs quando, & vbi, & vnde hæc Prædestinatiana hæresis exorta, & per quos ac qualiter reuicta sit monstrauimus, & Capitula nuper in Synodo secus Leucorum ciuitatem relecta, aduersùs veritatem falsò compilata, scripturarum & catholicorum auctoritate ostendimus; quatuor nihilominus Capitula contra Prædestinatianos nouiter reexortos, quibus hoc præter opusculum quo ista excepimus, tribus libellis respondimus, ex Patrum dictis collecta, orthodoxæ fidei congruere, eadem auctoritate docuimus, quódque omnis hæresis semel reuicta, cum auctoribus ac sectatoribus suis perpetuò sit damnata, & non viritim in quæstionem suscipienda, sed mox vt in sibilum caput leuauerit, conculcanda, & ipsi eius anhelitus comprimendi: qualitér-ve à quacunque hæresi resipiscentes suscipiantur, vel si permanserint, desipientes anathematizentur, ex decretis diuinitus promulgatis collegimus,* &c. Hæc, quæ aliud agendo, subiectam libri materiam nos edocent, legerunt absque dubio superstites Remigius, Ebbo, Prudentius, & siluerunt, licet remissi ad Concilium, admissi à Rege Carolo, prouocati ab Hincmaro: ergo se causa cecidisse, tacendo clarè demonstrarunt.

Aduersariis Hincmarus insultat. c. 16.

Augustinus & Prosper stant pro Hincmaro.

Ibid. c. 22.

Inuidia in Hincmarũ.

Ibid. c. 35. siue Epil. c. 1.

§. VNICVS.

Quædam obseruationes in huius operis lucubrationem breuiter excutiuntur.

QVOD igitur ætas illa flagrante adhuc aduersùs Hincmarum inuidia, tot Lugdunensibus referta, tot Conciliis redundans, tanto animorum æstu agitata non vidit; quod deinde tot seculis etiam post Wicleffi vesaniam posteritas non induxit in animum, vt hanc lucubrationem Hincmari, in gratiam Gotteschalci, & Prædestinatianorum lancinaret, hoc nuperrimè placuit aggredi Præsidi monetario, vt infensior quàm Ebbo, eruditior quàm Remigius, potentior quàm vniuersa Lugdunensium factio videatur. Is enim neglectis plurimis hoc in opere, quæ docti & curiosi Lectores perlibenter ediscunt, ne quid inimicus Gotteschalci laudandum scripsisse credatur, pedem reprimit à libri penetralibus, & in exterioribus examinandis suo more subsistit.

Primus hunc libri carpit Dissertator. c. 42.

Tempus primùm indagat, quo tempore, & quandiu scriptus sit hic liber. Rem sanè magnam, & Christianæ reipublicæ oppidò necessariam! Cœptum ait anno 860. idque probat *ex principio præfationis eius*, quod sic refert. *Nuper elapso mense Iunio per indictionem septimam anno Incarnationis Dominicæ 859. dedistis nobis quædam Capitula.* Et circa medium. *Hæc eadem namque Capitula, sicut facilè reminisci potestis, ante triennium nobis sub titulo, quasi in Valentina Synodo*

1. Male tempus notat quo inchoatus est.

conscripta fuerint, *dedisti*. Id factum anno 866. ergo *elapsum triennium hoc anno ineunte contigit*. Quid hoc monstri? annum quinquagesimum nonum in auctore legit, & ex eo describit historica Dissertatio, & eadem Dissertatio chronica sexagesimum notat, quo vult tantùm inchoatam scriptionem. Ac vide, Lector, glossam Priscianis & Donatis ignotam. Conuenit inter nos Concilium ad Saponarias celebratum fuisse anno 59. mense Iunio; Capitula Lingonensia porrecta fuisse Carolo Regi vel statim à Concilio, vel ipso adhuc durante, biduo postquam lecta sunt publicè per Remigium, & Concilio proposita: hæc eadem à Rege Carolo commissa fuisse Archiepiscopo Hincmaro. Hîc quærimus, quando commissa? Respondet Hincmarus. *Nuper elapso mense Iunio anno* 859. data, inde concludit Dissertator, ergo anno 860. cœptus est liber quo refelluntur. Imò quod magis mirum est, mensem hunc *Iunium nuper elapsum* interpretatur anni sexagesimi, ex altero dicto, *ante triennium*, videlicet *elapsum*, vt ab Ebbonis legatione anni 56. ad Capitulorum Lingonensium traditionem solidos annos tres præteriisse, & anno demum quarto ineunte lucubrationem suam esse auspicatum credat. Quod si vellet Hincmarus, si annum diceret sexagesimum potiùs, quàm vndesexagesimum, Latinè scriberet, *ante quadriennium*, aut *elapso triennio*. Quid verò causæ potuit intercedere, cur aut Carolus Rex porrecta sibi à Remigio Capitula totum annum seruaret; aut Hincmarus ab eo tradita reconderet in arcam, vir in hoc contentionis genere non patientissimus? Quis putet hominem vehementer occupatum, & cogitationum ferias non habentem, tanto scribendi œstro fuisse percitum, vt simul & hanc de Prædestinatione, & aliam de Diuortio Lotharij & Teutbergæ, maximi ponderis lucubrationes duas aggrederetur? Nam de Diuortio scripsisse anno sexagesimo, quo duplex Synodus Aquisgranensis super ea re habita est, tradit Sirmondus in chronica Synopsi ad Hincmarum: idémque consultè hoc opus de Prædestinatione ad annum præcedentem refert, quem & nos secuti sequimur.

Sirmond. Synops. chron. tom. 1. Hincm.

Quantùm verò temporis in eo perficiendo consumpserit, solita subtilitate diuinat: *duobus, aut tribus annis* elaboratum librum, *anno* 863. *tantùm* fuisse *perfectum*. Quod quia vel nouum nobis, vel ipsi vtile est, tribus probat rationibus, quarum priores duæ, ad stabiliendam tertiam excogitatæ sunt. Prima est, Hincmarum sua ipsius confessione fuisse occupatissimum, & furatis tantùm horulis tumultuarium opus construxisse. Sed hæc ratio neque opus istud duos aut tres annos protractum, neque tantùm 63. anno perfectum fuisse conuincit; neque huic libro peculiaris est. Nam priori operi de Prædestinatione, annos duos tribuit, ex sola concinnandæ chronologiæ libidine, sine teste, sine causa, præterquam ab occupationibus petita: quæ cùm apud regnorum administros, quorum ordinem ducebat Hincmarus, non semper accrescant, quæro ex diuinatore Præside, cur *volumen ingens plures continens libros*, duobus annis ab Hincmaro sit conscriptum, hic autem liber longè exilior, & magnam partem ex priore arctatus in epitomen, à magis exercitato, & his quæstionibus auctoritatibúsque pleno, non nisi tribus annis perfici potuerit? Quæro item, cur Remigius recens suscepto Archiepiscopatu, his controuersiis nondum innutritus, trimestri spatio librum de tribus Epistolis; & eius appendicem, librum alium qui dicitur Absolutio quæstionis, ipso Dissertatore auctore scribere potuerit; tres autè anni fuerint Hincmaro necessarij ad librum non multò grandiorem, minúsque laboriosum? Quid? postquam Flodoardus tot insumpsit capita in nominandis copiosissimi & luculentissimi ingenij fœtibus, ad extremum professus est imparé se omnibus recensendis, quo iure fingimus libris duobus compilandis quadriennium fuisse necessarium? Equidem in posteriore, de quo agimus, nihil admodum video vel ita reconditum ad eruditionem, vel elaboratum indústria, vt inuitis etiam occupationibus, minùs anno non debuerit confici. Atqui à primo Tullensi Concilio ad Saponarias, in quo accepit Capitula Lingonensia, ad secundum apud Tusiacum, in quo expendenda fuerant, si Lugdunensibus placuisset, mensium sexdecim spatium interiacet, quo nulli dubium esse debet, hoc quicquid est operis lucubrari potuisse, vt deinde expeditior ad tractatum de Diuortio Lotharij progrederetur, quem ante secundum Tullense Concilium inchoari potuisse non credo, vixdum adhuc nascente controuersia.

2. *Male triennium eius lucubrationi tribuit.*

Dissertat. c. 39.

Ibid. c. 32.

Secundo argumento, quadriennium lucubrationis istius, sic probare contendit idem qui suprà Dissertator. *Auctore Flodoardo, cùm hanc dependere satagebat defensionem, scripsit Nicolao Papa* Hincmarus per Odonem Beluacensem Episcopum. At hæc Odonis Legatio Romam sub finem anni 62. vel initio an. 63. contigit, ergo liber iste, qui est illa ipsa dicta defensio, non ante an. 63. perfectus fuit. Respondeo, vehementer mirari me, ab eo qui tempora conetur dinumerare, & singula suis annis reddere, cum magna historiæ perturbatione opera duo cõfundi, nulla inuicem cognatione deuincta: hunc nempe librum, cum epistola ad Nicolaum Papam, quæ omnino non extat: opus autem istud non Pontifici Nicolao, sed Regi Carolo inscribitur, éstque prolixius, quàm vt ratio fidei reddita censeri debeat. Neque Flodoardus vnquam librum hunc nostrum dixit, illam esse defensionem, quam satagebat dependere: imò manifestè distinguit, quando eodem capite, post memoratam fidei catholicæ defensionem ad Nicolaum, subiicit prioris operis in tres libros diuisi mentionem, cuius epistola recitata, sequenti statim sectione de isto posteriore sic agit. *Item aliud edidit volumen insigne ad eundem Regem, contra præfatum Gotteschalcum, & ceteros Prædestinatianos, de quo huiusmodi ad ipsum scribit Epistolam*. Quæ est hæc nostra, *Nuper elapso mense Iunio*, ad vmbilicos recitata. Quare nostra non interest cognoscere quandonam defensionem illam Nicolao Papæ dependerit, quæ cum hoc opere commisceri, nisi ridiculè, non potest.

Perperam vtitur auctoritate Flodoardi. l. 3. c. 15.

Ibid. c. 16.

Tertia ratio in morem obseruationis proponitur à Præside, éstque, meo iudicio, & inquisitionis istius, & inuentarum antè rationum scopus præcipuus, Prudentij defensio, quòd Hincmari Capitula, quibus ille subscripserat, impugnarit. Sic ergo solita in Hincmarum reuerentia loquitur. *Licet Hincmarum perfrictæ frontis hominem*,

3. *Male hinc probat librum mortuo Prudentio scriptum esse.*

nullis mendaciis & fraudibus, quo auctoritatem & sententiam suam adstrueret, parcentem, præcedentia, & quæ insecuta sunt, plenissimè euincant: nihilominus vix credere valemus adhuc superstiti Prudentio, imperterritæ virtutis Præsuli, ausum fuisse Hincmarum impingere, quod quatuor suis Conuenticuli Carisiacensis Capitulis subscripsisset, & ob tractoriam suam oppositum adstruentem, Censuras Canonicas incurrisset. Hac certè calumnia seuerissimam, sed legitimam tanti Præsulis, quem ille terrore magis, quàm amore prosequeretur, censuram non euasisset. Relicto tanto eloquentiæ apparatu, φιλοσοφικωτέρως argumentum sic formari debet. Post mortem Prudentij, quæ contigit anno 861. scriptus est liber, ergo non ante 63. perfectus. Probatur antecedens. In eo Prudentium calumniatur, ergo iam mortuum. Probatur consequentia. Fortis fuit & imperterritus Prudentius, & illi calumniæ strenuè respondisset: Prudentium timebat Hincmarus, non amabat, (sic enim interpretor latinitatem nouam, *terrore magis quàm amore prosequi*) ergo non est credibile ausum fuisse Hincmarũ ipsi tale crimen impingere dum viueret. Videre mihi videor zelotas istos cum oculis emissitiis, auribus ad omnem nouitatem arrectis, calamo semper & papyro armatos, sacramento dicto, ne quid elabi sinant ex oppositis, ne postremi sileant de controuersia. Ad eum modum heroa Prudentium nobis pingit Dissertator, tremendum Hincmaro, si audet hiscere, micantibus digitis ad repetendum, si vulnus infligit. Hîc verò armis illis opus non est, sed inuicta mentis in tuenda fide constantia, quam Prudentio deesse potuisse fatetur patronus, si Capitulis Hincmari *suprema vi quæ in constantem virum cadere possit, coactus subscripsit.* Sed neque id video, cur tantopere timendus Hincmaro fuerit Prudentius? cur hoc libro Prudentium compellare veritus sit Hincmarus, aduersùs quem antea librum alium scripserat ad Carolum, vt antea narrauimus? De calumnia iam purgatus est Remensis. Ostende tu modò quo verbo, quo signo demortui Prudentij memoriam criminari deprehenderis? Nam ego tibi viuum adhuc tunc temporis repræsento, ex eo quòd dicitur regulas & instituta transgressus esse quæ habet cognita, ex quibus ad pœnitentiam reuocatur, quod mortuo non caneret: vocatur adhuc venerabilis Episcopus, vt Remigius, & Ebbo, aliique superstites, cùm de Heriboldo defuncto dicat, *quondam venerabilis*, vel *venerandæ memoriæ.* Neque verò generositas Hincmari vlli vnquam mortuo insultauit: Ebbonis fuit in libello de tribus Epistolis Amalarij manes inquietare: ne Gotteschalcum quidem, post narratã eius mortem, duriùs appellauit Hincmarus; quid causæ fuisse dixeris, cur aduersùs Prudentium solum mortuum iras exerceret? Quamobrem fictitia est procrastinati, & tamdiu protracti huius operis chronologia, & omnino credendum, maturè satis confectum esse, vt suam in eo notam legere posset Prudentius. Ad illa verò quid, aut vtrum responderit, prophetæ est certò referre.

Dissert. c. 33.

Flodoard. l. 3. c. 18.

4. Malè probat præcipitanter fuisse compositum.

Post ventilatum huiusce lucubrationis tempus, ad modum scribendi descendit Præses Dissertator, obseruátque, præcipitanter editum, postea correctum & emendatum ab auctore, idque illum testari in Præfatione ad Lectorem: *vt quoniam de ipsis schedulis Notariorum, ante emendationem, instante Domino nostro Rege Carolo, celeritate illud transcribi fecimus, & idcirco in locis plurimis eradi, & emendari quædam necessitas compulit: si nacta occasione aliquis æmulus rectè hinc eraserit, & fortè praua superinduxerit, aut scriptorum imperitia secus transcripserit, alienum nobis errorem non imputent.* Eius mutationis pars est, clausula de recitatis in Concilio Tullensi Carisiacis Capitulis in Epistola ad Carolum interiecta; éstque grauissima coniectura, ad eam quoque pertinere, quæ de falsa illa Prudentij subscriptione, post eius mortem commentus est Hincmarus, cuius aliis locis satis commodis non meminit. Respondeo, dubitari posse sit-ne hæc obseruatio noua, an probatio superioris assertionis, de impacta Prudentio calumnia. Quicquid credideris, Lector, leuis est momenti, cùm nihil recens edoceat de opere, quod furatis horulis sermone tumultuario schedulis commissum esse fatetur auctor; in quo *eradi & emendari quædam* mirum non est, cùm in accuratissimis scriptionibus lituras, inductiones, superinductiones, vt loquuntur, infinitas facere, cultissimorum & eruditissimorum consuetudo sit. Quanquam si diligenter attendimus, neque graues illas emendationes significat Hincmarus; neque se de authentico, verùm de transcriptis exemplaribus vult intelligi. Est enim eius talis excusatio, post dictatum opusculum, & à Notariis exceptum, tanto ardore postulasse Regem vt in publicum prodiret, vt priùs illud ab Amanuensibus transcribi iuberet, quàm mora daretur ad autographum percurrendum, & si quid vel dictanti perperam excidisset, vel ab antiquariis malè foret exceptum, corrigendum. Quamobrem necesse fuisse in ipsis exemplaribus eradi multa & emendari: quibus lituris posse abuti æmulos ad peruertenda & corrumpenda plurima, tanquam ab auctore ipso cum ceteris emendata. *Emendata* inquam & *erasa*, non superaddita, & intrusa, quibus verbis auctor non vtitur. Vt illæ de recitatione Capitulorum, & de Prudentij retractatione additiones, falsò excogitatæ intelligantur, cùm lecta hæc Capitula verè fuisse viderimus; & ridiculo argumẽto probabile faciat aduersarius, quod ait, de superaddita post Prudentij mortem calumnia. Hæc enim vis eius est. Vbicumque se dedit occasio, illud de Prudentio non scripsit in hoc libro Hincmarus, ergo verum non est, sed posteriùs ad calumniam superadditum. Satis nimirum non fuit bis narrasse, & superadditum censeri potest caput operis septimum & tricesimum, quo regulæ Ecclesiasticæ referuntur, contra quas ea leuitate peccauit Prudentius.

Hincmar. Præfat. ad lect.

Responsio.

Et hæc in illa *celeritate* contra Hincmarum videant luscitiosi; ego in eadem pro illo sanis oculis lego 1. Non eam fuisse Hincmari hoc in opere componendo tarditatem, triennio tantùm aut quadriennio definitam, qualem fingit Dissertator. Tanto siquidem spatio & autographum suum emendare, potuisset auctor; & ex emendatissimo exemplaria correcta sumere antiquarij. 2. Immensam Caroli Regis cupiditatem ad opus istud edendum publicè, siue ob vtilitatem, quam ex eo præcipiebat secuturam, siue ob propinqui Concilij opportunitatem, vt apud Tusiacum congregatis Episcopis, appareret tractatus eruditus de illis

Obseruata quædam ex componendi celeritate.

quæstionibus, quas ventilandas decreuerant apud Saponarias. Et hic fortasse liber de manibus aduersariorum arma excussit, vt Capitula sua reponere non auderent, quibus iterum responsum ab Hincmaro cernebant. 3. Quàm fuerint frequentes aduersariorum fraudes in corrumpendis auctoribus, à quibus tam seriò sibi cauendum retur Hincmarus, productis hæreticorum exemplis, qui scelus illud ausi sunt aggredi. 4. Quanta ex aduerso in citandis auctoribus Hincmari fides, qui nisi sua ipse lege scriberet, & vlli hominum quicquam affingeret, omnium sibilis exciperetur. Quis est igitur qui Prudentio & Gotteschalco multa imposuisse sapientem virum calumniatur Dissertator? 5. Magna demum cautione, & necessaria prouidentia rogasse omnes qui opus istud describerent, vt breuem istam præfationem non omitterent; & si quid incideret dubij, ad Ecclesiæ Remensis archiuum accurrerent: sic enim putauit aditus omnes fraudulentis additionibus obstruendos, & sincerum opus ad posteros peruenturum: quod & feliciter accidit, idem tabularium eruditis oculis lustrante Sirmondo.

5. Malè causam assignat operis scribendi. Quintam obseruationem in eo statuit Præses Dissertator, quòd adscita procul & affectata de causa, extra necessitatem, liber iste scriptus sit à Remensi: qui si Capitulis Valentinis respondere voluerat, nónne illud iam satissimè, vt loquitur, priori opere, tribus libris confecerat? Quid noui Lingonenses Canones addiderant nouo labore dignum? Studebat enimuerò nouum de Prædestinatianis veteribus commentum, nusquam antea à se commemoratum, producere; titillabat animum fabula Prædestinatiana, postmodum semper alienis etiam locis inculcata, cum ficto Arelatensi Concilio, atque hæc vna fuit repetendæ huius confutationis causa & ratio. *Responsio.* Respondeo, plures alias à nobis superiùs allatas ex ipso Hincmaro, quarum primæ sunt aduersariorum importunitas, & Regis imperium, atque bonis in partibus confirmatio. Quò alludens scriptor, *ad Capitula veniamus*, inquit, *quæ secundò, vt legitur in lege veteri, petrinis cultellis circumcidenda à vestra iussione suscepimus, quorúmque noxia, atque superflua acumine catholicorum amputare curabimus*. *Hincmar. l. de præd. c. 5.* Est verò illud mirabile, quòd quæritur ab Hincmaro causa, cur refutata iam Capitula, iterum refellat? non quæritur à Patribus Valentinis, cur decreta iterum decernant, cur oblata ad refellendum, & reipsa iam refutata, iterum offerant ad refutandum?

Prædestinatiana hæresis. Ad veteres Prædestinatianos quod attinet, quorum intempestiua prorsus fit hîc mentio, satis aduertimus iamdudum, cibum esse Gotteschalcanorum sodalium Vsserij Armachani, & Præsidis Dissertatoris stomacho grauem, nihilque magis illos cupere, quàm vt ex hac controuersia eorum mentio penitus exterminetur. Verùm hoc ego non disputo, neque Prædestinatiana historia pensum meum est. De ea quid mihi sentiendum sit, præter recentem lucubrationem, membratim à Dissertatore concisam, docuerunt antea Origenes, Prædestinatus, Faustus Reiensis, Monimus apud Fulgentium. Vnum postulo, quod huius loci proprium est, vnde, quò ve reuelante didicerit Præses Monetalis *nullibi eius huc vsque meminisse Hincmarum, ne in priori quidem opere de prædestinatione*, quod ipsi æquè vt nobis ignotum est? Et si hoc liberaliter concesserimus, satis-ne legitimam & probabilem causam esse credat eius hæreseos mentionem, vt grandi libro superfluam Capitulorum Lingonensium confutationem prosequeretur, cùm eius historiæ narratio in aditu posita, notissimam facere potuerit? *Ibid. c. 1.* Non foret honorificè satis tractatu peculiari commemorata hæresis, nisi triginta quinque capitibus bene longis, & sex Capitum Epilogo comitata? Quòd si *nouum* illud fuit eius *commentum*, qui factum est vt Ebbo & Remigius, vt Scripturarius, & tota Lugdunensium æmulorum cohors, tam patienter audierint, & in sequente Concilio apud Tusiacum, ne verbo quidem reprehenderint, in quo iussi erant de tota quæstione disputare?

CAPVT XXVIII.

De Concilio Tullensi secundo apud Tusiacum quatuordecim Prouinciarum, in quo Hincmari doctrina per Epistolam Synodicam probata est.



Causa cogendi Concilij. TEMPORVM iniquitate, & effreni assiduorum bellorum licentia ruinam dederant mores Christiani, cùm Regibus Carolo Caluo, & Lothario nepoti placuit ad eos reparandos è tota Gallia plenarium Concilium conuocare. Duos tantùm Reges vicinos nomino, quia tertius, Carolus Aquitaniæ Rex, qui priori Concilio interfuit, in isto non paret, *epeleutica*, vt credibile est, *infirmitate* tum *vexatus*, ex qua triennio pòst obiit, vt narrat Annalista Bertinianus, non autem priùs, anno 858. vt Metensis alius Annalista referebat. *Annal. Bertin. ad an. 863. Metens. ad an. 858.* Priores tamen Episcopi non defuerunt, Remigius maximè & Ebbo Lugdunensium duces, Arelatensis, Narbonensis, Lingonensis, & alij. Adfuit & Wenilo Senonensis, anno iam superiore Carolo Regi reconciliatus. Duodecim tantùm Prouinciæ numerantur in præfatione Concilij: at in Epistola Synodali, quatuordecim, Moguntinensi, & Arelatensi ad priores additis, quòd fortasse seriùs aduenissent. Quemadmodum postea in Concilio Duziacensi primo subscriptus reperitur Remigius Lugdunensis, qui sententiam cum ceteris antè non dixerat. Numerum Episcoporum incertum facit adulterina subscriptio, de qua mox dicendum erit: quæ tamen eosdem pene omnes exhibet, qui in superiore Tullensi recensebantur. Pauci autem quorum hoc posteriore nomina exprimuntur, obscurum est an à priore abfuerint, in quo clausula legitur, *& multi alij Episcopi*. Denique non tam personis, quàm loco, tempore, & rebus gestis decretisque istud ab illo diuersum ac distinctum esse perspicimus.

Quibus partibus constet Concilium. Tribus videtur partibus constare, quarum primam componunt canones, numero quinque, pro disciplinæ Ecclesiasticæ restauratione; quam ob causam conuenisse se Patres testantur; quibus suppositæ sunt Episcoporum subscriptiones. Secundam, Epistola Synodalis bene longa, quæ post doctrinam catho-

licam de rebus theologicis prolixè expositam, ad increpandos bonorum Ecclesiasticorum peruasores descendit, quæ est & Canonum materies, & institutum Concilij: huic Episcopos subscripsisse, non apparet in editione. Tertia est Epistola eiusdem Synodi iussu & auctoritate scripta, de nuptiis Stephani Comitis, quæ sui auctoris Hincmari nomen præfert, & à Sirmondo in opera Hincmari relata est. Ea quoniam rem nostram minimè tangit, à nobis ex toto prætermittetur. Canones cum subscriptionibus suis, licet ad fidei doctrinam non pertineant, est tamen eorum structura vniuersè inspicienda, quia narrationem continent cum Epistola Synodali coniunctam, nemini, quod sciam, hactenus deprehensam. Nisi quod aliquid Sirmondo suboluit, eruditissimæ sagacitatis viro, qui duo ista, Canones, inquam, & Epistolam Synodalem, non partes Concilij duas, sed *editiones* vocauit, antè etiam quàm Hincmari Remensis opera publicaret: pluribus tamen docendum non censuit, quæ tandem essent, & qua ex causa productæ duæ istæ editiones, tantopere inuicem distinctæ, & ab aliorum Conciliorum moribus differentes. Id nos eius deinde labore, operáque didicimus, lecto Hincmari nepotis Laudunensis Episcopi litigio, cum Hincmaro Auunculo Remensi Archiepiscopo, in huius Tomum secundum illato; in quo diuina prouidentia, ad historiam nostram opportunissimè factum est, vt de hoc ipso Concilio, déque duabus vel partibus, vel editionibus inter eos orta sit quæstio, licèt non definita. Est autem talis.

Sirm. not. ad hoc Concil. tom. 3.

Cùm Ecclesiæ suæ bona per Regis potentiam diripi, & laïcis hominibus tradi quereretur Hincmarus Iunior, Seniore Auunculo hac in parte minimè ipsi assentiente, ad eum Canones istos misit, cum Episcoporum subscriptorum nominibus, vt se ius Ecclesiæ repetere monstraret, auctoritate celeberrimæ numerosissimæque Synodi tutum atque munitum. Remensis in Canonum materia nihil hæsitans, ignotos sibi tamen esse respondet: sic à Concilio definitum contra sacrilegos inuasores bonorum sacrorum, nihil esse, sed prout in Epistola Synodali contra illos scriptum est; mirari se vnde porro Canones illos hauserit, quos neque ipse Remensis, neque alij præsentes Episcopi audisse se vnquam, aut vidisse affirment. Ridiculam esse & commentitiam illam subscriptionem, in qua Episcopos legit ab eo Concilio absentes, alios qui tunc nondum essent Episcopi, sedium aliquarum Episcopos duos, & quod ineptissimum est, nomen suum in fronte subscribentium, qui se testatur certissimè decreta illa vidisse nunquam: habere autem apud se *authenticam definitionem*, Synodalem videlicet Epistolam *in eadem Synodo decretam*, cui vterque æquè interfuit; ac proinde subscribere debuit. Ad ista respondet Laudunensis Nepos, magnopere mirum sibi videri, si verè in eius notitiam non venerint Canones, quos ipse ab Harduico æquè Archiepiscopo, & in Synodo præsente donatos, fideliter describi curauit, & penes se habet, non minùs quàm illam Epistolam, *ab ipso Archiepiscopali administratione dictatam.* Verùm meminisse se ob prolixitatem ipsius, *quibusdam satagentibus*, subscriptum fuisse canonibus, vt compendiosiùs

De huius Concilij Canonibus, & Epistola Synodali contentio.

Hincmar. epist. 34. p. 595. tom. 2.

Hincmar. Laudun. epist. De his p. 616. tom. 2. oper. Hinc.

collectis, idque *quorum specialiter admonitione* factum sit, probè recordari. Quòd si Epistolæ Synodali subscripsisse obstinatiùs dicitur, multùm precari vt illa sibi ostendatur, in qua chirographum suum recognoscat, *quia nos*, inquit, *hanc* breuiorem, Canones continentem, *in eadem Synodo constitutam, & confirmatam veraciter nouimus.* Ceterùm ad causam nihil referre, huic an illi definitioni sit subscriptum, cùm contra peruasores rerum Ecclesiasticarum eandem contineant doctrinam: idque probat pluribus Epistolæ locis, qui cum Canonibus omnino consentiunt. Hæc est Hincmari vtriusque vehemens contentio, hæc causa cur *duas editiones* Concilij Sirmondus appellet, quas & tomo III. exhibet, etiam cum spuria illa Episcoporum subscriptione, mendis iis referta, quæ iure optimo deridet Remensis Hincmarus.

Ibid. p. 617.

Hæc narratio ex vtriusque Hincmari scriptis expressa, diuina quædam controuersiæ nostræ apocalypsis est, & quæstionis terminus immobilis, vel aduersariorum ipsorum confessione, imprudente quidem illa, sed vera & certa. Hoc vt in bono lumine collocetur, ex eo thesauro veritatis, diuitiæ sunt educendæ, & certa ab incertis distinguenda. In primis enim constat Epistolam prolixam, esse *definitionem* Synodi, *lectam in Synodo, in ea decretam, authenticam*, hoc est, Episcoporum subscriptione firmatam. In eo consentimus omnes, neque vafer Laudunensis, quanquam ad Canonum subscriptionem sæpe animos nostros abducat, vllo tamen verbo huic Epistolæ à se aliisque subscriptum expressè negat. Erudito quoque Dissertatori eadem Epistola dicitur *vere & propriè Synodica, quippe in ipso Concilio, & nomine 14. Prouinciarum illarum edita:* & Epistolæ Rabani opponitur, *quam malè Synodicam vocant*, quam Rabanus, *proprio marte, & suo nomine, exacto Placito Moguntino, ad Hincmarum* scripsit. Magna igitur eius est auctoritas, & quanta Synodi ipsius.

Obseruata quædam ex historia.

Epistolam esse verè Synodalem.

Dissert. c. 41.

2. Deinde, eius Epistolæ auctorem esse Hincmarum Archiepiscopum: quod post luculentum & euidens Nepotis Hincmari testimonium, nemo sapiens iure negauerit: cui & stylus ipse, & illaudata prolixitas suffragatur. Ac nescio vtrum suadente illo stilo, an cogente Nepotis testificatione, certò nominet Sirmondus citatus Hincmarum nostrum eius scriptorem, licèt illius nomine in inscriptione abstinuerit, qui tamen sequenti Epistola de nuptiis Stephani, compositoris Hincmari nomen expressit. Sequutus nimirum ipsius Hincmari iudicium & exemplum, qui hac de Epistola loquens, conscriptam à se, vel suam nunquam appellat, quia non tam scriptoris, quàm Concilij esse putanda est. Crederem & ego eadem mente suppressum hoc loco esse nomen Hincmari ab amplissimo Dissertatore, nisi quæ de doctrina Epistolæ sentit, manifestè ostenderent, illius parentem ipsi fuisse ignotum: quod equidem satis mirari non possum, in tanta luce contentionis inter vtrunque Hincmarum, & in *summa fide nec minima diligentia*, qua se historiam digessisse gloriatur. Non potuit enim ignorare curiosissimus omnium quæ fauent Gotteschalco perscrutator, in epistola Iunioris Hincmari, qua trigesimæ quartæ Senioris respondet, hac de Synodica sic esse scriptum. *Illam Epistolam quam vos in eadem*

Scriptam esse ab Hincmaro Remensi.

Sirm. cit.

Hincmar. Laudun. epist. de his. p. 616.

Synodo à vobis Archiepiscopali administratione dictatam recitari fecistis, penes me habeo: quam dicit ab illis verbis incipere; *Sancta Synodus congregata in villa Tusiaco Tullensis parochiæ*. Breuiorem autem definitionem, quam ignorat auunculus, ipse autem se subscribendo firmasse dicit, incipere ab istis, *Cum in nomine Dei omnipotentis*. Cuius Capitulum primum, quod incipit, *In primis igitur propter pertinaciam multorum*, vbi descripsit, adiicit, Epistolam auunculi sui decreto illi concinere. *Cui decreto & vos in Epistola vestra ita concinere videmini, inter alia inquientes, Dicunt enim illi qui in cælo regnant*, & quæ sequuntur, excerpta ex ea Epistola. Pluribus deinde interiectis, ad propositum suum, & eandem Epistolam reuersus, sic ait, *Nunc plura omittens, ex vestra Synodali in eadem Synodo generaliter*, in generali consessu, *prolata, super hac præcipitatione considerandum, vt mihi videtur, fas est. Posuistis enim in ipsa S. Lucij Papæ institutum, quo ait, Rerum Ecclesiasticarum*, &c. quæ loco eodem legenda omnibus prostant. His perlectis cognitisque, quibus importunissimus Remensis Hincmari aduersarius Hincmarus nepos causam suam ardenter apud ipsum ex ipso agens, argumento quod vocant ad hominem efficaciter probat se rerum Ecclesiasticarum peruasores iure persequi, quos ipse auunculus in Epistola Synodali publicè lecta tantopere insectatus est, certò concludere debuit ingeniosissimus Dissertator, verum & legitimum eius Epistolæ parentem esse Remensem Archiepiscopum: idque in posterum in eius mente, vt magni ad controuersiæ exitum ponderis, altè cupimus esse defixum.

Concil. Tull. p. 164.

Hincmar. Laudun. ibid. p. 617.

Concil. Tull. p. 169. in fin.

Hincmar. Laudun. p. 637.

Concil. Tull. p. 169. init.

Duabus constare partibus.

3. Tum obseruo eius Epistolæ duas esse partes; & priore quidem, doctrinam de rebus theologicis, recto, didactico, non contentioso ductu assenerate tradi; posteriore autem, aduersùs bonorum Ecclesiasticorum peruasores Patrum & Conciliorum auctoritates produci, iisque sacrilegium illud vehementer exaggerari. Hoc & res ipsa per se se clamat in Epistolam intuentibus, & admonet Dissertator, qui priorem partem *præfationem* nuncupat, sanè opere prolixiorem, & totam Epistolam *pulcherrimam & doctissimam* esse profitetur.

Eius doctrinam esse catholicam, & Augustino conformem.

4. Dico præterea, doctrinam prioris partis sanam esse, catholicam, Augustinianam; quod clarissimè peruidit, & magnificè protestatus est virorum optimus Præses Dissertator, *in cuius Præfatione*, inquiens, *Episcopi illi præcipuam B. Augustini de Gratia & libero arbitrio doctrinam plenissimè & doctissimè professi sunt*. Quo singillatim demonstrato, addit inferiùs *alienos fuisse Episcopos à Pelagianæ hæresis reliquiis, & Scotorum pultibus*. Hoc est, doctrinam ea Epistola expositam, pugnare cum hæresi Pelagiana, & Ioannis Scoti deliriis. Nondum quæro quæ sit illa doctrina, sed tantùm qualis: non inuestigo quid ibi doceat Hincmarus, vnum modò sufficit, quicquid dicit, catholicum esse, Augustino consentaneum, & contrarium Pelagio. Vt mirum non sit Concilij totius assensu probatam, & nomine publicatam.

Displicuisse aliquibus ob prolixitatem.

5. Repertos esse nihilominus in Concilio, quibus recitata publicè non arriserit, narrat Iunior Hincmarus; non quòd in doctrina quicquam requirere viderentur; (nemo enim palam doctrinæ illius contradixit) sed *prolixitatem* nimiam, & multiloquium esse causatos. Videbatur enim superflua pars prior, & theologica illa eruditio, ab ea re quæ agebatur in Concilio, remota: volebant amputatis procemiis, qualia fastidiosa legibus suis Plato præfigit, ea breuiter edici contra sacrilegos bonorum Ecclesiæ occupatores, quæ definita fuerant in Synodo, Patribus antiquis consentanea. Hi consilium Synodi vel præ simplicitate non intellexerunt, vel per astutiam, dissimularunt: quæ aliud velut agendo, de controuersis hactenus in religione articulis, quid sentiendum foret, populos erudire cupiebat. Quod consilium subtiliter indicat amplissimus Dissertator, cùm *Synodica hac contra rerum Ecclesiasticarum peruasores ad vniuersum populum emissa, luce clariùs patere* ait, *quàm fuerint alieni Galliarum Episcopi* à Pelagij erroribus. Quasi diceret, errores Pelagij ex obliquo damnare voluisse illa Epistola, quam Synodi nomine laïcis omnibus notam fieri oportebat, vt à bonorum Ecclesiasticorum inuasione reprimerentur. Nam licet ob istos præcipuè mores coacta Synodus esset, necessarium tamen putarunt fidei doctrinam interserere, & eadem opera natam ex theologicis disputationibus sopire discordiam.

Dissert. c. 42. cit.

Ideo ab illis alios canones conditos.

6. Paucis igitur illis visum fuisse, paucos conficere Canones, nihil præter materiam agitatam in Concilio continentes, de peruasione rerum sacrarum, posteriori Epistolæ parti per omnia consonantes: quam *definitionem succinctiùs collectam*, vocat Laudunensis Hincmarus, quasi & apertiorem ad intelligentiam, & faciliorem ad memoriam: atque ab his verbis incipere admonet, *Cum in nomine Dei omnipotentis*. Et primum Capitulum, *In primis igitur propter pertinaciam multorum*. Hanc collectionem ne digito quidem tangit Dissertatio: & meritò quidem, quia ad quæstiones nostras non pertinet; neque nobis in posterum erit vlla ratione necessaria, quibus circa Epistolam labor est, & exercitatio.

Sed eos per se nullius auctoritatis.

7. Addendum tamen ad extremum, collectionem hanc publicè recitatam non fuisse, subscriptiones Episcoporum clanculò corrogatas, imò ad paucorum arbitrium fabricatas, auctas, corruptas. Subscripsisse quidem Hincmarum Laudunensem, sed ignaro & inconsulto auunculo, Epistolæ Synodalis auctore, & Archiepiscopo suo: idémque de plurimis aliis probabiliter existimari posse, qui de ea questo sæpe Remensi, sibi penitus ignotam esse semper testati sunt. Quare & dignitatis & auctoritatis cum subscriptione sua nihil quicquam possidet, si materiam excipis, quâ cum Epistolæ fine, & eius scriptoris mente consentit.



CAPVT XXIX.

Quæ sit Epistolæ Synodalis de controuersiæ capitibus doctrina, & quomodo exposita.

Remigij fuit de Lingonensibus Capitulis postulationem mouere in Synodo.



Iceт ex historiæ superioris narratione & obseruationibus, controuersiæ nostræ non parum lucis affulgeat: ea tamen premenda magis est, & cum bona Dissertatoris amplissimi venia, ad propositum propiùs admouenda. Suspensi erant in Concilio animi omnium, expectatione Capitulorum Lingonensium, quæ Remigio auctore, *ad proxime futuram Synodum* discutienda remiserat Synodus ad Saponarias anno præcedente. Eodem in territorio, præsentibus iisdem Regibus, sedebant iidem Episcopi, Reip. Christianæ commodis consulturi. Cuius tum fuit Capitulorum suorum examen, & approbationem postulare? Hincmari, ait Dissertator, qui tamen *nihil hic proferre ausus de suis Carisiacensibus Capitulis, prudens maluit in tacitè prouisa per præcedens Concilium reiectione persistere, eique acquiescere, quàm præuisam futuræ condemnationis confusionem sustinere, & contumeliam pati.* Ego verò alia omnia sentio, & Remigij munus illud fuisse dico, adeóque totam hanc orationem, mutatis nominibus, ad Lugdunenses transferendam comprobo. Nam ea Capitula fuerunt reuocanda, & discussioni Synodi offerenda, quæ ad eam remissa sunt, quæ in quæstione fuerunt, quæ repulsam in priore Synodo passa sunt: hæc autem sine dubio sunt Lingonensia; nam de Carisiacis nihil actum, si credimus Dissertatori. Deinde, possidebat Hincmarus, vt qui optimo iure, Capitula Carisiacensia, eorúmque doctrinam: de legitima illa possessione hominem deiicere volebant Lugdunenses. Primo impetu id per Carolum Regem tentarunt, cui Valentina Capitula sunt oblata. Repulit fortiter impressionem Hincmarus libris tribus de Prædestinatione. Aggressi sunt secundò, maiore ferocia, publicè in Concilio, duobus muniti Conciliis Valentino & Lingonensi. Blando sibilo charaxati, & denuo repulsi sunt, seruante locum & possessionem suam Hincmaro. Tertiò impetu Capitula Lingonensia in Concilio recitata & remissa, per Remigium data sunt Carolo, velut quibus nihil ab Hincmaro posset opponi. Opposuit Hincmarus, séque animosè contra Compilatorem, opere posteriori de Prædestinatione defendit; quod adhuc calebat ex incude, quando conuentum est apud Tusiacum. Expectabatur quarta impressio. Illa autem vnde primùm procedere debuit, nisi ab iis qui tres irrito conatu fecerant, qui postulabant se probari, qui alienam stationem inuadere moliebantur? Quàm ridiculè in periculum vltrò se induisset Hincmarus, quod ter superauerat propulsando? Quis postulet ab obsessis, vt cedentes hostes & obsidionem soluentes, infestis armis persequantur & occidant; quasi ea fuga & hos victos, & illos victores non efficiat? Futiliter igitur & absurdè à monetario Dissertatore victoria Lugdunensibus ex eo silentio adiudicatur.

Contra Dissertat. c. 42.

Lugdunenses in Capitula Carisiaca ter impetum fecerunt.

Sapienter autem foro cessit Remigius, quòd nulla spes maior Lingonensium Canonum perferendorum hoc in Concilio Tullensi appareret, quàm antea in priore. At eodem foro vti sciuit Hincmarus, & aduersariorum silentium, victoriæ suæ signum probè interpretatus, loquendum sibi putauit, & per Epistolæ Synodalis dictandæ opportunitatem, quæstiones theologicas, quibus iactabatur Ecclesia, terminandas. Itaque auctoritate Concilij adactus scribit Epistolam, multiloquio suo notabilem: qua mysteriis fidei ab alto principio repetitis, articulos controuersos sensim sine sensu, quasi aliud cogitans, prudenter insinuat; & ad extremum benigno lapsu ad raptores bonorum Ecclesiæ deuolutus, in hac quam maximè Synodus expetebat declamatione, claudit orationem. Si præcipuum Concilij institutum spectas, remota est ab eo prior illa pars Epistolæ theologica. Sin plurimorum, & sapientissimorum illius consessus Antistitum mentem & votum, cum Ecclesiæ vtilitate coniunctum attendis, nihil opportunius, magísque necessarium eodem tractatu theologico potuit cogitari. Et quoniam Ecclesiis Gallicanis pacem & quietem à bello theologico restituere conabatur, non aperta fronte, non litigiosa oratione, non pompaticis decretis, velut triumphalibus trophæis, quæstiones disputatas ventilat, & opprimit; quod certè Lugdunenses aduersarios ad renouandas rixas excitasset potiùs, quàm vt se adeo turpiter victos publicè faterentur: sed prudentissima caritate suam eruditionem ita temperat, victoriæ suæ adeo moderatur, vt *nihil minùs*, quàm quod maximè contendit, agere videatur. Prædestinatianos ne per vmbram quidem nominat: Gotteschalcum, Compilatorem, Prudentium, quasi qui nunquam vixerint, tegit silentio: à gemina prædestinatione nuncupanda abstinet, quod propugnaculum tanquam aras & focos hactenus defenderat: ne fatalem quidem necessitatem nuda voce exprimit, quòd ea positio Lugdunensium oculos ad Gotteschalcum retorsisset. Verùm cognatas Capitulis suis assertiones, ex Scriptura & Patribus notas, ab omnibus receptas in orationem clanculum immittit, & sensim instillat: ac demum ad assentiendum auditores lectorésque suos, veteres & nouos, hac solertia perducit, vt non immeritò vtrisque Apostolicum illud occinat, *Ego vos non grauaui; sed cùm essem astutus, dolo vos cepi.* Siquidem & Epistolæ cùm recitaretur, in Concilio beneuolentissimè consenserunt Episcopi; & eam modò pacatè lectam mirificis laudibus extollit prudentissimus Dissertator.

Hincmarus Epistolam Synodalem scribit magna cum prudentia.

Ad huius collectionem te remitterem, Lector, si præter nuda eius Epistolæ verba, quicquam addidisset ad prodendam artem prudentiæ, caritatis, & pacis, diuinitus ab Hincmaro acceptam, & necessariò vsurpatam: quam paucis tibi aperio, simúlque animaduertere cupio, licet ea Epistola stilum Hincmari contentiosum, & laciniosum, omni ex parte non repræsentet, non aliam tamen continere doctrinam, quàm quæ perpetuò constantérque antea Carisiacis Capitulis tradita ab eodem Hincmaro, & propugnata est.

Sine vlla mutatione in doctrina sua.

Vt apparet in Capitulo 1. & 3. Nam vt ordiamur à primo Capitulo, quem scripturæ locum Prædestinatiani ad antecedentem, & absolutam Dei voluntatem malè transferebant, longè alia interpretatione illis subtiliter eripit. *Quicquid vult, potest: & ideo quicquid non vult, esse non potest: qui propterea dicitur omnipotens, quoniam quicquid vult potest. De quo & Psalmus dicit. In cælo & in terra omnia quæcunque voluit, fecit. Nihil enim in cælo, vel in terra fit, nisi quod ipse aut propitius facit, aut fieri permittit.* Hanc in sententiam conueniunt omnes. Atque eo modo in explicatione Psalmi, Prædestinatianum sensum contemnunt. Mox subditur: *Qui vult omnes homines saluos fieri, & neminem vult perire.* (Hincmar. l. de præd. c. 24.) Vnde sequitur, neminem decreto positiuo antecedente ad interitum prædestinari, quando possunt omnes, Deo verè, & non fictè ita volente & desiderante, saluari. Vides interim tertium caput insinuatum, & hæc ordinis mutatio conducit ad piam fallaciam, de vocatis omnibus vniuersè hominibus ad salutem, ac non iis tantùm qui reipsa saluantur: Hunc enim Apostoli locum Lugdunensibus meritò opponunt Remenses, simplici sensu intelligendum, quem illi conquisitis expositionibus eludunt potiùs, quàm recipiunt. Ad idem Capitulum primum reducitur, quod multis interiectis ait. *Homo abusus libero arbitrio, deseruit Deum, & desertus iustè à Deo, peccauit, & cecidit; & per malum velle, perdidit bonum posse, qui per posse bonum, vincere potuit velle malum. Quæ de re facta est massa perditionis totius humani generis.* (Hincmar. l. de præd. c. 16. 21. 22. 23.) Quibus in verbis qui non videt Hincmarum, certè neque eius Capitula, neque opus de Prædestinatione libauit.

Item in 2. de libero arbitrio. De libero autem arbitrio, qui secundus est articulus, quàm multa commemorat? Duas à Deo creaturas rationales conditas, Angelicam, & humanam, cum libero arbitrio, vt *non constricta necessitate, sed bonæ essent, vt natura, ita & voluntariè. Quia si tales essent, vt libera voluntatis arbitrio, malum vitare, & bonum non possent agere, lapidibus & rebus cæteris insensibilibus atque irrationabilibus potiùs, quàm Deo similes essent.* Quis hîc Prædestinatianam necessitatem exterminatam non videt? Et iterum post aliqua. *Sed iustus Dominus, iis quos ad imaginem, & similitudinem suam fecit, nec post primi hominis casum vult tollere violenter suæ voluntatis arbitrium liberum, quibus reddere paratus est meritum.* Siue, præmium quod bonis operibus merentur. Et voluntatem Dei gratiæ cooperari, contra Prædestinatianum dogma, probat ex Scriptura dicente. (Ibid. c. 21.) *Voluntariè sacrificabo tibi. Ex voluntate mea confitebor illi. Non ego, sed gratia Dei mecum.* Concluditque iisdem pene verbis, quibus Capitulum Carisiacense concepit. *Quoniam post casum primi hominis, inest homini ad bene volendum, & ad bonum incipiendum, & perficiendum, atque in bono perseuerandum, liberum arbitrium gratia liberatum, & gratia de corrupto sanatum, gratia præuentum, adiutum, & coronandum.* Notabis hîc Lector, Epistolæ sensum de libero agentis arbitrio, sic exponi à Dissertatore nostro, ex sectæ suæ placitis, vt Patres *profiteantur liberum arbitrium soli cogenti necessitati esse oppositum.* (*Dolus malus detegitur.*) Quod ego in tota illa oratione monstrari posse pernego; cùm cogi & necessitari, coactionem & necessitatem hac in materia, pro synonymis accipiat Epistola, idque vnum doceat, quod erat in quæstione, contra Gotteschalcum, superesse homini post Adami peccatum, libertatem ad benè & malè agendum; siue, hominem in hoc naturæ lapsæ statu non cogi, non necessitari ad peccandum, bene autem, & quidem cum Dei gratia, per liberum arbitrium agere; quæ longè alia est propositio, quàm quæ fingitur à Dissertatore clarissimo.

De 4. articulo. Christi pro omnibus passione. Denique articuli quarti doctrinam (de tertio quippe iam dictum, & vterque sæpe confunditur, quòd alter pendeat ab altero) non obscuris verbis exprimit. *Qui que corporis morte in cruce, pro omnibus mortis debitoribus.* Non ait pro saluandis, pro fidelibus, sed generaliter pro omnibus hominibus. Quis enim mortis debitor non est? Et vt mentem à Capitulis auocet, non ait, quorum naturam suscepit. Qua locutione homines penitus omnes comprehenderat: sed phrasim aliam subrogat æquè generalem, *Factus sub obedientia legis, vt eos qui sub lege peccati & mortis futuri erant redimeret.* Et hoc vniuersale debitum, *Omnes enim peccauerunt, & nemo mundus à sorde.* Ergo nemo non redemptus sufficienter. *De his qui in eum credere voluerint, siue aduentum eius in carne præcesserint, siue etiam forent sequuti, ædificaturus erat Ecclesiam aperto lancea latere, de quo produxit aquam & sanguinem.* (Ibid. c. 32.) Id apud omnes certum, excepto Gotteschalco, qui reprobos etiam baptizatos, non morte Christi, sed baptismo redemptos esse, neque verè incorporatos Ecclesiæ docebat. Ita veram & catholicam Capitulorum Carisiacensium doctrinam in animos auditorum lectorúmque suorum secreto illapsu insinuauit Hincmarus, luculentissimo probans exemplo, vbi odio & inuidia corrupta voluntas est, laborare intelligentiam, vt propter personam doctrina vexetur. Et quia perturbationes illæ hac Epistola apud nos falluntur, vincente & præualente veritate, optimus Dissertator opus laudat, ignarus auctoris.

Qui, & quomodo Epistolæ contradixerint. Sed cùm ea præsentibus omnibus, scriptorem Hincmarum Archiepiscopum ignorante nemine, publicè recitaretur, neque puræ & catholicæ doctrinæ refragari palam quisquam temerarius auderet, quid eædem prauæ affectiones excogitarunt, ne omnia vicisse putaretur Hincmarus? Quidam Episcoporum, nimiam Epistolæ prolixitatem causati, paucos canones de sola bonorum Ecclesiasticorum deprædatione compilarunt, & secretò subscriptis nominibus probauerunt, vt aliquid Synodalis auctoritatis Epistolæ detraherent, hoc ignorantibus præstantissimis quibusque, & maxima Præsulum parte in subscriptionem, neglecto prolixitatis prætextu, consentiente. Factum illud *quibusdam satagentibus*, narrat Hincmarus Laudunensis, & se *reminisci quorum specialiter admonitione* sit factum. (Hincmar. Laudun. epist. De his.) Sentio factionem, paucitatem auguror, expeto nomina. Perge amabo Hincmare, nomina vel vnum. Suspectum habemus silentium. Si quis enim inter eos dignitate præcelleret, non taceres, qui Harduicum Vesontionensem Archiepiscopum nominasti, à quo Canones accepisse te dicis. Si virtute præstaret & fide, audenter nominares, qui diaconos tuos Teutlandum, & Hartgarium, à quibus transcripti sunt Canones, appellasti. Siles, quia vereris ne

audias ab auunculo respondente. Quem tu mihi testem citas, quem secessionis auctorem nominas, æmulum sempiternum, Compilatorem importunum, in meum dedecus cum Archiepiscopis collaborantem, scriptorum corruptorem, quaterniunculorum traditorem, cui sibilus elapsi proximè Concilij apud Saponarias, & per eum Capitulorum Lingonensium comperendinatio doluit; cuius plurimùm intererat doctrinalem Epistolæ Synodalis partem, à Concilio non probari: quem recens ignominia per responsionem meam conciliata vehementiùs exacerbauit: qui satis pellax fuit, vt & iuuentuti tuæ illuderet, & animi tui leuitatem in eo primo Auunculi contemptu experiretur? Secretum igitur tuum tibi sit, nos Ebbonem & aliquos è Lingonensibus à te significari, non iniuria suspicabimur.

CAPVT XXX.

Argumento decretorio ex hac Epistola Synodali ducto controuersia terminatur.

Dissertator illam Epistolam multùm laudat, probátque.



NON læsit Epistolam Hincmari, & auctoritatem Concilij paucorum factio, tam futilis & obscura, vt in tanto consessu ignorari potuerit. Verùm Dissertator, qui *summa fide*, *nec minima diligentia* totam hanc historiam prosequutus est, syncerissimè, solo veritatis intuitu, procul ab omni odio in Remensem Hincmarum, eius Epistolæ prolixitatem nihil causatus, diligenter, vt piè credimus, lectam, & penitus intellectam, magnificis extollit præconiis, quæ superiùs sparsa, modò colligi, & sub vnum aspectum poni, res & causa postulat. Sic enim ipse totus in eius Concilij & Epistolæ admirationem defixus.

Dissertat. c. 42. *Et reuera qualis esset Episcoporum illorum, 14. Prouinciarum in quæstionibus controuersis sententia, satis apparet ex pulcherrima, & doctissima Concilij illius Epistola, verè Synodali, (non qualis fuit Rabani proprio marte, & suo nomine, exacto Placito Moguntino ad Hincmarum Epistola, quam malè Synodicam vocant) sed verè & propriè Synodica; quippe in ipso Concilio, & nomine Episcoporum omnium 14. illarum Prouinciarum, edita contra rerum Ecclesiasticarum peruasores, & pauperum prædatores: in cuius præfatione Episcopi illi præcipuam Beati Augustini, de gratia & libero arbitrio doctrinam, plenissimè & doctissimè professi sunt.* Præfationem vocat, quam nos primam Epistolæ partem antea dicebamus. Pluribus deinde partibus ex ea Epistola ad illud demonstrandum descriptis, caput conclusurus, ita subiicit. *Ex his omnibus, in Synodica contra rerum Ecclesiasticarum peruasores ad vniuersum populum emissa, luce clariùs patet, quàm alieni fuerint Episcopi illi Galliarum, trium Regnorum, 14. Prouinciarum, numero saltem 57. à Pelagianæ hæresis reliquiis, & Scotorum pultibus, quas Hincmarus cum Ioanne suo Scoto, illis temporibus periculosissimè renouauit.*

Syllogismum igitur affero, cuius hanc propositionem esse cupio, eáque libentissimè, dempto extremo versu, doctissimo Dissertatori concessa, sic subsumo. Atqui doctrina quæ sic laudatur & describitur, est ipsissima Hincmari doctrina; Ergo Hincmari doctrina, est præcipua B. Augustini de gratia & libero arbitrio doctrina, aliena à Pelagianæ hæresis reliquiis, & Scotorum pultibus. Probatur assumptio. Scripta est ab Hincmaro Epistola, atque is in illa Capitulorum Carisiacensium doctrinam, perpetuò contra Gotteschalcum, & Lugdunenses propugnatam, nulla ex parte mutauit, sed tantùm studio pacis obscuriùs occultiúsque proposuit, vt efficaciter à nobis demonstratum est. Ergo ipsissima est Hincmari doctrina, quæ sic laudatur & describitur. *Dum ingem meditationem* suam, & *eruditiorum collationem* rogabit, quomodo huic satisfaciat syllogismo, si dignabitur respondere, laciniam non omittet, quam trahit argumentum. *Inde per syllogismum controuersia terminatur.*

Ergo Hincmarus Pelagianæ hæresis reliquias, & Scotorum pultes, cum Ioanne Scoto, illis temporibus non renouauit: nimirum qui *præcipuam B. Augustini de gratia & libero arbitrio doctrinam plenissimè & doctissimè* semper professus est, cum Episcopis Galliarum alienis ab hæresi Pelagiana. *Ex quo deducitur, Hincmarũ semper fuisse catholicum.*

Ergo qui prolixa disputatione Capitum L. Hincmarum vt hæreticum, Semipelagianum, & Scoti deliriis assentientem persequitur, suo ipse testimonio falsitatis, hallucinationis, calumniæ perpetuæ conuincitur: & hac postrema confessione, omnia contra ipsum contumeliosissimè dicta, disputata, excogitata, hoc est, totam Dissertationem historicam, vno spongiæ, siue calami ductu obliterat, & expungit. *Dissertationem calumniatricem.*

Ergo doctrina Gotteschalci, cui constat oppositam esse doctrinam Hincmari sic laudatam & descriptam, non est catholica, nec præcipuæ B. Augustini de gratia, & libero arbitrio doctrinæ, vel Ecclesiæ Gallicanæ opinioni consentiens. *Gotteschalcum hæreticum.*

Ergo qui *sanissimam & diuinam Gotteschalci doctrinam* appellat, fœdè hallucinatur: qui se suósque pro Gotteschalco, contra Hincmari doctrinam disputantes, Augustini discipulos vocat, sibi, veritati, Augustini gloriæ, Galliarum Episcopis contradicit: qui cum Hincmaro, & Epistola Synodali consentiunt, ij sunt veri & legitimi Augustini discipuli, sanissimæ & diuinæ doctrinæ assertores. *Et agnosci tandem veros Augustini discipulos.*

Ergo inuitis aduersariis, ipsorum testificatione, veritas vincit & præualet. Hic est tot quæstionum priuatis scriptis, Conciliisque iactatarum terminus: in hac Epistola Synodali, & hoc Concilio ad Tusiacum, quieuerunt theologici temporum illorum tumultus, neque vlteriùs quicquam his de rebus disputatum esse nouimus. Æquum igitur est, vt & hîc controuersia nostra desinat, & Deo agamus gratias, quòd hoc qualicunque labore perfuncti, repetere possimus cum Augustino in causa Cælestij & Pelagij, *finita causa est, vtinam finiatur & error!* Itaque bonis auibus prosequamur historiam, & de prostrata in Gallis hæresi, Romæ iudicium exquiramus. *Conclusio disputationis.*

CAPVT XXXI.

Per hæc tempora Romani Pontifices in hanc controuersiam se non immiscuerunt.

Tacentibus Romanis Pontificibus disputatum est in Gallia.

QVÆSTIONES in fide dubias auctoritates duæ in Ecclesia definiunt, Petri Cathedra, & conuentus Synodalis: Illa, quia fidem non defecturam accepit à Deo; hic quia præsentiam suam duobus aut tribus in nomine suo congregatis promisit Christus, & exhibet. Sunt tamen priuata hæc Concilia plurimùm humani passa, & dum æmulatione contendunt inuicem, de controuersia nihil apertè certóque definierunt. Quare ad Sedis Apostolicæ doctrinam pars vtraque prouocauit semper, & veteres Pontifices pro se stare vtrique gloriati sunt. Cur non etiam præsentes Petri successores appellarunt? Cur hi tantas animorum dissensiones immoti spectarunt, vt quidam in Ephesino tumultu Galliones, & in eo spectarunt regno, sine cuius pace & concordia Roma non poterat tum esse secura?

Leo IV. libros authenticos definiuit. epist. 2. ad Episc. Britan. habetur D. 20. de libellis.

Decennio illo quo clausus carcere Gotteschalcus, vmbra sui nominis vexabat Galliam, tres sederunt Pontifices, Leo IV. Benedictus III. & Nicolaus I. Hic senescente iam discordia, illi adulta & florente Sedi Apostolicæ præsederunt. Leoni fortasse visum est satis, ad Episcoporum Britanniæ consultationes respondenti, illo ipso anno, quo primùm apud Carisiacum auditus est Gotteschalcus, docuisse *per quæ decreta indicare debeant Episcopi*, & Conciliorum Canones, Pontificum Romanorum decreta nominasse, adiunctis etiam Hieronymi, Augustini, Isidori, & similium clarorum & sanctorum doctorum dictis. Quò non dubito equidem quin alluserit Hincmarus, cùm spondet demonstraturum se idem sentire *cum diuinis & authenticis scripturis, & catholica atque Apostolica Ecclesiæ, sanctaque Romanæ Sedis fide, & orthodoxorum Patrum sensibus, qui eidem sanctæ matri Ecclesiæ præsederunt, & qui ab eadem Apostolica sede Romana nobis in Canone recipiendi dati sunt.* At Prudentius Trecassinus aduersùs Ioannem Scotum scribens, eius decreti Leonis apertissimè meminit, & ab eo, dictis Isidori auctoritatem conciliat. Quamobrem Leoni Pontifici sufficiebat arma dedisse theologis, quibus contra Gotteschalcum pugnarent; ignaro sanè per æmulationem & contentionem aduersus catholicos ipsos conuersum iri. Sed profectò inefficax fuit illud remedium; cúmque aliquid priuatim de controuersia componenda, & pace restituenda, posset ab vrbe Roma expectari, omnes nominati Pontifices, (ne Nicolaum quidem excipio) inter tot libros, vltro citróque magnis animis scriptitatos, inter tot Concilia inuicem reprobantia, cùm de tribus quatuórve articulis sæpius agitatis tractaretur, hæreticos errores omnibus catholicis ex æquo respuentibus, omnibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, & Augustini doctrinam iactantibus, cùm ex eius Sedis ore penderent omnes, & omnia Apostolici sensa pro cælestibus oraculis haberent, omnes inquam illi tres Romani Pontifices, tantos motus sedare, & turbato mari tranquillitatem reddere, quod verbo poterant, omiserunt. Ad huius ego silentij recordationem totus obrigesco, neque satis virium experior, vt causas tantæ omissionis exquiram.

Hincmar. epist. 1. ad Carol. Reg.

Prud. l. aduers. Scot c. 3.

Eius silentij causæ requiruntur.

Impium sanè fuerit, & blasphemum de tantorum Antistitum cura in Ecclesiam omnem, cuius nobilissima pars semper fuit Gallia, dubitare. Sacrilegum de Clericorum Romanorum, & Italicorum Episcoporum eruditione quicquam detrahere, qui Romana Concilia similibus in causis, vocante Pontifice faciebant; quasi perplexissimas quæstiones ingredi, & spinas calcare metuerent, quarum acumina Gallicanis ingeniis retundebantur. Imperium specto. In eo Lotharius regnabat, animi vir impotentis, Caroli fratris sempiternus hostis, cuius Episcopi si postulassent litem à Pontifice terminari, suæ parti voluisset adiudicari Lotharius, erepta, si loqui fas est, Pontifici potestate rectum iudicium iudicandi. Sed hæc diuinatio est, & Romanæ fortitudinis, quæ se semper errantibus Imperatoribus opposuit, iniuria. Erit-ne qui culpam referendam putet in omnes communiter contendentes, qui de tantis támque implicatis quæstionibus sedem Apostolicam consulere dedignati sint, & rogare vt Romana definitione terminarentur? *Quia*, vt ait alio in proposito Papa Nicolaus, *cùm nouitatum mala multiplicari videamus, si ex diuersis prouinciis fratres in inuicem conuenissent, iuxta priscum morem, & nos, consensu illorum, reuelante Domino, quæ decernenda sunt, decerneremus, & ipsi necessitates suas referentes, & nos nostras exponentes, quæ decreta fuissent meliùs in omnium notitiam facerent peruenire: sicque fieret, vt secundùm qualitatem morbi medicina conficeretur, & ad sananda vulnera longè latéque effunderetur.* Sed Hincmarum vexare volebant aduersarij Lugdunenses, non docere: & suauissimum æmulationis suæ fructum in diuturnitate discordiæ collocabant. Quis illorum Romam scripsit, nisi ad Hincmari calumniam? *Et precor*, inquit, *vt de mea parte nihil ei* (Nicolao) *dicatur, quia commotum dicitur habere suum animum erga me; multis ad eum contra me scribentibus, & mihi derogantibus, ne scandalum in me inde retorqueat, vnde culpam non habeo.* Hoc est vt arbitror, ne me turbarum istarum esse putet auctorem, qui patior ipse iniuriam, dum fidei laboro, & religioni. An actum agere noluerunt Pontifices, cùm crederent damnatos semel errores, inutiliter & superfluè denuo Apostolica falce resecari? Sic enim Hincmarus ipse hanc hæresim scribit, *circa temporalis vitæ terminum B. Augustini motam esse, quæ reuicta, atque repulsa, sine compressa est auctoritate sancti Papæ Cælestini, instantia B. Prosperi:* pergítque ex Gelasio monstrare *quòd damnata semel hæresi, contra eam non sit postea disputandum.* Longè minùs pro ea, quod Prudentius, & Lugdunenses aliquo modo faciebant: sed multò pleniùs audaciúsque alij, iudicio Hincmari *leuissimi, & pene nullius momenti, vel scientiæ, non dicam auctoritatis viri, remouebant.* Verùm, tanti fuit istud ipsum diffidentes monere, & paterna solicitudine *hos motus animorum, atque hæc certamina tanta,*

Nicol. PP. epist. 33.

Hincmar. epist. 24. ad Egil.

Idem l. de Prædest. c. 37.

Epiſtola vna, vno Gelaſij decreto comprimere? An ipſis leuiora iſta videbantur prælia, quàm vt ad eorum cognitionem Romanam maieſtatem demitterent? At de Prædeſtinatianis erroribus agebatur cum Gotteſchalco; cum Ioanne autem Scoto de iis quæſtionibus, quas S. Dionyſij interpretationi nemo non prætulerit; hanc tamen cognitione ſua non indignam Pontifex iudicauit.

Nec Nicolaus I. has contentiones ſedauit.

Siluerint, inquis, priores duo, ex cauſa vni Deo cognita: Nicolaus certè doctiſſimus Pontifex adeo clarè loquutus eſt, & Hincmarum ita pupugit, vt diſſimulare non potuerit. Quid tu mihi Nicolaum profers effœta iam controuerſia creatum Pontificem, qui ex Petri ſede vt ſummum ſpectare potuit Lingonenſe Concilium pro Lugdunenſibus, & Tullenſe ad Saponarias, Capitulorum examen remittens? Nam in altero Tullenſi nihil eſt diſputatum. Pupugit inquis, Hincmarum. Quando autem? qua ex cauſa? qua in contentione? cùm iam rixæ illæ Gotteſchalcanæ alto ſilentio ſepultæ eſſent, cùm clericorum Remenſium, & Rothadi iudicia retractari ab Apoſtolica ſede per appellationem deberent. At Rothadi cauſa non ante Concilium Siluanectenſe incœpit anno 863. triennio poſt Concilium Tullenſe ad Tuſiacum: contentio autem de clericis Remenſibus, quam in Wlfadi gratiam mouit Rex Carolus, Caroli Nicolaus, à tertio Concilio Sueſſionenſi, ſexennio pòſt duxit exordium. Hæc igitur omnia, quàm procul à Gotteſchalco, & eius hæreſi? Oſtende in illis negotiis, imò in omnibus Nicolai I. Epiſtolis, quas dedit ab anno 58. quo Pontificatum auſpicatus eſt, vel litterulam, & apicem de Gotteſchalco, vel pro Gotteſchalco ſcriptum. Addo ampliùs, Nicolaum I. hac in controuerſia, & in cauſa Gotteſchalci de Hincmaro, contra Hincmarum, ad Hincmarum, aut quenquam alium nihil penitus vnquam ſcripſiſſe. Si quid extat vſpiam quod ego non viderim, ſi quid habes ad manum indubitatæ fidei, conuince falſi. Priuatum cum clerico Gallo Liudone colloquium non moror: ſcriptum poſtulo. Poteſt enim illud eſſe otioſi, & nihil vltra diſcendi cupiditatem geſturi; ſatagentis iſtud eſt, & negotium opera & auctoritate ſua promouere cupientis. Quid eſt igitur, quòd Præſeschronologus tota Synopſi & Diſſertatione querelas Nicolai de Hincmaro longè poſtea auditas, per malignum & iniquum parachroniſmum, ad totam Hincmari vitam accommodat, maximéque ad decennium diſputatæ controuerſiæ cum Gotteſchalco, & Lugdunenſibus, cuius vltima tantùm parte in Petri ſedem Nicolaus aſcendit? Quantis omnium ſibilis exciperetur Caluini ſectarius aliquis, qui maiores ſuos Romani Pontificatus hoſtes propugnaturus, Petri Apoſtoli vitam omnem, omnia dicta geſtáque vellet ex eo carpere, quòd longè poſt Chriſti aſcenſionem, ſemel à Paulo *reprehenſibilis* indicatus eſt? Excuſa, Lector, ſi obſeruationem hanc ſæpiuſculè vides hoc in opere, quæ aduersùs affectatam, & bonis intolerabilem Diſſertatoris criminationem, paginas omnes claudere debuit. Non pupugit igitur Hincmarum in negotio Gotteſchalci Nicolaus; nunquam apud Gallos Antiſtites loquutus eſt Pontifex ad ſedandos tumultus theologicos.

Eius contentiones cum Hincmaro nullo modo pertinent ad cauſam Gotteſchalci, & ea ſunt poſteriores.

Has quæſtiones in Epiſtolis ſuis non tetigit: contra Diſſert. c. 41.

Neque magis ſcriptis ad diuerſos Epiſtolis, & inſertis in eas verbis quibuſdam, ſententiam ſuam de tribus quæſtionibus aperuit, vt omnino ridiculum ſit ad iſtas quæſtiones reſpectare, quoties Deum nos mouentem, & in nobis agentem, ſiue quæ recta ſunt ſuadentem videmus in Pontifice. Quis enim non rideat dici, parere *quis fuerit eius ſenſus de gratia & libero arbitrio*, cùm ſcribit: *Nobis, qui in eo viuimus, mouemur, & ſumus ad eum* (Rothadum Epiſcopum) *vobis reddendum nutu ſuæ miſerationis interius imperans & competenter erudiens.* Et alibi: *Operatur autem idem ipſe Deus in vobis hoc, qui & laudandus eſt propter hoc. Semper ad voſmetipſos recurrite, & quia nihil eſt in homine, vnde extolli debeat, ſedula conſideratione perpendite.* Iterum alibi, *efficacem Chriſti gratiam* inquit Diſſertator, *in cordibus fidelium operantem, breuiter ſed dilucidè bis expreſſit. Credimus ex dono Dei, filij cariſſimi, proceſſiſſe, quòd vnanimes & fide non ficta iunxiſtis. Forſitan omnipotens Deus cor eius ad ſibi placita inclinare dignabitur, & de præuaricatore faciet tandem conuertendo dilectum.* Quid videtur, Lector, quàm apertè locis illis docet Nicolaus, ſic operari Deum in homine, vt eius conſenſum non exquirat, ſed neceſſitate trahat voluntatem, vt liberè id agat, quod phyſicè non poteſt non agere: hanc enim doctrinam verbis eiuſcemodi contineri vult Theologus Monetalis. Poſtremum autem quæſtionis caput, *quod pro omnibus & ſolis credentibus* Chriſti ſanguis fuſus ſit, *confirmatum & decretum* ab eodem Nicolao Papa, ſic probat idem Diſſertator eximius. Nicolaus ad Epiſcopos Galliarum ſcribens, *aſſerit Chriſto vnicam eſſe ſponſam, Eccleſiam ſcilicet vniuerſam, quæ illi veraciter & principaliter ſit omnia, & loco omnium: ergo dum ab Apoſtolo pro omnibus mortuus dicitur, pro ſola Eccleſia, quæ ipſi eſt omnia, mortuus eſſe cenſendus eſt.* Ergo, vt proſequamur vlteriùs, hoc dicto confirmatum eſt, & decretum à Nicolao Papa, Chriſti ſanguinem pro omnibus & ſolis credentibus fuſum eſſe. Quæro hîc ego, qui ſint qui ſolam fidem aiunt iuſtificare, quia fides iuſtificare dicitur in ſcriptura? Chriſtus redemit Eccleſiam. Veraciter ac principaliter: omnino, quia efficaciter; & ex ea veraciùs & principaliùs prædeſtinatos: an ergo ſolos iſtos? Eccleſia Chriſto eſt omnia. An ergo negligit omnia præter Eccleſiam? Scribit Nicolaus *pro credentibus omnibus* Chriſti ſanguinem fuſum eſſe, vnde illud additum, *ſolis?* Quicquid hoc eſt, ſcribit ad Gallicanos Epiſcopos in ſermonis ingreſſu, præfationis alicuius vice, vt per Petri ſupremam auctoritatem in Eccleſia, quam creberrimè commendat, ad alia omnia deueniat; hoc vocas decernere & confirmare? Quid autem? Eccleſiam eſſe vnam, vnicam Chriſti ſponſam, ab eo creatam & redemptam, exiſtere illi veraciter & principaliter omnia. Hæc & ſimilia confitemur & agnoſcimus; *pro ſolis* tamen *credentibus* Chriſti ſanguinem fuſum eſſe pernegamus.

Nicol. epiſt. 48. tom. ij. Concil. Gall.

Idem epiſt. 36.

Idem epiſt. 47.



CA-

CAPVT XXXII.

Falsò dicitur Nicolaus I. Canones Concilij Lingonensis approbasse.

Exponitur opinio Dissertatoris. c. 41. cit.



IDEO quid possit ad ista respondere Dissertator, circumueniri se, locos illos productos non esse, vt ostendatur Nicolaus in iis professa opera quæstiones decidisse: sed vt quam in partem illas definierit, quo libro eas tractauit, probabiliter intelligatur. Nam de controuersia constat librum scripsisse, Seruati Lupi lucubrationi non absimilem, in quo, vt magnum & eruditum Pontificem decuit, definitione sua litem terminasse censendus est, & quidem in Lugdunensium gratiam. *Siquidem illos ipsos Concilij Lingonensis Canones Romam ad Nicolaum Papam eodem anno delatos fuisse, & ab ipso comprobatos, auctor est S. Prudentius Episcopus Tricassinus, in Annalibus suis, qui non extant, sed ab Hincmaro ipso referuntur.* Neque ab Hincmaro solo, verùm etiam ab Annalium S. Bertini auctore, Hincmaro, eiúsque doctrinæ addictissimo, qui totidem verbis ea refert, quibus Hincmarus ex Prudentio. Hæc Dissertator, quæ tria in capita distribuo, 1. Canones Lingonenses eodem quo conditi sunt anno, Romam delatos fuisse ad Nicolaum Papam, 2. Eodem anno comprobatos ab eodem, 3. Huius rei auctorem esse Prudentium ab Hincmaro & Annalista Bertiniano citatum. Ex quibus conficitur quod proponit in titulo, *Doctrinam Concilij Lingonensis à Nicolao Papa confirmatam esse.* Ita sectæ nouitates, sua ipse hactenus inaudita nouitate confirmat.

Prudentij auctoritas de libro per Nicolaum scripto.

Vt hæc certiùs solidiúsque expendantur, rei gestæ historiam substernere necesse est. Egiloni Senonum Archiepiscopo, Wenilonis successori, Romam eunti (quod anno 866. factum putat Dissertator) ita scribit Hincmarus inter cetera. *Qui etiam, videlicet Domnus Prudentius, in Annali gestorum nostrorum Regum, quæ composuit ad confirmandam sententiam suam, gestis anni Dominicæ Incarnationis 859. indidit dicens. Nicolaus Papa Pontifex Romanus, de gratia Dei & libero arbitrio, de veritate gemina Prædestinationis, & de sanguine Christi, vt pro credentibus omnibus fusus sit, fideliter confirmat, & catholicè decernit.* Ea sunt Prudentij verba, quibus iudicium suum subdit Hincmarus. *Quod per alium non audiuimus, nec alibi legimus; vnde quoniam ipsa gesta* (Prudentij Annales) *quibus hæc conscripta sunt, iam in plurimorum manus deuenerunt, necesse est vt taliter de hoc Domno Apostolico suggeratis, ne scandalum inde in Ecclesia veniat, quasi ipse (quod absit) talia sicut Gotteschalcus sentiat.* Eadem de Nicolai libro tradunt Annales Bertiniani, & incertum relinquunt, an ab ipso Prudentij Annali, an ab Hincmaro hauserint. Quicquid credideris vnicum est Prudentij testimonium, quod ab illo Hincmarus, Annalista ab alterutro accepit. Hoc scripsit Prudentius ante obitum suum biennio, Hincmarus ad Egilonem quinquennio post obitum Prudentij, cùm Nicolai

Hincmar. epist. 24. ad Egil.

Hincmari de illa auctoritate iudicium.

Pontificis animus ob Rothadum, ac mox ob Clericos Remenses aduersùs ipsum esset exacerbatus, & accederet Carolus Rex vnguis in vlcere.

Refellitur ex ea Dissertator.

Sic posita historia, in qua saltem illud constat, scriptum esse à Prudentio, Dissertatoris clarissimi argumentatio hæc esse debet. Librum scripsit Nicolaus I. de quæstionibus controuersis, ergo Canones Lingonenses illo anno delatos comprobauit. Verùm seposito ad momentum temporis antecedente, tam inexpectata consecutio animum meum ita ferit, vt omnino obstupescam ab illo homine, qui se Theologum videri velit, potuisse deduci. Esto enim scripserit librum Nicolaus, ideó-ne Canones Lingonenses Romam delati, & scripto illo probati sunt? quando neq; Canones Lingonenses vel per vmbram appellat Prudentius, neque Romam ab vllo homine delatos illo anno narrat, neque Romæ comprobatos. Falsum igitur est tertium caput, eius rei auctorem esse Prudentium. Atenim delatos esse oportet, quando ad nos inde redierunt, *Nunc enim primùm in lucem prodierunt ex Codice Bibliothecæ Vaticanæ, vt notatum tertio tomo Conciliorum Antiquorum Galliæ.* Præclarè? Qui enim notauit, qui reuexit in Galliam, qui ex Vaticanæ Bibliothecæ codice descripsit Sirmondus, tibi-ne dixit anno ipso quo habitum est Lingonense Concilium, & quo canones conditi, Romam esse missos? At eius, si nescis, longè alia opinio est, codicem vnde descripsit, illum esse quem superiore seculo, cùm ius Pontificium recognosceretur, Gallia misit ad Vaticanum. Sic enim narrat Beda noster, quo res maiori securitate, & apparatu confieret, inuitatos ex omnibus Europæ partibus viros eruditos & pios, qui symbolam in hoc opus conferrent. Cúmque Gallia illis semper abundarit, inter ceteros Illustrissimum Amiotum Autisiodorensem Episcopum, Regis Caroli noni institutorem, ex instructissimo talibus opibus insignis Bellouacensis Ecclesiæ tabulario, & hunc, & alios thesauros transmisisse, qui modò omnes cautissimè in Vaticana Bibliotheca asseruantur. Ede si quid habes certius de canonum istorum latore, à Prudentio, vel ab ipso Nicolao. Nam Sirmondus non alibi legit quàm in Tullensi Concilio ad Saponarias, cuius beneficio Canones Lingonenses, seu Capitula, numero sexdecim ad nos peruenisse testatur.

Canones Lingonenses non sunt tunc Romam delati.

Non confirmati à Nicolao Papa.

Nutat ergo tuum illud missaticum, vt nostri loquuntur: de confirmatione autem, quod secundum caput est, quid censes? *Confirmatos verò à Nicolao Papa, probatur ex eo quòd pro legitimis Ecclesiæ definitionibus ab vniuersa Ecclesia semper recepti fuerint.* Amabo te, Præsidum optime, per laborem quem veritati vterque volumus impensum, ne ludamus in seriis; tu iamdudum diuinando, ego diuinationes tuas refellendo, vsque ambo defessi sumus. Probare spondes Lectoribus, rem sanè nouam, & nobis hactenus inauditam, doctrinam Concilij Lingonensis à Nicolao Papa esse confirmatam. Quærimus quando? quo Concilio? qua decretali Epistola? ad quem scripta? à quo recepta? *Teste B. Prudentio*, inquis, *& Annalibus Bertinianis*. Cedo, quo libro? qua libri parte? quibus verbis id asserit? *In annalibus qui non extant.* Eos tu legisti? Hincmarus qui legit, & retulit ipsa Prudentij

verba, istás-ne propositionis tuæ partes, Prudentij annalibus contineri narrauit, quas auctoritate Prudentij producis, *Canones videlicet Concilij Lingonensis Romam ad Nicolaum Papam eodem anno delatos fuisse, & ab ipso comprobatos?* Ista si dixit Prudentius, si dixisse Prudentium dixit Hincmarus, lubet credere. Sin autem neuter illorum scripsit, qua ex reuelatione, facta esse diuinas? cur eorum auctoritate & testimonio probare promittis? quam à nobis fidem & isto, & infinitis similibus locis exigis? De auctoritate, inquis, iam non certo. Ratione conficio. Fuerunt semper in Ecclesia recepti, ergo à Nicolao Papa confirmati. Rem obscuram probas re controuersa. Quid-ni iure saltem pari dixero: Carisiacensia quatuor Hincmari Capitula, vt legitimas Ecclesiæ definitiones vniuersa Ecclesia semper recepit: ergo Benedictus, aut Nicolaus Papa confirmauit? Nostram vterque spartam tuemur; Quid habes pro articulis tuis dicere, quod ego iustiùs meis non reponam? In iis quæ sequuntur argumentis quantùm inesse putas virium, in perenni tua illusione fundatis? Esto enim, Nicolaum Remensis Archiepiscopus offenderit, quòd appellationes Rothadi, & Wlfadi ægrè acciperet, quid hoc ad Gotteschalcum? Hincmarum in Rothadi negotio superbiæ, dolositatis, crudelitatis: adde si vis, parricidij, rapinæ, sacrilegij, & si quid aliud grauius est, accusarit Nicolaus, quid ad Canones Lingonenses, de quorum confirmatione quæritur? Non potuit Hincmarum Pontifex reprehendere, & simul canones non approbare? Si foret Hincmarus omni ex parte innocens, minús-ne Canones probare deberet Nicolaus, pro legitimis Ecclesiæ definitionibus ab vniuersa Ecclesia semper receptos? Quæ ista chronologiæ perturbatio est? quæ labes historiæ? quæ Dissertationis hallucinatio? quæ causæ imbecillitas?

CAPVT XXXIII.

Non est probabile à Nicolao I. scriptum fuisse librum de Controuersia.

Obiectio ex libro Nicolai Papæ.

DVOBVS igitur propugnaculis, auctoritate nimirum Prudentij, & verisimilitudine rationum deiectus Dissertator, quò tandem perfugiet? Ad Nicolai Pontificis librum, opinor, quæstiones hasce tractantem. Sic enim aget vir subtilis. Negari omnino non potest id à Prudentio relatum in Annales. Dictum verissimè. Quod sic narratum est, falsi non potest accusari, *spectata non minus probitate morum & sanctitate vitæ, quàm doctrina Præsulis eximij.* Perge porro. Cùm ergo certissimum sit hunc librum à Nicolao Papa scriptum fuisse, fatendum æquè est doctrinam Concilij Lingonensis ab eo esse confirmatam, quod probandum suscepimus. Nisi enim à partibus Lingonensium stetisset, neque librum illum nominaret Prudentius, neque tantopere vereretur Hincmarus, ne idem cum Gotteschalco sentiret Pontifex. Et si leuia videntur hæc signa, quòd externa sint; titulum vide, qui refertur à Prudentio: quid enim promittit, nisi Gotteschalci dogmata, & doctrinam Lingonensium? Dissertatoris opinionem temeritate liberat hoc argumentum, quod aliorum modò relatorum adiectione corrupit. Habet enim probabilitatis speciem non spernendam; in eo præsertim, cui Gotteschalcus pius & catholicus, quanquam miserabilis Monachus, Prudentius Præsulum sanctissimus, Hincmarus bipedum nequissimus, Nicolaus in omnibus Hincmaro oppositus, doctrina Lingonensium eximiè catholica esse videantur. Mihi verò cui magna illa, non sunt exploratissima, peto dubitare vt liceat, non quidem contradicendi libidine, sed mero veritatis exquirendæ studio, cui, si apertè monstratur, acquiescere sum paratus. Dubito enim vtrum verè talem librum Nicolaus Pontifex scripserit, & vtrum eo scripto Canones Lingonenses confirmati esse censeri debeant.

Probabile est à Nicolao nihil esse scriptum.

Nam in primis si pugnamus auctoritate, dixit Prudentius scriptum esse librum à Nicolao, sed ea de re dubitauit Hincmarus. Quo tu iure nihil vniuersè credis Hincmaro, ego non omnia vniuersè credo Prudentio. Et vide pro ipsis sua quid insinuet Hincmarus. 1. Gotteschalci *fautorem* fuisse Prudentium dum viueret, *sicut scripta ipsius testantur, quæ à pluribus, qui illa habent, possunt proferri.* Memini ob simile dictum, Dissertatoris indignationem meritum Annalistam Bertinianum; sed hunc vnum ex *pluribus* esse, qui Prudentij scripta Gotteschalco fauentia proferre possent, non habet Dissertator vnde neget. 2. Prudentium Annales scripsisse *ad confirmandam suam sententiam.* Non ad aperiendam nudè & sincerè veritatem; non ad doctrinam catholicam stabiliendam, quam perdiu cum Episcopis Gallicanis professus fuerat Hispanus; non ad historiam temporum posteros simpliciter edocendam; sed *ad confirmandam suam sententiam*, commodè subtiliterq; corrogatis vnde vnde verisimilibus, dissimulatis contrariis, adinuentis aliquibus; planè vt eruditus noster Dissertator chronologiam texit frequenter ad arbitrium, vt in propositum suum cadat; historiam illi, aut si mauis, historiæ suæ chronologiam accommodat, adeo peritè & affabrè, si verè, *ad confirmandam suam sententiam*, vt omnia pro sancto Gotteschalco ex astris lapsa esse aliquis iurauerit. 3. Illud de Nicolai lucubratione à solo Prudentio narrari. Cur non etiam à Remigio & Ebbone, qui & Italiæ viciniores, & Lothario coniunctiores, quæ hac in causa Romæ gererentur, primi scire debebant? Cur non à Ratramno, & Lupo Ferrariensi, qui opusculi sui inscriptionem & partitionem tanto Pontifici placuisse, sibi poterat gratulari? Et hic aliquot de suis Monachis instructos Tractoriis Romam ad limina Apostolorum misit: eorum tamen nemo vel librum illum, vel libri titulum, retulit ad Abbatem. Quid hîc primùm, quid deinde admirer, nescio. Nicolaum in Pontificatus ingressu totius mundi curis oppressum, post aliquot menses initæ Sedis, nihil antiquius ad Ecclesiæ regimen habuisse, quàm vt librum elucubraret de rebus Theologicis, in Gallia dudum agitatis; non quo pacem inter dissidentes conciliaret, non vt quid demum sentiendum sit decerneret, non vt tanquam Leonis Epistolam ad Gallos Episcopos mitteret,

Liber ille à nemine visus & lectus est.

sed vt thesaurum absconditum Romæ teneret, tubam absque sono, præconem sine audientia, doctorem non in schola? Librum illum, eodem quo scriptus est anno, deferente Pegaso venisse statim ad Prudentium: alteri nemini tota quanta quanta est Gallia, nisi septennio post, & quidem ex solo nomine cognitum, cùm de eo ad Egilonem scriberet Remensis? Post hæc regresso Egilone, mortuo Nicolao, compilatis ardentissimo studio manuscriptis omnibus Vaticanæ Bibliothecæ codicibus, nullam vspiam gentium eius libri factam vnquam mentionem? Neminem vnum è tot curiosis & eruditis antiquitatis indagatoribus, ne ipsum quidem Prudentium, repertum esse, qui librum tanti viri, tantis de quæstionibus visum à se, & lectum testetur? Hoc silentium quam in partem, Lector, accipias equidem nescio, sanè tamen affirmare possum, eo me vehementer vltra dubium propelli, ad negandum absolutè, vllum vnquam eiusmodi Nicolai Papæ librum extitisse.

Magno scandali periculo scriptus esset.

Neque temerè mouetur Hincmarus ipsa libri qualitate, *quasi talia sicut Gotteschalcus sentiat*, & effectu pessimo, *ne scandalum inde in Ecclesia veniat.* Non ait, ne verè talia sentiat, hæreses enim profiteri Petri successor non potest; sed ne dicatur & putetur sentire: est enim hæresis impudens, & pars Gotteschalci manus habet in corrumpendis Patrum scriptis exercitatas. Inde scandali occasio, cùm titulus ancipitis significationis, in sequiorem trahetur. Quapropter ne malum serpat longiùs, seriò monendus est Pontifex de parata per Prudentium infamia, sed suppresso nomine meo, ne me faciat auctorem calumniæ, quam profectò apud Prudentium reperi, eo libro qui etiamnum extat, & penes Regem asseruatur. Hic eius loci sensus est, quo satis apertè se significat Hincmarus, nullo modo credere quicquam eiusmodi lucubratum esse à Nicolao, sed à Prudentio diuinatum, *ad confirmandam suam sententiam* Summi Pontificis auctoritate. Sic enim simplicitati ouicularum illuditur, dum facilè sibi persuadent, quod confidenter scriptum est, non posse non esse certissimum: venitque in eam sententiam Dissertator subtilissimus, omni Hincmarianæ nequitiæ contradictione reiecta, & hoc Prudentij dictum, ex Annalista Bertiniano, qui, vt arbitror, non aliunde accepit quàm ab Hincmaro, plus sexies in opere suo grandibus minutisque characteribus descripsit, qui dolet & queritur non semel, sententiam Carisiaci latam in Gotteschalcum, ter à Sirmondo diuersis in operibus editam esse.

Et in Gotteschalcum potiùs quàm in Hincmarũ.

Esto tamen, detur liberaliter tractatum istiusmodi à doctissimo Pontifice fuisse compositum, licet vni mortalium omnium Prudentio apparuerit, saltem titulo tenus, si negatur præterea Hincmari doctrinæ fuisse oppositus, quomodo Canones Lingonenses per eum confirmatos esse peruinces? Aio enimuerò, Prædestinatianos tantùm errores eo libro confutatos, Hincmari opinionibus aut intactis, aut potiùs confirmatis: Tu si potes aliud commonstra. *Fideliter confirmat, & catholicè decernit*, inquit Prudentius. Præclarè. Quid enim aliud agat Romanus Pontifex, & quidem tantus? Quid autem *confirmat & decernit? De gratia Dei, & libero arbitrio.* Si aliud nihil, quàm quod olim Arausica & Africana Synodus, cum Hincmaro facit. Si secundùm veram Augustini doctrinam, quam in Epistola Synodica Tullensis Concilij posterioris *plenissimè & doctissimè* expositam oscularis, pro Hincmaro militat; nam & Hincmari epistola illa est, & Augustinum *gratiæ cælestis oratorem* grauiter appellat, qui perpetuò citat, & sequitur Hincmarus. Est autem à nobis monstratum, contra gratiam & liberum arbitrium à Prædestinatianis & Gotteschalco peccari plurima & grauissima; istos ergo *catholicè & fideliter* impugnat. Quid præterea? *De veritate geminæ Prædestinationis.* Et gemina Prædestinatio catholicè quomodo dici possit, exponit Hincmarus, contra hæreticam Gotteschalci assertionem. Quid-ni etiam sic intelligatur Nicolaus loquutus de gemina Prædestinatione, eandem Hincmari sensu negando, quemadmodum recentem librum videmus *de frequenti communione*, quo frequens communio improbatur? Num quid amplius? *De sanguine Christi, vt pro omnibus credentibus fusus sit.* Audio. Id enim Hincmarus & catholici omnes affirmant: soli Prædestinatiani & Gotteschalcus ad Electos referunt. Istis igitur, non illis bellum indicit assertio Nicolai. Video quid submurmures. Pro *solis*, additum cupis. hoc ne Prudentius quidem ausus est. Deus sancte! apud quos disceptamus? Librum excogitat Prudentius, addit inuento Dissertator, & his machinis Hincmari doctrina oppugnatur, certissimè apud Tusiacum, videntibus Lingonensibus confirmata. Quanti putas operam illam magni Pontificis redempturum Ebbonem, opportunissimè Concilio Tullensi offerendam, Collationis vice ad eam Synodum conditæ? Si fuisset in terris liber ille, si canones Lingonenses confirmasset, quàm cupidè recitasset in Synodo Remigius, & illos charaxatores suos reciproco sibilo subsannasset? quàm promptè & demissè Patres consensissent, quanto cum rubore & pudore Hincmarus Synodicam Epistolam, qua *præcipuam B. Augustini de gratia & libero arbitrio doctrinam plenissimè & doctissimè* profitetur, tanquam hebetem gladium vaginæ reddidisset?

Augustinus gratiæ cælestis orator. Hincmar. l. de præd. c. 11.

Dicet aliquis, cùm hæc argumenta Lectoribus facilè persuadeant, dubitandum non esse, quin Prudentij fides hoc loco sit leuissima, cur tu ergo asseueratè non pronuncias, his de quæstionibus omnino nihil scripsisse Pontificem? Respondeo, terreri me Præsidis edicto, in hæc verba concepto. *Nec veritas illo testimonio sanctissimi Præsulis Trecassini, & Annales Bertiniani vtriusque synchroni, nemine etiam huc vsque reclamante asserta, aliis etiam quæ suprà retulimus grauissimis argumentis, comprobata, nisi summa peruicacia, & hæretica fere pertinacia impugnari potest.* Enimuerò seuerè dictum, & timendum, vt à iudice Monetario, de rebus Ecclesiasticis iudicium! Nam quia Gotteschalco & sectæ patrocinatur illa credulitas, quicquid eam eleuat, hæresi proximum putatur. Quo autem Pontificis, aut Ecclesiæ decreto cautum est, vt Prudentio hac in parte credatur, quod si impugnem, id faciam *hæretica fere pertinacia?* Quæ tam communis est & peruagata tractatorum Ecclesiasticorum historia, vt impugnari sine hæresis periculo non possit? Hoc dixit Prudētius. Non negamus.

Ridicula & leuis obiectio.

Dissert. c. 49.

Sed solus, vt antè notauimus. Nam si centum posteriores ex illo hauserint, si mille repetierint, dixit vnus Prudentius. Nemo hactenus reclamauit. Ridiculè. Quis enim sciuit? Huius facti memoria penes Hincmarum, & Annales Bertinianos residet. Si nunquam titulum libri descripsisset ex Prudentio Remensis; neque Annalista ille, neque quisquam posterorum, post extinctos Annales Prudentij, hoc Nicolai opus nosse potuisset. At non ante sexennium Hincmarus, nec ante decennium Annalista, eius rei testes soli ad viuos redierunt: ex eo tempore ante te nemo tam curiosè Gotteschalcum refodit, & ais *neminem huc vsque refragatum*, exclamásque *nisi summa peruicacia, & heretica fere pertinacia, impugnari non posse*. Quod autem addis de alto silentio eius libri post Egilonis Legati à Nicolao reditum, illud æquè in rem meam confero. Nam qui, vt ais, *Hincmariana nequitia infensissimus fuit Pontifex, & doctrina catholicæ vindex acerrimus*, talem ingenij sui lucubrationem, tam opportunam dirimendis quæstionibus, & deprimendæ Hincmarianæ nequitiæ simul & gloriæ, publicare omnino debuit, Egiloni committere tota Gallia spargendum, aduersarios Hincmari Episcopos in vtroque regno constitutos monere de condemnatis eius opinionibus. Non publicauit, non sparsit, non monuit: ergo vel omnino non scripsit, quod mihi probabilissimum est: vel Hincmaro non fuit infensissimus, quod verissimum.

Dissert. c. 33.

CAPVT XXXIV.

In quo statu relicta sit controuersia, breui Anacephalæosi declaratur.

Disputationis aspectus.

CONFECTO itaque, Deo auspice, contentiosissimæ controuersiæ spatio, quæ nullam deinceps Hincmaro molestiam paritura est, operæ pretium videtur, terminum ad quem deducta est, breui collectione ponere sub aspectum.

Primum prælium pro fide fuit, contra hæresim. Pugnarunt Rabanus Maurus, Amolo, Pardulus; Florus, Ioannes Scotus, & omnium instar Hincmarus, contra Gotteschalcum, & eius scholam, cuius scripta pauca extant. Prostrato errore, & captiuo malè sentientium duce, pugnam instaurarunt pro æmulatione catholici, non iisdem tamen omnes animis, Prudentius, Lupus Ferrariensis, Ratramnus; & qui sub nomine Lugdunensium latent, Ebbo, & Anonymus Scripturarius: quam impressionem solus excepit Hincmarus, velut Horatius quidam in ponte sublicio. Tertio certamine, idem Hincmarus instructa acie Concilio Carisiaco septus processit in campum: cui statim Prudentius Senonensis Conuentus cuneum opponere frustra conatus est. Maiore igitur apparatu & pompa Valentinum & Lingonense Concilia obiecta sunt: sed impetu tam futili, vt in Tullensi priore, sibilo dissipata, & ad Synodum alteram remissa, tandem de victoria desperarint. Non sic tamen omni ex parte vicisse ab omnibus creditus est Remensis. Quid enim potuerunt aut priuati doctores, aut minora Concilia, qualia fuerunt hæc, Sede Romana silente? Librorum numero victoriam nemo sapiens adiudicabit. Scimus enim ita certasse cum Augustino Iulianum, cum Basilio Eunomium, & tamen causa cecidisse, quia veritati mendacium opponebant. Non est tamen spernendum, quòd placita sua, & Epistola Synodica magno in Concilio, & luculento libro vltimus confirmauit Hincmarus, oppositis rationibus confutatis. Lugdunenses autem cùm pulcherrima disceptandæ terminandæque quæstionis in posteriore Tullensi se daret occasio, ad quam sua ipsorum voluntate remissi erant, silentio suo, quasi fuga, palmam Remensibus concesserunt.

Prædestinatiana heresis reiecta.

Sed quò tandem deuenit ingens illa controuersia pugnantium inuicem tanto ardore Theologorum? Quatuor tractata sunt disputationis capita, primùm cum Gotteschalco hæretico, deinde inter catholicos Antistites De Prædestinatione, Gotteschalci placitum fuit, positiuo, antecedente, necessitatem inferente decreto reprobari hominum aliquos, qui proinde sic esse mali & reprobi cogantur, neque alio consilio creari eos, & in mundum induci, quàm vt damnentur, nec aliter vllo modo posse euenire. Et quia damnatio non nisi peccatis eorum debita irrogatur, non minùs ad peccata vt media, prædestinatos esse, quàm ad finem, & sic mali vtriusque tam pœnæ, quàm culpæ, auctorem esse Deum. Hanc blasphemiam ceteri omnes communi horrore execrantur. Sed inter eos perstat facti quæstio, Ita-ne senserit Gotteschalcus? Ebbo renuit credere, Prudentius nescire profitetur, Hincmari calumniam putat Dissertator: quóque magis personæ miserentur, validiùs damnant errorem. At cum legit in monachi scriptis Amolo: Rabanus & Hincmarus in Synodis suis propugnantem audierunt: ipse nunquam aut inficiatione, aut retractatione à se amolitus est; ideo carceri perpetuo à iudicibus addictus. Nos rem iudicatam habemus pro vera.

Eandem necessitatem absolutam & antecedentem in electorum parte Prædestinatianus error agnouit; quam æquè & in illis negandam acutè peruidit Prudentius. Sed hoc membrum nemo disputauit, intentis omnibus in vocem geminæ prædestinationis, & honesti speciе deceptis, quasi magis diuinæ bonitati consentaneum sit, homines quocunque tandem modo prædestinare ad vitam, quàm ad interitum.

Gemina prædestinatio quomodo esset.

Suum porro errorem occultare voluit Gotteschalcus, dicendo geminam esse prædestinationem, electorum ad vitam, reproborum ad mortem, vt gemina caritas, arbor gemina dicitur. Hunc articulum erroneo sensu semel reiecto, vehementissimè tuentur Lugdunenses omnes: diu repugnante Hincmaro, qui erroneum sensum in cogniti hæretici mente videbat. Aliquando tamen eam illis vocem concessit, adiecto caritatis exemplo: ea lege, ne dicatur sic malos ad mortem prædestinari, vt bonos ad vitam. Siquidem comparationem illam constanter refugit, quæ peccati & mortis Deum facit auctorem; & nos in electis fatemur eorum gratiam & gloriam à bona Dei voluntate, & gratuita electione procedere. Sit-ne autem bonorum prædestinatio, siue electio, ante vel post præuisa illorum merita, disputatum non est.

Vasa iræ

Et quoniam vasa iræ apta in interitum, expli-

apta in interitum.

cabat Gotteschalcus de reprobis suis, hoc est, antecedente, positiuo, necessario decreto prædestinatis ad interitum, quos esset penitus impossibile saluari: semper recusauit Hincmarus dicere, impios prædestinatos esse pœnis, sed tantùm pœnas impiis: quia alterum determinatam damnationem, alterum tantùm hypotheticam significat. Quam subtilitatem deriserunt aduersarij vt leuem, & pene ridiculam, securi sensus catholici, quo legebant impios ad interitum prædestinatos, non tantùm impiis prædestinatũ interitum. Vtrique catholico animo; sed Hincmarus cautiore loquendi modo, qui præsens Gotteschalcum præsentem audierat; & eius asseclas quotidie videbat verborum innoxiorum tendiculis imperitos implicantes. Fuit hæc ergo nominis quæstio non penitus contemnenda; de qua nihil constitutum.

Liberum arbitrium quale.

Secundum caput arbitrij libertatem tangit. Negat Gotteschalcus post Adami peccatum remansisse in nobis arbitrium liberum, quo benè possimus operari, sed tantùm quo malè. Vnde conficitur solam gratiam in nobis sine nobis bonum operari; secundùm Prædestinatianum dogma. *Totum gratiæ est.* Inde perpetua cooperationem humani arbitrij requirentium, tanquam Pelagianorum insectatio. Verùm contendentes omnes, agnita gratiæ diuinæ ad bonos quoslibet actus præuenientis & excitantis necessitate, fatentur libertatẽ ad actus cuiuslibet specificationem & exercitium: siue, vt in hanc, aut in oppositam partem feratur voluntas, & vt ad agendum, vel non agendum ipsa se determinet. Hominem Dei gratiæ cooperari libertimè, & id ad meritum valere, non solam prædestinationem. Neminem à Deo deseri, à quo non antè fuerit ipse desertus. Nonnullas inspirari à Deo gratias, quæ hominum vitio & culpa effectu careant, neque sint efficaces, ad agendum tamen si vellent excitati sufficientes omnino, persuasum æquè omnibus. Nihilo tamen minùs sic agunt cum Remensibus Lugdunenses, tanquam cum Pelagij asseclis; quemadmodum Remenses cum Lugdunensibus, velut cum Prædestinatianis; vtrique immeritò, & ex contentione: nam & Gotteschalci blasphemias horrent Lugdunenses, & totum Pelagium execratur Hincmarus. Ioannis autem Scoti vtroque in capite deliria, rectè damnant illi & reiiciunt; hic sapienter non admittit.

Quomodo Deus velit omnes saluos fieri.

In duobus reliquis articulis, qui de hominum salute, déque merito passionis contendunt, incerta plura remanserunt. Deum velle omnes homines saluos fieri, non vult intelligi Gotteschalcus de omnibus vniuersè hominibus, sed de solis electis, hoc sensu, saluari omnes quos Deus vult saluari: & nisi quem Deus velit, saluari neminem. Cui explicationi atque opinioni subscribunt Lugdunenses: pugnantibus fortiter contrà Remensibus, & illud Apostoli dictum, de omnium hominum vniuersitate, nullo excluso meliùs exponentibus. Et quanquam sub iudice lis relicta fuerit, in istorum tamen partem iure transiuimus.

An Christus sit mortuus pro omnibus.

Ita de Christi passione, clamat Gotteschalcus, neminem Christi sanguine redemptum perire posse: id est, pro solis electis passum esse Christum. Fluctuat hîc Prudentius, & aliquando solos electos, aliquando fideles omnes beneficio pretiosæ mortis includit. Lugdunenses constanter affirmant, pro omnibus omnino omnium temporum, gentium, conditionum fidelibus, siue aduentum præcesserint aut sequuti sint; siue prædestinati sint ad vitam, siue ad interitum, passum esse Christum & mortuum. Infideles autem omnes in infidelitate pereuntes, siue ante, siue post Christi aduentum, siue prædicationem veri Dei & Euangelicæ veritatis audierint, siue non, à redemptione Christi morientis excludi oportere. At ex opposito Hincmarus totis viribus cum suis, certat pro viuifica Christi morte ad omnium hominum salutem sine vllius exceptione, non Iudæ proditoris, non Antichristi, non eorum qui ante Christi aduentum in infidelitate perierunt, extendenda. Neque hoc de articulo vnquam inter partes conuenit, nisi quòd fassi sunt Lugdunenses hanc Remensium sententiam *venire ex pietate*, & pacis concordiæque studio posse suscipi, modò contraria non condemnetur erroris. Sed Remenses eam pacis conditionem non admiserunt, ne ad eundem probabilitatis gradum contrariam eueherent. Licuit ergo tum singulis, salua fide, & communione catholica, in vtram vellent partem discedere.

An fideles reprobi redempti sint baptismo.

Addebat stultorum princeps Gotteschalcus, fideles qui reprobi futuri sunt, non Christi morte, sed solo baptismo redemptos esse, eósque cùm baptismi sacramento initiantur, non fieri verè fideles, neque verè incorporari Ecclesiæ. Quam insaniam solus insaniuit, non leuiùs à Valentinis Patribus, quàm ab Hincmaro, & Amolone damnatam Et hæc de materia certaminum.

Quomodo vsurpata Augustini auctoritas.

Quonam verò armorum genere pugnarunt? Eodem omnes, Scriptura, Patribus, Conciliis veteribus. Supra ceteros Augustinus in ore omnium frequens, in vtrisque castris militat, verè ἀλλοπρόσαλλος. Gotteschalcus suum sæpe vocat, Prudentius eius auctoritatem timet imminui: *sagacissimum, atque eruditissimum gratiæ cœlestis oratorem catholicissimè* disputare asserit Hincmarus, qui pro se frequentissimè allegat. In eius tamen auctoritate non eodem modo versatur pars vtraque. Nam Lugdunenses, qui se Augustini discipulos dicunt, fidem Ecclesiæ quærunt in Augustino: Remenses, Augustinum probant in Ecclesiæ fide. Vtrique dissimulant errare potuisse Augustinum, licèt eius rei fundum testem ipsum habeant Augustinum. Quare opposita sibi Augustini dicta, tanquam scopulos vitant, ne magistrum deserere cogantur. Veros tamen Augustini discipulos ab illegitimis separauit exitus, cùm in posteriore Concilio Tullensi probata est à Prouinciis quatuordecim Epistola Synodalis ab Hincmaro scripta, qua *præcipua B. Augustini de gratia & libero arbitrio doctrina plenissimè & doctissimè*, Dissertatoris testimonio iudicióque, continetur. Cúmque postea Gotteschalcus in mortis vicinia, iussus S. Augustini & Prosperi doctrinæ subscribere, peruicaciter recusauit: facturus profectò libentissimè, si suas ab illis opiniones verè, quod gloriabatur, hausisset. Non omitto in Augustini scriptis Remenses omnes, & aduersariorum præcipuos, opus Hypognosticon agnouisse. Quod sanior pars Lugdunensium non admisit. Ea

An libri Hypognosticon sint Augustini.

quæstio sic indecisa, libros eosdem sub Augustini nomine transmisit ad posteros: ex quo non malè colligimus, plures in illa sensisse cum Remensibus.

Ceteri Patres citati. Huic aquilæ doctorum ceteri Patres vtrinque adiunguntur, ab Ecclesia Romana probati, vt Hieronymus, Hilarius, Cyprianus, Prosper, & similes. Lugdunensibus in vsu non est Chrysostomus: Remenses rariùs Fulgentium, & Isidorum loquuntur. Neutris placent Faustus Reiensis, & Cassianus. *Præcipuè Pontifices Romani.* Ecclesiæ Romanæ matri Ecclesiarum & magistræ, atque magnis eius antistitibus, vt Innocentio, Cælestino, Leoni, Gregorio, & aliis, summam pars vtraque reuerentiam spondet: vt vel hoc vno nomine, neutra dici possit hæretica.

Non eadem fide ab vtrisque proferuntur. Vnde igitur factum, inquies, vt cùm eosdem omnes sequantur magistros, non eadem omnes sentiant? Quæro & ego: cùm Scripturam sacram supremæ auctoritatis codicem, sibi propositam habeant Christiani omnes, cur in iis tamen hæretici aliqui reperiantur? Nimirum ea est mysteriorum diuinorum sublimitas, vt neque humana semper intelligentia æquè ab omnibus comprehendi, neque lingua dilucidè possint exponi. Non vno semper modo loquutus est Augustinus, sed diuersis disceptationibus fuerunt verba accommodanda, quæ de sensibus faciunt quæstionem. Visa sunt nonnullis vera quædam aut falsa, quæ pro probabilibus habuit Augustinus. Vidit vnus vno in Scripturæ loco, vna in quæstione, quod Deus Augustino non reuelauit. Hæc est hominum natura, vt nonnunquam deficere debeat, nonnunquam erigi: præter illam est, quòd nouus Dissertator nobis persuadere speraт, nihil malè Gotteschalcum, nihil benè Hincmarum sensisse, & dixisse. Præterea, errantes ostendit Scriptura, non facit. Accedunt ad eam hæretici, vt ducant trahántque; catholici, vt sequantur: illi sensa sua afferunt, quæ sacris verbis imprimant; isti albas mentes offerunt, Spiritus sancti characteribus efformandis. Idem puta de Patrum συνθέσει voluminibus, in quibus dogmata sua quæsiuerunt Lugdunenses, Remenses veritatem. Ac legentibus patet, corruptos auctorum locos ab Hincmaro sæpe aduersariis obiici: sensum Augustini paulùm à natiua intelligentia deflexum, in re leui, semel, quod meminerim, Hincmaro aduersarius obiecit. Inde procedit tertiò, vt stabili, non errandi solùm, sed etiam fallendi proposito, à sensu ad verba Scripturæ corrumpenda, truncanda, interpolanda, descendant hæretici. Perpetua hæc est Hincmari aduersùs Gotteschalcum & sodales, ipsúmque Ebbonem querela, ab vno Ratramno propulsata, innumeris exemplis probata: quam retorquere in Remensem nemo illorum ausus est: vt omnino Lectori cuilibet omni affectu soluto, perfacile sit aduertere, in Lugdunensium disputatione plus litis; in Remensium responsione plus candoris, qui veritatis color est, inesse.

Denique nouantium in religione, mos & animus est, res nouas in politico regnorum statu meditari, & armorum conflictum stilis dimicantibus adiuuare. *Hæc dissertatio politicis affectibus fervuit.* Docet autem historia, quid Imperator Lotharius in fratrem Carolum semper molitus sit; vt dubitare non liceat, quin Principi suo seruire voluerint Episcopi; vt dum ipse Caroli regnum armis inuaderet; hi alia ex parte litterario bello, cum præcipuo eius consiliario atque administro confligerent; & fatigato, atque obruto, gloriam & auctoritatem, quantùm fieri posset, detraherent. Idque ex eo luce meridiana clarius redditur, quòd omnis illa contentio, mortuo Lothario paulatim elanguit, resedítque: ac tandem rerum summa ad Carolum Imperatorem delata, penitus extincta est. Quæ si veritati militasset & religioni, perpetuas cum Hincmaro inimicitias exercere debuerat: quemadmodum Hincmarus *ipse* Gotteschalci peruicaciam & hæresim, ad mortem vsque, inter *tot procellas & turbines*, insectatus est. Neque suo tantùm seculo aduersariis omnibus superstes, sed etiam sequentium ætatum fidelibus copiosam apud Deum redemptionem persuasit Hincmarus: ac tandem eius diuturnum & difficile certamen pro Christi sanguine, solenni decreto coronauit Ecclesia. Hic igitur esto controuersiæ per Gotteschalcum reuocatæ terminus.

HISTORIAE GOTTESCHALCI PRÆDESTINATIANI LIBER V.

QVI ET EXTREMA GOTTESCHALCI, SED NON CONTROVERSIÆ PER EVM REVOCATÆ.

CAPVT I.

Præter controuersiam hactenus explicatam, plures aliæ quæstiones per ea tempora disputatæ sunt.

Nunquam vna sola hæresis in Ecclesiam inuecta est.



HÆc est humanæ mentis imbecillitas, vt cùm semel bene positos limites transilierit, tanquam effrenis quidam equulus feratur in deuia, neque nisi iniecto certæ regulæ freno, possit in gyrum rationis reduci. Quo fit, vt quæ ingenia credendi agendíque modum ab antiqua traditione, à recepta Patrum auctoritate, à communi Doctorum & catholicorum consensu accipere contemnunt, suo se committant arbitrio, pessimo sanè ductori, & sacra omnia profanáque moueant & perturbent. Hîc & tum si quid nouè occurrit animo, ingeniosum putatur; & inter sciolos se iactat maximè, qui plurima vel de suo protulerit, vel de obsoletissimis ignotorum hactenus scriptorum sepulcris refoderit. Habet quippe propriam vtrunque docendi genus gloriam, & sui quasi lena nouitas, ad vlteriorum inuestigationem amatores suos, non dicam impellit, sed admirabili quadam suauitudine abripit. Inuentum vnum, gradus est ad aliud: & quæ veritatis specie primùm quæsita est nouitas, iam ipsa per se delectat & capitur. Ita lites seruntur ex litibus, bella ex bellis, faciliúsque est omne crimen vitare, quàm admisso semel vno pluribus non obrui. Quamdiu Apostolorum lacte nascens Ecclesia nutrita est, virgo appellata est, & fuit. Purissimam quippe doctrinam è sanctissimis fontibus magno cum pudore & simplicitate hauriebat: & illud Christi tanquam recens in omnium auribus insonabat, *Nisi credideritis non intelligetis.* Et illud Pauli, *captiuantes intellectum in obsequium fidei.* Verùm posteaquam sublatis de medio Apostolis, cœptum est in religione curiosiùs disputari, Deus immortalis! quæ opinionum portenta, quæ deliria quæstionum, quæ monstra hæreseon sensit, iam corrupta, & ad perditam simplicitatem nunquam reditura? Vno contextu orationis enumerat Hegesippus apud Eusebium, Cleobianos, Dositheanos, Masboneanos: ex his prognatos Menandrianistas, Marcionistas, Carpocratianos, Valentinianos, Basilidianos, Saturnilianos: ab istis iterum ortos Pseudochristos, Pseudoprophetas, Pseudoapostolos; quot procos Penelope nunquam aspexit. Quot hæresibus bellum indixit sequente seculo Tertullianus, & ipse postea factus transfuga, quòd Ecclesiam in tribus quæreret, quam sciebat esse catholicam? Quot errorum genera sua ætate Hieronymus & Augustinus hæreticorum mallei contriuerunt? A Christo nato nulla vnquam hæresis sola extitit, & faciliùs in historia seculum reperies quo nulla nata sit, aut renata, quàm quo sola vna sine plurium consortio emerserit.

Euseb. l. 4. hist. c. 21.

Addo ampliùs, rarum est hæresiarcham vnum videre, à quo vnicus error sit profectus: & verò extra hæresim quis periculosam curiositatem in vna quæstione consumpsit? Disputarunt Donatistæ de vera Ecclesia, de Baptismo hæreticorum, de Pœnitentia Ecclesiastica. A Pelagio natæ sunt quæstiones de gratiæ necessitate, de originali peccato, de origine animarum, de libertate arbitrij, de prædestinatione Sanctorum. Monimus autem ille, sanè catholicus, qui geminæ prædestinationis exponendæ occasionem B. Fulgentio præbuit: pluribus aliis

Plures simul quæstiones à nouatoribus introducta.

quæstionibus eò non pertinentibus ab eodem magistro voluit satisfieri. De quibus ita Fulgentius. *Reuoluens igitur scripta tua, tanquam chirographa mea, vt ex his instruerer, quot, vel quarum tibi essem debitor quæstionum, duas ad præsens Epistolas potui reperire. Vnam continentem S. Augustini verba, quæ in libro de perfectione Iustitiæ hominis, de his qui ad interitum prædestinati sunt, inter alia posuisse cognoscitur.* Hæc est primi libri materia. *Cui alteram statim subiunctam quæstionem videor inuenisse: hoc est, de sacrificio quod soli Patri quidam existimant immolari.* In altera verò Epistola positam inquisitionem inueni. *Quid est quòd Apostolus duobus denariis, quos accepit supererogare potuerit?* Quam obscuram & metaphoricâ interrogationem esse, discimus ex Apostoli loco, quem sibi petebat exponi. *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Iámque antea de consilio illo ad eum scripserat Ruspensis Antistes. *Quod consilium in Epistola, quam ad te nuper scripsi, ad illud pertinere memoraui, quod duobus denariis à Domino acceptis fidelis stabularius supererogauit.* Vnde possumus intelligere, oblatam fuisse à Fulgentio dubitandi occasionem, ex allusione ad parabolam euangelicam, quæ nimis auidè à Monimo suscepta, ad Augustini expositionem relata, non satis peritum hominem perturbauit, existimantem quod diuersum esset ab Augustini sensu, aut quod ab eo taceretur, asseri ab alio non debere. Et hic igitur amore Augustini præpostero laborabat; quem docet Ruspensis, quod à S. Ambrosio, quod ab Optato Mileuitano, non contra Euangelicam doctrinam dicitur, si S. Augustino non venit in mentem, non propterea reiici oportere. Non enim vni totum ita se tradidit spiritus sapientiæ, nihil vt in alios effundendum reseruarit. Quartam denique Monimi quæstionem memoria, non notario suggerente, reuocatam esse scribit Fulgentius, de Spiritu sancto. *Cur scilicet à Patre mittendus ad consecrandum sacrificium Corporis & Sanguinis Domini postuletur.* Ac se pluribus aliis pulsatum esse quæstionibus à Monimo subiicit. *Quòd si forte sunt aliæ, quas nobis misisti soluendas, nec in hoc inuenis opere positas aut solutas, quæso vt non ad contemptum vel fastidium redigas, sed obliuioni patienter ignoscas.*

Fulgent. l. 1. ad Monim. c. 2.

Idem l. 2. c. 13.

Hæc de Monimo Fulgentióque paulò fusiùs proferre libuit, quòd ad eum, cui Fulgentio nomen fecit vrbanitas, quíque Monimi instar amicos variis de quæstionibus ex Augustino petitis consuluit, tanto post temporis interuallo reuertamur. Atque vtinam aut Fulgentij librum, quo maximè nititur, accuratè expendisset Gotteschalcus, aut exemplo Monimi post solutas quæstiones amicorum responsis cessisset, tumultus profectò non conciuisset sibi funestos, Hincmaro molestos, suo nostróque seculo luctuosos. Quapropter Fulgentius Monimũ suum magna cum fiducia hortatur ad inquirendum: Gotteschalcum ex aduerso Lupus Ferrariensis à curiosarum quæstionum studio sapienter reuocat. Scimus enim de visione Dei oculo corporeo facienda, quid Abbati proposuerit olim Gotteschalcus, quídve Abbas responderit: quod hunc in locum differri necesse non fuit, siue quòd priùs sopita fuerit quæstio, quàm audita: siue quòd libero adhuc Monacho, ante Synodos Moguntinam, & Carisiacam, Seruatus Lupus Abbas ea de re sit consultus. Nos verò Gotteschalcum reliquimus in carcere, dum Theologos eius turbis agitatos, & ipsa Concilia nihilo pacatiora spectauimus. Quo in carcere, ne nihil malè agendo crederetur otiosus, inchoatam à Ratramno sodali suo, quem & magistrum vocat, de Trina Deitate hæresim, ita propugnauit, vt Hincmari refutationem in se potuerit attrahere. Dabant mutuas sibi inuicem operas aduersùs Remensem Archiepiscopum athletæ isti; & quemadmodum Gotteschalco geminam prædestinationem contẽtiosissimè tuenti, suppetias tulerat Ratramnus: sic Ratramno Trinam Deitatem asserenti, & sub erroris onere iam fatiscenti, socius & adiutor Gotteschalcus accessit. Cuius disputationis quia pars magna fieri voluit miserabilis hic Monachus, eam sequenti capite aggrediemur. In appendice autem, excursu non penitus inutili, extra Gotteschalcum quidem, sed contra Ratramnum, pro Rabano, & Paschasio Radberto, quæstionem de Eucharistia tractabimus, aliis quæ plurimæ occurrent intactis.

Idem factũ à Gotteschalco.

Lupus Ferrar. epist. 30. ad Gottesch.

Illas ineunte opere monuimus ex Hincmaro, è studio comparandæ gloriolæ natas, sed in grande malum Ecclesiæ, nisi prouideretur, erupturas, eodem Hincmaro ad Nicolaum Pontificem ita scribente, vt eius vigilantiam ad suffocandos illos tumultus excitet. *Sunt & alia, quæ ipse & alij plures in istis partibus dicunt, quæ nobis sanæ fidei aduersari videntur; quæ dum per alium, quàm per vilitatem personæ meæ, auctoritas vestra cognouerit, forte attendet solertiùs, & quæ inde timenda sunt, docere studebit quantocyùs: erit enim in proximo inde necessitas.* Dolet, vt videtur, sibi parum esse fidei apud Pontificem in rebus maximi momenti; eúmque, qui tanto cum ardore appellationum priuilegium tueri nititur, ad fidei concordiæque christianæ negotia, promptum & alacrem videri cupit.

Sopiendæ tamen visæ prudentibus.

Hincmar. l. de præd. c. 31.

Idem. ep. 17. ad Nic.

Quam curam licet in alios reiicere videatur Hincmarus, sua illa cum Gotteschalco, & eius complicibus controuersia plus satis exercitus, ab his tamen quæstionibus non omnino manum abstinuit, rogante Carolo Rege, & earum scedulam more suo mittente ad respondendum. Sic enim in eius opusculi Præfatione Regi lóquitur. *Scedulam ergo Capitulorum nobis allatam studiosè perspeximus, enucleatimque considerauimus, & ad singula, pro captu ingenioli nostri, fautrice diuinitate, adiunctis etiam sanctorum exemplis doctorum, respondere disponimus, non nostra intelligentiæ nitentes, sed in Deo confidentes.* Sunt autem illa Capitula, Vtrum anima sit corporea? Vtrum corpore teneatur, & cum illo moueatur? Vtrum Deus corporalibus oculis post resurrectionem videndus sit? De Eucharistia verò priore opusculo, de vitiis & virtutibus, ad eundem Regẽ multa pulcherrimè tractat. Quod eum non semel fecisse docet Flodoardus in fine catalogi operum ipsius & gestorum. *Scribit & cuidam Archiepiscopo de præcipuis tractans sacramentis humanæ salutis.* Dubitas quin eximia de illorum præcipuo illa in Epistola scripserit? Vulgatam quoque tum in Gallia controuersiam attigit de [illegible] imaginum, monente Flodoardo eodem. *Scripsit etiam librum flagitantibus Coepiscopis fratribus suis, qualiter ima-*

Eas quæstiones breuiter explicauit Hincmarus.

Tom. 2. operum opusc. 5.

Ibid. opusc. 2. c. 11. n.

Flodoar. l. 3. hist. c. 29.

Idem ibid.

gines Saluatoris nostri, vel Sanctorum ipsius venerande sint, cum epilogo quodam metricè digesto. Nondum enim admissa in Ecclesiis Gallicanis Synodo generali Septima, ignorarunt potiùs Antistites nostri, quid in illa de imaginibus sacris constitutum esset, quàm contempserunt. Cùm autem per hæc tempora Photij schisma exoriens, *tam Ecclesiam Romanam specialiter,* vt loquitur Hincmarus ipse, *quàm omnem generaliter quæ lingua Latina vtitur*, de multis reprehenderet, non sine magno contemptu, quæ tamen sanctissimè obseruarentur, in animum sibi facilè & libenter induxerunt Præsules Gallicani, circa imaginum cultum errare Græcos, & ad idololatriam progredi, quod & Hincmarus aliquando credidit, irrisitque, *puppos* Græcorum appellans. Rogatus igitur ab Episcopis, catholicè docuit quis in earum veneratione modus tenendus sit, ne quis ad Græcam, quæ putabatur, superstitionem progrediatur; aut alius eius metu Ecclesiasticam religiosi cultus traditionem refigat.

Hincmar. epist. 51. ad Odonem.

His interiectis de Imaginum cultu temperato, quæ clausula citati loci, *Et plura alia*, continentur, licet præterire sit animus, abstinere tamen non possum, quin ad vltimam ex ibi propositis, quæstionem oculos reflectam, & Hincmaro ipsi quæstionem moueam, cur scripserit, *qui non satagunt, vt post finitum vniuersale iudicium, Dominum videant?* Quid enim fuit opus expresso fine temporum? num breuiùs potuit scribere, *non satagunt vt Dominum videant?* Si respondes agi de oculo corporis, quod ante vniuersale iudicium non inferetur in cælum; aio ego in sensu seculi, & scriptoris mente, plus aliquid esse quærendum. Fuit enim constans illorum temporum opinio, quam mirari satis non possum, inter tot nouitatum fluctus, à nemine fuisse agitatam, medium esse locum inter cælum & infernum deliciis omnibus, si Dei visionem excipimus, redundantem, in quo liquidissimis voluptatibus fruantur communium meritorum animæ, donec resumptis corporibus post vniuersale iudicium, ad beatum diuinitatis aspectum euehantur. Hanc sententiam apud Hincmarum reperiri non dissimulo. *Quoniam sunt*, inquit, *qui mox vt à carnis corruptione soluti sunt, aut soluuntur, ad Dei contemplationem Angelis sociandi perueniunt, sicut sancti Apostoli, Martyres, & Confessores, & Virgines, ceterique arctioris & perfectioris vitæ viri ac feminæ. Ceterum sunt plures in Ecclesia iusti, qui post carnis solutionem continuò beata paradisi requie suscipiuntur, expectantes in magno gaudio, in magnis congaudentium choris, quando recepto corpore veniant, & appareant ante faciem Dei.* Pergit deinde tertium ignis purgatorij locum explicare. Cui opinioni consentit Bernoldi visio, & similes aliæ in Anglicana Bedæ historia. Expressa est & Flori Magistri sententia, eius qui contra Ioannem Scotum scripsisse dicitur. Postquam enim *perfectos iustos*, hoc est, Apostolos, Martyres, Confessores, & perfectioris vitæ viros docuit, *mox vt huius claustra carnis exeunt, in cælestibus sedibus recipi:* statim subiicit: *Nam sunt quorumdam iustorum animæ quæ cælesti regno, licet in beata requie, quibusdam adhuc mansionibus differuntur. In quo dilationis damno, ostenditur quòd de perfecta iustitia aliquid minùs habuerunt.* Et ne quis credat medium hunc locum, esse ignem purgantem, de illo postea disserit, docétque, pro animabus eo detentis & purgatis in missa orare Sacerdotem. Neque potest negari, nonnullis in ipsa antiquitate Patribus, eandem placuisse sententiam: sed eam cùm Augustinus disertè confutarit, quare curiosi illi quæstionum satores, qui se Augustini discipulos appellabant, hoc potiùs saxum mouere abnuerunt, si veritati certiùs, quàm vanitati, & contentioni laborabant? Sed hæc obiter; nos enim contra Gotteschalcum in numerato non ponimus, aliquid non dixisse: Quod autem verè dixit, & schedula scripta confirmauit, hoc expendere cogit historia.

Hincmari locus explicatur.

Erronea illius seculi opinio.

Hincmar. tom. 2. opusc. 2. c. 9.

Ibid. ep. 50.

Florus Mag. in expositi. missæ.

August. serm. 14. de verb. Apost.

CAPVT II.

Ratramni & Gotteschalci error de Trina Deitate exponitur.



ERROREM miserabilis nostri Monachi de Trina Deitatis natura, in eius extrema coniecimus, non temporum seriem sequuti, sed disputationis commodis, & distinctioni seruientes. Nam & ea quæstio iam inde ab initio excitatarum nouitatum mota est: & Gotteschalcus ad illam minimè opportuno loco allusit in Confessione vulgata, cùm ait: *Incunctanter esse dicitur apud te Dominum nostrum, naturaliter quidem vnum, sed simul etiam personaliter trinum.* Eius auctorem nemo prodidit; occasionem, & præcipuos fautores duos, exortæ circa illam hæreseos, Ratramnum primum, ac deinde Gotteschalcum in carcere, habemus ex Hincmaro, narrante, quosdam expensa clausula Hymni Ecclesiastici perantiqui, *Sanctorum meritis inclita gaudia*, qua canitur, *Te trina Deitas, vnaque poscimus*, contendere disputando cœpisse, *quòd sicut trinus & vnus Deus, ita trina, & vna Deitas & debeat, & catholicè valeat dici, vnde quique pro suo modulo scriptitarunt.* Perierunt modò scripta illa, & iacuit in tenebris controuersia. Sed eam tum auidè arripuit, ingenium nouitatum omnium capax, Ratramni Corbeiensis monachi, qui corrogatis ex Hilario & Augustino sententiis, sed corruptis & detruncatis, non modicum volumen de illa scripsit ad Hildegarium Meldensem Episcopum, qui non ex eo credendus est in hæresim illam diuertisse. Perijt & nobis liber iste, tolerabili iactura, neque apud Trithemium eius in Bertrami nomenclatione vestigium extat. Hæc contentio cùm maximè displiceret Hincmaro, fontem è quo à sciolis & turbulentis hominibus haustus erat error, præcludendum ratus, extremam eius hymni strophen amputari, & in posterum in Ecclesia sua taceri iubet. Clarè sonuit silentium illud apud Gotteschalcum inclusum; statimque, siue sodalis adiuuandi studio, siue hostis opprimendi noua spe erectus, calamum arripuit, & huc illuc ad plures amicos litteras, pro tuenda Trina Deitate, dispersit. Sed audiamus Hincmarum hominis mores & conatus graphicè describentem. *Hæc*

Quæstionis & erroris istius origo.

Gottesc. Confess. Prolix.

Hincmar. l. de non trina Deit. Præfat.

Ibid.

autem audiens Gotteschalcus, Orbacensis Monasterij Remensis Ecclesiæ pseudomonachus, (non tantùm vt Metropolitano, sed alio etiam priuato iure Orbacum fuisse Remis subditum ineunte historia monuimus) *tam inuidia mei, quem in Ecclesia cantari trinam Deitatem vetuisse audierat, quàm more suo, qui noua & antea inaudita, canaque orthodoxorum intelligentia contraria adinuenire, ac proferre, ab ineunte ætate sua vitiosa indolis delectabiliter studuit, & in eodem studio permansit, inde plurima scribere, & ad quoscunque potuit, primùm latenter, deinde quantùm sibi licuit, apertè mittere procurauit.* Hæc Gotteschalcus ille, qui frequenter in Dissertatione dicitur, per Hincmari satellites tam arctè custoditus, tam vigilibus oculis obseruatus, nihil vt suum ad Amolonem potuerit mittere; vnde necessaria consecutione conclusum est, per summam Hincmari fraudem supposita fuisse scripta, tanquam à Gotteschalco, quæ Lugdunum mitterentur.

Gotteschalcus de ea schedulam scribit contra Hincmarum.

Hæc origo quæstionis, hi turbæ errantis antesignani, Ratramnus & Gotteschalcus, par nouantium: atque hic maximè non doctior, sed audacior ceteris: cui se hac in causa non opposuisset Hincmarus, nisi & ab aduersario priuatim lacessitus, & ab Episcopis, & catholica plebe rogatus fuisset. Vide enim conclusi, & pene adhuc sub fustuario gementis monachi impudentiam. *Nouissimè diebus istis hanc subiunctam schedulam, quæ ad nos communiter per complices ac satellites suos peruenit, inde conscripsit.* Quid est *peruenit communiter*? Quod de me propriè scripsit, per omnium manus spargendum curauit, neque aliter ad me, quàm ad quoslibet alios deferri voluit, vt nemo prouocatum me ignoraret, & si qua ex causa respondere negligerem, triumphum inter suos caneret. Quid hic igitur Hincmarus? *De qua bonis vestris desideriis placuit, vt eam in hoc opere cum integritate ponerem, & post ad singula catholicorum sententiis responderem; vt dum ipsius sententia fuerint de hac causa oribus catholicorum, gladio videlicet spirituali, perempta, ceterorum, qui sensibus in illius currunt sententiam, muta fiant labia dolosa.* Duo postulantur ab Hincmaro, alterum, vt respondeat & populum edoceat, ne contagio erroris serpat in plures. Id quomodo sit factum, sequenti capite considerabitur. Alterum, ipsa vt in responsione verba, & totam Gotteschalci schedulam dignetur adscribere: quia se verborum quasi spiris ita complicant conuolutili isti nouatores, vt alia atque alia identidem loquantur, & veritatis iaculis vndecunque confossi, captos se pernegent. Suis ergo scriptis constringendi sunt, & manus chirographo reuincendi, ne desiliant & elabantur. Quid ergo scriptum illud contineat, & in quo posita sit hæresis Gotteschalci, modò videndum est.

Nouatores latere conantur.

Adeius explicationem quædam prænotantur.

Id autem vt ritè dilucidéque constat, memoria recolemus ex prioribus libris, Hincmaro Remensi negotium esse cum Theologastro sophista, verborum venditatore, rerum Theologicarum imperito, & quod caput est, superbo & peruicace ingenio, quales maiestatis suæ scrutatores Augustissima Trinitas vehementer odit & opprimit. Eius enim dicendi ratio semper fuit, multis nihil solidè dicere, verbis in speciem probis & catholicis, sensus hæreticos tegere, audacia sua simplices rapere, incantis illudere; vt omnino quoties ad catholicos redire videtur, qui eius fraudibus capi timet, attendere debeat, non quid dicat veterator, sed quid sentiat. Sentit autem non quod positionibus docet, sed quod rationibus & argumentis exponit. Sit exemplum in hac thesi. Deus naturaliter vnus est, & personaliter trinus. Quid ea positione certius? At audies quomodo *naturaliter vnum* explicet. Totæ tres personæ sibi sunt inuicem coæquales & coæternæ. Verissimè; sed inquirendum, æqualitas illa quid inuehat? Sabellius confudit, Arius diuisit Trinitatem: ideo vterque damnandus. Omnino vterque; sed quàm falsò Sabellianismi insimulatur Hincmarus, tam verè in Arianismum Gotteschalcus incurrit.

Apparet quoque eadem Sophistica, in quæstionis vniuersæ tractatione, quam ex facili reddit impeditissimam, & desultoria leuitate dicam, an ignorantia, huc atque illuc commeans, ad alium pertrahit statum, quàm qui enunciatur in titulo. Sic enim habet schedula Gotteschalci: *Quòd trina Deitas dici possit.* Hoc si secundùm omnem sensum negat Hincmarus, idcóque hymni clausulam abradi iussit à libris, ostende tu simpliciter, reperiri aliquem Ecclesiæ catholicæ cognitum & receptum; non fuisse proinde causam, cur hymnus pedibus suis truncaretur, & vicisti: cetera permitte peritioribus. Te verò post annum in theologicis studiis vix positum, clausum ergastulo, procul à libris, & collatione doctorum, quid est opus altiora te quærere, de naturæ diuinæ vnitate & trinitate dicere, in summo mysteriorum grammaticari & ineptire? Sic enim res habet. Aut naturam in Deo spectamus, aut personas: si personas, nemo vnquam catholicus in iis trinitatem negauit; si naturam, nemo fidelis trinitatem in eam intulit. Quare Hincmarus superscriptionem quandam sermonis Beati Augustini, *de vna Trinitate, trináque vnitate*, ex alio eius loco sic explicat, vt velit intelligi, & verè intellexerit, vnitatem in substantia, & trinitatem in personis. Sic intellexisse catholicos omnes, qui trinam Deitatem aliquando simplici credulitate nominarunt; neque dubium esse potest, quin versiculus, *Te trina Deitas, vnaque poscimus*, hoc sensu catholicissimè dici possit. Hoc igitur minimè omnium disputatur ab Hincmaro: sed id vnum, quod Gotteschalci schedula fusè tractatur, de natura ipsa Trinitatem dici non posse. Quare Gotteschalcus controuersiam contrahit à personis ad naturam, & germanus atque vnicus quæstionis status hic est, vtrum natura diuina sit, & dici possit trina, vt in titulo, *Quòd trina Deitas dici possit*. secludi cogitatione personæ debeant, & sola substantia considerari. Partem affirmantem tuentur Ratramnus & Gotteschalcus, séque muniunt eorum Patrum auctoritate, qui trinam pietatem, maiestatem, potestatem dixerunt. Negantem constantissimè propugnat Hincmarus, & oppositam blasphemiæ hæreseósque coarguit. Hic illos Arianæ diuisionis reos esse demonstrat: illi Sabellium Hincmaro impingunt, quam calumniam passos esse ab Arianis catholicos tradunt historiæ.

Status quæstionis ponitur.

Hincm. l. de non trina Deit. sect. 2.

Neque verò meram esse nominis quæstionem, qualis olim inter Græcos Latinósque Patres

De natura diuina, an

versata est, quisquam iure dixerit. Nam cùm vsiam ab hypostasi minùs distinguerent aliqui, tres vsias & hypostases, absque scrupulo nominabant, Latinis perdiu contradicentibus. Qui tamen omnes, re clariùs explicata, in sensum vnum conuenerunt, secundùm quem D. Thomas non est veritus dicere, *sicut dicimus in Deo tres personas, ita posse dici tres substantias indiuiduas, vnam tamen substantiam, quæ est essentia.* Nos autem de subsistentia & hypostasi, vt dictum est, hoc loco non agimus. Sed de essentia, quæ Deitatis nomine significatur, & quærimus, sit-ne hæc, non illa, trina appellanda? Séque ipse Gotteschalcus explicat, multis vt solet, vocibus homonymis aggregatis, cùm ait, *vbi est natura, essentia, substantia, maiestatis, potestatis, Deitatis vnitas & æqualitas.* Sempérque de natura, & essentia disputat Hincmarus, non posse trinam dici, quod de hypostasibus nunquam reuocauit in dubium.

D. Thom. quæst. disput. q. 9. a. 2. ad 9. V. in Summa 1. p. q. 29. a. 2. & 3. Hincmar. ibid. sect. 18.

Explicatur Gotteschalci sententia.

Sic autem opinionem suam exponit Gotteschalcus, vt de naturis vniuersalibus in Isagoge Porphyriana tractant Logici. Vnam esse naturæ diuinæ notionem omnibus personis communem, quæ ad singulas contracta per proprietates personales, singulas in ratione perfecti Dei constituat: non faciat tamen tres deos, cum Ario, qui *τριθεότητα* induxit, quia manet in pluribus vna, & vnus Deus & Dominus est. Vnde fit etiam, vt sine confusione tres personæ discernantur, contra Sabellium: quia natura diuina Filij, non est natura Patris; aliàs Pater æquè ac Filius incarnatus esset, & mortuus, quod Patripassiani somniarunt. Quæ omnia ipsis auctoris verbis ostendo. *Quapropter*, inquit, *cùm Dei natura nihil aliud sit, quam generalis, communis, atque vniuersalis omnium trium substantia, & vnaquæque in Trinitate persona, nihil sit aliud quàm propria, specialis, & indiuidua singulorum substantia, & essentia, patefacta est, Deo gratias, luce clariùs, inter vnam Dei naturam, & tres personas differentia.* Potuít-ne distinctiùs natura vniuersalis exprimi? Quid autem indiuidua propriam sibi naturam participantia? quæ sunt porro indiuiduantes illæ conditiones? Nimirum *Deus pater, Deitas est ingenita, innascibilis, & innata; & Deus filius, Deitas genita, nascibilis, & nata: & Deus Spiritus sanctus Deitas nec ingenita, innascibilis, & innata; neque genita, nascibilis, & nata: sed procedens à Deitate ingenita, innascibili & innata; & à Deitate genita, nascibili, & nata.* Vnde patet *quòd sancta Trinitas sicut vna essentialiter, atque naturaliter, sic procul dubio est personaliter trina Deitas: sicuti scilicet, maiestas, pietas, & potestas ob id prorsus est vna simul & trina, quia reuera vnaquæque persona per se est potestas prima.* Et paulò pòst, tanquam ex reuelatione, & ex tertio cælo, *Quod hic inserendum pietas illius inspirat, & donat. Quòd videlicet sicut vnamquanque ex Trinitate personam quisquis est catholicus credit & confitetur, integrum, plenum, perfectum penitùs Deum: sic vnicuique personæ suam propriam Deitatem integram, plenam, perfectam penitùs inesse credat, confiteatur, & asserat. In hoc enim liquet luce clariùs, quin patet sole splendidius, quòd inest vnicuique personæ sua propria Deitas atque diuinitas.* Et rationem adiungit, *quia reuera nequaquam assumpsit humanitatem, quod absit, vllo modo tota Trinitas, sed sola tantummodo filij Deitas.* Quo argumento distingui numero necesse est diuinam naturam quæ in Patre est, à natura quæ est in Filio: nam si in vtroque eandem numericè fatemur, oportere credit æquè Patrem incarnatum esse, atque Filium; quod Sabellianum & Patripassianum est. Ergo indiuidua naturæ diuinæ, Pater, Filius, Spiritus sanctus, singula sibi propriam diuinitatem possidentia, numerum faciunt, non iam in personis tantùm, sed etiam in natura. Eodem referendum quod alibi dicit, *vnamquanque personam esse per se Dominum Deum.* Quod enim de natura dicitur, idem profectò de attributis intelligi debet, vt singulis personis sua sit propria & specialis maiestas, pietas, potestas, & hæc naturaliter vnum, personaliter trina. Quemadmodum postea Gilbertus Pictauiensis Episcopus apud S. Bernardum scripsit, *Pater est veritas, id est verus; Filius est veritas, id est verus; Spiritus sanctus est veritas, id est verus: & hi tres simul non tres veritates, sed vna veritas, id est, vnus verus.*

Gottesch. apud Hincmar. l. de non trina Deit. sect. 15.

Ibid. sect. 18.

Bern. serm. 80. in Cantic.

Quam probat exemplo, quo refellitur.

Rem probat exemplo Sophista, & magnum in Apostoli auctoritate momentum, vanissima iactatione collocat. *Quando baptizamur*, inquit, *id est tinguimur, ter procul dubio mergimur, & tamen propterea trina ipsa mersio, & trinum baptisma, id est, trina tinctio, non, quod absit, tres tinctiones, aut tria baptismata, sed vna est generaliter mersio, & vna tinctio, id est, vnum baptisma; dicente Apostolo, vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma.* Acumen hominis! dicit Apostolus vnum esse baptisma, non plura, in quo tamen ter mergimur, ergo in baptismate non fiunt tres mersiones. Similiter, in Trinitate licet singulæ personæ propriam sibi possideant deitatem, sunt tamen vna generaliter deitas, non plures. Atqui sunt in baptismate tres mersiones inuicem distinctæ, & seiunctæ, quæ simul sumptæ vnum baptisma conficiunt: vt tres vnitates collectæ faciunt tria: centum lapides hac ratione dispositi, sunt generaliter vna domus: mille homines sic agglomerati, sunt generaliter vna legio. Ergo similiter in Trinitate tres deitates distinctæ, diuisæque, ex quibus simul sumptis fit generaliter vna Deitas. Age autem, vnum baptisma cùm dixit Apostolus, ad diuinam naturã attendit, an potiùs ad illud baptisma, quod vni Ecclesiæ traditum est à Christo, præter quod aliud nullum est? Cùm in baptismate tres mersiones vsurpauit Ecclesia, naturam diuinam significauit, an personas? Cùm Gregorius Pontifex Hispalensi Leandro respondit, vna mersione contentos esse debere catholicos, quia *in vna, potest diuinitatis singularitas designari*, an intellexit *generaliter* vnam deitatem? Cùm suadet ne mos hæreticorum in trina mersione assumatur, *ne, dum mersiones numerant, diuinitatem diuidant*; nónne in baptismate tres distinctas mersiones agnouit, & in diuinitate numerum singularum naturarum exhorruit? Quid est enim *singularitas diuinitatis?* Opinor incommunicabilitas quæ dicitur, vni naturæ suæ indiuiduo ita propria, vt cum altero eiusdem specificæ naturæ indiuiduo communicari omnino non possit: habet ergo *singularitas* illud proprium, vt & indiuiduum in statu suo constituat, & à quocunque alio distinguat diuidátque. Quare si persona quælibet habeat

Gregor. l. 1. epist. 41.

sibi propriam & specialem deitatem, illa singularis est, & indiuiduum naturæ diuinæ cóstituit, & ex incommunicabilitate sua, ab alio distinguit & diuidit: vt singulæ baptismatis mersiones, sua singularitate inuicem differunt, & omnino ternarium conficiunt mersionum numerum. Atque sic Hispalenses Ariani ad naturam & essentiam diuinitatis attendentes, vt Gotteschalcus, non ad personas, *dum mersiones numerant, diuinitatem diuidunt.* Et post hæc doctor Gotteschalcus anathema dicit Arianis, *qui colunt tres maiestates, tres pietates, tres potestates, tres Deos, atque tres Deitates*: ipse, quod verissimè ait Hincmarus, *Ary, imo ipsius Diaboli filius, Arium sensu sequens, quem verbotenus detestatur.*

Axioma Gotteschalci genuinè explicatū. Ex quibus germanam eius pronunciati celebris explicationem discimus, cùm verbis catholicis, sensu hæretico dicit, *Deum naturaliter vnum, & personaliter trinum esse.* Vult enim naturam Dei specificè concipi vt abstractam, & mente separatam ab indiuiduis tribus personis, quo in statu phantastico, penitúsque blasphemo, (cùm naturarum creatarum more, diuinitas vt species de indiuiduis prædicabilis, fingi non possit) vnitatem habeat vniuersalitatis; ita sit naturaliter vna Deitas; & tribus deinde applicata personis, tria faciat indiuidua naturæ diuinæ, in singulis propriæ, & incommunicabilis; quod vocat *personaliter trinum.* Eodem planè modo, quo philosophantur Logicorum filij, tres homines conuenire in communi hominis essentia, eámque Petro, Paulo, atque Andreæ communem rationem, intelligentiæ nostræ vi & operatione, ab illis indiuiduis abstractam, vnam fieri & vniuersalem, à tribus illis participari potentem, & singulos facere integrum, plenum, perfectum penitus hominem, per propriam quæ singulis insit humanitatem, integram, plenam, perfectam. Quo intellecto, vt nemo sapiens negare potest illos esse naturaliter vnum, & tres personas, trésque homines; sic necessariò fateri debet suis in principiis Gotteschalcus, tres esse Deos, & naturæ diuinæ vnitatem, in solo nostro intellectu esse, trinitatem autem naturarum reapse, & à parte rei in personis existere. Cui bono igitur inanis illa tot verborum congeries, & affectata Arianorum atque Sabellianorum damnatio? De qua per similitudinem sibi familiarem bene admonet Hincmarus. *Sicut venefici & sortiarie*, inquiens, *mel ad os vasculi virus celantis ponere solent: sic Gotteschalcus in initio suprascripta sua compilationis, hæreticorum errores proponit, & verbotenus respuit, vt credibilius se catholicum mentiens, simplicibus illudere, & se commendabilem reddere possit, & hæreticus contra hæreticos loquens, Lupus ouis pelle palliare se volens.* Quam obseruationem ad omnem eius doctrinam, & asseclarum referendam esse qui non iudicauerit, is controuersiæ huius nostræ se fatebitur ignarum.

Hincmar. ad Sched. Gottesch.

Gotteschalco nihil imponitur. Scio equidem nonnullis in verborum cortice hærentibus, videri iudicium Hincmari rigidius, ne dicam iniquius, qui malum sensum in bonis verbis requirat. Hunc enim verè sensum esse, & sic agi debuisse cum vafro hæretico virus occultante, certum mihi redditur, cùm Hincmarum grauem & eruditum virum audio sic explicantem, siue apud Nicolaum Pontificem, in Epistola ad Egilonem Archiepiscopum; siue apud Gotteschalcum ipsum & Ratramnum, visuros ista, & si quid imponitur, de calumnia litem moturos; siue apud quoslibet alios Lectores, qui & ipsi Ratramnum docentem audire, & Gotteschalci mentem accuratè capere potuerunt. In his omnibus si nemo repertus vnquam est, qui malignitatis & odij in interpretanda Gotteschalci schedula Hincmarum accusarit, dubitas quin eius animum penitus assequutus sit, & controuersiam legitimo & proprio sensu disceptarit? *Idem epist. 25. ad Egil.*

§. VNICVS.

Continuata Gotteschalci eodem in proposito deliria.

PERGIT delirare stolidus senex, & de diuinis notionibus inaudita disserere, cùm eas negat relatiuas, quia sunt substantiales. *Illud etiam patet, & absque nubilo claret, quod nomina personalia non sunt vllo modo relatiua, sed potiùs essentialia, siue substantialia, sicut sunt & naturalia.* Non videt imperitus Logicus, relatiuum essentiali non opponi, sed absoluto. Quis autem vnquam somniauit patris nomen aut filij absolutum esse aliquid, non relatiuum; genitum ad generantem, productum ad producentem non referri? Neque animaduertit malus Theologus, absolutis attributis non differre sanctissimæ Trinitatis personas, sed relatiuis; quicquid absolutum est, commune personis esse, vt maiestatem, æternitatem, iustitiam; sola relatiua, singulis personis conuenire. Denique relationes omnes accidentia esse putat, nullas habet pro essentialibus; quæ si nullum inuenirent in rebus creatis exemplum, nónne in diuinis personis solidissimè fundarentur? Quæramus igitur à Sophista, qua re tandem personæ inuicem differant, si nihil habent in suo non absolutum? *Hoc tamen inter se tantummodò differunt, quòd nomina naturalia totis tribus personis æqualiter sunt communia, siue generalia: at personalia singulis tantummodo personis probantur esse propria, siue specialia.* Hoc ipsum est quod rogamus, quare sint hæc specialia & propria, si absoluta sunt, & non relatiua? *Quemadmodum verbi gratia, cùm dicitur Dei natura, totius Trinitatis communis cognoscitur essentia: cùm verò dicitur persona, non nisi vnius ex Trinitate specialis dignoscitur esse substantia.* Ita tamen specialis est, vt omnibus tribus personæ nomen conueniat, & singulis sua sit propria & specialis natura: quare non minùs naturæ nomine, quàm personæ differre debebunt, quas *execrandas blasphemias* appellat Hincmarus. *De notionibus diuinis peruersè philosophatur.* *Hincmar. sect. 16.*

Noua & absurda Trinitatem orandi methodus. Quomodo autem in orationibus nostris compellanda sit augustissima Trinitas, aut persona qualibet, incredibili tradit insania. *Quando singillatim loquimur ad vnamquamque ex Trinitate personam, non tunc prorsus ad totam Trinitatem loquimur.* Nimirum habere putat propriam & specialem vnamquamq; deitatem, qua distinguatur ab alia. Sed & in sensu catholico, personæ cùm differant, adorari certè vna, & obsecrari seorsim potest ab alijs: & nonnullis canonibus cautum esse scimus, vt orationes omnes Ecclesiasticæ ad Deum Patrem dirigantur.

Eoque

Eóque respexisse Monimus credi potest, cùm de sacrificio quod soli Patri immoletur, Fulgentium consuluit. Pergit doctor hæreticus. *Quapropter, quando singillatim solitariè sic supplicamus, & impetrasse nos, vel impetrare, vel impetraturos esse cognoscimus, aut sentimus, aut credimus, suppliciter eidem personæ, cui tunc supplicauimus, atque supplicamus, dicere debemus, tibi Deo gratias: & cum ipsa persona, ceteris duabus pariter, vobis Deo gratias.* Et inferiùs rem eandem fusiùs explicans, ait inter cetera. *Dixi non longè superiùs, vni ex Trinitate personæ, cui singillatim solitariè supplicamus, debere dici, Tibi Deo gratias; & ne simus ceteris duabus personis ingrati* (ab æmulatione videlicet & inuidia periculum est) *oportere subiici, vobis Deo gratias. Quia quisquis loquens ad vnam personam dicit, Tibi Trinitati Deo gratias, pene sic errat, vt Iudæus & Sabellianus. Porro qui dicit, vobis Deo gratias, aut Paganus est, aut Arianus. At qui dicit vnicuilibet personæ, Tibi Deo gratias, atque æquè ceterisque duabus personis, vobis Deo gratias, reuera catholicus est, ac verus vtique Christianus.* Quæ deliramenta sic explodit Hincmarus. *Hæc autem nunquam per vllius hæretici linguam serpentem antiquum sibilasse, nisi per os Gotteschalci, audiuimus; nusquam nisi in suis scriptis legimus. Quid enim stultius, quàm talia proferre quæ nusquam prolata inuenit, nunquam à quocunque dicta audiuit? Et quod perstultum est, ad suam confirmandam sententiam, talia scripturarum testimonia protulit, quibus ipsa eius sententia manifestè destruitur, & velut phreneticus funem portat, quo vinciatur, & gladium porrigit, quo interficiatur.*

Hincmar. sect. 17.

Ibid. sect. 18.

Ibid. sect. 17. cit.

Reprehendit quandam clausulam orationum vsitatam in Ecclesia.

Quod autem modò in cursu dicebamus, de dirigenda ad Patrem oratione, id ipsum hoc in proposito non omittit Hincmarus, adiecta Gotteschalci audacia, Ecclesiam reprehendentis, quòd orationes suas aliquando in prece Filij concludat. *Nam canones Carthaginensis Concilij sub Aurelio, constituerunt,* inquit, *vt nemo in precibus vel Patrem pro Filio, vel Filium pro Patre nominet; & cùm altari assistitur, semper ad Patrem per Filium dirigatur oratio.* Quia mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, in dextera Dei interpellat pro nobis. Nihilominus quædam orationes ita terminantur ab Ecclesia loquente ad Dominum Iesum Christum: *Qui viuis & regnas cum Deo Patre, in vnitate Spiritus sancti Deus. Quod non discordat à præfato canonicæ constitutionis Capitulo, quia non cum Patre Filius nominatur; sed propriè in hac conclusione sanctæ Trinitatis personæ distinguuntur, & vnitas eiusdem sanctæ & inuididuæ Trinitatis substantiæ catholicè confitetur.* Quod nouo Doctori Gotteschalco non placere subiicit. *Licet Gotteschalcus scribens ad quendam complicem suum hoc reprehendit: Ab imperitis, inquiens, non bene dicitur, qui viuis & regnas cum Deo Patre, in vnitate Spiritus sancti Deus; ne Filius, quod absit, esse Spiritus sancti Deus putetur.* Absurdè istud quidem, quando nemini vnquam visum est credere, vnam Trinitatis personam, personæ alterius Deum esse, & si Christus ex cruce ad Patrem exclamauit: *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me,* id secundùm humanam naturam atrocissima patientem dixit. Quis autem illi orationum Ecclesiasticarum clausulæ hunc sensum inesse

Ibid. sect. 18. cit.

posse somniauit, cum manifestè velit Ecclesia, trium quas nominat personarum vnitatem in diuina natura confiteri? Quòd si Gotteschalco non satisfacit in omnibus Ecclesia, miraris ipsi obiectum ab Hincmaro, ipsum *sine vlla reuerentia reprehendere quicunque à dogmate illius dissentiunt? Sicut in hac eadem compilatione* (alia quàm quæ initio libri describitur) *reprehendis Paulum, quia non regulariter dixit: Fides, spes, caritas, tria hæc: maior autem his est caritas: dicens, quia, maior horum, dicere debuerat: & Priscianum denotat, asseuerans, quia illum hæc regula præterierit. Sed & Hieronymum, & Augustinum, & Bedam toto ore & buccis inflatissimis de quibus visum est reprehendit.* Intolerabilis profectò grammatici Nouatoris arrogantia, & impudentia, quæ magnum est si in eo substitit, neque ad posteros æquè nouatores peruenit.

Gotteschalci arrogantia.

Ibid. sect. 16.

Et quoniam magistris solenna est, post demonstrata discipulorum errata, condere aliquid in exemplum, in quod intuentes, & à vitiis illis abstineant, & perfectionem agnoscant ad quam connitantur: seipsum bene precandi exemplum offert pseudomonachus, & orationes ad Trinitatis personas componit, tanquam regulas omnibus proponendas. Placet animi gratia duas huc inferre, quibus similes euchologium nostrum non complectitur. Prior est ad Spiritum sanctum. *Hinc & ego dixi crebrò Spiritui sancto.* Quasi dicat, vt discas quomodo singillatim loqui oporteat vnicuique Trinitatis personæ, audi qua ego ratione Spiritum sanctum orare soleam. *Veni benedicte Deus Domine Paraclite, veni missus à benedicto Deo Domino Paraclito, in nomine benedicti Dei Domini Paracliti, & vt sit semper omnis honor, laus & gloria meritò vobis benedicto Deo Domino Paraclito trino & vni, vestróque simul benedicto nomini, necnon & numini, Amen.* Non habuit, quod sciamus, magister hic imitatores pietatis suæ discipulos, neque ab eo didicit Ecclesia, tres benedictos, Deos, Dominos, Paracletos distinguere; sed ab Apostolis Ioanne & Paulo, benedictionem, & claritatem, & sapientiam, & gratiarum actionem deferre Deo nostro ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ipsi gloria, non ipsis, licèt Trinitatem hæc verba insinuent, vt notat Hincmarus.

Aliqua Gotteschalci orationes ad personas Trinitatis.

Ibid. sect. 17.

Posterior oratio Deum Filium alloquitur, cui sic præfatur Hincmarus. *Et post hanc vnitatis confessionem, statim componit hanc infidelem orationem dicens.* Ad formam videlicet & exemplum componit, quando nonnihil annotari iubet, vt eum ex arte loquutum esse nouerimus. *Dominator Domine Deus meus, misericordia mea Iesu Christe, rex gloriæ, precor te gratis exaudi me secundùm tuam diuinitatem, & Patrem tuum Dominum Deum nostrum roga secundùm tuam humanitatem, vt ipse noster benedictus Deus Dominus Paraclitus, in nomine tuo nostri benedicti Dei Domini Paracliti, det nobis peræquè Spiritum sanctum, Deum nostrum Paraclitum; & sit semper omnis honor, laus & gloria, meritò vobis benedicto Deo Domino Paraclito, trino pariter & vni, vestro simul benedicto nomini, necnon & numini, Amen.* Quid hac verbositate magis dici potest affectatum? Num iure optimo vetus illud occinamus. *Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes?* Sequitur autem annotatio,

Alia oratio ad Deum Filium.

Ibid. sect. 18.

Porrò ne te moueat illud, quod ibi pluraliter dicitur, semper omnis honor, laus, & gloria meritò vobis benedicto Deo Paraclito, trino pariter & vni, vestróque simul benedicto nomini. Cognosce quia sic proculdubio congruit dici. Nam quando loquimur ad vnam ex Trinitate personam, non ad Trinitatem loquimur, sed ad vnum quemlibet ex Trinitate. Planè vt inter homines, ternis simul ambulantibus, cùm medium salutas, & alloqueris, duobus qui latera tegunt, non loqueris: sunt enim tres homines diuersi, in natura generali conuenientes, at propriam & specialem singuli possidentes. Idem in sanctissimæ Trinitatis personis comminiscitur Gotteschalcus: potes vni singillatim solitariè supplicare, quod de Trinitate asserit Gotteschalcus; atque adeo sperare, & accipere ab vno solitariè singillatim id quod postulas: hoc ex consequenti in Trinitate fateatur necesse est Gotteschalcus, repugnante omni Theologia. Tum verò alij duo molestè ferre debent nihil se rogatos, sed placabuntur, si concesso dono, tribus omnibus dixero, *Vobis gratias ago.* Hoc Trinitati dicendum putat Gotteschalcus, cùm ex aduerso in imagine Trinitatis scribat Augustinus. *Quid agis Loth sancte? Angelos vides, & non vnum, sed duos; & dicis, Domine? Ad vnum verbum facis, vnum precaris, non metuis ne alteri iniuriam facere videaris? absit.* Quod & ad Abrahami visionem, Trinitati propiorem, facilè transferas, qui tres vidit, & vnum adorauit. Et hæc quidem, & huiuscemodi alia Gotteschalcus, mysteriis Theologicis non initiatus: at Ratramnus opinionem suam, qua via exposuerit, non liquet: si tamen ex alio de Prædestinatione opere coniecturam facere licet, vsque eò dementiæ venisse non arbitror, vt ita de Deitate generali & speciali philosopharetur, aut iis verbis sensibúsque orationes ad Deum conciperet.

August. l. contra 5. hæres.

CAPVT III.

Hincmarus librum scribit aduersùs Gotteschalcum De non trina Deitate dicenda.

Qua de causa librū hunc scripseris Hincmarus.



VÆSTIONEM de Prædestinatione cum Gotteschalco disceptandam, velut spartam suam ita suscepit Hincmarus, vt à compluribus aliis quæ nominatæ sunt à nobis, voluerit abstinere. Sed hanc relinquere intactam omnino non potuit, coactus ab aduersario, rogatus à suis, ab Episcopali officio excitatus. Sic enim facti sui rationem reddit. *Quapropter ministerio dignatione diuina indignitati meæ imposito, ad hanc solicitudinis curam ac studium, non modò vestris petitionibus sum inuitatus, verùm & tractus: & quantùm ipsa Deitas, quæ Trinitatis est vnitas, dederit, & occupatio multiplex, atque contumacia, inertiáque sensus mei permiserit, exequi ea quæ petitis, procurabo.* Atque vt inuitum se & restitantem in hanc arenam descendere ostendat, proximè sequenti versu *suæ seruitutis opusculum* vocat, quod & alibi repetit. Quàm fuerit enim ab ea scriptione alienus, vel hinc patet, quòd non nisi diu post exortam disputationem, post editum à Ratramno *volumen quantitatis non modicæ*, post vetitam cani publicè hymni Ecclesiastici conclusionem, post schedulam Gotteschalci quæ priuatim petebatur, à se impetrauit vt scriberet: ac si ergastulum suum otiosus, aut sopitus seruasset Gotteschalcus, contra Deitatem trinam non declamasset Hincmarus.

In Prol.

Eius autem in scribendo consilium, non est rem antea iudicatam retractare, aut cum hæretico de rebus sublimibus disputare, sed *commissas sibi animas per suam prouidentiam cautas reddere:* vt iuxta B. Petri vocem *parati semper simus ad satisfactionem omni poscenti nos, rationem de ea quæ in nobis est spe, reddere.* Quemadmodum enim oriente controuersia de Prædestinatione, cauendum putauit ne minùs periti, nouitatis poculum de manu meretricis hæreseos acciperent, eos proinde præuenit antidoto, Epistolam scribens ad Reclusos & simplices parochiæ suæ; sic collectionem istam fidelibus sibi subditis pastorali solicitudine, non disputandi libidine componit & propinat. Quod & alibi profitetur explicatiùs. *Restant autem adhuc plura de Gotteschalci blasphemiis, contra quæ non disputatoris officio, sed simplicium prouidentes auxilio, sicut præcedentia, sic & hæc quæ sequuntur, de Patrum catholicorum dictis collegimus; ne videremur à nescientibus in responsione ad omnes Gotteschalci nænias defuisse: cùm S. Petrus iubeat nos paratos esse, quolibet modo pulsemur, ad satisfactionem omni poscenti.* Hoc idem non obscurè significat Flodoardus, cùm huius opusculi meminit. *Librum quoque collectum ex orthodoxorum dictis Patrum, ad filios Ecclesiæ suæ, quod diuina Trinitatis Deitas, Trina non sit dicenda, cùm sit ipsius summa Trinitatis vnitas, ad refellendas præfati Gotteschalci blasphemias.* Neque Regem suum tali in causa præterire voluit, rerum theologicarum studio laudabiliter addictum. *Item ad Carolum Regem super hac eadem re, librum vnum.* Incertum qua methodo? An contentiosa, cuiusmodi est liber de Prædestinatione; an tantùm exegetica, qualia sunt opuscula ad eundem Regem in fronte tomi 2. collocata? Licet autem neminem hac in quæstione pro Gotteschalco sibi repugnantem sit expertus, illis tamen libris aduersariorum spiritus frangendos non sperauit; vt disertè admonet. *Plura denique horum, sed & aliorum orthodoxorum hinc potuissemus ponere testimonia, quæ suis locis Lector poterit inuenire: sed scimus quoniam quantacunque posuerimus, æmulorum inuidiam, & Gotteschalci perfidiam, & si per rationem & auctoritatem superare, non tamen penitus sedare valebimus.* Adeo pertinax liuor est, vbi semel ad eximiam virtutem & sapientiam adhæsit.

Quod sit huius libri consilium. Ibid. in Prol.

Ibid. sect. 4.

Flodoard. l. 3. c. 15.

Hincmar. sect. 4.

Quo verò tempore negotium istud susceperit, neque præcisè dici posse, neque admodum scitu necessarium esse arbitror. Eius quidem tenuis character est ad libri calcem. *Hæc omnia post librum de Prædestinatione contra Gotteschalcum & complices eius, statim in initio suæ de Trina Deitate blasphemiæ collegi & scripsi; & per me, ac per fratres meos, sed & per frequentia scripta, vt resipisceret, & à suis in Deum blasphemiis sensum & os suum reuocaret, sæpe commonui; sed apud eum nihil profeci.* Quis hic tenebras non sentit? *Hæc omnia*, inquit. Quæ? An totam operis molem, quæ principio &

Quo tempore scriptus sit liber.

fine clauditur? Quî credam, cùm *ſtatim in initio blaſphemia collegiſſe* ſe dicat, quæ perfeciſſe demonſtrat ſub vitæ ipſius exitum? Quod eſt autem *initium ſuæ blaſphemiæ?* Quis illud diuinauerit, cùm tempus eius ſchedulæ ſcriptæ ſit ignotum, & ante ſchedulam de Trina Deitate idem quod Ratramnus ſenſerit, & librum Auguſtini corruperit, vt alibi audiemus? *Poſt librum de Prædeſtinatione*, inquit. Quem? Priorem, an poſteriorem, quem habemus præ manibus? Priorem putat Sirmondus in ſynopſi chronica ad an. 857. ante Synodum Lingonenſem, *Hincmari collectio*, inquiens, *ex ſacris Scripturis, & orthodoxorum dictis, quòd vna, & non trina dicenda ſit Deitas, contra Gotteſchalcum.* Poſteriorem mauult Diſſertator, leuibus ſanè rationibus inductus, ſi tamen vllis. Ait enim, quod probare non poteſt, cœptum ſtatim poſt librum de Prædeſtinatione, quem nondum anno 863. perfectum fuiſſe credit: & ſic conſtare hanc ſchedulam non ante annum illum 863. à Gotteſchalco fuiſſe conſcriptam: ſed anno illo vel ſequenti ſaltem, emiſſam hinc probat, quia anno 864. Hincmarus Epiſtola ad Nicolaum Papam hæreſis notat Gotteſchalcum, quòd Deitatem ſanctæ Trinitatis trinam eſſe diceret. Quæ omnia quàm nullius ſint ponderis malo in Lectoris iudicio relinquere, quàm inutiliter in re tenuiſſima immorari. Veroſimilius arbitror, cùm ea cœpit agitari controuerſia, Gotteſchalcum omnium nouitatum hominem, malæ parti fauiſſe, ſed clanculùm. Deinde autem cùm in iis caſtris Ratramnum ſuum militare accepit, in eius gratiam corrupiſſe librum Auguſtini, qui tum deſcribebatur in Altiuillarenſi Monaſterio, quod accidit paulò ante Synodum Sueſſionenſem ſecundam Prouinciarum quinque. Poſt hæc incaleſcente diſputatione, hymni partem extremam præcidiſſe Hincmarum; tum demum eius inuidia in aciem prodiiſſe Gotteſchalcum, reſumptis animis ferocé, ex patrocinio quod ab Eccleſiæ Lugdunenſis libris, & Concilio Valentino ſperabat; illam proinde ſcripſiſſe ſchedulam, quam vocat Remenſis, *initium eius de Trina Deitate blaſphemia*, publicè videlicet innoteſcentis, poſt Lingonenſe Concilium, quo confirmatum Valentinum eſt, & Tullenſe apud Saponarias, quo dilata quæſtionis cognitio. Quibus quia reſpondere debuit Hincmarus, idque opere priori de Prædeſtinatione perfecit, eo completo ad iſtam de non Trina Deitate collectionem animum appulit; eámque per otium repetitis identidem ſtudiis conſummauit, iam expleto poſteriore libro de Prædeſtinatione: hæc enim tractatio; quia propria fuit Hincmari, ceteris omnibus debuit præire. Illo denique iam ad vmbilicos deducto, adiectam fuiſſe puto appendicé de morte Gotteſchalci, non quòd ea ſtatim poſt abſolutum librum euenerit, ſed quòd eo loco, quàm vſquam alibi, commodiùs deſcripta ſit. Sed iſta vt præfatus ſum, non diſputo, vt ad librum ipſum recentior deueniam.

Sirmond. Synopſ. chron. ad an. 857. — *Diſſert. c. 45.* — *Hincmar. ſect. 2.*

Quæ ſit libri diſpoſitio. Conuenientius enim eſt noſſe, qua ſcribendi methodo ſit vſus Remenſis, ad detegendam confutandámque renaſcentem in ſenſu Gotteſchalci hæreſim Arianam. Ac vniuerſum quidem libri corpus ita componit collocátque, vt ſchedulam ipſam aduerſarij ſine fraude deſcribat, memor reprehenſos à ſe Valentinos Patres, quòd Cariſiacenſia *Capitula ſcriptis ſuis inſerere noluerint, ne ab illis legerentur, in quorum manus illorum Capitula deuenirent.* Deinde, membratim diſſectam explicat, improbátque, prolatis ex aduerſo veterum Patrum teſtimoniis, quibus conuincitur Monachus Arium refodere. Neque omittit verſum vltimum, quo S. Gregorij ſententia aduerſum ſe vibratur, *Virtutibus plenus inuitus ad regimen veniat; virtutibus vacuus nec coactus accedat.* Qua ſcorpij cauda peti ſe non diſſimulat, ſed vulnerari negat, cùm placidiſſima oratione reſpondet. Hoc peracto quaſi penſo, quia *Gotteſchalcus plures ſcedulas blaſphemiarum ſuarum compilauit*, eas deligit ad hanc quæſtionem pertinentes, *de quibus quoſdam ſcandalizari didicit.* Ad extremum, ſomnia quædam delirantis Gotteſchalci exhibet, alio loco à nobis audienda. Ipſius autem dicta vt diſtinguat à ſuis, duos characteres appingit, obelum — Gotteſchalcanis, chreſimon XP. ſuis. Qua de re ſic loquitur. *Exequi ea quæ petitis procurabo, ponens cum integritate ſui, in hoc opuſculo noſtræ ſeruitutis, eiuſdem Gotteſchalci ſchedulas, & per ſingulas ſententias, more veterum, obelum —, id eſt, iacentem virgulam iis opponemus, vt quaſi ſagitta, falſa illius dicta confodiat. His verò quæ opponentur ex orthodoxorum dictis, eius ſententiis, figuram XP. quæ chreſimon dicitur, prænotabimus, vt per eam catholicorum teſtimonia, quæ reſiſtunt venenoſis eius ſenſibus, demonſtrentur; & ſana ac verè chriſtiana intelligentia, vt reuera à Chriſto contra antichriſtos tradita, euidenter ſimplicibus & deuotis mentibus oſtendatur.* Vetus inuentum Ariſtarchi criticorum principis, cui placuit Homericos verſus quos probaret, aſteriſco, quos haberet pro ſpuriis & ſuppoſititiis, obelo notare. Quem poſtea imitati ſunt Origenes & Hieronymus in ſcripturæ ſacræ editione: ac demum Prudentius ea diſtinctione Ioanni Erigenæ reſpondit: niſi quòd truculentiùs obeli loco, nigrum ⊖ præfixit. *Verba quoque eiuſdem Ioannis vt ab eo digeſta ſunt, pluribus locis inſerui, prepoſito etiam nomine ipſius, cum precedente illud nota, que Græcè dicitur Θῆτα, quam ſententiis capitalibus damnandorum, aliqui præſcribere ſolebant.* Id autem ſine exemplo præcedente facit Trecaſſinus, cùm criticorum neminem antea in ſcriptis damnandis ea nota vſum fuiſſe legamus. *Vbicumque autem mei ſermonis interpoſitio neceſſarium locum expetit, notam ſuperponere ſtudui, quæ ab Aſtigraphis chriſimon nuncupatur, quoniam velut monogramma nominis Chriſti effigiare quodammodo cernitur.* Modeſtior mihi videtur Hincmarus, qui non ſuis, ſed orthodoxorum dictis eam notam præponere profitetur.

Ibid. ſect. 14. — *Notis diſtincta dicta diuerſorum.* — *Ibid. Prol.* — *Prudent. L. contr. Scot. Præfat.*

CAPVT IV.

Quomodo in hoc errore Gotteſchalci refellendo verſetur Hincmarus.

IAm quod huius loci caput eſt, videamus in Gotteſchalci errore confutando quam ineat rationem Hincmarus. Eandé certè, quam in ſuperioribus quæſtionibus, quia ſimilis vbique ſui veterator, magna pietatis ſimulatione fœdiſſimas hæreſes cõtegit, & verbo tenus catholiciſſimus, mentem pertinaciámque hæreticam per *Quibus ex capitibus refutatio ducatur.*

scripta circumfert. Præcipuos aperio fontes, ea methodo, eóque qui mihi clarissimus videtur ordine, cùm necessitate compulsus sit Hincmarus confusiora aduersarij vestigia consectari. I. In primis enim, audito iam antea pronunciato in libro de Prædestinatione, non omnia hæreticorũ verba repudianda catholicis asserit, illósque cum leprosis confert, qui bona malis, velut sanam cutem vitiligini interserunt. *Nulla quippe prorsus falsa doctrina est, quæ non aliqua vera intermisceat.* Quare, vt antea geminam Prædestinationem, de qua vna digladiari censebatur Gotteschalcus, bono sensu admittebat, prædestinatiano exectabatur; ita hoc loco, vnum & trinum Deum, vnam & trinam Deitatem apud catholicos doctores, saltem poëtas legi fatetur, qui lege metrorum coacti, non præiudicant fidei: agnoscit Deum naturaliter vnum, personaliter trinum catholicè dici, at non eodem modo trinam Deitatem. *Quod dicit, Deum personaliter trinum, & naturaliter vnum, verum dicit. Quod autem dicit, confiteri debere Deitatem sic personaliter trinam, sicut naturaliter vnam, profectò mentitur.* Opus est acumine theologo hæc vt distinguantur, quorum similitudo ipsa sui subtilitate decipit imperitos.

Heretici vera falsis admiscent. sect. 1.

Ibid. sect. 3.

Ibid. sect. 1.

Hoc ex pronunciato duo deducimus. Prius est, in Nouantibus istis, non externum verborum corticem, sed germanam eorum intelligentiam attendi oportere. Sic enim *peruersam intelligentiam* Ratramni vocat: ita Gotteschalci *pellem ouinam* describit, quam *quia se inde non bene contexit, doctores catholici detrahentes*, inquit, *nudum lupum, apertúmque hostem ouilis dominici, quod est Ecclesia, eum esse demonstrant.* Posterius, ad cauendam paratam simplicioribus fraudem esse securius, si verbis insidiosis abstineatur. Qua potissimùm ex causa geminæ Prædestinationis vocem tanta contentione voluit exclusam: neque modò aliter trinæ Trinitati infensus est; eámque vocem, truncato etiam hymno vetere, in Ecclesia vetat audiri, ne minùs cauti quod non malè loquuntur, pessimè sentire condiscant. *Et quia de his verbis quæ catholicè à catholicis & intelliguntur, & proferuntur; ab hæreticis, sicut & de pluribus sanctæ Scripturæ verbis, visa feri sunt scandala, orthodoxi doctores, & magistri Ecclesiæ, in totum taceri voluerunt trinam vnitatem, sicut & trinam Deitatem, & tres apud Latinos substantias. dicentes hoc modo: Trinitas appellatur, quòd fiat totum vnum, ex quibusdam tribus, quasi triunitas, videlicet trium vnitas, vt memoria, intelligentia & voluntas, in quibus mens habet in se quandam imaginem diuinæ Trinitatis. Nam dum tria sunt, vnum sunt, quia & singula in se manent, & omnia in omnibus.* Sic olim à Monachis Scythis duce Ioanne Maxentio turbatum est in Ecclesia, cùm vellent ad Chalcedonense Concilium adiici, Vnum de Trinitate passum esse. Quibus magno consensu animóque catholici omnes obstiterunt; non quòd negarent Christum esse Deum, ac sic vnam Trinitatis personam esse hominem, ac per hoc esse passum: sed quòd illa propositione virulentum aliquid, & ipsi Concilio, quod tueri se fingebant, contrarium tegi iure optimo suspicarentur. Quid enim opus illis verborum ambagibus, vbi res ipsa simpliciter efferri potest?

Verba hæreticorum non semper attendenda.

Ibid. sect. 1. cit.

Ibid. sect. 2.

V. Baron. ad an. 519. tom. 7.

II. Secundo pronunciato, Nouatores illos ait, communi hæreticis more, sensus, & nonnunquam verba sanctorum Patrum corrumpendo, in prauam intelligentiam inflexisse. Quod ab iis factum in quæstione de Prædestinatione sæpe diximus, hoc loco non potuit omitti. Quare Prologo statim ineunte, Ratramnum eius corruptelæ grauiter accusat. *Inter quos & Ratramnus Corbeiæ Monastery monachus, ex libris beatorum Hilarij & Augustini, dicta eorumdem detruncando, & ad prauum suum sensum incongruè inflectendo, sicut & Macarium Antiochenum Episcopum de quamplurimis catholicorum libris fecisse in sexta Synodo legimus, ex hoc volumen quantitatis non modicæ compilauit.* Qua verò fronte, quó-ve euentu? *Cuius peruersam intelligentiam ipsa eius collectio scriptis authenticis collata, mendacio redarguit & reuincit, veluti qui legerit, apertissimè peruidebit.* Neque verecundior Gotteschalcus, magna probabilitate dicitur, sextæ Synodi locum, intruso verbo, perdidisse: *Cooperante trina, & conglorificanda deitate. Hoc nomen feminini generis adiectiuum ac mobile, quod est hîc impositum, Trina, à Gotteschalco, quando præfatus liber in Monasterio Altiuillaris, vbi ipse morabatur, ex authentico, quem mihi Petrus Episcopus Aretinus commodauerat, scriptus fuit, adulteratum credimus, sicut multoties ab aliis hæreticis factum legimus. Quoniam alibi ter conglorificanda Deitate reperimus.* In alio quoque Augustini libro, siue sermone, de quinque hæresibus, mala manus, & intrusa sententia apparuit, Regi & Aulæ toti monstrante Hincmaro. Nam vbi etiamnum in omnibus codicibus legitur. *Gratias tibi Deus virtus, gratias tibi Deus pater, qui & filium tuum ostendisti, & mihi doctorem dedisti. Recedat Sabellianus, recedat Arianus,* &c. interpositum fuisse dicit ab adulterante, *Gratias tibi vera & vna Trinitas, vna & trina veritas, trina & vna vnitas.*

Nouatores

Patrum libros & dicta corrumpunt.

Ibid. Prol.

Ibid. sect. 1.

August. l. de 5. hæres.

III. Pugnandum igitur contra illos pura puta veritate, hoc est, incorruptis Scripturæ diuinitus inspiratæ, & Ecclesiæ doctorum auctoritatibus. Quod cùm magnificè semper in Prædestinatiana controuersia fecerit, in hac non inefficaciùs præstat, sibique Patres antiquos longa dictorum serie vendicans, eripit aduersario, vt nemini obscurum esse potest opusculum consulenti. Maximè verò Augustinum opponit Gotteschalci somniis, quem immeritò sæpissimè suum Gotteschalcus appellat. Vt cùm producto Augustino, subiicit, *Hic manifestè ostendit S. Augustinus mentiri, & hæreticè loqui Gotteschalcum.* Et iterum. *Et S. Augustinus, de quo Gotteschalcus multoties dicit, Augustinus noster, vt alienus à Gotteschalco, & illi contrarius, & non suus proprius vel domesticus, contra eum in libro contra quinque hæreses dicit,* &c. Et paulò pòst. *Ecce quomodo mentitur Gotteschalcus, dicens Augustinum esse suum, Augustinus, inquiens multoties, noster. Nam claret quia Gotteschalcus non est Augustini, quoniam non credit, nec dogmatizat sicut Augustinus: nec Augustinus est Gotteschalci, quia dissentit à Gotteschalco, & catholicè sentit, quod non facit Gotteschalcus: dicens, quia Pater est Deus, sed non de Deo; filius est Deus, sed Deus de Deo; & non sic dicit, sicut Gotteschalcus falsò dicit, quia vnaquæque ex Trinitate persona, per se sit Dominus Deus.* Audiebamus quoque superiùs Augustinum cum aliis Patribus identi-

Veris Patrum dictis confutantur.

Augustinus Gotteschalco contrarius est.

Ibid. sect. 18.

dem vbi non placebat, *toto ore, & buccis inflatissimis reprehendi* solitum à Gotteschalco; vt non aliter quàm hæretica impudentia, pro suo venditare potuerit.

Absurda & pugnantia loquuntur. IV. Aliud Hincmari pronunciatum est, quo familiariter vtitur, neque semel Gotteschalco huic applicat, hæresim pedibus suis non posse consistere, hoc est, absurda & pugnantia loqui hæreticos. Quod in Prædestinarianis quæstionibus frequenter visum, vult etiam in ista Remensis notari. Vt cùm ait: *Quapropter Gotteschalci sententia, dicentis, & vel quid dicat non intelligentis, vel scienter errantis, seque suis verbis apertissimè impugnantis, sic naturaliter vnam & personaliter trinam esse Deitatem, sicut naturaliter vnus est Deus, & personaliter trinus, tantorum & talium testium auctoritate falsissima esse reuincitur.* Et infrà, producto hæretici textu: *Hic & ipse se redarguit, & compilatorem esse ostendit* (hoc est, locorum absque iudicio & delectu consarcinatorē) *quia illum ipsum librum, & tres Deitates respuere, & profiteri trinam Deitatē conglorificandam, quasi receptibiliter dicit:* Putat inter ista nihil esse discriminis, & vnū æquè omni sensu à catholicis admitti posse, atque aliud.

Ibid. sect. 1.

Ibid. sect. 2.

Superbia tumidi nouitates affectant. V. In hæc incommoda nouitatis & vanitatis studio præcipitant hæretici, cui cùm accessit tenuis scientiæ color, tanquam arcana mysteria tumentibus buccis concrepantes, stolidis & inertibus vanissimè illudunt. Quid enim aliud est hæresis, quàm gloriolæ mancipium, ignorantiæ simulacrum, cymbalum curiositatis, profusio loquacitatis, fax discordiæ? Hæreamus in Gotteschalco: quid hactenus in eo spectabile vidimus, præter superbiam & ignorantiam? Quam sæpe de ipso, eiúsque sectatoribus dictum est, quod hoc loco repetit Hincmarus? *Non est mirum, si talia, vt præmisimus, dicit, qui ab ineunte ætate semper vocum nouitates exquisiuit, & adhuc semper inquirit, quatenus talia dicens, quæ nemo alius dicit, innotesci, & si non de bonis, vel de pessimis possit.* Et de discipulis priùs scribit, quàm magistri schedulam proponat, in hæc verba, *Cum aliis pestiferis, magis autem mortiferis venenis, quæ Gotteschalcus sanam doctrinam non sustinentibus, vocúmque nouitate delectantibus, & prurientes aures habentibus, qui iuxta voluntatem suam magistros sibi coacervare festinant, vt magistri demum erroris fiant, qui noluerunt fieri discipuli veritatis, bibenda proponit, cogitans & loquens iniquitatem in excelsum, & ponens in cælum os suum, hæc etiam dicit.* Vidimus antea & superbiam hominis Deum vnum alloquentis, quasi si cum mortalibus congredi dedignaretur: audiuimus & peruicaciam, cum incredibili arrogantia coniunctam, prouocantis ad Dei iudicium; cuius hoc in opere memoriam refricat Hincmarus, quia suis ille in scriptis eam frequentissimè ostentauit, vt hanc etiam de trina Deitate hæresim, cum aliis miraculo confirmaret. *Spiritu furioso exagitatus, exaltato corde, & elatis oculis, se mendaciter promittens in mirabilibus super se ambulaturum, petendo vt sibi tria dolia parentur, &c.* [illegible]*tur ab omnibus assertio illius esse verissima, quā dicit, præter istam blasphemiam, quòd Deitas sic personaliter sit trina, vt est naturaliter vna, quia sicut Deus electos ad regnum æternum, ita reprobos ad interitum prædestinauit æternum.* Et quoniam hæreticæ vanitatis, & superbiæ non vltima pars est, prouocare ad noua Concilia, exigere vt in sui gratiam Synodi generales conuocentur, ne quid obscurè patiantur, aut agant: hunc etiam aditum ad gloriam, tunc religioni nec vtilem, nec necessarium oppilare studens Hincmarus, multis auctoritatibus probat, rem semel in Concilio vno decretam, retractari non debere, scribente ad Leonem Augustū Leone Pontifice, *Quæ patefacta sunt, quærere; quæ perfecta sunt, retractare; & quæ sunt definita conuellere, quid aliud est, quàm de adeptis gratiam non referre, & ad interdictæ arboris cibum improbos appetitus mortiferæ cupiditatis extendere?* Quibus allatis, ad Gotteschalcum reuersus: *His Apostolicæ sedis auctoritatibus, constat,* inquit, *de hac, sicut & de omni hæresi olim reuicta, atque cum sectatoribus suis damnata non debere iterum disputari, nec damnatum canonicè Gotteschalcum ad iudicium reuocari. Qui etiam si non solùm cum certo & decreto numero Episcoporum in causa Presbyteri, vel Diaconi, verùm & si pro manifesta hæresi à solo suo Episcopo fuisset damnatus, non deberet de eo refricari iudicium.* Quod tamen in causa Prædestinationis tentarunt primùm Lugdunenses, deinde Metenses, irrito semper conatu.

Ibid. sect. 16.

Ibid. Prol.

Ibid. sect. 1.

Malè prouocant ad Concilia.

S. Leo ep. 84.

Ignorantia Gotteschalci in restituendo Ario. VI. Quorsum istud? Vt hinc gradum faciam ad ignorantiam Gotteschalci, quem diu est cùm Rabanus sciolum appellauit; & ipse se vix annum solidum in theologicis studiis posuisse confessus est. Non enim nouam & hactenus inauditam circa augustissimum Trinitatis mysterium procudit hæresim, sed veterem & antè in Ecclesia damnatam; non felicior in Ario ab inferis excitando, quàm in reparanda Prædestinatianorum factione: nisi hîc etiam imperitiorem extitisse volumus, quòd aduersùs Arium declamat, ignarus se Arij socium esse & laternarium. Non enim magis Trinitatem diuisit Arius, quàm Gotteschalcus, cuius trina Deitas nihil est aliud, quàm tres Dij, dum refert illud antiqui serpentis, *Eritis sicut Dij. Cuius inspiratione Arium sensu sequens, quem verbotenus detestatur, post cognitam immanis sceleris vindictam, in eodem Ario infissimè satis apertam, trinam Deitatem dogmatizare non timet. Contra quos, Arium videlicet & Arij, imò ipsius Diaboli filium Gotteschalcum S. Ambrosius sancto Spiritu inspirante &c.* Verbis certè, & loquendi forma discrepat aliquantùm Gotteschalcus ab Ario; numero autem diuinæ substantiæ affingendo, perparum. Itaque quod olim de comparato cum prioribus Prædestinatianis Gotteschalco nouorum primicerio vsurpauit Hincmarus, *& illa vetus congregatio, & ista noua complexio sunt errore pares, quanquam diuersa fatentes,* huc etiam inferre non dubitat in eiusdem Gotteschalci cum Ario collatione. *Vnde sunt Arius, atque Gotteschalcus, iuxta Poëtam, Ambo errore pares, quanquam diuersa loquantur. Si enim quando hic nouus ariolus, perniciosior fortè, quàm quilibet ariolus, dixit, sicut sancta Trinitas essentialiter atque naturaliter est vna, subiunxisset, sic personaliter est trina, constaret sententia. Quod autem subiunxit, ita Deitas personaliter est trina, non solùm contra catholicam fidem est, verùm & hoc quod præmisit impugnat, sicut & præmissa, sequentia destruunt. Non enim in eo quo vna est Trinitas, id est in essentia, atque natura, trina esse potest, sicut*

Ibid. sect. 1.

Hincmar. l. de præd. c. 1.

L. de non trina Deit. sect. 4.

Arius dementauit: & in eo quo vnus Deus Trinitas, vel trinus dicitur, id est, in personarum proprietate, non vnus, sicut Sabellius blasphemauit, sed vnum est, sicut Christus in Euangelio dicit.

§. VNICVS.

Grammaticæ ignorantia in Gotteschalco fouit errorem.

Et in vocū significatione Grammatica peccat.

VII. ARTEM Grammaticam ij soli despiciunt, qui Ecclesiæ ipsi & Theologiæ ad reuincendos veterum errores, vt Arij, Nestorij, Eutychetis, Monothelitarum perutilem fuisse nesciunt. Basilicarum fundamenta, licet rudibus saxis, & ad profundas tenebras damnatis constent, marmora tamen & aurata laquearia sustinent. Quare spectata iam Theologia, in qua tironem & hospitem semper vidimus miserabilem monachum, aliud eius ignorantiæ caput in Grammatica, & linguæ Græcæ interpretatione malè concepta facilè ostenditur: dum probè à Græcis Patribus dicta, prauè in erroris sui patrocinium conuertit. Nam vt alibi præscientiam à prædestinatione non satis distinxit, quæ verba scriptores alij ex arte grammatica meliùs diuiserunt: sic modò ab eiusdem artis regulis discedit, cùm voces Trina, & Trinitas singularis numeri esse contendit; ita videlicet, vt pluralem numerum non importent, & illis vocibus vnitas tantùm contineatur. Nam vt grammaticus cum grammatico, Hincmarus ex Donato aptè obiicit, *Sunt nomina sono singularia, intellectu pluralia, vt gens, populus, concio, plebs, multitudo: sicut & quadam sunt nomina mobilia & adiectiua, sono numeri singularis, intellectu in se pluralitatem habentia, & adiuncta singularis numeri fixis nominibus pluralitatem monstrantia.* Vt tertia hora, trina repetitio, trigama mulier. In his enim multiplicatio horarum, repetitionum, maritorum designatur. Quum ergo dicitur à Gotteschalco *trina Deitas, pluralitas, & numerus, quæ vt dicit Boëtius, fiunt ex differentia illi naturæ simplici & indiuisibili, quæ nec in personis habet quamcunque differentiam, quod est dicere nefas, imponitur: & in hoc mobili & adiectiuo nomine, quod est trina, & in fixo nomine cui adiicitur, id est, Deitas, continetur pluralitas, quam in se non recipit Deitas.* Sunt enim singillatim Pater, Filius, Spiritus sanctus substantia, *sed cùm colligo, non plures, sed vna occurrit substantia*, vt ait Boëtius. *Vna igitur substantia trium, nec separari vllo modo, aut disiungi potest; nec velut partibus in vnum coniuncta est, sed est vna simpliciter.* Colligit autem Gotteschalcus, & ex partibus in vnum coniungit, quando cum tribus baptismi mersionibus comparat, quæ sunt *vna generaliter mersio, & vna tinctio.*

Ibid. sect. 8.

Boët. l. ad Ioan.

In Græcorum quoque verborum interpretatione.

Græcissat etiam, sed perquàm insulsè, duabus in vocibus, τρισάγιον, & τριθεότης. *A Græcis, inquit, τρισάγιον, à Latinis autem satis propriè, regulariter atque catholicè trina sanctitas: ac per hoc, sicut ab eis catholicissimè dicitur τριθεότης, sic & à nobis catholicissimè trina Deitas.* Citat autem edictum Constantini Iunioris in sexta Synodo, *conglorificandam trinam Deitatem* dicentis. Atqui τρισάγιον, vt bene Hincmarus, non trinum sanctum, sed ter sanctum interpretari oportet, & si veram linguæ significationem exquirimus, ter repetitum Sanctus, simpliciter pro sanctissimo accipiemus: vt ter beatus, beatissimus est; ter impius, qui maximè & summè impius. De voce τριθεότης contra sensum Gotteschalci illud à sexta Synodo, quæ contra Monothelitas coacta fuit, citat Hincmarus. *Numeratur ergo beata Trinitas non essentiis, non naturis, nec diuersis deitatibus, trinis-ve dominationibus, absit, sicut insaniunt Arij, & sicut noui τριθεοτίτας, id est, ter Deitatis latratores, essentias tres, & naturas tres, & tres dominationes, & tres similiter vaniloquentes deitates.* In Græco Sophronij textu legitur. ἄπαγε ὡς Ἀρείου μαινόντων, καὶ οἱ τῆς νέας τριθείας λυσσῶντες ἡγούμενοι, οὐσίας τρεῖς, καὶ φύσεις τρεῖς, καὶ τρεῖς κυριότητας, καὶ τρεῖς ὁμοίως κενολογοῦντες θεότητας. Mutauit ergo primùm Gotteschalcus τριθείας, in vocem ignotam τριθεότητας: & hunc locum ipsi Remensis applicuit, tanquam nouo trinæ naturæ diuinæ inductori. Re autem vera Philoponum, & eius sectatores tritheitas notat Sophronius, quæ nomina vtrique huic athletæ incognita esse quis non miretur? Potuit quoque non inefficaciter expressiùs illud eiusdem loci, aduersùs Gotteschalcum proferre, malo sensu quamlibet personam perfectum esse Deum dicentem, *Vnus est Deus, vna Deitas in tribus subsistentiis fulgens, & tres subsistentiæ, & personæ in Deitate vna cognoscuntur. Propterea perfectus Deus est Pater; perfectus Deus est Filius; idcirco quòd vnam eandémque singula quæque persona inseparabilem, indiminutam, atque perfectam habet Deitatem. Et iuxta quòd Deus quidem est, id ipsum existit vnumquodque, dum seorsum consideratur, ipsa intelligentia quod non est separabile, separante: vt Pater tamen, & Filius, & Spiritus sanctus, aliud, & aliud, & aliud, non dicuntur. Et idcirco hæc à Dei capacibus prædicantur: Deus, & Deus, & Deus, sed vnus est hæc tria, Deus. Non enim alius Deus Pater, nec alius Deus Filius, neque alius iterum Spiritus sanctus; quia nec alia natura est Pater, nec alia natura est Filius, nec alia iterum natura est Spiritus sanctus.* Hæc in magno Concilio lecta & comprobata, non facilè cum omni subtilitate sua Gotteschalcus applicuerit ad ista sua, *Sicut vnamquanque ex Trinitate personam quisquis est catholicus credit & confitetur integrum, plenum, perfectum penitus Deum. Sic vnicuique personæ suam propriam Deitatem integram, plenam, perfectam penitus inesse credat, confiteatur, & asserat. Quia reuera nequaquam assumpsit humanitatem, quod absit, vllo modo tota Trinitas, sed sola tantummodo Filij Deitas.*

Ibid. sect. 6.

Sophron. epist. ad Sergium. Lecta in sexta Synod. act. 11.

Philoponi error.

Quid ergo sibi vult Gotteschalcus cum barbara sua τριθεότητα, quid cum Sexta Synodo approbatrice Sophronij? In edicto Constantini Iunioris, inquit, *trina Deitas conglorificanda* nominatur. Sic enim Imperator de Nicænis Patribus, & symbolo fidei per eos constituto. οἱ καὶ τὸ θεῖον τῆς πίστεως, συνεργείᾳ τῆς τριαδικῆς, καὶ ὁμοτίμου θεότητος ἀνεστήσαντο σύμβολον. Non video equidem quid tantopere sibi arroget hoc loco Gotteschalcus, cùm manifestè adiectiuum illud de Personis intelligatur, quæ æquali honore sunt adorandæ, iuxta Constantinopolitanum Symbolum, *qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur.* Fatemur autem eo respectu trinam à catholicis Patribus dictam fuisse Deita-

Explicatur locus è sexta Synodo in Edicto Constant.

Hincmar. ibid. sect. 5.

tem; sed illud de natura non concedit Hincmarus. Neque malè quis τριαδικὴν θεότητα diuinam Trinitatem reddiderit, & controuersiam de Trina Deitate vitauerit. Sed illud verbi qui affectauit Gotteschalcus, & negauit addendum fuisse, *Vnam*, quia cum trina, simul intelligitur & vna, cur ad anteriora oculos non reflexit, vt legeret, μονὰς γὰρ, ὡς ἀληθῶς, ἡ τριὰς ἐν μονάδι θεότητι, καὶ τριὰς, ὡς ἀληθῶς, ἡ μονὰς διαιρουμένη ταῖς ἰδιότησι, καὶ οὐ μεριζομένη τῇ ἀϊδιότητι. *Vnitas quippe verè est Trinitas, vnita diuinitate: & Trinitas verè est vnitas diuisa proprietatibus, & non dispertita æternitate.* Et mox: *Neque enim extitit seculum, quando cum Patre non erat Filius. Cuius enim vocabitur Pater, si non simul cum eo erat in principio Filius?* πῶς γὰρ ἂν κληθείη πατήρ, μὴ συνυπάρχοντος υἱοῦ; quæ non conueniunt cum axiomate Gotteschalci, *nomina personalia non esse vllo modo relatiua, sed potiùs substantialia.* Et hæc præclara, *Trinitas simplex, & impartita, atque incomposita ex tribus perfectis, ex seipsa perfecta & superperfecta; vna natura, atque Deitate, & vna voluntate, vnáque operatione glorificanda.* Quibus licet assentiri putes Gotteschalcum, aliud tamen cum sua baptismatis mersione *vna generaliter*, hoc est, ex tribus perfectis & diuersis mersionibus constante, significat.

Gotteschalci vanitas, & Hincmari modestia. Et hæc de Gotteschalci cum Hincmaro contentione circa trinam Deitatem, ex eius potiùs sensu, quàm verbis spectatam; quæ disputandi ratio semper in homine versipelli fuit obseruanda. Desino in vanissima scioli ostentatione, qui vt linguæ Græcæ peritus appareat, quod magnum quiddam illis temporibus creditum est, duo verba Græca loquitur, alterum barbarum & inauditum, alterum peruersè expositum: nósque ad Græcum textum sextæ Synodi remittit, *Legant*, inquiens, *in libro de sancta Synodo qui scriptus est in Græco.* In quo nemo vnquam vocem τριθεότητα legit, quia reuera nulla est. Vt vel hinc agnoscas non causæ bonitatem, sed scriptoris impudentiam, qui Lectorum suorum ignorantia vult abuti, & falsitatem audacter obtrudit, cuius reuinci non posse sperat. Longè autem modestior Hincmarus, armis tantùm notis certat, Græci sermonis interpretationem peritioribus relinquit, neque obscurè se linguæ illius mysteriis initiatum non esse significat. *Ex his*, inquit, *orthodoxorum dictis, & vera Græcæ linguæ interpretatione, manifestissimè claret, Gotteschalcum in sua interpretatione, & in sua expositione mentitum fuisse. Nobis autem Latinis, & Græca lingua ignaris, non est hinc necesse diutiùs laborare.* Et mox Gotteschalcum cum aliis *qui Græca lingua penitus expertes fuerunt*, coniungens, illos ait in eius interpretatione plurimùm errare, *& alia pro aliis, vt pro visione, montem; pro filio porcum; pro ter, trina, & his similia transtulisse.* Ac omnino scimus superioris seculi nouatoribus hoc in vsu fuisse, vt eius linguæ ignorationem catholicis simplicioribus exprobrarent, & identidem græcanicis voculis, tanquam stellulis orationem suam illustrarent. Quo in genere Theodorus Beza ridiculum se præbet, qui noui testamenti versioni Latinæ suæ, Græcos titulos præponit, Εὐαγγέλιον κατὰ Λουκᾶν. Πράξεις τῶν ἁγίων Ἀποστόλων. Ἐπιστολὴ πρὸς Ῥωμαίους. Recondita verò doctrina, & seculum suum digna contemnere!

Hincmar. ibid. sect. 6.

CAPVT V.

Quædam obseruationes in hanc contentionem Hincmaro iniquæ percurruntur.



ILLI opusculo, quod postremum produximus contentiosorum, contradixisse neminem, à nobis iam antè significatum est: quo ex silentio, non temerè credimus, reum verè fuisse Gotteschalcum, eius maligni sensus, quem reprehendit Hincmarus, licet aliud sonarent verba schedulæ: támque horrendam & apertam extitisse illam hæresim, vt eam ab Episcopo impugnatam, nemo sit ausus defendere. Sed quod ætas illa, viuo ac spirante Gotteschalco, ardente aduersùs Hincmarum inuidia, Ebbone adhuc superstite, Wlfado, Rothado, Hincmaro Laudunensi Remensem apud Sedem Apostolicam iniuriarum postulantibus non vidit, nostræ huic adeo eruditæ ac perspicaci seruabatur, vt contra veterum omnium sententiam, hac etiam in parte patrocinium Gotteschalco eximius Dissertator Monetalis offerret. Quod tamen in eo caducum mihi videtur, quòd accusatione potiùs Hincmari, quàm accurata defensione Gotteschalci continetur: siquidem nihil momenti vllius exhibet pro Gotteschalco, quod in responsione Hincmari non legamus. Videamus ergo quid tot seculorum expectationi par afferat nouitas improuisa. *Hoc opusculum Hincmari nullus impugnauit.*

1. Vnicam huic contentioni causam dedit, inquit, Hincmari innouantis præsumptio, dum Hymnum ab antiquo receptum, cani vetuit in Ecclesia. Quis autem nescit quantùm canæ antiquitati deferat, quantùm nouitates omnes oderit Ecclesia? *In hoc quis Hincmari frontem non miretur, dum Ratramnum, & reliquos innouationi resistentes, delectabiliter vocum nouitatibus vt innotescerent, decumbere calumniatur, & Gotteschalcum ipsum noua & antea inaudita adinuenire ac proferre queritur?* Tribus verbis, sed paulùm amplis illi obiectioni satisfacio. In primis enim gratulor optimo Dissertationis auctori, quòd se nouitatum omnium hostem satis ardenter exhibeat, méque habet hoc loco magnopere sibi consentientem, & præclara pro vetustate dicta ex Marcellino & Vlpiano Iurisconsultis, ex Capreolo Episcopo, Sixto & Cælestino Pontificibus, ex Vincentio Lirinensi prolata, toto pectore complectentem. Quæ quia partim profana, partim antiqua, & ab hymni proposito remota sunt, recentioris notæ simili in materia, monachi alterius cum Abbate contentionem adiungo. Is est famosus Abaelardus; quem possit aliquis ex parte conferre cum Gotteschalco: quem cùm reprehenderet S. Bernardus, quòd in oratione Dominica *Panem nostrum supersubstantialem* dici iuberet, non *quotidianum*, esse se doluit de nouitate suspectum. *Secretò mihi intimauit, vos ea caritate qua me præcipuè amplectimini, aliquantulùm commotum esse, quod in oratorio illo (Paracleti) oratio Dominica non ita ibi in horis quotidianis, sicut alibi, recitari solet, & cùm hoc*

Solus Dissertator contra obiicit 1. Nouatorem fuisse Hincmarum. *Dissert. c. 45.* *Responsio.* *Abaelardi epist. 5. ad Bern.*

per me factum crederetis; me super hoc, quasi de nouitate quadam notabilem videri. Quod factum postea quam qua potuit ratione defendit, regerit accusationem in Bernardum ipsum, à quo dicit plurima in officiis Ecclesiasticis innouata. *Vos quippe quasi nouiter exorti, ac de nouitate plurimùm gaudentes, præter consuetudinem omnem, tam Clericorum, quàm Monachorum, longè ante habitam, & nunc quoque permanentem, nouis quibusdam decretis, aliter apud vos diuinum officium instituistis agi, nec tamen inde vos accusandos censetis.* Abducamus quæstionem à priuatis circumstantiis: omnibus nobis displicet nouitas in rebus fidei, sacrisque mysteriis; eam insectatur, inquis, Gotteschalcus in Hincmaro, sibi inuicem obiiciunt Bernardus & Abaëlardus. Tu ex ea iterum negotium facessis Hincmaro: puta illum tibi respondere. *Vos nouiter exorti, ac de nouitate plurimum gaudentes, contra consuetudinem longè antè habitam, & nunc quoque permanentem, noua quadam decreta instituistis, nec tamen inde vos accusandos censetis.* Respondebis, opinor, quod Gotteschalco, tibique dices, ipsum extra chorum saltare, recriminatione reum non purgari.

Ratramnus non restitit Hincmaro. Secundò igitur chronicæ Dissertationi respondeo, peccare illam in chronologia. Siquidem priùs erat mota quæstio de trina Deitate, déque illa volumen non modicæ quantitatis Ratramnus ediderat, quàm in hymno quicquam innouaret Hincmarus: ergo Ratramnus, & reliqui innouationi non restiterunt: ergo valdè inane & superfluum est illud Ratramni encomium. *Inter illos præcipuus fuit, vt doctrina, sic etiam animi imperterriti fortitudine & constantia in Hincmarum Metropolitanum suum Ratramnus Corbeiensis Monachus.* Nam & hæc seditiosa laudatio est, & intempestiua; cùm priùs scripserit Ratramnus, quàm animi sui sensum hac de quæstione aperuisset Hincmarus. Qui sunt autem illi reliqui? *Religiosi eiusdem Prouinciæ Monachi ordinis S. Benedicti, qui nonobstante etiam Hincmari prohibitione, decantare perseuerarunt illius hymni versiculum.* Cupio istud mihi tam clarè probari, quàm certò dicitur. *Ipse ibidem testis est his verbis. Benefacient igitur venerabiles fratres nostri Monachi, viri religiosi, si ita vt scriptum habetur in Beati Benedicti regula* &c. Hoc non dicit Hincmarus; non ait *cum suo Ratramno reluctatos viros religiosos:* sed eos tantùm ad mutationem illius hymni adhortatur, quod facere nondum omnes instituerant. Nouas enim Præsulum ordinationes, non semel atque eadem hora, tanquam ex compacto, in vsum admitti constat experientia: sed paulatim hoc atque illo in loco vsurpari, nonnullis absque inobedientiæ crimine seriùs mutationem amplexantibus, cui professa opera nunquam *reluctati* sunt.

Gotteschalci impudentia. Aio tertiò, audacem, impudentem, refractarium fuisse Gotteschalcum, qui primus & solus scripta schedula Episcopi sui voluntati & imperio reluctatus est. Nam si subditos suos versu illo abstinere meritò iussit Hincmarus, immeritò illud reprehendit Gotteschalcus: Sin autem malè innouationem hanc induxit Hincmarus, quis erat Gotteschalcus vt Antistitem suum, superiorem suum, iudicem suum scripto contra ipsum vulgato coargueret? Nulli fuerunt Episcopi, nulla Concilia quæ id facerent, quod miserabilis monachus aggrediebatur in vinculis? Quibus autem verbis aggrediebatur? *Nisi suum concitus corrigat sensum, reuera cum Sabellio meretur audire anathema sic præsentialiter, vt mereatur illud etiam pati iure perpetualiter.* Et iterum paulò pòst. *Sine mortis exitio immutari non potest, vbi dicitur, trina & vna Deitas, vt ibi dicatur, sancta & vna Deitas.* Audis vilissimi hominum effrontem impudentiam, Episcopo suo anathema vel dicentis, vel imprecantis? Debuit igitur non Hincmari, sed Gotteschalci *in hoc frontem mirari* Dissertator.

II. *Nec minùs admiranda ignauia & inertia Hincmari, quòd Ratramno prætermisso, schedulis illis Gotteschalci ex ergastulo erutis, refutandis se se addixerit.* Non Ratramnus Hincmarum, qui nihildum de controuersia scripserat, sed Gotteschalcus Episcopum, qui trinam Deitatem in Ecclesia cantari vetuerat, schedula lacessiuit, & Sabellianismi insimulauit. Huic ergo respondendum fuit, absque *ignauia & inertia,* non illi, absque causa. *Nec non impudentissima illius nequitia* (Hincmari Archiepiscopi) *dum illudit & crimini vertit miserabili illi Monacho, quòd scripturæ, & sanctorum Patrum testimoniis sententiam suam in schedulis illis non obfirmauerit.* Vnde enim recluso, & ab hominum societate abducto librorum copia in carcere? Audi Lector & dictum, & dicti causam. Promiserat Gotteschalcus in schedula probare auctoritatiuè & verè, hoc est, ex veterum Doctorum auctoritate, dici posse trinam Deitatem; hanc in rem Sextam Synodū citauerat, & quidem Græcè scriptam, Prosperum item, Prudentium, Sedulium, Aratorem poëtas, sacros, Græcos, Latinos, vno calami ductu, & Gregorij Pontificis apophthegmate tractatum clauserat aduersùs Hincmarum: hæc omnia gloriosè clausus carcere. Respondet Hincmarus, istis quæstionis statum non tangi: probari oportere Patrum auctoritatibus *sicut* Deus trinus dicitur, ita trinam Deitatem dici posse: quod futiliter tentauit: *volens proprij sensus affectionibus, sine scripturæ testimoniis, sinéque catholicorum sententiis allegare,* &c. hoc dictum, hac occasione, vocat Dissertator *impudentissimam Hincmari nequitiam.* Pergit eadem acerbitate dicere, Gotteschalcum *pluribus calumniis* eo libro fuisse oneratum, *quasi libros corrumperet, satellites haberet, illas & alias schedulas plurimis scriberet, reuelationes fingeret, & alia plurima, quæ quasi ab inimico mendacissimo, & fraudulentissimo conficta, explodenda magis, quàm expendenda veniunt.* De hac confutandi methodo, breui sanè & expedita, dicemus hoc libro, cùm ad eas fictiones deuentum fuerit. Notamus interim laudum insignia, quibus clarissimum sui seculi lumen, & Ecclesiæ Gallicanæ ornamentum cohonestat Dissertator, in gratiam infrunitì monachi, & hæretici peruicacissimi, quia penè eadem cum illo sentit.

1. Calumniatorem esse Hincmarum.

Responsio.

III. Tertia consideratio Hincmarum non tangit, sed illustrissimos Annales, hoc sensu. Flodoardo non puro vsus Baronius, sed ex idiomate Gallico in Latinum conuerso, hanc Gotteschalco tribuit assertionem, *quòd Deitas sanctæ Trinitatis triplex sit. Ex qua Illustrissimus Cardinalis miserabilem illum Monachum, hæreticum esse meritò censuit.* Est enim hæretica illa

Subdola obseruatio ad Gotteschalci defensionem circa Baron. an. 848. tom. 10.

Responsio. propositio, at non à Gotteschalco, qui Trinam, non triplicem Deitatem dici posse defendit. Vtinam quàm verè, tam sincerè procederet hæc animaduersio! verendum enim est, ne qui supra modum fauere decreuit Gotteschalco, Gotteschalci stilum imbibat, & iam non ex verbis & oratione sua, sed ex animo & intentione iudicetur. Fateor equidẽ Flodoardum Baronio, nisi ex translatione Gallica, notum non fuisse: declamo iamdiu cum Hincmaro, *Trinam Deitatem* à Gotteschalco fuisse assertam, neque *triplicis* nomen vsurpatum. Neque dubito quin illum hanc ob rem hæreticum censuerit Annalista. Sed triplicis huius veritatis, & superfluæ obseruationis consilium, apud animum meum exquiro. Nunc enim, cùm Flodoardum manibus versamus lingua sua loquentem; cùm in ipso Hincmaro legimus Epistolam à Flodoardo recitatam, neque vlli qui oculos habeat, dubitare liceat, quin *Trinam Deitatem* dixerit Gotteschalcus, non *triplicem*, quid fuit opus tam accurata & studiosè exquisita obseruatio, à statu quæstionis, à verbis & mente contendentium tam aliena? Putauit Baronius, inquit, dictum à Gotteschalco, triplicem esse Deitatem, & hoc iure damnauit hæreseos. Quid istud ad Gotteschalcum, si non dixit? Nimirum hoc agit Dissertator subtilis, vt Gotteschalcum à sinistra Baronij, summa auctoritate viri, opinione tutum reddat, itáque narrat, vt à nobis velit intelligi, non alia in re Gotteschalcum hæreseos redargui à Baronio, quàm qua deceptus est mala Flodoardi interpretatione. Quod tamen ab attentis Lectoribus non impetrabit, qui Baronium videbunt omnes Gotteschalci propositiones, in controuersia de Prædestinatione spectatas, eodem quo Hincmarus iudicio, eadémque errorum censura referentem; neque de hac vna, sed de omnibus vniuersè eius assertionibus dicentem, *diu multùmque decertandum fuisse Hincmaro aduersus bestiam hanc, & eius longè latéque per Gallias disseminatos errores.* Id verò de sola Trinæ Deitatis hæresi, quomodo intellexerit Baronius, si verè scribit Dissertator, hoc opusculum, De non trina Deitate, non ante annum 864. fuisse cœptum, post librum posteriorem de Prædestinatione? Quanto enim tempore Hincmarum oporteret à bello Gotteschalcano quieuisse? Quid si ne istam quidem priuatim pugnam Baronius habuit cognitam? nusquam enim opusculum istud nominasse legitur. Ceterùm quod ad nomen ipsum *Triplicis Deitatis* pertinet, illud in poëta Prudentio reperiri Gotteschalcus ignorauit, aut neglexit, vt *trinam pietatem* ex eo citaret. Adfert autem Hincmarus eius metra duo. *Regnum continuat numine triplici. Est tria summa Deus, trinum specimen, vigor vnus.* Quod quia catholicè dici non potest, excusat ille ex *metri necessitate, quæ non præiudicat liberæ fidei simplicitati.* Quæ ratio si quo modo Prudentium tegit, quid-ni & Gallico poëtæ Guillelmo Salustio Du Bartas faueat, improbante Theologia dicenti,

Baronius Gotteschalcum habet pro hæretico.

Hincmar. ibid. sect. 3.

Non diuers en essence,
Ains diuers en personne, & dont la deité
Subsiste heureusement dés toute eternité;
Et fait des trois ensemble vne essence triple vne.

Du Bartas 1. iour. de la Semaine.

4. Nicolaũ I. succensuisse Hincmaro. IV. Quæ sequitur obseruatio ad excusandum potiùs Gotteschalcum, quàm ad accusandum Hincmarum comparata est. Nicolaus Pontifex hac de Gotteschalci propositione cum ceteris admonitus per Hincmarum, rescribens, *ne minimum quidem huiusce, iuxta Hincmari sensum, blasphemiæ, nec reliquarum fictarum hæreseon verbum edidit. Imò Hincmari proteruiam, & calumniam retudit.* Ducitur istud argumentum ab Vsserio Armachano, hoc discrimine, quòd ad innocentiam Gotteschalci monstrandam eo non vtitur sectarius, neque quicquam perturbat in historia, duo longè diuersa negotia vafrè in vnum commiscendo. Sic enim clariùs & modestiùs. *Verùm nec ad istas litteras respondisse Nicolaum, neque de Gotteschalci causa quicquam in alterutram partem definiuisse inuenimus.* Verè istud, & grauioribus curis occupatus hanc controuersiam, quam non ignorabat in Gallia magnopere agitari, ad tribunal suum reipsa nunquam euocauit. Quis ergo silentium illud, absolutionem Gotteschalci prudenter interpretetur? Quis verò citra calumniam, Rhotadi caussam cum Gotteschalco confundat, vt si quid fortè ab irato Pontifice dictum est aduersùs Hincmarum, velut appellationis prosecutionem prohibentem, id contra Hincmarum eundem, de fide cum Gotteschalco disputantem dici, perpetua εἰρωνείᾳ significet? Pergit Dissertator. *Nec ex silentio Summi Pontificis approbata credenda est Hincmari innouatio, & versiculi illius immutatio, quoniam ignota fuit Summo Pontifici.* Audis, Lector, Innouatio Hincmari probata non est, quia de ea siluit Pontifex: & absolutus est Gotteschalcus, quia ad eius accusationem nihil respondit. Quanquam præstare quis potest certò, illud Nicolai de vtroque silentium, nisi omnia & Pontificis & Hincmari scripta repræsentet, quod hactenus factum à nemine?

Vsser. l. de hist. Gottesch. c. 14.

5. Trinam Deitatem adhuc cani in Ecclesia. V. Porro de Hymni illius & versiculi immutatione, postrema est obseruatio in hunc modum. Mutatus quidem ab antiquo versiculus ille est, & tota Ecclesia cantatum *Te summa Deitas, vnaque poscimus.* Sed à quo tempore, quáve ratione id acciderit, penitus ignotum est. Non ideo tamen proscripta antiquitas, quando etiamnum in officio sanctissimi Sacramenti auctore D. Thoma Theologorum coryphæo, hic ipse versiculus canitur. *Te trina Deitas, vnaque poscimus.* Quem Vrbanus VIII. fel. record. Pontifex doctissimus, in hymnorum accurata correctione reliquit intactum. Vicit igitur opinio Ratramni & Gotteschalci, quam ab omni æuo nemo homo, præter Hincmarum, vel leui censura notauit. Quantumcunque roboris hoc in argumento posuerit aduersarius, id totum ad Hincmari victoriam referam. Enimuerò fatetur inualuisse per Ecclesiam interdictum Hincmari, neque tantùm in Remensi Parochia, etiam post laudatam à Dissertatore Monachorum contradictionem, siue inobedientiam, sed etiam in reliquis orbis Latini partibus, institutum esse, vt *trina Deitas* taceretur: vicit igitur Hincmari opinio, & quod omisit facere Nicolaus, sequuti Pontifices præstiterunt. Ait deinde, reuocatum esse à D. Thoma Θεολογικωτάτῳ. Nimirum sensu optimo, quem perpetuò tuetur Hincmarus, voce *trina* in personas, non autem in naturam cadente, quod vult Ratramnus. Sic enim ipse se in Summa explicat. *Cùm dicimus triuitatem in vnitate, non ponimus numerum in vnitate essentia, quasi sit ter vna:* ponit autem Gotteschal-

Responsio.

D. Thom. 1. p. q. 31. a. 1. ad 4.

eus, cum singulis personis propriam essentiam, generali tantùm vnitate vnam assignat: *sed personas numeratas ponimus in vnitate naturæ: sicut supposita naturæ alicuius dicuntur esse in natura illa.* Quod manifestissimè toto opusculo asseritur ab Hincmaro. Vicit igitur D. Thomæ iudicio, Hincmari opinio, & trina essentia, siue Deitas illo sensu, *quasi sit ter vna*, omnino proscribenda est.

Voces causis & temporibus accommodantur.

Postremò, Ecclesia, inquit, vocem illam recuperauit alio in hymno, & adhuc retinet. Præclarè, & ad Hincmari mentem. Tunc enim versum mutauit, cùm periculum fuit ab hæresi Gotteschalci, & Ratramni, eámque innouationem vsu suo probauit Ecclesia: quo sanè facto illorum opinionem damnasse censenda est, ac non solus Hincmarus. Postquam autem extincto praui sensus assumendi periculo, fides vnius Deitatis in personarum trinitate in tuto fuit, resumpta est vox ad eam solam personarum trinitatem referenda, & dictum, *Te trina Deitas, vnaque poscimus*, non eodem in hymno, vnde semel per Hincmarum sublata est, sed in recentiore; in quo sine dubio mutasset aliquid Vrbanus VIII. nisi Rythmicos hymnos populo concedere decreuisset. Posse autem talibus in rebus Ecclesiam seruire tempori, vt id aliquando iure optimo vetet, quod aliàs fieri permittat, præter interdictum illud Apostolicum, à sanguine & suffocato, nunc vsu communi sublatum; præter hypostases tres Ecclesiæ Latinæ tandiu formidatas, ac tandem receptas; docet etiam initium Euangelij Ioannis, in quo certam interpunctionem obseruari cupit Chrysostomus, quæ modò in indifferentibus habetur. *Et sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Hîc nos iubet quiescere, ne cum hæreticis, vt malè distinguendo, sic & sentiendo concurratur. *Neque cum dixerimus*, inquit, *sine ipso factum est nihil, perfecto id puncto notabimus, vt heretici opinantur; hi enim cùm velint Spiritum creatum esse, sic legunt. Quod factum est in ipso vita erat.* Chrysostomi sententiæ, imò Græcorum omnium lectioni, fauet textus ipse οὐδὲ ἓν ὃ γέγονεν. At Latinorum plerique illam ipsam lectionem amplectuntur, quam reprobat Chrysostomus, &, quod mirum est, cùm eam in errorem suum vertant Ariani, non minùs quàm Pneumatomachi. Id verò contemni cupit Ambrosius, non mutari. *Vnde nec illud verendum est, quod solent Ariani sua interpretatione componere, dicentes, factum esse Dei verbum, quia scriptum est, inquiunt, Quod factum est in ipso vita erat.* Quibus inter cetera respondet, incertam esse lectionem, & à diuersis diuerso modo concipi. *Vnde possunt dicere sic pronunciasse Euangelistam? Plerique enim docti & fideles sic pronunciant, Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est. Alij sic, quod factum est pronunciant, in ipso: hoc est, quicquid autem factum est, in ipso.* Illi plerique docti & fideles Latini sunt, quibus ea lectio non displicet. Vt ex iis concludere liceat, vbi, & quando hæreseos periculum est, vitari oportere; quando abest periculum, resumi posse aut seruari. Quæ si ad veritum Hincmari, & D. Thomæ hymnum retuleris, quæstionem resolues.

Chrysost. hom. 4. in c. 1. Euang. Ioan.

CAPVT VI.

Libatur opusculum, Quomodo sit Trinitas in vnitate, Rabano Mauro attributum.



ABET cognationem aliquam cum hac de Trina Deitate quæstione, libellus alius, qui quia Rabano Mauro tribuitur, sedem hîc cum Hincmaro non intempestiuè accipiet: sed leuissima opera, quia Gotteschalcum non tangit. Prodiit autem opusculum istud primùm, vt arbitror, Coloniæ, apud Ioannem Quentel anno 1551. cum Rabani Mauri opere de Sacramento Eucharistiæ, cui & assignatur, hoc titulo, *Capitula, quomodo sit Trinitas in vnitate.* Addita & expositione in hunc modum. *Hucusque de Eucharistia; nunc verò qualiter sit Trinitas in vnitate, & vnitas in trinitate. & de Baptismo Christi in Iordane: & quia hæc omnia ad Eucharistiam pertinent, disputatur. Gaudeamus quia pro nobis est.* De priori opere, quo explicatur Eucharistiæ Sacramentum, nihil hîc dico, plura de Rabano visurus in Appendice. De isto quod in manu est, primum aio, Rabani Mauri omnino non videri, tum quòd eius stilum minimè gentium redoleat: tùm quòd quicunque operum clarissimi per ea tempora scriptoris texunt indicem, eius libri penitus non meminerint. Neque vnquam in vllum auctorem incurri, cuius locuplete testimonio, istud opus leuidense tanto theologo assereretur. Eius tamen vmbra nominis, & quæstionis affinitas perstringere suaserunt.

Liber ille non videtur esse Rabani.

Quisquis hic auctor est, & quacunque vixit ætate, nactus est discipulos & auditores, minùs quidem fortasse ingeniosos, magísque rudes Gotteschalco, sed modestiores, & sanctiores, qui & ignorantiam suam profiteri non erubescerent, & peritiorum sensibus cedere non dedignarentur. Illorum quæstio talis fuit. Cùm fide catholica teneamus vnam in tribus personis esse diuinam naturam, atque essentiam; ac proinde inseparabilem Trinitatem agnoscamus: quomodo fieri potest, vt singulæ tres personæ locis aliquando distinctæ & disiunctæ appareant? Vt in baptismo Christi manifestum est, Christo Dei Filio in Iudæam ex Galilæa; Spiritu sancto per columbæ speciem è cælo in Christum veniente; Patre in cælo manente, & inde vocem emittente. Patet idem in Incarnatione Filij, in qua sine dubio, fecit multa Filius sine Patre. Est enim natus Filius, passus, & resurrexit Filius, non Pater; aliàs in Patripassianorum, & Sabellianorum hæresim incurremus. Quomodo igitur inseparabilis est Trinitas, quæ locis, & actionibus separatur? Quàm parum absint isti à Gotteschalco, vel hinc videre est, quòd hic vnicuique personæ suam propriam inesse diuinitatem ex eo probauit, quòd sola Filij diuinitas, non autem tota Trinitas humanitatem assumpsit, diuinitas inquam *specialis & indiuidua* Filij, quasi Pater & Filius sint *indiuidua* naturæ di-

Status quæstionis eo libro exposita.

Non procul à Gotteschalco.

diuinæ, quemadmodum Petrus & Paulus humanæ: ac proinde abesse possint alter ab altero, operari separatim alter ab altero. Quo posito, quærunt nostri, quomodo ergo Trinitas inseparabilis dici potest, & intelligi?

Gotteschalcus facit separabilem Trinitatem.

Ad hæc non respondet auctor, quod Gotteschalcus, licet personarum deitas propria sit, specialis & indiuidua singulis, per quod inuicem separari videntur; esse tamen generalem, communem, atque vniuersalem omnium trium naturam vnam, in qua conueniunt. Sic enim esset reipsa Trinitas separata, quæ per solam intelligentiam in genericam vnitatem colligeretur; quemadmodum indiuidua naturæ humanæ tria & quatuor verè, & vt loquuntur, à parte rei, diuersa, diuisa, & distincta sunt, quæ si vniuersaliter considerantur, vnum faciunt in intellectu, conditionibus indiuiduantibus & separantibus nudata.

Quomodo potuerit dici Trinitas separabilis in baptismo Christi.

Aliter ergo satisfacit sibi propositæ ab studiosissimis fratribus quæstioni. 1. Quod de Christi baptismo dictum est, habere separabilem quodammodo trinitatem, Iesum, columbam, vocem Patris; *tria hæc quasi separata fuisse locis, separata officiis, separata operibus.* Esse nihilominus ineffabilem Trinitatem inseparabilem *apud seipsam manentem, omnia innouantem, creantem, mittentem, recreantem, iudicantem, liberantem.*

Lib. Quomodo sit Trinit. c. 1.

Breuiùs diceret, personarum Trinitatem tribus in locis distinctis sub diuersis signis, apparuisse: sed eas personas in natura diuina vna & incommunicabili collectas inuicem separari non posse, aut locis, aut operationibus, quia Pater in Filio, Filius in Patre vbique est, & omnia operatur. Sic enim alibi. *Etenim locis corporalibus non tenentur, nec occupantur nisi corpora. Vltra locos corporales, est diuinitas. Nemo eam tanquam spatio requirat. Vbique inuisibilis & inseparabilis adest: non in parte maior, in parte minor, sed vbique tota, nusquam diuisa.* Quid est autem quod ait, Trinitatem mittere, cùm Pater solus alias personas mittat, Spiritus sanctus nullam mittat? An creaturarum missionem solam vult intelligi, quæ sine dubio toti Trinitati communis est?

Quomodo inseparabilis.

Ibid. c. 8.

Etiam in operando ad extra.

2. Quod quæritur, faciát-ne aliquid Filius, qui natus & passus est, quod non faciat Pater, neque natus, neque passus? Præcisè respondet & verè. Nihil facere alterum sine altero. Quia licet Pater neque natus, neque passus sit, sed Filius; natiuitatem tamen & passionem Filij fecit Pater cum Filio. Quod paucis Scripturæ locis confirmat. Nusquam tamen loquitur de Spiritu sancto, licet eum non excludat, quia in quæstione propositus non fuit. Verbo vno, opera ad extra vult esse toti Trinitati communia, eóque modo etiam operando inseparabilem esse Trinitatem.

Ibid. c. 5. 6.

Exemplum in anima operatione.

3. Ad extremum, vt exemplis etiam credibile faciat, quod de inseparabili Trinitate docet, in hominis anima tria quædam demonstrat, quæ separabiliter pronunciantur, & inseparabiliter operantur. Potentias scilicet, quas vocamus, memoriam, intellectum, voluntatem: quibus nominatis: *Hæc sunt tria*, inquit, *quæ me dicturum esse promiseram auribus & mentibus vestris. Tria hæc quæ sunt in te, quæ potes numerare, non potes separare.* Vulgare istud: sed mentem ipse suam modo non vulgari explicat, cùm singularum potentiarum nomen non nisi omnium concursu pronunciari posse asserit. Efferatur, inquit, ea vox. *Memoria:* à dicente ad audientem permeabit. Quo agente? sanè memoria ipsa, sed non sine intellectu & voluntate. *Operata est in te memoria, vt teneres quod dicebas: & intellectus, vt scires quod tenebas:* nunquid & voluntas, vt quod tenebas & sciebas, exteriùs proferres? *Vnum ergo horum nominum tria fecerunt; sed tamen hoc vnum quod tria fecerunt, non ad tria pertinet, sed ad vnum. Tria fecerunt nomen memoria; sed hoc non pertinet, nisi ad solam memoriam.* Idem de intellectus & voluntatis nomine pari iure dicitur, vt omnia intelligantur separatim pronunciari, inseparabiliter operari. Subdit denique. *Ita Trinitas fecit in carne Christi, sed non pertinet nisi ad solum Christum: tria fecerunt de cælo vocem; sed non pertinet vox, nisi ad solum Patrem.* Puriùs dixisset, *Tres fecerunt vocem.* Tres enim personæ, non sunt tria. Quemadmodum alius est à Patre Filius, non aliud. Sic loquitur Ioannes: *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, qui dant in terra; & hi tres vnum sunt.* Sic altissimum mysteriorum tenuiter quidem & ieiunè pro captu inquirentium, exponitur ab auctore, sed piè & satis catholicè; repudiatis Gotteschalci, & Ratramni subtilitatibus, fidei sinceritatem turbantibus. Ista autem quatenus pertineant ad Eucharistiam, quod superiùs legebamus in titulo, exquirant alij, nos postliminio ad historiam reuocamur.

Ibid. c. 8.

1. Ioan. 4.

CAPVT VII.

Nicolaus I. Pontifex tandem in Gotteschalci causam inquirere, & Hincmarus illum per Odonem Beluacensem docere primùm incipit.

Lugdunensium scriptorum prætextus.

SI non alia, quàm religionis & fidei ratio, Lugdunenses libris superioribus satis superque spectatos, traxisset ad pugnam, fractis modò viribus, tot librorum, & Synodorum machinis exhaustis, ipso silentio se victos professi, quieuissent profectò, & ad mutuæ concordiæ fœdus magno Ecclesiæ bono rediissent. Sed nimirum eo prætextu caput Hincmari petebat inuidia, & quò grauiùs eruditione se superatam dolebat, eò vehementiùs aduersarium auctoritate opprimere contendebat. Mouet igitur Italiam à Galliis exclusa, & ad supremam Sedem per criminationum cuniculos irrepit, quæ vi aperta, per Lotharij Carolíque regna pugnauerat. Gotteschalcanâ face quæ decennium & ampliùs Galliam intestino bello vexauerat, dudum extincta, peruicaciam suam coquente in ergastulo miserabili Monacho; quiescente, & turbas Gallicas aut ignorante, aut dissimulante Pontifice, per occasionem restituti suam in Sedem Rothadi Suessionensis: ac deinde pari in negotio, sopitæ ad Caroli Regis gratiam Wlfadi & Clericorum Remensium contentionis: at non sine magno Pontificis ipsius labore, Hincmaro

Hincmarus apud Pontificem offendit in causa appellationis.

modum illum appellationis disturbare connifo, Ebbone interim sub ipsis pene Alpibus, in specula nouas identidem tragœdias spectante, & quod eius vita credibile facit, Romanum Pontificem contra Hincmarum Remensem sæuiùs exacerbante, cum nouis querelis ad Nicolaum I. Gotteschalci nomen & causa tandem aliquando peruenit.

Hæc offensio posterior est negotio Gotteschalci, nec ad illud pertinet.

Quid ab eo pro depositis restituendis imperatum; quæ litteræ scriptæ, & quales; quot Synodi coactæ; quid à Gallicanis Episcopis, ipsóque potissimùm Hincmaro perfectum sit, narrat historia, neque attinet hoc loco referre, quia nihil ad Gotteschalcum. Nihil inquam ad Gotteschalci vitam, mores, gesta, doctrinam, si quid contumaciter impedisse Remensis, si quid asperè in Remensem scripsisse dicitur Pontifex. Hoc repeto, hoc iterum atque iterum inculco; quia ad fastidium Lectorum omnium, contra ius fásque, contra historiæ chronologiæque fidem repetitur, inculcatur, intruditur, opportunè, importunè in Dissertatione: cum perpetua Hincmarianæ Apologiæ dissimulatione, qui omnibus à Pontifice sibi obiectis, de Pharaonica duritie, de falsatis litteris Apostolicis, aliísque eiuscemodi criminationibus, amplissimè satisfecit. Vnum dico, per duplicis illius appellationis occasionem, quæ inuidiosissimam apud Romanos flammam in Hincmarum excitauit, reuixisse faces Gotteschalci, nihílque propius fuisse, quàm vt incendium priore funestius excitaret.

Ea tamen occasione fautores Gotteschalci sunt vsi.

Nam cùm ad interpositas appellationi moras, accessisset etiam in Rothado carceris iniuria, cum graui Pontificis indignatione, facile fuit amicis Gotteschalci omnem eius facti inuidiam in Hincmarum deriuare, cuius in regno, atque in Ecclesia summa erat dignitas & potestas: & vnius, vt aiebant, in Rothado crudelitatis exemplo, alteram in Gotteschalci persona exaggerare; quod disertissimè præstat omni operis sui pagina solertissimus ad conuiciandum Dissertator. Hoc per se credibile, non obscurè indicat ad Egilonē scribens Hincmarus. *Nam idē Gotteschalcus, vel quia iam tempus est, vt veniat quod Paulus prædixit Apostolus, de vltimis temporibus; vel inuidia mei, quasi me tangat, quòd iussu Episcoporum illum custodio, dicitur multos habere fautores, sicut habuit Domnum Prudentium.* Cúmque moneri de re aliqua Pontificem, necessarium videretur, cauet magnopere ne suo illud nomine edicatur. *Et precor vt de mea parte nihil ei dicatur, quia commotum dicitur habere suum animum erga me, multis ad eum contra me, scribentibus, & mihi derogantibus, ne scandalum in me inde retorqueat, vnde culpam non habeo.* Inter alia, ne calumniam de libro à se scripto, à me concinnatam putet, & publicatam, quæ ex Prudentio solo proficiscitur. Neque apud ipsum Pontificem dissimulat in re alia: *Quæ ideirco sanctitati vestræ scribere studui, vt si aliquis maliuolorum nostrorum more suo, vobis quiddā sinistri ex hoc suggerere voluerit, quid inde verum sit cognoscatis, & erga me vestrum animum non moueatis.* Vides criminationum fontem & progressum: habet Hincmarus maliuolos, Gotteschalci fautores, à quibus sinistra Pontifici suggerentibus, per inuidiam eius animus commouetur. Qui sunt autem illi maliuoli, & vnde? Ipsi certè Gotteschalci fautores, de quibus hæc intelligo, *Videns qualiter illa aduersùm me, quæ de istis partibus ad illum veniunt, suum cursum accipiunt.*

Hincmar. epist. 24. ad Egil.

Idem epist. 17. ad Nicol.

Idem epist. 24. cit.

Odo Beluacensis Legatus Synodi Syluanectensis.

His igitur calumniis apud Pontificem imperiti se cùm non ignoraret Hincmarus, & iamdudum profligatam Gotteschalci litem, vt & ceteras, nonnullorum conatu restitutum iri, maturè occurrendum malo ratus, ne quid interim religio detrimenti pateretur, errores Gotteschalci, & confectum ex Patribus aduersùs illos antidotum, Romam misit per Legatum Synodi Syluanectensis Odonem. Is antea in Corbeiēsis Monasterij præfectura Paschasio Radberto successerat, Ratramni Abbas: deinde creatus Beluacensis Episcopus, à Synodo Syluanectensi, in qua depositus est Rothadus, delectus fuit, qui acta Synodi Romam deferret ad Pontificem. De illo autem, déque hac eius Legatione, solita in amicos Hincmari facundia, sic pronunciat Dissertator Monetarius. *Vnum fuisse, & verisimiliter præcipuum ex fidelibus, & complicibus Hincmari, quos Zeli & inuidiæ Diaboli facibus accensos, dixit Nicolaus Papa: & hac de causa ab Hincmaro electum, vt Romam delegatus pseudosynodi illius expeditissimā nequitiam argutiis tam caliginosis cæcaret, vt à Summo Pontifice confirmationem furari posset.* Credecem hæc encomia, si de falsario conuicto, & adulterata moneta iudicium haberetur. Quod est autem historici artificium, vt argutum & subdolum faciat Odonem, Synodum nequam, & Pontificem stolidum fingere? Vis scire qualis inter Odonem atque Hincmarum intercesserit necessitudo? Flodoardum consule, apud quem pia, & Ecclesiæ vtilissima negotia pluribus Epistolis Hincmari tractata cum Odone, magna cum voluptate leges hoc exordio. *Odoni Beluacensi, quem Filium carissimum sæpe vocat, multa fidenter scripsit.* Et vt sciamus qualis in talem filium pater fuerit Hincmarus, vnius inter ceteras Epistolæ hoc est argumentum. *Item gratias referens Deo pro satisfactionis & correctionis dulcedine, quā in litteris ipsius Odonis multam recognitionis eius, de his vnde redarguerat eum, reperit benignitatem.* Quid ea sanctius amicitia, in qua dulce est monere & moneri? Deinde vicissim, cùm Hincmarus in Pontigonensi Concilio Metropolitanarum sedium iura conseruaret, intercedendo Ansegisi primatui, Odo idem in Caroli Imperatoris gratiam, Hincmari partibus desertis, pro Ansegiso Senonensi stetit liberrimè: quia vbi cogimur, amicitia non est, sed dominatus.

Iniquum de eo iudicium Dissertatoris c. 47.

Flodoard. l. 3. hist. c. 23.

Concil. Pontigon. tom. 3. Concil. Gall.

Per Odonem Hincmarus Pontificem docet errores Gotteschalci. epist. 17. ad Nicol.

Huic igitur Romam proficiscenti, commisit Hincmarus *rotulam*, vt vocat, auctoritates Patrum contra Gotteschalci errores continentem. Sic enim narrat. *Vnde quoniam per alios iam audieram ad sanctitatem vestram verba venisse, misi auctoritati vestræ quædam ex verbis & catholicorum sensibus in rotula, qualiter contra ipsius pestiferi hominis sensum sentiam, per Odonem Episcopum: & nihil inde responsionis accipere merui.* Tria hîc obseruanda. Primum, ante legationem Odonis inaudisse aliquid Nicolaum de Gotteschalco, eiúsque doctrina, & excitata per Gallias controuersia; cui tamen sopiendæ, aut ad tribunal suum aduocandæ, nullam Epistolam, vel edictum misit ad Episcopos. Deinde, Rotulam Hincmari, non tam ad petendum Gotteschalcum, quàm ad se tegendum, factam esse. *Quid sen-*

sententiam contra ipsius sensum. Solebat enim Gotteschalci factio aduersarios Pelagianæ hæresis, & neglectæ Augustini doctrinæ accusare, ipsa errorū, & malè explicati Augustini sibi conscia. Quid autem plausibilius acciperet Roma, quàm Hincmarum Apostolicorum iurium aliunde violatorem existimatum, hæreses ab Apostolica sede damnatas sequi, Augustinum ab eadem sede eximiè laudatum, probatúmque deserere?

Cur Hincmaro nihil responderit Nicolaus.

Hæc si verè dicebantur, iam non tegendum silentio, quod tertium annoto, sed longè latéque resonanti fulmine feriendum erat. Et in eo silentio grauissimum quendam contemptum Hincmari, quòd nihil ad eius rotulam responderit, audit acutis auribus Dissertator; quem ego obtusior non percipio, cùm ad eius causas attendo. Non enim nesciebat Pontifex doctissimus, impeditam esse plurimis ambagibus quæstionem; longa Gallorum Theologorum disputatione redditam implicatiorem: nihil præproperè & temerè à prima Sede decernendum. Ab his controuersiis studiisque, animum suum auocari sentiebat periculosioribus negotiis, Orientali schismate, Bulgarorum institutione, Lotharij diuortio, Regum Francorum ad arma propensa voluntate; duabus appellationibus in regno Caroli per Hincmarum retardatis & elusis. His aliisque curis & molestiis obruto, vacabat scilicet rotulas voluere & reuoluere, quales veniebant ab Hincmaro, grandes & verbosas: aut sui contemptum interpretari poterat Hincmarus, si de re graui, neque dum satis cognita, prudentissimus Pontifex nihil decerneret? Et putas inter hæc librum ea de controuersia fuisse à Nicolao scriptum, quem nemo homo, ne Prudentius quidem Trecassinus, se legisse testatur?

Legatio Luidonis ad Nicolaū Pontificem.

Postea denique cùm noua causa Rothadi ad Pontificis voluntatem è carcere soluti, Romam mitti posceret Legatum à Rege & Hincmaro, qui nunciaret factū esse quod imperarat, Liudo, qui & Luido, ad eam legationē delectus est. Eum quia Laudunensis Ecclesiæ sub Pardulo fuit Archidiaconus, si quis volet amicum Hincmari credere, audiat ex Flodoardo qua ratione se erga illum gereret Archiepiscopus. Scripsit enim ad Pardulum, *de reconciliatione Luidonis inconuenienti, quòd non potuerit ad eam peragendam adulationibus, vel exprobrationibus hominum insipientium deflecti: corroborans eum ad rectitudinem Episcopalem diuinarum testimoniis scripturarum; vt per auctoritatis gradiatur viam, & quid ei de præfato sit agendum Luidone, significans.* Hoc Epistolæ argumentum reliquit in obscuro, historiæ qua de tum agebatur ignorantia; peruidere tamen ex eo licet, incurrisse Luidonem in offensam Episcopi sui Parduli: hunc nimia facilitate disciplinæ Ecclesiasticæ vigorem in eo reconciliando inflexisse: displicuisse vtrunque Hincmaro, & Archidiaconum ad modestiam, Episcopum ad Ecclesiasticum rigorem reuocasse. Hic est videlicet aulicismus Hincmari, sexcentis aliis apud eundem Flodoardum probatus exemplis. Fuit nihilominus Luido vir grauis, & virtute præditus, amicitia Hincmari dignus, & ea legatione, de qua Nicolaus ipse Pontifex ad Rothadum. *Nunc autem venit Luido religiosus Diaconus, secum Epistolas iam fati Regis, & Hincmari ferens, quæ te iussu regis de monasteriali custodia eductum, & cuidam Episcopo familiari tuo commendatum esse fatebantur.*

Flodoard. l. 3. hist. c. 21.

Nicol. ep. 35. ad Rothad.

Pontifex cum eo agit de Gotteschalco.

Hincmar. epist. 17. ad Nicol.

Præter caput istud legationis, quod erat præcipuum, nonnulla etiam alia, vt fieri assolet, cum Luidone tractauit Pontifex, & priuatim de Gotteschalco incluso. *Ceterùm Luido mihi dixit, quòd cum eo rationem de damnatione, & reclusione Gotteschalci habuissetis.* Non potuit opportuniùs colloquium istud cadere, quàm cum Parduli diacono, gestorum omnium à primia Gotteschalci apud Carisiacum condemnatione, teste oculato, qui sine dubio negotium totum fideliter Pontifici renarrauit, dissipatis aduersariorum Hincmari criminationibus, solutis, si quæ occurrerent, ambagibus. Atque ita sapientissimo Pontifici satisfecit, vt postea ne verbo quidem, quenquam alium de Gotteschalco Pontifex idem, aut quis alius eius successor rogasse, longè minùs vllum apicem Epistolæ ad Hincmarum, aut quenquam Episcoporum pro illo scripsisse, reperiatur.

Calumnia Dissertatoris in Luidonem. c. 47. cit.

Quo de negotio, déque legationis istius exitu quem dicimus, ita commentatur historicus Dissertator: *Huic fraudi Luidonem Diaconum, sibi amicissimum, & nequitia cum suo Pardulo coniunctum delegit, quem Romam Regis & suo nomine delegaret, sicque Pontificis animum hoc mendacio deliniret, & Odonem Belnacensem imitatus summum Pontificem fictitiis Hincmari laudibus pasceret.* Quæ gratuitò, & solita calumniandi Hincmarum consuetudine dicta, sua fide meditata, suo sigillo munita, putat à nobis credi oportere, dum paginis duabus Archiepiscopum vnum, Episcopos duos (nam Luidonem vt Episcopatu dignum, quo postea perfunctus est apud Æduos, nominat Pontifex, vita *religiosum,* & *venerabilem* agnoscens) Synodum præterea vnam, fœdissimis conuiciis lacerat: ipsúmque Nicolaum stupidum fingit qui toties, támque facilè mendaciis deliniatur. Sed ea vanissima, & solo contemptu digna non ægrè iudicabit, qui paulo antè narrata, mente affectibus libera considerabit.

CAPVT VIII.

Nicolaus I. Concilium Metis indicit in causa Lotharij Regis, ad quod Hincmarus cum Gotteschalco illegitimè vocatus non accessit.

Causa scribendi libri de Diuortio Lotharij & Theutbergæ.



POST Gotteschalcum, Hincmaro non licuit esse quieto, sed vt olim Romano Imperio sua magnitudo, sic Archiepiscopo Remensi sua claritas, atque eruditio fuit oneri. Nouum siquidem atque insolens Ecclesiæ scandalum, cui vir inuicti rigoris pro virili sua, rogatus mederi voluit, cum Nicolao Papa strenuè militans, in alios eum fluctus abripuit, ferociores quàm periculosiores. Lotharius iunior, Imperatoris filius, Calui nepos, quem in vtroque Tullensi Concilio vidimus, eius regni dominus, quod de suo nomine Lotharingiam appellauit, Theutbergam legitimam coniugem fœdè calumniatus, ab Episcopis suis, fraudis ignaris, in Aquisgranensi Concilio eius repudian-

Concil. Aquisgranense.

dæ, atque alterius superinducendæ potestatem præter ius & fas impetrauit. Non placuit omnibus præceps & adulatrix iudicij sententia, sed Ecclesiastici laïcique ordinis complures perscripta gestorum serie, Hincmari sensum super eo negotio, clanculum, & nomina sua taceri rogantes, expetiuerunt: vt fusè narrat Hincmarus ipse respondens.

Hincmar. l. de diuort. Præfat.

Fuit illud ex vsu temporis, quo incidentes quæstiones, theologis, & eruditissimis quibusque discutiendæ proponebantur, vt in controuersia nostra factum vidimus, cùm Carolus Rex Seruatum Lupum & alios, Wenilo Prudẽtium, Hincmarus Lugdunenses, ignoti alij Lugdunẽsem scripturarium consuluerunt, sed non eadem omnes mente, qua isti Remensem. Per hæc autem initia condonari potuit nonnihil subditis, metu Principis latere volentibus, & ad externum oraculum confugientibus. Nam postea illos acriter arguit Nicolaus, cùm litteras ad Lotharium perferendas, Regi Carolo potiùs, quàm eius Episcopis committeret. *Quoniam quidam*, inquit, *timoris aut fauoris causa, nostram suscipere paruipendunt Epistolam; quidam verò suscipiunt quidem, sed palam demonstrare formidant: vel etiam Lothario placere volentes, hanc aliorum visione perniciosissimè priuant.* & mox: *Nam licet omnes arguendi sint ob nimiæ soporem desidiæ, multò tamen illi seueriùs increpandi, vel percutiendi consistunt, qui toties etiam à nobis moti, excitari pestifero torporis somno depressi refugiunt.* Hincmarus tamen animo ad magna omnia semper expeditissimo, difficilem & plenam offensionis, pro æquitate & Ecclesiastica disciplina, vigore Sacerdotali suscepit prouinciam: *Prout permisit breuitas temporis, & occurrit memoria, propositis quæstionibus, imò quærentium, præmittentes quæ interrogauerant, solutionibus, sine adulatione respondere curauimus. Et idcirco generaliter ad omnes scripsimus, quia ad omnium ordinum personas causam pertinere cognouimus, & eos prodere qui nobis proposita transmiserunt, prohibiti cum adiuratione præscripta sumus.*

Consulti de quæstionibus incidentibus Theologi.

Nicol. ep. 66.

Ibid.

Hoc in libro vndecunque doctissimo, de quo plura referre necesse non est, non tam obseruare te cupio, Lector, eruditionis supellectilem ab Hincmaro explicatam, quàm eius viri virtutem & constantiam, qui aulicæ assentationis perpetuò accusatur à Præside. Nam qui consulunt, apposita *adiuratione* vetant & maximopere metuunt, euulgari sua nomina, veriti sine dubio indignationem Lotharij Principis, & Archiepiscoporum Theutgaudi Treuirensis, atque Guntharij Coloniensis, quos huius scandali primarios architectos Rex habebat. Hincmarus autem neque gratia, neque metu ad *adulationem* duci potest, sed *dicti Dominici memor, Non accipias personam in iudicio*, contra Regem iuuenem, Regis sui nepotem, quem duobus in Conciliis Tullensibus fauentem erat expertus, contra illustres Archiepiscopos, iisdem in Conciliis familiariter sibi cognitos, aperta fronte, grauiter & animosè sententiam dicit primus, in tanti periculi negotio, Concilij vnius iudicium rescindendum clamat, & signum erigit ad vindicandam Ecclesiæ disciplinam. Secundùm eum Nicolaus Pontifex deinde pronunciat, adulterinas Waldradæ nuptias, & Theutbergæ innocentiam auctoritate tuetur, quam Hincmarus eruditione declarauit. Indicitur Synodus à Pontifice Metis per Legatos Romanos congreganda, rogantur Ludouicus Germanus, & Carolus Caluus patrui reges, vt duos de suis Episcopis ad eam mittant: magna omnium expectatione Metas concurritur; sed Hincmarum, quem in eo conuentu iudicem timuit perfidia, reum facere conatur liuor & odium. Nam Archiepiscopi memores Hincmari libro se prædamnatos, benigna vindictæ occasione arrepta, iubent Hincmarum cum Gotteschalco ad Synodum aduenire, illum huius damnati, & carcere conclusi rationem decimo tertio pòst anno redditurum. Quod Nicolao Põtifici narrat Hincmarus ad hunc modum.

Laudatur animus Hincmari in eo componendo.

V. Tom. 3. Concil. Gallic.

De quo (Gotteschalco) *nihilominus vt redderem rationem, quidam Episcopi* (putà Theutgaudus atque Guntharius duces factionis) *quorum nihil de illo intererat, quoniam nec eos, vt ipsi manifestis indiciis prodiderunt, ad hoc caritas commouebat, nec auctoritas deducebat, me ad Conciliabulum nuper Metis habitum, quod vocari Synodum vetuistis, sicut intelligo, irregulariter quarto die antequam congregaretur, cum ego longiùs quàm octoginta, & idem Gotteschalcus plusquam centum millibus, ab ipsa ciuitate, disparati essemus, nihil me inde antè præmonitum, per quendam laïcum hominem litteris vocauerunt.* Paucis multas colligit causas illegitimæ citationis.

In quo malos offendit, & vocatur ad Synod. Hincmar. epist. 17. ad Nicol.

Nam 1. Lotharenos Episcopos nulla ex parte causa illa tangebat: qua enim re fuerunt illis obnoxij Hincmarus & Gotteschalcus? Rabano Mauro Moguntino satis fuit errorem Gotteschalci damnare, ipsum Metropolitano suo commisit iudicandum. Hincmarus cum Concilio, ad quod iuridicè reum deduci iussit à Rothado, adiudicauit carceri ante annos duodecim; ea de sententia questi sunt eius fautores, nihil vlterà tentauerunt: intercessionẽ suam damnato Lugdunensis Amolo si resipisceret, obtulit, vt cum Archiepiscopo suo per Episcopos rediret in gratiam; hæc est digna magistris Ecclesiæ caritas. Valentinis & Lingonensibus Patribus, cùm Capitula Carisiacensia displicerent, virgæ & custodia Gotteschalci mentem non pupugerunt. Agrippinensem & Treuirensem Archiepiscopos apud Tullum non mouit ad misericordiam Gotteschalcus vinctus; quid illis modò venit in mentem curare hæreticum peruicacem, & eius iudicium tanto post tempore retractare? 2. Id verò illis non suadebat *caritas*, sed ira, & vindicta, Episcopis aduersùs Coepiscopos indecora, & iniqua: vnde porrò concepta, nisi ex opere scripto & publicato aduersùs turpe repudium, & turpiorem pellicatum? Cui adiungebat Remensis, consilium apud Regem Carolum, vt hoc nepotis facinus execraretur, quem suis hortatibus reddidit inuictum æquitatis & pudicitiæ vindicem. Istud non ex mera coniectura proferri, docet idem Hincmarus in Rothadi negotio, quod per eos exacerbatum fuisse commemorat. *Vt dicunt qui hoc se scire testantur, quidam Episcoporum regni Lotharij, Zelo amaro contra nos ducti, quia illorum consiliis de Waldrada non acquieuimus, & etiam aliqui de Germania, vt quidam dicunt ad Ludouici sui regis suasionem, persuaserunt eidem Rothado*, &c. Quis nos arguat temeritatis, si *amarum* hunc *Zelum*, à Rothadi causa, ad Gotteschalci causam leuissimo flexu traducimus? Nõnne concepto semel in

Sed non canonicè.

Hincmar. epist. 17. cit.

Remensem odio nocendi occasiones omnes aucupari debuerunt Germani Lotharenique Antistites? 3. Quo autem iure, qua *auctoritate* hominem neque sibi, neque Regi suo subditum, in ius vocarunt Episcopi? Non ibat ad Concilium Carolus, qui suos Episcopos secum deduceret: non mittebat Nicolaus, qui duos tantùm iudices ex Caroli Regno postulauerat: non citabant Pontificij Legati, quibus in Commonitorio nihil tale præcipiebatur. Coram istis ergo iudicibus Germanis stans rationem de Gotteschalco reddidisset Hincmarus, quibus nihil præter honorem & caritatem debebat, & quorum de re ipsis commissa iudicium Christianus orbis exhorruit. 4. Fuerit tamen citandus Hincmarus, cur ea in re neglecti canones, & mores Ecclesiastici? Rothado per tractoriam imperauit Hincmarus, vt secum ad Concilium Gotteschalcum adduceret. Vbi hic tractoriæ? vbi officium Ecclesiasticum? cur omissa præmonitio? cur expectatæ temporis angustiæ? An sperarunt, confecto ante omnia Lotharij negotio, cui Remensem sciebant obstiturum, seriùs ad causam tantummodò dicendam adfuturum? Expectandus erat scilicet rerum Ecclesiasticarum scientissimus, intempestiuè per laïcum nuncium vocatus, ab iis qui non possent imperare, quique vindictæ locum in causa Gotteschalci quærerent, non caritatis. Neglexit ergo tale vadimonium Remensis, vt ex Epistola patet in qua versamur: neque aduersùs illum quicquam esse gestum in Concilio vel ipse queritur, vel canon vllus, aut historia declarat. Specta interim magni Præsulis innocentiam, in quo præter Gotteschalci miseriam, reprehendere nihil potuit inuidia; id autem miserabilis illius Monachi vitio euenisse, iamdudum aduertimus. Vbi tunc igitur erant grandes illi criminationum aceerui, tanto pòst tempore per amplissimum Dissertatorem excitati?

Funestus Concilij exitus. Sed quis tanti Concilij fuit exitus? nam id nosse nostra etiam interest. Non is sanè qui esse debuit. In eo siquidem Legatis Nicolai pecunia corruptis, & præuaricantibus, quos antè *delicias* suos, hoc est, carissimos, vocabat, Gunthario & Theutgaudo agentibus, corrupto iudicio, vicit impudicitia Lotharij, repudiata penitus Theutberga est, probatæ Waldradæ nuptiæ. Damnata exin à Nicolao Synodus, & *Prostibulum appellari* iussa, *tanquam adulteris fauens, & cum Ephesino latrocinio reputata*: vt gloriæ ducere debeat Hincmarus, tali Synodo non placuisse. Tum etiam iidem Guntharius & Theutgaudus, quos ad Pontificem legauerat Synodus, vt præcipui criminum architecti, depositi & excommunicati, concitatis aduersùs Pontificem Italis quibusdam Episcopis, acerbissimè in eum scripserunt, illasque litteras ad Photium, alteram Ecclesiæ facem, Constantinopolim miserunt, vt infandissimi schismatis, quo etiamnum conflictatur Ecclesia, societatem inirent. Ceteri Antistites, vt sceleris consortes, & ipsi excommunicati. E quibus omnibus, soli, quod sciamus, Franco Tungrensis, & Aduentius Metensis in periculosa ægritudine, pœnitentes veniam obtinuerunt. Theutgaudus, quanquam moderatior, ægrè ad saniorem mentem, ægriùs ad Ecclesiam, & Pontificis communionem rediit; ac tandem diuinitus punitus, in Italia periit. Guntharius acer ac vehemens, aulæ regiæ magis addictus, quippe sacri Palatij Archicapellanus, obscuriore & pœnitentia & morte sublatus est. Vnum constat ex Annalibus Fuldensibus, bis Romam profectum, & pœnitentiam professum, vt gradui suo restitueretur, repulsam tulisse, quòd in excommunicatione munera Episcopalia exercere, summa audacia præsumpsisset. Superuixit denique Nicolao crimen Lotharij, & necesse habuit successor Hadrianus Carolum Caluum, hoc in negotio, per Hincmarum animare, quem potissimum Sedi Apostolicæ concurrisse, & concertasse prædicat.

Concil. Rom. sub Nicol. can. 1.

Ibid. can. 2.

Baron. ad an. 863. tom. 10.

Tom. 3. Concil. Gall.

Ann. Fuld. ad an 863. & 4.

Hadrian. epist. 4.

Hinc virtus Hincmari demonstratur. Quas ego perfidorum hominum tragœdias quo diligentiùs intueor, eò maiore admiratione in virtutem Hincmari defixus hæreo. Tunc enim *concurrebat & concertabat* Nicolao Pontifici, cùm ab eodem Pontifice asperiùs, quàm pro paterna benignitate, in causa Rothadi, & Wlfadi tractabatur: cùm superbiæ, crudelitatis, dolositatis arguebatur; cùm magna ad eius examinandam ordinationem Concilia eiusdem iussu cogebantur; cùm Romæ iudicia in Conciliis ab eo prolata rescindebantur; cùm crebras excommunicationis minas, ab eo quem mirificè colebat, audiebat. Si potest vnquam iusta esse filij querela de patre, vter æquiùs Nicolao Pontifici potuit succensere, Guntharius, an Hincmarus? Vter, expensa factorum grauitate, seueriùs à Romano habitus est, Hincmarus, an Theutgaudus? Ac excutiunt illi Christianæ obedientiæ iugum, atrocissimis contumeliis Pontificem lacerant, *tyrannicum furorem, tumidum potentatum, elationis tumorem, fraudulentiam, & calliditatem* obiiciunt; infensissimis Ecclesiæ Latinæ hostibus se adiungunt: Imperatorem Ludouicum Lotharij fratrem, aduersùs Nicolaum concitant, rebellionem suam & schisma Occidente toto disseminant, securi Orientis. Hincmarus autem altissimæ humilitatis memor, quam semper in Monasticis septis exercuit, eámque indignissimum est *simulatam humilitatem, & summam hypocrisim* à Dissertatore appellari, Pontificias obiurgationes patienter audit, modestè purgat, à se deiectos, restitutos à Nicolao benignè suscipit: in Lotharij causa pro Ecclesia Romana stat inuictus, Carolum Regem in eiusdem fide contra Nepotem retinet; aduersùs Græcos pro eadem pugnat: nihil denique prætermittit, quo de Sede Apostolica bene mereatur. Quanto rei Christianæ bono, non fuit vir omnium scelerum, Hincmarus, siue *omnimodæ nequitiæ*, qualem videri volunt calumniæ Dissertatoris? Fac enim non fuisse optimum & religiosissimum, fac iracundiæ cum ceteris per occasionem hanc indulsisse, qui aliàs & ingenio promptus, & à doctrina paratus, & summæ in Rep. auctoritatis esset, Deus immortalis! quæ rerum perturbatio, quis horror schismatis, quæ facies fuisset Ecclesiæ? Quanto fragore orbis vniuersus à capite suo diuelleretur, & abrumperetur? Quam se in partem vertisset Nicolaus, cùm in Petri nauiculam duo turbines Photius in Oriente, Hincmarus in Occidente incumberent? Atque vt Michaëlem Imperatorem Constantinopolitanum Photius, vt Ludouicum II. Guntharius, sic nullo negotio Carolum Caluum Hincmarus, & ipsum paulò pòst Imperatorem, in partes Lotharij nepotis transtulisset, à quibus non sine labore semper a-

Differt. c. 48.

uellit. Ausim dicere, Deo per Hincmari virtutem debere Ecclesiam, quòd tum in Occidente salua constiterit.

§. VNICVS.

Hincmarus per calumniam fingitur Pontifici ad illud Concilium euocanti contumaciter parere contempsisse.

Pro suo quisque studio libros & historias interpretatur.

QVOD vsu quotidiano probatum sentimus, licet nunquam antea monuisset Seneca, pro suo quemque ingenio studióque in librorum lectione versari, quemadmodum in eodem prato bos herba pascitur, cicada rore, lacerto ciconia; illud iamdudum tota in Gotteschalci atque Hincmari historia, nunc autem maximè in ista Metensis Concilij mentione, tibi, Lector & iudex, apparet. Nam cùm eam diuersis animis ego & Dissertator clarissimus, è veterum scriptis refodiamus, vnde nostrûm alter Hincmari laudem & gloriam, inde dedecus & infamiam alter educit: qua parte Gotteschalcus summè prædicandus illi videtur, in ea nihil nisi opprobrium & vituperium deprehendo. Tuum est, Lector, de sententiis nostris ferre sententiã, & singularum momenta, non alio, quàm propenso in veritatem studio, expendere. Iisdem auctoritatibus non rarò probamus cõtraria: vbi cõiecturis agitur, quod omnes historici licere sibi volunt, maximè qui vetera & obscura narrãt, coniectorem ego me fateor, & suo nomine appello, *Coniecturas*. Sagacior Præses amplissimus *iugem meditationem, & cum eruditioribus collationem* vocat, quicquid ibi fabricatur, tanquam certissimam historiam, & Sibyllæ folium producit, de quo dubitare imperitum sit, ac sæpe impium. Sed pauci vento inflantur, vt equæ Potniades; neque in sterili prato, duce natura vescuntur animalia; verum rorem, & herbam sentilem ostendas oportet, vbi boues & cicadas voles viuere. Cupio te in Concilij Metensis exemplo, de rationum vtrinque productarum soliditate iudicare: quoniam vnde admirabilem Hincmari virtutem demonstrasse me arbitror, in profunda & constanti humilitate, cum perpetua supremæ sedis veneratione fundatam, inde Præses Dissertator contumaciam, impudentiam, fraudem, contemptum Pontificiæ auctoritatis, & ius gentium in Legatis violatum, longa fabula explicatur. Fabula inquam, qua lecta, & vel leuissimè expensa, nihil recuso, Lector, quin Milesias omnes fabulas, & veras Luciani, pro T. Liuij, & Taciti certis historiis accipias.

Id spectandum in hac Concilij Metensis historia.

Quod de ea scripsit Hincmarus, tenendum.

Sic enim edissero. Constat communi vtriusque asseueratione, citationem Hincmari ad Metense Concilium, à solo Hincmaro scriptam fuisse, neque vsquam alibi apud Historicum alium reperiri: Nos ergo de illa nihil scire, quàm quod scripsit Hincmarus: & quod scripsit, hoc scire. Nam qui credimus factam esse citationem, quia id scribit Hincmarus: ita factam credere cogimur, quia sic narrat Hincmarus. Quicquid ergo ad narrationem Hincmari adiicitur, coniecturale est: quod eidem narrationi contrarium affertur, falsum & fabulosum censeri debet: vbi autem absque ratione vlla, & probabili magis argumento, Hincmari narratio fidésque respuitur, & exsufflatur, quid de eo iudicandum videtur, qui se *summa fide* scripsisse gloriatur? Conferamus ergo inuicem vtriusque narrationem. Quid ait Hincmarus Pontifici, nobis Dissertator? Quod suprà videbamus refert Archiepiscopus Remensis, se à quibusdam Episcopis citatum ad Concilium, non accessisse, 1. Quia illorum nihil intererat, quid ageret Hincmarus, quid pateretur Gotteschalcus. 2. Quia sine auctoritate & iurisdictione, præter regulas caritatis citabant. 3. Quia per hominem laïcum, contra regulas Ecclesiasticas. 4. Quia seriùs quàm fieri debuit, cùm tantum itineris tam exiguo temporis spatio non posset confici, vocauerunt. 5. Ex quibus omnibus concludit, irritam fuisse citationem. Alia omnia narrat Dissertator.

Hincmari, & Dissertatoris narrationes inuicem conferuntur.

1. Legatis ad Concilium celebrandum missis dedisse Nicolaum in mandatis, *vt per Franciam transeuntes, Hincmarum cum Gotteschalco ad Concilium Metense, auctoritate Apostolica euocarent.* 2. Imperata fecisse Legatos, *& litteris suis Hincmaro, vt vnà cum Gotteschalco ad Synodum Metensem conueniret, notum fieri & enunciari procurasse.* 3. Hincmarum autem *solita contumacia parere contempsisse, & ad Nicolaum Papam contemptum illum referre non erubuisse.* 4. Ius gentium in Legatis, & auctoritatem Pontificiam eo facto fuisse violatam. 5. *Nequissimè & impudentissimè* allatas esse ab Hincmaro illius facti rationes, *ex ipsius genio, more solito confictas, & quæsitum contumaciæ colorem.* Vtri narrationum istarum, quæ toto cælo inuicem distant, æquius sit fidem accommodari, tuum esto, Lector, iudicium: & si præter auctoritatem narrantium, Hincmari & Præsidis, commentationibus rem cupis adiuuari.

Dissertat. c. 47.

In iis nonnulla.

Cogita 1. Eius Synodi mentionem intulisse Hincmarum, non rogatum à Pontifice, non vllo canonum decreto coactum, non reprehensionem Pontificiam metuentem; sed vltro ac sponte, occasione rotulæ per Odonem missæ, & congressus Ludonis cum Pontifice, rem narrasse temerè susceptam ab æmulis, à se cum ludibrio reiectam, quæ tamen ad mentionem de Gotteschalco factam attineret. Cogita 2. Hæc eo tempore scripsisse Nicolao Hincmarum, cum damnata solenniter Synodo, & eius actis maxima cum auctoritate rescissis, iam excusationem ab Hincmaro quærere non debebat Nicolaus, sed gratulari potiùs, quòd eo Prostibulo suam innocentiam non violasset. Quare cùm excusandi nulla penitus appareat necessitas, quæ fuit causa cur colorem quæreret, & *genium suum* in confingendis rationibus torqueret vir non stolidissimus, quas nemo exigebat? Cogita 3. Vim & naturam rationum ab Hincmaro allatarum. Eæ profectò citantes Episcopos odij in seipsum, vsurpatæ per iniustitiam iurisdictionis, contemptorum canonum, imprudentiæ, temeritatis arguunt. Credis-ne tam stupidum fuisse Hincmarum, vt illorum criminum vltrò apud Pontificem Legatos ipsius accusaret? vt hæc Nicolao in os exprobraret, cùm eius animum sibi maximè conciliare conaretur? Non est iustius hæc ad Germanos Episcopos referre, *quorum verè nihil intererat, quos nec auctoritas deducebat, nec caritas commonebat?* Cogita 4. Nihil vnquam ea de re Nicolaum expostulasse cum Hincmaro. Multa hîc audis, Lector, & grandia. Nicolaum Pontificiæ maiestatis assertorem potentissimum: ingens negotium, in iure gentium per sacrilegium violato:

tempus reprehensionibus opportunum, cum Pontifex Hincmarum crudelitatis, dolositatis, pharaonicæ duritiei, litterarum pontificiarum corruptarum, in causa longè minore insimulabat: Hincmarum ipsum, conclamatæ & omnimodæ nequitiæ hominem, quibuslibet opprobriis obnoxium, omnibus bonis & sapientibus execrandum. Aut falsa sunt quæ in Dissertatione narrantur, de methodo tractati per Nicolaum Hincmari; aut contestatum istud est argumentum. Ea de re contra Hincmarum nunquam questus est Pontifex Nicolaus: ergo falsa est & commentitia. Quam eandem conclusionem ex singulis istis obseruationibus iure optimo colligi debere contendo.

Ficta sunt quæ narrat Dissertator de mandatis à Pontifice factis.

Alia tute ipse subtiliùs cogitabis, Lector, & ad extremum quæres ab Amplissimo Dissertatore, *In qua potestate hæc facis?* siue, qua auctoritate munitus id enarras? Facti quæstiones testibus probantur: præterita tempora maiorum fide referuntur. Poëtarum est fingere quid fieri potuerit, sophistarum declamare: in ipsa facta iurat historicus. Age ergo, quæ narras Hincmaro repugnantia, qui rerum actor fuit, quo alio probas auctore? nam teipsum semper excipio. Iussit Pontifex, ais, Hincmarum auctoritate Apostolica cum Gotteschalco ad Concilium euocari. Hoc ego pernego. Da testem, profer tabulas. Nam litteras Nicolai ostendo ad Lotharium Regem, cuius res agebatur; ad Ludouicum Imperatorem eius fratrem; ad Carolum Caluum eius patruum datas, quibus iubet duos de Caroli regno delectos Episcopos Metas ad Concilium proficisci: habeo eiusdem litteras ad illos è Gallia Germaniáque profecturos ad Concilium Episcopos: offero tertiò Epistolas alias ad eosdem in Concilio iam congregatos: & quoniam de Legatis agitur, lego Commonitorium in scriptis prisco more missum. At nunquam & nusquam tot scriptis, tot litteris, vel per vmbram, Hincmarum, aut Gotteschalcum nominat, aut causam illorum agitari iubet, in Theutbergam, & Waldradæ nuptias solùm intentus. Qua igitur ex reuelatione didicisti, fuisse illud in mandatis datum à Nicolao Legatis ad Synodum missis? Qua confidentia scribis, *ne minimum quidem subesse dubium, quin hæc causa inter maximas recensenda esset, & summi totius Ecclesiæ verticis curam respiceret.* Hem! *inter maximas causas, ad curam Ecclesiæ verticis* pertinuit, exceptus pridem fustuario miserabilis & impudens Monachus, clausus carcere hæreticus peruicax. Id autem vel falsò asseritur, vel grauiter accusatur Nicolaus, quòd tantum negotium, tam opportuno tempore, tam facilè conficiendum neglexerit. Quòd si verè Legatis agendum iniunxisset, idque Hincmarus *perseuerante contumacia* impediuisset, Deus immortalis! quæ fulmina litterarum, quas obiurgationum, & minarum tempestates, accepisset à Pontifice? Harum litterarum apicem vnum postulo, vnum vestigium, vnam apud vllum memoriam.

Nicol. ep. 6. 7. 8. 11. 12. 13.

Falsa quæ de Legatis Pontificiis Hincmarū euocantibus scribit.

Legati per Franciam transeuntes, inquit, imperium Pontificis litteris suis Hincmaro notum fieri & enunciari procurauerunt. Quibus litteris? quando, & vnde datis? à quo acceptis? quis eas vidit litteras? quis illarum meminit? Nomina vnum è tota antiquitate, vnum ex nouitate, præter te, qui sic factum narret, qui litteras scribat à Legatis ad Hincmarum datas. Scriptas *à quibusdam Episcopis*, quorum de Gotteschalco nihil interesset, & per laïcum quendam missas, fateor equidem, monitus ab Hincmaro. Sed illos esse Apostolicæ sedis Legatos, qui præter voluntatem Pontificis, contra Canones, adeo irregulariter egerint, hoc est quod nulla ratione concedo. Et profectò pertinuisset ad illos de Gotteschalco, ad hoc eos caritas commouisset, & auctoritas deduxisset, si Gotteschalcum & Hincmarum litteris tractoriis ex Pontificio decreto vocassent ad Synodum. Sed qua insania, quo mentis stupore hoc ridens & arguens Pontifici postea scripsisset Hincmarus? Et vide sapientiam historici chronologi. Meminit ab Hincmaro, ante annos circiter quindecim, ita venire iussum Rothadum ad Synodum Carisiacam, vt Gotteschalcum secum adduceret, causam dicturum. Putauit bonus vir, licere sibi à pari simile aliquid in Legatis Pontificiis fingere, qui & Hincmarum simul, & Gotteschalcum, Metas ad Concilium adesse iuberent. At Rothadus legitimè imperanti paruit: Hincmarus irregulariter vocatus, liberè abfuit: quod impunè ab eo fieri, neque contempti Legati, neque Germani offensi, neque spe delusi fautores Gotteschalci, neque verò ipse Pontifex & auctoritatis suæ retinentissimus, & Hincmaro minimùm indulgens, vllo penitus modo permitterent. Num sapienti cuilibet hoc in negotio verbo vno satisfaciam, si dixero: Hincmarus ad iudicium Metas vocatus, neque adfuit, neque absentiam per litteras excusauit; & abfuit impune, nunquam ob id vel à Pontifice, vel ab eius Legatis in Gallia positis reprehensus: ergo nec à Pontifice, nec ab eius Legatis, sed ab aliis *quibusdam Episcopis*, priuata, eáque vsurpata auctoritate, irregulariter vocatus est.

Fabulosa quæ de Hincmari contumacia excogitat.

Iste verò tertius est articulus in parenthyrsum ridiculè desinens, ne suus huic fabulæ mimus deesset. Iubente, inquit, Pontifice, denunciantibus Legatis, *Hincmarus solita contumacia parere contempsit, & ad Nicolaum Papam contemptum illum referre non erubuit.* Impudentem profectò Hincmarum, si *contemptum* Nicolao ingessit ad iniuriam! Imprudentem, si Nicolaum edocuit quod nesciebat. Sed fungum & stipitem Nicolaum, si tam patenter, tam grauiter contemptus, & se contemptum monitus ab ipso contemptore, non sensit, non exclamauit, non vindicauit. Iam sequitur Epilogus Comœdiæ. *Ex quibus* à Dissertatore non solertissimè inuentis, nunquam autem gestis, sufficientissimè apparet, *& summi Pontificis cura seu solicitudo in discutienda Hincmari in Gotteschalcum vexatione,* verbo tenus semel tantùm in familiari colloquio cum Luidone declarata, præterea nunquam, quod sciamus. *Et eiusdem Hincmari perseuerans contumacia*, qui videlicet Gunthario & Theutgaudo citantibus parere noluit, nec debuit: *ne nequitia eius in publicum iudicium proferretur*, ne post annos quindecim, post Concilia plurium prouinciarum, à Germanis Archiepiscopis cum Hincmaro celebrata, quæreretur, cur duo-

bus Conciliis damnatus esset hæreticus, in altero illorum virgis cæsus contumax & impudens Monachus, ac demum cur detineretur carcere pestilens, seditiosus, impœnitens? hoc enim capite tota Hincmari nequitia concluditur. *Nec allatum ab eo subterfugium vllo modo obstare debuit, quin citationi parere deberet.* Vel peccauit natura, quod alas Hincmaro & Gotteschalco non concesserit, quibus intra quatriduum longè dissiti Metas aduolarent: vel Hincmaro pepercit, quòd talis subterfugij inanitatis scientem, & monitorem Præsidem, illi Concilio malignantium non dedit.

Ridiculus parenthyrsus quasi Legatos Pontificis pulsarit Hincmarus.

Siquidem quoad auctoritatem Episcoporum illorum, quaenam maior requiri posset, quàm ipsius Sedis Apostolicæ, & qua Legati ipsius iure fungebantur? Hic enimuerò excurrit in Legatorum potestatem, in ius Pontificis illos mittendi, in ius gentium quo sancti habentur. Neque tacetur Pomponius Iurisconsultus, qui dedendum hostibus eum, à quo Legatus sit pulsatus ex Q. Mutio respondet. O doctrinam! Addere potuit, Legati quod erant appellati superbiùs, extinctum à Romanis lumen Græciæ Corinthum, teste M. Tullio Cicerone oratore, & Consule Romano. Bellum à Dauide illatum esse Ammonitis populis ob violatos Legatos, L. Minutium, & L. Manlium Carthaginiensibus Legatis à Senatu Romano deditos esse, *quia manus his attulerant.* Idem Q. Fabio, & Cn. Aproniano Ædilitiis accidisse, referente T. Liuio. Othonem Saxonum Regem, Legatorum suorum cædem, vastata ferro & igni Danorum regione vltum iuisse, apud Adamum chronographum. Et quæ plura alia exquisitæ doctrinæ colligere potest Theatrum vitæ humanæ. Quæ cùm stupentibus nobis retulerit, subiiciemus admirabundi: Quid hæc ad Hincmarum? quem Legatum Pontificis cæde, carcere, verberibus violauit?

Inuentum de Pontificis cum Luidone colloquio.

Atque his omnibus disertissimè declamatis, vt à metis ad carceres reducat historiam, & in eodem poëticæ fictionis cursu ex decoro perseueret, addit, Summum Pontificem in congressu cum Luidone, post inquisitionem de damnatione & reclusione Gotteschalci, adiecisse, *querelam in ipsum Hincmarum, quòd per Apostolicos Legatos ad Metensem Synodum hac de causa euocatus, contumaciter comparere detrectasset.* Hoc verò tibi alio, quàm tuo testimonio confirmandum est, Præses amplissime. *Vtriusque*, inquit, *testis Hincmarus, in prædicta Epistola ad Nicolaum Papam.* Audiamus dicentem contra se testimonium non rogatum, non coactum, stupidum illum Remensem Archiepiscopum. *Luido mihi dixit, quòd cum eo rationem de damnatione & reclusione Gotteschalci habuissetis*, &c. Prius hoc est de propositis duobus ad probandum, disertè ab Hincmaro expressum, ac proinde nemo in dubium reuocat, quin & ea de re cum Luidone Pontifex egerit; & id Hincmaro relatum fuerit à Luidone. Perge porro, expecto posterius dictum; querelam scilicet Pontificis apud eundem Luidonem, de contemptu contumaciáque Hincmari, patientissimi scilicet Pontificis, Hincmari potentiam metuentis, & suum, Legatorúmque contemptum leuissimè ferentis. *Alterius*, inquit, *tacitè* testis est. Quomodo? Quibus signis? *dum ipsemet ibidem illius*

Infirma vei

contumaciæ meminit, & simulatas excusationes exquisiuit. ô innocentem Hincmarum, qui non aliter potest accusari! ô dictum fictitium, quod alia ratione monstrari non potest! Tu hoc testimonium *tacitum*, quo verè nihil effertur, eiuscemodi, tali in iudicio, à tali Pontifice, in talem Archiepiscopum, tali de sacrilegio producas? Immane scelus, & in vno patriarcha Photio, vel Anastasio Imperatore non admirandum, spreti per *contumaciam perseuerantem* Pontificis, despectorum Apostolicæ sedis Legatorum, ludificati per contumaciam Concilij, quod nemo vnquam aut æqualis, aut posteriorum ætatum obiecit Hincmaro, tu nouus homo primus & solus post tot secula criminatus, non alio, quàm *tacito* ipsius Hincmari testimonio munitus, audiri vis apud sapientium tribunal, narras calumniam, fidem exigis? Ostende vestigium quo significet hoc de Concilio roganti Pontifici se respondere: contrarium enim suprà notabamus: quo vel *tacitè* innuat à Legatis se ad Concilium vocatum esse: quo de *contumacia* per *impudentiam & nequitiam* intolerandam glorietur. Quid est enim aliud sic narrare Pontifici, quàm præfractè de eo gloriari? Aperi *simulationem excusationum exquisitarum*, quæ si iustæ & legitimæ causæ non essent, ita sibi os sublini ab impostore siuisset Pontifex Nicolaus? *Cetera*, inquit, *quæ superaddit Hincmarus, ex ipsius genio, more solito conficta, ne minimam quidem reflexionem merentur, contumaciæ quæsitus color.* Quis vnquam Cassius reum capitis, non aliis, quàm talibus verbis accusatum, non aliter, quàm *tacito*, & huic simili testimonio conuictum, misit ad furcas? Sed hæc ab eo dicuntur, qui *ex suo genio, more solito* innumera confingit in historia.

magna probatio.

CAPVT IX.

Hincmarus de Gotteschalco agens iterum per litteras cum Pontifice Nicolao, ipsum offert Romam mittere.

Hincmarus Pontificem excitat ad cognoscendum de Gotteschalco.



IAM vt in historia progrediamur, his ex Luidone cognitis, Hincmarus de Gotteschalci erroribus, damnatione, carcere, Pontificem instruxit, quæ præter priorem rotulam Odoni Beluacensi antea traditam, scire ipsum opus iudicabat: monuítque vt quantocyus prouideret, ne malum latiùs serperet in dies, & post Caroli Regis mortem, vicina omnia & remota corriperet. *Quæ dum per alium, quàm per vilitatem personæ meæ, vestra auctoritas cognouerit, forte attendet solertiùs, & quæ inde timenda sunt, docere studebit quantocyus.* Solerter intuentibus nescio quid incuriæ circa hoc negotium notant hæc verba. *Erit enim in proximo inde necessitas: quia etsi eorum corda in insania peruersi sensus ebulliunt, orthodoxi tamen Regis nostri tempore, praua quæ sentiunt, eloqui non præsumunt.* Ita iam tum sapientes existimabant, & moras omnes quæ ad resecandas nouitates afferuntur, exitiosas esse; & interim dum Pontifex Romanus decretoriam in eas sententiam pro-

Epist. 17. ad Nicol. cit.

nunciet, auctoritate regia comprimi oportere.

In eam rem offert ipſum Romam mittere.

Quòd ſi beluam ipſam cupit audire Pontifex, & eius deliria coram cognoſcere, ad emittendum Romam è cauea qua clauditur, paratus eſt. *Præfatum autem Gotteſchalcum, ſi veſtra auctoritas mihi ſcripſerit, vt eum à cuſtodia ſoluam, & aut vt ad vos eundi, vt per vos eius doctrinam experiamini, aut ad quemcunque ex nomine deſignatum pergendi licentiam donem, veſtris iuſſionibus non reſultabo. Tantùm vt auctoritatem veſtram habeam, ne tantorum Epiſcoporum iudicium mea præſumptione paruipendere videar.* Semper enim profeſſus eſt, non ſua vnius voluntate vinctum eſſe Gotteſchalcum, ſed Concilij Cariſiaci ſententia, cuius executioni commiſſus præeſt. Quare non poteſt illum pro arbitrio dimittere, inconſultis Epiſcopis à quibus cuſtodiendum accepit. Quod probè ſentiens Amolo, quidquid Lugdunenſes alij criminentur, ſpondet Gotteſchalco ſi reſipiſcat, ſe in eius gratiam Epiſcopis ſupplicaturum, non Hincmaro ſoli. Eandem rationem explicatiùs affert alio loco Hincmarus. vbi & huius ipſius Epiſtolæ meminit. *Eundem Gotteſchalcum à duabus Synodis damnatum, iubentibus Epiſcopis, poſtquam iudicatus fuit, cuſtodiendum accepi, ne aliis ſua peruerſa doctrina noceret, qui ſibi prodeſſe nolebat. De quo etiam litteris Domno Apoſtolico ſuggeſſi. qualis ſit eius doctrina, & vtrum vellet vt ei licentiam ad eum eundi darem; an alteri eum per ſuam iuſſionem commendarem? ne ſine auctoritate, duarum Synodorum definitionem diſſoluerem.* Accedat igitur oportet & Epiſcopis ſingulis, & tota Synodo maior poteſtas, quæ rem iudicatam ſolui imperet, & retractet iudicium.

Hincmar. epiſt. 24. ad Egil.

Iterum idem offert tot querelis fatigatus.

Atque vt in eodem propoſito conſtantem hærere ſe demonſtret, idem offert iterum Pontifici per Egilonem Senonenſem, cui Romam properanti ſcribit iſta cum ſuperioribus. *Si illi placet per ſeipſum audire, mandet, & ego illum dimittam, vt ad eum vadat: quia ſi rex illum non miſerit, ego non habeo tantos cuſtodes qui eum deducant. Si etiam illi placet, vt alius eum recipiat, & ſuam doctrinam ſiue Synodus, ſiue quilibet Epiſcopus audiat, & ſi bona eſt, ſequatur: ſi praua eſt, ab eis qui eum audierint, refellatur. Et illi quibus hoc commendauerit, facient de illo quod ſacris regulis viderint conuenire; ſicut illi de eo fecerunt, qui ſe ſacras regulas intellexiſſe putarunt: nihil mea intereſt.* Fatigati animi hæc eſt oratio, & labores ſuos non eo quo fieri debuit modo acceptos doléts. Qua audita, miror equidem cur Remenſis Diſſertatori noſtro illud proteſtari videatur, *ſimulata benignitate, & patientia, & omnimodo erga Sedem Apoſtolicam obſequio.* Nam neque ſcribentis mentem vllo modo aſſequitur, neque ratio vlla paret, cur ſi iuſſerit Pontifex, Romam vinctum ſuum non dimittat. Quid hoc homine facias, cui nihil vnquam bene aut fecit aut dixit Hincmarus, ex quo hæretici compreſſit audaciam?

Nona calumnia in Hincmarũ.

Qualis eſſe debeat qui eum deducet.

Ad cuſtodes quod attinet & deductores, non ſumptibus tantùm prouidendum monet, ſed moribus & fidei maximè, vt cuicunque curam ducendi Monachi committet, is ſit vir grauis, eruditus, conſtans in fide catholica, ne ab homine loquutuleio, vafro, importuno, per viam ſeducatur. *Quem ſi cuicumque commendandum veſtra auctoritas viderit, hoc in commendatione etiam prouidebit, vt cui commendabitur, catholicus ſit, & grauitatem Eccleſiaſticam, & vigorem, ac ſcripturarum ſcientiam habeat: quia non ſolùm ſcripturas ad ſuum ſenſum violenter inflexas, ſed & catholicorum dicta detruncata, per totum diem ſine reſpiratione aliqua præualet memoriter decantare.* Quod Nouatoribus omnibus adeo ſolenne eſt, vt nulla re magis imperitos decipi quotidie videamus.

Cur hoc vltro Pontifici offerat.

Quæret aliquis, cur Hincmarus non iubente, non inuitante Pontifice, Gotteſchalcum de Romano iudicio ſubeundo nihil-dum cogitantem, vltro Pontifici offerat, miſſurus profectò ſi vellet Nicolaus, ſi ſecura daretur cuſtodia: qui tamen Rothadum, ac deinde Laudunenſem Hincmarum, Romam contentioſiſſimè appellantes, quibus potuit viis & artibus impediuit? Reſpondeo, longè aliam eſſe illius, & iſtorum rationem. Agitur enim in Gotteſchalco de fidei quæſtionibus & doctrina, cuius decretoria definitio ad Cathedram Petri, & Chriſti voluntate, & perpetuo vſu Eccleſiæ ſemper attinuit; vt quicquid vbivis gentium ſine illa decernitur, priuatum ſit, & infirmum; ſtatim vbi Petrus acceſſit, vniuerſalem tota Eccleſia firmitatem acquirat. Deinde, illorum appellationem contendit Hincmarus, eſſe planè intempeſtiuam, velum contumaciæ, perfugium improbitatis, remoram obedientiæ immediatis Epiſcopis debitæ, illicem impietatis, & omnibus ſceleribus quæſitam impunitatem; idque ipſis eſſe proprium ex geſtis moribúſque demonſtrat. Gotteſchalcum autem ſola erroris profeſſio miſit in carcerem, in eo, quamuis non quietiſſimus, tamen abſque publica ſeditione, & periculoſo ſcandalo diu conſedit; neque aliud quàm cerebroſa peruicacia eidem loco hactenus alligauit. Et ſpes eſt auctoritati Pontificis ceſſurum, qui præfractè Metropolitanum contempſit: nihil autem optabilius eſt Hincmaro, quàm vt quacunque via reſipiſcat. *Non enim*, inquit, *illius delector, quam iuſtè ſuſtinet pertinaciter contumax, quantulacunque recluſionis moleſtia; ſed doleo, à qua reuocari non poteſt, perfidiam.* Quæ vel vna res, ſi aliæ deeſſent innumeræ, ſincerum eius erga contumacis hæretici conuerſionem animum manifeſtat, quicquid de *ſimulato erga ſedem Apoſtolicam obſequio* aduerſariorum vltimus criminetur. Et hic eſto finis congreſſus Luidonis cum Nicolao Papa, quem, quoad Gotteſchalcum, nullus effectus ſequutus eſt, neque vltra ieiunam & ſterilem inquiſitionem progreſſus eſſe Pontifex, vlla ratione monſtrari poteſt.



CAPVT X.

Hincmarus per Arsenium Legatum de Gotteschalci causa tertiò Nicolaum Papam instrui curat.

Causa Legationis Arsenij.

EQVVTA post hæc Arsenij Hortensis Episcopi Legatio in Gallias, à Pontifice missi, vt Reges in pace concordiáque retineret, occasionem Hincmaro præbuit Gotteschalcanæ causæ tertiò exponendæ. Duo dico, non fuisse commissum Arsenio, vt de illa cognosceret; & per occasionem tantùm expositam fuisse ab Hincmaro. Causam decernendæ Legationis non habemus ex Commonitorio, quod nullum aut dedit Nicolaus, aut modò extat: sed ex diuersis Nicolai Epistolis, ex quibus aliud nihil educitur, quàm, veritum Pontificem ne Carolus Caluus nepotibus suis Ludouico Imperatori, & Lothario Lotharingiæ Regi ad occupandos eorum fines bellum inferret, misisse Arsenium in Galliam, qui eum ab hoc consilio reuocaret. Hoc vnum loquuntur Epistolæ Pontificis ad Carolum, & ad Episcopos in eius regno constitutos: & Arsenius ipse missum se dicit *fratrum pro pace, regúmque concordia.* Fateor equidem aliquorum præterea negotiorum curam gessisse, vt eodem loco testatur, *sicut & de ceteris curam agentes:* quod monstrat excommunicatio Engeltrudis coniugis Bosonis Comitis, omnibus per Gallias Episcopis declarata. Sed id factum aio vltra Legationis caput, absque peculiari Pontificis mandato; in quo non excommunicatur improba mulier à Legato pro potestate, sed tantùm à Nicolao Papa excommunicata declaratur: quod antea fecerat Pontifex in Concilio Romano; quo & Synodum Metensem reiecit, & depositis Theutgaudo & Gunthario Archiepiscopis, tanquam adulteris fauentem, Prostibulum appellari decreuit.

Nicol. I. epist. 50. & 51.
Arsen. ep. ad omnes Episcopos.

Concil. Rom. sub Nic. I. c. 4.

Arsenij & Hincmari congressus de Gotteschalco.

Ad hunc modum, per occasionem in huiuscemodi legationibus vsitatam, de Wlfado, déque Gotteschalco interrogatus ab Arsenio Hincmarus, ingenuè respondit, quòd Pontificem scire oporteret, licet bis iam antè commonitum. Sic enim ipse narrat. *Si de Gotteschalco dicit, de quo, sed & de præfatis ordinatis* (Wlfado & Clericis Remensibus ordinatis ab Ebbone) *ab Arsenio scripto interrogatus, scriptis rationem reddidi; eundem Gotteschalcum à duabus Synodis damnatum, iubentibus Episcopis, postquam iudicatus fuit, custodiendum accepi, ne aliis sua peruersa doctrina noceret, qui sibi prodesse nolebat.* Et ad Epistolam nuperrimè à nobis expositam respectans, pergit referre quid Nicolao de miserabili illo monacho scripserit. Hæc Arsenium non tangunt, sed prima tantùm, scripto interrogasse, scripto esse responsum. Quod qui simpliciter in mitiorem partem interpretari voluerit, facilè dixerit, rem esse per litteras actam, interrogantem inter & respondentem absentes. Qui verò maluerit præsentes, quanquam nulla fretus auctoritate, non ægrè intelliget, fatigatū tot declarationibus Hincmarum ab Arsenio postulasse, vt quæ de Clericis Remensibus, déque Gotteschalco Romæ dubia erant, aut obscura, scripto traderet, vt ad ea ipse præcisè, breuiter, & apertè responderet. Qui fuerit autem vtriusque scripti tenor, tacente Hincmaro, nisi per reuelationem modò sciri, aut per diuinationem fingi non potest. Hanc quippe Arsenij interrogationem solus nos docuit Hincmarus, neque aliud de ea nosse voluit, quàm scripto factam, scripto elucidatam. Sed hæc est vel eius noua miseria, vel Gotteschalci sera felicitas, vt ad vberrimam amplificationem duo verba Præsidi patrono satis superque sint. Hic enim est eius in illa commentarius, quem declamatoris verbis exhibeo.

Hincmar. epist. 24. ad Egil.

Acceptis his à summo Pontifice Hincmari litteris (epistola 17. de qua suprà) *& perspecta omnimoda eius nequitia, tam in causa Rothadi, quàm in vexatione miserabilis illius Monachi* (de quo ne verbum quidem vllum vnquam scripsit Pontifex) *Nicolaus Papa Epistola sua 41. Hincmarum tyrannidis, falsimony, contumaciæ, & præuaricationis notat, & conuincit.* Notatum fatemur à Pontifice ius appellationum vindicante, aduersùs Hincmarum iuris illius prosequtionem diu & nimis pertinaciter impedientem, commoto. At *conuicium* ea epistola quis dicat, si non respondit accusatus? Sed hæc omnia quid ad Gotteschalcum? Subdit enim *neglectis & contemptis iis omnibus quæ ille* (Hincmarus epist. 17.) *& de veteribus Prædestinatianis, & de Gotteschalco, quasi suo iudicio sanæ fidei aduersa esse scripserat, vt pote cui ne minimam fidem adhibere posset.* Fatetur ergo ad has litteras nihil reposuisse Pontificem, & rationem affingit, ex contemptu; ego iustiùs, ex agnitione veritatis; non enim fuerunt adeò leuis momenti Gotteschalci nouitates, vt eas aut vllus Romanus Pontifex debuerit, aut Nicolaus potuerit negligere, qui Dionysiacam Ioannis Scoti interpretationem sibi voluit exhiberi. Quæ autem nouitates? Audi, Lector, exultantem in suo Dissertatorem. *In multis etiam cerneret, veram Ecclesiæ doctrinam iniquis verbis traductam, vt in S. Augustinum, Prosperum, & alios perfecta, & semper victricis gratiæ Christi intrepidos assertores, actum fuisse quinto seculo perspectum haberet.* Post hæc omnia in antecessum dicta, ex historici ingenio, ad commissuram vnius narrationis cum alia, quæ in rebus ipsis gestis nulla est; tandem ad Arsenium deuenitur hoc modo. *Verùm Arsenio Episcopo à Sede Apostolica eodem tempore in Gallias delegato, in mandatis dedit, vt restituto sedi suæ Episcopali Rothado, de aliis Hincmari violentis oppressionibus, inquirendo cognosceret, & singulariter vt Hincmarum ipsum, quasi inter reos delatum, tam in causa Gotteschalci, quàm in clericorum ab Ebbone Remensi Archiepiscopo, post depositionem ordinatorum, depositione, iuridicè interrogaret. Quod & ipsum executioni mandatum ipso solo Hincmaro teste didicimus.* Citátque verba eius in qua versamur Epistolæ superiùs allata. Hîc ego, vt suo illum gladio iugulem, & eodem quo superiùs argumento, cùm huius rei solus sit testis Hincmarus, & aliud nihil afferat, quàm scripto se interrogatum, scripto rationem reddidisse: quæro, vnde habeat Patronus Gotteschalci, hoc

Falsa Dissertatoris narratio. c. 47.

Pontifex relationem de Gotteschalco non contempsit.

Hincmarus non est iuridicè interrogatus ab Arsenio.

à Pontifice datum in mandatis Legato, reum fuisse Hincmarum, interrogatum iuridicè de violentis oppressionibus? Non peto quid potuerit Nicolaus dicere proficiscenti Legato: historicos noui, & fictas eorum orationes; declamatores audiui, & Hecubam atque Nioben. Volo certis testibus mihi referri quod reipsa dixit, quæ *dedit in mandatis*, præter *pacem fratrum regumque concordiam*; quo processu reum Hincmarum iuridicè interrogari iussit; quomodo id executioni mandauit Arsenius. Nobis historia promittitur, non poëma; rebus gestis, non fabulis tenendus est Lector, ab eo qui omnia se retulisse gloriatus est, *summa fide, nec minima diligentia*. Verùm *solus testis* nominatur Hincmarus: & istorum nihil dicit Hincmarus. Quid videtur, amplissime Dissertator?

Dissertator Arsenium præuaricationis accusat. Quanquam hîc aliquid apparet ingenuum. Aliqua ex parte corrigit se: nec turpe diceret in re iudiciaria non constare sibi iudicem, nisi & hæc correctio ad aliam calumniam superstruendam assumeretur. *Et sic iuridicè quidem*, inquit, *& scriptis interrogatum ab Arsenio, quasi inter reos relatum, sed non auditum, nec ei exhibitum Gotteschalcum videmus.* Dic amabo Præses clarissime, Si non est auditus, nec Hincmaro exhibitus Gotteschalcus, quàm iuridicus fuit Arsenij processus? quàm legitima inquisitio & cognitio *de violentis Hincmari oppressionibus?* quàm perfectè Pontificia mandata executus est? Ne exclama, impeditum Arsenium Hincmari fraudibus: de hoc enim postea. Stemus in Arsenio. Cauere certè debuit ne impediretur; imprudens, si fraudes non vidit: ignauus, si vidit & cessit. At eius prudentiam laudat Pontifex, constantiam Apostolatus sui auctoritate communit. *Nicol. ep. 51. ad Episcopos.* Habebat enim Legatus, eius à quo mittebatur imperium, vt narras: eius ad quem mittebatur gratiam ob Wlfadum, vt res ipsa monstrauit: Gotteschalcum Pontifici vel Romam mittendum offerebat Remensis: itineri parcebatur, sumptibus, & curæ, in Arsenio Pontificis personam sustinente: necessariũ penitus erat tali in causa, hoc rerum statu à Legato Pontificis audiri Gotteschalcum in proximo constitutum, qui vel Hincmarum de violenta oppressione accusaret, vel seipsum de pertinace contumacia & hæresi purgaret. Nam interrogatione, & exhibitione Gotteschalci neglecta, quid exploratum, contestatum, iuridicum ad Dominum suum referre potuit Arsenius? Hîc te interrogo. Dic iterum, solertissime historiæ compositor, habuit-ne Arsenius *in mandatis vt de violentis Hincmari oppressionibus in causa Gotteschalci singulariter Hincmarum ipsum iuridicè interrogaret?* Non negas, teipsum vides, & verba tua disertissimè affirmantia fateris. Ergo præuaricatus est qui hoc prætermisit Arsenius, quacunque ex causa prætermiserit. Tu stilum non stringis in hunc nouum Hincmari in opprimendo violenter Gotteschalco complicem? Non vlcisceris Gotteschalcum, qui quod vitæ carcerisque superfuit, hoc totum non iam Hincmaro debet, sed Arsenio? Quid autem Nicolaus spe liberandi Gotteschalci ab oppressione violenta, & arguendi Hincmari de eadem oppressione deiectus, audita transgressione tam perfida fecit & dixit? hoc auemus ex te scire, Præsidum optime. Nam tua illa mens diuinatrix, quæ fecit vt Pontificem audires Legato proficiscenti dantem in mandatis, vt iuridicè interrogaret Hincmarum, eadem te admouere debuit ad colloquium reducis Legati, cùm mandatorum rationem Pontifici reddidit, cùm iuridicas interrogationes & responsiones Hincmari obtulit, in quibus de Gotteschalco omnia, à Gotteschalco nihil vidit. Si tum quieuit & siluit, aut causam illam in minimis posuit; quam tu facis maximam; aut omnino mandatum illud non dedit, sed supra debitum legationis, ex occasione factum, licet imperfectè, probauit; quod mihi verosimillimum est, & tu ingenuè debes, tot iam argumentis conuictus, agnoscere.

Quam verò prætermissæ interrogationis Gotteschalcanæ causam comminiscitur Dissertatoris solertia? Expectas Hincmarum, Lector, & meritò. *Noua in Hincmarū calumnia.* Illud *prætermissum* ait *in gratiam & reuerentiam Hincmari*. Legatus igitur Apostolicus ad Hincmari negotia semel admotus, vidit in eo *gratia* dignum aliquid *& reuerentia*. Dissertatori autem Præsidi prolixam Dissertationem meditanti, scribentique, nihil vnquam in eo paruit præter perfidiam, superbiam, violentiam, fraudes, omnimodam nequitiam. Vtri de Hincmaro credimus? Subiicit paulò pòst, Si in causa Rothadi, & Clericorum Remensium, *nihil nisi violentissima oppressionis, fraudulenta præuaricationis, dolositatis, falsitatis, superbiæ, & omnimodæ nequitiæ notam ex Apostolicæ sedis iudicio retulit*, quorum videlicet accusatus ab æmulis plenè satisfecit Nicolao. *Quidni & in causa huiusce miserabilis Monachi, nisi tanta vexatio, quæ quidem tanti Pontificis ex verissima plurimorum relatione aures pulsauerat, eius legitimæ & iuridicæ cognitioni fraudulentis Hincmari artibus fuisset substracta?* Hoc ait hyperbato confusiore, Hincmarum in causa Gotteschalci fraudibus & violenta oppressione plenum repertum iri, nisi malis artibus eius cognitionem Pontifici subtraxisset. Quid hoc? *fraudulentas artes* hîc audio, vbi antè *gratiam & reuerentiam* vidi: *verissimam plurimorum relationem* absenti factam lego, quam præsens Arsenius *iuridica cognitione* non comperit. Cognitionem fraudulentis Hincmari artibus subtractam Pontifici queritur, à quo duabus aliis in causis deprehensam prædicat eiusdem Hincmari violentiam, oppressionem, fraudulentiam, præuaricationem, dolositatem, falsitatem, superbiam, omnimodam nequitiam, quæ omnia si credere dignum est, inerant in causa Gotteschalci? Hæc opprobria potuit Pontifex Romæ absens bis deprehendere; præsens in Gallia Arsenius Pontificis Legatus, & iudex Hincmari, inter æmulos Hincmari constitutus, non potuit semel cognoscere? Et hæc scelera grauissimè tulit in duobus aliis iudiciis, *talionis etiam pœnam minatus, si perseueraret*: in causa verò Gotteschalci ne leuissimam quidem irati, vel offensi vocem legitur emisisse? Post illa, putas, Lector, à viro prudente quicquam fingendum esse in historia? vel si fingitur, tam ineptè, ridiculè, futiliter esse fingendum?

CAPVT XI.

Idem Hincmarus Pontificem de Gotteschalco per Egilonem Archiepiscopum quartò moneri cupit.

Hincmarus Egilonem de Gotteschalco instruit.

SIc egit Arsenius in Gallia; quid Egilo Senonensis Archiepiscopus Romæ? Delectus à Concilio Suessionensi III. in causa Wlfadi, vt acta deferret, dum iter parabat, emergente noua pro Gotteschalco conspiratione, de qua nos sequenti capite, priuatim rogatur ab Hincmaro, vt proximis calumniis eat obuiam, Pontificem coram moneat quid circa Gotteschalcum agatur, quæ sit eius doctrina, qui mores; prohibeat si potest, ne crambe illa recoquatur in Synodo: vocetur si lubet Romam Gotteschalcus, sed regia fide custodiáque, sibi enim ad eiusmodi mercem deferendam idoneos non esse vectores. Locum superiùs productum hîc repetere superfluum est. Quod autem iste postulat, propositi sui causam inferiùs explicat, alludens ad scripturam: *Mihi de tantis ac talibus taliter imperito, sufficit sedere in angulo domatis, & non conserere contentionum manus cum muliere litigiosa, in domo communi; & sufficit vt sit mihi anima mea pro spolio.*

Hincmar. epist. 24. ad Egil.

Ingens Hincmari perplexitas.

Fatiscentem iterum animum vides, & æmulorum inuidia, calumniis, persequutionibus obrutum, præsidio Pontificis, Regis gratia destitutum, quocunque se vertat nullam arcem perfugij reperientem: in eo denique statu constitutum, vt, quod olim Eliæ & Paulo contigit, tæderet eum viuere. Dolebat videlicet zelum à se pro disciplina Ecclesiastica, fidéque susceptum, in pessimam partem apud Pontificem traduci; plus posse criminationes aduersariorum ad opprimendam suam innocentiam, quàm veritatem ipsam ad tuendam: publicorum negotiorum, quibus aliqui necessariò læderentur, odium in se vnum deriuari: Pontifice irato, Rege propter Wlfadum offenso, Gotteschalci asseclis nouatoribus seditiosè conclamantibus, factum se omnium iniuriarum scopum, & signum cui contradiceretur. Cedendum itaque tempestati, deserendum clauum, nauem ventis & fluctibus committendam: quæ certè perturbatio, viro forti, tali loco ac tempore, non videtur indigna. Quare mirum non est, quòd horum nihil suo nomine referri velit ad Pontificem, quasi sua vnius causa hîc agatur. *Vnde latiùs dicta in suis scriptis inueniuntur, quæ in altera scedula vobis mitto*, (quæ vtinam ad nos peruenisset!) *vt si fuerit vobis visum, domno Apostolico eam monstretis à me vobis directam, non ad illi ex mea parte ostendendam, sed ad vobis habendam.* Et inferiùs, quod olim retulimus. *Et precor vt de mea parte nihil ei dicatur, quia commotum dicitur habere suum animum erga me, multis ad eum contra me scribentibus, & mihi derogantibus.* Neque porro videri cupit ea scribere ad Egilonem, vt ad Nicolaum referantur, sed vt habeat Legatus in promptu, quæ pluribus, vt assolet, interrogantibus respondeat. Non potest tamen abstinere de Synodo quin seriò admoneat. *Et sciatis, quia maxima nausea in ista Ecclesia commouebitur, si ad Synodum venire iussu fuerit, aut de ipsa custodia absolutus exiterit. Quæ non pro me dico, quia nulla mihi inde est cura, nisi pro aliis; sed vos probabitis me verum dicere. Tales enim surgent qui adhuc latent.* Miserabilis profectò rerum facies, cùm athletæ veritatis & disciplinæ, ab iis quorum vtilitati laborant & gloriæ, vincente calumnia deseruntur: æmulorum & nouatorum clamores, importunitas, audacia pro zelo habentur; aut certè neglecta piorum modestia, timentur & audiuntur: periclitatur interim nauis Ecclesiæ, nauarchis & remigibus superatis, ac nisi Christus euigilans ventos increparet & mare, sera nimis tranquillitas sequeretur.

Alia ad Egilonem epistola 24.

Nondum profectò Egiloni, aliam Hincmarus misit Epistolam, fusiùs explicatos Gotteschalci errores continentem, non quasi ad Nicolaum perferendam, sed vt antea, rogantibus satisfacturam. *Si aliquis vos interrogauerit de Gotteschalci doctrina; vnde vobis iam quædam scripsi, hanc esse interroganti respondere potestis, sicut & verba, & scripta illius demonstrant.* Non desunt quibus illa videatur esse scedula, epistola superiore nominata. *Vnde latiùs dicta in suis scriptis inueniuntur, quæ in altera scedula vobis mitto.* Quod ægrè mihi persuadeo, cùm ad extremum lego: *Necessarium duxi accito notario, vel hæc parua & tumultuario sermone quæ mens ori suggessit, vestræ sapientiæ intimare.* Quid enim erat necesse duas his de rebus litteras dictare, cùm vnæ sufficerent? Notandum porro, tam ista extemporali Epistola, quàm superioribus duabus à nobis euolutis, altera ad eundem Egilonem, ad Nicolaum Papam altera, easdem tradi erroneas Gotteschalci propositiones, de gemina prædestinatione absoluta, de voluntate Dei non omnes homines saluandi, de Christo non passo pro omnibus, de redemptione per baptismum, denique de Trina Deitate. In sola autem postrema, non directè, sed velut in obliquo, siue inter consecutiones ex iis propositionibus deductas, de libero arbitrio sic referri. *Liberi arbitrij opera siue bona, siue mala, nihil valere ad meritum, sed siue ad vitam, siue ad mortem; cuncta Dei Prædestinationem agere.* Ac paulò post, quòd hinc sequatur, tolli liberum arbitrium, aut ea propositione illud negetur, ita scribi: *Si enim liberum non esset arbitrium, vnde totus in massa perditionis Adam perditus, cum suis etiam additis iustè iudicaretur mundus? Et rursum. Nisi Dei gratia esset, quomodo ex eadem massa perditionis electus, id est, gratia lectus saluaretur mundus?* Verè siquidem posita fatali necessitate prædestinationis antecedentis, & liberum arbitrium, & gratia tollitur, vt olim disputabamus; & id à Gotteschalco, vt à Prædestinatianis veteribus, affirmari necesse est. Tantùm hîc obseruamus, articulum hunc fuisse vnum è quatuor capitalibus Gotteschalcanis, qui hoc loco velut aliorum appendicem facit: articulum autem de redemptione per baptismum, in opere de prædestinatione, esse tantùm quarti auctarium, de Christo pro solis electis mortuo. qui hac in Epistola distinctus à ceteris recensetur. Sed hæc leuia fortasse videbuntur, quando

Obseruatio circa articulos Gotteschalci, propositos Egiloni, & Nicolao. Epist. 17. 24. 25.

illi omnes articuli, nullo prætermisso, tum Pontifici, tum rogantibus quibusuis in erroribus Gotteschalci, traduntur explicandi. Qui fuerit autem huiusce legationis exitus, infrà narrabitur. Habemus hîc igitur admonitionem Hincmari quartam, Pontifici factam, Gotteschalcana ista parum curanti: cui præterea præsentem sistere non recusat, si iubet Pontifex, si potest ipse securus. Cui autem in tanta peruicacis hæretici vilitate, tanta Nicolai Papæ incuria, caussa adeo conclamata, non videatur Hincmarus plus iusto Pontificis iram, æmulorum calumnias, Monachi fraudes metuere?

Collectio superius narratorum.

CAPVT XII.

Gotteschalcus ad Nicolaum Papam per Guntbertum Monachum frustra recurrere conatur.

Quibus ex caussis Romam cogitet Gotteschalcus.

DE solo Wlfado egerat antea cum Senonensi Remensis, quia & ipse caussa Concilij Suessionensis, & Concilium Legationis Egiloni commissæ caussa erat. Vnde igitur factum, vt festinatò & solicitè duas de Gotteschalco Epistolas superadderet, déque eius moribus & doctrina Senonensem instrueret? Intento in Concilij gesta Hincmaro, in iter Romanum Egilone, in Wlfadi restitutionem Carolo Rege, Gotteschalcus & Guntbertus Altiuillarensis Monachus, par nebulonum, consilium ineunt de tentando Pontifice Romano, si fortè eius imperio educi possit è custodia Gotteschalcus. Et sciebant astuta capita, foro vti: nullum enim iniquius Hincmaro tempus vnquam fuit, siue Pontificem spectes, siue Carolum. Vidimus enim grauissimè offensum in Rothadi negotio Nicolaum; Wlfadi & sociorum depositio recente Suessionensi Synodo confirmata, contra Caroli spem & votum, contra, vt quidem videbatur, Sedis Apostolicæ iura, tanquã oleum in flammas iniectum, magis magísque Pontificis iram inflammabat: indignãte in vicinia Rege quòd Hincmarus vicisset in Synodo, quòd restitutio Wlfadi, quam ardenter appetebat, Hincmari caussa tardaretur. Hinc illa contra Episcoporum sigilla & Epistolas gesta, tanto Rege parum digna, quæ plus satis est semel commemorasse ex Flodoardo. Videbant Pontificem ad suscipiendas appellationes, etiam contra Concilia prouincialia promptissimum; vt præter Rothadi Wlfadique causas, in Episcopis Britonibus patet, qui per Tullense Concilium ad Saponarias prouinciarum duodecim iudicati, per Metropolitanum Turonensem excommunicati, Salomonis eorum Regis postulatu, aliud iudicium impetrarunt à Nicolao. Audierant minas à Pontifice intentatas Hincmaro, iisque ad noua molienda facti erant audaciores. Neque poterat aut dissimulare Metropolitanus, aut ignorare Monachus, æstus illos animi à nobis descriptos, quibus iactabatur Hincmarus, & vsque ad negotiorum omnium tædium agitabatur. Hæc

Concil. Tullens. I. apud Saponar. c. 8. 9. Nicol. ep. 56.

spectasse Guntbertum fatetur Hincmarus: *Videns qualiter illa aduersùm me, quæ de istis partibus ad illum* (Nicolaum) *veniunt, suum cursum accipiunt. Et audiens quòd domnus Apostolicus domno Regi Carolo de me scripsit, quia semper me tegere non debet à talibus, nec valet: vt prouiderem ne pro eis tandem aliquando incurram quæ non opto, & ipse frater, & alij licenter quæ volunt aut moliuntur, aut faciunt.* Infracta semel immediatorum superiorum auctoritate, procul absentibus mediatis, quid non moliantur & faciant homines dyscoli, filij Belial?

Hincmar. epist. 24.

Itaque conuenit inter eos, fugiendum è Monasterio, Romam petendum, aleam curiæ appellationis prætextu tentandam. Quod ita gestum ab Hincmaro graphicè describitur. *Post illas autem scriptas litteras.* (epistolam 23. ad Egilonem, & 22. ad Nicolaum, de Wlfado & Concilio Suessionensi) *nunciatum est mihi de Cella nostra, quæ vocatur Altumuillare, Monachum nostrum nomine Guntbertum aufugisse, cum libris, & vestimentis, & caballis, & aliis etiam quæ furari potuit*, ne ad tantum iter æstiuè, vt loquitur ille, viaticatus esset. Quid est *de cella nostra?* de minori Monachorum habitatione, & quasi oratorio, ad Ecclesiam Remensem peculiariter pertinente, de exiguo monasterio, quod Archiepiscopo, priuato quodam iure subditum est. Sic de cella sua S. Iudoci Lupus Ferrariensis sæpissimè loquitur, quæ tandem creuit in plenum Monasterium, vt & Altumuillare, cui iam tum sub Archiepiscopo præfectus erat Abbas. Plus igitur obedientiæ debuit Hincmaro Guntbertus, qui longè minùs præstitit. Sequitur enim in vita viri illustris. *Qui sæpe pro suis negligentiis regulariter correptus fuit, & quia sæpe Gotteschalco furtim se coniunxerat, & litteras ei dederat, & ab eo acceperat, secundum regulam in grauioribus culpis missus fuit*, (quod interpretor, temporali carcere constrictum fuisse, quem grauioribus culpis regula Benedictina imponit) *& dicitur illius peruersa doctrina deprauatus.* Videntúrne leuiores hæ culpæ, excommunicato communicasse: contra Metropolitani & Abbatis voluntatem furtim litteras separato à ceteris dedisse, & accepisse; ab hæretico venenum errorum hausisse? Quid deinde modò, claustra religiosa perfringere, arcas resignare, deprædari cœnobium, fugere domo, absque Metropolitani & Abbatis tractoriis Romam peregrinari? Non enim alius esse potuit Gotteschalci Legatus.

Guntbertus è Monasterio fugit Romam petiturus.

Hincmar. ibid.

Qui fuerint mores Guntberti.

Quid autem ferebat nobilis ista legatio? *Et sicut mihi dictum est, quasi ipsius Gotteschalci reclamationem vult perferre ad domnum Apostolicum.* Signanter dictum, non appellationem, *sed reclamationem*, siue querimoniam aduersùs Episcopum: nec ex toto reclamationem, sed *quasi reclamationem*. Fiunt enim appellationes in iudicio publicè per reum, aut officium, ante, vel paulò post interloquutionem iudicis: priùs quidem, si iudex legitimus non est, si gratia ducitur vel odio, si per vim & auctoritatem reum opprimere meditatur. Posteriùs autem, si quid perperam gestum est in iudicio vel omissum, si grauior quàm pro legibus, & iure imposita pœna: nihil eiusmodi de Got-

Non fuit hæc appellatio Gotteschalci.

teſchalco ipſo hactenus auditum eſt; nulla vox niſi contumax & impudens, inter verberum plagas, & flammæ crepitus librum abſumentis, emiſſa: iudicium Dei expetitum eſt, non Romæ, vbi nihil tutum eſt erroribus. Seruatus carcer, ſi non ſilentium, ipſos iam annos octodecim; quid nunc tandem deliro ſeniculo venit in mentem Romam peregrinari per magiſtrum Curſorem Guntbertum, Romæ audiri velle de quæſtionibus decennium totum diſceptatis, ac tandem ante plures annos ſopitis? Et ſi appellatio fuit opportuna, ſic erat interiicienda? ſic proſequenda per furtum, per fugam, per quandam apoſtaſiæ ſpeciem?

Refellitur Diſſertator. c. 42.

Non diſplicent tamen iſta Diſſertatori Præſidi, quia Gotteſchalco militant. Nam imprimis *appellationem* iſtam frequentiſſimè vocat, illóque tanquam indifferenti, & eodem cum *reclamatione* vocabulo vtitur. Ego verò partes non ſuſcipio edocendi iudicis Monetarij quantùm iſta differant inuicem; neque in medium profero, vel Proclamationem Caroli Regis aduersùs Wenilonem Senonenſem in Concilio Tullenſi apud Saponarias auditam: vel Reclamationem Rothadi Nicolao Romæ oblatam; quæ nuſquam *appellationes* nominantur: hoc vnum dico, conſilium iſtud Gotteſchalci ſemel tantùm ab Hincmaro nunciari, & *quaſi reclamationem* dici, non appellationem: ſciuit autem, vt opinor, Hincmarus, quo nomine nuncupanda res eſſet, quæ ſcribente ipſo, & curante negotia, gerebatur. Quòd ſi vera & legitima fuiſſet *appellatio*, ſic eam interpoſuiſſet Gotteſchalcus? ſic interceptam texiſſet ſilentio? ſic impeditam neglexiſſet Nicolaus? Deinde, Guntbertum Gotteſchalci ſodalem, pium virum, & miſericordé ita nobis effingit. *Vel Monachus ille tactus dolore cordis intrinſecus, quòd inaudito irreligioſitatis, & crudelitatis exemplo Gotteſchalcus per tot annos ab omni communione reſciſſus in ergaſtulo illo detineretur,* pro ipſo quoque eadem caritate acturus, *quódque etiam ob communicationem furtim habitam cum illo, in grauioribus culpis miſſus fuiſſet.* Hæc enim monaſtica multùm curæ erant Pontifici. Atqui, neque ita narrat Hincmarus, ob illa profugiſſe Guntbertum, ſed complicem Gotteſchalci fuiſſe ex illis comprobat. *Reclamationem illam nomine Gotteſchalci Romam deferre ſuſcepit, & fuga è monaſterio elapſus aufugit*, libris, veſtimentis, caballis, & aliis furto ſublatis, quæ nonnihil ad hiſtoriam faciunt, *& Romam pergere cœpit.* Riſu eleuanda ſunt iſta, non ſtudio refellenda: niſi cui videtur indignum, quæ contra Decalogi præcepta, contra canones Eccleſiaſticos, contra vota religioſa, contra regulam S. Benedicti, contra debitam legitimis prælatis obedientiam à proteruo & infrunito Monacho fiunt, piis omnibus execranda, à ſolo Diſſertatore non improbari.

De fuga Monachi Egilonem monet Hincmarus. Ep. 25.

Euaſerat igitur apertularius drapeta, eiúſque nouitatis nuncius ad Hincmarum aduenerat, cùm ille non inexpertus, quantùm procul apud rerum ignaros impudentia poſſet & audacia, de hominis temeritate ſtatim Senonenſem admonet, vt ſi quid fortè per viam, aut Romæ Ate illa funeſta corrumperet, certè aliquanto poſt ſequutus, repararet. *Sed quia in articulo iam profectionis miſſi noſtri, quem ad vos dirigebam, nuntiatum eſt mihi habitu tantummodo monachum noſtrum*, Guntbertum, qui de moribus verè monaſticis præter externam veſtem nihil habet, *eiuſdem Gotteſchalci complicem*, in inobedientia & hæreſi, *in partes Italiæ quò pergitis, cum his quæ furari de monaſterio potuit, aufugiſſe, neceſſarium duxi accito notario, vel hac parua, & tumultuario ſermone quæ mens eri ſuggeſſit emiſſa, veſtræ ſapientiæ intimare. Vt ſi fortè iſdem peſtifer in illis partibus de Zizania magiſtri ſui* Gotteſchalci, *aliqua ſeminauerit, & à quibuſdam inde interrogati fueritis, habeatis quæ illis de doctrina eius certa*, non dubia, non ſuppoſititia, *reſpondere poſſitis, & ne pro multis*, ſi plura ſcripſiſſem, *detentus miſſus noſter, tamdiu morari cogeretur, vt ei neceſſe foret vos longiùs ſequi.* Credendus ergo non eſt Remenſis per otium eas omnes ſubtilitates meditari potuiſſe, in quibus enucleandis ingenij multùm temporíſque ſui Diſſertator abſumpſit. Quòd ſi cauere voluit, ne quid præceps illud duorum perditorum conſilium, per familiarem calumniam, rebus ſuis noceret, quis ſapiens reprehendat?

Diſſertator legit Presbyter, quo teſte!

§. VNICVS.

Conatus ille Gotteſchalci caruit exitu.

Inanis fuit ille Guntberti conatus.

QVo autem vſque progreſſus eſt Legatus ille Gotteſchalcanus? Romám-ne peruenit, & Pontificem vidit, an medio in itinere ſubſtitit, dum furto frueretur, & libertate per fugam parta? Quis denique illuſtris legationis fuit exitus? Qui eſſe debuit, vanus, inanis, nullus: quem videlicet non Hincmarus, à quo vno accepta legatio eſt; non Egilo, Romam eodem tempore pro Concilio profectus; non Nicolaus, qui reclamationem ſuſcipere debuit, tradiderunt. At diuinatrix Diſſertatio duo aſſeueratè hoc de fine legationis commemorat, quæ nullo teſte, nullo argumento confirmare poſſe confitetur. Prius eſt, Guntbertum Romam non perueniſſe. *Ex his patet*, inquit, *vel caſu, vel fraudulentis inimici hominis artibus* (de quibus mox dicetur) *interceptam hanc Guntberti monachi peregrinationem, nullo modo Romæ apparuiſſe Guntbertum, nec reclamandi mandatum, nec per alium quemlibet interpoſitam illam appellationem ad Summi Pontificis aures perueniſſe.* Iſtud quanquam incertum eſt, neque *patet ex his*, id eſt, duabus ad Egilonem Epiſtolis, & potuit Romam vſque progredi Guntbertus, reclamationem tamen negligere: quis enim à ganeone fidem exigat in negotio? Exiſtimo tamen dici veriſimiliter, & libens admitto *nullo modo Romæ apparuiſſe Gumbertum.* Quæro igitur in aditiali tabula, quæ ſcenæ huius actorum omnium pompam exhibet, qua via peruenerit ad Nicolai I. Pontificis pedes Gotteſchalcus, inumbrante deſuper ſancti Spiritus emblemate? Non per ſe ſe, vt clamat omnis chronológia: non per Guntbertum miſſum à latere, vt certò narrat hiſtoria: & ſi veritatem ipſam conſulimus, nihil pene plus in cauſa Gotteſchalci tum egit Pontifex in cathedra, quàm quod modò agit in tabula.

Diſſertat. c. 49.

Gotteſchalcus ad pedes Nicolai ridiculè pictus.

Poſterius momenti grauioris eſt, quia fœdè calumniatur, & ſecum pugnat in tradenda cauſa

Falſò ait Diſſertator

Guntbertum malis artibus ab Hincmaro fuisse interceptum. Synopsis ad an. 866.

causa legationis elusæ. Nam in Synopsi affirmatè scribitur, Guntbertum *ab Hincmari fidelibus (vt vero simillimum est) interceptum, non amplius apparuisse.* Et paulò post. *Sed vt diximus,* (quasi si argumento *vt vero simillimum est*, validè probatum, iam omni dubitatione careret) *Guntberto inimici hominis malis artibus intercepto, supplex Gotteschalci monachi reclamatio, euanuit, nec ad aures tanti Pontificis potuit peruenire.* Sed nimirum compendiosa Synopsis narrare ista debuit ad speciem, non argumentis probare ad fidem. Dissertationis illud munus est, quod & promittit, cùm de iuridica cognitione Arsenij *in gratiam & reuerentiam Hincmari fraudulentis eius artibus subtracta, vt etiam infrà videbimus*, inquit, *appellationem, ab ipso Gotteschalco emissam, non minori Hincmari nequitia interceptam & frustratam.* Expectas Lector cùm in rem præsentem ventum fuerit, certis tibi rationibus *nequitiam* illam monstrari, non vsitata cantilena, *vt diximus, vt verosimillimum est.* Sic igitur ad tantum opus ingreditur. *Vtrum autem casu aliquo, vel Hincmari nequitia interceptus in via Guntbertus, oppressus, vel in ergastulum retrusus, à proposito reuocatus sit, non liquet. Deus nouit.* Qualis hæc præfatio? Sperabam iuratos testes, qui satellites Hincmari huc illuc dispersos vidisse dicerent, ad obsidendas vias, occupandos aditus, inuestigandum fugitiuum: qui referrent retractum è fuga, & obtorto collo raptum in carcerem, aut ad supplicium. Mutatam ex illo Gotteschalci custodiam, positos argos & peruigiles dracones, ne quis alius Guntbertus ad eum aspiraret. His auditis fulminasse Nicolaum, ad Regem, ad Hincmarum, ad Episcopos pro reclamante Gotteschalco scripsisse, toties superbiæ, crudelitatis, dolositatis, Pharaonicæ indurationis conuictum Hincmarum, tandem excommunicasse. Hæc enim tali in negotiò, tali rerum statu fuerunt agenda, si verè per nequitiam & fraudulentas artes Hincmari appellatio Romana intercepta est & elusa: auctores autem eorum testes producendi, ab eo qui nequitiam, & illas fraudes probare promittebat. Illis deficientibus, cùm res ad probationem perducta est, de Guntberto oppresso, vel in ergastulum retruso, *non liquet*, ait, & loci rhetorum coniecturales verbis duobus clauduntur, *Deus nouit.* Nouit profectò Gotteschalcani patrocinij imbecillitatem, & malas artes calumniandi ad innocentiam Hincmari opprimendam vndique conquisitas.

Dissert. c. 47.

Ibid. c. 49.

Refelluntur eius coniectura.

Conatur nihilominus *verosimillimum* istud efficere. *Sed non leuis est coniectura fraudulentis Hincmari artibus oppressum fuisse Guntbertum.* Hui, *coniectura!* Tu facinus tam indignum, à te vno hactenus excogitatum, *Deus nouit* quo animo, in *coniectura* firmiter pangas? Qua verò *coniectura?* Quia Hincmarus audita Monachi fuga grauiter commotus est, timuit ne Gotteschalcus ad Synodum duceretur, Egiloni scripsit, vt reclamationi omnimodis obsisteret. Collige. Ergo, Guntbertum in via oppressit, vel in ergastulum retrusit. O solertiam! Imò quia fugientem persequi noluit, quia deprehendi posse desperauit, quia Romam venturum credidit, hæc solicitè, & accuratè Senonensi exposuit. Audi subtilitatis auctarium. Voluit ab Egilone hæc secreti sigillo tegi, *vt in talium manus non veniant, vnde scandalum possit oriri.* *Quale scandalum*, ait Præses, *nisi quòd oppresso, nec ampliùs apparente Guntberto, hinc non leue in Hincmarum insurrexisset oppressionis argumentum?* Quin potiùs illa solicitudine declarabat, nullam intercipiendi & opprimendi Guntberti cogitationem animo suo insidere. Atque quicquid Hincmarus scripserit, quicquid Egilo tacuerit, ingens apud socios Gotteschalci, æmulos Hincmari, fautores Wlfadi, ortum esse oportet scandalum, si verè interceptus & oppressus fuit Guntbertus: cuius si quod in tota historia vel tenue vestigium apparet, nihil repugno, quin causa cadat Hincmarus.

Ius etiam & leges ciuiles in iniuriam innocentis aduocantur. *Ex solenni iuris regula*, inquit, *fraudis interpretatio semper in iure ciuili, non ex euentu duntaxat, sed ex consilio quoque desideratur.* Quid istud, & quorsum? Legem exponit Accursius, vt *duo sint necessaria, consilium & euentus: & certè hic non dici, non puniri euentum quandoque, sed dici fraudem non esse sine dolo.* Quid hæc ad Hincmarum & Guntbertum? vbi dolus? vbi fraus? vbi consilium? Accipe vim argumenti. Guntbertus fuga elapsus est è Monasterio, vt reclamationem Gotteschalci deferat ad Pontificem: Hincmarus hoc cognito Egilonē rogat vt effectus ex illa reclamatione fortasse nascituros, impediat: Guntbertus cum sua reclamatione non peruenit ad Pontificem: quo casu? *non liquet, Deus nouit.* Ergo consilium cepit Hincmarus de eo in via opprimendo per fraudem, & in ergastulum retrudendo: ergo Hincmari nequitia, & fraudulentis artibus intercepta & elusa est appellatio. Hoc est ratiocinari? Claudit agmen probationum *grauissimum* quod vocatur *argumentum*, ab exemplo præteriti, *Semel malus semper præsumitur malus in eodem genere mali, iuxta Doctores in cap. Semel, de Regulis iuris in Sexto.* Atqui Rothadum Romam progredientem per satellites suos violenter oppressit Hincmarus: igitur & Guntbertum eodem in itinere, eadem ex causa, per eosdem satellites intercepisse credendus est, & in ergastulum retrusisse. Rothadum ego nihil hîc moror, de quo apologiam scripsit Hincmarus, quæ dissimulari non debuit. Ago liberaliùs cum eius hoste infensissimo, animi gratia & causæ fiducia. Esto, vim passus sit in itinere Rothadus ab Hincmari satellitio: idem probari postulo & de Guntberto. *Semel malus*, inquit, *semper præsumitur malus.* Certè, si quæ probabilis coniectura recentis sceleris patrati hominem afflauit, si semiplena probatione iam pulsatur, si plurium & grauium virorum præiudiciis notatur. Non enim dixeris, opinor, vnius homicidij reum peractum, omnium cædium quas in vrbe fieri, eo etiam dormiente contigerit, accusandum esse; neque qui semel temperantiæ limites, vsque ad ebrietatem, fuerit transgressus, ebrium, etiam cùm maximè ieiunat, debere censeri. Quid simile de Guntberti per Hincmarianos latrones oppressione, illis quibus facta dicitur temporibus ex Guntberto ipso, ex Gotteschalco, ex æmulis Hincmari, qui & multi, & factiosi fuerunt; ex Nicolao Pontifice, qui appellationem interceptam asserere debuit; ex Egilone, qui Romæ Monachum non vidit; ex alio vllo est auditum? Quid modò momenti

Leges frustrà citatæ. L. 79. Fraudis interpretatio, D. de Regulis iuris.

Semel malus semper præsumitur malus.

Hincmar. epist. 17.

Id quomodo intelligendum.

vllius à nouissimo Hincmarianorum persequutorum Præside allatum est, quo vel ad eius criminis suspicionem possimus induci? Ita fictionibus accusatur Hincmarus, fictiones paralogismis stabiliuntur, & post multùm sudoris exhaustum, reditur ad ignorantiam, quæ est calumniæ prioris confessio, *vt vt sit*, quicquid de oppressione Monachi ex *grauissimo argumento*, ceterísque credi debeat, *appellatio illa*, quam *quasi reclamationem* vocat Hincmarus, *quouis modo intercepta*, de quo *non liquet*, *Deus nouit*, nonobstantibus *non leuibus coniecturis*, & *grauissimo argumento*, cuius leuitatem risimus, *ad Nicolai aures appellere non valuit*; Addo, vel appulsa ob sui futilitatem, & cognitam appellantis legatique nequitiam, contempta est.

CAPVT XIII.

Nicolaus Papa toties de Gotteschalco interpellatus nihil tamen de eo decernit.

Series gestorum cum Nicolao in causa Gotteschalci.



EXVRGIT ex actis hactenus recensitis, hic ordo Pontificiæ de Gotteschalco cognitionis, vt 1. Nicolaus per æmulos, & Gotteschalci fautores de eius damnatione & reclusione in fauorem ipsius Gotteschalci fuerit admonitus. 2. Eo cognito Hincmarus per Odonem ad eum rotulam miserit, quæ Patrum auctoritatibus errores damnatos reuinceret. Quam probabilissimum est lectam non fuisse à Pontifice, *& sicut mihi iam mandatum est*, inquit Hincmarus, *increscit Apostolico & Romanis tanta legere*. 3. Nicolaus igitur, tanquam causæ adhuc ignarus, de illa cum Luidone Archidiacono egerit. 4. Hac occasione accepta Hincmarus ad eundem de hominis vita moribúsque distinctiùs scripserit, recensitis erroribus, quos è veteribus Prædestinatianis hauserat: paratus eum Romam, si iuberet, sub fida custodia mittere. 5. Silente iterum Nicolao, Arsenius Apocrisiarius in Galliam veniens, Hincmarum de Gotteschalco scripto interrogauerit, ille scripto responderit. 6. Post hæc Egilo Romam cum Hincmari de Gotteschalco instructionibus venerit, Guntbertus à Gotteschalco cum reclamatione missus, probabiliter eò non peruenerit. 7. Nihil ergo de reclamatione Nicolaus acceperit, sed verisimiliter de Gotteschalco multa secundùm Hincmari voluntatem ab Egilone audierit. Qua in narratione tota, semel tantùm loquentem habemus Nicolaum cum Luidone, sæpe pulsantem Hincmarum per se, per Legatos, litteras, rotulas, instructiones, præcautiones mittentem, obmutescente ad hæc omnia Pontifice, neque mentem suam hac de causa in partem alteram vllo verbo declarante. Vt ex his quæ nullis poëticis figmentis obscurari possunt, historicæ Dissertationis fides appareat, prolixo admodum capite, paginarum decem & ampliùs, probare promittentis, *Nicolaum Papam cognoscendæ Gotteschalci causæ sæpius fuisse sollicitum, sed toties Hincmari fraudibus elusum.* In huius silentij probabiles causas iam antè inquisiuimus, neque plures excogitare necessarium videtur, cùm satis sit ad historiam, meminisse istorum omnium nihil profuisse Gotteschalco ad leniendam eius custodiam, neque verò nocuisse ad prægrauandam: ac nisi semel in priuato colloquio perfunctoriè Luidonem ea de re nonnihil rogasset, dicere possemus, quod est in sacra historia, *nihil eorum Gallioni curæ erat.*

Hincmar. epist. 23.

Pontifice pene semper silente.

Dissert. c. 47.

Credamus etiam si lubet, Egilonem cum Nicolao, leuissimè, aut omnino nihil tractasse de Gotteschalco, cùm neque vtrum Guntbertus Romæ fuerit, cuius gratia tot instructiones acceperat ab Hincmaro, neque tractatus eiuscemodi effectus vllus appareat. Vt tota legatio in præcipuo eius capite consumpta fuerit, Concilio Suessionensi II. & Wlfadi clericorúmque Remensium restitutione, quam dubium est, quis è tribus vehementiùs appeteret, Wlfadus, an Carolus Rex, an Nicolaus? Dolentibus ex aduerso Gallicanis Episcopis duorum Conciliorum iudicia rescindi, quorum prius esset Benedicti III. auctoritate confirmatum; idque fieri per regiam potentiam, in gratiam vnius Wlfadi: de clericis aliis Remensibus verè dicente Hincmaro, *De quorum restitutione, si Wlfadus in causa non foret, satis Ecclesia indurare potuisset, qui inter Canonicos & Monachos, vrbanos, & parochianos, vnà cum Wlfado, non sunt ampliùs quàm nouem.* Itaque cùm hîc desinat inutilis Gotteschalci conatus, erat nobis vlteriùs procedendum, nisi cursum moraretur iniquissima Dissertatio, illud quod in Wlfadi causa per Egilonem responsum est à Nicolao, æquè ad rem Gotteschalci traducens, contra omnem historiæ fidem: & Pontificis obiectiones ab aduersariis acceptas ad nauseam repetens, dissimulata plerumque, semel etiam per ludibrium indicata Hincmari defensione, isto tractatus illius quem attigimus loco. Quare nonnihil operæ nauari strictim, & breuiter Antistiti verè magno, & illustri permittes, Lector, vt aliqua ad eius apologiam spectantia hîc describantur, ne Gotteschalcanis nouatoribus impune semper liceat in sacra capita, ipsorum dogmatis non amica, sæuire per calumniam.

Transitur ad præcipuum caput legationis Egilonis.

Hincmar. epist. 23. ad Egil.

Dissert. c. 48.

Quid ea legatione consequutus sit Egilo, quantóque opere commotus in Hincmarum Nicolaus Papa pro summa potestate, cum grauissima Remensis & Concilij totius Suessionensis tertij reprehensione, omnino imperarit, Wlfadum & socios suis gradibus restitui, docent plures eius litteræ, felle scriptæ non atramento, Tomo Conciliorum Galliæ tertio expositæ, à Dissertatore ingenti cum animi voluptate sæpe lectæ, sæpè ad regustandum Lectoribus propositæ, in quibus proinde referendis, non est quod opus istud è longo, longius faciamus. Quod omisit ille, vt pote Gotteschalco ingratum, cui soli laborat, nobis reliquit præstandum, vt pro Hincmaro, id est, pro æquitate, innocentia, veritate, quæ conducunt ad Apologiam afferamus. Regulis primùm generalibus pugnat Remensis. Has æmulorum criminationes esse, quibus nihil fidei debeatur. *Ne talem me æstimet, sicut me æmuli mei illi depingunt.* Affirmat alia omnia à se facta esse, quàm quæ illi mentiuntur. *Peto etiam vt ad hoc quod domnus Apostolicus mihi scripsit, de duritia Pharaonis, ei ex ordine condicatis, quàm benignè eosdem fratres & antea, & postea tractaui, sicut coram ipsis in Synodo comprobaui.* Et pleraque per Synodos facta, quæ vni sibi tribuantur. *Ego non suspendi eosdem fratres ab officio, neque iudicaui, neque à gradibus Ec-*

Innocentia Hincmari generalibus rationibus probatur.

Ex eadem epist. 23. ad Egil. cit.

clesiasticis eos deieci, neque cum iudicibus eorum subscripsi, sed Synodus Episcoporum quinque prouinciarum videlicet Suessionensis II. Quod seriò & asseueratè non cuperet ad Pontificem referri, nisi verum esse ex authenticis Synodi actis posset ostēdi. Denique ad litteras pontificias quod spectat, causatur in eas nonnulla per notarios posse inferri, quæ non iusserit Pontifex. *Similiter satagite vt illas Epistolas, quas domnus Apostolicus de ista causa facere iubebit, legatis antequam huc mittantur, ne aliquem dolum in eis scriptores, sicut dicuntur facere, possint imponere.* Quam causam non dissimulat Carolus Rex litteris Hadriani II. offensus, scribens in Epistola quadam non edita. *Ceterùm tales litteras, & vestro ministerio incongruentes, & nostræ regiæ dignitati, & potestati inconuenientes, sicut nobis ex vestro nomine diriguntur, non à vobis, neque à sancta Romana Ecclesia, in omnibus semper discretissima atque cautissima, dictatas credimus: quia ipsa sancta sedes cum modestia & discretione semper corripere & salubriter corrigere, secundum vniuscuiusque personam & ordinem solita fuit.* Quod à vero non esse alienum agnoscit idem Hadrianus, Regis animum eam ob rem sedare conatus, in hæc verba, epistolæ in Conciliis editæ. *Et si quædam litteræ delatæ vobis sunt, aliter se habentes in superficie, vel subreptæ, vel à nostris, nobis infirmantibus extortæ, vel à qualibet persona confictæ, duriùs, aut acriùs mordaciter sonantes, id tamen nobis fixum semper mansit in mente, quod vobis significauimus deuotè.* Quæ omnia si pro rata portione Hincmari causæ applicuerimus, quis iure arguat? Et ad eam fortasse pertinet, citatio illa Epistolæ Leonis, in Gallia ignotæ, de qua ibidem Hincmarus. *Et non obliuiscamini, vt faciatis certum Apostolicum, quia illa Epistola quarti Leonis Papæ, de istorum fratrum reclamatione, quam memorat in suis Epistolis, istis Cisalpinis regionibus non innotuit, nisi per suas nuper missas Epistolas.* Hæc si quis diligenter attenderit, facilè assentietur Annalistæ Bertiniano, scribenti Roma rediisse Egilonem, & ad Carolum accessisse in Palatio Salmontiaco, *cum Epistolis Nicolai Papæ de restitutione clericorum Remensis Ecclesiæ, Wlfadi scilicet & Collegarum eius, pro quibus valdè satagens* (incertum Nicolaus, an Carolus?) *vt in suis habeantur gradibus restitui, multa Hincmaro Remorum Archiepiscopo imposuit in eisdem Epistolis, quæ non esse vera, manifesta ratione constabant.* Siue Pontificem illa spectant, siue Regem, de ministrorum in scribendis illis criminationibus fide dubitare licuit Hincmaro.

Aliqua intruduntur in litteras. *Carolus Epist. ad Hadrian. MS.* *Hadrian. II. epist. 29. ad Carol.* *Hincmar. epist. 23.* *Annal. Bertin. ad an. 867.*

CAPVT XIV.
Hincmarus post reditum Egilonis exasperatum Pontificis animum mitigat.

Nicolai litteris humiliter satisfacit.

POST eas obseruationes, ex ipso Hincmaro eductas, lubet peculiarem satisfactionem libare, qua contentas Nicolai litteris aduersariorum calumnias repellit, cum perfecta subditi animi demissione, quam peritissimus videlicet, vt monetæ, sic virtutum arbiter Præses Dissertator, *simulatam humilitatem*, & *summam hypocrisin* appellat. Officiosa compellatio hæc est. *Domino sanctissimo, & Reuerentissimo Patrum Patri Nicolao, primæ ac summæ Sedis Apostolicæ, & vniuersalis Ecclesiæ Papæ, Hincmarus Remorum Episcopus, & vestræ sanctissimæ paternitatis deuotissimus famulus.* Quid videtur? ab animo schismatico profecta est hæc salutatio? Et ne affectatam putes, non aliter eundem Nicolaum antè compellauerat Epistola per Egilonem Legatum alterius Synodi missa: neque ab hac formula titulus alius abludit, Epistolæ longè antea, post Odonis legationem scriptæ. *Domino vnicè singulariterque suscipiendo Patrum Patri, & summa veneratione honorando Reuerentissimo Papæ Nicolao, Hincmarus nomine, non merito Remorum Episcopus, ac plebis Dei famulus.* Quibus inscriptionibus *simulatæ humilitatis* professio non continetur, si contra debitum obsequium, & votiuam obedientiam ipsæ Epistolæ nihil offerunt. Ac omnino solet schismaticorum superbia ab ipso titulo se prodere, vt ne ipsa quidem vrbanitatis officia, vt inter homines, obire dignentur. Narrat igitur, ab Egilone reduce redditas sibi Pontificis litteras, apud Salmontiacum parochiæ Laudunensis, præsentibus Rege, & Episcopis, in quibus erant Rothadus, & Hincmarus Laudunensis. In iis, aliisque ad Episcopos Synodi Suessionensis III. communiter scriptis, tantas, inquit, *& tales increpationes indignitati meæ, à dignitate vestra inlatas inueni, sicut peccata mea merentur.* Vides, Lector, quod dictum est à sapiente; *Iustus prior est accusator sui.* Non quòd illa ipsa sua quibus responsurus est, agnoscat: sed quòd religiosa modestia primos iræ impetus coërcere, & accusatus nihil extempore, ad excusationem effutire consueuerit: hoc enim disciplinæ est. Quare, cùm se in eximia auctoritate monachum meminerit, ad regulam respectans, subiicit. *Vnde si præsens corpore vobis adessem, quod sanctus Spiritus per os B. Benedicti in regula ab ipso dictata præcipit, sine cunctatione vel aliqua mora exequi procurarem: Si quis, inquit, frater pro quauis minima causa, à quocunque priore suo* (superiore) *corripitur, quolibet modo, vel si leuiter senserit animos prioris cuiuscunque contra se iratos, vel commotos, quamuis modicè; mox sine mora tamdiu prostratus in terra ante pedes eius, iaceat, satisfaciens, vsque dum benedictione sanetur illa commotio*, hoc est, benedictionem prostrato impartiens, commotionem animi sedatam esse testetur. *Quod quia corporaliter ante vestræ sanctitatis vestigia implere non valeo, mente & spiritu vbicunque sum, cum debita mentis deuotione, adimpleo.* Equidem non video cur hæc claustralia & replicare, & exercere velit *summa hypocrisis*; quibus neque indigeat apologia, neque si vult superbus, schismaticus, & nequam esse Hincmarus, opus habeat apologia. Subdit tamen, moram omnem impatienter tulisse se, donec & his litteris satisfaceret, & imperium de restitutione Wlfadi, non expectato annuo, quod erat concessum spatio, statim exequeretur. *Quantocyus potui vestræ sublimitati satisfacturus, has humilitatis meæ litteras, ad vestra sanctitatis vestigia, quoniam propter insidias principum mihi infestorum, quibus ad sua vota placere non audeo, apertè non valui, modo quo*

Dissertat. c. 48. cit. *Hincmar. epist. 26. ad Nicol.* *Idem epist. 12.* *Idem. epist. 17.* *Prouerb. c. 18.* *Humilitas Hincmari.* *Hincmarus non placet ad vota Principibus.*

potui transmittere procuraui. Hæc dicit, geritque Hincmarus, aulicus ille, & ad aulæ gratiam rationes omnes vitæ suæ referens, si creditur Dissertatori. *Denique post præfatas vestra auctoritatis Epistolas, relectum est in supradicto loco decretum vestra præceptionis, de restitutione prædictorum fratrum nostrorum,* (Wlfadi & sociorum) *& quod decreuistis libenter amplexi sumus; & quod præfatus venerandus Archiepiscopus Egilo, mihi ex vestro mandato inde iniunxit, sine retractatione exequi procuraui. Qua de re nil aliter, nisi veluti à vestra auctoritate est definitum, in postmodum repetere cupio.* Ad hæc verba modestissimæ demissionis plena, qui facta ipsa promptissimæ obedientiæ adhibet, si *summa hypocrisi, & simulata humilitate* vtitur, edicat amabo Dissertator, quo tandem modo inter homines sincerum animi candorem, & veram humilitatem postulet exhiberi?

Obtemperat Pontifici.

Progreditur inde ad moderatam de creditis calumniis querimoniam, quarum originem à superiorum Pontificum temporibus repetit, cum ea quam in septis Monasticis edoctus est, imperfectionum professione. *Scio enim quia nisi multam rubiginem in me conspiceret fictor meus, non totiens me isto igne purgationis, ex Apostolica Sedis auctoritate, quorumdam factione aduersùs exiguitatem meam commota, tam duriter conflaret, & vtinam expurgaret.* Obscura est hæc oratio, nisi quid enucleatius afferatur. *Sic enim bona memoria domnus Hlotarius in initio ordinationis mea, apud Sergium, & postea apud successorem ipsius Leonem, pro contentione Regni, quam erga fratrem suum habebat domnum Carolum, cuius obsequiis fideliter adhærebam, fategit* Quod ipsum postea professi sunt Concilij Trecassini Antistites in Epistola Synodali ad Nicolaum. *Vnde postea, Deo inspirante, pœnitentiam egit, & litteris ad Sedem Apostolicam missis* (ad Leonem IV. tunc sedentem) *quod excesserat corrigere studuit*: quæ vtinam extarent modò omnes, & mendaces ostenderent eos qui maculauerunt eum: nos vnam illarum, tanquam magni naufragij reliquias, damus in appendice. Sed Lothario, & illis Epistolis superfuit inuidia, apud Nicolaum id conatura, quod apud Sergium tentauerat. *Per quos etiam serenissima sanctitatis vestra tranquillitas erga indignitatem meam, totiens & adeo sit commota, non debet à me conquiri, nec indebitis suspicionibus debeo agitari.* Quid enim prodest anxiè suspicari, quod neque certò scire possis, neque si scias, mederi facile sit, aut honestum? *Duo tamen sunt qua tenere me veraciter puto, & tertium quod in mente mea cognosco. Scilicet quia commotio animi vestri erga humilitatem meam, non ex vestris propriis motibus, sed alienis procedat suggestionibus.* Verissimè istud: quantùm enim per calumniam licuit, ingenium & auctoritatem Hincmari magno semper æstimauit Nicolaus, eum de rebus summis consuluit, animi aduersùs illum propensionem testatus est. *Et si vera essent qua vobis de me à quibusdam audio dicta, non solùm merito erga me taliter moneremini, verùm & incomparabiliter seueriùs, quàm moneamini, zelo rectitudinis accenderemini.* Tot relationibus de Hincmaro in omnes partes agitatus Pontifex, dum modò amicis, mox æmulis aures præberet, incertus quam potissimùm in partem vergeret, seueriora quàm pro innocente, leniora quàm pro reo scribebat, vt ex eius Epistolis patet.

Calumniarum in se fontes aperit.

Concil. Trecass. in Epist. Synod.

Lotharius Imperator vario animo in Hincmarum.

Descendit deinde ad ea vitia depellenda, quorum in Epistola per Egilonem delata accusatur, quæ suauissimè sapit, & identidem reponit patronus optimus Gotteschalci. Hæc tamen semel ex apologia describit, eo quo videbimus animo. *Sed gratias illi, cuius gratia sum id quod sum, quia perhibente mihi testimonium conscientia mea, licet in aliis sim peccator, tamen in his de quibus me apud auctoritatem vestram audio denotari, non talis sum in oculis diuinis, qualis depingor in auribus humanis.* Cogitur ad diuinum prouocare testimonium, ab humano pene deiectus, & conscientiam suam consulere, inuidia obrutus. Quæ sunt autem vitia? *De tumore namque erga sedem Apostolicam, omnium Ecclesiarum matrem atque magistram, iam apud sanctæ recordationis Sergium, atque Leonem fueram denotatus.* Inde, vt arbitror, quòd frequenter canones antiquos in ore haberet, eósque in gestis decretísque suis sequi monstraret, tanquam nouarum in emergentibus negotiis constitutionum contemptor. *Sed debitis obsequiis, cooperante Domino, quocunque se locus mihi præbuit, demonstraui quòd fidelis & deuotus, humilis quoque, atque subiectus semper, in omnibus, & vbique erga sedem Apostolicam & eius rectores extiterim.* Non tantùm apud Leonem & Sergium, verùm etiam apud Nicolaum ipsum, Rothadum causa ab ipso cognita restitutum, humanissimè excipiens; Clericos Remenses quando ita iubet, restitui cupiens: Pontifici generosè collaborans aduersus Lotharium Regem, & adulteras Waldradæ nuptias; aduersùs oriens in Oriente Photij schisma, & in omnibus vniuersè quæ in canonum Ecclesiasticorum obseruatione constantiam desiderarent. Quid igitur, inquies, de appellationibus tandiu impeditis putandum est? Quod exigit ratio, quod nos suprà monstrauimus, appellationum non fictarum iuri nihil vnquam derogatum esse ab Hincmaro, sed impediuisse pro virili, prauos eorum conatus qui illis ad audaciam & scelerum impunitatem abuti vellent. Pertinet quoque ad hanc erga Sedem Romanã obseruantiam, quòd in theologicis disputationibus ad eius doctrinam & sensum maxima cum honoris testificatione prouocat, vt non semel notauimus. Pergit igitur ad alias criminationes. *Et modò cum tumore, quem quantum potui ab ineunte ætate vitaui,* Benedictina regula tot gradibus humilitatem substruente, *Dolositate, atque crudelitate apud sanctam & prudentissimam simplicitatem vestram videor denotari.* Quæ vitia sibi semper horrori fuisse profitetur. *De quibus vitiis in istis partibus Ecclesia mihi commissa, sed nec vicina Ecclesia aduersùm me hactenus fuere conquesta, sed nec modò conqueruntur.* Magna securitas, & ingens testimonium in tali homine, tam gratioso apud Regem, præcipuo regni administro, cui dicit Hadrianus II. *Tu qui honore, & dignitate ceteris illius regni Episcopis es sublimior.* Itaque iure concludit. *Vnde datur intelligi, quoniam illi qui de me ista falsò disseminant, si vel similitudines aliorum criminum in me percepissent, (quod non ad excusandum excusationes in peccatis*

Respondet singulis.

De Tumore erga sedem Apostolicam.

De dolositate & crudelitate.

Hadrian. II. epist. 16. ad Hincm.

fateor) vtique vobis non tacuissent. Diuino tamen auxilio superatas illorum calumnias sibi verbis Dauidicis gratulatur. *Sed benedictus Dominus, qui hactenus non dedit me in captionem dentibus eorum, qui sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, & non potuerunt mihi, protegente Domino, qui de multis tribulationibus eripuit me, in quem spero, quia & adhuc eripiet.*

In deteriorem partem hæc accipit Dissertator.

Acutioribus oculis præditus est Dissertator Hincmari aduersarius, quàm vt nuda hæc verba, & communem vulgò eorum sensum attendat, nisi & vlteriùs penetret, quò fateor mentis meæ aciem non peruenire. *Hæc verba*, inquit, *sicut & Epistola reliqua, innocentiæ, candoris, & humilitatis specimen præ se ferunt*, apud eos certè qui hominum more loqui consueuerunt: si quid aliud operibus iuncta significare creduntur, videndum erit in qua lingua. *Sed propiùs intuentibus hominis animum, & detestanda hominis facinora*, quorum maximum est, condemnatio & carcer Gotteschalci, vnica causa cur omnis Hincmari vita nequam & facinorosa huic scriptori videatur, *eò magis innotescit hypocrisis, eòque periculosior fuisse dignoscitur omnimoda eius nequitia*, &c. Illud *omnimodæ nequitiæ periculum* sola modò fingit calumnia, quod nemo sapiens tum metuit, cui perfectè notus esset Hincmarus. Nam cur Wlfadus, Lugdunensis Hincmarus, Rothadus adhuc ingeruntur, toties explicati? Non fuit satis ad omnem hypocrisis suspicionem auertendam hæc apologiæ generalis conclusio? *Hæc domine, & pater sanctissime, cum omni animi contritione, & qua possum humilitate deposco, vt pensantes quanto cordis mœrore sint dicta, non aspernanter accipiatis, & non subdolè auctoritati vestræ subiectionem meam scripsisse vobis à quoquam persuaderi sinatis.* Nunquam enim defuerunt inimici dissertatores; qui quicquid scriberet agerétque, in deteriorem partem interpretarentur, virtutis hostes, inuidiæ satellites, gloriæ corruptores. *Nec ea quæ modò dignationi vestræ scribere, fisus de clementia vestræ benignitatis præsumo, ad hoc scripta intelligatis, quasi increpationibus vestris duriter susceptis, contumaci corde resistere, & quæ scripsistis irreuerenti fronte, vel erecta cordis ceruice dissoluere, aut vestris Apostolicis iussionibus, vel diffinitionibus resultare modo quolibet, vel in modico velim, qui sicut domino famulus, & patri filius, in omnibus satisfacere, & parere vestræ auctoritati desidero.* Compara Lector hæc dicta factáque, cum Guntharij, & Theutgaudi Lotharenorum Archiepiscoporum, ad eundem Nicolaum litteris refractariis & schismaticis; cogita Photium in Oriente horrendum schisma Nicolao minitantem, & de Hincmari mente verbisque statue quid existimandum sit; illis-ne simulatam eius humilitatem, & summam hypocrisin tegi putes, qui alia omnia de se promittit, & exequitur?

Ingenti tædio ob has criminationes grauatur.

Quibus autem ærumnis maximè ob continuas calumnias, & ad eas nimis facilem Nicolaum obrutus, hæc scribat, exeunte docet Epistola, post multa de Ebbonis depositione centies inculcata; post raros Pallij Metropolitani vsus commemoratos; post demonstratum ingens oneris Episcopalis tædium. *Ego enim multis afflictus infirmitatibus, & ætate grauatus, ac iniuriis fatigatus, iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Quapropter licet alius ab amicis meis Cisalpinis, in partibus Romanis, vt à multis iactatur, confingar, ad aliud me oportet tendere, & de aliis cogitare, quàm alicui pompæ, ac ostentationi, minimè autem in Ecclesiastico ministerio adplaudere, aut modo quolibet inseruire.* Ex magnitudine negotiorum, quibus in regenda republica per Regem admouebatur, & rerum gestarum gloria, malè suspicabantur æmuli, superbiæ, ambitioni, vanæ gloriolæ litare hominem ingeniosum, doctum, verbosum. Ab illis ergo vitiis quantùm absit, suscepta propinquæ mortis cogitatione demonstrat; quæ tamen tum erat remotior, aliísque tempestatibus per Nepotem excitandis adhuc seruabatur senex exercitatissimus. Denique totam apologiam repetita ad extremum veritatis professione concludit. *Hæc autem de quibus clarissimæ sanctitati, & famosissimæ sapientiæ vestræ scripsi, non ad vllam controuersiam, vel contumacem resultationem, quod absit, protuli, sed animatus veridica sententia vestræ, imò diuinæ auctoritatis, quam mihi scribere dignati fuistis, dicentes, quia veritas liberet, mendacium verò perdat, humiliter veritatis narrationem suggessi.* Quod & Epistola sequente, argumenti penitus eiusdem inculcat, vt summè ad causam necessarium: *Mihi abundanter sufficiet, si satisfactionem humilitatis meæ suscipientes, credere dignati eritis, me vobis simpliciter ac veraciter inde scripsisse.*

Cisalpinos vocat, Alpibus vicinos, vt Ebbonem & alios. Siquidem Remigio Archipræsuli scripsit, pro rebus sancti Remigij in prouincia Cisalpina coniacentibus. Flodoard. l. 3. c. 21.

Hincmar. epist. 27.

§. VNICVS.

Hincmarus hac postrema & efficace Apologia Nicolao Papæ in omnibus satisfacit.

Hincmarus hac apologia Pontifici perfectè satisfacit.

HARVM contentionum qui fuerit finis, iam olim referre memini ex Flodoardo, quod cupio tertium esse apologiæ caput: Carolo Rege aduersus Hincmarum tunc iniquiore, delatas Romam has litteras à clericis Remensis Ecclesiæ, habitu peregrinorum ementito, redditas Nicolao cum vltima ægritudine luctanti. *Nicolaus verò Papa*, ait historicus, *gratanter suscipiens quæ Hincmarus ei scripserat, de omnibus sibi satisfactum esse rescripsit.* Nondum emersit è tenebris musæi fortasse, aut Monasterij alicuius, vbicunque lateat insigne illud Hincmarianæ innocentiæ monumentum, quod oro atque obtestor veritatis quotquot vbique sunt amatores, vt ad nouam hanc Ecclesiæ Gallicanæ iniuriam, ex Dissertatoris persequutione in Illustrissimi Antistitis persona, & nobilissimæ Metropolis dedecore acceptam excitati, sicubi iacere nouerint, producant in publicum, & Nicolaum magnum Pontificem, pro se, próque Hincmaro perorantem, soli huic ostendant. Pro se, inquam, ne qua nimiæ credulitatis nota, eius gloriam obscuret: qui non satis artes inuidiæ, & aduersariorum Gotteschalcanorum insidias, Prædestinatianæ hæreseos expugnatori structas cauerit. Nos interim ex certis indiciis quid ea contineretur Epistola inuestigabimus. Primùm ex argumento ipso, *De omnibus sibi satisfactum esse.* De quibus omnibus? De Tumore, dolositate, crudelitate: de mendacio, de falsi crimine, de ridiculo; & vt Dissertationis verbis vtar, de simulata humilitate, de summa hypocrisi, de omni-

Flodoard. l. 3. c. 17.

moda nequitia, de facinoribus detestandis, *de omnibus sibi satisfactum*, verè fideliterque depulsas calumnias omnes, quarum ne leuissima quidem suspicio penes se resideret,

Hincmarū dilexit Pontifex.

Deinde ex animo Nicolai aduersùs Hincmarum per se se beneuolente, ac non nisi per illas calumnias immutato, quem ex eius litteris deprehendit ipse Remensis. *Præsertim cùm post multa, pusillitatem meam refouentes, mihi scribere dignati fueritis, dicentes. Hæc ne nos arbitreris ad discrimen quodlibet tuæ sanctitatis vel dignitatis exaggerasse.* hoc est, quòd quicquam virtuti, vel dignitati tuæ derogatum velim, *cùm meliora esse vulnera diligentis, quàm fraudulenta odientis oscula, non nesciat.* Amabat igitur Hincmarum Pontifex ob virtutem & ingenij dotes, atque id vnum timebat, ne hæc virtutis opinio, & illud ingenium, in summa dignitate, iurium suorum conseruandorum præpostero studio, de Romanæ sedis priuilegiis quicquam minueret. Sequitur enim in Epistola Nicolai, quod non describit Hincmarus. *Sed ne adeò in priuilegiorum tuorum defensionem, vel elationem immoderatiùs erigaris, vt Apostolicæ sedis iura quoquomodo temere tetigisse videaris. Nam mala consuetudo, quæ non minùs quàm perniciosa corruptela vitanda est, nisi citiùs radicitus euellatur, in priuilegiorum ius ab improbis assumitur.* &c. Totius igitur contentionis cardo circa priuilegium appellationis, aut potiùs eius prosequutionem versatur, neque tantùm de præsente culpa laborat Pontifex, quantùm de exemplo futuri.

Hincmar. epist. 27. cit.

Nicol. ep. 60.

D. 8. Mala consuetudo.

Nonnulli etiam sine culpa reprehensi à Pontificibus.

Qui verò inter tantas increpationes, Nicolai fuerit animus aduersùs Hincmarum, ex alio eiusdem facto vlteriùs declarari potest, in Hubertum Abbatem, Theutbergæ Reginæ fratrem, incesti accusatum à Lothario, & ab aliis antea immanium scelerum apud Benedictum III. Cùm enim per Odonis legationem, de qua diximus, se purgasset Hubertus de obiectis, non sine querimonia, quòd à Pontifice, cùm speraret tanta in calumnia consolatorias accipere litteras, dura inuectione conuentus esset. Respondet Nicolaus, id molestè ferre non debuisse, *quia patris solers disciplina dilecto filio, etiam minimè peccanti, nonnunquam adhibetur: non quò seueritate verberum frustra examinetur, sed quò ne in suspectis facinoribus deuoluatur, beneuola inuectione terreatur. Ac cùm dira flagella filius molestissimè ferat, eo quod sine culpa percutitur, scit tamen pater, quòd blando in pectore modum seruauerit disciplinæ, vt ab imminentibus custodiret.* Eadem penitus ratione Nicolai successor Hadrianus II. Carolum Caluum eius obiurgationes grauiùs ferentem placare studet, *Quoniam te virum perfectum, & per omnia Deo placentem habere cupimus, ceu prudens pater qui carissimum filium suum, etiam non delinquentem, ne quando securus existens flagitiis se audacter commisceat illicitis, flagello seuero affligere non desistit:* & post pauca, *aliquando verò verbis seuerioribus fidenter corripere, vt Christi gratia in melius semper proficiatis, studemus.*

Bened. III. epist. 2.

Nicol. ep. 27.

Hadrian. II. ep. 28.

Grande negotium Hincmaro committit.

Præterea ex iis quæ consequuta sunt, intelligimus placatum fuisse Hincmaro Nicolaum. Nam eadem in ægritudine, schismaticis Græcorum litteris & obiectionibus vexatus, auxilium ab Ecclesia Gallicana, præclaris semper Episcopis abundante petiit, in hæc verba. *Sed magnopere conuenit, vt & vestra quoque fraternitas, morem secuta maiorum, concertans nobis, & vnanimiter collaborans, in talibus inueniatur.* Cui rei tam amplæ, tam gloriosæ, tam necessariæ ducem præfecit Hincmarum, vt ad Carolum Regem scribens testatur: *Cuius videlicet executionis summam fratri & Coepiscopo nostro Hincmaro commisimus.* Cùm enim epistola communiter Episcopos omnes causam edocuit, ad Hincmarum priuatim conuersus, quod notauit retulitque Flodoardus, ita loquitur. *Tua vero frater Hincmare caritas, cùm Epistolam legerit, mox vt etiam ad alios Archiepiscopos qui in Regno filij nostri Caroli gloriosi Regis consistunt, deferatur, summopere agere studeat: Ita vt eorum omnium, quæ præsentis Epistolæ circumstantia continet, tu & strenuus executor illis existas, & apud nos verax & prudens scriptorum tuorum serie relator inueniaris.* Illum hoc in negotio vel omnino videri pateretur Pontifex, si summam in eo hypocrisim, omnimodam nequitiam, detestanda facinora cognosceret? Qua autem fide atque diligentia commissum illud officium sit executus, docet & labor in libro iis de quæstionibus scribendo; & studium in aliorum scriptis rogandis, in quibus & Ratramnum vidimus; & opera in colligendis, Epistola ad Odonem Beluacensem monstrata, quæ Ratramni libris quatuor contra obiecta Græcorum, non editis, in manuscripto præponitur.

Nicol. ep. 70. ad Episc.

Idem epist. 71. ad Carol.

Flodoard. l. 3. c. 17. cit.

Hincmarus sibi ab eo plenè satisfactum esse testatur.

Et hæc quidem ex Nicolai parte reconciliationem integram testantur: quis autem de illa fuerit Hincmari sensus, ex ipso facile est discere, cùm Laudunensis Hincmari repellit audaciam, dictitantis ab auunculo Metropolitano si vocaretur in ius ad Synodum, non pariturum nisi luberet, quòd ab Apostolica sede duo eius iudicia rescissa essent, putà Rothadi, & Wlfadi. Sic enim respondet Remensis, vt omni animi perturbatione liber, Nicolai memoriam honorificentissimè prosequatur, & eius decretis demississimè assentiatur. De Rothado quidem in hunc modum. *Succinctè tibi respondeo, quia nostrum iudicium per regulas exequutum, sedes Apostolica non cassauit; sed Rothado, qui ad eam fecit confugium, humiliter poscenti, sicut suo sapientissimo consilio iudicauit, solatij benignitatem impendit. Et nostra vnanimitas, vt par est, & regulæ præcipiunt, venerabiliter ac humiliter præcellentis auctoritatis decretum Apostolicæ sedis, sine vlla cunctatione, vel resultatione suscepit, quoniam sic & Synodus statuit, & vetus consuetudo exigit.* Quod multis canonibus & exemplis rite factum confirmat, ne quis dubitet, quo semper animo erga Pontificem fuerit, etiam in ipso causæ & contentionis ardore. De Wlfado autem & clericis Remensibus, hoc primum protestatur, quod antea semper, licet alia omnia crederet Pontifex edoctus ab æmulis, suum illud iudicium non fuisse, sed Suessionensis Synodi secundæ. *Quia vnde agitur, iudex non fui, inter iudices connumeratus non extiti, in loco iudicis non sedi, iudicium inde non terminaui, cum iudicibus vel aliis consentientibus non subscripsi.* Idque manifestè constare ait ex Epistola Synodali, ex Concilio Suessionensi tertio missa, *ita per omnia sincera ad sedis Apostolicæ lectionem, meæ infirmationis, &*

Hincmar. l. 55 capit. c. 5.

In causa Rothadi.

In causa Wlfadi.

alterius confirmationis causa non venit, hoc est, nec vt electio mea infirmaretur, nec vt Ebbonis restitutio confirmaretur: *veluti ex Epistolis nobis à sede Apostolica de ea re scriptis euidenter ostenditur, sicut coram Rege, & nobis in Synodo relecta fuit.* Deinde, satis sibi esse factum litteris Nicolai declarat, quarum ex Flodoardo modò meminimus. *Quia bonæ memoriæ Nicolai Papæ litteræ, postquam inde veritatem resciuit, per meum missum directæ, mihi abundantissimè suffecerunt.* Vnde necessariò sequitur, vt graues illæ & increpatoriæ litteræ, de tumore, dolositate, crudelitate, & priùs, & tales scriptæ sint, quàm *veritatem inde resciret*; vt non propriè Nicolai, sed sycophantarum fuerint exaggerationes illis contentæ. Non solus autem Nicolaus, sed & successor Hadrianus æmulorum importunitate cognita, magno illum solatio recreauit. *Sed & de his, quæ post eandem Synodum est aduersum me actitatum, domni Hadriani Papæ per Actardum venerabilem Episcopum epistolæ missæ, adeo omnem angoris nebulam à mente mea sudario suæ magnæ beneuolentiæ absterserunt, vt placidissima voluntate sequi me libeat, quod monet Apostolus, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam: & quod item scriptum est, non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum.*

Hadrianus II. Hincmarum consolatur.

Habemus ergo reductam in animos contendentium tranquillitatem, Hincmarus Nicolao, Nicolaus & Hadrianus Hincmaro satisfecerunt *abundantissimè*, nulla relicta angoris nebula. Quod omnino fieri non potest, si omnimodæ nequitiæ, & detestandorum facinorum, crudelitatis, dolositatis, superbiæ reus fuit Remensis, quorum veniam à Sede Apostolica, velut conscius, aut conuictus nunquam postulauit: sed purgauit semper, & ab inimicorum calumniis profecta esse monstrauit. Omitto repetere, quæ eadem causæ necessitas in Apparatu historiæ à nobis dudum extorsit, de generali apologia in Concilio Trecassino, præsente Ioanne VIII. primùm declamata, deinde scripto ad totius Galliæ notitiam perlata, vbi potissimum de Sedis Apostolicæ maiestate & auctoritate contempta se purgauit. *Sed & de aliis conuitiis sibi per calumniam illatis, de quibus eum veritas excusabilem reddidit.* Itaque his omnibus ante oculos positis, quæro ex te, Lector, auditis rationibus tam validis, tam certis testibus, patentibus tabulis, tibi-ne sit etiam factum satis? An vlterius aliquid ad iudicium de Hincmari virtute, innocentia, humilitate religiosa ferendum requiras? Equidem in omni arte rhetorica nihil satis efficax video, si tibi illa fidem non faciunt. Superest igitur vt causam edicat Præses Dissertator, cur iisdem lectis, & probè perspectis, solus ex omni hominum genere conuinci nolit? cur eorum criminum quæ centies soluta sunt, nulli modò probabilium, perpetuò, ardenter, audacter, importunè Hincmarum accuset? Cur eius innocentiam radiis solaribus scriptam, apud Lectores suos per incredibilem iniustitiam obscurare conetur? Gotteschalcum autem ex aduerso de morum sanctitate, sanæ fidei professione, humilitate, caritatéque christiana laudet, & in cælum extollat, contra catholicorum omnium siue veterum, siue recentium vtrique iudicio repugnantium opinionem? Baronium contra Hincmarum ne nominet, aut si quis alius eius auctoritati confisus, secus quàm veritas habeat de Hincmaro iudicauit. Illi enim, latente adhuc optima parte scriptorum, nego perfectè cognitum fuisse Remensem, quem si quando incusat & deplorat; aliàs laudare cogitur. Tu verò *summa fidei, & non minima diligentia* Dissertator, in hac studiorum luce, in beata librorum copia, cùm huius Apologiæ partes omnes non semel legeris, qua fronte potes omnium criminum hominem, absque virtutis vllius vmbra, nisi per *simulatam humilitatem, & summam hypocrisim*, facere Hincmarum? Sperasti per odium Hincmari, & prædicatæ ab eo doctrinæ, oculis tuis ad lucem veritatis caligantibus, Lectorum mentes qui modò Latinè nossent, per oratoriam tuam prætermissionem esse excæcandas, vt non legant, quod hoc seculo tam erudito, hac contentione tam illustri, hac aduocatione tua tam noua & inusitata quotidie legunt?

Conclusio Apologiæ aduersùs Dissertatorem.

Flodoard. l. 3. hist. c. 29.

Baron. tom. 10. annal.

Meminisse ad extremum hîc necesse est, eius libri, quem à Nicolao scriptum narrauit Prudentius, quem confictum fuisse magna cum probabilitate olim monstrauimus. Et quod Hincmari de eo silentium, in suam causam traducit Dissertator, vt dicat verè scriptum, & quidem pro parte Gotteschalci: ego contrariam in partem idem silentium conuerto, vt omnino credam non fuisse scriptum, sed ab annalista confictum. Quàm enim facilè Luidoni, Arsenio, Egiloni tradidisset Nicolaus in Gallias deferendum: quàm cupidè à Gotteschalcanis fuisset exceptus, & in omnes mundi plagas emissus? Quid prohibebat, quo minùs Nicolaus hoc scripto & quæstionibus, & Gotteschalci vinculis finem afferret? Omnibus rite expensis, probabilissimum mihi est, fictam esse fabulam.

Non videtur Nicolaus scripsisse contra opinionem Hincmari.

CAPVT XV.

Gotteschalcus in carcere senescit vsque ad insaniam.



TVRBAS omnes mouebat immobilis Gotteschalcus: peragrabat animo & audacia Trecas, Valentiam, Lingonas, Lotharingiam, Cisalpinas regiones, Romam, constrictus carcere: calamo & factioni nihil erat inuium. Dum spes fuit excogitandarum fraudum, nulli manui, nulli pepercit ingenio: sed tandem exhaustis dolis, solutis machinis, reclusis mendaciis, fatiscentibus calumniis, vt antè fidei, hæresis; sic modò virtuti cedere cogitur peruicacia. Cecidit omnis conatus in Guntberto: post abortum legationis, nihil peperit carcer effœtus. Synodus Tullensis apud Tusiacum, quæstiones; Egilonis legatio è Concilio Suessionensi, machinationes abrupit. Traducti iamdiu per Concilia, scriptores, legationes, quid foris tentauerit, vidimus; quid intus agat, aut patiatur, Hincmaro intromittente spectemus. Quod enim de priuata eius vita superest narrandum, ab vno habemus Hincmaro, quem quasi collectis omnibus maledicentiæ viribus Dissertator noster hoc lo-

Extrema Gotteschalci ab Hincmaro solo referuntur.

Quem calumniatur Dissertator. c. 50.

co *blateronem & calumniatorem* vocat, *quem falli & fallere procliue sit, non modò crudelitatis, sed & horrenda inhumanitatis laxantem habenas in Gotteschalcum morti proximum, illum spiritali & corporali humanitate frustrando*, describit: vt cùm *eorum omnium fidem penes auctorem esse* dixerit, intelligamus *blateroni, calumniatori, crudeli*, nihil esse credendum. Erit ergo Lectoris iudicium, vter plus fidei mereatur, Archiepiscopus inclusi curator, quotidie per oculatos testes, & rerum administros edoctus quid in illa solitudine agatur, ex ipsis eius epistolis ea describens quæ narrat; Legato Egiloni ad Pontificem querimoniis occupatum deferenda committens; quæ si fabulosa sunt, (& facillimè deprehendentur,) maximo & dignitatis suæ, & religionis ipsius, cuius causam sustinet, damno, mentitus in re tam graui fuerit; an Præses Monetalis post octo secula historiam concinnans in laudem Gotteschalci, multa diuinans sine auctore, plura contorquens contra fidem auctorum, qui hæc omnia verbo vno purgat, & exsufflat, *Hincmarum mentiri*. Illa ergo quæ sua fide narrat Hincmarus, sua negat Dissertator, qualiacunque Lectori videri debeant, audiamus.

Gotteschalci sordes in carcere. Hincmar. epist. 24. ad Egil.

Senonensem in procinctu Romanæ legationis, de Gotteschalci vita moribúsque sic admonet. *Pro certo talia dicit, & talia facit, in quibus euidenter cognoscitur, aut dæmoniacus esse, aut maniaticus: & scis, quoniam mania esse non solet absque dæmone* Certè Mænades suas non nisi recepto Deo furere, velut temporarias energumenas, Ethnici crediderunt. Addit loci in quo degit opportunitatem, & victus subministrati rationem, quæ nos alibi. *Lauacra illi non denegantur: sed postquam in eandem mansionem intrauit, non solùm corpus lauare noluit, verùm nec manus, nec faciem. Antea enim, sicut illi testantur, inter quos conuersatus erat, turpissimus, & adhuc quantùm potest, in sua turpitudine manet.* Hæc pauca vniuersè de hominis ingenio Pontifici narranda proponit Remensis, sapienter arbitratus, nec abeuntem Legatum, nec Pontificem occupatum, pluribus nænijs, quæ causam non promouerent, detinendum. Sufficit quoque locus iste ad euentilandam Dissertatoris calumniam, de *horrenda inhumanitate* Hincmari, Gotteschalcum *corporali humanitate frustrando*. Id enim *veraciter* Pontifici cupit responderi. *Quicquid fratres in cibo & potu habent, hoc ei quotidie sine vlla negligentia ministratur: vestimenta illi ad sufficientiam offeruntur, si vult ille accipere: ligna ad focum faciendum illi sufficienter dantur.* Quid autem sibi volunt hypotheses illæ, *si vult accipere; sufficienter dantur*, scilicet, si & vult vti ad focum? Audi Lector, & insanum miserare.

Ridicula visio Gotteschalci.

Scripsit quoque ad Deum loquens: his enim cum Deo colloquiis fruitur, velut ad exemplum Augustini, dedignatus totam Ecclesiam, vt ait Rabanus, *quasi aliquid spurcum, & sordidum, & indignum sua adlocutione*, ipse spurcissimus, & sordes meracissimæ. *Et dicens ei, quod ipse illi præceperit, vt pro me non oraret*: hæc est videlicet christiana Gotteschalci caritas, pendentem in cruce Christum, & Stephanum saxis obrutum strenuè imitata. *Et quia primùm Filius in eum intrauerit, postea Pater, deinde Spiritus sanctus: qui in illum intrans ei circa os barbam adussit.* Phantastici huius delirij ordinem quærere, & effectum adustæ barbæ, fuerit turpius phrenetico delirare. Tales quippe visiones reclusum decent, quem Dissertatoris diuinationes sanctum fecerunt. *Et quia nollet vestimenta de vestiario fratrum mihi communicantium accipere, nisi pretio compararet, qui pretium non habebat: sed sic vellet ire, sicut Adam ibat antequam peccaret.* Quis hanc Monachi mundo mortui ἀπάθειαν non miretur? Sed nimirum Adami peccantis soboles erat, in Remensi, non in Damasceno agro constitutus. *Mox autem vt cœpit eum frigus constringere, cum vestimentis etiam pelliciam, & focum studuit quærere.* Accedit ad cerebrosam visionem non absimilis prophetia, ridicula & vana, quam refert Hincmarus.

Hincmar. l. de Vna Trina Deit. sect. 18.

Falsa eiusdem prophetia.

Ante hos siquidem annos, reuelatum sibi quibusdam familiaribus suis scripsit, quod ego statim post tres semis annos sua reuelationis, sicut Antichristus vsurpans sibi potestatis potentiam, mori, & ipse Remorum Episcopus fieri, & post septennium veneno interfici, & sic gloriæ martyrum adæquari deberet. Quid hac ambitione stolidius? Quis sanus vnquam crediderit eò res Ecclesiæ casuras, vt Remorum Metropolis miserabili monacho committeretur? vt peruicax hæreticus, & contumax schismaticus martyrium faceret? Quale autem martyrium? cur à toxico, ac non potiùs ab igne, præuio barbæ adustæ omine? Gerræ germanæ. *Et cùm prophetiam à spiritu suo* (planè, non diuino,) *inspiratam impleri non vidit, inter alia hæc cuidam sectatori suo iuuenculo, quales solebat diligere, scripsit.* Pepercit operæ Hincmarus quod totam Epistolam non descripsit, in qua si postremis prima consenserunt; micam sanæ mentis non deprehendissemus. Sic enim desinebat: *Sed iam tempus est fratrem deseri absentem, & quid ad eum loquar, antequam scripta mea videat, penitus nescientem.* Rem videlicet nouam & inter homines inusitatam! Sed quomodo deseritur absens? Quid facit ad eam desertionem scripti ignorantia? *Et fundi preces ad Deum semper vbique præsentem, & sicut gratuitum donatorem cuncta sempiternaliter scientem.* Hæc tam verè dicuntur de Deo, quàm ineptè à Gotteschalco. Immensitatem enim diuinam quis ignorat? de æterna præscientia quis dubitat? Sed ea scientia quid ad gratuitam donationem conducit? Non potest homo sine præscientia gratuitus esse donator? An Deus omnia donat gratuita, quæ præscit vtilia fore? Quid autem dicemus, quòd iuuenculum fratrem, ante Deum alloquitur, qui in Confessione *suam locutionem ad solum Deum in cælis præsidentem conuertit, indignum sua allocutione indicans quicquid in terra est?* Audiamus verò Solitarij delirantis, & hæreses suas ad extremum fouentis, orationem.

Raban. epist. 1. ad Hincmar.

Insana oratio.

Domine Deus noster, & magister Iesu Christe, pro solis electis crucifixe (audis Lector? pro solis fidelibus, aliqui catholicorum tunc dicebant) *qui vides quòd ecce inimici tui sonuerunt, & qui oderunt te, extulerunt caput*, (quos in Confessione *hæreticos, incredulos, atque mendaces* appellat) *quia non est post triennium dimidio terminato anno mortuus*, (quod de Anti-

Hincmar. ibid. sect. 19.

christo prædicitur in Apocalypsi) *ceu putabatur,* (ô prophetiam!) *fur & latro,* (Hincmarus) *breuiter quidem, sed pronus te exoro, huic vobis Domino Deo nostro vero ac viuo, vni simul ac trino,* (sic alloquitur Trinitatem) *sicut placet, ita facias citò. Nolo plus, nec prius, nec secus. Quando vis euellatur hinc rite, vita sat, mœchus, & cæcus, procax, pertinax, pernicax, hæreticus, veritatis inimicus, falsitatis amicus.* Insanum ridet Hincmarus, qui diuinatione sua elusus, à Deo mortem ipsius postulat, quando lubebit; sic profectò euenturam, licet id nunquam roget Gotteschalcus. Omissis autem infamibus contumeliis, quas generosa despicientia ne refellere quidem dignatur, hoc vnum obseruat, non posse esse Christi, Ecclesiæ, Augustini discipulum, qui malè proximo velit, & pro aduersario nolit orare. Sic autem locum hunc inchoat. *Idem quippe Gotteschalcus solet frequentissimè dicere, vt sæpe commemorauimus, loquens de beato Augustino, Augustinus noster. Sed & hic non est suus Augustinus, quia non taliter docuit orare pro inimicis, sicut orat Gotteschalcus, qui non est Augustini.* Quod si à precibus, quæ nobis ignotæ sunt, transferimus ad libros, quibus Galliam à paucis annis implent Nouantes æmuli Gotteschalci, qui se Augustini discipulos gloriosulè appellitant; velut sibi dictum accipient, quia non taliter docuit respondere aduersariis, sicut respondent Ianseniani proceres, per contumelias centies repetitas, professum odium, & infinitum contemptum, qui sunt nobiles Gotteschalcani spiritus characteres. *Sed & hic non est eorum Augustinus.*

Insania Gotteschalci omnibus nota.

Scripsit & alia multa ridicula, quæ apud fautores suos, quibus ea seruanda fraudulenter donauit, inuenimus; quæ non solùm nobis, verùm & ipsis complicibus suis visa sunt friuola, & idcirco, vt reuera deliramenta maniatici, & aniles fabulas, hìc inserere superfluum duximus. Furebat inter sanos, & inter sobrios bacchabatur Gotteschalcus, catholicorum nausea, suorum pudor, omnibus miserandus, neque nænias suas aliis canebat, quàm iuuenculis, aut stolidis. Quo enim vultu excepturos putas hæc deliria Ratramnum, aut Prudentium, si ad eos scriberentur? Neque amicorum vllus vnciam ellebori ad eius caput curandum obtulit, quòd eum contemnerent modestiores, imitari nollent si qui superfuere Guntberti. Hæc porro Epistolarum fragmenta, & ineptias publicauit Hincmarus, contentioso libro, quem in omnium manus venire cuperet, æmulis suis circumseptus, à Gotteschalci fautoribus, tanquam vesparum & crabronum examine, punctus & exagitatus: qui si quid recluso affingeret, si dempta vel addita leui circumstantia veritatem corrumperet, si syllaba & litterula vna peccaret, centum oculis, manibus, stilis conuictus, explosus, confixus fuisset. Hæc, inquam, ante omnium ora posuit, à nemine falsi postulatus, eóque silentio pro locupletissimo teste admissus ab omnibus qui seculo illo, & consequentibus septem vixerunt. Donec hoc tandem nostro ex omni hominum natione quæ sub cælo est, reperiretur vnus, qui nihil hæsitans, nihil dubitans asseuerantissimè doceret.

Eum defendit Dis- *sertator c. 50.*

Hæc omnia in solis Hincmari scriptis prolata, ex innata eius in Gotteschalcum nequitia, eiusque mentiendi libidine, & fallendi procliuitate per se ruere, & euanescere. Mirum sanè tam breuem & expeditam tuendi Gotteschalci methodum, nemini homini per ea tempora venisse in mentem; aut si venit, neminem ausum vsurpare, explodi & exsibilari metuentem; aut si quis vsurpauit, nullius præsidio fuisse adiutum, sed vulgò reiectum ab omnibus, adeóque turpem aduocationé illam visam fuisse sapientibus, vt eam nemo scriptorum sit ausus vel in angulum libri conicere, posteris memorandam. Qua igitur fronte, qua seculi eruditi despicientia, qua spe reperiundæ apud non insanos fidei, tot deinde seculis à Monetario Theologo producitur in lucem? Pugnat tamen rationibus, & sperat euincere, cæcos illos extitisse qui hæc argumenta non viderint; nos oculis carere, quibus non appareant; tam manifesta quidem, vt aduersùs Hincmarum exclamare non vereatur, *ecquis erit innocens, si calumniari sufficiat?*

Prima & potissima ratio, non semel, nec breuiter producta, hæc est. Quòd harum ineptiarum nihil aut Nicolao Papæ immediatè, aut Egiloni, narrandum Nicolao exposuerit. Huic iam satisfactum, ad negotiosos homines nænias non deferri, damnationem & reclusionem Gotteschalci non spectantes, de qua sola quærebat Nicolaus. Verbo dixit, ea facere & loqui, quæ dæmoniacum probarent. Secunda ratio. Idem de Rothado dictum ab Hincmaro, & ei multa scelera obiecta, quæ vera non credidit Nicolaus, & vt venerabilé sanctissimúmque virum absoluit: ergo & in simili de Gotteschalco mentitus est. Ego causam Rothadi non retracto, fuerit ille sanctissimus, sit in eum mentitus Hincmarus: quantùm abest ab eo Gotteschalcus? In vno non potuit decipi Remensis, de alio vera narrare? Ideó-ne Gotteschalcus innocens est, quia Rothadus absolutus? At hæreses Gotteschalci sæpe numerauit Hincmarus, maniam & insaniam visionum, prædictionum, odij fraterni, contumaciæ, ex ipsius ad familiares epistolis probauit; at Nicolaus pro Gotteschalco nihil decreuit: & eum tu cum Rothado comparas? Tertia ratio. Hæc scribere ad amicos, cum familiaribus colloqui, vestes & focum, vt animo collibitum fuit, sumere de vestiario fratrum non potuit, arctissima custodia sub Hincmari satellitibus in ergastulo reclusus. Ergo incredibilia narrat Hincmarus. Respondeo, arctissimam illam custodiam, & Hincmarianum satellitium in chartis tuis esse, non in historia, neque apud Altumuillare. Quod probant & plurima scripta inclusi, quæ inficiari non potes, & Guntberto inflictæ sæpius pœnæ ob communicationem cum excommunicato; & litterarum commercium, atque reclamatio ad Pontificem commissa, cum illustri legatione per furtum & fugam inchoata, nunquam perfecta. Sed finge quàm voles seueram, mille circumspectatores cum oculis emissitiis frequenter elusit ingeniosorum vinctorum industria. Scis ipse Præses optime, & quotidie tuis se oculis obiiciunt turres nullis litteris & negotiationibus imperuiæ, ad quas solas aues volando posse pertingere iuraueris.

Refellitur.

2. Argumentum.

Responsio.

3. Argumentum.

Responsio.

Quarta eáque postrema ratio, mirifico sanè artificio telum retorquet in auctorem, hoc impetu. Talis amentia & insania in Gotteschalcum virum sapientissimum, imprecationes illæ, &

Calumnia in Hincmarum.

prophetiæ à Christiana caritate, à pietate, ab Augustini mansuetudine tantopere abhorrentes, in studiosissimum Augustini discipulum, in tolerantissimum virgarum & flagellorum Monachum, in hominem verè humili & Christiana caritate prædirum, vt prolixior Confessio declarat, hæc inquam delira & insana in talem virum cadere nullo modo possunt. Ergo *insaniam, & amentiam obiicientis potiùs, quam eius cui obiiciuntur euincunt.* Quid ais Lector? Sapiens est Gotteschalcus, qui verè scripsit insana; insanus & amens Hincmarus, qui ea scripta publicauit? *Ex quibus* (visionibus, vaticinationibus, imprecationibus relatis) *patet quanta insania miserabilem illum Monachum insecutus sit* (Hincmarus), *vt non animaduerterit tam absurda, & anilium fabularum deliramenta illi impingendo, vel credidisse,* (quòd autographa oculis suis legeret) *vel aliis credenda, quæ ipse non credat, proposuisse.* (tanta cum auctoritate atque euidentia, vt de rei veritate nemo dubitauerit) *& scriptis suis de Trinitate inseruisse* (vt adiunctam hæresi amentiam ostenderet) *summæ fatuitatis & amentiæ validissimum esse argumentum.* Quo si nullum habes validius, Hincmarum absoluisti. Nam qua in Logica hæc argumentandi methodus traditur? Christianæ caritati, & Augustini virtuti repugnat odium fraternum; igitur illo non est tinctus Gotteschalcus. Quantò iustiùs Hincmarus dixerit; fratris, superioris & Metropolitani sui mortem optat, quem indignis conuiciis lacerat, vt ex eius litteris manifestè probatur; ergo se Augustini, cui fraterna caritas semper maximopere placuit, falsò discipulum profitetur. Quis dialecticum toleret sic agentem? Hincmarus Gotteschalco insaniam obiicit, ergo ipse *summè fatuus & amens* est. Et hoc *validissimum* vocas *argumentum*; cuius nimirum virtute ac potentia, ab hominum omnium quotquot antè scripserunt sensu, tanquam violenter abstractus, cogeris solus & primus, innocentem & sapientem Gotteschalcum pronunciare, Hincmarum autem *blateronem, calumniatorem, amentem & insanum,* qui in scripta de Trinitate retulerit, quod ipsius Gotteschalci manu scriptum viderat. Transfer Logicam hanc ad Nouatores: Lutheri & Caluini hæreses ex eorum libris excerptas referunt controuersiarum scriptores: ergo isti potiùs hæretici sunt, quàm illi quibus obiiciuntur. O subtilitatem! ô *validissimum argumentum!*

Quandiu Gotteschalcus in carcere vixerit.

Contestata igitur est insania Gotteschalci, quæ quandiu durauerit, quis asserat præcisè? Certè si verè dixerunt Stoici, omnes stultos insanire, hominem duobus Conciliis damnatum, luculentis verberibus pulsatũ, clausum custodia, nihilominus contra Rabanum & Hincmarum Archiepiscopos scribentem, turbas in Ecclesia cientem, iudicio Dei suos errores confirmare spondentem, post decem circiter & octo annos ergastuli ad Romanum Pontificem appellantem, anilia visionum & prophetiarum deliramenta scribentem, in hæresi & excommunicatione pertinaciter hærentem, quando fuisse dicemus absque insania? Carceralis custodiæ certum est initium, post Carisiacam Synodum priorem, anno eius seculi 49. Finis incertus, nisi quòd idem qui vitæ. Incidit conatus vltimus Gotteschalci per Guntbertum, cum Egilonis legatione, vt priùs dicta declarant, in annum eiusdem seculi 66. Ex illo nihil ampliùs de Gotteschalco, præter mortem, libro de non Trina Deitate, appendicis vice appositam, absque temporis nota. Vsserius Armachanus sub Hadriano II. Nicolai successore vixisse adhuc Gotteschalcum, quo tempore contra nepotem scribebat auunculus Hincmarus, ex libro Capitum LV. probare contendit, in quo Gotteschalci meminit scripturæ verba truncantis, & sensum malè torquentis; ideóque sibi ab Episcopis ad custodiendum traditi. Liber autem ille anno seculi 70. scriptus ostendit, *viginti saltem & vnius annorum* fuisse carcerem miserabilis monachi; *de qua immoderata seueritate, iamdudum conquestus fuerat Remigius cum Lugdunensibus suis.* Verùm locus ille ex Remensi allatus, nulla necessitate nos cogit credere, mentionem fieri Gotteschalci, tanquam adhuc viuentis. Quin potiùs tunc mortuum notant illa verba, *de his quæ Gotteschalcus eos docuerat; Quod de sanctis scripturis Gotteschalcus agebat.* Dissertator ergo noster, omni pagina questus de immoderata seueritate, deserto deinde magistro, mauult ex probabilibus coniecturis, eius vitam & custodiam anno 68. terminare, vt ad annos viginti in carcere non peruenerit. Cui, quòd certius nihil occurrat, libens assentior, licet falsa coniectura vltra Nicolai Pontificis tempus progrediatur. Quia, inquit, *dum adhuc superstes esset eius castigator Nicolaus, non ausus fuisset Hincmarus tanta inhumanitate & irreligiositate in eum morientem sæuire.* Hæc enim est suprema calumnia, ad quam discutiendam peruentum est.

Vsserius l. hist. Gotesch. c. 14.

Hincmar. l. cap. 55. c. 55.

CAPVT XVI.

Gotteschalcum in extremis positum Hincmarus ad pœnitentiam frustra inuitat.



VOX Dissertatoris est, Nicolao Papa terris erepto, Hincmarum *non modo crudelitatis, sed & horrendæ inhumanitatis laxasse habenas in Gotteschalcum morti proximum, illum spiritali & corporali humanitate frustrando.* Diceres immanitatis torrentem seueri censoris metu diu compressum, ruptis demum obicibus exundare, & per obuia quæque longè latéque stragem spargere. Atque ad extremum iracundiæ suæ in eundem Hincmarum velificatus pro Gotteschalco, concludit, *omni spiritali & corporali humanitate morientem priuare, non nisi inaudito irreligiositatis, & crudelitatis exemplo, vt insanum & nouum Pharaonem potuisse.* Dicturus paulò post in Epilogo, ista se *summa fide, nec minima diligentia retulisse.* Hanc orationem, quæ quo nomine appellanda sit, nescio, cum duobus istis capitibus, quibus morientem Gotteschalcum prosequimur, Lectori etiam non beneuolo comparandam offerimus; qui vt spero ad eius iniquitatem iudicij nobiscum stupebit, maximè cùm cogitabit ex iisdem nos locis innocentiam Hincmari probare, ex quibus

Ad reuincendam Dissertatoris calumniam status quæstionis ponitur.

Dissertat. c. 30.

Hincmar. l. de non Trina Deit. & Epist. 28. Flodoard. l. 3. hist. c. 28.

infamis calumnia educta est. Duos video, non plures, fontem apud Hincmarum, riuum in Flodoardo. Ille, vt solet, non semel de negotiis suis eadem dicere, & exeunte libro de non Trina Deitate, & in epistola ad Monachos Altiuillarenses, narrat quid erga morientem Gotteschalcum fieri velit. Hic more suo illius Epistolæ argumentum in breuem summam colligit, eóque facto & illius scripti veritatem asserit, & eius hypothesin à se probari significat. Dissertator priore loco Hincmariano contẽtus, qui sanè sufficit ad historiam, Flodoardum prætermittit: quo consilio? non obscurè parebit. Is ergo ex Hincmari narratione promittit probaturum se, Gotteschalcum ab eo omni spiritali & corporali humanitate, per horrendam inhumanitatem in morte priuatum fuisse: ego ex aduerso ex eadem Hincmari narratione, & Flodoardi collectione monstrare spondeo, morienti Gotteschalco spiritalem omnem & corporalem humanitatem Hincmari iussu, per summam eius humanitatem & caritatem fuisse oblatam. Vide Lector, & iudica.

Gotteschalcus sæpe monitus resipiscere.

Gotteschalcum clausum carcere, ad pœnitentiam sæpius per se se, pérque alios inuisit Hincmarus: per litteras quoque ad sanam mentem reuocare conatus est: frustra omnia. Id ipse narrat eo quem versamus loco. *Per me ac per fratres meos, sed & per frequentia scripta, vt resipisceret, & à suis in Deum blasphemiis sensum & os suum reuocaret, sæpe commonui: sed apud eum nihil profeci.* Hoc ipsum à se peractum Prudentio Trecassino significat, apud Flodoardum, loco per Dissertatorem citato, scribens inter cetera, *quia multis modis eum conuerti tentauerit.* Idem præstitit Amolo, verè Lugdunensis, aurea Epistola, quam suauiter pro sua complectitur Dissertator. *Quapropter multum fraternitatem tuam exhortor & moneo, & paterna pietate, ac fraterna caritate persuadeo, vt reuertaris in temetipsum, conuertaris ad cor tuum, & excutias procul à te istum errorem vanum, & laborem infructuosum, ac perniciosum: restituásque te sanctæ matri Ecclesiæ; restituas te obedientiæ Domini sacerdotum, & patrum tuorum; restituas te fraternæ omnium caritati.* Non vnius videlicet Hincmari, sed omnium Episcoporum à quibus damnatus & excommunicatus est, & eorum qui à tanto tempore illis se adiũxerunt, & eius damnationem & reclusionem ratam habuerunt, de qua in tot támque frequentibus Conciliis actum nunquam est, ne in Metensi quidem prostibulo. Quia verò medicinalis fuit illa custodia, non alia lege à Carisiacensibus Patribus decreta, & ab Hincmaro suscepta, quàm vt laxaretur, si rediret ad cor præuaricator, hoc se semper aduersùs eum animo fuisse testatur Hincmarus, scribens ad Nicolaum, de illa reclusione interrogantem. *Qui, vt Leo Papa de Eutyche dicit, cum videret insipientia sua sensum catholicis auribus displicere, reuocare se à sua opinione debuerat, nec ita Ecclesiæ Præsules commouere, vt damnationis sententiam mereretur excipere: quam vtiq; si in suo sensu voluerit permanere, nullus poterit relaxare. A qua damnatione si voluisset ad sensum catholicum resipiscere, paratus semper fui & sum, quoniam sic venerabiles indicauerunt Episcopi, eum in catholica Ecclesia communionẽ recipere, sicut ei iubeo quæ sunt corpori necessaria exhibere.*

Flodoard. l. 3. hist. c. 20.

Amolo Epist. ad Gottesch.

Hincmar. epist. 17. ad Nicol.

Libellum satisfactionis mittit Hincmarus cui subscribat.

Itaque qui sanum ac valentem nulla vnquam spiritali & corporali humanitate priuauit, an credendus est sub exitum, perpetuæ suæ caritatis oblitus esse, quæ quò propius, grauiusque periculum est, eò solicitiùs atque ardentiùs in salutem procurandam debet incumbere? Fac sola ambitione ductum, eius conuersionem, tanquam aliquod victoriæ trophæum, & gloriæ suæ auctarium expetiisse: putás-ne laxatis horrendæ inhumanitatis habenis, omni spiritali & corporali humanitate frustrari debuisse? hæc erat ad demerendum morientem via? Num potiùs omnia benignitatis officia in animam corpúsque clinici plenis manibus effundenda fuerunt, quibus tandem plurimorum peruicaciam scimus edomitam? Quid autem fecit accepto ægritudinis supremæ nuntio? *Tandem cùm mihi nunciatum fuit à fratribus nostris* (Altiuillarensibus Monachis) *quibus de eo solicitudinem delegaui, quia morti appropinquabat, misi ei per eosdem fratres hanc quæ sequitur, scedulam:* Qua iubet de quæstionibus disputatis quatuor, de Prædestinatione, libero arbitrio, voluntate Dei omnes homines saluandi, Christo pro omnibus passo, id profiteri, quod Augustinus, & Prosper, ceterique catholici doctores dicunt, *Quia*, inquit, *sedes Apostolica, & sancta catholica Ecclesia, & nos sic credimus, & tenemus.* Addit & de sanctissima Trinitate quid credere debeat, quia Trinam Deitatem malè explicuit: concluditque: *Et si ita credideris in corde tuo, & ita professus fueris in ore tuo, & ita subscripseris coram testibus manu tua, te credere, & profiteri, & in hac credulitate, & professione permanere; iudicio sancti Spiritus per Episcopale ministerium, quo damnatus es, absolui poteris, & participationi corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, & communioni catholicæ Ecclesiæ restitueris.* Hæc est spiritalis humanitas, vt maximè omnium necessaria, ita prima potissimùm exhibita. In quæ hæc obseruo.

Hincmar. l. de non Trina Deit.

Cur id factum, & quàm moderatè.

Nihil magis pro tempore optandum fuisse hactenus miserabili Monacho, quàm vt Corporis dominici munitus viatico, & Ecclesiæ precibus meritísque prosequentibus, ad Dei iudicium, aliud quàm quod ambitiosè postulauerat, migraret. Id autem omnino non poterat consequi damnatus hæreticus, & excommunicatus, nisi professa per libellum retractationis pœnitentia, & errorum præteritorum reuocatione: nunquam enim aliter reuertentes hæreticos suscepit Ecclesia: notáque vox est Basilij Ancyrani in septima Synodo generali dicentis: *Resipiscentes ab hæresi anathematizare scripto hæresim, est traditum ab Apostolis, & ceteris sanctis Patribus, & Conciliis vniuersalibus, & Prouincialibus.* Qui & id à lapsis exigens ibidem exclamat, *Quod si dicunt se resipuisse, doceant per scripturam suam resipiscentiam, & execrationem fidei quam Constantinopoli susceperunt.* Hoc à Catharis, siue Nouatianis exegit Concilium Nicænũ, vt *scripto confiteantur, quod sentient & sequentur catholica & Apostolica Ecclesiæ dogmata.* Leo Papa ab Eutyche, *vt per libellarem satisfactionem proprium damnet errorem.* Ab Ierosolymitanis Hormisda, *vt si Apostolicæ communionis se dederint vnitati, professionem suam scripto indicent, eodem tenore conscriptam: quæ ad nos modis omnibus, seu sub*

Concil. VII. act. 1.

Concil. Nicæn. c. 8.

Leo ep. 13.

Hormisd. epist. 6.

nostra ordinatione dirigatur. Ab aliis alij, & aliæ Synodi. Estque expressum Gangrensis consilium in Præfatione: *Quòd si per pœnitentiam condemnauerint omnia hæc quæ malè senserunt, tanquam à se non bene prolata, acceptabiles fiant; atque ideo singula quæ debeant condemnare Synodus credidit exponenda.* Ad eam formam, veterum Canonum obseruantissimus Hincmarus, libellum retractationis offert Gotteschalco subscribendum, propositionibus nominatis, ob quas duobus Conciliis damnatus fuit. Quas tamen illa moderatione temperauit, veritus ne contumacem animum potiùs obduraret apertiori explicatione, vt hæresi contrariæ anathema dici non iusserit, sed ad Augustini doctrinam eum remiserit, qui Augustinum suum esse iactaret. Potuit-ne leuius quicquam exigere ab eo qui Augustinum in ore perpetuò haberet, quàm vt Augustini doctrinæ subscriberet? Potuit-ne signo certiore, & meliore compendio tot disputationes terminare, causæ suæ præstantiam, Gotteschalci vanissimam superbiam patefacere, quàm cùm dixit, sicut Augustinus in his libris, & ex illis post ipsum docet Prosper, hoc credo, teneo, subscribo. Tu quoque Gotteschalce idem manu tua subscribe, credere te & profiteri: & conuenimus. Si verè Augustini discipulum se dicit Gotteschalcus, cur magistro subscribere recusat? si falsò, & inani iactantia, cur hoc prædicat? cur talis esse creditur à Dissertatore, eiúsque sodalibus? Nunquam iudicio meo clariùs efficaciúsque argumentatus est Remensis, & eo facto prouidit in futurum, quasi præscius multos Augustini discipulos nomine aliquando fore, qui nihil minùs quàm reipsa tales essent.

Concil. Gangr. in Præfat.

Mirum autem non est solicitudinem hanc Gotteschalco fuisse adhibitam, ab eo cui maximè curæ semper fuit, morituris excommunicatis de remedio legitimo prouidere. Sic enim apud Flodoardum, Presbytero cuidam iubet, *vt commendet aliis Presbyteris, quatinus magnam solicitudinem de illis accipiant, quatinus scilicet, si quilibet eorum infirmitate præuentus fuerit, de qua se putet euadere non posse, si promiserit quia de peccato suo ex corde pœniteat, & per dignos pœnitentiæ fructus illud se coram testibus emendare, ac Episcopi iussioni obedire profiteatur, absolutus existat.* Et paulò post eadem in historia quendam superinductum Presbyterum excommunicat, *ne in omni Remensi Parochia missam celebrare præsumat, neque communionem Ecclesiasticam accipiat, nisi forte munus viaticum, grauis ægritudinis causa: & hoc ita, vt mox, si conualuerit, de parochia ista recedat.* Quàm multis autem nepotem Laudunensem coarguit, quòd pœnitentiam & viaticum quibusdam morientibus dari vetaret? Cuius Capituli hoc est initium. *In eo verò Capitulo quo vltimam pœnitentiam denegari, & viatico munere subueniri, contra Nicænos & Africanos canones, & decreta Siricij, & Innocentij, atque Cælestini, necnon & Leonis vetuisti, sicut Innocentius, & cæteri doctores catholici ostendunt, Nouati hæretici, licet diuerso itinere, sed non diuerso discrimine sequipes extitisti.* Quæ omnia dubitare nos prohibent, quin spiritalis illa humanitas morienti Gotteschalco sit oblata, quam pœnitenti nemini denegandam, docent tot canones Ecclesiastici, quos doluit à quoquam violatos, eiúsque ipse criminis obiectionem à nemine vnquam pertulit.

Hincmarus solicitè curat absolutionem morientium. Flodoard. l. 3. hist. c. 28.

Ibidem.

Hincmar. l. 55. cap. [illegible]

§. VNICVS.

Monachos Altiuillarenses admonet, quibus morientem officiis prosequantur.

PERGIT verò solicitudinem suam narrare Remensis, & post missam scedulam quid egerit. *Post discessum denique à me ipsorum fratrum, recogitans duritiam illius, & cor impœnitens, misi fratribus nostris in monasterio Altiuillaris, in quo degebat, hanc quæ sequitur paginam; vt si respiciente Domino à sua peruersa intelligentia, & praua sententia se reuocaret, agerent de illo sicut eis, verbis iam dixeram. Sin autem, scirent, qualiter erga eum secundùm regulas sacras gerere deberent.* Duplici nomine secundam facio hanc instructionem. Nam si personæ spectantur, priùs de salute sua conueniri Gotteschalcum oportuit, tum doceri Monachos eius custodes quid erga illum seruandum esset. Istud factum duobus modis: primùm verbo tenus, breuiter, & in solam misericordiæ partem, cùm Episcopus caritate omnia sperante, curam suam & scedulam, tali rerum statu ac tempore, irritam fore non crederet. Deinde verò, reuocata in memoriam hominis obstinatione, vt qui hactenus litteris ab Hincmaro scriptis, & definitionibus *subscribere pertinacissimè recusasset*, eum conuiciis apud amicos proscidisset, celerem eius mortem à Deo postulasset, præsagiens Archiepiscopus id quod euenit, scripto Monachis tradere decreuit fusius aliquid, & prolatis Patrum decretis securius, idque in vtranque partem, siue resipisceret, quod cupiebat; siue perseueraret in hæresi & pertinacia, quod metuebat. Hoc est consilium eius Epistolæ ad Monachos Gotteschalci curatores, quam libro de non Trina Deitate describit integram: atque iterum inter Epistolas relata legitur, cum titulo, ex Flodoardo ex parte desumpto. Sic autem de ea Flodoardus. *Scripsit quoque idem domnus Hincmarus ad Monachos Altiuillarensis cœnobij, pro eodem Gotteschalco, vt si se recognosceret, antequam anima illius egrederetur è corpore, & spiritalem & corporalem humanitatem exhiberent illi, ostendens auctoritatem Ecclesiasticam, ex verbis orthodoxorum super huiusmodi excommunicatis.* Iam non quæro cur huius argumenti recitatione Dissertator abstinuerit? Nam qui Gotteschalcum negat excommunicatum fuisse, *huiusmodi excommunicatos* refugit exhibere; qui *per horrendam inhumanitatem omni spiritali & corporali humanitate priuatum* in morte fuisse contendit, legi sua in charta erubuit, imperatum ab Hincmaro, ex Flodoardi relatione, vt ei *spiritalem & corporalem humanitatem exhiberent.* Cur autem non ex Flodoardo, cùm ex Hincmaro ipso suam condemnationem recitet in hæc verba, quæ principium Epistolæ faciunt. *Dixi vobis qua conditione, si se Gotteschalcus, antequam anima illius egrediatur de corpore, recognouerit, & spiritalem, & corporalem humanitatem illi exhibeatis.* Quibus lectis qui deinde certò, & sæpe affirmet, omni spiritali & corporali humanitate

Hincmarus Monachos instruit, quid erga Gotteschalcum sit agendum.

Flodoard. l. 3. hist. c. 28.

tate priuatum esse ab Hincmaro Gotteschalcum, nescio quid vlla in re fidei à nobis possit exigere. Notandum verò, benignæ tantùm partis meminisse Flodoardum, quia in illam vnam ardentissimè ferebatur Hincmarus, & alteram quæ seueritatis est ac iustitiæ, obscuriùs tanquam inuitus, indicat magis quàm explicat: Dei more & exemplo, apud quem misericordia semper superexaltat iudicium.

Qualis mortui debeat esse sepultura.

Humanitatis porrò illius partem iam spectauimus, in absolutione ab excommunicatione, & viatico positam, quæ perfecta est reconciliatio: sequitur altera post obitum & animæ & corpori exhibenda. *Et si in hac confessione ac communione obierit, sicut ceteris fratribus, ita & illi communem sepulturam, ac sepeliendi efficium, & orationem post obitum exhibete.* Quid si moritur obstinatus? *Sicut ex auctoritate beati Gregory, & sacrorum canonum accepimus, cum psalmis & hymnis ad sepulturam deportari, vel in communi fratrum sepultura sepeliri non debet: priuatæ autem sepulturæ humanitas, sicut dixi vobis, ei non est deneganda.* Nam postea nepotem Laudunensem grauiter arguit, quòd sepulturam mortuis (putà in excommunicatione) denegari iussisset, *nimia inhumanitate*, inquit, *contra sacras historias, sacrósque canones agere non erubuisti.* historias vbi libauit, canones ita recenset, *Et antiquorum Patrum regula, etiam eorum corpora, qui sibi quolibet modo mortem intulerint, vel qui pro suis sceleribus puniuntur, ad sepulturam, licet sine hymnis & psalmis, deferri præcipiunt, & non sepultura in ventre matris omnium, id est terra, carere etiam talium cadauera præceperunt.* Ita ne ciuili quidem humanitate inimicum sibi infestissimum, damnatum ab Ecclesia, turpissimè morientem, priuari vult Hincmarus, qui horrendæ inhumanitatis in ea priuatione accusatur. Sentio tamen quid velit Dissertator ex sectæ suæ dogmate. Omnem spiritalem & corporalem humanitatem prolixè ab Hincmaro sibi oblatam obstinata voluntate repudiauit Gotteschalcus, & reipsa expertus non est. Ita defuisse Gotteschalco iudicatur Hincmarus, non Gotteschalcus sibi. Quemadmodum Deus homini proxime periculum peccandi constituto, gratiam offert quæ tentationi superandæ, & vitando peccato sufficiat: ea per arbitrium voluntatis reiecta, peccat infelix. Negat secta, donatam à Deo gratiam, quia vti homo noluit, & prauæ voluntatis culpam ab homine transfert in Deum. Quàm verè? Paret in exemplo, dum omni spiritali & corporali humanitate per horrendam inhumanitatem & obstinationem se ipse priuauit Gotteschalcus, oblatam per Episcopum contemnendo. Istud nemo qui se hominem videri velit, non imputet Gotteschalco: Hincmarum autem omni culpa carere non iudicet; imò liberaliter officio functum, non omni laude dignum fateatur.

Hincmar. l. 55. cap. c. 55.

Etiam criminosis sepultura concessa.



CAPVT XVII.

Extrema Gotteschalci dementia, mors impœnitens.

Horrenda mors Gotteschalci.

ORRET animus ac refugit exitum tangere, ad quem dudum aspirat oratio: quippe qui tetriorem omni tempestate stationem auguratur ex obstinatione, superbia, odio fraterno, ceterísque vitiis, quæ nullus hæresiarcha toto vitæ curriculo conseruata, in fine deposuit. E custodia corporis ad horrendum Christi tribunal euocatur animus hæreseon reparator, Ecclesiæ turbo, idolum peruicaciæ, fomes inuidiæ; & vbi iustus vix saluabitur, impius & peccator parere cogitur. Non hîc Romana reclamatio est, non Guntbertus intercessor, non Lugdunenses patroni, aut consiliarius Ratramnus, non iudicium Dei ad pompam & ostentationem expetitum, ex doliis oleo & pice ardentibus; sed iudicij finis *stagnum ignis & sulphuris, vbi & bestia, & pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum.* Ad illud iudicium quomodo transierit, docet vitæ series, & ordo historiæ.

Recusat pœnitentiam agere,

Missam enim ab Archiepiscopo scedulam, quam si vel propriæ manus subscriptione, vel viua voce, aut signo competenti susciperet, præteritos errores damnare, & communionem Ecclesiasticam rogare censeretur, sibi à fratribus lectam magna cum obstinatione reiecit, certus eodem exitu vitam claudere quo cursu duxerat. Hoc verò vnum postulabat scedula, vt in articulis disputatis, Augustini, & eius interpretis Prosperi, & ceterorum catholicorum Patrum doctrinam scripto coram testibus profiteretur, eóque facto absolutionem à censura promereretur. Quid minus, imò quid aliud potuit ab eo exigi, qui se Augustini discipulum perpetuò nuncuparet? Id cùm recusauit, nónne monstrauit euidentissimè, venerandum nomen vsurpasse pro hæreseos velo & tectorio peruicaciæ, neque reipsa micam Augustinianæ doctrinæ in ingenium suum vnquam demisisse? Quid enim ad recitationem scedulæ obstinatus? *Ipse verò*, ait Hincmarus, *hæc audiens in furorem versus, ea quæ sibi mandata sunt, detestari, & ampliùs cœpit blasphemare.* Vt agitatum à dæmone, aut maniaticum tunc etiam fuisse non dubitemus. Aderant tamen boni fratres morienti, & animæ iam exiturienti caritatem Dei proximíque toto nisu inspirabant. Quid hic ille? *Et cùm iam finis eius appropinquaret, fratribus qui aderant, vt à prauo suo sensu & peruersa sententia se reuocaret, & communionem sacram perciperet suadentibus, respondit, à suo se sensu & sententia reuocare, & communionem per auctoritatem non posse accipere.* Quid est *per auctoritatem accipere?* Quod in scedula scripserat Hincmarus, *per Episcopale ministerium, quo damnatus erat, absolui.* Superbus enim & contumax animus, *Ecclesiã dum viueret totam quasi aliquid spurcum, & sordidum, & indignum sua adlocutione abiicere solitus*, vt loquitur Rabanus, ipsúmque priuatim Hincmarum ingenti contemptu despicere, auctoritatem Ecclesiasticam in Episcopis agnoscere noluit, vt eis se subderet,

Et Augustini doctrinæ subscribere,

Kk

& reconciliatoriam manuum impositionem ab iis acciperet; siue se ab illis ligari potuisse non crederet, quod est hæreticum; siue solui contemneret, quod schismaticum. *Sicque indignam vitam digna morte finiuit, & abiit in locum suum:* qui impios absoluta incommutabili & fatali necessitate ad mortem meritò sempiternam, cum Diabolo & Angelis eius omnibus Apostaticis, prædestinatos esse dogmatizauit. Spirare igitur desiit & nocere, circiter annum Christi 869. ætatis supra sexagesimum, carceralis custodiæ decimum nonum. Quæ omnia quia notæ certioris inopia stabilire non possumus, in coniectura probabili volumus consistere. Neque id necesse videtur in eo scrupulosiùs inuestigare, quem optandum fuit, aut nunquam nasci, aut citò mori: qui seriùs mortuus est, quàm pro Ecclesiæ pace; citiùs quàm pro miserabilis hominis quiete oportuerit.

Moritur impœnitens.

Exequias defuncti quid prosequamur? cùm certum sit peracta ab obedientibus Monachis omnia quæ iusserat Hincmarus; sicque priuata, hoc est, profana sepultura fuisse conditum, extra septa sacra, silentio, per tenebras, siue, absque psalmis, hymnis, funalibus, comitatu, sacris ritibus; quod iis indulgetur *qui sibi quolibet modo mortem intulerint, vel qui pro suis sceleribus puniuntur.* Refert historia Bedæ Anglicana, Monachum quendam, salutis desperatione sine viatico mortuum, fuisse *humatum in vltimis Monasterij locis, neque aliquem pro eo vel missas facere, vel psalmos cantare, vel saltem orare præsumpsisse.* Hoc est quod Ioakimo prædicit Ieremias. *Non plangent eum, Va frater, & va soror: non concrepabunt ei, Va domine, & va inclyte. Sepultura asini sepelietur, putrefactus & proiectus extra portas Ierusalem.* Hic est finis Gotteschalci, qui si, quod somniauerat, gessisset Episcopatum è sacris dypticis erasus fuisset, neque in magnis solenniis vllo modo memoratus: quod tum etiam obseruatum esse, docet Nicolai Pontificis decretum de Gunthario & Theutgaudo non memorandis ad altare: & Hincmari quæstio eidem Nicolao, de Ebbone olim Remensi, proposita. *Rescribere mihi dignetur Apostolica vestra auctoritas, vtrum eundem Ebbonem inter Episcopos, in sacris dypticis in nostra Ecclesia nominare permittam; an, ne de cetero in Episcoporum catalogo nominetur, prohibere debeam?* Quod tamen non decreuit Ecclesia, hoc fecit historia, vt Gotteschalci nomen apud posteros horrori semper fuerit, & execrationi, Flodoardo schismaticum, Sigeberto & aliis hæreticū, ipso Lugdunensi miserabilem Monachum appellantibus.

Sepelitur vt excommunicatus.

Beda l. 5. hist. Angl. c. 15.

Ierem. c. 22.

Hincmar. epist. 17. ad Nicol.

Reperti sunt tamen recentissimi scriptores duo, qui opinionum Gotteschalci amore ducti, eius memoriam omni prorsus infamia liberare contendant, Iacobus Vsserius, & Præses Dissertator: quorum ille, hominem laudat in professa semper sententia constantē vsque ad mortem, inquiens, *Post tantos, per tot annos, tam fortiter exantlatos labores, in extremo actu defecisse Gotteschalcum, non est credibile: præsertim cum illi irreuocabilem pertinaciam in postremo illo LV. Capitulorum opusculo obiiciat Hincmarus.* Probare conatur hæreticus, quod verissimum est, expirasse Gotteschalcum in veterum dogmatum professione, propter quæ duobus Conciliis damnatus, tot annos ergastulo Monastico conclusus fuerat: & constantiam putat, quia dogmatum eorumdem cum Caluino suo sectator est. Hic omni ambiguitate remota, habet pro martyre, (& martyrium in somnis sibi prædixerat Gotteschalcus, sed non tale, nec in monasterio, nec sub Hincmaro) dum eius doctrinam prædicat *fuisse, non solùm sancti Augustini, sed & totius Ecclesiæ Catholicæ,* (quod libentissimè Caluinus, & Vsserius audierint) *quam toties etiam in tormentis professus est, & in qua mordicus perseuerauit.* Qua ergo re potiùs Confessor fiat? Non fuisse autem excommunicatum ab Episcopis, contra Rabani, Amolonis, Hincmari, Flodoardi assertionem, & mores Ecclesiæ, asserit, Et *non obstante Hincmari, si qua lata fuit, excommunicatione,* quia fuit *temerarium iudicium, humana ignorantia, cella terrena, in qua ab inferiore accepit sententiam, à superiore coronam.* Tanti æstimat Episcopale iudicium Præses Monetalis: hac inquam excommunicatione non obstante, non putat *catholicum vllum dubitare posse,* quin locus in quem miserabilis Monachus abiisse dicitur ab Hincmaro, sit *locus refugij, lucis, & pacis, quem Ecclesia in iugi fidelium sacrificio solis in Christo quiescentibus deprecatur:* quem mortis tempore nemo fidelis in sacrificio illi deprecari ausus est, vt pote non quiescenti in Christo, quem hæresis & excommunicatio extra Christi Ecclesiam proiecerat. Ita consecrantur à noua factione perduelles Ecclesiæ, & spes est breui nouo Calendario, è quo veterum Sanctorum plurimi, Gotteschalco non fauentes, erasi sunt, inserendum, si quando mensis, & dies, & melior causa martyrij poterit inueniri.

Laudatur à duobus ob constantiā.

Vsser. l. de hist. Gotteschalci c. vlt.

Dissert. c. 50. cit.

Eodem cum Gotteschalco tumulo sepulta est huius seculi controuersia; neque ab eo tempore pulsatum vllis quæstionibus Theologicis Hincmarum audimus, siue quòd eas contentiones foueret Gotteschalcus, qui spirare desierat; siue quòd paucis post annis Carolus Caluus creatus Imperator, Cisalpinorum Episcoporum æmulationem extinxerit, qui antea in Lotharij sui gratiam, Carolinos Antistites vexare, pulchrum & vtile ducebant. Hincmaro nihilominus quieto esse non licuit, cui non peperit inuidiam controuersia, sed controuersiam animauit inuidia. Bellum siquidem Nepotis Hincmari in Auunculum Remensem statim exarsit, quo per Ioannem VIII. Pontificem sopito, Remensis eiusdem fides per æmulos nouo Imperatori Carolo suspecta reddita est. Quare in Concilio Pontigonensi, in quo Ansegisum Archiepiscopum Senonensem Apostolicæ Sedis per Galliam & Germaniam Legatum declarari molestè tulit cum aliis, imò etiam præ aliis Galliæ Episcopis, iussus est iuramentum fidelitatis edere; cuius formulam multas ob causas cùm reiiciat, miratur omnino à se illud exigi iam sene, & nobilissimis Regum obsequiis dudum cognito, reique tam insolitæ machinatricem facit inuidiam. *Sed non mirum est, si per baiulos inuidia, quia sicut scriptum est, mors introiuit in orbem terrarū, sine causa animus benignitatis vestræ commotus, nunc à me requirit, quod nec pater vester in vita sua, qui mihi per octo circiter annos secreta sua indubitanter credidit, requisiuit; nec vos per triginta & sex annos hactenus requisistis:* quanto tēpore ante Imperiū susceptū regnauit in Gallia. Cuius inuidiæ originē ab antiquo serpente repetit, cui dictū, *tu insidiaberis*

Mortuo Gotteschalco quieuit controuersia.

Sed non inuidia in Hincmarū.

Concil. Pontigon. an. 876.

Hincmar. opusc. 6. tom. 2.

calcaneo eius. Idque explicat. *Videt enim meum calcaneum, id est, finem proximum, & certat illud insidiari, vt quod hactenus voluntariè ac sincerè erga vos seruaui, si non poterit infidelitate, polleat illud rancore tristitia.* Non alia demum ex causa, quàm ex inuicto Ecclesiasticæ disciplinæ vigore ortam hanc tempestatem, vnde & præcedentes omnes surrexerant, postremis verbis aperit. *Hoc enim quod modo sentio, mihi iam antè audiui promissum ab eis, causa vindictæ, contra quos vobiscum egi certa ratione & sacra auctoritate. Sed scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem iustus iudex.* Hic est qui sublatis æmulis Prudentio, Gotteschalco, Ebbone Gratianopolitano, Hincmaro Laudunensi, Rothado, & vt credibile est, Ratramno: quiescentibus in pace Remigio Lugdunensi, Seruato Lupo Ferrariensi, Carolo Rege, Hincmarum suum pene ad octogesimum tertium seculi annum superesse voluit, vt optatos tranquillitatis fructus pacatè decerperet: donec cælo maturum ad coronam iustitiæ, tot certaminibus debitam, euocaret. Superfuit igitur Gotteschalco, & quæstioni per eum reuocatæ Hincmarus, duodecim annis & ampliùs, vt qui renascentem viderat, opera maximè sua confossam & mortuã gauderet. Obiit in senectute bona, vir immortalitate dignus, fidei & Ecclesiæ athleta, canonum vindex, murus inexpugnabilis contra vitia & flagitia, vitæ monasticæ decus, Regni columen & ornamentum, Regum duorum, & totidem Reginarum coronator, Remensium Antistitum post Remigium clarissimus, eruditorum vltimus, quem natura ferreum seculum parturiens, proximis ætatibus ad spectaculum exhibuit, cùm non posset ad imitationem.

Hincmarus inuidiæ superfuit, cum gloria.

CAPVT XVIII.

Pluribus & diuersis post Gotteschalcum seculis Prædestinatianam hæresim Theologi quidam incauti reuocant.

Hæresis Prædestinatianæ identidem restituta.



EA fuisse videtur Prædestinatianæ hæreseos conditio & natura, vt more mergorum, per vices latere, & emergere debuerit. Nam qui sermocinantem olim cum Apostolo Paulo Prædestinatianum audiuimus, qui errorem illum in Philastrij catalogo legimus; qui post Augustini tempora, librum à Prædestinatianis clam scriptum deprehendimus: qui diu multúmque Gotteschalci vesaniam, nouorum Prædestinatorum principis insectati sumus; cùm eius morte penitus extinctam credere potuerimus, ecce denuò ex inferorum cloaca cum mephiti sua monstrosum caput efferentem tolerare cogimur, iterum morituram, iterum redituram. Sic Vesuuij & Ætnæ crateres non continuis æstibus subiectas regiones exhauriunt, sed per interpositas moras identidem reparata damna funestiùs renouant, concessa securitate crudeliores. Habuit certè contentiosum Gotteschalci seculum illud infelix, quòd errores seminauit, sequentibus ætatibus germinaturos. Berengarium enim scimus se profiteri solitum Ioannis Scoti contra Augustissimum Sacramentorum asseclam & optionem. Cùm scripsit Wicleffus *Christum non esse in eodem Sacramento identicè, & realiter in propria præsentia corporali;* aut Ioannes Hussius dixit, *hostiam consecratam esse verum panẽ naturaliter, & Christi corpus figuraliter; sicut Ioannes figuraliter fuit Elias, & non personaliter, sic panem in altari figuraliter esse corpus Christi.* & eadem figura dici, hoc est corpus meum, qua dicitur, Ioannes est Elias, quàm procul absuerunt à via Ratramni subtilitatibus complanata? In Ruperto etiam, pio scriptore alioquin & erudito, sacramentarium errorem, à Luthero non remotum, exhibet Bellarminus, ad quem aliquantùm accessisse Ratramnum deprehendimus.

Concil. Constant. sess. 8. & 15.

Bellarm. l. de script. Ec. sec. 12.

Verùm iis omissis, quod huius loci proprium est, Prædestinatianam curiositatem, nunquam benè motam, semper infelicissimè cadentem, in temporum sequentium serie designamus, ne Gotteschalcus suum in locũ abeat incomitatus. Cùm hic igitur nonum seculum, deliriis peruicaciáque sua strenuè exercuisset, fecit Hincmari labor, & in eo comprimendo indefessa constantia, vt toto decimo seculo, quod ferreum vocant, quo flagrabat adhuc Archiepiscopi Remensis memoria, & res ab eo præclarè gestas scribebat Flodoardus, iacuerit in tenebris Prædestinatianus error, neque sit ausus emergere. Imò nunquam ab eo tempore coiuit in sectam ab aliis distinctam, licet in ea opinione fuisse sciamus aliquos, quibus propter obscuritatem, Ecclesiasticæ pœnæ, velut hæreticis, non sunt irrogatæ: alios autem hæresiarchas, hanc etiam errandi viam triuisse, sed propter eminentiores blasphemias, alio sub nomine ab Ecclesia fuisse seiunctos.

Non tamen per sectam peculiarem.

Itaque in priorum numerum ij veniunt, à quibus apud Anselmum, vndecimi seculi scriptorem, renouata est de prædestinatione cum libero arbitrio coniungenda, disputatio. Sic enim discipulus magistrum in quodam Dialogo interrogat. *Videtur non posse præsciri quod futurum non est: nec posse non esse futurum quod præscitur. Sed reminiscor nunc illius famosissimæ quæstionis de præscientia diuina, & libero arbitrio. Quamuis enim tanta auctoritate asseratur, & tanta teneatur vtilitate, & nullatenus propter humanam rationem.* (licet aliud humano iudicio videatur, & ægrè concipi possit quod catholica auctoritas asserit) *dubitandum sit diuinam præscientiam & liberum arbitrium sibi inuicem consentire: tamen, quantùm ad rationis considerationem, quæ videtur spectare insociabiliter, videntur dissentire. Vnde videmus in hac quæstione, nonnullos sic in vnam partem vergentes, vt alteram omnes deserant, vnda infidelitatis suæ submergente, perire: multos verò velut contrariis ventis hinc inde contra inuicem sustentando quassantibus periclitari.* Et alio Dialogo statim ineunte, breuiùs. *Cùm liberum arbitrium videatur repugnare gratiæ, & prædestinationi, & præscientiæ Dei: ipsa libertas arbitrij quid sit nosse desidero, & vtrum illam semper habeamus?* Ab his quæstionibus per se se tractandis, tanquam ab igne, licet manum abstineat sapiens magister, quod nobis tamen sufficit ad historiam, docet, fuisse à multis, vltro citróque agitatas. Neque verò sententiæ suæ præiudicium desiderari saltem ex occasione patitur doctor catholicus, siue cùm

Seculo 11. de prædestinatione disputatum est.

Anselm. Dial. de casu Diab. c. 21.

Corruptus locus.

Idem Dial. de libero arbitr. c. 1.

Ibid. c. 2. à libero arbitrio coactionem & necessitatem omnem reiicit, aitque, peccasse Angelum *sponte per potestatem peccandi, non aliqua re cogente, non aliqua necessitate.* Siue cùm libertatem voluntatis & naturalem & perpetuam in homine monstrat esse. (Ibid. c. 12.) *Nam potestatem seruandi rectitudinem semper habet*, inquit, *& cùm rectitudinem habet, & cùm non habet, & ideo semper est liber.* Quod non facilè concesserit Gotteschalcus, qui liberum arbitrium ad bonum in nobis post Adami peccatum mansisse pertinaciter negat. Neque eius moderni discipuli, qui cùm peccamus, nos esse liberos negant ad non peccandum. Præterea in priùs allato Dialogo multa subtiliter de data & non accepta perseuerantia ab Angelo apostata disputans, sic rogantem Discipulum inducit. (Dial. de casu Diab. cit. c. 3.) *Si non potuit habere potestatem, aut voluntatem accipiendi perseuerantiam, nisi dante Deo, quid peccauit si non accepit quod Deus illi non dedit posse, aut velle accipere?* Cui respondet Anselmus, Deum illi dedisse, non quidem perseuerantiam, sed *potestatem & voluntatem accipiendi perseuerantiam. Sic accepisse quod Deus dedit, & habuisse quod accepit.* Vnde consequitur potuisse illum vti accepta voluntate & potestate perseuerandi, non secus quàm bonum Angelum: ideóque potuisse saluari, malo vsu libertatis periisse: non fuisse à Deo creatum ad mortem, eius prædestinationem neque antecedentem, neque fatalem extitisse: Deum Angelis omnibus salutem voluisse, quidni igitur & hominibus?

Et apud Honorium Augustodunensem. Dial. ineuitabile. Honorium Augustodunensem Presbyterum hoc tempore floruisse putat Ioannes Conen, Bellarmino & aliis ad tertium decimum seculum remittentibus. Quam ego chronologiam non exquiro; sed hunc Anselmo subiicio, quòd in vtroque modus idem sit tradendæ doctrinæ, per Magistri & Discipuli dialogismum; & ipsius doctrinæ non leuis, aut obscura similitudo. Is igitur rem Prædestinatianam professa opera exponens ab eo quod in historia petimus, Dialogum sic auspicatur. *Solent quidam dicere, quòd prædestinati necessariò saluentur. Quod si ita est, cur quicquam laborant? aut cur gemibus prædicatur vt conuertantur? aut cur verbum admonitionis quotidie à Sacerdotibus administratur populo, vt in proposito Dei proficiant seruitio?* Quid hac positione, & educta inde consequutione, similius Gotteschalco, vel Rabanus ipse reperiat? Et inferiùs de Pharaonis obduratione, discipulus sic interrogat. *Cùm scriptura dicat, quòd Pharao à Deo sit induratus: imò in hoc ipsum, vt annunciaretur nomen Dei in vniuersa terra, per eum sit constitutus: quis non videat quòd necessitate cogente populum afflixerit: cùm in hoc ipsum constitutus sit, & quasi quodam fato trahente submersus sit?* Quin etiam Georgius Cassander, qui ante annos centum hoc opusculum, primus in lucem extulit, auctorem ipsum Honorium existimat, errore Prædestinatiano fuisse imbutum, (Voss. l. 1. de hær. Pelag. c. 26.) idque Gerardo Vossio persuasit, consideranti dialogo illi nomen inditum *Ineuitabile.* & causam nomenclationis ab auctore productam. *Qui in loco contumeliæ demerguntur, eò magis secundum occulta & incomprehensibilia Dei iudicia, quàm secundum merita, quæ infantibus nulla sunt, retruduntur. Tamen quia per liberum arbitrium malum eligentes, hoc toto corde vsque ad finem operando dilexerunt, pro diuersis meritis diuersas pœnas hæreditabunt. Et quia hæc omnia non ita euenire impossibile est, nomen huic libello inditur, Ineuitabile.* Quibus censuram suam adiicit Vossius. *Quomodo, puto, nunquam locutus esset Augustinus.*

Illius Dialogi duplex editio. Cogit hic locus in Honorium, eiúsque librum aliquantùm diuertere, ne sapienti viro, & catholico scriptori error alienus imponatur. Nam cùm huiusce opusculi duas habeamus editiones, alteram vetustiorem à Georgio Cassandro, recentiorem alteram à Ioanne Conen Præmonstratensi, eæ tantopere inuicem differunt, vt hic affirmare non vereatur, Cassandræam hæretica manu corruptam esse, *& multa sparsim toto Cassandri libro ad plures paginas extensa videri, quorum in exemplari Præmonstratensi non est inuenire vestigium: sicut è contra doctrinæ in isto traditæ, toto libelli Cassandræi spatio vix esse ostendere tres quatuórve periodos integras & conformes.* Quæ profectò infinita & intolerabilis est corruptela, ipsis oculis obuia, si quis vel paginas duas conferre dignabitur. Quare iure optimo, explosa Cassandri editione, Præmonstratensem admisit auctarium recens Bibliothecæ Patrum: quo nos eam ex loco securiùs hauriendam duximus, Vossio per solam Cassandræam decepto: si tamen ex ea quicquam præter Cassandri ipsius Præfationem libauit; vt non obscurè fatetur locum à nobis descriptum citaturus. (Biblioth. Patr. tom. 9. edit. postremæ Paris.) *Nil opus est*, inquit, *in ipsa libelli penetralia recurramus; statim se in ipsa produit Epistola.* Quapropter aliam, quàm Cassander fidem hoc in proposito à nobis exigere non potest, quamuis & Prædestinatianum dogma reiiciat, & à Cassandro reiici gaudeat, & nouerit, illius erroris odio, sic probandum in omnibus putet Honorium.

Recentior catholicam doctrinam continet. At eam notam immeritò certè inurunt auctori catholico, qualem demonstrat eius dialogi Parisiensis editio, quæ nihil magis inculcatur, quàm præscientia & prædestinatione nullam necessitatem in liberum arbitrium induci: Angelos, nulla prædestinatione, nulla necessitate trahente præcipitasse in malum; hominem nulla vi coactum, nulla necessitate impulsum deseruisse iustitiam. Quamuis Deus pœnas fecerit, nihil tamen creasse ad pœnas. Quin etiam meritis siue bonis siue malis, postponit prædestinationem, quam agnoscit geminam, sensu penitus Hincmariano. Liberum quoque arbitrium quo gratiæ cooperamur, quo gratiam si lubet, vocantem non sequimur, sine quo bestiis similes nasceremur, totis viribus propugnat. Nobile Apostoli pronunciatum, Deus vult omnes saluos fieri, de Angelis æquè, vt de hominibus interpretatur, idque semper velle ex eo declarat, quòd eius voluntas immutabilis est. Quòd tamen non omnes saluentur, id ex libero illorum arbitrio procedere, quo sponte iustitiam deserunt, deserta iustitia beatitudinem amittunt, & sic semper miseri erunt. Pro Paulo & Maria venisse Christum in terras & mortem subiisse: nimirum, quia efficaciter redempti sunt. Pro peccatoribus nihilominus mortuum esse Christum, eius tamen mortem, Annæ & Caiphæ, Herodi & Pilato non profuisse, imò

obfuisse plurimùm, quia bonum gratis odio habuerunt, & pœnitere neglexerunt. Quod est argumentum duplex Hincmaro intactum. Impiis mors Christi obfuit, ergo ad eos pertinuit; nam quæ sunt à nobis aliena, in indifferentibus numeramus, neque iis vel iuuari nos putamus, aut lædi. Rursus. Obfuit, quia noluerunt pœnitere. Fuit igitur illis liberum pœnitere. Quomodo? Per gratiam oblatam. Quo merito comparatam? Passionis & mortis. Est ergo & pro illis Christi mors impensa.

Liberatur erroris suspicione Honorius.

Quid igitur ad ea dicemus quæ Prædestinatiani erroris suspicionem in eo scriptore mouerunt? Tria produximus: priora quidem duo, vt eandem cum nostra quæstionem ab illo tractari monstraremus. Et in iis interrogat Discipulus, cui cùm catholicè respondeat Magister, nihil eius fidei nocere possunt obiectiones illiusmodi. At ipse in tertio, sua ex persona nomen opusculo datum explicat, extrema Anacephalæosi. Qui sanè locus, longè alio modo in editione posteriori concipitur, quàm quo retulimus è priore Cassandri. *Et quia quosdam infantes, vt putà baptisatos, sola sua iustitia non damnari est ineuitabile; & quosdam prouectos ætate, iustitia Dei per liberum arbitrium spretores, iustitia dictante, debitam pœnam euadere, est ineuitabile, propter hoc nomen huic libello imponitur Ineuitabile.* Cui verbo non malè Augustinianum *Infallibiliter* contuleris; neutrum autem de antecedente & cogente necessitate, sed tantùm de consequente & hypothetica intelligi potest, & debet: ideóque in illis Prædestinatianæ hæresi nullum est præsidium. Ad extremum, qui primus hic passus extra Gotteschalcum progreditur, declarare incipit, quod suo loco monere non omisimus, prostrato semel Gotteschalco Prædestinatiano, & victa Lugdunensium parte, in posterum Hincmari sententiam à catholicis in Ecclesia fuisse retentam. Nam & ego catholicis Honorium assero, & Cassander fidei non probatissimæ, atque Vossius heterodoxus quidem, at non indocti homines, & ea in opinione Romanas partes sequuti, non aliam ob causam Honorium deserunt, quàm quòd ipsis Prædestinatianus videatur. Denique Honorium pono in honoranda eius obtestatione. *Quicunque hoc contempserit, vel impugnauerit, se de numero prædestinatorum non esse demõstrabit.* Quod exemplo suo Gotteschalcus infelicissimè probauit. *Qui verò quæstionem post hæc de libero arbitrio mouerit, cæcus clara die in mortem offendit.* Dictum verissimè, cùm illas diuinæ voluntatis tenebras, nemo bonus absque periculo, nemo malus sine ruina curiosè tentauerit. Expertum audi Lector, & Dei prædestinationem sperare contentus, scrutari desine.

Et seculo duodecimo apud Rupert. L. de Medit. mortis c. 17.

Seculo deinde duodecimo ineunte, scripsit Rupertus Abbas Tuitiensis, Prædestinatiana dogmata audisse se in priuatorum quorumdam animis altè defixa, qui Adamum ea mente positum aiebant in Paradiso deliciarum, vt in ea peccaret, atque peccato illo, & mori aliquando, & inde mox eiici mereretur. Potuerat enim Deus præuenire peccatum, & quo hominem constituerat loco, exercendam terram offerre, vnde turpis eiectio non sequeretur. Verùm *nimiùm distulit*, certo *consilio* expectans inobedientiam, quam punire constituerat; *vt quasi mutato consilio, & prioris pœnitudine habita, diceret beata Trinitas, ironia quàm grauissima: Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est.* Ridebat enim, consilij mutationem fingendo, cùm verè antecedens, & absoluta exterminandi hominis voluntas præcessisset. *Hæc & his similia proferre solent homines, multùm, vt ipsis videtur, argumentosi,* (subtiles & ingeniosi) *veraciter autem multùm importuni.* Non potuit egregius scriptor, paucioribus verbis pleniùs Gotteschalci successores exprimere. *Dicentes quippe audiuimus, quia peccatum Adæ, propter quod fuimus omnes perditi, Deus fieri voluit. Quod idem erat ac si dicerent, Deus ipse fecit. Nam omnia quæcunque voluit Dominus, fecit.* Et thesim, & illam eius è scriptura probationem, qui Prædestinatianam esse negauerit, illum in controuersia ad fastidium exposita, peregrinum & hospitem fateri oportet. Qui fuerunt autem *argumentosi* illi, nisi qui tentando inconcessa, & maiestatem scrutando, theologos se videri volebant, ignari opprimendos à gloria?

Cur S. Bernardus librum scripserit de gratia, & libero arbitrio.

Iam verò, illa S. Bernardi de Gratia & libero arbitrio disputatio, sine dubio à Pelagiano quodam accepit initium, qui cùm Dei gratiam mirificè commendari videret ab Abbate sanctissimo, subintulit: *Quid tu ergo operaris, aut quid mercedis speras vel premij, si totum facit Deus?* Ac ni fallor, existimauit Bernardum in oppositam cum Prædestinatianis abiisse sententiam, quorum axioma notum fuit, *totum gratiæ est*, eo sensu vt cooperantis arbitrij meritum excluderent. Fuit igitur catholici doctoris demonstrare, & totum gratiæ esse præuenientis & adiuuantis: & ab arbitrio cooperante gratiæ, nihilominus acquiri meritum; & vniuersè de libertate, & necessitate multa disputare, quæ omnium manibus teruntur.

CAPVT XIX.

Eadem quæstio in Scholis Anglicanis Thomæ Braduuardini tempore agitata est.

Thomæ Braduuardini opus de causa Dei.

OST exortum Scholasticæ Theologiæ, Petro Lombardo, & D. Thoma iam decantatis in schola, seculo quarto & decimo floruit Thomas de Braduuardina, quem ob illustrem scientiæ opinionem, *Profundum* appellarunt. Scripsit ingens opus De causa Dei contra Pelagium, & de virtute causarum, ab hæreticis Germanis diu desideratum, ab Anglicanis hoc tandem seculo in lucem editum: de quo iudicium meum tibi Lector, omissis aliorum opinionibus, exhibeo, æqua lance pendendum, ac deinde, si iusseris, correcturus.

Quale sit.

1. Atque in primis Braduuardinum ipsum habeo ego pro pio, catholico, erudito scriptore. Eruditionem demonstrat liber ipse, de quo solo agendum suscepi, varia sacræ, profanæ, antiquæ, nouæ, philosophicæ, philologicæ doctrinæ supellectili locuples & ornatus. Cui Critica vna defuit, posteriorum temporum reproducta eruditio, quæ spuria auctorum, historiarum, citationum germina, pro germanis & legitimis afferre vetuisset. De pietate nemo dubitabit,

qui vel à limine librum salutarit, in quo contra errores omnes, omnipotentiæ, prouidentiæ, misericordiæ, gratiæque diuinæ causa defenditur. Alium autem quàm Catholicum censere non patitur nobilis illa protestatio, qua Præfationem claudit. *Scio quid faciam: sui me naui committam, quæ perire non poterit, naui Petri. In ipsa namque auctor & magister vnicus noster Christus tutissimè residens, de ipsa legitur docuisse: mysticè nobis insinuans, quod apud ipsam Petri nauiculam, apud Romanam Ecclesiam, totius Christianæ doctrinæ auctoritas & magisterium remaneret. Huius igitur tam authenticæ, tantæque magistræ iudicio me totum, meáque omnia scripta, seu scribenda plenè subiicio, integréque submitto; cuius & protectionem, vbi contra Dei inimicos pugnauero; correctionem vbi errauero; approbationem, vbi rectè sensero, instantissimè postulo totis votis.* Non potuit maiore cum obseruantia, Ecclesiæ catholicæ filium se profiteri, vt quando næui tantam operis molem, tam infinitam propositionum congeriem dedecorare videbuntur, ad hanc statim professionem digitum intendere debeat, & dicere quod ille: errare possum, hæreticus esse non possum, quandiu Petri cathedræ communione consocior.

Ecclesiæ iudicio se submittit. Præfat.

II. Nihilominus, vt ab scriptore ad opus ipsum transeam, illud video, quod antè monui, nostrorum temporum hæreticis esse in deliciis, eius editionem ardenter efflagitari, inscriptionem *De causa Dei contra Pelagium*, vehementer arridere; vt ingens mihi oriatur suspicio, malis non placiturum librum, si esset vndecunque bonus. Illyricus certè Appendice Catalogi testium veritatis, quanto eius publicationis desiderio flagret, non dissimulat. *Habeo*, inquiens, *eum codicem, ac ex animo optarem reperiri posse Mæcenatem, aut etiam Typographum, qui in eius editionem sumptus faceret.* Et infrà, post multa de Præfatione descripta. *Quò minus verò id appareat, etiam illud in causa est, quod talia scripta ac monumenta, subinde sunt à Pontificia coborte suppressa, aut etiam prorsus abolita. Dominus autem resuscitet nobis illa corpora sanctorum: quæ nobis verè exosculanda, & salutares reliquiæ sunt.* Hæc scriberet impius, & Romani Pontificis, catholicorumque omnium hostis infensissimus, si lecto libro, cuius habuit copiam, nihil in eo reperisset hæresi vicinum, alienum ab Ecclesia? Georgius autem Cassander scribit *nimio & præpostero philosophiæ studio fidei sinceritatem obscurante* (Scholasticos Theologos intelligit) *cœpisse Pelagianum errorē occultè conualescere. Veritatis ergo causam iam Propemodum desertam, Thomam Bradwardinum suscepisse, quem ordo Scholasticorum, Doctorem Profundum cognominauit. Huius opus insigne vidisse se in Bibliotheca Vaticana: hoc opus in Galliis extare: citari à Gersone Parisiensi Cancellario, & à Gregorio Ariminensi, tanquam notum & publicum auctorem, qui tamen nondum quod sciat, typis sit editus.* Quibus subiicit Vossius: *scriptorem istum luci restitutum è Germania propediem expectari.* Qui paulò post anno huius seculi 18. Londini ex officina Nortoniana, curante Sauilio, prodiit. Quid ergo causæ fuit, cur Roma, Gallia, Britannia catholica Braduvardinum possidentes, foras nunquam emiserint; Germania, & eadem Britannia statim atque à Romana fide & religione apostatarunt, illum & auidè expetierint, & cupidè publicarint? Non queror istud factum cum aliqua corruptelæ suspicione, quod tamen aliquos audio submurmurantes: omnia enim illa vnius eiusdémque ingenij, & stili partus esse arbitror.

Suspicionē mouet, quòd ab hæreticis multùm amatur.

Illyric. append. ad Catal. test. verit.

Geor. Cassander ep. ad Herm. Baucheim.

Voss. 1. hist. Pelag. c. 26. cit.

III. Accedo propiùs ad librum, & in propylæo, ex inscriptione, auctoris consilium & finem intelligo. *De causa Dei contra Pelagium*, quam *propemodum desertam* tum fuisse Cassander admonuit. Deus sancte! Adeò-ne potenter ab inferis eruperat, olim Brito, Pelagius, vt Deum sua possessione deiiceret, ius illius opprimeret, causam pessumdaret? Hoc nimirum Braduvardino doluit, hoc questus est & timuit. *Totus etenim penè mundus post Pelagium abiit in errorem.* Se vnum velut alterum Eliam, octingentis & quinquaginta prophetis Baal, *quibus & innumerabilis populus adhærebat*, pro causa Dei esse oppositum. In somnis visum sibi Pelagium ferociter irruentem; à quo cùm penè iam humi affligeretur, victum cælitus ex aduerso Pelagium præcipitasse in terram, & mortuum iacuisse. Triumphaturum se igitur de Pelagio *& vniuerso eius exercitu, qui in immoderata multitudine venientes, partem Dei conantur opprimere.* His & aliis modis aduersariorum suorum vires, & numerum exprimit Braduvardinus, velut Hercules quidam, omnibus orbis terrarum monstris debellandis renatus. Qui verò & vnde innumerabiles illi Pelagiani? Quis tantam religionis labem per hæc tempora in Anglia regnasse scribit historicus? Spirante Pelagio multos eius veneno in Insula fuisse corruptos, narrat Beda. Germani Autissiodorensis, & Lupi Trecassini nauigationem in Britanniam, ad extirpandum Pelagianismum, nulla tacet historia. De seculo decimo quarto, tantis erroribus in Anglia, vel Parisiis occupato, quis vel per somnium meminit? Parisios nomino, quia censet Illyricus ibi *hoc certamen esse habitum.* Absurdè, meo iudicio. Sed esto; Lutetiam pugna transferatur, nego Oxonij collectos fuisse Pelagianorum exercitus, qui per Bradwardinum debellarentur; aut supinæ negligentiæ sunt omnes Franci & Angli scriptores, qui rem tantam silentio prætierunt. Fateor enim consultis compluribus, mihi nec vnum occurrisse, dominantis hæreseos testem. Neque temeritatis notam vereor, si quem alium à Bradwardino catholicum, locupletem postulo, cui tutò meam hac in re fidem possim committere. Quis autem non obstupescat, Academiam vtranque, Romanorum Pontificum præconiis sine exceptione laudatam, & ornatam fuisse priuilegiis, si tam altè, tam communiter Pelagianum virus ebiberat? Quid verò Theologi illi Scholasticæ adolescentis alumni, personante adhuc in eorum auribus D. Thoma clarissimo Augustini discipulo, cùm fortiter hæresibus omnibus bellum indicerent, hanc vnam infensissimam Augustino, intactam & quietam esse siuerunt? Quid hîc dicam? quid coniiciam? cùm hæc incredibilia mihi videantur? An cùm Pelagio suo inuadente, *Eumenidum videt agmina Pentheus, Et geminum solem, & duplices se ostendere Thebas?* An victo inter dormiendum Pelagio, *qui amant ipsi sibi somnia fingunt?*

Plus iusto queritur de grassatione hæresis Pelagianæ.

Fuit eius disputatio contra Theologos Scholasticos.

IV. Non erat, inquies, cur illum curarent Scholastici, qui Scholasticos curare tentabat. Hos enim eius aduersarios fuisse docet expresse Illyricus, cùm ait, pugnasse, *acerrimè pro gratia Dei, contra liberum arbitrium, & Pelagianos eius patronos, nempe Scholasticos Theologos.* Idem significat Cassander, quanquam obscuriùs, cùm scribit, desertã Dei causã à Bradwardino susceptam fuisse, *cùm simplicitatem & synceritatẽ fidei orthodoxæ, nimiũ & præposterum philosophiæ studiũ conspurcare, & obscurare cœpisset.* Quod Scholasticæ Theologiæ crimen imponere solent hæretici. Non sunt igitur alij Pelagiani oppositi Bradwardino, quàm Theologi suorum temporum: & ille fortasse Pelagius è somnio, Ioannes fuit Bacondorpius, siue de Bacone, qui cum eo luctam iniit, vir omni doctrinæ genere insignis, quem certè Pelagianismi nemo hactenus incusauit. De quo congressu ita narrat Ioannes Pitseus, in Illustribus Angliæ scriptoribus. *Quo tempore Ioannes Bacondorpius Parisiis Oxonium reuersus est, celeberrimam habuit cum eo de præscientia & prædestinatione disputationem; sed ob reuerentiam antiqui Theologi, & in eo studiorum genere iam multis annis versatissimi, cessit, & in eius sententiam descendit. Neutra enim doctrina fuit fidei necessaria, vtraque ab Ecclesia liberè permissa.* Equidem hac in narratione non peruideo de duobus illis palæstritis, vter alterum prostrauerit. Nam Bradwardino victoriam videntur adiudicare verba scriptoris. Sed ad eius mentem si prouoco, Bacondorpium & paulò vetustiorem, & multò præstantiorem Theologum facit, vt illi proinde cedere debuerit Bradwardinus. Ac fortasse liber ille, *de præscientia & prædestinatione*, eodẽ loco memoratus, retractationem continebat eius opinionis, quam hac in Summa tradidit. Hoc si verè coniici mus, somniabat profectò Bradwardinus, cùm Pelagium suum ad terram affligeret. Neque verò *disputationis* illius *celeberrimæ* certa patet materia: cùm de præscientia & prædestinatione multa possint inquiri, vt præterita Lugdunensium & Remensium contentio demonstrauit. Quod autem tunc controuertebatur inter Theologos, ad Pelagianam hæresim referri non potest, quam totam eiurare *fidei necessarium* erat: neque quicquam cum Pelagio in vtranque partem disputare concessum. Magna igitur mihi suspicio oboritur, actum esse inter illos de Prædestinatione absoluta, antecedente, cogente; nam & illam docet Bradwardinus in Summa, & ea quæstio tum fuit *celeberrima*, vt ex poëta illius pene ætatis Gaufrido Chaucero, intelligimus, quem Latinè loquentem ita producit Henricus Sauilius Bradwardini editor.

Pith. l. de Illustr. Angl. Script. ad secul. 14.

Quæstio celebris in Anglia de præscientia, & prædestinatione.

Gaufrid. Chauc. apud. Sauil. in Bradwardini edit. Lectori.

Non euenire non potest, quicquid Deus
Præsciuit: ita fert crebra doctorum cohors.
Hic litteratum quemlibet testem voco,
Quamuis vtrinque fluctibus lis hæc scholas
Triuit, teritque, pene inextricabili
Ingenia nodo centies mille implicans.
Excutere nudos hæc ad vsque furfures
(Quod ab Augustino præstitum, & Boëtio,
Ac Bradwardino Episcopo) non sum potis.
Vtrum-ne me diuina præscientia
Ad aliquid vnum, vt exequar, necessitet.
(Necessitatem hic absolutam intelligo:)
An mihi sit huius siue agendi, seu minùs,
Electionis salua libertas, licet
Præscierit ipsum hoc antequam fieret Deus?
An præscientis obliget necessitas
Illa vna, quam supposita conditio facit?
In tam profundum non ego insiliam mare.

Parti prædestinatorum fauet Braduuardinus;

Non potuit fatalis Prædestinationis quæstio dilucidiùs proponi, aut eius celebritas certiùs asseri; vel denique Bradwardinum in ea penitus exhaurienda laborasse clariùs dici. Quod factum potiùs arbitror in singulari libro, quem suprà citabamus, *De præscientia & prædestinatione* quàm in Summa quæ præ manibus est, vbi quasi aliud agens, hoc caput indicare videtur potiùs, quàm docere. Quare mihi admodum probabile videtur, Pelagianos illos tantopere inuisos huic Theologo, non alios esse, quàm Scholasticos conditionatæ prædestinationis assertores, qui siue illam meritis præuisis anteriorem, siue posteriorem facerent, negarent tamen ita esse immutabilem antecedenter, & in sensu diuiso, vt nulla penitus ratione mutari posset: atque sic homines crearentur à Deo, & in vitã immitterentur ad vnam partem determinati, vt in alteram non possent inflecti. Quæ maxima Rabani & Hincmari cum Gotteschalco pugna fuit, estque Prædestinatianus error ab Ecclesia damnatus. Non est autem repetendum, solitos istorũ fautores aut asseclas aduersariis suis Pelagianismum exprobrare, quasi qui Dei voluntatem humano arbitrio subiicerent. Cuius contumeliæ non obscurum extat in Bradwardino vestigium. *Quot insuper, Domine, sui libertatem arbitrij extollentes, tuam refugerunt libertatem? Quin imò & voluntati suæ in contingenter futuris* (quales sunt actiones humanæ,) *omnimodam tribuunt libertatem; in tantum, vt etiam contra vocem propheticam, à tua subiectione exemptionem prætendant, & voluntatem tuam liberrimam, omnipotentissimam, immutabilissimam, de summa arce libertatis antiquæ deiicere, & nouellæ necessitatis irreparabili seruituti subiicere moliuntur.* Quàm similia sunt ista Gotteschalci Confessioni? quàm apertè alludunt ad illud pessimè intellectum à Prædestinatis, creberrimè vsurpatum, *Omnia quæcunque voluit, fecit?* Ex his vides, Lector, imaginem Noni seculi, in mouenda illa quæstione, in calumnia Prædestinatianorum, errores Pelagij suis aduersariis obiicientium, in doctrinæ consensu pro fide catholica. Nam vt Hincmarus Prædestinatos æui sui ad decem non peruenisse testatur: suæ autem opinionis socios habere se, innumerabiles ex orbe toto Prouincias gloriatur: sic doctrinæ suæ approbatorum solitudinem dolet Braduvardinus, & infinitam aduersariorum multitudinem, potentiam, zelum pertimescit. Quis verò sapiens in illis contentionibus non securiùs ineat viam planam & expeditam, omnium eruditorum, & piorum Theologorum vestigiis tritam, quàm deuium & angustum tramitem, à paucis qui se omnibus doctiores & acutiores haberi velint, ægrè apertum?

Obiectio pro doctrina Braduvardini.

At obiicies, non videri dignum hoc iudicio Braduvardinum, cuius profundam catholicámque Theologiam agnoscunt, & citant auctores plurimi, & ipsi catholici. Qui veros, vt manifestum est, Pelagianos, telis amentatis fortiter configit; qui quid libro singulari de præscientia & prædestinatione

scripserit, ignoratur, in summa autem Prædestinatianos illos errores professâ opera neque tradit, neque tractat. Tribus membris constat obiectio, quorum primo satisfacit ineuntis capitis prima professio, Braduvardinum pro docto & catholico Theologo haberi à me: sed id in omnia & singula eius dogmata cadere necesse non est; neque qui eum laudant citántque catholici, has eius opiniones aut citant, aut sequuntur. Idque veriùs profiteor, si defuit peruicacia, si cessit Bacondorpio, si in libro *de præscientia & prædestinatione* catholicè sensit. In secundo quoque, fateor Pelagium totum confodi à Theologo: nimirum vt ab eo qui materiam semel arreptam, totam funditus *ad vsque furfures*, vt loquitur poëta, solet exhaurire: vt patet vel in ipso primo eius libro immensæ prolixitatis, in quo nihil indictum relinquit, etiam procul à Pelagio. Atque hæc istorum ars est, vt speciosè ostentatis veris Pelagianorum erroribus, quæ continuò subiiciunt, videri cupiant Pelagiana, & vt talia persequantur, licet rectè philosophantibus, nihil minùs appareant. Tertij demum membri agnosco veritatem, & in eo vel prudentiam hominis, vel calliditatem deprehendo, quòd illud errorum virus, non aperta fronte, non vno loco, vt Gotteschalcus, aut ex professo propinat; sed partitò pluribus locis sparsim, tanquam corollaria deducit ex antedictis, vel vt aduersarios effugiat, vel vt capiat incautos. Nam verbi gratia, prædestinationem absolutam, determinantem, omni modo immutabilem docet libro primo, obscuro Corollario. Longè post eodem libro, capite fastidiosæ prolixitatis, quod Origenis tomos aliquos adæquet, disputat, non velle Deum omnes vniuersè homines saluos fieri. Secundo deinde libro, ita de libero arbitrio disputat, vt ei libertatem contradictionis negare videatur. Denique totũ opus rebus pulcherrimis, sed malè dispositis, & refertum, & simul confusum est. In Pelagianos autem tanto animi fertur impetu, vt post refutatum prolixè Petrum Lombardum, excusare cogatur, quòd *acutius & minori cum reuerentia quàm deceret, contra Episcopum Parisiensem Christum Domini*, egerit. Quid ad hoc exemplum dicet Præses Dissertator, cum suis in Remensem Archiepiscopum perpetuis conuiciis & calumniis? Et hæc de Thoma Braduvardino, déque Anglicana, & si vis, Parisiensi de præscientia & Prædestinatione controuersia, in qua pene omnes sibi repugnantes habere se fatetur, quos ad inuidiam, Pelagianos appellat. Qui licet secessionẽ in priuatis opinionibus facere tentauerit, nullam tamen ex Theologis catholicis sectam creare potuit, vbi Thomistas, Scotistas, Nominales, & alios videmus. Quòd si homini magnæ auctoritatis & doctrinæ, apud magnum Regem gratioso, & ad Archiepiscopatum Cantuariensem prouecto, libris scriptis conspicuo non licuit, quantò minùs ob eius vnius, & paucorum fortasse discipulorum obliquas de prædestinatione opiniones, Prædestinatianos illo seculo regnasse dicere possumus? Qua igitur ipse ratione, si qui priuati & obscuri, ex iis, vt loquitur, *qui carpunt aliena, cùm nihil proprium ediderint*, ingenio suo nimiùm indulgentes, incauti in aliquos Pelagij scopulos incurrerunt, florentissimas Academias, imò seculum totum vniuersè renouati Pelagianismi præpostero zelo accusauit: cùm præsertim ex iis qui de Theologia Scholastica commentarios ediderunt (ediderunt autem propè infiniti, & doctissimi quique) Pelagium purum putum nemo tradiderit? Iam ergo spectatis singularibus Prædestinatorum fautoribus, ad factiones illorum erroribus inquinatas, veniamus.

Responsio.

Braduvard. l. 1. c. 23. Coroll. 4.

Ibid. c. 39. post. med.

Idem l. 2. c. 2.

Ibid. c. 10.

CAPVT XVI.

Wicleffus & Hussius Prædestinatianam hæresim renouant.



QVINTVM & decimum seculum Wicleffus & Hussius, spurcissimum par hæreticorum, blasphemus suis conspurcarunt, in quibus & Prædestinatianas desiderari non sunt passi. Et prioris quidem eam propositionem refert Thomas Waldensis, validissimus eius expugnator: *Sicut prædestinatus non potest à caritate vel gratia tali excidere: sic præscitus non potest in illa caritate vel gratia perpetuò perdurare: quia si oppositum contigerit, non est illa* perseuerans scilicet ad finem. Est autem ille stupor hæretici, vt neque prædestinationem à gratia, neque gratiam à caritate, neque caritatem à finali perseuerantia distinguat; sed hæc pro vno eodémque accipiens, gratiam prædestinationis, & caritatis finalis perseuerantiæ, dicat non posse cuiquam excidere prædestinato, quia si excidit, *non est illa*. Hanc verò prædestinationem, gratiam, caritatem, cum homine nasci, & illi esse coæuam, cum eo perpetuò viuere, illi commori, neque vllo intercurrente peccato eripi posse dogmatizat: adeóque Petrum, & Dauidem, & alios cælo destinatos homines, etiam cùm peccarent, illa caritate fuisse potitos. Sic enim Waldensis refellere aggressus. *Quo autem ad perennem immanentiam caritatis, quam dicis à prædestinato non posse excidere, sed compati secum actuale peccatum* &c. Quæ res ostendit, eadem penitus ratione de præscitis philosophandum esse, reprobationem Pharaonis & Iudæ, cum illis natam esse, illos perpetuò comitari, interrumpi nunquam, ne tum quidem, cùm secundùm virtutem operantur, & habitualem gratiam possident: quæ simpliciter gratia & caritas non est, quia neque prædestinatio; sed alia, quàm quæ prædestinatos afficit, dicitúrque *secundùm præsentem iustitiam*. Et quemadmodum conceptis verbis affirmat hæreticus, Petrum, & Dauidem peccantes, non minùs tum fuisse dilectos à Deo, quia nihilominus caritate habituali erant præditi, quàm modò in patriæ beatitudine diliguntur: sic præscitos concludere necesse est, nunquam, ne in ipso quidem actu perfectæ caritatis, quæ sit aliquando ruitura, amari à Deo.

Wicleffi error expositus.

Thom. Wald. l. 3. de Sacram. c. 160.

Inaudita profectò theologia, vt quia Iudas non perseuerabit ad finem, nunquam habituali gratia frui possit: quia perseueraturus est Petrus, habitualem caritatem nunquam possit amittere; sed pari concordia, & gratia præsens cum peccato in præscito, & peccatum cum gratia in prædestinato conueniant. Tam apertè quidem de-

Comparatur cum Gotteschalco, & Prædestinatianis.

litare noluit, aut fortasse præ stupore non potuit Gotteschalcus; sed quod est affine, reprobos baptizatos, Ecclesiæ incorporari negauit, & esse verè Christianos. Veteres quoque Prædestinatiani ab miseris illis hominibus, originale peccatum per gratiam baptismatis tolli noluerunt. Sunt autem pares omnes in asserenda necessitate absoluta: vt notat Waldensis ad productum Wicleffi pronunciatum, *Ecce, non potest, vtrobique fixa & absoluta necessitas: non potest peccare prædestinatus:* (eo modo vt caritatem habitualem amittat,) *non potest sic vel sic non peccare præscitus:* qui sua illa reprobatione vt ad interitum, ita ad medium, peccatum ipsum impellitur. Et præclarè catholicus disputator, hanc prædestinationem & reprobationem necessitantes, cum duabus Manichæorum naturis bona & mala comparat, in eo, quòd *absque hominum libertate ad vitam & interitum naturali sua necessitate compellant.* Ita creantur & in vitam immittuntur à Deo populi duo, mundi duo, vasa iræ, & vasa misericordiæ, tantopere commemorati à Gotteschalco, ineuitabili antecedenter necessitate tales futuri, vt ne per diuinam quidem potentiam aliter esse possint; quando decretum suum mutare, & simul in essentia sua permanere non potest Deus.

Wicleuistarum explicatio reiecta. Verùm vt sui sensus arbitra semper est hæresis, & in veteribus Prædestinatianis nonnihil mutauit Gotteschalcus; ita Wicleffi discipulis durius visum est, affirmare, prædestinati gratiam eandem omnino perseuerare cum peccato, & magistri dogma sic mitigandum existimarunt, vt illa caritas remitti possit; at non excindi: *nec omnino amissibilis, sed quodammodo stupida fieri; ad modum pedis humani, quem vulgariter dormire dicimus; cùm tunc sensum non amittat, sed officium pro ea hora. Ita ergo caritas Petri cùm negaret Christum, tepuit, non autem refriguit, nec fuit extincta.* Sic Waldensis, adiuncta præterea eiusdem hæresiarchæ comparatione. *Sicut oleum rarò vel nullo tempore congelatur; sic caritas, quæ vendicat supremum locum animæ, est virtus quæ non potest refrigescere; cùm caritas prædestinationis, sit alterius rationis, quàm caritas nudè secundùm præsentem iustitiam.* Cuius temperamenti futilitatem, Waldensi dissipandam relinquo, vt in duplice Wicleffi gratia vtiliùs insistam. Duas igitur caritatis habitualis, quam *virtutem* vocat, species constituit, alteram prædestinati, alteram præsciti: habet illa sedem in apice animæ; hæc vbi? Illa nunquam potest refrigescere; hæc etiam congelascit: illa perpetua, hæc temporaria est. Vtriusque igitur cùm sit talis natura, & eo consilio cum magno personarum discrimine in ortu infundantur à Deo, non ex hominis liberè operantis voluntate, sed ex necessitate procedit, quòd illa nunquam amittatur, sed perducat ad vitam; hæc nunquam firma consistat, ne decretus interitus non sequatur. Atque ita quicquid stupidi cerebro, cum illo suo pedis stupore nugentur discipuli, qui quod veniali peccato conuenit, mortali tribuunt, ad crudum magistri dogma redeundum est, non posse peccare prædestinatum, quo dictum est modo; non posse non peccare præscitum. Quod cum Pelagiano placito confert Carmelita disceptator, posse

Waldens. ibid. c. 162.

bonos in hac vita nullum habere peccatum.

Ioannis Huz idem error. Huic consentit discipulorum antesignanus Ioannes Huz, cuius eæ propositiones in Concilio Constantiensi referuntur. *Infans præscitus & baptizatus, necessariò viuet diutiùs, & peccabit in Spiritum sanctum, ratione cuius merebitur, vt perpetuò condemnetur: & ita nullus ignis potest ipsum comburere, pro hoc tempore vel instanti.* Quod de sensu diuiso, & absolutè atque antecedenter intelligendum esse, nemini dubium est. Aliter paulò delirabant veterum nonnulli, puerum præreptum & præuentum morte ob ea damnari delicta, quæ si vixisset, perpetraturus cognoscitur. *Ambo errore pares, quanquam diuersa sequentes:* vt ait Hincmarus. Pergit insanus, & tanquam fidei articulum proponit: *Vt fidem assero, omnia quæ euenient, de necessitate euenient ei. Sic Paulus præscitus, non potest verè pœnitere; hoc est, peccatum finalis impœnitentiæ contritione delere, vel ipsum non habere.* Gotteschalci lingua loquebatur hic nebulo, licet hominem ne de nomine quidem nosset. Waldensis contrà sine Rabano Rabanicus, in horum prædestinationem cogentem sic exclamabat. *Pro horrida disciplina, & omnis fidei Christianæ & Apostolicæ prædicationis & exhortationis morum subuersiua repente! Nam cur non dicat peccator, non faciam eleemosynas, non orabo, Sacramenta contemnam, æstuabo deliciis, dolos venabor, & odia. Si prædestinatus sum, per præsentem iustitiam nihil accrescit meriti, & in fine caritas non excidet, quam speraui. Si præscitus, nihil minuetur supplicij, & siue sic, siue sic, nihil proficit gratia aliqua citra prædestinationem æternam, nihil adimit mihi præsens peccatum; quia Deus in infinitum plus odit præscitum existentem in gratia, secundùm præsentem iustitiam, quàm prædestinatum quantumlibet criminosum, vt dicit ibi Wicleff.* Quid aliud in Epistola Synodica Rabani olim legebamus ex Moguntiaco Concilio scripta ad Hincmarum? Deinde sapientissimè concludit ex Honorij Augustodunensis mente, & bonorum omnium conspirantibus votis. *Rogo quid iuuat fideles ista subtilitas? quos animat ad merendum? Quos excitat ad sperandum? Nunquid statim vt dicitur, omne pectus humanum infrigidat, & optatur silentio fuisse præteritum?*

Concil. Constant. sess. 15.

Waldens. ibid. c. 160 cit.

Arbitrij libertatem tollit Wicleffus. Eadem necessitate tolli ab homine libertatem arbitrij, notius est, quàm vt pluribus demonstretur: voluit tamen impietatem suam plenissimè Wicleffus intelligi, non magis perditus, sed impudentior hæreticus Gotteschalco, quia Carisiaca verbera non pertimuit. Est enim illud eius apertum pronunciatum: *Videtur mihi probabile, quòd necessitat creaturas singulas actiuas Deus ad quemlibet actum suum.* Cui succinit eius assecla Ioannis Hussij assertio, Stoici fati reparatrix. *Omnia quæ euenient, absolutè necessariò-ve venient.* Quam hæresim facit suam Wicleffus; *Recolo me dixisse in libro primo, quòd omnia quæ euenient, absolutè necessariò euenient.* Qui locus citatur à Waldensi, ne solam consequentiæ necessitatem, quam conditionatam appellat Theologia, loqui videatur hæreticus. Quo ex principio id deducit, quod antè dicebamus, *Absolute necessarium esse, quòd damnandus ponat obicem in peccando.* Hîc verò catholici doctoris zelus efferuescit, & pluribus in

Concil. Constant. sess. 15.

Wald. I. doctr. fid. a. 1. c. 2.

horridam disciplinam inuehitur, quæ diuinæ innocentiæ, & infinitæ clementiæ, qua peccatores à perditione solet eripere, *inaudibile obtrudit infamiam.* Atque post commemorata beneficia, quibus omnes ad salutem inuitat, concludit acriter. *Et post hæc omnia, dicetur, tanquam crudelis carnifex, trahens, & necessitans hominem, tanquam bestiam ad macellum, & ab antiquo proposito reseruasse homines ad mortem secundam?* Idque Augustini auctoritate confirmat, qui posita illa natiuitate, sic nascentium ad vitam, aut ad interitum, vt aliud esse non possint, præclarè colligit sequi blasphemiam, vt ad hoc legem Deus dedisse videatur: *vt haberet occasionem qua crudelitatem suam de nece hominis satiaret. Vt quid enim prohibet, quod scit auerti non posse? aut quemadmodum damnat hominem, qui non fecit, quod facere non potuit?*

Deus esset crudelis carnifex.

August. l. de quæst. noui & vet. testam. c. 40.

Atque vt ad lutulenti huius stagni caput ascendamus, si quæritur à Wicleffo, vnde tandem fatalis ista in præscito peccandi necessitas oriatur? Ad præscientiam & prædestinationem Dei recurrere, quod vidimus à Gotteschalco factum, non dubitabit. Sic enim de illo Waldensis. *Ecce vna est radix errorum eius & omnium prædictorum, necessitas absoluta futurorum euentuum. Hæc est grata hæresis Manichæis, Iouinianistis, Iacobitis, Prædestinatis, Wicleuistis, & Paganis. Sed propter necessitatem istam destruxerunt hi prædicti liberum arbitrium; quidam publicè,* (apertè & nudè) *sicut Manichæi & Iouinianistæ: quidam occultè, sicut Prædestinati & Wicleuistæ; qui profitentur quidem liberum arbitrium saluare, & saluant quidem exemplariter,* (exteriùs, & in speciem) *sed destruunt in effectu. Prædestinati quidem, in hominibus & Angelis, quibus solis necessitatem illam adscribunt; Wicleuistæ, in diuinis personis.* Quid ita? Quia *futurorum omnium necessitatem primam & potissimam Deo adscribere non formidat, dicens Deum, sic præscire, & ideo non aliter facere posse.* Vt aliquid tamen humanæ libertati relinquere, nec omnia in solidum detrahere videatur, vult adiici *voluntatem ad effectum meriti sui, vel demeriti concurrere debere: preces hominum, sanctorum suffragia, eleemosynas, pia vota,* & cum humanis illis actionibus, *impressiones orbium, & actiuitates causarum: quia hæc omnia præuidit Deus.* Vt præuisio & præscientia Dei præcisè, sit obiectorum suorum causa, & quidem necessaria, cui nec ipsa possit obsistere, quod est Stoici fati supremum deliramentum. *Sed post hæc omnia necessariò absolutè dicit hunc elegisse sic facere,* (quomodo elegit, si necessariò fecit?) *& necessariò Deum cum eo in illa determinata parte concurrere; quia sic præuidit Deus, & præuoluit, & aliter quàm fecit vel facturus est, nec Deus, nec homo poterit facere, nec potuit vnquam ante illud.* Quia, vt paulò antè dicebat, *mutari non potest diuina prædestinatio, quæ illos præordinauit, præparauit, præaptauit vt caderent.* Quæ omnia libentissimè describo, vt te, Lector, ad secundũ huius operis librum oculos rogem reflectere, visurum neque aquam aquæ, nec ouum ouo similius esse, quàm blasphemias istas Gotteschalci Confessionibus, tanto opere laudatis à Dissertatore Præside clarissimo. Qui interim ex hoc auctore Prædestinatorum hæresim nescio quam volens auditurus sit, circa Augustini tempora, & doctrinam malè intellectam initium accepisse. Est enim hæc eius narratio: *Inter hæc surrexit hæresis Prædestinatorum in Ecclesia, qui, vt reor, occasione sumpta quorumdam verborum Augustini, præfatam necessitatem firmabant. De quibus in chronicis Prosperi, Sub tempore Cælestini Papæ, Prædestinatorum hæresis, quæ ab Augustino accepisse initium dicitur, his temporibus serpere exorsa est.* Habebit certè in promptu ex fabula sua Prædestinatiana Præses eruditus, quæ huic opponat historiæ, quam ego meam non facio. Simul meminerit, totam hanc narrationem aliunde didicisse Waldensem, quàm ab Hincmaro, quem notum non habuit. Cur ergo tam grauiter vapulat Hincmarus, quasi solus hæresis Prædestinatianæ nomenclator, & eius commemorandæ gratia ingentem librum de Prædestinatione fingitur fabricasse?

Necessitatem ducit à Dei præscientia & prædestinatione.

Waldens. ibid. c. 22.

Prædestinati hæretici.

Verùm quia monstrosæ illæ blasphemiæ, probari non possunt ei, qui se hominem esse velit, & videri, negant nihilominus excidisse homini libertatem suam. & vt caritatem cum peccato lethali, sic necessitatem cum arbitrij libertate mirabili vinculo connectunt. Qualis enim illa sit peccandi necessitas in homine, libertati coniugata, per Waldensem aduersarium interrogati Wicleuistæ: *respondent communiter, trutinantes glossam euasoriam, quòd Deus non necessitat necessitate coactionis ad bonum, vel malum futurum; quia illa sola tollit arbitrij dignitatem: non autem alia necessitas, præueniens absolutè futuritionem effectus.* Hæc est illa distinctio libertatis à coactione, & à necessitate, qua nostræ aures quotidie ad intolerabile fastidium circumsonant; cuius subtilitatem scioli Nouantes suspiciunt, qua se putant verbulis duobus hæresim omnem arbitrij liberi peremptricem euadere: cùm aiunt, soli coactioni libertatem opponi, non autem simplici necessitati: nos itaque necessitari à Deo posse ad agendum, cogi non posse. Hanc *glossam euasoriam*, Wicleuistarum inuentum, erroris infidele tectorium, duobus argumentis dissipat Theologus Carmelita; quorum prius, ab auctoritate Pauli Apostoli desumit in hunc modum. *Sed redarguunt glossam istam prudentes Catholici, obiicientes eis metaphysicam Pauli, dicentis ad Philemonem, Ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium. Vbi patet, quòd simul non potuit bonum Philemonis ex necessitate fore absoluta, & libera voluntate.* Posterius, ex natura coactionis saltem externæ, quæ libertatem interiorem non tollit. *Hæc est ergo necessitas, quæ sic opponitur libertati, non autem coactio, quæ libertatem non tollit omnino.* Id probat ex Iudæis, quos ad idololatriam cogebat Antiochus: ea vis nihilominus neque culpam tollebat, neque libertatem. Ex Christo, cogente discipulos ad nauim conscendendam, *qui non ligauit voluntatem, vt tolleret meritum.* Ex discipulis, qui coëgerunt Christum vt maneret: an etiam abstulerunt arbitrium libertatis? ex Petro, cogente Gentes iudaïzare: *Id erat cogere,* inquit Augustinus, *sic ea prædicare necessaria, tanquam recepto Euangelio, nulla sine illis salus esset in Christo. Et tamen ista coactio, non abstulit eis facultatem liberæ voluntatis.* Plura disputat auctor catholicus, in opere per Martini V. Pontificis auctoritatem probato, aduersùs hæretici vesaniam nostris temporibus non sopitam.

Necessitatis distinctio à coactione.

Waldens. ibid. c. 22.

Refellitur.

Coactio non tollit libertatem.

1. Machab. 1.

Marc. c. 6.

Luc. c. 24.

Galat. c. 2.

August. l. contra Mendac. c. 2.

Wicleffus quid sentiat de duobus articulis.

Quòd ad sequentes articulos pertinet, ij quidem à Wicleffo, vel Hussio, expressè traditi non sunt; sed habent necessariam à prioribus consequentiam. Non enim vult, imò non potest velle Deus saluare præscitos, si vera sunt hactenus posita; neque pro iis potest Christus mortem obiisse, quos antecedenter absolutè & necessariò perire oportet. Atque inter articulos, quos falsò calumnia imputauit Augustino, hunc secundo loco numerat Waldensis. *Quòd Deus nolit omnes saluare, etsi omnes saluari velint.* Tertium, *Quòd Deus maiorem partem generis humani ad hoc creet, vt illam perdat in æternum.* Septimum, *Quòd hæc sit voluntas Dei, vt magna pars Christianorum salua esse nec velit, nec possit.* Quos omnes recenset ad demonstrandum *quantùm opinioni Wicleffi conueniant.* Vt pote qui ab eius generali pronunciato nascantur, *De necessitate absoluta euentuum futurorum.* Cùm autem Gotteschalcum in Amolone viderimus, negantem reprobos baptizatos incorporari Ecclesiæ, aut membra quæsitæ & saluatæ ouis fieri: non absimile ἄτοπον ex Wicleffo refert idem Waldensis. *Omnem præscitum necessitatione diuina esse diabolum, priusquam quicquam boni cognouerit, siue mali. Vnde in barbarizatione Euangelij Sabbati vigiliæ Palmarum, dicit, quòd ex quo Iudas fuit præordinatus ad pœnam, nunquam iuit cum Christo, vt membrum eius: & quòd omnis qui damnabitur, est diabolus, sicut Iudas erat.* Non ait, erit cùm apud inferos torquebitur: sed iam est, quia aliquando damnandus. Quod dictum confert controuersista Catholicus, cum Origenis placito, peccatores præscitos in sequente seculo futuros esse diabolos: Cùm ineptiùs insaniat Wicleffus, præscitos iam tum æterna Dei præordinatione, & in natura esse diabolos. Atqui pro diabolis non est passus Christus, nequevnquam in Ecclesiam suam illos admisit. Alibi quoque Wicleffum suum cum Donatistis comparans, vtrosque ait plus iusto Ecclesiam claudere; Donatum quidem, quòd illam faciat tantùm iustorum: Wicleffum autem, quòd tantùm prædestinatorum. Nam, vt omnibus notum est, Donatistæ non nisi iustos & sanctos Ecclesiam aiebant componere; pressiùs Wicleffus, solos verè iustos, & prædestinatos ad vitam. Vnde concluditur, negasse præscitos vnquam incorporari Ecclesiæ, aut membra ouis quæsitæ fieri: quod delirabat Gotteschalcus.

Waldens. ibid. c. 22.

Ibid. c. 21.

Idem l. de sacram. c. 25.

Wicleffus gloriatur auctoritate Augustini.

Denique, ad rem nostram non minimùm facit, quòd Wicleffus Augustinum suum esse dicebat, vt qui eius auctoritate frequenter abuteretur, quasi legitimus eius discipulus. Sic enim exprobrat Waldensis. *Ecce quem dicis Augustinum tuum, & inde sectatores tui glorianter te cognominabant Ioannem Augustini, ipse contra te disputat.* Hìc verò mihi audire videor Hincmarum de Gotteschalco dicentem, frequentissimè solere eum dicere, *Augustinus noster. Sed & hìc non esse suum Augustinum.* Et quemadmodum Augustiniastrum illum ex aliis quidem Patribus, sed maximè ex Augustino confundere & refellere solitus est Hincmarus: ita Wicleffum suum Waldensis ex nullo scriptore frequentiùs, quàm ex Augustino reuincit, & penitus debellat. Wicleffum autem cùm nomino & Gotteschalcum, Hincmarum & Thomam Waldensem, homines dico nulla inuicem notitia coniunctos: cùm neque priores quicquam de posterioribus diuinare potuerint; neque posteriores, priorum mentionem vllo vnquam in scriptorum angulo fecerint. Et tamen eadem de prædestinatione docuerunt Gotteschalcus in Gallia, Wicleffus in Anglia: vnde amabo, nisi ex communi Prædestinatianorum veterum lacuna hausta? Eodem Augustino ceterisque Ecclesiæ Patribus ad eos errores confutandos vsi sunt Hincmarus, & Waldensis: à quo acceperunt, nisi ex Ecclesiæ & veritatis manu?

Wald. ibid. c. 161.

CAPVT XXI.

Prædestinatianam impietatem superioris seculi Nouatores palam inuehunt, & profitentur.



Nouatores antiquas hæreses non dissimulant.

MINVS habet cognationis Wicleffus cum Gotteschalco, plerisque in rebus, quàm Lutherus & Caluinus cum Wicleffo. Et isti tamen Gotteschalcana deliria, aliunde sanè quàm ab eo sumpta, tam graphicè expresserunt, vt eodem mendacij discordiæque spiritu agitati omnes non immeritò dicendi sint. Caluinus etiam præterea liuatas scapulas æquè potest ostentare, vt Gotteschalcus flagellatas. Hoc tamen discrimine anteriores, ac noui isti Prædestinatiani eadem docuerunt, quòd hæresis, siue primo in ortu, siue per Gotteschalcum restituta, quasi suæ deformitatis conscia, verecundiùs processit in lucem, & ea studiosissimè texit, ob quæ maximè debebat improbari. At impudentiam isti, gloriam putant, & sinum patentem, velut sentinam, omnibus veterum hæreticorum sordibus excipiendis offerre, cum aperto doctrinæ catholicæ contemptu, vocant Ecclesiam. Eo futuri sanè amiciores Gotteschalco, si notum habuissent ex historia, quàm Wicleffo; quòd ille ab Episcopis viuus ac spirans condemnatus, animosiore peruicacia contempsit Ecclesiam. Sed quid interest quem sequantur isti, cui Wicleffus adhæserit, cùm eodem omnes animo, eadem semita aberrent à Christo, qui via, veritas, & vita est?

Lutherus Prædestinatianus.

Non expectas, Lector, dum id tibi operosiùs probem, quod palam in conspectu solis huius profitentur hæretici, cuius relatione parietes nostri omnes circumstrepunt, quod in errantium, & ab erroribus reuocantium ingentibus voluminibus omni pagina continetur. Quin etiam Dissertator ipse noster, à quo Prædestinatianæ historiæ, nouum fabulæ nomen inditum est, hodiernos Nouatores Prædestinatianos esse agnoscit, ante illos neminem: fuitque hactenus tota nostra disputatio cum illo, non vtrum sint Prædestinatiani aliqui; sed, vtrum ante Lutherum & Caluinum extiterint? Non, vtrum humani arbitrij libertatem tollant hæretici? Sed, vtrum eo in articulo Gotteschalcus errauerit? Quid enim est illud Lutheri? *Liberum arbitrium est figmentum in rebus: seu titulus sine re, quia nulli est in manu sua quippiam cogitare boni aut mali: sed omnia (sicut Wicleffi articulus Constantiæ damnatus, rectè docet,) de necessitate absoluta euen-*

Luth. in assert. artic. 36.

niunt. Quod & poëta voluit, quando dixit, Certa stant omnia lege. Planè ex hæreseos decoro, quæ poëtæ Ethnici auctoritatem, Generali Concilio præferre non dubitat. Eodémque quo Gotteschalcus & Wicleffus principio præscientiæ nititur, aut potiùs cadit. *Deus cùm tales nos sciuerit futuros, taléſque nunc faciat, moueat, gubernet; quid potest fingi, quæso, quod in nobis liberũ sit aliter atque aliter fieri, quàm ille præsciuerit, aut nunc agat? Pugnat ergo ex diametro præscientia & omnipotentia Dei cum libero nostro arbitrio.* Philippus Melancthon, alter Lutherus, prædestinationis vocem huc infert, ne nomen ipsum veteris hæreseos desideretur. *Quî potui dissimulare sententiam scripturæ de prædestinatione, quando voluntati nostræ libertatem per prædestinationem adimit scriptura?* Iterum quoque. *Si ad prædestinationem referas humanam voluntatem, nec in externis, nec in internis operibus est vlla libertas, sed eueniunt omnia iuxta prædestinationem diuinam.*

Idem l. de seru. arbit.

Melanct. in locis Commun.

ApudCocc. in Thes. tom. 2. l. 1. art. 5.

Caluinus etiam his errat.

Post hæc tribus tantùm digitis, ex diuite Iodoci Coccij thesauro libata; (fateor enim fontes istos turbulentos à me non esse consultos, cui bonis libris percurrendis vita non sufficit,) si manum admoueo ad locuples Stapletoni Promptuarium, quod forte in promptu est, Caluinum audiam electionis, & præscientiæ notiones per Theologiæ contemptum, disertè confundentem: qua de re loquentem ambiguè Gotteschalcum, ex eiusdem Theologiæ ignorantia, suo loco vidimus. *Præcognoscendi verbo, non intelligo speculationem nescio quam, qua præsciuerit Deus qualis quisque futurus esset: sed beneplacitum, quo sibi elegit in filios, qui nondum nati, in eius gratiam se insinuare non poterant.* Qui vt faciliorem sibi viam ad prædestinationem absolutam, & antecedentem sternat, nullam in ea vllo tempore vult fieri futurorum operum mentionem. Sic enim Stapletonus idem. *Præscientia velo electionem non modo obscurari, sed & aliunde quàm ex Dei beneplacito, originem accipere Caluinus conqueritur: idémque Deum, absque vllo respectu ad hominum futuram cooperationem, quascunque voluntates consilio ac decreto suo, quod earum omnium considerationem antecedat, prædestinare affirmat: in hanc suam sententiam vnum Augustinum trahens, cùm seculis omnibus alios magnos auctores sibi aduersari fateatur.* Quo ex hæresiarchæ sensu, quia bonorum operum necessitas minuitur, & arbitrij libertas euacuatur, eundem Caluinum paulò post sic decernentem inducit. *Sic habent inter se Dei gratia, & meritum operum, vt qui alterum statuit, alterum euertat.* Et in c. 1. Euangelij Ioannis, ad illa verba, *Dedit eis potestatem filios Dei fieri:* postquam probauit eo loco rectiùs intelligi liberam facultatem, & potentiam datam à Deo, quàm filiationis illius dignitatem & præstantiam, demum sic concludit. *Sic Pelagius dicebat, Si est Dei gratia, non est liberum arbitrium. Sic è diuerso Caluinus censet, Si est liberum arbitrium, non est Dei gratia. Vtrunque contra Pelagium docuit S. Augustinus; vtrunque contra Caluinum, aliósque hæreticos docet Ecclesia catholica.* Denique, qui sublata libertate arbitrij, Deum peccati auctorem facere non reformidat, quem alium scrupulum in tota prædestinationis quæstione non facilè concoquet?

Stapleton. in Epist. ad Rom. c. 11. n. 1. Tom. 3.

Idem ibid.

Ibid. n. 5. 6.

Idem in Euang. Ioan. c. 1. n. 13.

De articu-

Iam pro solis, non dico fidelibus, sed prædestinatis, quod merum fuit Gotteschalci dogma, mortuum esse Christum; neque alios præter electos, saluare absolutè & antecedenter velle Deum, iidem hæretici paginis omnibus suorum voluminum clamitant; adeóque fœdè scripturæ locos, quibus dicitur Deum velle omnes homines saluos fieri; in Christo omnes viuificari; gratiam Dei pro omnibus gustasse mortem, & similes, diuexant, vt sæpissimè sola expositionum absurditas, sit elenchus erroris. Hinc est Ecclesia illa, paucis constans electis, olim à Gotteschalco delineata, qui negauit reprobos incorporari Ecclesiæ, & fieri verè Christianos. De qua quid sentiat Caluinus, ita breuiter colligit Bellarmin. Ecclesiã apud ipsum ex solis iustis prædestinatis constare, & in ea explicanda tribus niti principiis. Primum est, fidem ab hominis animo semel perceptam, excidere non posse, ac proinde qui fidem habeat, necessariò esse prædestinatum. Hoc de caritate Wicleffus affirmabat: fuitque olim Iouiniani placitum. Secundum, veram Ecclesiam soli Deo notam esse, vt quæ constet ex fidelibus, hoc est, electis, qui nulla apud homines nota ab aliis distinguuntur. Tertium, esse præterea exteriorẽ quandam Ecclesiam, in qua mali cum bonis, reprobi cum electis permisceantur, quam nos veram & solam esse volumus, ille falsam & vmbratilem cum Donatistis Africanis debet appellare.

In posterioribus idem cum Gottesc. chalco sentiunt.

Bellarm. de Eccles. Milit. l. 3. c. 2. tom. 2.

Denique, ne quid illis de veterum hæreticorum impudentia & importunitate desit, Augustinum omnes ore pleno buccísque tumentibus concrepant, Augustini doctrinam, aut verba potiùs ad vnguem recitant, vt olim Gotteschalcus; quos si audimus, vt Homerus in Ennium, & Euphorbus in Pythagoram, sic Augustinus in Lutherum, & Caluinum sese insinuauit. Audi vel Philippum vnum Melanchthonem, dum Lutheri sui, aduersùs Sorbonicam censuram, dogmata tueri conatur. *An non Lutheri de libero arbitrio & gratia, si rectè rem æstimas, sententia tota Augustini est? Et hunc per omnia sequutus est in commentario ad Galatas. Extant Augustini libri aduersùs Pelagianos: eos si contuleris cum Lutheri dogmatis, videbis de summa rei conuenire.* Parum hoc est, nisi aliqua etiam re Augustinum superet Lutherus. *Fortassis alter alicubi quiddam dixit argutiùs, at multa Lutherus diligentiùs, (rumpite vos interim Magistri nostri) quàm Augustinus.* O vecordiam! Quid est autem cur rumpantur inuidia, si non legunt, si nesciunt Augustinum? *Quòd si vnquam dubitatum est in quo genere litterarum atque artium versaretur Lutetia, id nunc declarat hic locus, in quo palam adparet, in tota ista Sorbonica facultate, neminem esse qui Augustinum attigerit. In ipsa scriptura quid possint, facilè æstimari potest, quando ne Augustinum quidem, vulgarem alioqui inter Theologos scriptorem, viderint.* O calumniam! Cur enim? Quia locum quendam Augustini aliter explicant, quàm Lutherus: ídque mox inuerecundè repetitur. *Ego hîc, per gratias, nihil sic miror, atque in tota ista Sorbonica facultate neminem fuisse, cui Augustini sententia comperta fuerit.* O insaniam! Idem de se prædicat Caluinus, nihil à se dici de gratia & libero arbitrio, quod totidem verbis Augustinus non dixerit; ne syllaba quidem opinionem suam ab Augustino differre, & eiusdemmodi

Augustino auctore immerito gloriantur.

Melanct. Apolog. pro Mart. Luth.

Lutherus Augustino diligentior.

di alia; quibus paria quamplurima aduersùs catholicos Theologos à Nouantibus quotidie iactari audimus: neque animaduertunt acuti homines illa cùm dicunt, propiùs esse vt Augustinum, si Deo placet, hæreticum faciant, quàm vt se catholicos. Et hactenus de sectis, déque priuatis, errores Prædestinatianos publicè profitentibus: qui sequuntur, subtiliùs falli, & speciosiùs fallere didicerunt.

CAPVT XXII.

Gotteschalci patrocinium nostro demum seculo à recentibus quibusdam scriptoribus susceptum.

Hoc seculo diuersi de Gotteschalco scripserunt.



ET priores quidem illi nihil curantes, ac ne appellantes quidem Gotteschalcum, rectà, absque medio, veteribus Prædestinatis se adiunxerunt: qui autem seculo hoc nostro turbant in religione, Gotteschalcum refodiunt & tuentur, negántque Prædestinatianum fuisse; quia hoc ipsi censeri nolunt, quod est cum illo coniunctissimum. Sed quemadmodum alis in erroribus probati sunt & conuicti rei doctrinæ Caluinianæ, quam verbo tenus exhorrent, ita non leuis mihi spes affulget, fore aliquando Catholicos Theologos, quos fidei zelus excitet, ad detegendam in eis, quam non rarò ex ipsis audiuimus, prædestinatianam necessitatem, & occasum arbitrij. Interim de reuocato ad hominum memoriam Gotteschalco hæc obiter notamus: ab historicis & chronologis nostrorum temporum vulgò inter hæreticos numerari: à Gerardo Vossio ad historiæ Pelagianæ finem de eius vita, déque doctrina, fusiùs quàm ab anteriorum quoquam esse narratum: & ita quidem, vt in ea disputatione potiores Hincmaro partes semper tribuat, & iustè damnatum Gotteschalcum pro hæretico fateatur. Inde sumptum à Iacobo Vsserio, ex iisdem cum illo scriptoribus, eius argumenti plurimum amplificandi prætextum, quasi Vossio integràm suggerere velit, augendæ ipsius in noua editione historiæ Pelagianæ materiam. De quo quid sentiam & ex Apparatu, & toto passim opere non est obscurum. Priorem illo Gotteschalci Panegyristam non vidi. Nam qui ab ipso memoratur in Epistola dedicatoria ad Vossium, Ioannes Latius, qui & ipse *De Pelagianis & Semipelagianis commentarios* edidit, mihi est ignotus, neque de Gotteschalco quid sentiat, & vtrum omnino Gotteschalcum nouerit, possum dicere. Quamobrem duos notos tractatores Vossium & Vsserium si volumus inuicem conferre, vterque Gotteschalci dogmata oculo perspicaci vidisse credendus est, quæ prior apertè detestatur, posterior tolerat: ille Hincmari cum Gotteschalco contentionem, à Lugdunensium disputatione cum Hincmaro distinguit, quod & nos fecimus; iste omnia confusè producit, quasi vnica foret illa quæstio, neque dissimilis eam propugnandi methodus. Hic sola Gotteschalci morte finem bello putat impositum; mauult ille conuenisse partes in concordiam, præcipuo tamen quæstionis articulo indeterminato, & in vtramuis partem, probabilitati relicto. Neuter autem verum Lugdunensium tractatuũ auctorem, Valentini Concilij mentem, artes inuidiæ in Hincmarum, aut exquisiuit, aut assequutus est. Ceterum quantum Gotteschalcus & Ebbo, Hincmaro, causa causæ; tantùm Vossio, mea quidem sententia, hoc in proposito cedit Vsserius.

Voss. l. 7. hist. Pelag. p. 4.

Vsser. epist. dedic. ad Voss.

Vossius & Vsserius inuicem collati.

Iansenius Gotteschalcum negat fuisse Prædestinatianum.

Tom. 1. l. 8. c. 23.

Ab Vsserio Caluinista, Gotteschalcum in catholicos referente, & omnino negante vllos antea Prædestinatianos extitisse, aut Concilium Arelatense & Lugdunense contra Lucidum fuisse verè coactum, Cornelius Iansenius Iprensium Episcopus, sectæ tumultuantis auctor & princeps, hoc ipsum auidè arripuit, *nunquam in rerum natura fuisse hæresim Prædestinatianam, vel hæreticos Prædestinatianos:* Vnde necessarium est, vt & ab ea immunem reddat Gotteschalcum, & Hincmarum arguat imposturæ. Sic igitur in hunc locum ingreditur. *Iam verò dogmata quæ Hincmarus Prædestinatianis imponit, sunt ipsissima calumniæ, quas Augustino, & Prospero Massilienses impegerunt.* Non est tamen adeo infensus Remensi, vt eum vndecunque culpandum existimet; neque tam addictus Gotteschalco, vt si non in ista, in aliis saltem rebus errasse non fateatur. *Quanquam Hincmarus aliquo modo excusari possit, quòd præcedentium quorumdam auctoritate motus, Prædestinatianos, hoc est, catholicos, inuidioso nomine traductos, inter hæreticos numerauerit. In eo tamen non videtur excusari posse, quòd nonnullos articulos suprà positos, hæresibus accensuerit, iisque Godscalcum, quamuis aliis ex capitibus culpabilem, onerauerit.* Quem in sensum, tractatum sic concludit. *Animaduertat Lector, nihil sibi mirandum esse, si Hincmarus Massiliensium obiectiones & anathemata, pro hæresi Prædestinatianorum acceperit, cùm eò vsque fraude ista aliena, vel propria incuria abreptus fuerit, vt articulos ab Augustino, Prospero, Fulgentióque traditos, qui vel fidem catholicam, vel doctrinam non improbandam continebant, quia à Godscalco in aliis nonnullis errante probabantur, improbauerit.* Hæc ipse, siue contra Hincmarum, siue pro Gotteschalco, satis moderatè, licet falsò. Ceterum ea moderatio quæ in Gotteschalco errorem aliquem agnoscit; Gotteschalcanos omnes aut Prædestinatianos à Iansenio non excludit. Nam absolutam prædestinationem in eo legimus, & adhibitas frustra preces pro reprobis. *Vanum est & stultum*, inquit, *pro eo irritando, vel auertendo rogare Deum, quod immutabili decreto sancitum & prædestinatum esse iam nosti. Vanum etiam pro talibus saluandis seria voluntate pati ac mori. Vanum pro talibus à perditione decreta liberandis offerre patri vota, preces, mortem ac sanguinem suum.* De libertate quæ soli violentiæ, & coactioni repugnet, apertè pronunciat, *Nullam immutabilitatis, ineuitabilitatis, vel quocunque voces nomine, sed solam coactionis necessitatem ei repugnare.* De gratia per se efficaci, & sufficientem omnem excludente, concepta sunt verba, *Hominem operanti Deo per gratiam non posse resistere. Augustinum nullam aliam agnouisse actualem Christi gratiam, nec agnoscere potuisse, præter efficacem.* Denique de taxatione sanguinis Christi mentem suam explicat cùm ait; *Nec enim iuxta doctrinam antiquorum pro omnibus Christus passus, aut mortuus est, aut pro omnibus omnino tam generaliter sanguinem fudit; cùm hoc potiùs tanquam errorem à fide catholica abhorrentem doceant esse respuendum.* Pro quibus igitur? Audi Gotteschalci discipulum. Pro iis *quos absolutè prædestinatos, electos, & saluandos dicimus: pro istis ab omni malo liberandis rogauit patrem suum, non pro ceteris qui*

Iansenius Gotteschalco consentit.

Tom. 3. l. 3. c. 11.

Idem l. 6. c. 38.

Tom. 3. l. 3. c. 24. 27.

Ibid. c. 21.

à fide & caritate deficientes, in iniquitate moriuntur. De infidelibus autem quid sentiendum? *Nullo modo principiis Augustini consentaneum est, vt Christus Dominus vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro iustorum non perseuerantium aeterna salute mortuus esse, sanguinem fudisse, semetipsum redemptorem dedisse, patrem orasse sentiatur.* Addit quod nunquam auditum est ex Gotteschalco, *iuxta sanctissimum Doctorem, non magis patrem pro aeterna redemptione ipsorum, quàm pro Diaboli deprecatum esse.* Plura hoc loco necesse non est addere, cùm pateat omnibus Dordracena Synodus, quam probando & laudando suam facit, vt alia occasione videbimus: vt mirum non sit & benignè tractari ab Iansenio Gotteschalcum, & Prædestinatianam hæresim vnquam extitisse ab eo negari, qui absolutæ & antecedentis prædestinationis sit assertor.

Ibidem.

Dissertator eum ardentissimè defendit.

Eundem Vsserium Armachanum in historia, Iansenium Iprensem in dogmatis sequutus V. Cl. Gilbertus Mauguinus in Curia Monetarum Præses dignissimus, Dissertatoris nomine hoc in opere notissimus, totam ad vmbilicos Gotteschalci persequutus historiam, omni ex parte catholicum, & vitæ sanctitate præstantem, etiam vsque ad martyrium; Hincmarum contrà eius iudicem & aduersarium, omnis improbitatis & nequitiæ reum fuisse probare contendit. Idque tam claro & infelici successu, vt quicunque deinceps ex Iansenianis Regioportuensibus in eo versati sunt argumento, Gotteschalci panegyricos, & fœdas Hincmari contumelias indidem, tanquam ex locuplete penu, deprompserint: quicunque hæretici societatem & amicitiam cum Iansenianis, ob affinitatem dogmatum ambierunt, eodem ex thesauro plurima consiliis suis opportuna excerpserint: vt si vnquam patronorum Gotteschalci, & hostium Hincmari numerus sectam conflauerit, Dissertationem pro vexillo, eius auctorem pro principe debeat agnoscere In prioribus vltimas non tenebit Anonymus, nouissimæ auctor *Apologiæ pro sanctis Patribus, aduersus Theologos quosdam Parisienses*, sufficientis gratiæ propugnatores: tam effreni petulantia inuectus in nobilem Archiepiscopum, rosis illis & vnguentis non aliunde quàm ex illo myrothecio desumptis, vt hæc à nobis hoc loco sine rubore recenseri, christiana caritas & verecundia non patiatur. In posterioribus ordines ducent Samuel Maresius Groninganus Minister, & Ioannes Henricus Ottius Heluetius Tigurinus; quem vtriusque vestigiis insistentem, in appendice repræsentabimus.

Et eius exemplo Ianseniani, & Caluinistæ.

Append. opusc. 5.

Sed vltra leges modestiæ.

Ac vide Lector, quibus gradibus ad innocentiæ calumniam descendat studium partium, & veritatis impugnatio. Fuit ante hoc seculum Gotteschalcus catholicis omnibus, & ipsi nuper Vossio, hæreticus Prædestinatianus; Hincmarus catholicus & doctus Antistes. Vsserius Armachanus rem reuocans ad incudem, & contraria contrariis opponens, Hincmarum & Gotteschalcum, huius & illius propositiones & responsiones comparans inuicem, saltem in æquali probabilitatis gradu tum fuisse arbitratur. Iansenius Gotteschalcum negat Prædestinatianos errores docuisse, fatetur tamen aliis in capitibus errasse. Hincmarum ait falsò eos illi errores imputasse: sed hominem excusat, tanquam qui sit innocenter à Massiliensibus deceptus. Quid posthæc Dissertator amplissimus; Gotteschalcum omnibus ornatum fuisse virtutibus, sanissimam & diuinam eius doctrinam, contra ius omne diuinum & humanum duplici sententia & pœna mulctatum. Hincmarum autem falli & fallere, in omnibus mentiri, hominem impudentem, impostorem, omnimodè nequam, id est, omnibus sceleribus obrutum, & quæ alia mala ex illo Hesperidum horto decerpenda exponuntur hæreticis. Deus immortalis! Eò vsque debuerunt crescere in magnum virum, doctum, catholicum, sui seculi lumen, in Christum Domini, sacrum Antistitem contumeliæ, conuicia, calumniæ? Hac via fuerunt in sanctissima Theologiæ christianæ subsellia inducendæ fraudes gentilium Sophistarum, quorum cura maxima, & ingens negotium erat iuuenes edocere, quomodo minor, & inferior æquitate causa, dicendo maior & plausibilior fieri possit & parere? Quantò iustiùs has aggressus quæstiones, dixisset Hincmaro Dissertator, quod Augustinus aduersario. *Moneat planè vt quærentem, non vt rixantem. Certè & ego quæro tecum; simul inueniemus, si simul quæramus; ambo accipiemus, si ambo petamus; vtrique nostrûm aperietur, si ambo pulsemus.* Ne & nos iisdem cum ipso consultis libris, ex iisdem fontibus veritate quæsita, opere iam perfecto, hac in recapitulatione, cogeremur ipsi dicere quæ sequuntur. *Attende, si est vnde attendas; audi, si est vnde audias; ne sonus inaniter aurem percutiat, cuius cor veritas non illustrat. Verba eiusdem scripturæ dicturus sum; quæ ibi inuenisti cùm legeres, & prætermisisti cùm litigares.*

August. serm. in Nat. sanct. Ioan. Bapt. Edition. Rom. an. 1647.

In vniuersam eius Dissertationem hic inquirendum.

Verùm aliquando tandem tempus est, vt litigium ponamus, & post causam vtrinque dictam, quædam per opus sparsa per anacephalæoseos speciem colligamus, quibus simul conspectis, iudices nostri, siue Lectores, ad ferendam pro rei æquitate sententiam quasi manu deducantur. Noster præcipuus labor cum amplissimo Dissertatore fuit; illum & hîc potissimùm conuenio, vt primis extrema respondeant: & si tibi persuasi, Lector, non fuisse illum in historia texenda fidelem, habeas præsentem memoriæ collectionem quæ dicta refricet: sin minùs, multæ simul rationes facto agmine in animum tuum impetum faciant. Hæc enim cupio amicis Gotteschalci, hostibus Hincmari, Iansenianis, Caluinistis, Dissertationis historicæ admiratoribus sub aspectum poni, ex quibus æquum de lite nostra, si odium & pertinaciam abesse volunt, ferant iudicium.

Tria præmittuntur.

In primis tria pono, certa, vt arbitror, & omnibus vulgò recepta. 1. Antiquarum historiarum antiquos historicos, locupletes & legitimos esse testes, in iudicio potissimùm audiendos. Id ingenuè fatetur Dissertator amplissimus, qui *veros fontes, auctores synchronos* appellat. Ergo, si quid illis oppositum & repugnans in medium ab vllo notæ recentis adducitur, explodendum est. 2. Rem in publico iudicio, legitimo ordine tractatam, & definitam, haberi debere pro vera. Quid enim in vita ciuili constitutum & sanctum erit, si de tribunalium omnium à quibus vel appellatio nulla est, vel ea non quæritur, sententia, rixari vlteriùs liceet & digladiari? Ergo Rabanus & Hincmarus, cum duabus suis Synodis, iudices Gotteschalci, sanctam apud omnes auctoritatem in decretis & iudiciis suis debent obtinere. Quamobrem cùm dicimus, à veteribus historicis Germanis & Gallis hæreticum appellari Gotteschalcum, nouum & insolens est quod respondet Dissertator, Germa-

Res iudicata habetur pro vera.

nos à Rabano, Gallos ab Hincmaro, nulla fide dignis accepisse. Nulli igitur eorum credendum esse, licet *veri sint fontes*, & causa perfectè cognita tulerint sententiam. 3. Priuatis nouitiorum historicorũ coniecturis, & ceteris inuentionibus locum non esse, quando veterum dicta minimè obscura sunt: perniciosas esse illas, quando per se se apertam corrumpunt historiam: parcissimè in rebus capitalibus adhibendas esse; in leuioribus faciliùs tolerari, sed in ordine popularis cuiusdam probabilitatis relinquendas semper; non extorquendam illarum à lectoribus fidem, nihil consequens in eorum imbecilla verisimilitudine posse fundari. Ergo qui sæpe, qui in rebus maximi ad res gestas momenti, ex *meditatione* sua, & *cum eruditioribus*, non indicatis *collatione* dicit, *vt verisimile est, vt credibile est, vt diximus*, & magna quædam infirmis fundamentis superstruit, à sanis hominibus non meretur audiri.

Quis in historia coniecturis locus sit.

His ita positis, vt quanta Historicæ Dissertationi fides debeatur, omnes in commune agnoscamus, neque temerè indignari Catholici, triumphare hæretici videantur: quærimus, & ad singulas petitiones, earúmque membra clarè, solidè, breuiter, sine ambagibus, responderi cupimus, 1. vbi, & quandiu, *meditationem* suam in abditissimis diuinæ prædestinationis, atque libertatis & gratiæ mysteriis exercuerit Dissertator in Curia Monetarum Præses? Cum quibus *eruditioribus collationem* habuerit? Nam cùm ars nulla sine magistro discatur, vt admonet Hieronymus, & primus discendi ardor sit auctoritas magistri, teste Ambrosio: in clarorum autem virorum laudibus, magistrorum gloriam ponamus, vt Gamaliele Paulus Apostolus, Tatianus Iustino, Hieronymus Gregorio Theologo: & ne discedamus à nostris, Rabanus Maurus Alcuino, Walafridus Strabo Rabano glorientur, Gotteschalcus autem Ratramnum *patrem & magistrum* appellet; cui vitio datum est, vix anno vno in Theologicis studiis posito, difficillimas mouisse quæstiones: Has ob res causæ plurimùm interest nosse, quantùm temporis, sub quibus præceptoribus scientiam Theologicam perdidicerit eruditissimus Dissertator.

Dissertator Theologiæ studia non attigit.

II. Post hæc studia, qualia tandem cunque extiterint, cùm se satis paratum credidit à scientia, vt historiam impeditissimam scriberet, & quæstiones maximè omnium perplexas, & obscuras disceptaret; atque prudenter intelligeret illud iter sine duce sibi tentandum non esse: haberet autem in conspectu, veteres & nouos, veros fontes, & riuulos, catholicos & heterodoxos: quærimus, quo consilio veteribus, veris fontibus, catholicis desertis, ad nouos riuulos heterodoxos se applicuerit? Cùm præterea heterodoxi duo se offerrent, Gerardus Vossius, & Vsserius Armachanus; cur hunc potiùs, professum vbique Caluinistam elegerit; quàm illum catholicis illo in proposito propinquiorem?

Malè Vossium hæreticum ducem elegit.

III. Electo tali argumento & duce ad scribendum, ea methodo concinnatum opus est, vt ad eius publicationem obstupuerint catholici omnes, hæretici ex aduerso, tanquam librum de cælo lapsum, contra Ecclesiæ Romanæ, siue Papatus doctrinam, auidissimè susceperint suspexerintque. Quærimus, id scandalum an futurum auctor præuiderit? An doleat natum? Velit-ne tanto malo in dies grassanti, qualem, & quando velit facere medicinam?

Eius liber ab hæreticis libentissimè susceptus est.

IV. Ea porro methodus est, Gotteschalcum omnibus ornare laudibus, sanissimam & diuinam eius prædicare doctrinam; Ratramnum ab animi fortitudine laudare, quòd is se Metropolitano suo constanter opposuerit; eum ab omni hæreseos circa sacram Eucharistiam suspicione liberare. Hincmarum contrà Remensem Archiepiscopum omnibus onerare conuiciis: fidem omnem omnibus eius dictis detrahere, quasi qui fuerit, secundùm Tertullianum, mendaciorum loquacissimus, impostor impudentissimus, & vir omnimodæ nequitiæ: Quærimus, vtrum hæc agendi ratio bonis moribus, christianæ caritati, & historicæ veritati conueniat? Atque vt appareat quàm facilè praui exempli flamma paratam materiam, quæ nunquam deest apud Nouantes, corripiat, eodem spiritu Apologista Patrum Regioportuensis Anonymus, statim post libri illius exortum, quid non scripsit ad Rabani, ad Hincmari contumeliam & opprobrium? Huic Dissertator amplissimus ad malè Hincmaro dicendum signum sustulit: & si cui deinceps nouatori opus erit conuiciis in nobiles, religiosos, eruditos, Ecclesiasticæ disciplinæ amantes Prælatos vibrandis, myrothecium aperuit, vnde vnguenta illa desumat. Quòd si alius, si tamen alius, secundæ pro Iansenio Apologiæ scriptor, nonnulla in ipsum acerbiùs quàm cuperet à nonnullis Catholicorum dicta, non eius vnius, sed Episcoporum omnium, & sanctissimi characteris iniuriam inuidiosissimè interpretatur; quid de tot Episcopis, corúmque præstantissimo, indignissimis modis per hominem laïcum, ad hæretici notorij defensionem laceratis, cogitare debemus?

Qua methodo susceptus sit.

Apolog. PP. parte 3. p. 3.

Apolog. 2. pro Iansen. l. 1. c. 3. & 7.

V. Dixi contumeliis istis malè conuenire cum historica veritate: & hæc pars est methodi, vt antiquorum scriptorum, verorum fontium, narrationi suam Dissertator anteponat *meditationem & collationem*, vt cùm repugnantia Hincmaro narrat, ipsum audacter dicat mentiri, se proinde vnum vera dicere: cùm inaudita prioribus seculis è cerebro suo producit, intolerabili corruptela poësim faciat & fabulam ex historia: Quærimus, quo iure, quo exemplo sibi soli post tot secula nouitates afferenti credi iubeat: quam fidem mereatur ne auritus quidem testis, qui contemnit oculatos? Quæ sint autem illa figmenta nouitatis, si postulas, Lector, in summam colligi, ne per opus nostrum fastidiosiùs vagari cogaris, aliqua è multis accipe, quibus necessarium iudicabis à Dissertatore si respondebit, satisfieri: atque hæc confidenter fabulas appello, auctoritate & exemplo Præsidis ipsius, qui Sirmondi Prædestinatianam historiam, vertit in fabulam.

Suas cogitationes veterum dictis anteponit.

CAPVT XXIII.

Ab illis patronis plurima in historia Gotteschalci ficta & excogitata sunt.



ICET in fabulis sæpe nec pes nec caput appareant, confusionis tamen quantùm quidem ius fásque erit in Anacephalæosi, vitandæ gratia, hanc seriem placet obseruare, vt quæ personas priuatim tangunt, ordines ducant: sequantur eæ, quæ de auctorum scriptis agunt: claudant

Ordo Recapitulationis.

agmen, quæ sunt attributæ Conciliis. Omnium in commune pater est, amor partium: Meditatio & Collatio, altera mater, nutrix altera. Inane, fundamentum est; cùm aliæ veris fontibus, qui sunt veteres historici, affirmatè repugnent; aliæ ipsis silentibus, recens tanquam è puteo Democriti Nouantium manibus extrahantur. Et priores quidem, veterum contrà scribentium perpetuo contemptu, & professione mendacij: posteriores autem sola primò excogitantis, & noua dicentis auctoritate, post tot secula, & leuissimis coniecturis, & argumento, *vt verisimile est, vt par est credere*, stabiliuntur. Ceterùm, omnes si persequi velim, multitudine ego & tu, Lector, obruemur: selectas accipe.

De personis, ac primùm De Gotteschalco. V. huius operis l. 1. c. 3.

I. Itaque, vt à Gotteschalco, capite & causa malorum omnium, ducamus exordium: ipsum ait Dissertator, in Monasterio vixisse sine querela, probis imbutum moribus, sacrarum litterarum intelligentiæ non impigram nauasse operam. Extremæ huic assertioni contradicit ipse Gotteschalcus: priori Hincmarus, & huic consentiunt Vossius & Vsserius, vt omittam Flodoardum.

Ibid. c. 5. 6.

Suscepto ex consensu proprij Episcopi honore Presbyteratus, petita & obtenta ab Abbate suo venia, diuino instinctu, pietatis & religionis studio Apostolorum limina inuisisse. Et reipsa in libri vestibulo, eiúsque tabula Gotteschalcum ad pedes Nicolai I. Pontificis supplicem repræsentat. Prioribus membris repugnat ex diametro Hincmarus, & ex parte Rabanus: postremi, certa & euidens temporum ratio parachronismum exsibilat.

Ibid. c. 9.

Peractis religiosè votis, ex Italia *recta Moguntiam reuersum* esse: & id dicit *constare:* contra expressam Hincmari, & Annalium S. Bertini narrationem, quibus hac in parte, contradicere non audent patroni Lugdunenses, aut Vsserius.

Ibid. c. 10.

Moguntiæ docuisse; ibi ab eo consultum Seruatum Lupum Germanum; scriptum ad Rabanum libellum, in quo illum erroris in fide notauit. Quæ omnia sunt à diuinatione.

Ibid. c. 15.

Gotteschalcùm iussum esse duci ad Synodum Carisiacensem sub fictione manus breuis. Vsurpatam ab Hincmaro contra sanctas regulas eius reclusionem in Altiuillarensi Monasterio. In ea durè habitum ab Hincmaro, in modum excommunicati, qui tamen non fuisset excommunicatus à Concilio. Horum priora peperit Meditatio; vltimo expresè repugnat Hincmarus, qui gessit negotium.

C. 18.

Eius doctrinam sanissimam esse, & diuinam; quam Amolo, Rabanus, Hincmarus pro blasphema & horrenda semper habuerunt: Prudentius, & Lugdunenses non audent agnoscere.

Ibid.

Aliquando quidem Prudentij suasu donatum fuisse communione, sed dissuadente postea Amolone penitus esse priuatum. Fabulæ. Verùm ad vitæ finem, laxatas ab Hincmaro horrendæ inhumanitatis habenas, spiritalis & corporalis humanitatis expertem obiisse Monachum. Contrà scriptam fusissimè ab Hincmaro eius rei narrationem, à Flodoardo descriptam, agnitam ab Vsserio. Cùm autem ex eisdem scriptis Epistolis monstrarit Hincmarus, ipsum in senectute & custodia delirasse, & insanas visiones retulisse: hæc falsa esse respondet Dissertator, & insaniam, atque amentiam obiicientis potiùs, quàm eius cui obiiciuntur, euincere. Denique non obstante eadem Episcoporum excommunicatione, mortuum in illa miserabilem Monachum, in locum refugij, lucis, & pacis esse translatum. Idem existimare videtur Vsserius, dum negat post tantos, per tot annos, tam fortiter exantlatos labores, in extremo actu defecisse Gotteschalcum. Qua de [illegible], Deo & Ecclesiæ iudicium censeo relinquendum.

L. 5. c. 16. 17. — Ibid. c. 15. — C. 17.

De Rabano Mauro. Vsser. l. de hist. Gott. c. 5. Apolog. PP. parte 3. p. 3. a. 13.

II. Rabanum autem Maurum profitetur in materia Prædestinationis errasse. Idem refert Vsserius ex Magdeburgensibus. Consentit & nouissimus Patrum Apologista, Rabanum *defectu luminis, & profunda ignoratione materia de Prædestinatione, & gratia, vt patet in omnibus eius scriptis, impugnasse doctrinam Ecclesiæ, quam non intelligebat.* Cuius calumniæ falsitas *patet in omnibus eius scriptis.* Addit Dissertator, eundem Rabanum iudicem Gotteschalci, multa illi imposuisse. Superbiæ crimen in eius Confessione malè deprehendere. A Notingo Veronensi de Gotteschalci doctrina & discipulis falsa audiuisse: non benè exequutum quod Notingo promiserat: in refellenda Gotteschalci doctrina fœdè hallucinatum esse, qui alia omnia, quàm quæ forent in quæstione, disputarit. Quod ab Epistolario Lugdunensi temerè acceptum, debuit ad examen reuocare, vt fecimus. Innocente demum Gotteschalco, omnibus illis turbis occasionem primùm oblatam à Rabano: quæ iucunda fictio est.

Huius operis l. 1. c. 11. §. vn. — Ibid. c. 7. — L. 3. c. 14. §. 1. — L. 1. c. 10.

De Hincmaro.

III. De Hincmaro quid dicam, in quem totum odij & calumniarum pondus incumbit? Paucissima ex præcipuis indico. Peccasse quædam Hincmarum in causa vnius appellationis Nicolaus I. iracundiùs semel exprobrat: ea Dissertator ad omnes Hincmari mores, omnia contra Gotteschalcum gesta, omnes vitæ partes ad summam inuidiam refert, & importunissimè intrudit; quod à nobis frequentissimè necessariò notatum est. Neque vnquam vlla vocula significat, eidem Pontifici ab illo perfectè in omnibus esse satisfactum: ab eodem Pontifice in summis rei Christianæ negotiis familiariter fuisse consultum, & in iis conficiendis socium & collaborantem adscitum. Hæc omnia prætermiserunt Vossius & Vsserius; siue quòd extra controuersiam vagentur, in qua veritatem quærere se dicunt, non accusationem Hincmari: siue quòd illas Hincmari cum Nicolao contentiones, vt hæretici, non illibenter spectarent, quas mirum in modum exposuit & amplificauit Dissertator.

L. 4. c. 11. & antea sæpè. — L. 5. c. 14.

Nicolaum eundem de Gotteschalco valdè solicitum, (qui non ampliùs quàm semel in priuato colloquio Luidonem de eo interrogauit) toties Hincmari artibus elusum fuisse. Obtulisse quidem Pontifici aliquando Hincmarum, Gotteschalcum ad ipsum mittere si iuberet, sed id simulata benignitate, & patientia fecisse.

L. 5. c. 7. 13. — Ibid. c. 9.

Pontificis eiusdem iussu ab Arsenio Legato interrogari debuisse iuridicè Hincmarum, quasi inter reos relatum, de violentis eius in Gotteschalcum oppressionibus: id tamen ab Arsenio fuisse prætermissum. Quod ab Hincmari narratione, qui solus eius rei testis affertur, est penitus alienum.

Ibid. c. 10.

A Legatis aliis eiusdem Pontificis, iussum proficisci ad Synodum Metensem, vt de custodia Gotteschalci causam diceret, contumaciter contempsisse: eoque facto ius gentium, & auctoritatem Pontificiam violasse. Nicolaum ea de re cum Luidone ipsius Hincmari Legato expostulasse. Ficta

Ibid. c. 8.

omnia. Nam qui vocarunt, schismatici fuerunt, Guntharius & Theutgaudus, nulla in ipsum iurisdictione prædıti. Adde rem tantam, tam extraordinariam, probari *tacito* eiusdem Hincmari testimonio, quod est ridiculum.

L. 1. c. 15. Hincmarum scripta quædam, Gotteschalci nomine, scatentia hæresibus confinxisse, & ad Amolonem tanquam ex Gotteschalco misisse, vt ei hæreticus videretur. Quod ne ipsa quidem calumnia vnquam antea excogitauit.

L. 4. c. 4. §. 1. Eundem imponere Prudentio Trecassino, quòd Capitulis suis subscripserit, ac deinde mutarit sententiam. Idque primùm scripsisse post eius mortem; vt memoriam eius sugillet, scripta dilaceret, & auctoritatem deprimat: aut si subscripsisset, violenter oppressum auctoritate Caroli regis id factum. Mera somnia, nunquam ab vllo aduersariorum obiecta Hincmaro: qui dixit subscripsisse, testis oculatus, Carolo regi testi oculato, in libro quem plurimi testes oculati erant lecturi.

L. 3. c. 6. Lupo Ferrariensi Abbati fuisse inimicum, quòd is opiniones suas non sequeretur, cùm in eiusdem Lupi Epistolis immensa laudum præconia quotidie legamus, quibus Remensem Archiepiscopum exornat. Eidem quoque Lupo apud Wenilonem grauem ex illa simultate struxisse calumniam, leuissima coniectura ductus, asserit.

L. 3. c. 11. §. vn. Guntbertum monachum frugi fuisse hominem, & ex itinere Romano, quò mittebatur à Gotteschalco, per Hincmari satellites retractum, oppressum, aut in carcerem esse detrusum. Quo episodio quid fieri & potuerit, & debuerit ostendit, quod est poëtæ non malè fabulantis: non autem quid verè factum sit, quando id nemo alius narrat, quod erat veracis historici.

In Concil. Duziac. I. quod suo tempore publicabitur. Saltat extra chorum idem Dissertator, cùm in Epilogo vehementer exaggerat Hincmari Remensis crudelitatem aduersùs nepotem suum Hincmarum Laudunensem, qua illum post oculos effosos compingi iussisse dicitur in carcerem in Pseudo-synodo Duziaca. Idque velut omni fide contestatum refert: cùm nobilem illam Synodum octo Prouinciarum, cui & Remigius interfuit, nunquam legerit; & si quando à nobis publicatam leget, professurus sit cum sapientibus, errasse se tota via, neque de ignotis iudicium temerè ferri oportere.

Apolog. PP. parte 3. p. 3. a. 21. Post hæc mirum non est ab Apologista Patrum, Dissertatoris discipulo, Hincmarum dici *æquè ignarum ac violentum* esse: *impudentiam ipsam de eius temeritate, & audacia erubescere debuisse.* Id qui dicat *Hincmarum esse oportere, hoc est, furiosa perturbatione possessum, quæ prohibeat manifestissima cernere.* Et his similia.

De Pardulo Laudunensi. IV. Neque mitiùs de amicis Hincmari Episcopis & sentit & loquitur idem Dissertator. Pardulum enim Laudunensem Episcopum ait fuisse aulicum assentatorem, fidum Hincmari asseclam, eius factionis coryphæum. Hincmarum & Pardulum

Dissert. c. 39. ausu temerario & sacrilega præsumptione, iura omnia, & canonicum ordinem peruertisse. Fatemur & amicum, & fidum extitisse. Sed ab eo contra ius & æquum quicquam postulasse Hincmarum,

Flodoard. l. 3 c. 21. pernegamus. Et extant apud Flodoardum tituli Epistolarum ad ipsum, qui nihil nisi pium & honestum loquuntur.

De Odone Beluacensi. Huius operis l. 5. c. 7. V. De Odone Beluacensi Episcopo idem iudicium; fuisse vnum, & verisimiliter præcipuum ex fidelibus & complicibus Hincmari, quos zeli & inuidiæ facibus accensos, dixit Nicolaus Papa. Cuius ne vnam quidem nominis litterulam exprimit Pontifex. Ea de causa electum ab Hincmaro, vt Pseudo-synodi Suessionensis expeditissimam nequitiam, argutiis tam caliginosis cæcaret, vt à Summo Pontifice confirmationem furari posset. Rhetorica hæc est diuinatio, quæ facillimè destruatur titulis Epistolarum Hincmari ad illum, in eiusdem Flodoardi thesauro conditis, ex quibus magnum fuisse Antistitem illum non iniuria iudicamus. Flodoard. l. 3. c. 23.

VI. Eiusdem farinæ est quod de Luidone Parduli Diacono dicitur; qui & ipse postea Episcopatum gessit, nequitia fuisse coniunctum cum Pardulo, electum vt Pontificis animum deliniret. De Luidone Diacono Parduli. L. 5. c. 7. cit.

VII. Prudentij Trecassini Epistolam Tractoriam, Capitulorum Hincmari quasi theriacam, à Synodo Senonensi omnium consensu receptam fuisse, tum Vsserius, tum Dissertator asserunt; ille cum dubio, hic nihil hæsitans, etiam probare conatur. De Prudentio Trecassino. L. 4. c. 13.

Aliam eiusdem Prudentij Epistolam cum Collectaneo, delatam ab ipso ad Concilium Parisiense, cui aderant Hincmarus & Pardulus, quibus scribebatur, & ridiculè querebatur se cum illis amicè non posse colloqui; eam ob rem coactum ad illos scribere præsentes, & lectam atque approbatam illis audientibus in Concilio, Epistolam. L. 3. c. 10.

Prudentij sanctitatem asserit iis rationibus, quibus magis excellit Hincmarus. Confutatum fuisse ab Hincmaro post mortem, non auso viuenti resistere. Ibid. c. 9. L. 4. c. 27. §. Vn.

VIII. Florum Magistrum Diaconum Lugdunensem inter Gotteschalci fautores, & pingit in tabula, & recenset in opere, contra apertam ipsius Epistolam, qua Gotteschalcus impugnatur. De Floro Magistro. L. 1. c. 26. §. vn.

Fingit illi commissam ab Ecclesia Lugdunensi prouinciam aduersùs Ioannem Scotum scribendi; quod ante ipsum à nemine traditum est. L. 1. c. 24.

IX. Ratramnum Corbeiensem Monachum Gotteschalci magistrum amicissimum, laude dignum iudicat, quòd metropolitano suo Hincmaro constanter restiterit, quæ est rebellionis approbatio. Quòd Trinam Deitatem aduersùs illum defenderit. cùm potiùs eam quæstionem primus mouerit Ratramnus, & exortæ per eum contentioni obuiam ire voluerit Hincmarus. De Ratramno. Dissert. c. 17. Huius operis l. 5. c. 2.

In materia Eucharistiæ ne minimam quidem suspicionem prauæ doctrinæ in Ratramnum cadere posse, & cum Abbate suo Paschasio Radberto veram Ecclesiæ fidem tutatum esse. Qui contra Paschasium sensit & scripsit: qui transsubstantiationē negauit, vt catholicorum controuersistarum fert opinio, & nos in appendice monstrabimus. Denique ex illa Dissertatoris pro Ratramno apologia, concludunt hæretici, transsubstantiationem Eucharisticam non esse veræ Ecclesiæ fidem. Et hæc pauca de personis; accedamus ad scripta. Append. Opusc. pen-ult. Apparat. sect. 3.

Laudamus fideliter vt plurimùm citata à Dissertatore verba auctorum; de sensibus alia quæstio est. Sed eam labem ferre non possumus, quòd alienis auctoribus libros audacter assignet, etiam in titulis, sine auctoritate, vel exemplo præuio. Idque ab illo fiat qui Prædestinati per Sirmondum editi auctorem vult esse illum ipsum à quo confutatur; ac proinde libri suppositi accusat. Quique Sirmondum ipsum reprehendit, quòd Carisiaco conuentui Synodi nomen non donatum semel ab Hincmaro, ipse in titulo addiderit. Quod si crimen esset, (& illo in casu Sirmondus omni vacat) De libris. L. 3. c. 3.

quàm multorum, quámque grauium se censor iste reum fecit?

De libris Lugdunensibus. x. Nam vt semel multa eloquar, libris omnibus Lugdunensibus certorum auctorum nomina in titulis adscribit, in hunc modum. *Flori Diaconi & Ecclesiæ Lugdunensis. Sancti Remigij Lugdunensis Episcopi, & Ecclesiæ Lugdunensis.* Fateor ab aliquibus scriptoribus, illorum aliquos his auctoribus ex aliqua coniectura attributos. Sed duo queror. 1. Hoc ita præscriptum in titulo, sine auctoritate, sine exemplo, nisi fortasse Vsserij, sed maximè obscuro, & imperfecto: contra suam demum regulam, qua simile factum in aliis coarguit. 2. Certissimè tres libros Ecclesiæ Lugdunensis nomine publicatos in Bibliotheca Patrum, commentariis illustratos à Dunallio, & vulgò citatos ab omnibus, à diuersis auctoribus esse scriptos, neque vlla probabilitatis vmbra posse vni soli donari; quod & Vossius deprehendit. Cur ergo vnum parentem omnium Remigium confidenter nominatum vel cæci vident? (L. 3. operis.)

De titulis ad nomina appositis. xi. Eadem nouitatis audacia nominibus ignoti tituli præponuntur. *S. Prudentij Trecassini Episcopi. B. Lupi Ferrariensis. Pseudo-synodi Carisiacæ. Fabula Prædestinatiana. Pseudosynodus Suessionensis.* Quæ cùm omnia oculos nostros sua nouitate feriant, quærimus iure optimo, *In qua potestate hæc facis?* Has enim inscriptiones hactenus nemo viderat, nemo fuerat ausus appingere.

De libris vtrique Lupo assignatis. xii. Quatuor libellos nomen Seruati Lupi præferentes, in duos auctores diuidit, Lupum Germanum, & Lupum Ferrariensem, appositis eodem modo titulis. *Lupi Seruati Mogunt. Presbyteri. Collectaneum Beati Lupi Abbatis Ferrariensis*, &c. Contra & veterum morem, & criticas regulas, & rationem, quæ neque patitur duobus assignari; neque si videntur assignandi, eam partitionem ferre omnino potest.

De libro de tribus Epistolis. L. 3. c. 13. xiii. Narrat totius controuersiæ iudicium ab Hincmaro delatum fuisse ad Ecclesiam Lugdunensem, quod nunquam probauerit. Inde natum librum de Tribus Epistolis, qui sit missus ad Hincmarum, contra quem scriptus est: quod ipsi pueri libro consulto falsi possunt arguere. Libri illius auctorem esse Remigium Lugdunensem confidentissimè asserunt tum ipse, tum Vsserius; quod ex alio mauult dicere Vossius; Hincmarus autem manifestè tribuit Ebboni Gratianopolitano. (Ibid. c. 15.) Affirmat idem Dissertator primam trium Epistolarum, partem esse Epistolæ Hincmari ad Amolonem: vt (C. 14.) & quoddam Amolonis opusculum, fragmentum esse Epistolæ Amolonis eiusdem ad Hincmarum. (C. 12.) Noua omnia & inaudita.

De fictis prosopopœiis. L. 4. c. 15. 16. xiv. Occasionem libri, qui dicitur Absolutio quæstionis, per quandam fabulam exponit. Eiusdemmodi est Remigij prosopopœia in Concilio Valentino III. ficta: nec non & ea quam suprà memorabamus figura, de Ecclesia Lugdunensi, Floro diacono curam Scoti refellendi committente. (C. 23. §. vn.) Et omnium maximè notanda fictio de Lothario Imperatore mittente in Gallias Ebbonem ad Carolum fratrem.

De libris de Prædestinatione. L. 4. c. 24. §. 1. xv. In priori opere Hincmari de Prædestinatione, contineri ait ineptissimas argutias, fraudulentam nequitiam, pertinaciam qua maior fingi non potest, impudens mendacium, impudentem nequitiam. In eo quoque conuentum Carisiacum non appellari Synodum. Vnde ista nouit, cùm liber omnino perierit?

Libri posterioris de Prædestinatione scriptioni plures annos, accommodatitia, & planè sua chronologia assignat, eo tantùm consilio, vt inde conficiat scriptum fuisse post mortem Prudentij. (L. 4. c. 27. §. vn.) Eodem de libro pronunciat Apologista Patrum, *opus impostoris, & infamis calumniatoris esse, non fidei catholicæ defensoris.* (Apolog. PP. cit.) Flodoardo contrà vocante *volumen egregium contra Gotteschalcum, & ceteros Prædestinatianos.* (Flodoard. L. 3. c. 16.) Librum eius ad Reclusos & Simplices tam fuisse contemnendum, vt eius post scriptos de Prædestinatione libros suppressionem procurarit. (L. 1. c. 24. huius operis.) Quem librum quia laudauit Rabanus, assentationem ipse nuncupat.

De libro Prudentij contra Scotum. L. 2. c. 11. §. 23. xvi. E Ioannis Erigenæ libro refert Dissertator, collectas ab aliquo circiter centum propositiones, quæ sint ad Prudentium transmissæ. Scotum ab illo refutatum ea qua decet sanctos caritate; cùm eo libro nihil possit esse contumeliosius.

De Annalibus Fuldensibus, & S. Bertini. Apparat. sect. 8. L. 3. c. 9. xvii. Annales Fuldenses ab Amanuensi Rabani collectos esse, primus & solus asserit, vt eorum fidem eleuet, qui à recentioribus magno æstimantur. Annalistam verò S. Bertini acerbè admodum tractat, ob indicatum Prudentij verum nomen, & religionem: Nequissimè, falsò, &c. dixisse, Hincmari cui fauebat, & causæ quam pertinaciter fouebat studio. *Nequam Annalistam, virulentum & impudentem impostorem.* Et his plura.

De libris Gotteschalci. L. 5. c. 15. xviii. Gotteschalci varios libros & epistolas, quos ad declarandos eius errores vel amentiam citat Hincmarus, tanquam ab ipso confictos, ridet & reiicit.

De Conciliis. His breuiter perstrictis, quæ propria Dissertatoris meditatione, vel cum eruditioribus collatione sunt adinuenta, veteribus incognita; superest vt de Conciliis aliqua libemus, quorum vt sancta debet esse auctoritas, sic incorrupta, & nullo fallente verbo, recta narratio.

De Concilio Moguntino. L. 1. c. 13. 14. xix. Affirmat tamen idem qui vbique Dissertator, Concilium Moguntinum Rabani Placitum fuisse, non Concilium: illi contra ius fásque præsedisse Rabanum Archiepiscopum. In eo non esse disputatum de Gotteschalci opinionibus, ac proinde non esse damnatas. Epistolam Rabani missam cum Gotteschalco ad Hincmarum, non esse verè Synodalem. Quæ omnia non tantùm historiæ Moguntinæ scriptori Serario, sed etiam rationi repugnant, licèt primus obscurare conatus sit Vsserius.

Seruatum Lupum Presbyterum Moguntinum amicum Rabani, non benè aduersùs eius opiniones animatum fuisse: describit tamen ex Trithemio Lupi eiusdem certamen in Synodo, pro Rabani sententia contra Gotteschalcum, quem manifestè vicit & confutauit. (Dissert. c. 5.) Idem tamen Lupus, si creditur Nouatori, Gotteschalcum eundem libro de tribus quæstionibus postea scripto, defendit. Quam fabulam apertæ contradictiones explodunt.

De Synodo Carisiaca priore. L. 1. c. 16. 17. xx. Synodum Carisiacensem priorem nihil præter Placitum fuisse. In ea nec erroris conuictum, nec excommunicatum esse miserabilem Monachum. De virgis autem, Quid? Applicitas agnoscit, sed factum negat secundùm canones Agathenses, & regulam S. Benedicti. Quicquid opponat, factum testari potuit Gotteschalcus, neque se vnquam malè cæsum questus est.

De Carisiaca posteriore, & Capitulis. L. 4. c. 3. 4. xxi. Synodum item Carisiacam posteriorem, Pseudo-synodum esse, & ita proscribit in titulo: furtiuum Conuenticulum Episcoporum factioso-

rum: Capitula quatuor præcipitanter scripta per Hincmarum: ab Episcopis repugnantibus & potestate violentiáque regia coactis fuisse subscripta. Quæ est & tyrannidis in rege, & apostasiæ in Episcopis calumnia, à veritate remotissima.

De Concilio Valentino III. XXII. Concilio Valentino III. præfuisse Remigium Lugdunensem. Canonum sex primorum esse auctorem eundem Remigium: posse alios alteri cuipiam attribui. Mentiri impudenter Hincmarum, qui illos omnes Ebbonis vnius esse fingat, vt infamare & calumniari ad arbitrium valeat. Quæ omnia vana sunt, & verè arbitraria. Ibid. c. 17. C. 24. §. 2.

De Concilio Lingonensi. XXIII. Atque is in idem Concilium longè contumeliosior est, cùm ait, censuram aduersùs Hincmari Capitula in eo latam, fuisse deletam à Concilio Lingonensi, *quasi contentionis & querelæ occasionem non necessariam.* Ibid. c. 25.

Huius Synodi canones eodem quo habita est anno Romam delatos, & à Nicolao I. confirmatos esse. Quæ est iucunda historici meditatio. Qui ne scriptum quidem ab eo Pontifice librum, post Hincmari dubitationem, solidè probare potest. C. 32. C. 33.

De priore Concilio Tullensi. c. 26. XXIV. In priore Concilio Tullensi ad Saponarias, non fuisse recitata Hincmari Capitula: sed illis per prouisionem reiectis, admissos esse Canones Valentinos, siue Lingonenses. Cùm ex aduerso Vsserius, sola Hincmari Capitula fuisse audita narret: vterque falsò, & contra Hincmarum præsentem illi Synodo. Quia autem sibilo excepti sunt canones Lingonenses, ait per calumniam Dissertator habuisse Hincmarum Episcopos ad manum, qui Præsules præstantissimos sibi aduersantes soliti essent exsibilare. Ibid. §. vn.

De Concilio Tullensi posteriore. XXV. In posteriore Concilio Tullensi ad Tusiacum, non esse ausum Hincmarum Capitula sua proferre: sed acquiescere maluisse præcedentis Concilij repulsæ, quàm præuisam futuræ condemnationis confusionem sustinere. Id autem mirum est à viro graui fingi potuisse; cùm manifesta ratio dictet, Lingonensium fuisse prosequi admissionem canonum suorum, in eo Concilio ad quod remissi fuerant. Ex eius Concilij Epistola Synodali constare affirmat, quod & nos libentissimè accipimus vt verissimum, & nulla oppositione expugnabile, quàm fuerint alieni Galliarum Epicopi à Pelagianæ hæresis reliquiis, & Scotorum pultibus, quas falsò addit Hincmarũ, cum Ioanne suo Scoto illis temporibus renouasse. Constat profectò, alienissimum fuisse Hincmarum auctorem Epistolæ, & illius tantopere laudatæ & probatæ etiam atque etiam meminisse cupio illustrissimum Dissertatorẽ, & Apologistam Patrum eius sectatorem, vt ob oculos perpetuò gerant, omnium à se in mores, & fidem Hincmari dictorum condemnationem à seipsis latam. Ibid. c. 29. C. 30.

Has omnes & eiusdemmodi alias fictiones, fabulas, meditationes, collationes, quocunque nomine illas vocari ius fásque est, veteribus historicis incognitas, hoc demum seculo excogitatas, ante annos aliquot publicatas, expende, Lector, & vbi earum rationem accuratam ab auctore exegeris, de causa Gotteschalci & Hincmari profer sententiam.

CAPVT XXIV.

Epilogus ad Amplissimum Dissertationis Historicæ & Chronicæ auctorem.



INVRBANVM fuerit te insalutato, vir Amplissime, manum de tabula tollere, quæ de tuo potissimùm creuit, & *pacificam coronidem*, quam pollicitus iamdiu, prudente, vt arbitror, consilio distulisti, tecum vtriusque nostrûm *operi* imponere. Perorata causa est, tua meâque aduocatione. De mea, Regioportuensis factio quid sentiat, insuper habeo: mihi *pro minimo est vt à vobis iudicer, aut ab humano die.* Sannas, satiras, contemptum, plebeculæ ludibria, iamdudum rident sapientes. De tua quid cogitem, non ignorás. Post illa sparsa & collecta, scribere te profiteris historiam *sincerè & absque fuco, pro ingenioli tui modulo, summa fide, nec minima diligentia.* Ego facilè *diligentiam* tibi concedo: quam & in plerisque nimiam puto, quoties aut obscuranda fuit veritas, aut tegendum vitium, aut contra Hincmarum, eiúsque partes declamandum. Hoc clamat superior elenchus fabularum tuarum, qui præuisos à te, & occupatos omnes veritatis historicæ aditus, confictis meditando responsionibus declarat. Atque vtinam hoc operæ atque industriæ in argumento catholico aduersùs hæreticos collocasses! haberes modò ab Ecclesia laudem, & gloriam, quam à Caluinistis sperare flagitiosum fuit, obtinere turpissimum. Itaque solus sine riuali catholico partis fruere, dum ego de aliis dotibus moueo quæstionem. *Dissertator diligentiam attulit ad historiam.* *Dissertat. Præfat. & Epil.*

Historici siquidem *sinceritas* est, summa cum animi tranquillitate motibus alienis interesse; oculo in partes irretorto, quæ se offerunt, qualitercunque, & vndecunque adueniant, spectare: τὰ σῦκα σῦκα, τὴν σκάφην σκάφην λέγειν: bonis benè, malis malè velle, laudem & vituperium meritis, non studiis impendere. An tu in toto Hincmaro nihil vsquam reperisti quod laudares, quod excusares, quod non grauissimè reprehenderes? nihil in Gotteschalco non sanctissimum, non eximiè catholicum, non omni virtutis genere refertum? Aliter præiuit Iansenius tuus. *Non autem sinceritatem.*

Historici *fucus* est, morum & doctrinæ labes orationis pigmentis, & verborum tectorio inducere, *vt verisimile est, vt par est credere, vt diximus,* tanquam si diceres, solidè probauimus, quod nudè, nullo teste, leuissimis coniecturis prolatum est. *Fucus* est, coniecturalibus argumentis grandia quædam & falsa adstruere: inuentis propriis lumen veritatis obscurare; negotia inuicem implicare, & si quid in vno peccatum est, ad alia omnia transferre: obtrectationes æmulorum pro veris criminibus venditare. Hæc per totam Dissertationem & Synopsim fusa, nullius prioris exemplo, nullius ingenui patrocinio potes tueri. *Sed fucum.*

Historici *fides* est, receptam à pluribus seculis traditionem sequi: veterum sensibus & dictis noua, inaudita, à se vno excogitata non opponere: canæ senectutis auctoritatem, quia iuuenilibus nostris iudiciis aduersatur, non eleuare; vt tolerabilius sit cum præcedentibus non improbatis errare, quàm curiosis nouitatibus adhinnire. Quamobrem Sigebertum hac ratione Iansenius ipse excusat, quòd *historici absque profunda talium rerum indagatione, plerumque libris mandare soleant, quod be-* *Fidem nullam.* *Iansen. tom. 1. l. 8. c. 23.*

va fide apud alios scriptum inueniunt. In hunc sensum de Hincmaro veterum narrationes referente, semel dixit Sirmondus *procliue esse fallere & falli.* Hoc dictum iugi importunitate refers ad eius dicta omnia, sua facta narrantis. Quo autem consilio triceps opus suscepisti, nisi vt in vestræ sectæ gratiam Gotteschalcum, ab omnibus antè damnatum absolueres, Prædestinatianam hæresim quæ vobis obiicitur, è veterum libris abraderes, Hincmaro apud historicos laudatissimo, vtrique maximè infenso, illuderes? Crede mihi, hæreticum Hincmarum non fecistis, túque tuúsque pedisequus Apologista; sed opus tuum hæreticorum delicias, & manna de cælo lapsum.

Exemplum in Prædestinatianis, & Concilio Arelatensi propositum.

Historica *fides* est, quoties de facto quæritur, (quid autem aliud quærit historia?) in colligendis anteriorum narrationibus religiosè versari: non auté in amplificandis, mutandis, interpolandis pro libitu industriam ostentare. Vos verò quid aliud cum Prædestinatiana vestra hæresi, (placet enim istud exemplum ponere) cúmque Arelatẽsi Concilio & Epistola Lucidi? Erant ista apud maiores nostros è veterum relationibus testatissima: eam viam post tot secula securus ingressus est Baronius, Ecclesiasticæ mens & genius historiæ; eandem triuerunt Henricus Canisius, Maldonatus, Genebrardus, Binius, Prateolus, Becanus, Serarius, Gaulterius, Vossius, Sirmondus, & quis non? Displicuit ea res Vsserio, Gotteschalci, & Caluinianæ sectæ in illo patrocinium meditanti, & opinioni ab antiquo receptæ se primus opposuit, fingendo discipulos Augustini hanc à Massiliensibus passos esse calumniam. Auidè hoc inuentum arripuit ab Armachano Caluinista Iansenius, & iisdem argumentis, frequenter & verbis, eandem hæresim explosit; sed vno tantùm capite, & adhuc verecundiùs: *vt suspicionem*, inquit, *meam liberè dicam, & Lectoribus diiudicandam relinquam.* Tu velut maioribus tuis sapientior, & doctior, confidentissimè *Fabulam* appellas, & prolixo tractatu *Fabulæ Prædestinatianæ confutationem* suscipis. Ita nouitas vires acquirit eundo. Stabat tum adhuc fixum Arelatense Concilium, & Epistola Fausti, quanquam habebatur subdola, legebatur tamen vt germana. Mortuo Iansenio visum est iterum Vsserio, Pelagianam historiam in suo terrarum angulo retractare, & ex hominum si posset memoria Concilium Arelatense, cum illa Epistola delere. Sequuti numeroso statim agmine Ianseniani, Apologistæ, Dissertatores, maxumi, medioxumi, Concilium illud & Epistolam, addita horrenda Fausti Reiensis execratione, ad fabulas amandarunt. Quidni enim? cùm vnum inter heterodoxos socios atque amicos repereritis Vsserium qui vobis præluceret. Hæc est *fides* historiæ?

Vsser. l. histor. Gotteschalc. c. 1.

Iansen. cit.

Apolog. 2. pro Iansen. l. 3. à c. 14 ad 20.

Conclusio, & ad concordiam adhortatio.

Sed hîc tandem aliquando desinamus, & penitus, si me audis, desinamus scribere, iurgari, lædere inuicem, & Ecclesiæ pacem quam ei reliquit Saluator, vt loquitur Lupus noster, nostra ipsi pace & quiete reddamus. Cui enim bono tot monumenta veterum aperta, tantùm pulueris exhaustum in excutiendis Bibliothecarum angulis, tot libelli vestri, Catechismi, Preces, Apologiæ, Historiæ, Epistolæ, Satiræ, volatiles chartæ, eandem centies cantilenam ad rauim & nauseam repetentes? Quid moliuntur compti illi sermones vernaculi, matronis & aulicis oblati, elegantes fuci, verborum, sensuum, locorum delicatæ corruptelæ, pellax & sui lena oratio, suorum panegyrici, in aduersarios sarcasini attici, perpetua conuicia, contemptus infinitus? Quid machinantur intentatæ aliis minæ, vt taceant; aurum aliis ostentatum, vt loquantur? Sic ab Apostolis prædicatum est Euangelium, sublatæ superstitiones, Ecclesia constituta? Caluinus aliter cauponatus est fidem, & impiæ nouitatis lupanar in Gallia Belgióque fundauit? Rem magnam simul agamus seriò. Promisisti *Pacificam operis tui coronidem.* Adsumus parati audire. Dices itaque colendam esse Augustini doctrinam, eique adhærendum? Dicimus & nos: sed hic pugnæ campus. Idem enim dixerunt Hincmarus & Gotteschalcus, par compositum. Ego magis & certiùs colendum aliquid ostendo, Ecclesiam. Pugnabis catholicum fuisse Gotteschalcum, hæreticum & nequam Hincmarum. Sed ratio repugnat & auctoritas, & ea pugnæ inter nos causa vnica est. Et ego, cùm illud eiiceris, securius aliquid adferam, fidei regulam. Pelagium, & Pelagij reliquias execraberis: Detestamur & nos. Nihil-ne de Caluino? Eum nos anathematizamus, & hîc bellum redintegratur. Nam principes vestros audiuimus publicè profitentes, malè hactenus intellectum, malè damnatum, malè à suis defensum fuisse Caluinum. Sentis ergo tua coronide nihil posse terminari. Iubes & tu aliquam à me produci, facilem, & verè *pacificam?* Pareo, & hortor etiam atque etiam vt experiare.

Pacificam operis coronidem promisit Dissertator.

Scis quid olim Theodosius Iunior Ioanni Antiocheno scindenti Ecclesiam scripserit? Ephesino Concilio subscribe, damna Nestorium, pacem dedisti. Hæc mea est regula. Subscribe Concilio Tridentino, & nuperæ Innocentij X. Constitutioni, eo quo iubet Illustrissimus noster Archiepiscopus modo, *secundum formam & tenorem absque specie expositionis, aut vllius cuiuslibet prætextus.* Damna ex animo Caluinianam, & Iansenianam hæresim. Conuenimus. Afferant alij citationes, expositiones, sensus, Apologias, tergiuersationes, artes, satiras, & omnibus probent se causa cecidisse. Da tu verba duo, pura, simplicia: quicquid suprà additur, à malo est. De fulgurito Θεομάχῳ dictum est, *tonitu fulmen meruisse secundum.* Quid mereantur qui propriè *ponunt in cælum os suum*, quid accepturi sint, aut ab hominibus, aut à Deo, supra nos est: hoc videmus, quàm sit illis *durum contra stimulum calcitrare.* Tibi honestum est è lubrico pedem referre, vbi præcipitium vides, & Roma tendit manum. Satis sit Regioportui quòd eius ductu ad infideles arma detuleris: quòd libro tuo contra Romanæ fidem Ecclesiæ, præter spem mentémque, vt opinor, tuam vtantur hæretici. Si doles te deceptum, *sine illos, cæci sunt, & duces cæcorum*, & stupidorum si qui adhuc factionem non vident oculis, non tangunt manibus. Itaque, si quid ad hæc nostra reponere dignaberis, quod non refugiunt eruditi, simul eam quam dixi protestationem in fronte legero, cedam quàm libentissimè; Si non paret, certum est nec legere. *Ego cathedræ Petri communione consocior:* ad cuius arbitrium tenuem hanc opellam, pro veteri fide contra nouitates susceptam, omni cum animi demissione defero.

Vnica & certissima pacis via.

Theodos. Epist ad Ioan. Antioch.

FINIS.

APPENDIX MISCELLANEA AD HISTORIAM GOTTESCHALCI.

EX OPVSCVLIS

EIVS SECVLI NONDVM EDITIS, aliisque tractatibus Historiæ lucem allaturis Collecta.

APPENDIX MISCELLANEA AD HISTORIAM GOTTESCHALCI.

OPVSCVLVM I.

EPISTOLA LOTHARII IMPERATORIS AD LEONEM IV.

Ad Ap-par. Sect. iv.

ARGVMENTVM.

VT erga Carolum Fratrem erat affectus Imperator Lotharius, ita eius consiliorum participem & administrum Hincmarum Archiepiscopum Remensem, aut demereri studuit officijs, aut vexare factionibus, Synodisque tentauit. Vtriusque fortunæ cardo vnus fuit, ingressus in Episcopatum: laudabilis; quia vir vndecumque idoneus, seruatis Canonum Decretis, in sedem diuturna orbitate desolatam, adscitus est: obnoxius iniuriæ, quia viuo ac superstite Ebbone decessoris locum occupauit non omni ratione vacuum. Et erat Ebbo Lothario carissimus, vt pote summorum eius scelerum vel auctor, vel minister. Is ergo qua pollebat apud Lotharium gratia, quo Lotharius aduersus Carolum flagrabat odio, decennium totum noui Præsulis suffectionem in Ecclesia Remensi protraxit, erectus in spem reditus, dum ea per œconomos administraretur. Carolini autem Præsules eam præstantissimæ sedis perniciem non passi vlterius procedere, tandem impetrarunt, vt Hincmarus è Monasterio S. Dionysij ad Parisios eductus, in illa ordinaretur. Hic, quod vnum supererat, ex eiusdem Lotharij parte actum est, vt de eius promotione iudicia exercerentur in Synodis, & interim postremum potestatis insigne, & velut complementum, Pallium à Pontifice non acciperet: quasi nondum firmiter stantem facile foret impellere. Verum coactus tandem Imperator pacis fœdera religiosè seruare cum fratribus, à quibus ingenii prælio tam antea victus fuerat, ad Hincmarum ornandum, & apud Sedem Apostolicam commendandum pluribus epistolis se contulit, quas argumento tenus expositas habemus in Flodoardo.

Epistola scribenda occasio.

Hincmari ordinatio.

Eius mentio apud Flodoardum l. 3. hist. c. 10.

Harum vnam ex Codice MS. Laudunensis Ecclesiæ, tibi, Lector, exhibeo: illam, opinor, quæ notis hisce designatur ab historico. Qui Lotharius Imperator, nonnullis hunc præsulem Hincmarum apud Leonem Papam honorificè commendasse reperitur Episcopis, atque Legatis. Sed & quando Romam petere idem Pontifex disposuerat, Epistolam suam idem Imperator pro eo præmittens, suggessit præfato Papæ, vt ipsum decenter amicabiliterque susciperet, & quicquid ab eo postulasset, libenter ei liberaliterque tribueret. *Romam quippe cogitabat Hincmarus, tum vt Apostolorum limina, & viuum Ecclesiæ caput, cui semper fuit addictissimus, præsens veneraretur; tum vt Pallium Archiepiscopis vsitatum, & priuilegiorum Ecclesiæ suæ confirmationem impetraret. Viam peregrinaturo sternere voluit Lotharius, vt declararet non tantùm non vetare se, quin Sedis Apostolicæ beneficijs honoraretur Remensis, verùm etiam illud ipsum percupere & supplicare. Quamobrem legitimam eius ordinationem, in summa Remensis Ecclesiæ necessitate factam, confirmatam in Synodo, præclara eius merita, suum desiderium & voluntatem commemorans, hoc à Pontifice flagitat quod refertur à Flodoardo. Quare non ante scripta est hæc Epistola, quàm cum Ebbo Lotharij gratia excidit, & Abbatijs priuatus, ad Ludouicum Germaniæ Regem confugere coactus est, à quo Episcopatum Hildesheimensem accepit, vt inferiùs alia occasione dicetur. Iam autem Gotteschalci hæresis turbabat Ecclesiam; vt in hoc antiquitatis describendo monumento, non procul recedamus à Gotteschalco, licet nihil hic aduersùs illum decernatur. Quamquam satis contra Gotteschalcum, & Dissertatorem Historicum est, quia pro Hincmaro.*

Argumentum.

Tempus.

Euentus.

Non caruit effectu Imperatoria ista commendatio, quia donatus Pallio est Hincmarus: sed Hincmari consilium Romam pergendi, obicem reperit in Regum voluntate, & regni negotijs. Huc enim refero quod in alia Lotharij Epistola scriptum narrat Flodoardus, quia illum volentem Romam proficisci, tam ipse, quàm frater suus Carolus Rex Franciæ, quando valdè necessarius eis erat ad sopiendas quæ tunc exortæ fuerant perturbationes, retinerent.

Discrimen ab altera eiusdem Lotharij Epistola.

Et ne quid obscuritatis in historia resideat; distinguenda est hæc Epistola & Pallij postulatio, ab Epistola posteriore Lotharij eiusdem, pro alterius Pallij rogatione, quam ineunte capite, absque temporum & litterarum ordine recenset in hæc verba Flodoardus. Hic denique venerabilis Præsul Hincmarus, pro suæ sanctitatis ac sapientiæ reuerentia, per interuentionem Lotharij Imperatoris, Pallium ad quotidianum suscepit vsum à quarto Leone Papa, à quo iam aliud perceperat in designatis sibi solemnitatibus debitè fruendum. Quem quotidianum Pallij vsum, nulli vnquam Archiepiscopo se concessisse, vel deinceps concessurum esse, idem Papa in Epistola tunc ad eum directa testatur. *Et quia præter omnem consuetudinem illud priuilegij genus poscebatur, magnus ad impetrandum conatibus opus fuit, & præter Litteras, Legatorum etiam viua vox admouenda. Huc enim pertinet, quod narrat Historicus:* Ad hoc denique obtinendum, quod pro prædicto Præsule petebat, idem Lotharius Petrum Spoletinum Episcopum, mandatis super hac re per semet instructum executorem direxerat, & alium Petrum Aretinum Episcopum, litteris exinde commonuerat, aliosque quosdam tam suos, quàm præmissi Papæ fideles ad id peragendum destinauerat. *Duo pallia manifestè nominat historicus, vt & Epistolas duas. At Nicolaus Papa Epistolas minimè curans, duplicem vnius Pallij vsum commemorat, atque improbat.* Scire te volumus, nostris auribus

Pallium ad vsum quotidianum.

intimatum esse, fraternitatem tuam non certis temporibus, & iuxta morem alijs Metropolitanis antistitibus definitis, Pallio à Sede Apostolica concesso vti. *Et quasi surrepti priuilegij Remensem insimulans (iratus enim scribebat) paulò post subdit*, Cuius vsus si fraternitati tuæ à Sede Apostolica omni tempore concessus est, licet sit præter Ecclesiæ consuetudinem perceptus, ac per hoc rationabiliter amittendus: nam priuilegium meretur, vt Sanctus Papa Simplicius scribit, amittere, qui concessa sibi abutitur potestate. *Multa potuit respondere Hincmarus; non sibi, sed enixè postulanti Lothario concessum: Leonis concedentis fuisse decernere quid vsus Ecclesiæ pateretur: abuti non potuisse, si vel quotidie vteretur, quando id ipsum ferebat priuilegium. Simplicius protestatur absque duplicis Pallij distinctione, sibi, quòd propter regni negotia maximam anni partem ab Ecclesia sua peregrinetur, vti Pallio non vacare, præterquam festis diebus Natalis dominici, & sanctæ Resurrectionis*: Et nisi quando, *inquit*, in eadem sede sum in decretis festiuitatibus, non solùm non totiens, sicut mihi concessum est, verùm vix aut nunquam eodem Pallio vtor. *Hîc ego non disputo vtrùm duplex Pallium, an duplicem Pallij vsum acceperit; hoc volo, diuersis vtrunque Epistolis postulasse Lotharium, & hac quam subijcio, nihil præter ordinem Metropolitanis alijs vsitatum, rogasse. Sic enim inscribitur.*

Nicol. PP. epist. 47. al 60. ad Hincm.

Hincm. epist. 26. ad Nicol.

EPISTOLA DOMNI HLOTARII IMPERATORIS LEONI PAPÆ DIRECTA, pro vsu Pallij dirigendo secundùm morem Ecclesiæ suæ Hincmaro Archiepiscopo.

Ex Codice MS. Ecclesiæ Laudunensis.



SANCTISSIMO & Reuerentissimo spiritali Patri nostro, Leoni Summo Pontifici, & vniuersali Papæ, Hlotarius diuina prouidentiâ Imperator Augustus, spiritalis filius vester, perennem in Domino salutem. Sedem Apostolicam quæ per Beatissimum Apostolorum Principem in vniuerso orbe, quaquauersum Religio Christiana diffunditur, caput & fundamentum est Sanctitatis, idcirco superna dispositio primatum obtinere voluit Ecclesiarum, vt in quibuscumque causis, quæstionibus, siue negotijs Ecclesiastica suaderet necessitas, omnes quasi ad matrem religionis, fontemque recurrerent æquitatis. Proinde, quod iam & auditu creberrimo, & multorum relatione, ac permaximè scriptorum nostrorum ad præcessorem vestrum serie; siue eorum etiam quæ superstite Domno genitore nostro, ad Sedem Apostolicam directa sunt, veritate, vestram arbitramur comperisse prudentiam, qualiter sancta Remensis Ecclesia, temporibus diuæ memoriæ præfati Domni, genitorisque nostri, & nostris quoque, siue fratris nostri gloriosi Regis Karoli diebus, diutissimè Sacerdotali, & Pontificali honore, pristinaque dignitate vacauerit, ex ea causa, quòd '. Ebo tunc Archiepiscopus eiusdem Metropolitanæ Sedis cùm tempore infelicissimæ discordiæ, quæ operante diabolo per satellites suos, inter nos, genitoremque nostrum aliquandiu durauit, propter quasdam factiones & simultates, offensam sæpedicti Domni & Patris nostri incurrisset, in Episcopali denuò conuentu appellatus, siue conuincente & arguente conscientia, siue quia eum vndique leges Ecclesiasticæ constringebant, quosdam Episcopos ex eodem conuentu, Electorum iudicum nomine & officio

Leoni IV. Sergij 2. successori.

Sedes Remensis diu vacauit.

Ebo secessit ad pœnitentiam.

sibi conscios assumpsit, [3]. & manifesta in conspectu omnium confessione, [4]. scriptoque à se prolato, & manus propriæ subscriptione roborato, se Episcopatus officio indignum, alienumque iudicauit; vtque successor sibi subrogari deberet, asseruit: vt hac de causa nullam vlteriùs repetitionem auctoritate Canonica facere posset, præfata subscriptione firmauit: quam etiam Synodo obtulit: cuius scripti vobis exemplar ab archiuio Remensis Ecclesiæ sumptum, curauimus destinandum.

Præpositi Ecclesiæ Remensis œconomi.

Sed variis deinceps emergentibus causis atque euentibus, [5] quia aut secularibus dediti curis, & contra promulgatas diuinitus regulas substituti quidam in eadem Sede præfuerant, & ob hoc Pastoralem sarcinam suscipere renuerunt: [6]. aut aliarum Ecclesiarum Præsules extiterant & reddita diuinitus pace, Sedes suas repetere maluerunt, memorata Remensis Ecclesia, diu, vt supra diximus, Pontificali caruit dignitate.

Hincmarus demum, electus.

Cum verò firmato inter nos, Fratresque nostros amicitiæ fœdere, regnum nostrum æqualiter in tres partes diuisum, imo distinctum esset, & sæpe dicta Remorum Ecclesia sorti fratris nostri Caroli obtigisset, ipse damnum perpendens Ecclesiæ, [7] Hincmarum venerabilem Monasterij Beatissimi Martyris Dionysij Monachum atque Presbyterum, virum sanè doctum atque eruditum, consensu Episcoporum, Clerique, & populi Remensis Metropoleos, ordinari fecit antistitem. Sed quia frequenter ad nos pro hoc ipso Ebbonis facta est conquestio. [8] causantis iniquè sibi adhuc superstiti successorem attributum fuisse,

Ebbone repugnante.

instantissima eius petitione commoniti, [9] curauimus querelas eius sancto decessori vestro Sergio Papæ significare; obsecrantes, vt si ipse ratum esse decerneret, ex suo latere viros idoneos destinaret, qui vna cum Episcoporum ipsius prouinciæ tractatu, causam vtriusque inquirere, & canonicè definire valerent: quoniam nos per illud tempus, quando ea quæ supra comprehendimus, de iam dicto Ebbone gesta sunt, in Italia degentes, nequaquam ad liquidum, vt postea comperimus, rerum ordinem scire valuimus. Cur tamen præfatus decessor vester legatos à nobis petitos non miserit, vestram Reuerentiam nequaquam credimus ignorare.

Hincmarus in Synodo confirmatus.

Nunc autem suprascriptus Hincmarus Archiepiscopus, clementiæ nostræ [10] Synodalia gesta super confirmatione sui, & restauratione Remensis Ecclesiæ offerens, [11] petijt magnificentiam nostram, vt à vestra Paternitate ei Pallium, sicut prædecessores vestri suis largiti sunt, interuentu nostro obtineremus. Cuius petitionem rato & absoluto iudicio implendam existimauimus: præsertim [12] cùm gesta Synodalia Prouinciarum Cisalpinarum agnouimus, quæ etiam & antecessori vestro mitti debuerunt, destinanda vobis ipsius cura, decreuimus: quoniam Sanctitatem vestram eius honori consentire decet, cui plenitudinem Episcoporum Afauere cognoscitis. Itaque iudicio sententiæque vestræ petitionem iam dicti Archiepiscopi nobis admodum deuoti, dilectique, ex integro committentes, hoc indubitanter asserimus, quoniam si in dandis ei honoribus, [13] confirmandoque ipsius statu morem beneuolentiamque patrum, & prædecessorum vestrorum imitari decreueritis, condigna obsequia, gratissimamque vicem pleniùs faciliúsque recipietis.

Ceterùm fiducialiter supplicamus, & obnixè ex vestra Paternitate deposcimus, vt siue memoratus Archiepiscopus per seipsum vestram adierit Sanctitatem, siue legatos Ecclesiæ suæ direxerit, affabilitatis, & colloquij, familiaritatisque vestræ eis integerrimam copiam non negetis: Sed benignissimè tam ipsum quàm etiam suos pro amore nostro tractetis; & quicquid ex vobis competenti ratione poposcerit, cum largitione Pallij impleatis. Memorem nostri Paternitatem vestram incolumem gratia diuina custodiat.

IN EPISTOLAM LOTHARII IMPERATORIS.

NOTÆ.

Perduellio Ebbonis.

1. EBO TVNC ARCHIEPISCOPVS Sacrilegam, & modis omnibus detestandam Ludouici Imperatorum Piissimi exauctorationem, Lotharii factione, Ebbonis, Agobardi, Bartholomæi, & aliorum Episcoporum ministerio patratam, nulla Francorum tacet historia. Sic autem Theganus de Episcopis coniuratis. *Omnes enim Episcopi molesti fuerunt ei, & maximè hi, quos ex seruili conditione honoratos habebat, cum his qui ex Barbaris nationibus ad hoc fastigium perducti sunt. Elegerunt tunc vnum impudicum & crudelissimum, qui dicebatur Hebo Remensis Episcopus, qui erat ex originalium seruorum stirpe, vt eum immaniter affligeret, cum confinctionibus ceterorum. Inaudita loquuti sunt, inaudita fecerunt, cottidiè improperantes ei, abstulerunt ei gladium de femore suo, iudicio seruorum suorum induentes eum cilicio.* Idipsum apud omnes constat, fuisse perduellionis illius signiferum Ebbonem, Lotharii Principis satellitem, ideoque ipsi perdiu summè dilectum, & tunc in præmium proditionis, Abbatiam S. Vedasti ab eodem Lothario accepisse: cui postea S. Columbani Abbatiam addidit in Italia: dum eius nepos Ebbo postea Gratianopolitanus Episcopus, Abbatiam S. Remigii apud Durocortorum Remorum possideret. Sic apud maiores nostros vindicata sunt scelera: & adhuc de recentibus moribus querimur?

Thegan. l. de gest. Lud. Imp. c. 43. 44

Flodoard. l. 2. hist. c. 20.

Depositio.

2. IN EPICOPALI DENVO CONVENTV APPELLATVS. Æquum erat vt sanctissimi Principis innocentia sacrilego capite placaretur, suamque temeritatem damnaret ipsa rebellio. Itaque Ebbo primùm in Synodo Metensi, ex ambone publicè edixit, iniustè depositum fuisse Imperatorem. Deinde cum in Synodo ad Theodonis villam perduellionis reus ab eodem Imperatore ageretur, ad infamiam pænamque vitandam, grauia quædam crimina apud tres Episcopos secretò confessus, pænitendi consilium ab eis accepit, vt loco & dignitate cederet, quo se profitebatur indignum. Quamobrem sponte abdicans, depositionis suæ libellum dictauit ipse, subscripsitque; quo apud Patres Synodi lecto, singillatim omnes vno consensu dixerunt: *Secundùm tuam professionem & subscriptionem cessa à ministerio.* Hac Ebbonis depositione sibi factum satis Imperator existimans, Fulconi Abbati curam Ecclesiæ Remensis statim commisit. Narrantur ista fusiùs in Conciliis Suessionensibus 2. & 3. in Trecassini Epistola synodica ad Nicolaum Papam, & Epistola Caroli Regis ad eundem: in Epistolis Hincmari ad Episcopos Concilij Suessionensis 3. ad Nicolaum Papam 26. & l. de Prædestinatione. c. 36. vbi additur, ab Episcopis Confessoribus Ebbonis denunciatum fuisse Synodo, *quia tale peccatum eis confessus fuerat, pro quo dignus non erat Episcopale ministerium vltrà iam agere.* Et, *quià si idem peccatum ante ordinationem admisisset, nullo modo Episcopus ordinari debuisset.* In narratione Clericorum Remensium, quæ habetur tomo 2. scriptorum Historiæ Francorum: Flodoardus quoque l. 2. eadem narrat ex Epistola Synodi Suessionensis 2. quæ modò non extat.

Tres historiæ scriptores.

Confessio.

3. ET MANIFESTA IN CONSPECTV OMNIVM CONFESSIONE. Secretò crimen confessus est tribus electis; hi non nominato crimine, in Synodo professi sunt, auditum à se crimen depositione dignum: ita iussus est à Patribus secedere ad pœnitentiam, absque spe restitutionis: est enim depositio perpetua, ea parte grauior excommunicatione. Quæ omnia pœnitentiam antiquam tractantibus enodanda relinquimus.

Libellus abdicationis.

4. SCRIPTOQVE A SE PROLATO. Quod ad exemplum lubet hic describere. *Ego Ebo indignus Episcopus, recognoscens fragilitatẽ meam, & pondera peccatorum meorũ, testes confessores meos Aiulfum videlicet Archiepiscopum, & Badaradum Episcopum, nec non & Modoinum Episcopum, constitui mihi iudices delictorum meorum, & puram ipsis confessionem dedi; quærens remedium pœnitendi, & salutem animæ meæ, vt recederem ab officio, & ministerio Pontificali, quo me recognosco esse indignum, & alienum me reddens pro reatibus meis, in quibus peccasse secretò ipsis confessus sum. Eo scilicet modo, vt ipsi sint testes alio succedendi, & consecrandi, subrogandique in loco meo, qui dignè præesse, & prodesse possit Ecclesiæ, cui hactenus indignus præfui. Et vt inde vltra nullam repetitionem, aut interpellationem auctoritate canonica facere valeã, manu propria mea subscribens firmaui. Ebo quondam Episcopus, subscripsi.* Qui libellus publicè lectus & admissus, consensu Synodi statim Fulconi traditus est in Ecclesiæ Remensis scrinio asseruandus: vnde productus ad Leonem IV. ac deinde ad Nicolaum I. missus est, sed ad Hadrianum II. peruenit.

Quædam circa illum obseruata.

Qua ex narratione intelligimus 1. Hæc omnia gesta esse, non in Placito, quod Imperatoris iussus conuenerat, sed rogantibus Episcopis, in Synodo, *vt parceretur ipsius verecundiæ, ne dignitas sacerdotalis pollueretur,* inquit Flodoardus. 2. Crimen occultum mansisse, quia secreta fuit confessio; sed mortale tamen, & eiusmodi, cui Canones excommu-

nicationem, & depositionem irrogarent. 3. Non videri tamen illud fuisse crimen admissum in Imperatorem, cuius postulari debuerat in Placito, quia de illo nihil ab antiquis canonibus decretum est. Neque verò poterat esse obscurum, quod in ipso Galliæ theatro erga Imperatorem gestum mundi oculis fuerat expositum, cuius commeritum supplicium Synodali cognitione declinabat. 4. Nulla expressa, & vt aiunt, positiua Concilij sententia fuisse depositum Ebbonem; sed tantùm spontaneam depositionem confessariorum consilio acceptatam, ob crimen in foro Ecclesiastico ita vindicandum, approbatam à Synodo, & admissam; atque ita docet in relatione sua Carolus, perfugisse Ebbonem ad Iuditham Augustam, quæ iam ante apud se statuerat, nunquam in vllius Episcopi depositionem consentire: cuius interuentu est impetratum ab Augusto Pio, ne vltra cessionem illam quicquam ampliùs postularet ab Episcopis, neque ipsi aliam inferrent sententiam, nisi quam Ebbo scripto ediderat. Et sic explicandus est Hincmarus, cum dixit, *decreuisse Episcopos, vt à ministerio recederet Pontificali, & alijs orationum officijs & excubijs Domino seruiendo, eum sibi propitium faceret.*

Deposit. ipsius spontanea.

5. Ebbonis ipsius iudicio depositionem illam, quantumvis spontaneam, fuisse perpetuam. De qua dixit Anonymus Auctor vitæ Ludouici Pii. *Ipse in se quandam confessionem prædicauit, confirmauitque se & indignum Sacerdotio, & irreuocabiliter eo abstinere iudicauit.* 6. Quod inde sequitur, consensisse ipsum in successoris electionem, quòd vacuam sedem relinqueret. Quemadmodum in Concilio Constantinopolitano, sponte cedenti Gregorio Nazianzeno, subrogatus est Nectarius. 7. Depositionem hanc Ebbonis in Ecclesia semper ratam extitisse. Nam statim eidem Ecclesiæ impositus est ab Imperatore œconomus Fulco Abbas; Ebbo in regiones Cisalpinas recessit, neque superstite Ludouico quicquam moliri est ausus: & expleto decennio vacantis sedis, Antistites Gallicani, in Concilio Beluacensi, successorem à Carolo Rege impetrarunt Hincmarum; atque hunc omnes Romani Pontifices verum & legitimum Remensem Episcopum semper agnouerunt. Quoties autem æmulorum factione Hincmari vexata est ordinatio, illam toties Concilia contra Caroli Regis gratiam probauerunt. Quin etiam cum Patre mortuo, potitus rerum Lotharius per Episcopos suos Ebbonem sedi suæ restituendum curauit, intercessit Synodus Suessionensis, cum diceret, Synodum Episcoporum 43. posteriore Synodo minùs frequenti non posse irritari. Denique Romam profectus idem Ebbo, nihil aliud à Sergio II. Papa potuit obtinere, quàm communionem laïcam, Pallii repulsam tulit. Vnde concluditur verè tum vacuam fuisse sedem, licet præcessor adhuc superesset.

Irreuocabilis.

Cum potestate successoris eligendi.

Sed dicis. Quid ergo Carolus Rex in accurata relatione ad Nicolaum, negat acceptam fuisse Gregorio IV. Pontifici depositionem Ebbonis, idque inde probat, quòd aliàs vacanti Ecclesiæ statim successorem Pontificem subrogasset? Respondeo in primis, tota illa narratione gratificari Vulfado Carolum, quod sine iniuria Hincmari facere non potest: id autem quod profertur de Gregorio, non recitari à Patribus Concilii Trecassini, & ipsis rem diligentissimè tractantibus, ad tuendum ius Hincmari. Deinde, idem ipsum quod Episcopos, sensisse Carolum, quando Hincmarum ipsis postulantibus ordinari permisit Episcopum. Quæ res igitur noua coëgit mutare consilium? Præterea, non negat asseueratè Carolus improbatam fuisse depositionem: sed tantùm, quid responderit Pontifex illud postulanti Ludouico Imperatori, esse ignotum; posse autem ex effectu coniici. At Episcopi Gallicani ex effectu contrario, consecrati, semperque agniti successoris, longè certiùs definiunt, reipsa fuisse depositum Ebbonem. Quid quòd Ebbo ipse depositionis suæ conscius & testis fuit, cum sepost mortem Ludouici, dominante Lothario, in alio Concilio restitui curauit? Denique quòd vacantem Sedem, non Episcopi, sed œconomi tamdiu tenuerint, non fecit Ebbonis ius ad eam & irrita depositio; sed Lotharii potentia, legitimum successorem in Ecclesia Remensi suo Ebboni dari vetantis, quò faciliùs in eam postliminio reuocaretur.

Non fuit improbata Romæ.

5. QVIA AVT SECVLARIBVS DEDITI CVRIS. Conueniunt omnes decennium totum Ecclesiæ Remensis Oeconomatum perdurasse, sub duobus tantum Oeconomis Fulcone Abbate, & Nothone Archiepiscopo Arelatensi. Et Fulconem quidem ab ipso Ludouico Pio nominatum, & successorem Ebbonis designatum, qui tamen ad Episcopalem gradum numquam fuit euectus. Ad quem proinde vnum spectare debent duo, quæ tanquam de pluribus dicit Lotharius, secularibus curis fuisse deditum, & eam ob causam Episcopatum recusasse. Qui locus obscuritatem patitur, quia virum vita & ordine Presbyteratus venerabilem, nulla sic dedecorat historia. Habemus quidem ex Hincmaro, Fulconem Presbyterum, sacri Palatii Capellanum, siue Apocrisiarium & Responsalem sub Imperatore Ludouico Pio extitisse, atque ipsi eo in ministerio successisse Drogonem, celeberrimum illum Metensem Episcopum. Sed hæc secularis cura dici non potest, quæ & res Ecclesiasticas gereret, & viris Ecclesiasticis, neque rarò Episcopis committeretur. Quòd si eius officii studio & amore Episcopatum Remensem renuisse censetur, id sanè permirum est, cum & Chorepiscopus fieri consenserit, & in Episcopatu idem ministerium conseruare potuerit. Neque facilè aliud mihi exemplum produxeris Archicapellani Palatini vllius, qui Episcopalem dignitatem illi officio posthabuerit. Ex relatione autem Clericorum Remensium ab Hincmaro depositorum, discimus, Fulconi bis Ecclesiam Remensem commendatam fuisse, à Ludouico Pio primùm, statim post depositum Ebbonem, vt diximus: iterum à Carolo Caluo, postquam nimirùm Ebbo reuersus in Sedem, & vnum in ea commoratus annum, redeunte in regnum suum

Oeconomis commissa Ecclesia.

Fulco Abbas qualis fuerit.

Hincm. Opusc. 14. n. 15.

Carolo, profugere coactus est ad Lotharium. Sic enim explico dictum illorum. *Deuenit iam sæpe dicta mater nostra Remensis Ecclesia in partem ac ditionem gloriosissimi Regis Caroli, cum quo erat gratissimus & potentissimus Fulco Abbas, qui ipsam Ecclesiam Domini Ludouici Imperatoris antea Presbyter obtinuerat, & gratia eiusdem regis, cum quo erat, iterum adeptus est eam.* Qua narratione docemur, interruptum fuisse Chorepiscopatum, sine œconomatus administrationem Fulconi commissam, quandiu Remis fuit Ebbo, seque pro Episcopo restituto gessit, victore Lothario. Qui ergo Remensem Ecclesiam tantopere adamauit Fulco Abbas, vt bis eius œconomatum admittere non recusarit, qua ratione dicitur à Lothario, pastoralem sarcinam suscipere renuisse? Abbatem quoque S. Remigii Remensis bis fuisse, & Ebboni successisse, lego alicubi, vt iisdem temporibus Abbatiam, quibus œconomatum, & accepisse primùm, & iterum resumpsisse videri possit. Sed Ebbonem cui successit, Nepotem puto, qui fortunam auunculi sequutus, loco cesserit, cumque illo Remos redeunte pro Abbate se gesserit, vt auunculus pro Episcopo. Sed neque cum illa dignitate Abbatis, censeri debet Fulco curis secularibus fuisse deditus.

Narrat. Cleric. Rem. Tom. 2. Hist. Franc.

Fulco Abbas S. Remigij Remensis. Gall. Christ. v. Abbates Rem.

Quod addit tertium, contra promulgatas diuinitùs regulas, hoc est, Canones Ecclesiasticos, fuisse substitutum, id si de solo Fulcone priuatim vult intelligi, vt per Canonum violationem ea substitutio facta fuerit, fateor equidem nusquam alibi à me lectum, neque id de tanto viro, deque Principibus Ludouico, & Carolo libenter crediderim, maximè cum neque Gallicani Antistites, Episcopum Remensi Cathedræ obnixè rogantes, neque in ea ordinatus Hincmarus Canonum accuratissimus obseruator, hoc facinus ipsi vnquam obiecerint. Sin vniuersè improbatur à Lothario Ecclesiarum œconomatus, tanquam Canonibus repugnans, qui veros & consecratos Episcopos sedibus præesse iubent, iam Fulconis priuatim causa non agitur, quæ & ad Nothonem Archiepiscopum, & ad alios, frequentes illis temporibus œconomos, pertinet. De quibus sanè conquestus reperitur Hincmarus apud Leonem Papam. *Quod terrena potestas hac materia sæpe offenderet, vt videlicet Episcopo quolibet defuncto, per Chorepiscopum solis Pontificibus debitum ministerium perageretur, & res ac facultates Ecclesiæ secularium vsibus expenderentur, sicut & in nostra Ecclesia iam secundò actum fuisset.* Quod est indicio, neque Nothonem ipsum, quantumuis Archiepiscopum, bona Remensis Ecclesiæ, vt à se aliena, fideliter administrasse.

Oeconomi Chorepiscopi improbati.

Flodoard. l. 3. c. 10.

6. Avt aliarvm Ecclesiarvm Præsvles extiterant. Fulco septennium, Notho triennium Remensem Ecclesiam administrarunt. Eo in obsequio credibile est illum immortuum esse, hic ad sedem suam Arelatensem remeauit. Interfuerat autem Notho Ebbonis confessioni, tanquam eius factæ testis; siquidem præter tres confessarios, tres alii sunt adsciti, qui apud Synodum testarentur, vidisse se confitentem tribus Episcopis Ebbonem. Et sic intelligendus Hincmarus est, dum inter Ebbonis confessarios Nothonem, Achardum, & Theodoricum nominat: & Flodoardus, vbi sex Episcopos ait eius professioni attestatos esse.

Notho Arelatensis.

7. Hincmarvm venerabilem Monasterii Beatissimi Martyris, &c. Eius vitam in Monasterio perquàm laudabilem paucis describit Flodoardus: vocationem ad Episcopatum, & omnium consensum in eius ordinationem, sæpe repetere cogitur, ab æmulis identidem tentatus: eruditionem, & scriptores, & opera ipsa commendant. Sigebertus breuiter. *Hincmarus Remorum Archiepiscopus in Francia claret, qui vitam S. Remigij scripsit.* Trithemius vberiùs. *Vir in diuinis scripturis singulariter doctus, & in secularibus litteris nulli suo tempore secundus,* Arnoldus Vvion in ligno vitæ, cuius fructus non vltimus fuit Hincmarus, *eruditione, & rerum humanarum peritia præcipuum* vocat, licet paucas eius lucubrationes sibi notas recenseat. Neque minùs ex ipsius Hincmari narratione, de suis in Monasterio studiis, quam post vitam S. Dionysii legimus apud Surium, intelligi potest ad quem doctrinæ gradum aliquando, ex illo iuuenili ardore peruenerit.

Hincmari encomium. Flodoard. l. 3. c. 1.

Sigebert. in Chron. an. 854. Trithem. l. de scrip. Eccles. Arn. Vvion. l. 2. Ligni vitæ. c. 29.

Sur. in vita S. Dionysi. Tom. 9.

8. Cavsantis iniqve sibi adhvc svperstiti svccessorem attribvtvm. Vel vnus hic locus declarat manifestè, per Ebbonem, & eius impulsu consiliisque, per Lotharium factum esse illud Sedis Remensis interregnum. Cur autem causatur Ebbo vitam superstitem, si mortuus est ciuiliter, & iure atque irreuocabiliter ab Episcopatu deiectus? Nonne istud ipsum in Libello professus est, licere alium suo loco consecrare, qui dignè præesse & prodesse possit Ecclesiæ? Talem autem esse Hincmarum quis negauerit? An respondet, Ludouico Imperatore mortuo, se legitimè restitutum Ecclesiæ, solo Caroli metu ab ea demigrasse, cum perpetua reditus spe & voluntate, si res sinerent? Restitutum autem? Quomodo? Vi & potentia Lotharii. A quo? A minore numero Episcoporum. Quo iure? Si vera fuit confessio, propter crimen admissum; sin falsa, propter tale mendacium, secundum Canones, officio sacro semper abstinere debuit, vt præclarè disputat Hincmarus. Neque verò negauit vnquam crimen semel confessum, quod si ante ordinationem admisisset, nunquam per Canones ad Episcopatum adspirare debuerat. Sed in illegitima sua restitutione, *septennem pœnitentiam egisse se conscripsit, & hunc satisfactionis Libellum in Ecclesia Remensi publicè recitauit.* Lotharius ipse in Imperiali, vt vocat Hincmarus, restitutionis decreto, non purgatum illum Canonicè dicit, sed pœnitentem esse, & ad exemplum Dei debere admitti pronunciat, quod factum Romanæ Sedi probatum nunquam est. Vt verè alicubi neget Hincmarus, illum vnquam fuisse restitutum: licet eam restitutionem solâ Imperatoris auctoritate peractam Clerici Remenses narrando, verbis & circumstantiis honestissimis conuestiant. Importunum non fuerit duo quædam ex Thegano huc adiicere. Prius, non placuisse scriptori illi, iure opti-

Ebbonis restitutio irrita.

Habetur Tom. 2. Concil. Gall. p. 631.

mo, nudam illam Ebbonis depositionem, sed futura præsagientem, plus aliquid optasse, quàm voluntarium secessum ad pœnitentiam. *Crudelis, adhuc imperfectum est Canonicum iudicium tuum. Necesse est enim vt perfectum fiat iudicium, ad maiorem ignominiam tuam.* Posterius, ab eodem Ebbone antea depositum Iesse Ambianensem Episcopum, postea ab ipso fuisse restitutum. *En cum ceterorum iudicio Jesse à Sacerdotio deposuisti. Nunc iterum reuocasti eum in gradum pristinum. Aut tunc, aut nunc falsum iudicium exhibuisti.* Quod pretio redemptum fecisse, versibus ibi citatis non obscurè significat. Quo ab exemplo, contemptum Canonum discimus in Ebbone, vt quod in alio admisit, ipse sibi præstaret, & Episcopatum, tanquam vestem pro arbitratu poneret, aut resumeret.

Iesse Ambianensis.

9. CVRAVIMVS QVERELAS EIVS SANCTO DECESSORI. &c. Vix annum integrum Remensem Cathedram tenuerat Hincmarus, cum importunitate Ebbonis, potestate Lotharii, iussu Sergii Papæ, indicta est Synodus Treuiris, extra Caroli regum, ad quam & Hincmarus & Ebbo vocati sunt, vt ius suum singuli prosequerentur. Sed cum legati Pontificii, quibus eius Synodi celebrandæ cura fuerat commissa, diu expectati non aduenirent, Guntbaldus Rotomagensis Archiepiscopus, Pontificis & Regis auctoritate, Parisiis eam causam cognoscere voluit, quo iam ad Synodum Episcopi conuenerant, & inter eos Hincmarus cum omnibus Remensis diœceseos Coepiscopis. Illuc omnes communi consilio Ebbonem pro se dicturum per litteràs aduocant. Verum cùm loqui surdo se intelligerent, interdixerunt omni Remensi Diœcesi, donec apud Apostolicam Sedem, aut Synodum aliquam Generalem obiecta sibi dilueret. Hæc narrantur copiosiùs Nicolao Papæ ab Hincmaro, & ex eo referuntur in historiam à Flodoardo. Qui & addit, ab eo tempore neque Synodum, neque Romam appellasse, aut proclamationem vllam obtulisse. Hincmarus verò generaliùs asserit, *nullum documentum Canonicum, de sua restitutione, vel à Sede Apostolica absolutione, sicut præcipiunt regulæ, in vita sua vlli Synodo ostendisse.* Ista à Sergio II. inchoata, sub Leone IV. perfecta sunt. Quando indixit ille Treuirense Concilium: huic rerum in Synodo Parisiensi gestarum ratio reddita est ab Episcopis. Corrigenda igitur est Clericorum Remensium narratio, qua scribunt, obtinuisse tandem Ebbonem à Leone Papa Iudices quatuor, Drogonem, Orgarium, Hetti, Guntbaldum Archiepiscopos, quibus vices suas ad cognitionem causæ delegauit. Factum illud à Sergio Leonis decessore. Sed & in eo iidem Clerici virtuti vim inferunt, quòd aiunt *Ebbonem ad contentionis litem finiendam, nullo imperio, nulla vnquam auctoritatis præceptione peruenire meruisse.* Meruisset profectò, peruenissetque, si conscientia fretus, iudicii Synodalis aleam sic oblatam, sine qua quilibet alius conatus inanis erat & vanus, tentare voluisset.

Ebbonis & Hincmari causa in Synodo indicanda.

Hincm. epist. 26. ad Nicol. Flodoard. l. 3. hist. c. 1.

Narratio Clericorum Remensium corrigitur.

10. SYNODALIA GESTA SVPER CONFIRMATIONE SVI. Quod nusquam expressè traditum lego, conucere permittit hic locus, deferente vadimonium Ebbone, & præsentiam suam Synodo Parisiensi denegante, actum fuisse à Patribus, de ordinatione Hincmari, eamque repertam vndecunque legitimam; quæ fuit prima eius electionis in Episcopum cognitio, toties deinde pro æmulorum libidine repetita, toties approbata. Cuius primam originem refundit Hincmarus in Lotharii animum fratri Carolo infensum *Lotharius Imperator, vt prædixi, causa fratris sui erga me commotus, epistolas à Sergio Papa exegit, sicut postea mihi innotuit, pro refricando Concilio de Ebbonis depositione, quasi discordia esset in Remensi Ecclesia, pro mea ordinatione, quod nullatenus constitit.*

Ordinatio Hincmari cur sæpe retractata.

11. PETIIT MAGNIFICENTIAM NOSTRAM. Pallium à Pontifice Romano poscunt vel pro Episcopis Archiepiscopi. Eam enim ob causam Hincmari successor Fulco ad Formosum Papam scribit *de quibusdam Episcopis Galliarum, qui sibi Pallium indebitè à Romana poscebant Sede, Metropolitanos suos tali spernentes tenore: asserens quòd res eadem nisi prudenti præcauta foret solicitudine, confusionem non mediocrem generaret Ecclesiæ, magnumque charitati dispendium valeret inferre.* Vel pro Archiepiscopis Principes, vt Carolus Magnus pro Tilpino apud Flodoardum: Carolus Caluus pro Vulfado. Vel sponte sua Episcopis gratificantur Pontifices. Vt Ioannes VIII. Adalgarium remittit *Palliatum* ad Carolum Caluum Imperatorem, qui tamen illud beneficii genus non legitur pro illo rogasse. Inde ingens illa controuersia Bertolfum inter Archiepiscopum Treuirensem, & Vvalonem Episcopum Metensem, qui cum immediatè ab Apostolica Sede Pallium accepisset, seque non primum, sed quintum eo vti priuilegio monstraret: contendit Bertolfus id absque Metropolitani consilio, *petita & concessa licentia* vsurpari non debere: eiusque auctoritati, suadente Hincmaro cessit Vvalo, sicque redintegrata est concordia, vt ex Historia Trebirorum MS. narrat Ioannes Cordesius in sua Hincmari editione. Cur ergo per Lotharium potiùs, quàm per Carolum Caluum, cui erat subditus Hincmarus, Pallium petit? Quia in Ebbonis gratiam hactenus dari prohibuerat, neque Imperatoris animum leui in causa exacerbandum putabat Pontifex.

Pallium in quos ostentatum.

Flodoard. l. 4. hist. c. 1.

[illegible] l. 2. c. 17. Carol. Cal. epist. in Concil. Tricass. Ioan. 8. epist. 17.

Controuersia Bertolfi & Vvalonis.

Ioan à Cordes. in edit Hincmari.

12. CVM GESTA SYNODALIA PROVINCIARVM CISALPINARVM AGNOVIMVS. Non aliam Synodum licet hîc intelligere, quam Parisiensem superiùs memoratam, cui vice Pontificia Guntbaldus præfuit. Quocunque autem loco positus fuerit, cum hæc scriberet Lotharius, Cisalpinarum Prouinciarum nomine has nostras designat, vsitata significatione; cum similiter de Ebbonis depositione loquens scribat Hincmarus. *In istis Cisalpinis regionibus nemo in corpore viuit, nisi solus Rothadus.* Et mox, *sicut Cisalpini Episcopi dixerunt.*

Cisalpinæ [illegible].

13. CONFIRMANDOQVE IPSIVS STATV. Cleri populique postulatione, consensu Principis, probantibus in Conuentu sacro Episcopis ordinatur Archiepiscopus: tum à Pontifice Romano per donationem Pallii confirmatur. Sic enim Carolus Rex ad Nicolaum.

Confirmatio Archiepiscopi per Pallium.

Carol. epist. ad Nicol. cit.

Seruum vestrum Vulfadum Pallio Apostolicæ auctoritatis exornando decoretis, & decorando ea confirmetis. Ita Flodoardus nostrum hunc locum explicans, & ad hanc respectans Epistolam. *Postquam res gestas Leoni Papæ referentibus Episcopis, & regalibus insuper Epistolis, ordinatio Hincmari, quando fidei quoque suæ tenorem Romam misit, rata est cum largitione Pallij comprobata*, Sic Adrianus Papa ad Tilpinum, de Lullo S Bonifacii in Sede Moguntina successore. *Vt Pallium illi secundùm consuetudinem transmittamus, & ordinationem illius firmam iudicemus, & in eadem sancta Ecclesia Moguntina Archiepiscopum constitutum esse faciamus.* Ita demum Zacharias Papa, rogante Bonifacio Archiepiscopo Moguntino, cum tribus Metropolitanis Pallia mitteret ab ipso ordinatis, *hos per tuum testimonium*, inquit, *confirmamus, & Pallium dirigimus ad eorum firmam stabilitatem.*

Flodoard. l. 3. c. 2.

Idem l. 2. c. 17. ca.

Ibid. c. 16.

Professio fidei ad obtinendum Pallium.

Neque negligenda quæ sequitur circunstantia, fidei ad eius acceptionem exponédæ. *Qualiter etiam mos Pallij sit, vel quomodo fidem suam exponere debeant, hi qui Pallij vti licentia conceduntur, eis direximus.* Nam & Lullo Pallium promittitur, postquam *expositam & conscriptam, & manu sua propria subscriptam Catholicam & Orthodoxam fidem per missos suos direxerit.* Hic est fidei tenor, quem Romam misit Hincmarus, cum regalibus Epistolis. Et sanè id ratio exigit, nemini vt ignotæ, aut dubiæ fidei tam illustre communionis suæ signum Sedes Apostolica largiatur. Hîc verò ad Gotteschalci negotium oculos licet reflectere, vt à Leone Pontifice probata & suscepta Hincmari fide, tacitè & ex obliquo Gotteschalci prædestinationem illi oppositam, cogitemus explosam. Quo enim tempore putamus scriptam hanc Epistolam, missam fidei professionem, concessum Pallium? Cum iam Ebbo senex in Germania tam obscurè Hildeseimensem gerebat Episcopatum, vt mortuus credi posset. Sic enim narrant Clerici Remenses, Ermenardum Orbacensem Monachum Hincmari legatum, priùs impetrare Pallium à Papa non potuisse, quàm Sacramento firmatum esset, Ebbonem iam seculo decessisse: cum adhuc tamen, licet senectute, & morbo grauis, Hildeseimensem Cathedram teneret. Id si creditu dignum est, proximè mortem Ebbonis, quæ in annum seculi 51. incidit, constituenda videtur legatio, cùm extincta esset in aula Lotharii eius memoria, & inglorius, minimeque actuosus langueret in Germania. Post Concilium igitur Parisiense, quod anno 47. celebratum est, adde sequentem annum octauum adornandæ legationi, nonum obeundæ, ad tempus deuenies Synodo Carisiaca, virgis & carcere Gotteschalci nobile. Huc adde, ante Gotteschalcum moram fuisse cum ceteris, quæstionem de Prædestinatione, quæ ob illustrem peruicaciam & Synodalem condemnationem cum supplicio, illi deinde potissimùm est attributa. Nihil ergo prohibet, quin potuerit Hincmarus suam de Prædestinatione, & ceteris cum Prædestinarianorū primicerio disceptatæ litis capitibus sententiam inferre in fidei professionem, traditione Pallii splendidè comprobatam. Potuit & Ermenardus ipse legatus, Gotteschalci iudicio interfuisse, deque eo coram Leonem Papam facere certiorem, ne de reparata hæresi, iam in principe oppressa, solicitus foret. Sed hæ coniecturæ vacillant, quia narratio illa Remensium exiguam apud me fidem reperit.

Ermenardus Hincmari legatus.

Coniectura de doctrina Hincmari per Leonem probata.





APPENDICIS MISCELLANEÆ AD HISTORIAM GOTTESCHALCI

Ad l. 1. c. xj.

OPVSCVLVM II. GOTTESCHALCI EPISTOLA AD RATRAMNVM.

ARGVMENTVM.

Ratramnus per Epistolam non consulitur.

OTTESCHALCVM in opere vidimus quærendo præsidio intentum, & litteras nouitatis suæ baiulas huc illuc spargentem, vt plurimis, si posset, & eruditissimis sibi conciliatis, securius ineptiret. Horum vnum ne puta Ratramnum, quem non consulit Gotteschalcus, sed tanquam Tribunus Imperatori conatus progressusque suos nunciat. Habet illum quippe pro magistro, & prædestinationis suæ duce; cuius opinionem dum nudè nimis exponit, & inconsultò tuetur, nudare scapulas iubetur miser, & frangendum virginis dorsum exponere. Vafer interim Doctor, procul à plagis, apud Corbeiam, discipuli damno docetur dissimulare, & de agitatis agitantibusque quæstionibus, nihil apertè hæreticum, nonnulla certò Catholica proferre. Multâ igitur adulatione Magistrum laudat Gotteschalcus, perplexæ mentis tumultus explicat, ad quos, quo euentu scripserit, quàm parum spei sua in ignorantia ponere debeat, proinde scribat ipse aliquid oratione pedestri, versu iam notissimus. Et leuiora alia prosequitur, Musa perquam garrula, rusticè incondita, clausulis Leoninis, affectata inutiliter gratiæ diuinæ mentione: nihil vt frugis ab illa sperare possit historia, præter vtilissimam Gotteschalci ipsius notitiam, non solùm ex oratione partam, quæ index est animi; sed etiam ex eo quòd stultorum principem se appellat, & talem egregiè probat, qui leuissimè, vt narrat, Theologiæ studijs tinctus, obscurissimas, perplexissimasque quæstiones selegerit ad garriendum.

Stilus Epistola.

Confertur cum Vualafridi Strabonis Epistola.

Confer hanc Epistolam, Lector, cum Vualafridi Strabonis ad ipsum Gotteschalcum Epistola æquè metrica, germanas in pluribus deprehendes, intelligesque miserabilem Monachum neque sine Prædestinatianorum veterum, & proximè Ratramni exemplo

exemplo errare, neque sine Strabonis imitatione nugari potuisse. Infeliciter tamen vtrunque: nam quantùm in serijs Ratramno, tantùm in hisce ludicris Straboni cedit, qui peritus vult videri, & interstrepere anser olores. Vtraque igitur Epistola biformis est, & hexametro corpori, hæc anacreonticum, illa hendecasyllabum caput apponit. In eo capite propempticon est, dum Clio, vel Calliope ad Sodalem, salutatum adulatumque mittitur. Ingressus in ἐξήγησιν à temporis descriptione est, quo receptæ amici litteræ, tum illarum suauitas exprimitur, in cogitatione dulcissimi Sodalis conquiescitur. Suum vterque mirificè laudat & extollit: illi se tanquam discipulum subiicit, optimo iure Gotteschalcus Ratramno, nullo Vualafridus Gotteschalco. Hortatur ad scribendum vterque: & si quæ alia otiosis occurrent.

Monumentum istud, qualecunque corui Poetæ, habemus à manu Sirmondi, à qua & duplicem Confessionem accepit Vsserius. Prodire vult tanquam Apologiam, ab historico Dissertatore, amico quondam suo, inuidiæ, versutiæ, calliditatis, sententiæ propriæ, id est, nimij partium amoris, falsitatis denique senex innocentissimus, ob illud Musæo reconditum, accusatus. Placuit religiosè, ad næuos vsque prosodiæ, & Orthographiæ colaphos describere, quòd incertum sit ab auctore prouenant, an ab antiquario? Interpunctionibus tantùm distinximus, quibus membranæ veteres Monasticæ carere solent. Accipe igitur si vacat, si dignaris, inficetè carminantem.

EPISTOLA GOTTESCHALCI AD RATRAMNVM.

Ex Cod. MS. Sirmondi.

AGE quæsô, perge Cliô
Remeando corde fido:
Propera celer virago,
Repeda sagax propagô,
Cui frater est Apollo:
Ob id hoc, velut volando,
Fer amico ouans Rathramno,
Domino, Patri, Magistro,
Calamo metrum impolito:
Quod ei libens remitto,
Celebri viro, & chorusco.
Amo quem satis profectô,
Animo pio, ac benigno:
Datur vt mihi maligno
Ab eo Deo, bonum qui
Dabit omni flagitanti.
Sine quo nihil fore nulli
Valet, vt liquet, alumno.
Igitur velut petita
Es, abi, mora nec vlla
Tenearis, ac decora
Videas Sodalis ora.
Bis enim venis ab illo
Speciosa iam Magistro,
Adimens fel, imprimens mel,

Hoc initiũ dedit Sirmondus ad Ennod. l. 5. ep. 7. & ex eo Vsserius l. hist. Goteschalc. c. 11.

Celsum magistrum vocat inferius.

Reficis os alumni *Forr. leg. tuos.*
Dape dulci, odore suaui,
Vbi hunc vides sedentem,
Alios probè docentem,
Rogitent Deum potentem,
Det vt his piam quietem:
Rogo dic iugem salutem.
[1] Septeno Augustus decimo præbente Kalendas,
Solis equi dulcem efflarunt vbi nubibus ignem,
Fluctibus Occeani capita atque iubas madefacti,
Assuetum ad cursum properantes vertere currum;
Splendida iam toto cesserunt sidera cælo.
Pallida germano cessit quoque Cynthia Phœbo:
Solus iamque citis quadrigam agitabat abenis;
Iamque iubar mundo fundebat amabile quadro: *In quatuor partes Orientem, Occidentem, &c. diuiso.*
Iamque nitore nouo, ac splendore micabat opimo,
Clara & luce suam reddebat cuique figuram.
Gaudebat tenebras procul omnis terra fugatas;
Atque mihi adplaudens, veluti præsaga boni mens,
Tripudiabat ouans solito magis, atque triumphans,
Artubus & cunctis hilarandi inerat potior vis.
Cum mihi gratuito data sunt subitò metra dono
Celsithroni Regis, de parte relata sodalis,
Dulcia melle magis, trans lumen fulgida solis.
[2] Quæ sitiebat, vti, mea mens, sub sidere Cancri
Messor amat refici fontis dulcedine puri.
Tabidus atque fame recreari vult quoque pane.
Algidus vtque focum, vtque exoptat nudus amictum:
Exul ita patriam, ceu terram naufragus imam:
Vtque situs tenebris cupit almæ munera lucis.
[3] Haud secus egregias mea nunc cupiebat egestas,
Quas tua nobilitas deprompsit, amice, camœnas, *Laudata Ratramni poesis.*
Insignes, pulchras, dulces, habilesque, venustas;
Famine perspicuas, & vero pignore puras: *Quid est verum pignus? An fort. esse veri pignoris?*
Scematibus validas, tropicoque lepore choruscas,
Simplicitate probas, humili pietate decoras:
Cum sale conditas, cum pacis amore politas;
Quas equidem sanctum dictasse reor tibi flatum.
Immo procul dubio nihil hinc, vir humillime, nato
Cum bona cuncta habeo, accipienti dantur egeno.
Ergo hunc æqualem, pariterque pium genitorem
Trinum vnumque Deum, votis efferre per æuum
Debeo supplicibus, quo sum tibi præside iunctus,
Abs meis meritis: fecit hoc denique gratis *leg. absque.*
Effuso qui te voluit reparare cruore. *Ergo electus Ratramnus, nam illi soli Christi sanguine redempti videntur Gottescalco.*
Ditauit Sophie speciali quin & honore,
Virtutis variè donauit amando decore.
Dignus & est vitæ hinc laudum per secla fauore.
Si daret efficere id, parili sine fine tenore.
Sincero certè iugiter redamandus amore;
Et casto sanctè metuendus vbique timore,
Cum petit assiduè, quem sancto efferre tremore.
Viscera largiri valeant si nostra quid illi:
Indigus est nostri qui nil vtique emolumenti;
Non eget obsequii, neque seruitij, atque nec ymni:
Solus ob id Domini potitur cognomine veri.
Et tamen ipse horum, reliquorum siue bonorum
Esto latè atque auctor, ceu nostri, tu bone doctor. *leg. est latè atque auctor, ceu nostri. tu bone doctor.*
Mente humili hunc ideo, si dat, benedicere certo,
Quòd tribuit nobis talem te pignus amoris,

Qui ſeruare velis, & pangere dicta poëſis:
Quæ ſancto flatu, non vili inflata boatu,
Laudata iterum poëſis.
Dulciloquo affatu, celebri, rutiloque relatu;
Demulcet mentem, modulaminis huius egentem:
Et ſolatur eam varijs languoribus ægram.
Gotteſchlacus anxius.
Diuerſiſque malis diuerſa poëmata pſallis.
Sic cythariſta etenim ſtuduit celeberrimus olim
Cor ſedare hominis fidibus pſallendo canoris.
Nimirum hominis iam regni honore carentis,
Ratramnum cum Dauide, ſe cum Saule furente comparat.
Quem draco crudelis vexabat, & improbus anguis.
Et verè meritò, Dominum quia liquerat vltro,
Elatus faſtu nimio, feritatis & aſtu.
Huic te pſalmiſtæ, huic inquam ſimilem cythariſtæ,
Dixerim amice ſacer, generoſe poeta, frequenter;
Qui modulando tui leuigas graue pectus alumni.
* Atque vtinam proſa tam dulcia, tam ſpecioſa,
Tam præfulgida, & tam ſuauia, tamque decora,
Tam pia, tam placida, atque quod plùs eſt, tam mihi vera,
l. atque quod eſt plus.
Pſallere magnifici pietas voluiſſet amici!

Hic tamen id parco, inde alibi quod reddere ſperò
Scripta, fauente Deo, licet id citò, vt optò, nequibo,
Gotteſchalci vita & ſtudia.
Multas ob cauſas, quarum primam eſſe, venuſtas
Hinc volò veſtra ſciat, quia vix vacat hora, reſidat
Qua mea ruſticitas, vt ſaltim hinc fingere ternas
Litterulas liceat, ' quoniam imperium Patris inſtat
Ad patrandum aliquid, cum hoc, tunc protinus illud.
Iſtud ob id nequeo. Sed & hæc veraciter addo,
Quòd nimium metuo tibi reſpondere, quod imo
In ſenſu teneo, quia torpeo pectore bruto;
Inſcitiæ plenus, multoque errore voluptus,
Sermone incultus, veteri quoque iure ſolutus,
Quamlibet hoc modico vſus ſim ſub tempore pauco.
Namque magiſterio vix vno ſubditus anno,
Temporis parum & ordinis in ſtudijs adhibuit.
Nec didici deinceps; dubiis ambagibus anceps,
Stultorum princeps, abrupta per omnia præceps.
Nemo fuit mihi dux, ideò minimè patuit lux,
Septo peccatis, quantùm pietas niſi gratis
Cæleſtis tribuit, cui virtus, gloria, laus ſit.
Raro hoc per me ſit, per te peto crebriùs vt ſit.

Proinde ſcientiolæ ſcintillula cum mihi ineſſe
Vix queat, extimeo hinc quid amico frendere ſummò,
Senſibus arguto, lingua vehementer acuto.
Tertiò laudatus Ratramnus.
Quippe exercitio qui nocte dieque ſub iſto
Verſatur, dudum euaſiſti culmen ad ipſum.
l. verſatus.
Hoc equidem attendens, appendens, atque reuoluens,
Scientiam dicit Apoſtolus, non virtutem.
Virtutem inflantem poſtponens, ædificantem
Gaudens præferre, inſtitui hactenus inde ſilere;
Donec ope Domini hinc valeam quid certum adipiſci,
Aures magnanimis quod demulcere Sodalis,
l. magnanimi, niſi peccare voluit ad caſum.
Corque iuuare queat: ne ſqualor in ilia ſerpat,
Et denuo offendam, ſi friuola forte refundam.
l. haud.
Quod fieri vt poſſit, mea mens aut impigra poſcit,
Simpliciterque rogat pietas vt idem tua poſcat.

Denique ſunt multi, Domino donante, magiſtri
Hac regione ſiti, ingenio locuplete beati:
Locus hic editus à Sirmondo ad calcem l. de non trina Deitate. Et ex eo à Diſſertat. c. 3.
Vnde Palatina plerique morantur in aula.
Ad hos, atque alios per barbara regna locatos,
Cernua his auidus porrexi ſcripta diebus,
Orans magnopere dignentur vt ociùs inde
Reſpondere mihi, ceu ſcis, vehementer egenti.

Estque Augustini his sententia missa Beati,
Quam liquidò exponi, auctori quadrando, poposci.
Nempe tribus horum studui proprium indere sensum,
Matcaudo, Ionæ, atque Lupo, rutilantibus ore;
Poscens obnixè satagant vt vera referre.
Proposita est reliquis tantummodò quæstio cunctis.
Obposui sanè, obiicitur quod parte ab vtraque.
Nemo sed excepto quid adhuc mihi reddidit vno;
Qui cum sit cautus, simul & catus, est moderatus:
h. libelli. Sic iam terna sui librans responsa labelli,
Vt dempto neutri pleno discrimine parti
Congruat: Vnde tibi recitanda hæc vtraque duxi;
Respondere alii properant dum mente sagaci;
Carissime. Quò magis his, mihi quàm reputes Rme quicquam,
Si videas aliquid concordans quod tibi non sit.
Quid istud mecum in duo in mecum. precare, vt duo simus? At licet vsque rogo mecum duo perpete voto,
Pectore quin toto supplex orare memento,
Donetur habilis quò sermo videlicet illis,
Cumque vigore salis pia nobis pignora pacis.
Gaudeo præterea, nimiùm venerande poëta,
Sublimis cum sis, humili quòd honore nitescis:
Quartus Ratramni panegyricus. Cumque polum subeas, quòd humi te reppere signas.
Nam placet istud ei, vt nosti, vir splendide, Regi,
Qui fore præhumilis pro te est dignatus in imis:
Mortis ad vsque genus quod erat super omnia peius.
Hoc velut ore facis, si corde patrare studebis,
Cunctarum verè virtutum stabis in arce.
Nam facile est homini miserum se voce fateri,
Ceu simulator agit; sed corde tenere quod infit,
Pauperis est, animo in supero regnantis olympo.
Illud enim reprobi faciunt persepe gemendi.
Hoc autem electi, nimirum ab origine mundi:
Idcirco haud meritis, veri sed munere Patris.
Felices frater, felices celse magister;
Quos pater in Christo delegit more benigno:
Quorum nemo perit, quos sanguinis vnda redemit
Agni cælestis, qui vitam contulit illis.
Ambro diabolus, qui homines deglutiat. Felix agnorum fuerit qui extremus eorum,
Nec leo, nec prædo, lupus, ac draco, latro, nec ambro,
Hinc rapient quenquam, vel vi, vel fraudibus vnquam.
Omne quidem quod ei tribuit pater, aduenit illi.

Pauca videntur deesse.

IN EPISTOLAM GOTTESCHALCI.

NOTÆ.



TANTI non est informis ista Clio, vt in ea comenda operæ multum temporisque ponendum sit, maximè cum multa iam ad Historiam spectantia l. 1. c. 10. &. 11. libro item 2. c. 11. libauerimus.

1. SEPTENO AVGVSTVS DECIMO. Solœcisans versus ita potest corrigi. *Septenum Augusta decimum præbente Kalendas.* 17. Kal. Sept. siue 16. Aug. Miserum Poëtam qui tironum campos tam rusticè exerceat. Quid enim frequentius orientis solis descriptione? Nota vox Romanæ vrbanitatis in malum Poetam, questum versus suos declamanti adesse neminem: is autem creberrimè ortus solis occasusque describebat. Hîc amicus ridens Possumne cum eo liberaliùs agere? Paratus sum illum audire ab ortu solis ad occasum.

2. Quæ sitiebat vti. Sic adulatur Gotteschalco Vualafridus.

Vt requies lassò, sitienti dulcis aqua fons,
Lac maternum agnis, pluuia vt squalentibus aruis;
Carcere constrictis vt lucis vena diurna.

3. Havd secvs egregias. Idem Vualafridus.

Atqui in pauperie, passa est quam nostra iuuentus,
Non talem te care habui.

4. Atque vtinam prosa tam dvlcia. Simili ratione Gotteschalcum excitat Strabo ad scribendum, loco admodum corrupto.

Cur modo diutius mordax testetur in amplis
Fama, tuam miror celare peculia dextram,
Quæ pater vsuris clemens augenda reliquit.

Qui vtinam vel amico numquam paruisset, vel talentum meliùs occupasset. Poeticam verò facultatem Ratramni tanta cum exaggeratione hic prædicatam cum lego, cuius nemo vnquam alius auctor, quod sciamus, vel verbo vno meminit, nonne meram assentationem licet interpretari, ab eo profectam, qui non feliciùs carmen probare nouit, quàm scribere?

5. Qvoniam imperivm Patris instat. Obscurissimus locus, etiam post affusam ex infinita solis orientis descriptione lucem. Quis enim est ille Pater, ad cujus imperium alia ex aliis negotia cogitur aggredi? Nam cùm hanc Epistolam ex Germania scriptam credamus, præeunte Sirmondo, illum oportuit alicui tum Abbati paruisse. Cui autem? Quo loco? Quo iure, qui Monachus erat Orbacensis apud Suessiones? An apud Augiam diuitem? At ibi Monasticem non erat professus, vt monstratum est à nobis. At circa Moguntiam tunc degebat, paulò post iudicandus à Rabano. Quid si dicimus ita loqui modò Gotteschalcum, vt præterita iuuentutis tempora, per præsens efferat; & declaret quæ causa fuerit cur iuuenis apud Orbacum vix annum vnum studiis vacauerit, & in externos labores distractus fuerit? Sed obstat, quod nunc in præsenti negat sibi vacare amico scribere. Quid ergo si dicimus, Epistolam Orbaci priùs fuisse scriptam, quam exiret è Monasterio, & Romanam peregrinationem aggrederetur? Id licet parum probem: Chronologiæ tamen & historiæ in opere à nobis exhibitæ non officit.

Hic finis & membranæ veteris, & patientiæ nostræ, sed non Gotteschalci Epistolæ: minimo tamen historiæ damno *diuina opici roserunt carmina mures.* Æstimet modò amplissimus Dissertator, quàm verè scripserit: *Si veritatis quàm causæ fuisset amantior Sirmondus, edita hac integra Epistola, maximam lucem huius disputationis præludijs allaturum* fuisse. Affert illa profectò, sed aliam longè quàm quę sperabatur. Edicat etiam quo iudicio in Synopsi atque in Dissertatione, professus fuerit Gotteschalcum *humanioribus litteris apprimè eruditum* extitisse: discatque de ignotis cautiùs pronunciare: in quem lapidem non semel impegit.





APENDICIS MISCELLANEÆ AD HISTORIAM GOTTESCHALCI

OPVSCVLVM III.

Ad l. II. c. x. & xi. *EPISTOLA PRVDENTII EPISCOPI ad Hincmarum & Pardulum.*

ARGVMENTVM.

Ratio scribendi. *D extinguendam flammam, quam per occasionem Gotteschalci, liuor & odium in Caroli regnum iniecerant, nihil efficacius fore crediderunt sapientes, quàm vt præcipui partium, aut in Synodum, aut in amicum, pacatumque colloquium conuenirent. Hoc expectauit Lupus Ferrariensis Abbas, moderati vir ingenij: hoc optarunt qui maximè petebantur, Hincmarus & Pardulus: hoc præ se tulisse Prudentius hac Epistola profitetur.* Lupus Ferrar. epist. ad Carol. *Verùm, siue Hincmari præsentiam veritus, quem alia re sine satisfactione offenderat: siue gloriosum sibi duceret cum Remensi de eruditione contendere, & in contrarijs partibus ordines ducere; siue ab eius æmulis spe in alia omnia, quàm quæ priùs docuerat, abductus, congressum vitauit, subirascente Hincmaro, & per litteras contentionem prosequi maluit, quàm, quod erat facillimum, coram componere. Non enim de alio iustiùs, quam de Prudentio, querelam Hincmari modestam debemus accipere, scribentis ad Regem, varia opuscula hinc inde missa publicare noluisse, donec cum eorum auctoribus familiari conloqueretur sermone,* & eos, inquit, si aliquo modo valeremus, ab hac praua intentione ad Catholicæ fidei vnitatem, cooperante Domino, reuocaremus. Sed quia partim occupationibus præpediti, partim autem in fraternis suasionibus, minùs quàm necesse fuerat, obauditi, eos quos monere disposuimus, à sua intentione reuocare nequiuimus, &c. Flodoard. l. 3. c. 21. Hincm. epist. 2. ad Carol.

Partitio & Argumentum Epistola. *Hispanus ergo cunctator vicariam pro se ad Hincmarum & Pardulum mittit Epistolam, duas in partes distributam: quarum priore, officio salutationis expleto, & Augustino impensè laudato, quæstiones proponit duas, de Christo non mortuo*

pro omnibus hominibus; & de positiua malorum reprobatione. Quibus, vt potest, ex scriptura stabilitis, altera parte immensam locorum è pluribus Patribus congeriem struit, nullo ordine, nullo delectu, sine elucidatione, quâ geminam probare nititur prædestinationem, non impiorum minùs, quàm electorum. Nam cùm sanctorum prædestinationem gratuitam, & ante merita præuisa factam, Augustini & Prosperi temporibus impugnatam, verè solidéque defensam esse supponat, in confirmanda reproborum prædestinatione operam suam collocat, neque nomen solum venatur, à quo non abhorret Hincmarus, sed sensum Hincmariano repugnantem, *Status quæstionis.* *videlicet, reprobos positiuè & absolutè prædestinatos esse ad interitum: quod illi Rabanus, & Hincmarus nunquam concesserunt, quia ad Gotteschalci sensum accedebat proximè, qui sic prædestinatos reprobos credebat, vt electos, hoc est, ad finem simul, & ad media, ad malum culpæ & pœnæ. Vnde colligebant Catholici, ab hæretico Deum non minùs fieri perditionis auctorem, quàm salutis: atque vlteriùs, ex vtriusque tum Gotteschalci, tum Prudentij opinione sequebatur, ad interitum prædestinatos, quantumlibet velint, saluos esse antecedente Dei voluntate non posse. Atque ad hunc quæstionis statum rationes omnes, & singulos auctorum locos referre debuit, si quid voluit concludere.*

Stilus longè moderatior est, quàm quo Ioannem Scotum deinde oppugnauit; eorum quippe ad quos scribit dignitatem & auctoritatem reueretur: neque tam refellendos errores suscipit, quàm in stabiliendo suo dogmate immoratur. *Stilus Epistolæ.* *Nondum enim, vt arbitror, disputando incaluerant animi Theologorum nostrorum; & inter ipsum atque Hincmarum frigus tantùm intercedebat, aut simultas vt summum, in apertas inimicitias breui eruptura. Quo tamen anno centones istos collegerit, non possum decernere, nulla instructus nota quæ me vni potiùs affigat, quàm alteri. Vnum dico,* *Tempus scriendi.* *non posse ad annum 849. pertinere, cui Chronologica Dissertatio assignat. Nam cum narret historia, primis temporibus eadem cum Hincmaro sensisse Prudentium; hæc autem quæstio ante damnatum anno illo Carisiaci Gotteschalcum, cum Hincmaro agitata non fuerit; cumque Monacho in ergastulum retruso, & multis ad pœnitentiam inuitato, Prudentij sensum & consilium expetierit Hincmarus, fieri non potest, vt per hæc initia Gotteschalci assedam se professus sit Prudentius, aut talem Hincmarus agnouerit. Si quis autem eam ad tempora ordinationi Æneæ Parisiensis vicina distulerit, non equidem magnopere repugnabo: siquidem ab eiusdem Tractoria ad Vvenilonem non procul abesse Hincmarus innuit, qua palam probatæ hactenus opinioni contradicere Trecassinus incœpit.* Hincm. l. de Prædest. c. 34.

Quid est autem quòd Hincmarus eo loco libellum *vocat* ad quosdam fratres *compositum, quem Rabanus, ad ipsum, & Pardulum scriptum fuisse testatur?* *Duplex collectionis inscriptio.* Si quidam fratres *sunt duo illi Episcopi, quid refugit Archiepiscopus factam sui mentionem agnoscere? Certè ex quo eandem inscriptionem apud Prudentium ipsum legi, existimaui semper huic collectioni diuersas Epistolas & dedicationes, tanquam vni statuæ aliud atque aliud caput fuisse impositas. Primam ante ordinatum Æneam; cum primùm perfecta est,* ad quosdam fratres; *cum verecundiùs adhuc Remensis partes desereret, & hominum de mutatione sua iudicia tentaret.* Prudent. l. contra Ioan. Scot. c. 11. *Sic enim maturè scripsit Hincmarus ad Reclusos & simplices Parochiæ suæ; & Collectaneis suis Lupus, & Amolo populum docere curarunt. Alteram ad Hincmarum & Pardulum (quæ hæc nostra est) post Senonensem Conuentum, cum nonnullos approbatores reperisset, & vt credibile est, multiiugæ Lectionis admiratores. Hæc vna superest, priore deperdita. Neque id vacat illorum temporum exemplo. Siquidem Rabanus Maurus Opus de Vniuerso libris duobus & viginti constans, duobus misit cum Epistolis singulis, Ludouico Regi & Hennoni Episcopo. Quod*

Differt. n. 13. *autem addit Dissertatio, nouam historiam fabricata, hac Epistola & Collectione munitum Prudentium, ad Parisiense Concilium (quod Turonense Baronius & Sirmondus faciunt) aduenisse, præsentibus Hincmaro & Pardulo legisse publicè, quòd eos coram alloqui non posset, coactum se ad absentes scribere: ratam fuisse Synodo, datumque consensum, vt ad Hincmarum & Pardulum præsentes & audientes mitteretur; hæc ad ludicra puerorum & nutricularum fabulas amandamus.*

Quomodo illi responsum. Raban epist. ad Hincm. *Acceptam porro Epistolam, cum alia Ratramni Corbeiensis Epistola, & nonnullis scriptis ad Rabanum Maurum misit Hincmarus, vt ei magna cum auctoritate responderet, & locos locis opponeret. Sed id facere recusante bono sene, & morbis fracto, Hincmarus ipse opere de Prædestinatione plurima ex iisdem auctoribus & libris excerpsit, vnde Prudentius hauserat, & sic eum ex obliquo, & quasi aliud agens refellit, rarissimè nominato hoc opusculo, quòd cum Compilatore suo satis haberet negotij.*

Quid in hac prima editione erutum. *Ceterùm nunc primùm Epistola pene integra, & tota Collectio prodit in lucem beneficio R. P. Sirmondi, qui ex Codice S. Arnulfi descripsit; Cuius thesauri sedem cum V. Cl. Mauguinus ex eo didicisset, auidè exquisitum,* iam ab inimica manu laceratum, vel subtractum ibi desiderari *reperit, & esse necessariò ad Apographum Sirmondi recurrendum. Inde primam Epistolæ partem dedit in publicum, aliam cum Notis frustra expectans & exigens; de quibus tamen sibi ignotis iudicium interponit suum, non absque censuræ apud prudentes periculo. Quod ergo tantopere cupiunt Gotteschalcani proceres, quod à Prudentio nihil sperent nisi mortiferum Hincmaro, & eius partibus, hoc Sirmondus exire permisit: nosque eius vsi munere, de nostro nihil afferimus, præter Capitum distinctionem, & breues Notas. Has volumus seruire quæstioni, & veram Patrum qui citantur, mentem aperire: illam vtilitati damus, & leuando lectoris tædio, quam multis veterum libris Grammatici addiderunt, in quibusdam Lugdunensium tractatibus factam à Dissertatore, gaudemus.*

TESTIMONIA VETERVM.

DE PRVDENTIO, ET HAC EIVS EPISTOLA.

RABANVS MAVRVS EPISTOLA ad Hincmarum.

NAM Prudentius Tricassinæ ciuitatis Episcopus, ad vos & ad Pardulum scribens, plura testimonia præteritorum Patrum in quaternionibus suis collegit, in quibus aliquando sensui nostro concordat, hoc est, vbi dicit peccati auctorem Deum non esse, nec aliquem ad peccandum compellere; præmium verò iustis immensa gratia misericorditer tribuere, pœnam autem condignam iniquis pro malis eorum operibus iustè reddere; quia iustus est Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Sed quando dicit, quòd Deus, sicut electos prædestinatione suâ ad præmium æternum perducit; ita prædestinatione sua cogat peccatores in interitum ire; hoc mihi videtur in congregatione testimoniorum suorum facere velle, vt credamus & confiteamur, iuxtà traditionem Gotteschalci, geminam esse prædestinationem: scilicet, quòd, sicut electos præsciendo & prædestinando Deus ducit ad vitam, ita reprobos præsciendo & prædestinando ducat ad pœnam. Sed quia hoc nusquam in scripturis sacris ita mixtim positum inueni, eius traditionibus assentire non acquiesco.

Incidit in sententiam Gotteschalci quam vitare videbatur.

Singillatim autem cunctis propositionibus eius per singula loca respondere, & sententijs illis, quas ipse ex multis libris congregauit, contrarias sententias apponere, non me permittit infirmitas corporis, nec ægritudo senectutis.

Hincmarus l. De Prædestinatione. C. X.

Istæ sunt duæ sortes, & duo funiculi dimensi, vnus ad occidendum, & vnus ad viuificandum, commemorati de scripturis in libello Domni Prudentij, ad confirmandam sententiam quia sunt reprobi à Deo prædestinati ad mortem, sicut electi ad vitam. Sed meliùs, quia veriùs Prosper, vt diximus, ex verbis Sancti Augustini, qualiter Catholicè intelligere debeamus huiusmodi Scripturæ sacræ locutiones, aperuit.

Item. C. XXXIV.

Ceterum quod dicit Domnus Prudentius in libello suo, quem ad quosdam fratres, antequam supra memoratam Epistolam Weniloni Archiepiscopo suo direxisset, composuit. Cum enim inquiens, &c.

Item. C. XXI. *De Tractoria Prudentij, quæ est eiusdem Argumenti.*

Cui Capitulo (*Carisiaco, de libero arbitrio*) cum alijs tribus, de quibus ratio agitur, in Conuentu Episcoporum Domnus subscripsit Prudentius. Posteà autem in Epistola ad Wenilonem suum Archiepiscopum, de Ordinando Ænea Parisiorum Episcopo, directa, quatuor ponens Capitula, ita de hoc primo dicit &c. Vnde miramur cum in præfata Synodo Capitulis superiùs memoratis subscripserit, & Canonicas Sanctiones, atque Decreta Apostolicæ Sedis Pontificum, sufficienter cognita, de Synodali subscriptione atque professione habeat, tam inconsultè, & inconsuetè, sine probabili conlatione, contra Regularum instituta, huiusmodi scriptum pro Ordinationis consensu Coëpiscopi sui ad Archiepiscopum & Coëpiscopos suos transmiserit.

Item de eadem Epistola C. XXXIII.

Et Domnus Prudentius ex Euangelio, & aliis scripturis sanctis, ad hanc confirmandam assertionem (*quòd Christus non sit passus pro omnibus,*) plura ponit exempla, dicitque in supra memorata Epistola, capite tertio, &c. Sed & Gotteschalcus in hanc venit sententiam. Relinquentes interim has nænias, potiúsque blasphemias, quid Patres Catholici senserint de mysterio Dominicæ passionis, &c.

Item. C. XXIV.

Et Hieronymus in Epistola ad Philemonem, contra hoc quod dicunt Gotteschalcus atque Prudentius, qui non saluantur, non est penitus voluntas Dei vt salui fiant, ità dicit.

Item Epist. XXIV. *Ad Egilonem Archiepiscopum.*

Nam idem Gotteschalcus dicitur multos habere fautores: sicut habuit Domnum Prudentium, sicut scripta ipsius testantur, quæ à pluribus qui illa habent, possunt proferri.

Prudentius ipse de Collectione sua. l. contra Ioan. Scot. C. IV.

Secundam (*hæresim*) quam duabus inseris, & ex duabus compactam asseris, videlicet in prædestinationis necessitate tam bonorum quàm malorum omnium constituta, quamque Gotteschalcanam nouo vocabulo nuncupas, nec defendimus, nec tenemus. *Et post pauca.* Et quia de gratia & libero arbitrio satis abundeque & à Patribus actum, & à nobis, atque alijs adæque catholicis, nimirum viris eruditissimis, decerptis, atque collectis eorum sententijs elaboratum est, vnam tantummodo beati Patris Augustini sententiam ad medium deduxisse sufficiat.

Item. C. XI.

Proinde impudentior ceteris tui similibus comprobaris, qui cum eorum venerabilia scripta legeris, quippiam secùs ausus es mussitare. Nam etsi nusquam eorum scripta legisses, satis ea te poterant, de his omnibus informare, quæ ante biennium ex illorum libris deflorata, quibusdam fratribus consensu Synodi mittere curaui.

Annales S. Bertini, ad Annum 861.

Galindo, cognomento Prudentius, Tricassinæ ciuitatis Episcopus, natione Hispanus, apprimè litteris eruditus, qui ante aliquot annos Gotteschalco Prædestinatiano restiterat; pòst felle commotus contra quosdam Episcopos secum hæretico resistentes, ipsius hæresis defensor acerrimus, indéque non modica inter se diuersa, & fidei aduersa scriptitans, moritur: sicque, licet diutino languore fatigaretur, vt viuendi, ita & scribendi finem fecit.

Flodoardus Histor. Remens. l. III. c. XXI. in Catalogo Epistolarum Hincmari ad Archiepiscopos & Episcopos.

Prudentio Trecassino scribens, queritur quare sibi præsentiam suam subtrahat, significans se ab eo consilium quærere velle, de statu & compressione Gotteschalci; intimans quod de ipso actum, vel iudicatum fuerat in Synodo, quo eum reclusum tenebat iudicio; & quia multis modis eum conuerti tentauerit; & de moribus ac superbia ipsius: Et si in Cæna Domini, vel in Pascha debeat illum admittere ad audiendum sacrum officium, vel accipiendam communionem. Et quid sibi videatur de sententia Ezechielis Prophetæ, qua dicitur: ***In quacunque die ceciderit iustus, omnes iustitiæ eius in obliuione tradentur: Et, quacunque die peccator conuersus fuerit, omnes iniquitates eius tradentur obliuioni.*** Sed & de consuetudine Cænæ Domini celebrandæ. Item pro Ecclesiis Sedis Remensis, in ipsius Diœcesi sitis, quas ille aliter tractabat, quàm Episcopali conueniret æquitati: vt de his & aliis, quæ de ipso audiebat, simul loquerentur, exhortans vt alterutrum se instruerent, & Domino mutuò commendarent. Pro qua re librum quoque scripsisse reperitur.

Codex MS. Altiuillarensis Monasterij. De libro Prudentij contra Scotum.

Hic liber qui quasi ad defensionem fidei contra infidelitatem loquitur, & testimonia scripturarum & Catholicorum nomina profert, cautè legendus est, & in eius lectione Apostoli est sequenda sententia, qua dicit, *Omnia probate, quod bonum est tenete.* Nam compositor eius Prudentius de quibusdam Ecclesiasticis dogmatibus non sentit Catholicè, sicut alia eius scripta demonstrant.

EPISTOLA

PRVDENTII EPISCOPI

[1] Ad Hincmarum & Pardulum Episcopos.

Ex Codice MS. S. Arnulfi per Iac. Sirmondum educta.

PRÆFATIO.

[2] DOMINIS prædicabilibus, doctrina & sanctitate præstantibus, honorabiliter nominandis, Hincmaro, & Pardulo Pontificibus, Prudentius Beatitudinis vestræ amator, cultorque fidissimus, æternam in Domino salutem. [3] Optaueram quidem, mi Patres admodum venerandi, fratresque in Deo, & Domino nostro Iesu Christo plurimùm diligendi, de propositis quæstionibus secreto amicabilique vobiscum tractare colloquio; & quicquid supernæ gratiæ dono sanius salubriusque videri posset, remota penitùs vincendi peruicacia, propulsaque sua cuique studia tuendi libidine, diligenter exquirere. Verum obliquatis in diuersa rebus, adeò auersus resilij, vt ne voluntatem meam saltem exponendi facultas suppeteret. Vnde quomodo conloquendi libertas tantopere denegata est, coactus sum eo sincerissimæ caritatis affectu, quem vestræ vnanimitati peculiariter debeo, litterariam quantulacunque est, operam exhibere, & quid votis conceperim, scriptis edicere.

Ratio scribendi. Vide argumentum.

Fort. quando, vel quoniam

CAPVT I.

Encomium S. Augustini, & eius doctrinam quanti fecerint Pontifices Romani.

[4] HOc primum præcipueque vestram sinceritatem monens & postulans, vt doctrinam beatissimi Patris Augustini, omnium absque vlla dubietate vndecunque doctissimi, sanctarum scripturarum auctoritati in omnibus concordissimam (quippe nullus doctorum abstrusa earum scrupulosiùs rimatus, diligentiùs exquisierit, veriùs inuenerit, veraciùs protulerit, luculentiùs enodauerit, fideliùs tenuerit, robustiùs defenderit, effusiùs disseminauerit) vestri Pontificatus tempore, commento quolibet impugnari non permittatis: quando tanto cælestis gratiæ munere donata existit, vt nullo cuiusquam conamine vllatenus euelli possit: cùm eam & Apostolicæ Sedis sublimitas; & totius Ecclesiæ Catholicæ vnitas auctoritate concordissima approbarint ac roborarint: [5] adeo vt nullus ei singulariter, verùm vniuersitati Ecclesiæ Catholicæ cum ea, & in ea queat obniti.

Encomium Augustini. vide Notas.

Si enim aduersam fidei Orthodoxæ in quoquam conspiceret, [6] nequaquam eam Romanæ Ecclesiæ Antistes venerabilis Innocentius, cum totius orbis Episcopis suscepisset: neque prædictum Patrem memorabilem, suarum Epistolarum communiter priuatimque officiis affecisset. [7] Neque successor eius Zosimus eodem tramite cucurrisset. [8] Neque Bonifacius eiusdem Apostolicæ Sedis Præsul Epistolas Pelagianorum sibi delatas, ei ad respondendum misisset; aut responsionem eius quatuor libris editam, probabiliter atque honorabiliter suscepisset. [9] Cælestinus quoque memoratæ vrbis Episcopus, quid contra Gallorum insaniam, super eo, eiusque doctrina senserit, ex auctoritate Apostolica, Decretorum scita declarant, quæ ita se habent. *Nec tamen mirari possumus, si hæc erga viuentes hi nunc tentare audent, qui nituntur etiam quiescentium fratrum memoriam dissipare. Augustinum sanctæ recordationis virum, pro vita sua, atque meritis in nostra communione*

Pontificum Romanorum approbatio. Epist. Pontific. tom. 1.

Cælestin. epist. 8. v. Notas.

semper habuimus, nec vnquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit. Quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, vt inter magistros optimos, etiam à meis decessoribus, haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt, vt pote qui vbique cunctis & amori fuerit, & honori. [10] Nec minùs Leo Papa Beatissimus, super eius æstimatione sensisse credendus est, qui Euichetis damnans vesaniam, cum fidem Orthodoxam collectis Catholicorum Doctorum sententiis adstrueret, B. Augustini sententias interponere non ambegit. Quantus etiam Beatissimo Papæ Gregorio fuerit, indicat [11] eius Epistola, quam ad Innocentium Episcopum misit, in qua

Regist. l. 8 epist. 37. indict. 3.

hæc eius verba sunt. *Quòd verò in Expositione sancti Iob transmitti codicem voluistis, vestro omnino studio congaudemus, quando illi rei eminentiam vestram studere conspicimus, quæ nec totos foris vos exire permittat, & ad cor iterum secularibus curis dispersos recolligat. Sed si delicioso cupitis pabulo saginari, beati Augustini patriotæ vestri opuscula legite, & ad comparationem siliginis illius, nostrum furfurem non quæratis.*

CAPVT II.

S. Augustini doctrinam Fulgentius & Prosper defenderunt.

De Fulgentio ad Monimum.

SAnè [12] S. Fulgentius, mirabilis doctrinæ Episcopus, Monimo super perditorum interitu de Prædestinatione, ex B. Augustini verbis sciscitanti, nequaquam librum responsionis in defensionem sententiæ tanti Patris ederet, si eum Catholicæ fidei contraria sensisse, vel certè scripsisse cognosceret. [13] Quamuis

Cæsar. l. 3. de Bell Gall. Vide Notas.

Gallorum, sicut quidam de eis, quòd eorum sint semper repentina consilia, [14] nequaquam Prædestinationem perditorum reprehenderint, sed sanctorum prædestinationi nouo conludio derogare maluerint. [15] Quorum, insanæ præsumptioni memorabilis idem Augustinus Doctor eximius, [16] petentibus Prospero & Hilario orthodoxè, [17] respondens, duos libros, alterum de Prædestinatione Sanctorum, alterum de Bono perseuerantiæ plenissimè fidelissimeque confecit: in quibus perpauca de Prædestinatis ad interitum, quamplura verò de Prædestinatis ad gloriam verissimè disseruit. Cuius dictorum scriptorumque salubrium

De Prospero pro S. Augustino.

Prosper Gallicæ Prouinciæ Doctor præcipuus sequax per omnia atque defensor, memorabili Patre ad cælestia indubitabiliter transmigrato, ita suis, id est, Gallis furentibus [18] Catholica responsione obuiauit, vt & doctrinam illius Orthodoxam procul dubio assereret, & eum nihil contra veritatis regulam vllatenus vel sensisse, vel scripsisse adstrueret. [19] Quam videlicet S. Prosperi responsionem

Vide Notas.

propositis quæstionibus sufficere crederem, nisi quorundam aliter opinantium peruicacia ad alia deuocaret. Nam tunc omnis quæstio aduersùm sanctorum Prædestinationem quibusdam confictis adinuentionibus agebatur: quibus à venerandæ memoriæ Patribus satis abundeque responsum est: [20] nunc in diuersum niten-

Status quæstionis. v. Notas

tibus studiis, prædestinatio perditorum à quibusdam funditùs abrogatur. Quasi verò aut incomprehensibilis, perindeque inreprehensibilis iustitia omnipotentis iudicis euacuari queat, aut id sanctarum scripturarum auctoritate stipulari nequeat; cùm piè diligenterque legentibus, [21] etsi non verbo eodem, alijs tamen tam vocabulis, quàm sententijs itidem significantibus, minimè taceatur, quemadmodum, Christo propitio, sequentia patentissimè demonstrabunt. [22] Adeóne desipimus, vt putemus B. Hieronymum vtriusque testamenti fidelissimum doctissimumque interpretem, eidem Patri, si quà deuiare cognosceret, parcere potuisse; præsertim cum eum in quadam Epistolarum suarum redarguerit, è vestigioque correctum susceperit, ac deinceps multis laudibus persæpe extulerit, amorique semper & honori habuerit? Quibus constitutis, tandem quod cœpimus, propitiante Domino exequamur.

CAPVT

CAPVT III.

Ingressu in disputationem tres proponit quæstiones. De Prædestinatione reproborum: de Christo pro solis electis mortuo: de Dei voluntate non omnes homines vocandi & saluandi.

SEquentes igitur saluberrimam tanti Patris doctrinam, dicimus, vt cetera obmittamus, [11] Deum summè atque incommutabiliter bonum & iustum, hominem sola bonitatis suæ abundantia de terræ limo conditum, anima rationali donatum, libertate quoque arbitrij decentissimè decorasse, vt eo benè & liberaliter, cum adiutrice conditoris gratia vtens, non mori posset; contumaciter verò perperamque abutens, iustissimè addictus mori posset arbitrio. Quo miserrimè intumescens, qui priùs gratuitam bonitatem liberalitatemque senserat, mox æquitatem iustissimam rectissimè plexus, expertus est, damnataque ob culpam inobedientiæ in primis propagatoribus totius humani generis massa, & præsciuit, & prædestinauit, id est, præordinauit eius omnipotentia quos per gratiam & sanguinem proprij Filij sui, Dei & Domini nostri Iesu Christi ab eadem perditionis massa misericorditer secretos, ad vitam, gloriam, regnumque reduceret sempiternum: & præsciuit, & prædestinauit, id est, præordinauit, vt quoscunque gratia & sanguis eiusdem proprij Filij eius Dei & Domini nostri Iesu Christi ex memorata miserabili massa non secerneret, iustissimè pœnis afficeret sempiternis. Prædestinauit, inquam, id est, præordinauit, non vt peccarent, sed vt propter peccatum pœnis perpetuis interirent: prædestinauit, id est, præordinauit, non ad culpam, sed ad pœnam; non vt malum quoddam vellet, siue admitteret, sed vt propter malum, quod volens faceret, cum pœna sempiterna iustè damnaret.

Prædestinatio gemina. *Contra Prædestinatianos.*

Quos autem sanguis proprij Filij eius Dei & Domini nostri Iesu Christi misericorditer liberarit, vtrum-ne pro omnibus quibuscunque hominibus, an pro quibusdam, id est, prædestinatione electis, electione indebita prædestinatis, fusus fuerit? Ipsa omnipotentissima veritas, quæ eum in vnitatem suæ personæ misericorditer suscepit, & fudit, consulta nos doceat. Cum enim (quemadmodum Sancti Euangelistæ, veracissimi videlicet dictorum ipsius factorumque stipulatores atque scriptores testantur,) inter cænandum, Mysteria suæ, quam voluntate subijt, mortis prorsus indebitæ, nostræque redemptionis ediceret, pro quibus pateretur intimauit. [14] Dicit enim Matthæus, *Et accipiens Calicem gratias egit, & dedit illis dicens; Bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus Noui Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Marcus autem. *Et accepto Calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes, & ait illis: Hic est sanguis meus Noui Testamenti, qui pro multis effundetur.* Lucas verò: *Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnauit dicens, Hic est Calix Nouum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis effundetur.* His incorruptibilis veritatis sermonibus, quantùm mea fert pusillitas, omnes ambages & controuersiæ defectiscunt, qui tanta claritatę prolati resplendent, vt si quis secùs intelligere, contraque asserere moliatur, ipsius ineffugibili, vt ita dixerim, perspicuitate frustretur. Ecce enim veritas, non pro omnibus, sed *pro multis*; non pro alijs, sed *pro vobis* dicit.

Christus non pro omnibus mortuus. *Hincm. l. de præd. c. 34.* *Matt. c. 26.* *Marc. c. 14.* *Luc. c. 22.*

Et quisquam tantæ maiestati ogganniens aliter quoçunque modo mutire præsumit, quàm prædicator egregius doctor Gentium, in fide & veritate immutabiliter sequens, de ipso clamat: *Qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* [15] quos enim veritas *multos*, hos prædicator veritatis *omnes* nuncupat; quos etiam eadem veritas *paucos* & *electos* appellat. Siquidem quonam modo *omnium* vocabulo *multi* vel *pauci* intelligendi sint, nullatenus ariditatis meæ riuulo imbuendi estis; quippe qui omnia efficaciter percepistis. [16] Verùm memorabilis Augustinus, vt optimè recolitis, *omnes Deum velle fieri* saluos dicit, sed, quos-

Paulus Apostolus explicatur. *1. Timoth. 2.* *Vide Notas.*

Oo

cumque saluat: vel, omnes ex omni genere hominum: vel, omnes velle fieri saluos, quia nos facit velle fieri omnes homines saluos. Alioquin si generaliter, & non specialiter omnes intelligendi sunt, [17] vbi est illa omnipotentia, qua *omnia* Ps. 134. *quæcunque voluit in cælo & in terra*, prorsùs non quædam, sed *omnia* generaliter *fecit*? De quo verissimè canitur, *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cælo & in terra, in* c. 13. *mari, & in omnibus abyssis*. Et cui dicitur, *In voluntate*, vel *ditione tua Domine cuncta sunt posita, & non est qui tuæ possit resistere voluntati*. Et vbi erit quod iugiter diurnis nocturnisque confessionibus nos credere in Deum Patrem omnipotentem fidelissimè dicimus? Si aliqua vult, & non facit, quod absit ab omnium saluandorum cordibus, impotentiæ arguitur, qui omnipotens prædicatur: quod quantæ sit imprudentiæ, vestra prudentia viderit.

CAPVT IV.

Tertia maximè propositio Scripturæ sanctæ auctoritatibus probatur.

Iob. c. 13. Ratramn. l. 1. de præd. Deuteron. c. 32. PErpensis igitur diligentiùs Sanctarum scripturarum paginis, considerate quid B. Iob dicat: *Et anima eius, quodcunque voluit, hoc fecit*. Quid est quod S. Moyses in cantico Deuteronomij canit, [18] *Constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israel*, vel, *Angelorum Dei; pars autem Domini populus eius; Iacob funiculus hæreditatis eius*. Esther. c. 3. Et in libro Esther, qui duas sortes esse præcepit, vnam populi Dei, alteram cunctarum gentium. Hincm. l. de præd. c. 10. Et Salomon, [19] *Considera omnia opera Dei, quòd nemo possit saluare, quem ille perdiderit*, siue, *despexerit*. Eccles. c. 7. Et in Psalmo, *Qui adnunciat verbum suum Iacob, iustitias & iudicia sua Israel: non fecit taliter omni nationi, &* [20] *iudicia sua non manifestauit eis*. Psal. 149. Ps. 58. Et iterum. [21] *Non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem*. Eccles. c. 26. Et in libro Ecclesiastico. *In duobus contristatum est cor meum, & in tertio iracundia mihi aduenit. Vir bellator deficiens per inopiam; & vir sensatus, contemptus: & qui transgreditur à iustitia ad peccatum; Deus parauit eum ad romphæam*. Eccles. c. 33. In eodem [22] *Et omnes homines de solo, & ex terra vnde creatus est Adam: in multitudine disciplinæ Domini separauit eos, & immutauit vias eorum: ex ipsis benedixit & exaltauit; ex his sanctificauit, & ad se applicauit: ex ipsis maledixit & humiliauit, & conuertit illos ad separationem ipsorum; quasi lutum figuli in manu ipsius plasmare illud & disponere; omnes viæ eius secundùm dispositionem eius. Sic homo in manu illius qui se fecit, reddet illi secundùm iudicium suum*. Iob. c. 15. Et in Iob, *Cum se mouerit ad quærendum panem, nouit quòd paratus sit in manu eius tenebrarum dies*. Is. c. 30. Et Isaias. [23] *Parata est enim ab heri Topheth, parata & dilatata*. Is. c. 66. In eodem. *Vbi vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur*: Marc. c. 9. Domino verbis eisdem in Euangelio secundùm Marcum idem approbante.

[24] Perpendite obsecro quare vni det Deus gratiam, alteri non det. Quare post tot millia annorum pro redemptione humani generis Saluator venerit; & excepta gente Iudæorum, per tanta spatia temporum, totus mundus sine gratia Dei in errore remanserit? Quare solum Abraham, & non totum mundum, ad Iudic. c. 6. misericordiæ suæ notitiam vocauerit. Cur in solo vellere populi Iudæorum tot annorum millibus ros diuinæ gratiæ manserit, & area totius orbis irrigari per Dei misericordiam non meruerit. Vel cur postea solum vellus, Iudaicus videlicet populus, à Dei gratiâ aruerit, & gentium omnium aream ros diuinæ misericordiæ perfuderit. Matth. c. 11. Luc. 10. vide notas. Et cum Dominus Saluator noster in Euangelio dixerit [25] *Quid si in Tyro & Sidone, ac Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in Corozain, Bethsaida, & Capharnaum, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent*. Quare ibi fecerit virtutes, vbi non solùm ei non crederetur, verùm etiam pateretur: & ibi non fecerit, vbi erant pœnitentiam acturi & credituri? Et quod ipse iterum dicit, *Non omnes capiunt verbum, sed quibus datum est; qui habet aures audiendi, audiat*. Matth. c. 19. Luc. c. 8. Et iterum, *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in Parabolis, vt non videntes videant, & qui vident cæci fiant*. Is. c. 6. Ioan. c. 12. Et, *Non poterant credere, quia dixit Isaias, Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, ne forte videant oculis, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos*. Ioan. 17. Et item, *Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi*. Ioan. c. 6. Et, *Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum*. Ibid. Et, *Nemo potest venire ad me, nisi datum fuerit ei à Patre meo*. Ioan. c. 14. Et, *Nemo venit ad Patrem, nisi per me*. Matt. c. 11. Luc. c. 10. Et, *Nemo nouit Patrem, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare*. Et, *Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à*

sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Et duorum se sequi volentium, Matth. c. 11.
alterum admiserit, alterum respuerit. Et, *Sicut Pater suscitat mortuos & viuificat: sic &* Luc. c. 9.
Filius quos vult viuificat. [16] Si igitur omnes homines vult saluos fieri, cur non omnes viuificat, qui quos vult viuificat? Quare Spiritus sanctus *vbi vult spirat*, non in omnibus? & quare non omnibus, sed *singulis diuidit prout vult*? Ioan. c. 5.

[17] Et quod in Actibus Apostolorum legitur, quia *in præteritis generationibus dimiserit gentes omnes ingredi vias suas*, vnamque tantùm Iudæorum gentem elegerit. Et quòd prædicantibus Apostolis illi tantummodo crediderunt, qui *præordinati erant ad vitam æternam*. Et quòd volentes Paulum & Barnabam prædicare in Asia, prohibuit eos Spiritus Iesu. Et quòd docente Paulo, Lydiæ purpurariæ, non ceteris audientibus, Deus cor aperuit, vt crederet his quæ dicebantur à Paulo. Et quòd Apostolus Paulus reliquias per electionem gratiæ saluas factas prædicat. Et, quia Deus *cuius vult miseretur, & quem vult indurat*. Et quòd ipse tantis profunditatibus tremefactus exclamat, etiam vt cum ipso clamare non erubescatis, *O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum qui se finxit, quare me sic fecisti? An non habet figulus luti potestatem ex eadem massa, aliud vas facere in honorem, aliud in contumeliam?* Et illud, *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* &c. Aduerte quæso quis sit populus, de quo in Euangelio dicitur, *Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Et in Psalmo, *Redemptionem misit populo suo.* Et rursum. *Dicant qui redempti sunt à Domino, quos redemit de manu inimici, de regionibus congregauit eos.* Et, *Saluos nos fac Domine Deus noster, & congrega nos de nationibus.* Si igitur omnia quæcunque voluit fecit, & omnes homines vult saluos fieri, ergo quod non fecit, noluit, & quos non saluat, saluare non vult: occultissimo quidem, altissimo, incomprehensibili inuituperabilique iudicio, sed prorsus iustissimo.

Ioan. c. 3. 1 Cor. 11. Act. c. 14. Ibid. c. 13. Ibid. c. 16. Ibid. c. 16. Rom. c. 9. Ibid. c. 9. Rom. c. 11. Matth. c. 1. Ps. 110. Ps. 106. Psalm. 105.

CAPVT V.

Incipit Collectio ex Patribus qua prima propositio de gemina Prædestinatione probatur.

QVibus studiosè ac diligenter animaduersis, [18] tandem Catholicorum Doctorum qualiter eis consentiant, sententias subiungamus: non omnium quæ præmissa sunt, expositiones, sed quemadmodum eorum sensa his vel verbis vel sensibus congruant, continentes.

[19] INNOCENTII PAPÆ in Epistola directa ad Laurentium Episcopum: cap. XLIX. Sed ne vlteriùs debacchandi habeant facultatem, & animas simplicium & rusticanorum in gehennam, cui destinati sunt, trahant. Epist. 12.

AMBROSII in expositione Epistolæ Pauli Apostoli ad Rom. [40] Vnum elegit præscientia, & alterum spreuit. Et in illo quem elegit, propositum Dei manet: quia aliud non potest euenire, quàm quod sciuit & proposuit in illo, vt salute dignus sit. Et in illo, quem spreuit, simili modo manet propositum quod proposuit de illo, quia indignus erit. Hoc quasi præscius, non personarum acceptor: nam neminem damnat, antequam peccet, & nullum coronat antequam vincat. Hoc pertinet ad causam Iudæorum, qui sibi prærogatiuam defendunt, quòd filii sint Abrahæ. Apostolus autem consolatur se; vt quia dixerat dolorem habere se cordis continuum, causa incredulitatis eorum, quorum adoptio erat filiorum, & legis constitutio, & ex quibus Christus saluator, sicut & ipse ait, quia salus ex Iudæis est, tractata lege inuenit, quia non omnes qui in Israel sunt, credituri sunt; neque quia dicuntur filij Abrahæ, omnes Abrahæ filios dicendos, sicut supra memoraui. Minuit ergo dolorem suum, inueniens olim prædictum, quòd non omnes essent credituri: vt his solis doleat, qui per inuidiam in incredulitate laborant. Possunt tamen credere, quod ex subiectis aperit. Incredulis tamen prædictis non valdè dolendum est; quia non sunt prædestinati ad vitam: Præscientia enim Dei olim hos non saluandos decreuit. In c. 9. ad Rom.

ITEM in eodem: Præscientia verò est, [41] quia definitum habet qualis vniuscuiusque futura voluntas erit in qua mansurus est, per quam aut damnetur, aut coronetur. Denique quos scit in bono mansuros, frequenter ante sunt mali: & quos malos scit permansuros, aliquotiens priùs sunt boni. Vnde cesset querela, quia Deus acceptor personarum non est. Nam Saul & Iudas Iscariotes antea fuerunt boni, dicente scriptura de Saul, *Erat vir bonus, & non erat illo melior in filijs Israël.* Et de Iuda Iscariote dicit Petrus Apostolus, *Qui sortitus est sortem ministerij huius*, id est, Ibid. al. Præscientia enim Dei est qua. 1. Reg. 9.

Act. c. 1. Apostolatus. Quomodo igitur ministerium salutare sortiretur, nisi esset bonus? In sorte enim Dei iudicium fuit, dignum illum fuisse tempore quo electus est.

Paulo post. ITEM in eadem. Manifestum est vasa aliqua fieri ad honorem, quæ ad vsus honestos sint necessaria: alia verò ad contumeliam, quæ strumento sint culinarum: vnius tamen esse substantiæ, sed differre voluntate opificis in honore. Ita & Deus, [41] cum omnes ex vna atque eadem massa simus in substantia, & cuncti peccatores, alij miseretur, & alterum despicit non sine iustitia. In figulo enim sola voluntas est, in Deo autem voluntas cum iustitia: scit enim cuius debeat misereri, sicut supra memoraui. *Quòd si volens Deus ostendere iram, & manifestare potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ præparata in interitum, & vt ostenderet diuitias gloriæ suæ, in vasa misericordiæ, quæ præparauit ad gloriam.* Ipse sensus est, quia voluntate, & longanimitate Dei, quæ est patientia, præparantur infideles ad pœnam.

CAPVT VI.

Ex S. Augustino in Epistola ad Sixtum.

Epist. 105. aliquanto post initium. Ephes. c. 6. AVGVSTINI [41] ex Epistola ad Sixtum Presbyterum. Vnde & alibi dicitur, *Pax fratribus, & caritas cum fide*; quam ne sibi tribuerent, continuò subiunxit, *à Deo Patre & Domino nostro Iesu Christo.* Quia nec omnium est fides qui audiunt verbum, sed quibus Deus partitur mensuram fidei. Sicut nec omnia germinant quæ plantantur & rigantur; sed quibus Deus dat incrementum. Cur autem ille credat, ille non credat, cum ambo idem audiunt, & si miraculum in eorum conspectu fiat, ambo idem vident, altitudo est diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, cuius inscrutabilia sunt iudicia; & apud quem non est iniquitas, dum cuius vult miseretur, & quem vult indurat: neque enim propterea sunt iniusta, quia occulta.

Paulo post. Ioan. c. 6. ITEM in eadem. Et ne quisquam existimaret, credentes sic ad eius præsentiam pertinere, quomodo non credentes, id est, vt non eis fides ipsa desuper daretur, sed tantummodò voluntas eorum prænosceretur, mox adiicit, atque ait, *Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.* Hinc erat quòd eorum qui audierant loquentem de carne sua, & de sanguine suo, quidam scandalizati abscesserunt, quidam credendo manserunt: quia nemo potest venire ad illum, nisi cui datum est à Patre, ac per hoc & ab ipso Filio, & à Spiritu sancto. Neque enim separata sunt dona, vel opera inseparabilis Trinitatis. Sed Filius sic honorans Patrem, non adfert vllius distantiæ documentum, sed magnum præbet humilitatis exemplum. Hic iterum isti liberi arbitrij defensores, imo deceptores, quia inflatores, & inflatores, quia præsumptores, non aduersùm nos, sed aduersùs Euangelium loquuturi, quid aliud dicunt, quàm id quod Apostolus sibi, quasi à talibus diceretur, obiecit. Rom. c. 9. *Dicis itaque mihi, quid adhuc conqueritur? Nam voluntati eius quis resistit?* Hanc contradictionem sibiinet ipse, tanquam ab altero opposuit, velut ex eorum voce, qui nolunt accipere quod superiùs dixerat. Ibid. *Ergo cuius vult miseretur, & quem vult obdurat.* Talibus itaque dicamus cum Apostolo, non enim meliùs illo inuenire possumus quid dicamus: *O homo, tu quis es qui respondeas Deo?* Quærimus namque meritum obdurationis, & inuenimus. Merito namque peccati vniuersa massa damnata est, nec obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam. Quibus enim non impertitur, nec digni sunt, nec merentur; & potiùs vt non impertiatur, hoc digni sunt, hoc merentur. Quærimus autem meritum misericordiæ, nec inuenimus, quia nullum est, ne gratia euacuetur, si non gratis donatur, sed meritis redditur. (Citat Hincm. l. de præ dest. c. 9. 1. Sentent. dist. 40. c. quicunque.)

Post multa. Citat Hincm. l. de prædest. c. 7. ITEM in eodem. Sed si vasa sunt iræ, quæ perfecta sunt ad perditionem quæ illis debita redditur, sibi hoc imputent, quia ex ea massa facta sunt, quam propter vnius peccatum, in quo omnes peccauerunt, meritò Deus, iusteque damnauit. Si autem vasa sunt misericordiæ, quibus ex eadem massa factis supplicium debitum reddere noluit, non se inflent, sed ipsum glorificent, qui eis misericordiam non debitam præstat.

Post aliquanta. ITEM in eadem. Quæ si iusta est excusatio, non iam gratuita gratia est, qua liberantur, sed propter huius excusationis iustitiam liberantur. Si autem gratia est qua liberantur, profectò hæc excusatio iusta non est. Tunc enim vera gratia est qua homo liberatur, si non secundùm debitum iustitiæ retribuitur. Nihil ergo fit in eis qui dicunt, *Quid adhuc conqueritur: nam voluntati eius quis resistit?* Nisi quod (*al. non iam gratuita gratis, sed propter huius excusationis iustit. liber.*)

legitur in libro Salomonis. *Insipientia viri violat vias vitæ eius, Deus autem causatur in corde suo.* Quamuis igitur Deus faciat vasa iræ in perditionem, vt ostendat iram, & demonstret potentiam suam, qua benè etiam vtitur malis: & vt notas faciat diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ fecit in honorem, non damnabili massæ debitum, sed suæ gratiæ largitate donatum: tamen in eisdem iræ vasis propter meritum massæ in contumeliam debitam factis, id est, hominibus, propter naturæ quidem bonum creatis, sed propter vitia supplicio destinatis, iniquitatem, quam rectissimè veritas improbat, damnare venit ipse, non facere. Sicut enim voluntatis eius tribuitur humana creatura, nullo dubitante, laudanda, sic hominis voluntati culpa tribuitur, nullo recusante, damnanda. Prouerb. c. 19. secundum 70.

ITEM in eadem. Vt hoc ergo interim omittam, & hoc solum de paruulis dicam, quod ipsi quoque auctoritate Euangelica territi, vel potiùs Christianorum populorum concordissima fieri conspiratione perfracti, sine vlla excusatione concedunt, quòd nullus paruulus nisi renatus ex aqua & spiritu intret in regnum cælorum; quam quæso allaturi sunt causam quòd alius sic gubernetur, vt baptizatus hinc exeat, alius infidelium manibus traditus, vel etiam fidelium, priusquam ab eis baptizandus offeratur, expiret? An hoc fato, vel fortunæ daturi sunt? Non opinor eos in tantam dementiam prorupturos, quantulumcunque nomen Christianum tenere cupientes. Cur ergo in regnum cælorum non accepto regenerationis lauacro paruulus nullus intrabit? Nunquid non ita sibi parentes infideles, vel negligentes, de quibus nasceretur, elegit? Quid dicam de inopinatis & repentinis innumerabilibus mortibus, quibus sæpe etiam religiosorum Christianorum præueniuntur, & baptismo præripiuntur infantes; cum è contrario sacrilegorum & inimicorum Christi, aliquo modo in Christianorum manus venientes, ex hoc mundo, non sine Sacramento regenerationis emigrent? Quid hîc dicturi sunt, qui vt gratia dari possit, nonnulla præcedere merita humana contendunt, ne sit personarum acceptor Deus? Quæ tandem hîc merita præcesserunt? Si eorundem cogitaueris paruulorum, nulla sunt propria, vtrisque est illa massa communis. Si parentum attenderis; bona sunt illa, quorum filij repentinis mortibus sine Christi baptismate perierunt: mala verò illa, quorum filij per Christianorum aliquam potestatem ad Sacramenta Ecclesiæ peruenerunt. Et cur prouidentia Dei, cui nostri capilli numerati sunt; sine cuius voluntate non cadit passer in terram; qui nec fato premitur, nec fortuitis casibus impeditur, nec vlla iniquitate corrumpitur, vt renascantur ad hereditatem cælestem non consulit omnibus paruulis filiorum suorum, & nonnullis consulit etiam paruulis impiorum: & iste infans de fidelibus coniugatis ortus, lætitia parentum susceptus, matris vel nutricis somnolentia suffocatus, fit exsors & expers fidei suorum: ille infans de sacrilego stupro nascitur, crudeli timore matris exponitur, alienorum misericordi pietate colligitur, eorum Christiana solicitudine baptizatus, fit æterni consors & particeps regni. Ista cogitent, ista considerent, hîc audeant dicere Deum, vel acceptorem in sua gratia personarum, vel remuneratorem præcedentium meritorum.

Post pauca. Paruulorum discrimen. al. Nunquid non ipse sibi parentes. al. baptizatur.

ITEM in eadem. *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* Non itaque misericordiæ gratuitæ Dei pertinacissima aduersentur insania; Sciant filium hominis, in qualibet ætate quærere & saluum facere quod perierat. Nec de inscrutabilibus iudicijs eius audeant iudicare, cur in vna eademque causa super alium veniat misericordia eius, super alium maneat ira eius. Qui enim sunt isti qui respondeant Deo? Quandoquidem ille Rebeccæ *habenti geminos ex vno concubitu Isaac Patris nostri, cum illi nondum nati, nihil egissent boni vel mali, vt secundùm electionem propositum eius maneret*, electionem scilicet gratiæ, non debiti, electionem qua eligendos facit ipse, non inuenit, *non ex operibus, sed ex vocante*, dicit minori seruiturum esse maiorem. In quam sententiam beatus Apostolus etiam testimonium Prophetæ longè posterioris assumpsit, *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Vt intelligeretur, hoc apertum postea per Prophetam, quod antequam illi nascerentur, erat in Dei prædestinatione per gratiam. Quid enim diligebat in Iacob, antequam natus fecisset aliquid boni, nisi gratuitum misericordiæ suæ donum? Et quid oderat in Esau, antequam fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum? Nam neque in illo diligeret iustitiam, quam nullam ille fecerat: neque in isto odisset naturam, quam bonam ipse perfecerat.

Paulo post superiora. al. Sciant. Rom. c. 9. Malach. c. 1.

Post aliquanta. Rom. c. 11. ITEM, in eadem. *Si autem gratia, iam non ex operibus, alioqui gratia iam non est gratia.* Secundum hanc ergo gratiam, etiam Propheticum testimonium consequenter assumens, *Sicut scriptum est*, inquit, *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*: & continuò, *Quid ergo dicemus*, inquit, *nunquid iniquitas est apud Deum? Absit.* Sed quare *absit*? An propter opera quæ futura præsciebat amborum? Imo & hoc *absit*: *Moyses enim dicit, miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo, cui misericors fuero. Igitur nec volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Atque vt in vasis quæ perfecta sunt in perditionem, quæ damnatæ debita est massæ, agnoscant vasa ex eadem massa facta in honorem, quid eis misericordia diuina largita sit. *Dicit enim*, inquit, *scriptura ad Pharaonem, quia ad hoc te excitaui, vt ostendam in te patientiam meam, & vt glorificetur nomen meum in vniuersa terra.* Denique ad vtrunque concludit. *Ergo cuius vult miseretur, & quem vult obdurat.* Hoc facit apud quem non est iniquitas. Miseretur itaque gratuito dono; obdurat autem iustissimo merito.

Rom. c. 9.

Exod. c. 9.

CAPVT VII.

Ex varijs libris eiusdem S. Augustini.

Contra duas epist. Pelagian. l. 2. c. 7.

AVGVSTINI contra Pelagium libro II. Nobis in duobus istis geminis, vnam procul dubio habentibus causam, difficultatem quæstionis, cur alius sic, alius verò sic mortuus est, velut non soluendo, soluit Apostolus. Qui cum & ipse de duobus geminis tale aliquid proposuisset, propter quos non ex operibus, quia nondum operati fecerant aliquid boni vel mali, sed ex vocante dictum est, *Maior seruiet minori*: Et, *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Et hunc profunditatis horrorem, vsque ad hoc perduxisset, vt diceret, *Ergo cuius vult miseretur, & quem vult obdurat*: sensit continuò quid moueret, & sibi verba contradicentis opposuit. Ait enim, *Dices itaque mihi, quid adhuc conqueritur? Nam voluntati eius quis resistit?* Respondit que ista dicenti. *O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quare sic me fecisti? Annon habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam?* Deinde sequutus tam magnum abditumque secretum, quantùm aperiendum esse hominibus iudicauit, aperuit dicens. *Si autem volens Deus ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ quæ perfecta sunt in perditionem, & vt notas faceret diuitias gloriæ suæ, in vasa misericordiæ quæ præparauit in gloriam.* Hoc est gratiæ Dei non solùm adiutorium, verum etiam documentum: adiutorium scilicet in vasis misericordiæ; in vasis autem iræ, documentum. In eis enim ostendit iram, & demonstrat potentiam suam: quia tam potens est bonitas eius, vt benè vtatur etiam malis, & in eis facit diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ; quoniam quod ab iræ vasis exigit iustitia punientis, hoc vasis misericordiæ dimittit gratia liberantis: nec beneficium quod quibusdam gratis tribuitur, appareret, nisi Deus alijs ex eadem massa pariter reis iusto iudicio condemnatis, quid vtrisque deberetur, ostenderet.

leg. *futurant.* Rom. c. 9. al. *huius.* al. *contradicentis quæ Apostolica auctoritate coerceret, opposuit.*

Contra duas epist. Pelagian. l. 4. c. 6. Rom. c. 9.

AVGVSTINI contra Pelagium l. IV. Sed quare istos homines oues facit, & istos non facit, apud quem non est acceptio personarum? Ipsa est quæstio, quam beatus Apostolus curiosiùs quàm capaciùs proponentibus ait. *O homo tu quis es, vt respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quare sic me fecisti?* Ipsa est quæstio, quæ ad illam pertinet altitudinem quam perspicere volens idem Apostolus, quodammodo expauit & exclamauit: *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in secula seculorum.* Non itaque istam scrutari audeant inscrutabilem quæstionem, qui meritum ante gratiam, & ideo iam contra gratiam defendentes, priores volunt dare Deo, vt retribuatur eis: priores vtique dare quodlibet ex libero arbitrio, vt sit gratia retribuenda pro præmio: & sapienter intelligant, vel fideliter credant, etiam quod se putant priores dedisse, ab illo ex quo sunt omnia, per quem sunt omnia, in quo sunt omnia, percepisse. Cur autem iste accipiat, ille non accipiat, cum ambo non mereantur accipere, & quisquis eorum acceperit, indebitè accipiat, vires suas metiantur, & fortiora se non scrutentur. Sufficiat eis scire, quòd non sit iniquitas apud Deum. Cum enim nulla me-

Rom. c. 11.

rita inuenisset Apostolus, quibus Iacob geminum apud Deum præcederet fratrem, *Quid ergo dicemus?* inquit: *Nunquid est iniquitas apud Deum? Absit. Moysi enim dicit, miserebor cuius misertus ero, & misericordiam præstabo cui misericors fuero. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Gratia sit ergo nobis eius gratuita miseratio, etiam hæc profunda insoluta sit quæstio. Quæ tamen hactenus soluitur, quatenus eam soluit idem Apostolus dicens. *Si autem Deus volens ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem, & vt notas faceret diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* Ira quippe non redditur nisi debita, ne sit iniquitas apud Deum: misericordia verò etiam cum præbetur indebita, non est iniquitas apud Deum. Et hinc intelligunt vasa misericordiæ, cum gratuita illis misericordia præbeatur, quòd iræ vasis, cum quibus est eis perditionis causa, & massa communis, ira debita & iustare penditur. Hæc iam satis sint aduersùs eos, qui per arbitrii libertatem, destruere volunt gratiæ largitatem. Rom. c. 9. al. largitorem.

Avgvstini [45] de prædestinatione sanctorum ad Prosperum & Hilarium. Legimus in Actibus Apostolorum, cum dimissi à Iudæis Apostoli venissent ad suos, & indicassent quanta eis Seniores & Sacerdotes dixissent, leuauerunt illi vocem vnanimes omnes ad Dominum, & dixerunt, *Domine tu es qui fecisti cælum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt: qui per os patris nostri Dauid sancti pueri tui dixisti, Quare fremuerunt gentes; & populi meditati sunt inania? Adstiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersùs Dominum, & aduersùs Christum eius. Conuenerunt enim in veritate, in ciuitate ista aduersùs sanctum puerum tuum Iesum, quem vnxisti, Herodes & Pilatus, & populus Israel, facere quanta manus tua, & consilium præordinauit fieri.* Ecce quod dictum est, secundum Euangelium quidem, inimici, propter vos. Tanta quippe ab inimicis Iudæis manus Dei & consilium prædestinauit fieri, quanta necessaria fuerant Euangelio propter nos. c. 6. Act. Apo. c. 4.

Avgvstini de Bono Perseuerantiæ ad Prosperum & Hilarium. Nihil enim fit, nisi quod aut ipse facit, aut fieri ipse permittit, c. 6. Citat. Hincm. l. de Præd. c. 1.

In eodem. Proinde sicut Apostolus ait, *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Qui & paruulis quibus vult, etiam non volentibus, neque currentibus subuenit, quos ante constitutionem mundi elegit in Christo: daturus etiam eis gratiam gratis, id est, nullis eorum vel fidei, vel operum meritis præcedentibus: & maioribus, etiam his quos præuidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros. Quibus non vult subuenire, non subuenit, de quibus sua prædestinatione occultè quidem, sed iustè iudicauit. [46] Non enim est iniquitas apud Deum, sed inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius: *Vniuersæ* enim *viæ Domini, misericordia & veritas.* Ibid. c. 11. Psal. 24.

Avgvstini ex libro Retractationum, de libro de Diuersis quæstionibus XXCII. Cap. XXI. [47] Vtrum Deus mali auctor non sit. Vbi videndum est ne malè intelligatur quod dixi, mali auctor non est: quia omnium quæ fecit, auctor est: quia in quantùm sunt, in tantùm bona sunt. Et ne hinc putetur, non ab illo esse pænam malorum, quæ vtique malum est ijs qui puniuntur. Sed hoc ita dixi, quemadmodum dictum est, *Deus mortem non fecit*; cum alibi scriptum sit, *Mors & vita à Domino Deo est.* Malorum ergo pæna quæ à Deo est, malum quidem est malis, sed in bonis Dei operibus est: quoniam iustum est vt mali puniantur, & vtique bonum est omne, quod iustum est. l. 1. c. vlt. Sap. c. 1. Eccl. c. 11.

Avgvstini in expositione Psalmi VII. *Sagittas suas ardentibus operatus est.* Arcum ergo istum, scripturas sanctas libenter acceperim: vbi fortitudine Noui Testamenti, quasi neruo quodam, duritia veteris flexa & edomita est. Hinc tanquam sagittæ emittuntur Apostoli, vel diuina præconia iaculantur; quas *sagittas ardentibus operatus est*, id est, quibus percussi diuino amore flagrarent. Qua enim alia sagitta percussa est, quæ dicit: *Inducite me in domum vini, constituite me inter vnguenta, constipate me inter mella, quoniam vulnerata caritate ego sum?* Quibus alijs sagittis accenditur, qui redire ad Deum cupiens, & ab ista peregrinatione remeans, aduersùs dolosas linguas petit auxilium, & dicit. *Quid detur tibi, aut quid adyciatur tibi aduersùs linguam dolosam? Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus vastatoribus*, id est, quibus percussus atque inflammatus tanto amore ardeas regni cælorum, vt omnium resistentium, & à proposito auocare volentium linguas contemnas, & persecutiones eorum derideas, dicens, *Quis me separabit à caritate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Certus sum enim,* Post medium. al. qui. Cantic. c. 2. al. & e dicetur. Psal. 119. Rom. c. 8

inquit, *quia neque mors, neque vita, neque Angelus, neque principatus, neque præsentia, neque futura, neque virtus, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à caritate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Sic ardentibus sagittas suas operatus est. Nam in Græcis exemplaribus ita inuenitur, *Sagittas suas ardentibus operatus est.* Latina autem, *ardentes*, pleraque habent. Sed siue ipsæ sagittæ ardeant, siue ardere faciant, quod vtique non possunt, nisi & ipsæ ardeant, integer sensus est. Sed quia non sagittas tantùm, sed etiam *vasa mortis*, dicit Dominum in arcu parasse, quæri potest, quæ sint vasa mortis? An forte hæretici? Nam & ipsi ex eodem arcu, id est, ex eisdem scripturis in animas non caritate inflammandas, sed venenis perimendas insiliunt, quod non contingit nisi pro meritis. Propterea diuinæ prouidentiæ etiam ista dispositio tribuenda est: non quia ipsa peccatores faciat, sed quia ipsa ordinat cum peccauerunt. Malo enim voto per peccatum legentes, malè coguntur intelligere, vt ipsa sit pœna peccati: quorum tamen morte filij Catholicæ Ecclesiæ, tanquam quibusdam spinis à somno excitantur, vt ad intelligentiam diuinarum proficiant scripturarum. *Oportet enim & hæreses esse, vt probati*, inquit, *manifesti fiant inter vos*; hoc est, inter homines, cùm manifesti sint Deo. An forte easdem *sagittas, & vasa mortis* disposuit ad perniciem infidelium, & *ardentes*, vel *ardentibus operatus est* ad exercitationem fidelium? Non enim falsum est quod Apostolus dicit, *Alijs sumus odor vitæ in vitam; alijs odor mortis in mortem. Et ad hæc quis idoneus?* Non ergo mirum, si ijsdem Apostoli, & vasa mortis sunt eis, in quibus persecutionem passi sunt, & igneæ sagittæ ad inflammanda corda credentium. Post hanc autem dispensationem iustam, veniet iudicium: de quo ita dicit, vt intelligamus vnicuique homini supplicium fieri de peccato suo, & eius iniquitatem in pœnam conuerti. Ne putemus illam tranquillitatem & ineffabile lumen Dei, de se proferre, vnde peccata puniantur; sed ipsa peccata sic ordinare, vt quia fuerunt delectamenta homini peccanti, sint instrumenta Domino punienti.

Hæretici vasa mortis. — al. *facit.* — 1. Cor. 11. — 2. Cor. 2. — al. *quas tam.* — al. *iustam* — al. *delectamenta.*

AVGVSTINI in expositione Psalmi IX. de occultis filij. Quæ sunt igitur *occulta filij*? In quo verbo primùm intelligendum est esse aliqua manifesta filij, de quibus distinguantur hæc, quæ appellantur *occulta*. Quamobrem, quoniam duos aduentus Domini credimus, vnum præteritum, quem Iudæi non intellexerunt; alterum futurum, quem vtrique speramus. Et quoniam iste, quem Iudæi non intellexerunt, gentibus profuit, non inconuenienter accipitur de hoc aduentu dictum, *pro occultis filij*, vbi cæcitas ex parte Israël facta est, vt plenitudo gentium intraret. Duo enim iudicia insinuantur per scripturas, si quis aduertat; vnum occultum, alterum manifestum. Occultum nunc agitur, de quo Apostolus Petrus dicit, *Tempus est vt iudicium incipiat à domo Domini.* Occultum itaque iudicium est pœna, qua nunc vnusquisque hominum aut exercetur ad purgationem, aut admonetur ad conuersionem; aut si contempserit vocationem, & disciplinam Dei, excæcatur ad damnationem. Iudicium autem manifestum est, quo venturus est Dominus iudicare viuos & mortuos, omnibus fatentibus eum esse, à quo & bonis præmia, & malis supplicia tribuentur. Sed tunc illa confessio, non ad remedium malorum, sed ad cumulum damnationis valebit. De his duobus iudicijs, vno occulto, altero manifesto, videtur mihi Dominus dixisse, vbi ait, *Qui in me credit, transit de morte ad vitam, nec in iudicium venit*: in iudicium scilicet, manifestum. Nam hoc quod transit de morte ad vitam, per nonnullam afflictionem, quâ flagellat Dominus omnem filium quem recipit, iudicium occultum est. *Qui autem non credit*, inquit, *iam iudicatus est*; id est, occulto iudicio, iam præparatus est ad illud manifestum. Hæc duo iudicia etiam in Sapientia legimus, vbi scriptum est, *Propter hoc, tanquam pueris insensatis iudicium in derisum dedisti. Hic autem hoc iudicio non correcti, dignum Dei iudicium experturi sunt.* Qui ergo non corriguntur illo iudicio occulto, dignissimè illo manifesto punientur. Quocirca in hoc Psalmo obseruanda sunt *occulta filij*, id est, & humilis eius aduentus, qui profuit Gentibus, cum cæcitate Iudæorum; & pœna quæ nunc occultè agitur, nondum damnatione peccatorum, sed aut exercitatione conuersorum, aut admonitione vt conuertantur, aut cæcitate vt damnationi præparentur qui conuerti noluerunt.

In principio enarrationis. — al. *à quibus distinguuntur.* — *Duo iudicia, occultum & manifestum.* — 1. Petr. 4. — Ioan. c. 5. — al. *transiet, veniet* — Ioan. c. 3 — Sap. c. 12. vulg. *qui autem ludibrijs & increpationibus non sunt correcti, dignum Dei iud. experti sunt.* — al. *peccantium.* — al. *noluerint.*

AVGVSTINI in libro II. de Baptismo paruulorum, ad Marcellinum scribens, inter alia sic dixit. Ignorantia igitur & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, ne moueatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum. [18] Vt autem innotescat quod latebat, & suaue fiat quod non delectabat, gra-

De peccatorũ meritis & remiss. l. 2. c. 7.

tiæ Dei est, quæ hominum ordinat voluntates: qua vt non adiuuentur, in ipsis itidem causa est, non in Deo, siue damnandi prædestinati sint, propter iniquitatem superbiæ, siue contra ipsam superbiam suam, iudicandi, & erudiendi, si filij sint misericordiæ. al. adiuuet.

Avgvstini ex Lib. XV. de Ciuitate Dei. Arbitror tamen satis nos iam fecisse magnis & difficillimis quæstionibus, de initio, vel de fine mundi, vel animæ, vel ipsius generis humani; quod in duo genera distribuimus, vnum eorum qui secundùm hominem; alterum eorum qui secundùm Deum viuant. Quas item mysticè appellamus ciuitates duas, hoc est, duas societates hominum, quarum vna est, quæ prædestinata est in æternum regnare cum Deo; altera, æternum supplicium subire cum Diabolo. c. 1.

Avgvstini de perfectione hominis, ad Eutropium & Paulum. *Deus de cælo respexit super filios hominum, vt videat si est intelligens, aut requirens Deum.* Hoc ergò bonum, quod est requirere Deum, non erat qui faceret, non erat vsque ad vnum, sed in eo genere hominum, quod prædestinatum est ad interitum. Super eos enim respexit Dei præscientia, protulitque sententiam. Longè post medium. Psalm. 13.

Rescriptvm S. Avgvstini ad Hilarum. Itaque, *sicut per vnius delictum in omnes homines ad condemnationem*, de qua condemnatione paruuli per sacramentum Baptismi liberandi sunt; *ita per vnius iustificationem in omnes homines ad iustificationem vitæ.* Et hic omnes dixit, & ibi: Non quia omnes homines venirent ad gratiam iustificationis Christi, cum tam multi abalienati ab illa, in æternum moriantur: sed quia omnes qui renascuntur in iustificationem, non nisi per Christum renascuntur: sicut omnes qui nascuntur in condemnationem, non nisi per Adam nascuntur. Nemo quippe est in illa generatione, præter Adam; nemo in ista regeneratione, præter Christum. Ideo *omnes*, & *omnes*. Eosdem autem *omnes*, etiam *multos* postea dicit, adiungens, *Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi; sic & per vnius hominis obedientiam iusti constituuntur multi.* Qui *multi*, nisi quos paulò ante *omnes* dixerat? Epist. 89. quæst. 3 Rom. c. 5. al. alienati.

In eodem. Quoniam mors temporalis, quamuis & ipsa de originali delicto propagata sit, corpus in eis interimit, animam verò ad pœnam non trahit, vbi voluit regnum mortis intelligi, vt anima renata per gratiam, iam non moriatur in gehennam: id est, à vita Dei non alienetur, non separetur. Temporalis autem mors corporis, etiam ijs qui Christi morte redimuntur, relinquitur interim ad exercitationem fidei, & agonem præsentis luctaminis, in quo & martyres certauerunt. Absumetur verò & ipsa in renouatione corporis, quam resurrectio pollicetur. Ibi enim penitùs absorbebitur mors in victoriam, cui modò gratia Christi adimit regnum, ne secum animas ad pœnas Tartari trahat. Post multa. al. luctationis.

Avgvstini ex lib. Enchiridion. Hæc sunt *magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius*, & tam sapienter exquisita, vt cum Angelica & humana creatura peccasset, id est, non quod ille, sed quod voluit ipsa, fecisset, etiam per eandem creaturæ voluntatem, qua factum est quod creator noluit, impleret ipse quod voluit, benè vtens & malis, tanquam summè bonus, ad eorum damnationem, quos iustè prædestinauit ad pœnam; & ad eorum salutem, quos benignè prædestinauit ad gloriam. c. 100.

CAPVT VIII.

Ex S. Fulgentio Libro de Prædestinatione ad Monimum.

Fvlgentii, ex libro de Prædestinatione ad Monimum. Quantùm igitur ipsa veritate (quæ verum lumen est) illuminante tenebras meas, in huius quæstionis scrutatione, facultas mihi hactenus est intelligendi concessa, nihil aliud accipiendum existimo in illo S. Augustini Sermone, quo ad interitum quosdam prædestinatos firmat, nisi ad interitum supplicij, non delicti: neque ad malum quod iniustè admittunt, sed ad cruciatum, quem iustissimè patientur: nec ad peccatum, quo primæ resurrectionis beneficium aut non accipiunt, aut amittunt; sed ad tormentum, quod illis propria iniquitas malè parit, & æquitas diuina benè retribuit. Nec ad mortem animæ primam, in qua nascuntur paruuli, vel in quam l. 1. de prædestin. c. 5. Vide notas. Contra prædestinatianos.

(sicut B. Iacobus dicit) concupiscentia sua abstracti & inlecti recidunt criminosi: sed ad mortem secundam, quam necesse est patiantur, retribuente iustissimo iudice, siue qui ante perceptam Baptismi gratiam discedunt de seculo: siue qui in vacuum gratiam Dei recipientes, post acceptum Baptismum, vsque ad finem præsentis vitæ, malunt serui esse peccati, nec volunt, dum tempus est acceptabile, & dies salutis, conuerti à via sua mala, vt viuant. Et ignorantes quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam eos adducat, ipsi secundùm duritiam suam & impœnitens cor, thesaurisant sibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei.

c. 7. ITEM in eodem. " Non ergo prædestinati sunt mali ad hoc quod malè operantur à concupiscentia sua abstracti & inlecti; sed ad hoc quod iustè patiuntur inuiti. al. coactiua. Prædestinationis enim nomine, non aliqua voluntatis humanæ coactiua necessitas exprimitur, sed misericors & iusta futuri operis diuini sempiterna dispositio prædicatur. Psal. 100 Deo autem misericordiam & iudicium cantat Ecclesia, cuius hoc opus est in homine, vt occulto voluntatis suæ, non tamen iniusto consilio, aut gratuitam misericordiam prærogct misero, aut debitam iustitiam rependat iniusto: imo, aut misericorditer debitori donet, quod si vellet iustè posset exigere: aut iustè cum vsuris, quod suum est exigat, & iniquo debitori, quod debetur iniquitatibus, reddat.

c. 14. ITEM in eodem. " In vtrisque ergo, id est, iustis & iniustis tria quidem considerandа existimo, initium voluntatis, progressum operis, finem retributionis: al. videtur. vt in his quæcunque iusta & bona videmus, iusto & bono Deo demus: illa autem Deo indigna nouerimus, in quibus nec bonitatem, nec iustitiam inuenimus. Et considerata operum qualitate, illa credamus à Deo prædestinata, quæ misericordiæ vel æquitati diuinæ condigna reperiuntur, & congrua. *Misericors enim, & miserator, & iustus Dominus.* Ac primò totius bonæ voluntatis initium ab illa sempiterna Trinitate, qui vnus solus, & verus est Deus, & prædestinatum confitemur & datum. Hoc enim homini gratuita iustificatione tribuit præparatum, quod in æterna prædestinatione præparauerat tribuendum.

c. 17. ITEM in eodem. Et ideo iam, vt libelli series temperetur, malorum quoque voluntatem, operationem, ac retributionem considerare debemus; vt agnoscamus, vtrum malos Deus iustus ad hoc etiam prædestinauerit faciendum, quod in eis puniturus est factum? An idcircò iniquos ad supplicium iustè prædestinauerit, al. præsciret. quia eorum mala opera, licet futura præscierit, non tamen ipse prædestinauit vt futura essent, quia non ipse fecit vt fierent.

c. 19. ITEM in eodem. Ad voluntatem igitur malam Deus hominem non prædestinauit, quia homini eam daturus ipse non fuit. Quomodo enim Deus hominem, quem ad imaginem suam fecit, prędestinaret ad malam voluntatem, quam ipse non fecit?

c. 21. ITEM in eodem. Porro autem cùm negare non possimus, à Deo bono factum hominem bonum, si dixerimus eum à Deo prædestinatum ad opus aliquod malum, nos Deo misericordi & iusto tale opus, quod absit, adscribimus, vbi nec misericors possit inueniri, nec iustus. Si enim cum à Deo fieret homo, sic erat in pręsenti Contra Prædestinatianos. opere Dei, bonus, vt in prædestinatione eius esset malus; proculdubio Dei opere malus futurus erat, à quo ad peccandum prædestinatus fiebat. Vbi statim illa consequitur absurditas, vt dicatur, quia Deus (de quo Propheta dicit, *qui fecit quæ futura sunt*) in se habuit (quod absit) iniquitatis originem, si hominem à se factum, ipse prædestinauerat peccatorem. Prædestinatio enim eius, præparatio est operum eius. Et sicut competit Deo bono, vt causa sit totius operis boni: sic incongruum est, vt in ipso putetur causa cuiuslibet operis mali. Deinde attendamus, quia nulla ratio redditur, qua homo ad peccatum prædestinatus à Deo credatur. Si enim in his quos Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi benedixit in omni benedictione spiritali in cælestibus in Christo Iesu, sicut elegit eos in caritate, qui prædestinauit eos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum. Si ergo in his causa prædestinationis quæratur, non vtique alia, sed sola gratuita Dei misericordia reperitur.

c. 22. Prædestinatiani. ITEM in eodem. In his autem qui putantur prædestinati, non ad luenda supplicia, sed ad perpetranda peccata, cum causa ipsius prædestinationis quæritur, non inuenio quid respondere possit, quisquis hanc adserere meditatur. Nunquid enim, sicut rectè dicimus, ad hoc prædestinatos sanctos, vt Deo in eis misericorditer operante, ex malis fierent boni, & ex impijs iusti? Quod cum dicimus, ad

Dei gloriam dicimus: Nunquid sic rectè dicere poterimus, ad hoc prædestinatos iniquos, vt Deo in eis, etsi non misericorditer, saltem iustè operante, ex bonis fierent mali, aut ex iustis fierent impij? Absit hoc à nobis, & ab omnibus Christianis, vt causam cuiuslibet peccati quisquam deputare diuinæ audeat æquitati: cum nec malitię, nec impietatis cuiusquam causa esse possit.

ITEM in eodem. " Quis ergo putet à bono ac suaui Deo prædestinatum hominem aut ad malitiam voluntatis, qua bonum Deum relinqueret, aut ad amaritudinem contumaciæ, qua suauem Dominum non timeret? Proinde fidelibus congruit credere & confiteri, Deum bonum & iustum præscisse quidem peccaturos homines, quia nihil eum latere potuit futurorum: (neque enim vel futura essent si in eius præscientia non fuissent:) non tamen prædestinasse quemlibet hominem ad peccatum: quia si ad peccatum aliquod hominem Deus prædestinaret, pro peccatis hominem non puniret. Dei enim prædestinatione aut peccatorum præparata est pia remissio, aut peccatorum iusta punitio. Nunquam igitur Deus ad hoc hominem potuit prædestinare, quod ipse proposuerat & præcepto prohibere, & misericordia diluere, & iustitia punire. Iniquos itaque quos præsciuit Deus hanc vitam in peccato terminaturos, prædestinauit supplicio interminabili puniendos: in quo sicut culpanda non est præscientia humanæ iniquitatis, ita prædestinatio laudanda est vltionis, vt agnoscatur, non ab eo prædestinatum hominem ad qualecunque peccatum, quem prædestinauit peccati merito puniendum. c. 13.

ITEM in eodem. Et licet in eius prædestinatione non fuerit, vt malitiam humanæ voluntati dedisset, fuit tamen in eius prædestinatione, quid humanæ voluntatis malitiæ reddidisset. Propter hoc, quia, sicut Psalmista testatur, *misericors est Dominus & iustus*, prædestinauit iustos ad gloriam, iniquos ad pœnam. Iustificandis ergo atque glorificandis prædestinatum misericordiæ suæ opus prædixit pariter & promisit: " iniquis autem prędestinatum iustitię suæ opus prędixit tantummodo, non promisit. Quòd si quis quærat, cur Deus omnia quidem prędestinata prędixerit; non tamen omnia prædestinata promiserit? Respondemus, promissionem dici non posse, nisi cum aliquid ad hoc prędicitur faciendum, vt possit ei cui promittitur prodesse iam factum. Et promissum semper esse doni, non semper esse iudicij; cum promissi largitas semper beatificet; iudicij verò seueritas aliquando contristet. Quod Propheta metuens, huiusmodi ad Deum orationem effundit: *Ne intres in iudicio cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Sciebat enim cunctos pari retinendos punitionis vinculo, nisi Deus in quibus vellet misericordiam fecisse, superexaltaret iudicio. Iustificatio igitur & glorificatio, quæ non est homini ex homine, sed ex Deo, quia multùm sanctis fuerat profutura, ideo prædicta est & promissa; punitio vero, quia in æternum fuit impijs obfutura, prædicta est tantummodò, non promissa. Quod etiam diuinis testimonijs facilius ostenditur. In illo quippe Prophetæ loco vtrunque pariter inuenitur expressum, vbi Deus per Isaiam eos qui sibi non seruiunt, his arguit verbis. *Ecce qui seruiunt mihi manducabunt, vos verò esurietis: Ecce qui seruiunt mihi bibent, vos verò sitietis: Ecce qui seruiunt mihi lætabuntur, vos verò clamabitis præ dolore cordis vestri, & à contritione spiritus vlulabitis.* In his omnibus, quæcunque ad iniquorum personam pertinent, prædicta sunt tantummodò, non promissa. Neque enim dicendum est bonitatis largitate promissum quod intentat iniquitatis merito seueritas inferendum. Si qua verò ad personam seruientium Deo pertinent, & prædicta sunt, & promissa. Tale aliquid est etiam in illo Saluatoris nostri sermone, quo ait: *Tunc illi ibunt in combustionem æternam, iusti autem in vitam æternam.* Prædixit & promisit præmium, quo fruerentur iusti, non autem promisit, sed prædixit supplicium, quo punirentur iniusti. Neque enim sicut prædestinauit sanctos ad iustitiam accipiendam, sic prædestinauit impios ad eandem iustitiam amittendam: quia *misericors Dominus & iustus*, potuit gratis à prauitate liberare quos voluit, prauitatis autem operator nunquam fuit, nisi in quantùm à Deo discessit, nec discessum Deus prædestinauit, quamuis discessurum cognitione diuina præsciuerit. Deus itaque, licet auctor non sit malarum cogitationum, ordinator tamen est malarum voluntatum, & de malo opere cuiuslibet mali, non desinit ipse bonum operari: nec in ipsis iniustæ voluntatis operibus, deserit operum suorum iustum ordinem, quia & hoc in ipso ordine habet, quòd malam iustè deserit voluntatem. Quam tamen sic in suis malis operibus à se discedentem deserit, vt ibi permittentis Dei operatio bona non desit: dum & in peccantis voluntate iniusta, implet

Marginalia: c. 14. — Ps. 111. — c. 15. Deus mala prædicit, non promittit. — Ps. 142. — Is. c. 65. — Matth. c. 25. — c. 16.

ipse iustitiam; & de malo, quo peccantem iudicat, quibus ipse vult, beneficium prærogat.

Ibid. c. 16. al. iuste. ITEM in eodem. [17] Tales ad interitum prædestinauit, quia talibus iustè punitionis supplicium præparauit. Quod vtique manifesto Dominus ipse sermone perdocuit, in eo, quod à se ostendit paratum, non solùm regnum, vbi lætentur boni; sed & ignem æternum, vbi crucientur mali. Bonis etenim dicturus est, Matth. c. 25. *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi.* Malis autem dicturus est, *Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus est Diabolo, & Angelis eius.* Ecce ad quod Dominus iniquos & impios prædestinauit, id est, ad supplicium iustum, non ad aliquod opus iniustum; ad pœnam, non ad culpam: ad punitionem, non ad transgressionem: ad interitum, quem ira iusti iudicis peccantibus reddidit, non ad interitum, quo in se iram Dei peccantium iniquitas prouocauit. Quod beati Apostoli prædicatio manifestat, qui malos quos in æternum damnaturus est Deus, vasa vocat iræ, non culpæ.

ITEM in eodem. Non ergo iniqui prædestinati sunt ad mortem animæ primam, sed prædestinati sunt ad secundam, id est, ad stagnum ignis & sulphuris.

CAPVT IX.

[18] *Ex S. Gregorio Papa in libris Moralium.*

c. 12. in c. 9. Iob. GREGORII Papæ in Iob, Libro IX. In quo nimirum turbine, idcirco iustus nequaquam conteritur. Perpendit namque adhuc in præsentis vitæ itinere constitutus, humanis actibus exactor operum quàm districtus appareat: qui quosdam tunc reatu culpæ originalis adstrictos, etiam sine operibus damnat. Vnde rectè vir sanctus, ex humani generis voce protinus adiungit: *Et multiplicabit vulnera mea, etiam sine causa.* Nonnulli enim priùs à præsenti luce subtrahuntur, quàm ad proferenda bona mala-ve merito actiuæ vitæ perueniant: quos quia à culpa originis sacramenta salutis non liberant, & hîc ex proprijs nihil egerunt, [19] & illuc ad tormenta perueniunt. Quibus vnum malum est, corruptibiliter nasci, aliud corruptibiliter mori: sed quia post mortem quoque æterna mors sequitur, occulto eis iustoque iudicio, *etiam sine causa vulnera multiplicantur*: perpetua quippe tormenta suscipiunt, qui nihil ex propriâ voluntate peccauerunt. Hinc namque scriptum est: *Non est mundus in conspectu eius, nec vnius diei infans super terram.* Hinc per semetipsam veritas dicit, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Hinc Paulus ait, *Eramus natura filij iræ, sicut & ceteri.* Qui itaque nullum proprium adiungens, ex solo originali reatu perimitur, quid iste in illo extremo examine, quantùm ad humani sensus æstimationem, nisi *sine causa vulneratur*? Sed tamen sub diuina districtione iustum est, vt propago mortalis, velut infructuosa arbor, & in ramis seruet amaritudinem, quam traxit ex radice. Ait ergo, *In turbine enim conteret me, & multiplicabit vulnera mea sine causa.* Ac si apertè humani generis damna considerans, dicat, Districtus iudex qui eos animaduersione trucidat, quos culpa propriæ actionis damnat; si & illos in æternum percutit, quos reatus arbitrij non addicit.

Paruuli pœna sensus damnati. Ioan. c. 3. Ephes. c. 2. al. qui.

c. 2. in c. 12. Iob. GREGORII Papæ in Libro Iob XI. *Abundant tabernacula prædonum, & audacter prouocant Deum, cum ipse dederit omnia in manibus eorum.* [20] Facile est hominem tunc diuitias despicere cum habet: difficile verò est eas cum non habet, viles æstimare. Vnde patenter ostenditur, quatenus contemptus terrenarum rerum in beati Iob cogitatione fuerit, qui tunc dicit, nulla esse quæ abundant reprobis, quando omnia amisit. Ait ergo, *Abundant tabernacula prædonum, & audacter prouocant Deum.* Quia plerumque eò magis contra Deum superbiunt, quò ab eius largitate, & contra meritum, ditantur, & qui prouocari bonis ad meliora debuerant, donis peiores fiunt. Sed intelligendum nobis est, quomodo *prædones* appellentur, dum protinus additur, *Cum ipse dederit omnia in manibus eorum.* Si enim prædones sunt, violenter abstulerunt: & dubium non est, quin violentorum non sit adiutor Deus. Quomodo igitur ipse dat, quod hi qui prædones sunt, nequiter tollunt? Sed sciendum est, quia aliud est quod omnipotens Deus misericorditer tribuit, aliud quod iratus habere sinit. Nam quod prædones peruersè faciunt,

al. quia Deus dat prædonibus quod violenter rapiunt.

faciunt, hoc dispensator æquissimus fieri, non nisi iustè permittit, vt & is qui rapere finitur, cæcatus mente culpam augeat, & is qui rapinam patitur, iam in eiusdem rapinæ damno, pro alia quam ante perpetrauit culpa, feriatur. Ecce enim quidam in montis fauce constitutus, insidiatur itinerantibus; sed is qui iter agit, iniquè fortasse quædam aliquando perpetrauit, eique omnipotens Deus malum suum in præsenti vita retribuens, atque hanc insidiatoris manibus tradens, vel spoliari rebus, vel etiam interire permittit. Quod ergo prædo iniustè appetijt, hoc æquissimus iudex iustè fieri permisit, vt & ille reciperet, quod iniustè fecerat: & iste grauiùs quandoque feriatur, per cuius nequissimam voluntatem, culpam omnipotens Deus in alterum iustè vindicauit. Ille purgatur qui opprimitur; in isto reatus augetur, qui opprimit, vt vel de profundo nequitiæ quandoque ad pœnitentiam redeat, vel non reuertens, tantò grauiùs æterna damnatione feriatur, quantò diu est in sua iniquitate toleratus. Cum illo ergo misericorditer agitur, vt peccatum finiat: cum isto districtè vt multiplicet, nisi ad pœnitentiam recurrat. In illo mala purgantur, dum vim sustinet: in isto cumulantur, dum facit. Omnipotens itaque Deus quod fieri prohibet, iustum est vt fieri sinat: vt vnde nunc expectat, & non conuersos diu tolerat, quandoque inde plus feriat. Bene ergo dicitur, *Abundant tabernacula prædonum, & audacter prouocant Deum, cum ipse dederit omnia in manibus eorum*: quicquid iniqui tollant, eis hoc ipse dat, qui illis ad rapinam posset resistere, si misereri voluisset. al. hanc.

Ex eodem libro. *Si incluserit hominem, nullus est qui aperiat.* Quia omnis homo per id quod malè agit, quid sibi aliud quàm conscientiæ suæ carcerem facit, vt hunc animi reatus premat, etiamsi nemo exteriùs accuset? Qui cum, iudicante Deo, in malitiæ suæ cæcitate relinquitur, quasi intra semetipsum clauditur, ne euadendi locum inueniat, quem inuenire minimè meretur. Nam sæpe nonnulli à prauis actibus exire cupiunt, sed quia eorundem actuum pondere premuntur, in malæ consuetudinis carcere inclusi, à semetipsis exire non possunt. Et quidam culpas proprias punire cupientes, hoc, quod rectè se agere æstimant, in grauiores culpas vertunt: fitque modo mirabili, vt quod exitum putant, hoc inclusionem inueniant. Sic videlicet reprobus Iudas, cum mortem sibi contra peccatum intulit, ad æternæ mortis supplicia peruenit; & peius de peccato pœnituit, quàm peccauit. Dicatur ergo *Si incluserit hominem, nullus est qui aperiat.* Quia sicut nemo obsistit largitati vocantis; ita nullus obuiat iustitiæ relinquentis. Includere itaque Dei, est clausis non aperire. Vnde & ad Moysen dicitur de Pharaone, *Ego obdurabo cor eius.* " Obdurare quippe per iustitiam dicitur Deus, quando cor reprobum per gratiam non emollit. Recludit itaque hominem, quem in suorum operum tenebris relinquit. c. 5. in c. 11. Iob. al. includit.

Ex eodem libro. *Regum itaque balteum dissoluit*, quando in his qui benè regere membra sua videbantur, " propter elationis culpam, castitatis in eis cingulum destruit. Quid verò in fune accipitur, nisi peccatum? Sicut per Salomonem dicitur. *Iniquitates suæ capiunt impium: & funibus peccatorum suorum constringitur.* c. 8. Prouerb. c. 5.

Gregorii Papæ in Iob libro XII. *Constituisti terminos eius qui præteriri non poterunt.* " Nulla quæ hominibus in hoc mundo fiunt absque omnipotentis Dei occulto consilio veniunt. Nam cuncta Deus secutura præsciens, ante secula decreuit, qualiter per secula disponantur. Statutum quippe iam homini est, vel quantùm hunc mundi prosperitas sequatur, vel quantùm aduersitas feriat: ne electos eius aut immoderata prosperitas eleuet, aut nimia aduersitas grauet. Statutum quoque est, quantùm in ipsa vita mortali temporaliter viuat. c. 1. in c. 4. Iob.

Gregorii Papæ in Iob libro XIV. *Et obsederunt in gyro tabernaculum meum.* In gyro enim tabernaculum obsident, quando ex omni latere suis tentationibus mentem cingunt, quam modò lugere de temporalibus, modò desperare de æternis, modò in impatientiam ruere, atque in Deum blasphemiæ verba iaculari, pessima suggestione persuadent. Quæ tamen verba, vt iam prædiximus, beato Iob etiam iuxtà historiam congruunt: qui dum mala quæ pertulit ante oculos congessit, non quasi corrigendum filium, sed quasi hostem, percussum se esse indicauit. Per quem *sibi etiam latrones eius viam fecerunt*, quia maligni contra eum spiritus licentiam percussionis acceperunt. Cuius *in gyro tabernaculum obsederunt*, quia sublatis rebus & filiis, etiam corpus eius omne vulneribus attriuerunt. Sed mirum valdè est, cum latrones diceret, cur addidit, *eius*, vt videlicet eosdem latrones Dei esse monstraret. Qua in re si voluntas ac potestas malignorũ spirituum discernatur, cur *latrones Dei* dicantur, aperitur. Maligni quippe spiritus ad nocendum nos incessabiliter anhelant; sed cum prauã voluntatem ex semetipsis habeant, potestatem tamen nocendi non habent, c. 18. in c. 19. Iob. Dæmones sunt latrones Dei.

nisi eos voluntas summa permittat. Et cum ipsi quidem iniustè nos lædere appetunt, quemlibet tamen lædere, non nisi iustè à Deo permittuntur. Quia ergo in eis voluntas iniusta est, & potestas iusta, & latrones dicuntur, & Dei; vt ex ipsis sit, quod inferre mala iniustè desiderant, & ex Deo, quod desiderata iustè consummant.

c. 21. EX EODEM LIBRO. *Et orabam filios vteri mei.* In Deo qui corporis forma non circumscribitur, membra corporis, id est, manus, oculus, vterus ita nominantur, vt ex mẽbrorum vocabulis, effectus eius potentiæ designetur. Oculos quippe habere dicitur, quia cuncta videt: manus habere describitur, quia cuncta operatur: in vtero autem proles cõcipitur, quę in hac vita profertur. Quid ergo vterũ Dei, nisi eius consilium debemus accipere, in quo ante secula per prædestinationem concepti sumus; ita vt creati per secula producamur? Deus ergo qui manet ante secula, vteri sui filios orauit, quia eos quos potenter per diuinitatem condidit, incarnatus veniens humiliter rogauit.

c. 24. In c. 21. Iob. GREGORII Papæ in Iob libro XV. *Et in puncto ad inferna descendunt.* Potest in puncto hoc quoque intelligi, quòd sæpe hi, qui diu in iniquitate tolerati sunt, subita morte rapiuntur, vt nec flere ante mortẽ liceat, quæ peccauerunt. Sed quia nonnunquam etiã vita iustorũ subito fine terminatur, meliùs illud accipimus, si hoc de eorũ temporali vita sentiamus; quia quicquid transire potuit, subitum fuit. Amicis autem beati Iob, qui idcirco hunc iniustum esse crediderunt, quia flagellatum viderunt, rectè eiusdem sancti viri voce, de iniquorum flore & perditione ostensum est, quia præsentis vitæ prosperitas, innocentiæ testis non est: quia multi ad perennem vitam per flagella redeunt, & plerique ad infinita iudicia perducendi sine flagello moriuntur.

c. 30. EX EODEM LIBRO. *Et sicut fauilla quam turbo dispergit.* Ante omnipotentis oculos, iniqui vita fauilla est: quia etsi apparet ad momentum viridis, ab eius tamen iudicio iam consumpta cernitur; quia consumptioni est æternæ deputata. Hanc fauillam turbo dispergit, quia *Deus manifestus veniet, Deus noster & non silebit. Ignis in conspectu* Psal. 49. *eius ardebit, & in circuitu eius tempestas valida.*

c. 31. al. audiuimus. IN EODEM LIBRO. Sed ecce cum hæc audiuimus, cordi nostro quæstio oritur, cur omnipotens & misericors Deus in tantam cæcitatem cadere rationem humanæ mẽtis permiserit? Ne verò quisquam vltra quàm debet, occulta Dei iudicia discutere præsumat, rectè subiungitur, *Nunquid Deum quisquam docebit scientiam, qui excelsos iudicat?* Cum in his quæ de nobis aguntur, ambigimus, debemus alia quæ nobis sunt certa conspicere, & eam quæ de nostra nobis incertitudine surrexerat, cogitationis querelã placare. Ecce enim quòd electos ad vitam flagella reuocant; & à malis actibus reprobos nec flagella compescunt, omnipotentis Dei iudicia super nos valdè occulta sunt, & iniusta non sunt. Sed si tendamus oculum mentis ad superiora, in illis aspicimus, quia de nobis quid iustè conqueri non habemus. Omnipotens enim Deus Angelorũ merita discernens, alios in æterna luce sine lapsu permanere constituit, alios Angelorũ iudicium sponte lapsos à statu suæ celsitudinis, in æternæ dãnationis vltione prostrauit. Nobiscum igitur iniustè nihil agit, qui & subtiliorem nobis naturã iustè iudicauit. Dicat ergo, *Nunquid Deum quisquam docebit scientiã, qui excelsos iudicat?* Qui enim super nos mira facit, constat procul dubio quia de nobis scienter omnia disponit. His itaque præmissis adiungitur, vbi humanus animus in requisitione fatigatur. Nam subditur. *Iste moritur robustus & sanus; diues & felix; viscera eius plena sunt adipe, & medullis ossa illius irrigantur: alius verò moritur in amaritudine animæ suæ absque vllis operibus.* Ista cum ita sint, quis omnipotentis Dei secreta discutiat, cur hæc ita esse permittat? Sed electis & reprobis vita quidem dispar est; carnis autem in morte corruptio dispar non est.

c. 17. in c. 20. Iob. Totũ hunc locum pro se citat Hincm. l. de præd. c. 16. Ignis gehennæ. EX EODEM LIBRO. *Deuorauit eum ignis qui non succenditur.* Miro valdè modò paucis verbis expressus est ignis gehennæ. Ignis namque corporeus, vt esse ignis valeat, corporeis indiget fomentis. Qui cum necesse est vt seruetur, per congesta ligna procul dubio nutritur: nec valet nisi succensus esse, & nisi refectus subsistere. At contra gehẽnæ ignis, cum sit incorporeus, & in se missos reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur; sed creatus semel durat inextinguibilis, & succensione non indiget & ardore non caret. Bene ergo de hoc iniquo dicitur, *Deuorabit eum ignis qui non succenditur*: quia omnipotentis iustitia futurorum præscia ab ipsa mundi origine gehennæ ignem creauit, qui in pœna reproborum esse semel inciperet, sed ardorem suum etiam sine lignis nunquam finiret.

l. 16. c. 16. in Iob. c. 23. Sapient. c. 1. EX EODEM LIBRO. " *Ipse enim solus est, & nemo auertere potest cogitationem eius.* Nunquid non sunt Angeli & homines, cælum & terra, aër & mare, cuncta volatilia, quadrupedia, atque reptilia? Et certè scriptum est, *Creauit vt essent omnia.* Cum ergo in rerum natura tam multa sint, cur beati viri voce nunc dicitur, *Ipse enim solus est?* Sed

aliud est esse, aliud principaliter esse; aliud mutabiliter, atque aliud immutabiliter esse. Sunt enim hæc omnia, sed principaliter non sunt: quia in semetipsis minimè subsistunt, & nisi gubernantis manu teneantur, esse nequaquã possunt. Cuncta namque in illo subsistunt, à quo creata sunt, nec ea quę viuunt, sibimetipsis vitam tribuunt, neque ea quæ mouentur, & non viuunt suis nutibus ad motum ducuntur: sed ille cuncta mouet, qui quędam viuificat; quædam verò non viuificata, in extremã essentiam mirè ordinans seruat. Cuncta quippe ex nihilo facta sunt, eorumque essentia rursum ad nihilũ tenderet, nisi eam auctor omnium, regiminis manu retineret. Omnia itaque quæ creata sunt, per se nec subsistere præualent, nec moueri; sed in tantùm subsistunt, in quantùm vt esse debeant acceperunt: in tantùm mouentur, in quantùm occulto instinctu disponuntur. Ecce enim peccator flagellandus est, de rebus humanis: arescit in laboribus eius terra, concutitur in eius naufragijs mare, ignescit in eius sudoribus aër, obtenebrescit cõtra eum inundationibus cælũ, inardescunt in eius oppressionibus homines, mouentur in eius aduersitate & Angelicæ virtutes. Nunquid nã hîc quæ inanimata, vel quæ viuentia diximus, suis instinctionibus, & non magis diuinis impulsionibus agitantur? Quicquid est itaque quod exteriùs sæuit, per hoc ille intuendus est, qui hoc interiùs disponit. In omni igitur causa, solus ipse intuendus est, qui principaliter est, qui etiam ad Mosem dicit, *Ego sum qui sum: Sic dices Filijs Israel, qui est misit me ad vos.* Cum itaq; flagellamur per ea quæ videmus, illum debemus solicitè metuere, quem non videmus. Vir itaque sanctus despiciat quicquid exteriùs terret, quicquid per essentiam suam, nisi regeretur, ad nihilum tenderet: & mẽtis oculo suppressis omnibus intueatur vnum in cuius essentiæ comparatione, esse nostrum non esse est, & dicat, *Ipse enim solus est.* De cuius mox immutabilitate aptè subiungitur, *Et nemo auertere potest cogitation. m eius.* Sicut enim immutabilis natura est, ita immutabilis cogitatione. Cogitationem quippe eius nullus auertit, quia nemo resistere occultis eius iudicijs præualet. Nam etsi fuerunt quidam qui deprecationibus suis eius cogitationem auertisse videantur, ita fuit eius interna cogitatio, vt sententiam illius auertere deprecando potuissent, & ab eo accipere quod agerent apud ipsum. Dicat ergo, *Et nemo poterit auertere cogitationem eius,* quia semel fixa iudicia mutari nequaquam possunt. Vnde scriptum est, *Præceptum posuit, & non præteribit.* Et rursum, *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Et rursum, *Non enim cogitationes meæ sicut cogitationes vestræ, neque viæ meæ, sicut viæ vestræ.* Cum ergo exteriùs mutari videtur sententia, interiùs consilium non mutatur, quia de vnaquaque re immutabiliter intùs constituitur, quicquid foris mutabiliter agitur. Sequitur, *Et anima eius quodcunque voluit, hoc fecit.* Cum sit cunctis corporibus exterior, cunctis mentibus interior Deus, ea ipsa vis eius qua omnia penetrat, cunctaque disponit, anima illius appellatur. Cuius videlicet voluntati nec illa obsistunt, quæ contra voluntatem illius fieri videntur. Quia ad hoc nonnumquam permittit fieri, etiam quod non præcipit, vt per hoc, illud certiùs impleatur quod iubet. Apostatæ quippe Angeli peruersa voluntas est; sed tamen à Deo mirabiliter ordinatur, vt ipsę quoque eius insidiæ, vtilitati bonorum seruiant, quos purgant dum tentant. Sic itaque *eius anima quodcunque voluit, hoc fecit,* vt inde quoque voluntatem suam impleat, vnde voluntati illius repugnari videbatur.

Deus solus est.

Omnia inaccentes armata.

al. metuendus.

Exod. c. 3. c. 17. Iob.

Ps. 148.

Luc. c. 21. Is. c. 55.

c. 18.

CAPVT X.

Ex SS. Isidoro & Hieronymo.

ISIDORI ex libro I. Sententiarum de Gratia & Prædestinatione cap. x[illegible]. " Sicut ignorat homo terminum lucis & tenebrarum, vel vtriusque rei quis finis sit: ita pleniùs nescit, quis ante suum finem luce iustitiæ præueniatur; vel quis peccatorum tenebris vsque in suum terminum obscuretur? Aut quis post lapsum tenebrarum conuersus, resurgat ad lucẽ. Cuncta hæc Deo patent, hominibus verò latẽt. I. c. 6. Luc. 5.

HIERONYMI in Isaia lib. II. " Quam seculi delicijs occupati, nec respicientes opera Dei, captiui ducuntur in peccatum, & non habent scientiam Dei; & idcirco fame & siti peream bonorum operum, atque virtutum: & detrahentur in gehennam, ibique æternis cruciatibus deputati, potentiam & superbiam, miseria cernent & humilitate mutari. al. qui seculi.

HIERONYMI in Isaia Libro III. Quomodo enim vestis quæ humano sanguine cruentata est, sanari non potest, sed infecta sanguine, igne comburitur, vt maculæ In 2. partem c. 9.

cum vestimento fœdi cruoris intereant: [67] sic diaboli violenta prædatio, & tumultus ac turbæ quibus humanum sibi subijceret genus, gehennæ ignibus deputatæ sunt.

In c. 25 Iuit. al. destinati.

IN LIBRO VIII. Vt omnia opera eius proferantur in publicum, & dispergantur habitatores eius in diuersa loca, præmijs vel supplicijs deputati.

In c. 30.

EX LIBRO X. Ab heri quippe, & à præterito tempore præparata est à Rege Domino Topheth, id est, lata & speciosa gehenna, quæ eos æternis vrat ardoribus.

In c. 14. Init. Sunt hic ex Hieronymi textu aliqua sparsim omissa, quod vix alibi factum reperies. al. respondebo ei.

HIERONYMI PRESBYTERI explanationum in Iezechiel libro IV. *Fili hominis, isti viri qui coram te sedent, posuerunt immunditias suas in cordibus suis*, siue *cogitationes*: & iuxta Symmachum, & Theodotionem, *idola & scandalum*. Nunquid huiusmodi hominibus debeo respondere, qui cum cogitationibus pristinis ad me veniunt, ne hoc quidē tempore impietatis suæ scelera relinquentes? Quia igitur peruerso ad te corde venerunt, responde eis, non ex persona tua, sed ex meo imperio, & dices ad eos. Hæc dicit Dominus. Est autem totius loci ista sententia. Homo homo, non aliarum gentium, quarum error potest habere veniam, sed domus Israel, qui cum pristinis vitiis, de quibus supra diximus, ad Prophetam venerit sciscitandum, ego respondebo iuxta cor, & immunditias suas, vt iuxta quod vult & credit, ita & audiat. Nec enim meretur correctionem, qui non discendi, sed tentandi animo interrogat: sed suo corde capiendus est, secundùm quod Scribæ & Pharisæi interrogantes Dominum, imò tentantes, audiunt, *Quid me tentatis?* Et rursum, *Nec ego dicam vobis in qua virtute hæc faciam.*

Matth. c. 21. Paulò post superiora.

IN EODEM. Quodque sequitur, & videtur facere quæstionem. *Propheta cum errauerit, & loquutus fuerit verbum, ego Dominus decepi prophetam illum.* Non putemus de vero Propheta dici, sed de pseudo-propheta, qui *ὁμωνύμως* Propheta appellatur. Et de illo scripturarum loco solui potest, quando Achab Rex Israel vadens ad prælium, non vult audire Michæam Prophetam, sed pseudopro-phetæ consilijs acquiescit: dicitque Michęas, quòd viderit Dominum sedentem in solio, & erroris spiritum vltrò se obtulisse ad decipiendum regem. Diabolus quoque in volumine Iob, circuiens terram, stare dicitur in conspectu Dei, & in substantiam primò Iob, deinde in corpus eius accipere à Domino potestatem. Sed & Balaam ariolus à Domino mittitur, vt decipiat Balac filium Beor. Hoc autem totum dicitur, ne pseudo-prophetarum fortitudini reputetur, quòd decipitur populus, & magis vult audire mendacium, quàm veritati aurem accommodare: sed quod Dei iræ sit, vt peruersus populus & incredulus magis pseudo-prophetas audiat, quàm Prophetas. Denique extendit manum suam super eum, subauditur Prophetam, & deletur de medio populi eius, vt portet iniquitatem suam, quia similis erroris, & pœna consimilis sit: vt tam ille qui interrogat, quàm ille qui interrogatur, portent iniquitatem suam: & nequaquam domus Israel, eorum qui Dei verba audire voluerint, peruersis vaticinationibus illudatur: sed sit populus Dei, & ipse Dominum habere mereatur. In eo quod dixit: *Ego Dominus decepi illum*, Salomonis verba consentiunt qui de Deo disputans ait, *Et illusoribus illudet*. Illudque testimonium. *Si ambulauerint ad me peruersi, & ego ambulabo contra eos in furore peruerso.*

3 Reg. 22. Iob. c. 1.

Num. c. 24.

Prouerb. c. 3. Leuit. c. 26. iuxta 70.

CAPVT XI.

Ex Prosperi Responsionibus ad Capitula Gallorum.

Sumptum ex l. ... Fulgent. ad Monim. c. 30. & vlt.

PROSPERI [68] Quartadecima quippe Gallorum obiectio sic habetur: Quòd qui Euangelicæ prædicationi non credunt, ex Dei prædestinatione non credant. Et quòd Deus ita definierit, vt quicunque non credunt, ex ipsius constitutione non credant. Huic itaque prauitati, quæ beati Augustini dictis, non ex veritate, sed ex liuore obijciebatur, tali Prosper sermone respondit. Infidelitas non credentium Euangelio nequaquam ex Dei prædestinatione generatur. Bonorum enim Deus auctor est, non malorum. Prædestinatio igitur Dei semper in bono est, aut ad retributionem iustitiæ, aut ad donationem pertinens gratiæ: Vniuersæ enim viæ Domini misericordia & veritas. Proinde infidelitas non credentium, non ad constitutionem Dei, sed ad præscientiam referenda est. Quæ non ideò necessitatem non credendi intulit, quia falli de ea, quæ futura erat, infidelitate non potuit.

Prosper Resp. ad capit. Gall. c. 14. Frequenter vsurpat Hincmarus.

Ibid. c. 15.

Quintadecima etiam obiectio his verbis inserta est: Quòd idem sit præscientia, quod prædestinatio. Cui Prosper sic respondit. Qui præscientiam Dei in nullo ab

ipsius prædestinatione discernit, quod tribuendum est Deo de bonis, hoc ei etiam de malis conatur asscribere. Sed cum bona ad largitorem cooperatoremque eorum Deum, mala autem ad voluntariam rationalis creaturæ nequitiam referenda sint: dubium non est, sine vlla temporali differentia, Deum & præsciisse simul & prædestinasse, quæ ipso erant auctore facienda, vel quæ malis meritis iusto erant iudicio retribuenda: præsciisse autem tantummodò, non etiam prædestinasse, quæ non ex ipso erant causam operationis habitura. Citat Hincm. l. de præd. c. 11. Ibid. c. 6. Hactenus ex Fulgēt.

EIVSDEM. [69] Nullus omnino est ex omnibus hominibus, cuius natura in Christo Domino nostro suscepta non fuerit; quamuis ille natus sit in similitudine carnis peccati, omnis autem homo nascatur in carne peccati. Deus ergo Dei filius, mortalitatis humanæ particeps factus absque peccato, hoc peccatoribus & mortalibus contulit, vt qui natiuitatis eius consortes fuissent, vinculum peccati, & mortis euaderent. Sicut itaque non sufficit hominum renouationi, natum esse hominem Iesum Christum, nisi in ipso, eodem de quo ipse ortus est, spiritu renascantur: sic non sufficit hominum redemptioni, crucifixum esse Dominum Christum, nisi commoriantur ei, & consepeliantur in baptismo. Alioquin nato Saluatore in carne substantiæ nostræ, & crucifixo pro omnibus nobis, non fuerat necessarium vt renasceremur, & similitudine mortis eius complantaremur. Sed cum sine hoc sacramento nemo hominum consequatur vitam æternam, non est saluatus cruce Christi, qui non est crucifixus in Christo, non est crucifixus in Christo, qui non est membrum corporis Christi, qui non per aquam & Spiritum sanctum induit Christum. Qui ideo infirmitate nostra communionem habuit mortis, vt nos in virtute eius haberemus consortium resurrectionis. Cùm itaque rectissimè dicatur Saluator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram humanæ naturæ susceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem; potest tamen dici pro his tantùm crucifixus, quibus mors ipsius profuit. Dicit enim Euangelista, *Quia Iesus moriturus erat pro gente, sed etiam vt filios Dei dispersos congregaret in vnum. In sua enim venit, & sui eum non receperunt: quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus, neque ex volontate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Diuersa ergo ab istis sors eorum est, qui inter illos censentur, de quibus dicitur, *Mundus eum non cognouit*; vt possit secundùm hoc dici, redemptor mundi, dedit pro mundo sanguinem suum, & mundus redimi noluit, quia lucem tenebrę non receperunt, quibus dicit Apostolus: *Fuistis aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino.* Ipse verò Dominus Iesus, qui dixit se venisse quærere & saluare quod perierat, *Non veni*, inquit, *nisi ad oues quæ perierant domus Israel: Neque qui sunt semen Abrahæ, omnes filij; sed in Isaac vocabitur tibi semen: id est, non qui filij carnis, hi filij Dei, sed qui filij promissionis, æstimantur in semine.* In istis ergo sunt illi, de quibus dictum supra memorauimus, *Quia Iesus moriturus erat pro gente, non tantùm pro gente, sed etiam vt filios Dei dispersos congregaret in vnum.* Quia non solùm ex Iudæis, sed etiam ex gentibus, per eum qui vocat quæ non sunt, tanquam quæ sunt, & qui dispersos Israel congregat, filij promissionis in vnam Ecclesiam congregentur, vt impleatur quod promissum est Abrahæ, cui dictum est, *quòd in semine eius benedicendæ essent omnes tribus terræ.* Prosper ibid. c. 9 Hincm. capit. Ioan. c. 11 Ibid. c. 1. Ephes. c. 5. Matth. c. 15. Rom. c. 9. Ioan. c. 11 Genes. c. 18.

CAPVT XII.

[70] *Ex Cassiodoro in Psalmos, & Beda.*

CASSIODORI in expositione Psalmi IX. *Cognoscetur Dominus iudicia faciens, in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.* Vera nimis & absoluta sententia; quoniam tunc manifestè cognoscetur Dominus iudicia facere, quando peccatoribus dabitur æterna cruciatione torqueri. Hic enim quia sunt eis libera scelera, relinqui creduntur forsitan impunita: sed vbi dies ille manifestationis aduenerit, & throno maiestatis suæ Dominus insederit, tunc generaliter agnoscetur operari iudicia sua, quando humanum genus, siue à sinistris, siue à dextris, eius fuerit arbitrio segregatum. Hoc est enim iudicia vera facere, vniuscuiusque merita, sine vlla confusione discernere. Sequitur sententiæ huius aperta declaratio; dicit enim vnde cognoscitur Dominum vera iudicia facere: scilicet, quando nexuosis operibus suis peccaor adstringitur, & secundùm tactuum qualitatem dignam recipit vltionem. Nam sensus ille omninò vitandus est, qui

Non sola recordatione peccatorum punitur damnati. putat peccatorem sola delictorum suorum recordatione cruciandum. Nam si hoc tantùm sufficeret, quare diceretur, *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius*: Et illud, *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*. Non enim hic loca tormentorum negat peccatoribus dari, sed per qualitates operum suorum, eos dicit esse torquendos. Sentiamus igitur locum peccatorum suppliciis esse præparatum: intelligamus intrinsecus pœnale malum, quod sceleratis legimus imminere. Nam vt reuera cognoscamus beatitudinem à damnationibus, quibusdam terminis esse diuisam, recordemur diuitem oculos subleuasse, paupe- remque Lazarum in sinu Abrahæ fuisse conspectum: se autem flammis vltricibus deputatum. Vnde ordo iste veritatis, nullatenus diceretur, si peccatores malorum recordatio sola torqueret. Hæc sunt occulta filij, quæ titulus prædixit.

Matth. c. 25. Is. c. 66. Luc. c. 16.

CASSIODORI in Psalmo LI. Destruit Deus in hac vita prospertimè, quos iterum ædificare decreuerit. In fine autem qui destruitur, æternis suppliciis deputatur.

I. non implere.

CASSIODORI in Psalmo LIV. Hos tales implere non dicit dies suos, quando cum sibi longam vitam promittunt, exitum celerrimæ mortis inueniunt. Nam omnium dies in prædestinatione noscuntur esse definiti.

CASSIODORI in Psalmo LXV. *Imposuisti homines super capita nostra*. Imposuisti dicit, vt omnia ipsius voluntate facta esse constaret: sicut dicit Dominus Pilato, *Non haberes potestatem in me, nisi tibi data fuisset desuper*.

Ioan. 19.

CASSIODORI in expositione Psalmi LXXVII. *Misit in eos iram indignationis suæ: indignationem, & iram, & tribulationem, & immissiones per Angelos malos*. Ordo vindictæ verissimâ descriptione narratur. Priùs enim Dominus peccatis nostris irascitur, quando nulla compunctione conuertimur. Ac deinde malitiam hominis in sua indignatione, & ira, & tribulatione derelinquit, vt proprijs aduersitatibus affligantur, qui diuinis iussionibus obedire contemnunt. Sicut scriptum est, *Propterea tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, vt faciant quæ non conueniunt, &c.* Scelerati quippe hominis indignatio pertinet ad tumidam superbiam, ira ad audaciam nefandam, tribulatio ad confusam desperationem. Tunc per Angelos malos ad immissiones præcipitantur illicitas, & quasi nudati defensione diuina, in prædam cadunt perniciosissimarum bestiarum. Perscrutandum est etiam quod dicit, immissiones factas per Angelos malos, quasi & per Angelos bonos non delibet peccatores. Per bonos enim Angelos Sodomam subuertit & Gomorrham, quos Abraham & Loth suscipere suis hospitiis meruerunt. Tentatus est etiam transgressor per Angelum malum, sicut in Regum volumine dicit, *Et introiuit spiritus Dei malus in Saül*. Iusti quoque tentati sunt à Diabolo, vt Iob, & Paulus Apostolus, & cetera huiuscemodi. Constat enim cuncta quæ creata sunt, creatoris aut permissioni, aut imperio subiacere.

Rom. c. 1. Subuersio Sodomæ per Angelos bonos. 1. Reg. c. 16.

CASSIODORI in Psalmo LXXXI. Tantùm est, ne refugientes malagma salutiferum, exitium vobis præpareris ęternum.

CASSIODORI in Psalmo XXCII. *Et reuereantur, & pereant*. Iste sensus est quem superiùs dixit, quia ibi rauerendo non proficiunt, sed pereunt, qui ad æternum supplicium destinantur.

Citat Hincm. c. 26.

CASSIODORI in Psalmo XXCVIII. Frequenter emundat diuinitas, quos flagellat, vt purgatum recipiat, quem peccatis sordidum respuebat: quos verò ab emundatione dissoluit, id est, remouit, hos iam & damnare decreuit.

Hincm. Ibid.

CASSIODORI in Psalmo XCII. *Parata sedes tua Deus*. Parata significat prædestinationem; quia totum in illa veritate consistit, quicquid in administratione mundi euenire contigerit.

CASSIODORI in expositione Psalmi CIII. In hac itaque nocte bestiæ siluarum, id est, dæmonia; & catuli Leonum, quos diaboli corrupta voluntate genuerunt, ad deuotationem quærentes aliquos, exierunt vt escam malitiæ, permittente tamen Domino, reperirent. Nihil enim à quoquam fieri potest, nisi quod ipse secreto iudicio, aut ad probationem, aut ad vindictam faciendum esse permiserit.

CASSIODORI in expositione Psalmi CIV. *Conuertit cor eorum, vt odirent populum eius, & dolum facerent in seruos eius*. Venit ad quartam partem, vbi Ægyptios memorat Hebræis inuidiam habuisse sæuissimam, atque eos operibus subiecisse durissimis. Præstando enim felicia populo Israelitico, conuertit Dominus ad odium, & ad dolor cor Ægyptiorum; non quia ipse mali auctor est, sed præstando aliis beneficia, mentes excitauit obliquas. Necesse est enim, vt scelerati homines alienis prosperis

intumescant, qui se norunt mereri non posse similia. Sicut in sacrificiis Cain & Abel factum est, quando vnius sacrificium respuit, alterius libenter accepit. Genes. c. 4.

[71] Bedæ Presbyteri in libro Hexameron in Genesin. *Et ecce miserunt manum viri, & introduxerunt, &c.* Ad sempiternum præparantur incendium, non inconuenienter insinuare. *Hoc loco deficit Apographum, neque huius loci expositio reperitur in Beda: paucis igitur verbis ad clausulam facientibus, cogimur esse contenti.* Genes. c. 19. Vide Notas.

CAPVT XIII.

[72] *De gratia & libero arbitrio, ex diuersis.*

VENERABILIS INNOCENTII Papæ de libero arbitrio ista sunt verba ad Carthaginense Concilium. [73] Liberum enim, inquit, arbitrium olim ille perpessus, dum suis inconsultiùs vtitur bonis, cadens in præuaricationis profunda demersus est; & nihil quemadmodum exinde surgere posset inuenit, suaque in æternum libertate deceptus, huius ruinæ iacuisset oppressus, nisi eum postea Christi per suam gratiam releuasset aduentus, qui per nouæ regenerationis purificationem, præteritum omne vitium sui baptismatis lauacro purgauit. Innocent. epist. 31. habetur inter August. ep. 91. Citat Hincmarus. al. *oppressus, nisi eum post Christi pro sua gratia.*

[74] EX EPISTOLA AFRORVM EPISCOPORVM ad Papam Zosimum: Manifestissimè sensus probus inuenitur, non esse Liberum Arbitrium, &c. & operari pro bona voluntate. *Et hic deficit Apographum, nec extat Epistola magni illius Concilij Carthaginensis.* Circa initium.

EX EPISTOLA AVGVSTINI ad Sixtum Presbyterum. Quod enim putant auferri sibi Liberum Arbitrium, si nec ipsam bonam voluntatem sine adiutorio Dei hominem habere consenserint, non intelligunt, non se firmare Liberum Arbitrium, sed impellere, vt per inania feratur, non in Domino, tanquam in petra stabili collocetur. *Paratur enim voluntas à Domino.* Quod autem personarum acceptorem Deum se credere existimant, si credant, quod sine vllis præcedentibus meritis, cuius vult miseretur, & quos dignatur, vocat, & quem vult, religiosum facit, parum attendunt, quòd debita reddatur pœna damnato, indebita gratia liberato; vt nec ille se indignum queratur, nec dignum se iste glorietur; atque ibi potiùs acceptionem nullam fieri personarum, vbi vna eademque massa damnationis & offensionis inuoluit, vt liberatus de non liberato discat, quòd etiam sibi supplicium conueniret, nisi gratia subueniret. Si autem gratia, vtique nullis meritis reddita, sed gratuita bonitate donata. Sed iniustum est, inquiunt, in vna eademque mala causa, hunc liberari, illum puniri. Nempe ergo iustum est vtrunque puniri. Quis hoc negauerit? Agamus ergo gratias Saluatori, dum nobis redditum non cernimus, quod in damnatione similium etiam nobis debitum fuisse cognoscimus. Si enim omnis homo liberaretur, vtique lateret quid peccato per iustitiam debeatur; si nemo; quid gratia largiretur. Vt ergo in hac difficillima quæstione verbis potiùs vtamur Apostoli, *Volens Deus ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem: & vt notas faceret diuitias gloriæ suæ, in vasa misericordiæ, cui non potest figmentum dicere, Quare sic me fecisti? cum habeat potestatem ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam.* Vbi quia vniuersa ista massa meritò damnata est, contumeliam debitam reddit iustitia, honorem donat indebitum gratia, non meriti prærogatiua, non fati necessitate, non temeritate fortunæ, sed altitudine diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam non aperit, sed clausam miratur Apostolus, clamans: *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia; ipsi gloria in secula seculorum. Amen.* Citat Hincm. l. de præd. c. 6. Prouerb. 8. iuxta 70. vulg. *Hauriet salutem à Domino.* Rom. c. 9. Rom. c. 11.

AVGVSTINI contra Pelagium Libro 1. Dicunt, inquit, illi Manichæi, quibus modò non communicamus, id est, toti isti cum quibus dissentimus, quia primi hominis peccato, id est Adæ, Liberum Arbitrium perierit, & nemo iam potestatem habeat bene viuendi, sed omnes in peccatum carnis suæ necessitate cogantur. Contra duas epist. Pelagianorum. l. 1. c. 2.

[75] Manichæos appellat Catholicos, more illius Iouiniani, qui ante paucos annos hæreticus nouus, Virginitatem sanctæ Mariæ destruebat, & virginitati sacræ

nuptias fidelium coæquabat. Nec ob aliud hoc objiciebat Catholicis, nisi quia eos videri volebat accusatores, vel damnatores esse nuptiarum. Liberum autem arbitrium defendendo præcipitant, vt de illo potiùs ad faciendam iustitiam, quàm de Domini adiutorio confidatur, atque vt in se quisque, non in Domino glorietur. [76] Quis autem nostrûm dicat, quòd primi hominis peccato perierit Liberum Arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa quæ in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate iustitiam: propter
Ioan. c. 8. quod natura humana, diuina indiget gratia, dicente Domino, *Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis*: vtique liberi, ad benè iusteque viuendum. Nam Liberum Arbitrium vsque adeò in peccatore non periit, vt per illud peccent maximè omnes, qui cum delectatione peccant, & amore peccati hoc eis placet, quod eis
Rom. c. 6. libet. Vnde & Apostolus. *Cum essetis*, inquit, *serui peccati*, *liberi fuistis iustitiæ*. Ecce ostenduntur etiam peccato minimè potuisse, nisi alia libertate seruire. Liberi ergo à iustitia non sunt, nisi arbitrio voluntatis: liberi autem à peccato non fiunt, nisi gratia Saluatoris. Propter quod admirabilis doctor etiam verba ipsa discreuit: *Cum enim serui essetis*, inquit, *peccati*, *liberi fuistis iustitiæ. Quem ergo fructum habuistis tunc in his, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum, mors est. Nunc autem liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificatione, finem verò vitam æternam. Liberos* dixit iustitiæ, non liberatos; à peccato autem non liberos, ne sibi hoc tribuerent, sed vigilantissimè maluit dicere, *liberatos*: referens hoc ad
Ioan. c. 8. illam Domini sententiam: *Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis*. Cum itaque non viuant benè homines, nisi effecti Filij Dei, quid est quòd iste Libero Arbitrio vult benè viuendi tribuere potestatem, cum hæc potestas non detur, nisi gra-
Ioan. c. 1. tia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, dicente Euangelio, *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri?*

cap. 3. Sed ne forte dicant, ad hoc esse adiutos, vt haberent potestatem fieri Filij Dei; vt autem hanc accipere mererentur, priùs cum Libero Arbitrio nulla adiuti gratia receperunt. Hæc est quippe intentio, quâ gratiam destruere moliuntur, vt eam dari secundùm merita nostra contendant. Ne forte ergo hanc Euangelicam sententiam sic diuidant, vt meritum ponant in eo quod dictum est, *Quotquot autem receperunt eum*: ac deinde, non gratis datam, sed huic merito redditam gratiam, in eo quod sequitur; *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*: nunquid si quæratur ab eis, quid sit, *receperunt eum*? dicturi sunt aliud, nisi, crediderunt in eum? Vt igi-
Philip. c. 1. tur & hoc sciant ad gratiam pertinere, legant quod ait Apostolus, *In nullo expauescatis ab aduersarijs, quæ quidem est illis causa perditionis, vestræ autem salutis: & hoc à Deo, quia vobis donatum est pro Christo, non tantùm vt credatis in eum, sed vt etiam pa-*
Ephes. c. 6. *tiamini pro eo*. Nempe vtrunque dixit esse donatum. Item quod ait, *Pax fratribus, & caritas cum fide à Deo Patre & Domino Iesu Christo*. Legant etiam quod ipse Do-
Ioan. c. 6. minus ait, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum*. Vbi ne quisquam putet aliud esse venire ad me, quàm credere in me, paulò post cum de suo corpore & sanguine loqueretur, & scandali fati essent plurimi in sermone eius, ait, *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt: sed sunt quidam ex vobis qui non credunt*. Deinde subiunxit Euangelista; *Sciebat enim Iesus ab initio qui essent credentes, & quis traditurus esset eum: & dicebat, Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum*: Et hoc propter credentes, & non credentes, se dixisse manifestauit, exponens quod dixerat, *Nisi pater qui me misit, traxerit eum*: idipsum alijs verbis repetendo, in eo quod ait, *Nisi datum fuerit ei à Patre meo*. Ille quippe trahitur ad Christum, cui datur vt credat in Christum. Datur ergo potestas vt Filij Dei fiant, qui credunt in eum, cùm hoc ipsum datur, vt credant in eum: quæ potestas nisi detur à Deo, nulla esse potest ex Libero Arbitrio, quia nec liberum in bono erit, quod liberator non liberauerit; sed in malo liberum habet arbitrium, cui delectationem malitiæ vel occultus, vel manifestus deceptor inseuit, vel sibi ipse persuasit.

Epist. 107. *al. quod ergo operatur hic potestas in filijs diffidentiæ, nisi.*
AVGVSTINI ad Vitalem. Rogo te quid operatur in filiis diffidentiæ princeps, nisi opera sua mala, & in primis, maximéque ipsam diffidentiam, & infelicitatem qua sunt inimici fidei, per quam scit nos posse mundari, posse sanari, posse perfectissimè liberos, quod eis vehementer inuidet, in æternum regnare? Itaque aliquos eorum per quos ampliùs decipere affectat, sinit habere nonnulla, velut opera bona, in quibus laudantur per quasque gentes, præcipueque in gente Romana, qui præclarè gloriosissiméque vixerunt; sed quoniam, sicut veracissima

scriptura dicit, *Omne quod non est ex fide, peccatum est*; Et, *Sine fide impossibile est vtique* Rom.c.14.
placere Deo, non hominibus: nihil sic agit hic princeps, quàm vt non credatur Hebr.c.11.
in Deum, nec ad mediatorem, à quo soluuntur opera eius, credendo veniatur.
Sed ipse mediator, *intrat in domum fortis*, id est, in hoc seculum mortalium, sub po- Luc. c. 11.
testate diaboli, quantùm ad ipsum pertinet, constitutum: de ipso quippe scriptum
est, quòd *potestatem habeat mortis*: *intrat in domum fortis*: id est, in suo dominatu ha-
bentis genus humanum: & priùs *alligat eum*, id est, eius coërcet & cohibet pote- Apocal. c. 6.
statem, potestatis suæ fortioribus vinculis, & sic eripit vasa eius, quæcunque præ-
destinauit eripere, arbitrium eorum ab eius potestate liberans, vt illo non impe-
diente, credant in istum libera voluntate.

AVGVSTINI ad Valentinum, de Libero Arbitrio. Semper est autem in nobis c. 15.
voluntas libera, sed non semper est bona. Aut enim à iustitia libera est, quando
seruit peccato, & tunc est mala: aut à peccato libera est, quando seruit iustitiæ,
& tunc est bona. Gratia verò Dei, semper est bona, & per hanc fit, vt sit homo
bonæ voluntatis, qui priùs fuit voluntatis malæ.

[77] AVGVSTINI De correptione & gratia. Liberum itaque Arbitrium & ad c. 1.
malum, & ad bonum faciendum, certum est nos habere: sed in malo faciendo
liber est quisque iustitiæ, seruusque peccati; in bono autem liber esse nullus po-
test, nisi fuerit liberatus ab eo, qui dixit, *Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis.*
Nec ita, vt cum quisque fuerit à peccati damnatione liberatus, iam non indigeat
sui liberatoris auxilio, sed ita potiùs, vt ab illo audiens, *Sine me nihil potestis facere*, Ioan.c.15.
dicat ei & ipse, *Adiutor meus es, ne derelinquas me.* al. esto.

GREGORII Papæ in Iob libro XVI. *Saluabitur innocens*: *Saluabitur autem mun-* Psalm. 26.
ditia manuum suarum. Quæ scilicet sententia, si de cælestis regni retributione pro- *Liberum*
mittitur, veritate fulcitur. Quia cum de Deo scriptum sit, *Qui reddet vnicuique se-* *Arbitrium*
cundùm opera eius, illum in extremo examine iustitia æterni iudicis saluat, quem *gratia cooperatur.*
hîc eius pietas ab immundis operibus liberat. Sin verò ad hoc saluari quisque C. x. in c.
sic munditia manuum suarum creditur, vt suis viribus innocens fiat, procul du- 22. Iob.
bio erratur: quia si superna gratia nocentem non præuenit, nunquam profectò Rom. c. 2.
inueniet, quem remuneret innocentem. Vnde veridici Mosis voce dicitur,
Nullusque apud te per se innocens est. Superna ergo pietas priùs agit in nobis aliquid Exod. c. 34.
sine nobis, vt subsequente quoque nostro Libero Arbitrio, bonum quod iam
appetimus, agat nobiscum, quod tamen per impensam gratiam in extremo iudicio
ita remunerat in nobis, ac si solis processisset ex nobis. Quia enim diuina nos
bonitas, vt innocentes faciat, præuenit, Paulus ait, *Gratia autem Dei sum id quod* 1. Cor. 15.
sum. Et quia eandem gratiam nostrum Liberum Arbitrium sequitur, adiungit:
Et gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantiùs illis omnibus laboraui. Qui dum se
de se nihil esse conspiceret, ait, *Non autem ego.* Et tamen quia se esse aliquid cum
gratia inuenit, adiunxit, *Sed gratia Dei mecum.* Non enim diceret *mecum*, si cum
præueniente gratia, subsequens Liberum Arbitrium non haberet. Vt ergo se sine
gratia nihil esse ostenderet, ait *Non ego*: vt verò se cum gratia operatum esse per
Liberum Arbitrium demonstraret, adiunxit, *Sed gratia Dei mecum.* Munditiâ
itaque manuum suarum innocens saluabitur; quia qui hîc præuenitur dono vt in-
nocens fiat, cum ad iudicium ducitur, ex merito remuneratur.

GENNADII Episcopi Massiliensis. [78] Libertati Arbitrij sui commissus est 1. Definit. Ecclesiast. dogmat.
homo, statim à prima mundi conditione, vt salua vigilantia mentis, adnitente c. 21.
etiam præcepti custodia, perseueraret si vellet in id quod creatus fuerat permane- al. *statim in*
re. Postquam verò seductione serpentis per Euam cecidit, bonum naturæ per- *prima cōditione vt sola vigilantia mentis*
didit pariter, & vigorem arbitrij: non tamen electionem, ne non esset suum *annitente,*
quod *euitaret*, nec merito indulgeretur, quod non arbitrio diluisset. Manet ita- *etiam in*
que ad quærendam salutem arbitrij libertas, id est, rationalis voluntas, se admo- *præcepti custodia perseueraret, si*
nente priùs Deo & inuitante ad salutem, vt vel eligat, vel sequatur, vel agat oc- *vellet in eo*
casione salutis; hoc est inspiratione Dei. Vt autem consequatur quod eligit, vel *quod creatus fuerat*
quod sequitur, vel quod occasione agit, Dei esse liberè confitemur. Initium er- *permanere.*
go salutis nostræ Deo miserante habemus, vt aquiescamus salutiferæ inspirationi
nostræ potestatis est; vt adipiscamur quod adquiescendo admonitioni cupimus, al. emendaret peccatū.
diuini est muneris: vt non labamur in adepto salutis munere, solicitudinis nostræ al. indepto
est cælestis pariter adiutorij: vt labamur, potestatis nostræ est & ignauiæ.

CONCLVSIO.

CVm ipso pariter æterna beatitudine remunerandos & regnaturos exopto. *Pauca hæc verba Gennadij testimonio subijcit Apographum, quæ quia ipsius Gennadij non sunt, Prudentio videntur tribuenda, & apertè conclusionem Epistolæ sapiunt.*

IN EPISTOLAM PRVDENTII

AD HINCMARVM ET PARDVLVM.

NOTÆ.

Ad controuersiam inter eos agitatam spectantes.

Duplex Collectionis inscriptio. 1. MODIS duobus inscriptam Epistolam non semel aduertimus; *Ad Hincmarum & Pardulum*, vt commemorat Rabanus: &, *Ad quosdam fratres*, vt citat Hincmarus, & ipse Prudentius. Quod ego de Collectione potiùs, quam de Epistola ipsa Collectioni præfixa intelligendum arbitror. Nam cum ista nobilissimos, totaque Gallia notissimos alloquatur Episcopos, ii non nisi per contemptum, *quidam fratres*, tacitis nominibus dici potuerunt.

Obseruantia in Hincmarum. 2. DOMINIS PRÆDICABILIBVS. Quantumlibet desertionem ab amicitia, partibusque Hincmari meditetur Prudentius, ab honorificentissima tamen eius compellatione abstinere non potest, veritate cogente: quam eodem in proposito secuti sunt vltro Rabanus, Lupus Ferrariensis, & alii eo seculo illustres viri. Ipse verò modestia religiosa, *nomine sine re, non merito Episcopum, & plebis Dei famulum* se appellat. Quæ si leuior alicui videbitur obseruatio, meminerit Prudentii virtutem & sanctitatem à Nicolao Camuzatio ex minùs humili professione assertam.

3. OPTAVERAM QVIDEM. Qua veritate nitatur hæc simulatio, quo-ve spectet, cum in historia disputatum est à nobis, tum recens in argumento repetitum.

In Caput I.

Calumnia in Hincmarum. 4. HOC PRIMVM. Vrbanitati statim subiicitur iniuria, & impugnatæ S. Augustini doctrinæ exprobatio, cuius isti se discipulos & propugnatores esse gloriabantur. Sed cum eodem spiritu S. Ambrosium extolleret Pelagius: respondit Augustinus: *Ecce qualibus & quantis prædicat laudibus quamlibet sanctum & doctum virum, nequaquam tamen auctoritati scripturæ canonicæ comparandum. Quem propterea sic iste commendat, quia videtur sibi in quodam loco librorum eius eo teste vti.* Atque vt Ambrosium Pelagio eripit Augustinus, sic in Augustini laudibus, Prudentio non cedit Hincmarus, quem & sibi suffragantem frequentissimè citat, & eius doctrinæ subscriptionem à moriente Gotteschalco exigit. In hac igitur controuersia merus cothurnus est auctoritas Augustini, qua ad tempus seposita, ad fontem digitum intendunt sapientes; ipsam Ecclesiæ fidem, vt ad lapidem illum Lydium, singularium doctorum sensus admoueant. (August. l. 2. contra Pelagium. c. 43.)

5. ADEO VT NVLLVS EI SINGVLARITER. Hoc ait, quisquis ab Augustino discedit, non priuato vni doctori, sed Ecclesiæ vniuersæ sensui repugnare. Quod sine dubio de iis solis intelligi oportet, quæ pro veris & Catholicis secundùm eum, probat tenetque Ecclesia: quibus proinde diuinæ fidei auctoritatem conciliat illa, non ille: atque in dubiis & obscuris, ad eam, iubente Augustino ipso, recurrendum est. Cum adulatione non absimili scriberet ad Augustinum Volusianus, *Cum ad antistitem Augustinum venitur, legi deest quicquid contigerit ignorari.* Respondit Augustinus non veriùs quàm modestiùs. *Primùm hanc de me opinionem facile præsumptam, quæso deponas, eumque animum, quamuis erga me beneuolentissimum, soluas atque exuas; ac de me mihi magis, quàm vlli alteri credas, si mihi dilectionis vicem rependis.* *Auctoritas Augustini qualis.* (August. epist. 1. ad Volusian.)

6. NEQVAQVAM EAM R. E. ANTISTES VENERABILIS INNOCENTIVS. Dicuntur ista per αὔξησιν, cum S. Augustinus priuatim & extra Concilia de doctrina sua Pelagianis opposita cum Innocentio I. Papa non egerit, nec vlla singulari ad ipsum Epistola eandem doctrinam probarit Innocentius. Quod autem est Concilium illud plenarium *ex totius orbis Episcopis* quod significare videtur? Tale enim sub Innocentio, & per Innocentium congregatum non legimus: Mileuitanum autem ex solius Africæ Episcopis est, in quo vnus fuit Augustinus è sexaginta Episcopis, octauo loco numeratus. Ad quod inter cetera rescripsit Innocentius: Baptizandos esse paruulos, quia *nisi manducauerint carnem filij hominis, & biberint eius sanguinem, non habebunt vitam in semetipsis.* Ea ratio planè ad mentem Augustini est: sed neutri hoc in articulo consen- *Innocentius Papa per amplificationem citatus.* (Innocent. 1. ep. 31.)

tit Ecclesia, si Eucharistiæ sumendæ necessitatem in iis supremam esse voluerunt. V. Concil. Trident. Sess. 21. c. 4. can. 4.

Item & Zosimus.

7. NEQVE SVCCESSOR EIVS ZOSIMVS. Quid in Pontificatu non diuturno pro Cælestio aduersùs Herotem & Lazarum ad Episcopos Africanos scripserit Zosimus, quantumque timuerint Africani, ne vulpeculę hæreticæ fraudibus delusus Pontifex eum absolueret, & Catholicum pronunciaret, ex historia Ecclesiastica, & superstitibus Epistolis vulgatissimum est. Et si tandem decessorem sequutus, Pelagianam hæresim damnauit, equidem non video quid peculiariter Augustino fauoris impenderit. Imo potiùs eius cunctatio, & agendi cum Cælestio methodus, Augustini patrocinio, vt sic dicam, eguit, quò ceteris non improbaretur.

Augustinus Pelagianis respondet.

8. NEQVE BONIFACIVS EIVSDEM APOSTOLICÆ SEDIS PRÆSVL. Exprimit illud Prosperi, contra Collatorem: *Et quando idem (Bonifacius) cum esset doctissimus, aduersùs libros tamen Pelagianorum beati Augustini Episcopi responsa petebat.* Fuerunt autem Epistolæ duæ, altera Iuliani Capuani solius; altera eiusdem cum decem & octo aliis suæ factionis Episcopis, ad Thessalonicenses scripta, qua suis partibus Orientales Episcopos adiungere conabantur. Eas S. Augustinus libris quatuor ipsi Bonifacio Papæ inscriptis confutauit; quibus è libris excerptum à Prudentio testimonium inferiùs visuri sumus.

Cælestini epist. 8. expenditur.

9. CÆLESTINVS QVOQVE MEMORATÆ VRBIS EPISCOPVS. Epistola Cælestini octaua & vltima ex duabus diuersis partibus conflata est. Prior ipsius Pôtificis est, & illud de Augustini ὀρθοδοξίᾳ testimonium continet, quo nullus eius panegyricus vacat. Illud enim producit Prosper côtra Collatorem, cuius cura studioque procuratum est; Lupus Abbas Ferrariensis, tum in libro de Tribus quæstionibus, tum in Collectaneo: nec omitti debuit à Prudentio, nec à Louaniensibus Augustini opera recognoscentibus: nec demum à Baronio historiam texente, & annum quo scripta est Epistola, euoluente. Hæc autem eius testimonii vis est, vt auctoritate Pontificia certi reddamur, vnum esse Augustinum ex optimis Christianæ fidei Magistris, vllius hæreseos suspicione nunquam afflatum fuisse, atque adeo Pelagii reliquias in eius scriptis benè intellectis errores frustra quærere. Pars Epistolæ posterior, Prosperi putatur esse, quâ colliguntur capita cum Pelagio atque Cælestio disputata, de Gratia & Libero Arbitrio, quæ in Conciliis Africanis definita, ab Innocentio Papa suscepta, in fidei Catholicæ dogmata transisse dicuntur. Sed profundas & difficiles de prædestinatione quæstiones, & alias quæ inter disputandum incurrerunt, neque contemni ab Apostolica sede admonet, neque adstrui; verùm in medio relinqui indecisas. Vnde certò conficitur, in iis salua fide posse Augustinum deseri, nonobstante Cælestini præconio, cui Prosper ipse modum præscribit.

Prosper contra Collat. in fine. Lupus Ferrar. l. de trib. quæst. q. 2. & initio collectan. Edit Louan. in append. Tom 7. Baron. ad an. 431. Tom. 5.

10. NEC MINVS LEO PAPA BEATISSIMVS. Epistola 97. ad Leonem Augustum, æquè contra Nestorium, atque contra Eutychetem disputat S. Leo, æquè aliorum Patrum, vt Augustini auctoritatem aduocat, & locos producit. Quare non video quid ea citatio laudis & gloriæ S. Augustino peculiariter conferat. Quæ & ipsa à proposito nostro est aliena, cum de Christi gratia, non de Incarnationis mysterio hîc quæratur. Si quam aliam collectionem significat, ea nobis ignota est.

S. Leo ep. 97. ad Leon. Aug.

11. EIVS EPISTOLA QVAM AD INNOCENTIVM EPISCOPVM MISIT. Imo Præfectum Africæ, cui ea Epistola gratulatur, quòd *Præfecturæ cingula susceperit*, & mentem curis secularibus dissipatam, in sacræ scripturę studium colligat; quæ non sapiunt Episcopatum. Denique sic vulgò inscribitur: *Innocentio Africæ Præfecto*: ad quem sub eadem inscriptione scripta est & prima l. 9. indict. 4. In hac igitur ea demissione animi quâ maximè pollet Gregorius, Augustinum sibi præponit: atque vt videtur, non aliam doctrinam tangit, quàm moralem, quando de Commentariis in librum Iob mittendis agitur. Eodem humilitatis studio eosdem commentarios *publicè ad vigilias legi* non probat, & ægrè fert librum Curæ Pastoralis, ab Anastasio Antiocheno Patriarcha fuisse in linguam Græcam translatum, ne *qui meliora habent, in minimis occupentur*. Non est igitur eius roboris & excellentiæ testimonium istud, quantam sibi fingit Prudentius, quando eadem virtute modestiæ, non minùs græcos scriptores, quàm Augustinum sibi Gregorius anteponit. Extat & inter Concilia Toletana, imaginaria quædam vtriusque Doctoris comparatio, per nocturnam visionem Taioni Cæsaraugustano Episcopo Morales Gregorii libros quærenti facta. Sed ea cum probabilitate caret, tum legitima auctoritate destituta est, quam Prudentius hic noster eruditus Hispanus, à suis temporibus non procul remotam, aut veram non credidit, aut penitus ignorauit. Quo enim consilio hoc loco tacuisset? Sed nimirum somniis non crescit Augustini amplitudo.

S. Gregor. humilitas.

l. 10. epist. 12. indict. 5.

Concil. Tolet. 7.

Visio Taionis Episcopi.

In Caput II.

11. S. FVLGENTIVS MIRABILIS DOCTRINÆ EPISCOPVS. Eius libri institutum ex interrogantis mente rectè deducitur. Videbatur siquidem Monimus in Augustino male intellecto Prædestinatianorum hæresim quærere, & in eam pendere. Si quidem verba illa Psalmi 13. *Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum*, cum interpretaretur Augustinus, *de eo genere hominum quod prædestinatum est ad interitum*: ille malum istud culpæ & interitum animæ intelligebat. Fulgentio autem de malo pœnæ interpretanti, legisse se instabat, *Populum prædestinatum ad interitum*, sibique probari postulabat *interitum non dici, nisi mortem*, ac non etiam culpam, & peccatum. Fuit igitur perfacile Fulgentio ab errore tam crasso Augustinum vendicare; à quo abesse, gloriæ non duxit Augustinus, vt omnino mirer hoc laudandi Augustini caput à Prudentio fuisse delectum. Dum id autem exequitur Fulgentius, ad pleniorem Augustini explicationem veriùs, quàm defensionem addidit, rectè dici, prædestinari homines ad pœnam ex hypothesi peccati. Quod acci-

Argumentum libri 3. Fulgentij ad Monimum.

Fulgent. l. 1. ad Mon. c. 3.

Gotteschalcus oppos. Hincm. l. de præd. c. 3.

piens Gotteschalcus cum tota factione sua Fulgentii auctoritatem cupidissimè opposuit Hincmaro. Is autem ad eam eleuandam malè vsus parachronismo, Gelasii Pontificis, Fulgentii scripta non probantis (quem Fulgentio priorem fuisse benè annotauit Chronologus Dissertator) alio loco sic respondit, vt à Fulgentio dissentire se aliquatenus, non ægrè fateretur: quanquam nonnulla eius dicta in aduersarios torqueret.

Dissert. c. 21. Hincm. Ibid. c. 13

Prudentii in Gallos calumnia.

13. QVAMVIS GALLORVM. De Gallis quorum lacte nutritur, Episcopatu ditatur, societate honoratur, absque conuiciis loqui non potest vir Hispanus: atque ad ea in benemerentes hospites nutritoresque suos eiaculanda, & libros corrumpit, & historiam. Libros, inquam, cum in Cæsare non legatur, Gallorum *semper esse repentina consilia*: sed illud modestius, *Vt sunt Gallorum subita & repentina consilia.* Historiam verò, cum ea parenthesis ad rem qua de agitur nullo modo pertineat: cum mox visuri simus in hac examinandæ Augustini doctrinæ causa nihil penitus repentino, sed maximè maturo consilio à Gallis fuisse susceptum. Cum denique Massiliensium (nam ii sunt illi Galli furentes & insani à Prudentio indicati) antesignanum Cassianum Ioannis Chrysostomi discipulum, constet Gallum non fuisse, sed vel natione Scytham, vt plerique crediderunt: vel vt est similius vero, in Scythi eremo nutritum. Est igitur & hæc, & quæ mox sequitur mica salis eius, quem in Ioannem Scotum pleno modio admetitur. Non omittimus admonere, vocem hoc loco deesse aliquam, putà *nonnulli*, vel *scriptores*, aut quam aliam eiusmodi.

14. NEQVAQVAM PRÆDESTINATIONEM PERDITORVM REPREHENDERINT. Augustinum non ex eo arguerint, quòd perditos ad malum pœnæ prædestinatos esse diceret: sed quòd æterna Dei prædestinatione ante præuisionem meritorum sola ipsius bona voluntate nonnullos ex damnata generis humani massa eligi, & infallibiliter ad salutem prædestinari crederet: atque illud, infallibiliter & certissimè, malè interpretabantur, necessariò, antecedenter, vt omnino aliter fieri nullo sensu posset. Hæc impugnandæ doctrinæ illius forma, quare *conludium* & *nouum* appelletur non video: meliùs profitente Prospero, quibusdam visum esse, doctrinam Augustini *aut intelligendo, aut intelligi eam nolendo, reprehendere.* Non enim Vincentius collusit Massiliensibus Presbyteris, aut isti cum Monachis Adrumetinis societatem inierunt.

Prosper Præf. ad cap. Gallor. Videtur ad legendum non intelligendo.

Alii in Massilienses calumniæ Prudentii. Prosper epist. ad August.

15. QVORVM INSANÆ PRÆSVMPTIONI. Ita superiùs *Gallorum insaniam*, & inferiùs, *Gallis furentibus.* Atqui furorem & insaniam Massiliensibus non obiicit Prosper ad Augustinum scribens *Multi seruorum Christi, qui in Massiliensi vrbe consistunt.* Et paulò post, *Ne tam claris, tamque egregijs in omni virtutum studio viris, spiritus Pelagianæ impietatis illudat.* Hilarius autem. *Sunt*, inquit, *ex parte tales personæ, vt his consuetudine Ecclesiastica Laicos summam reuerentiam necesse sit exhibere.* Quia nimirum Presbyteri sunt, & Monachi, & in

Hilar. ep. ad Aug.

omni virtutum studio egregii. Neque verò in forma reprehendendi, præcipites & repentinos extitisse scribit Prosper. *Et cum aliquandiu tarditatem suam culpare maluerint, quàm non intellecta reprehendere, quidamque eorum lucidiorem super hoc atque apertiorem beatitudinis tuæ expositionem voluerint postulare.* Denique nec pro furiosis in credulitate sua, licet corrupta, habuit Augustinus, cum recitatis articulis, in quibus Catholicè sentiunt, subiicit: *Retenta ergo ista in qua peruenerunt, plurimùm eos à Pelagianorum errore discernunt. Proinde si in eis ambulent, & orent eum qui dat intellectum, si quid de prædestinatione aliter sapiunt, ipse illis hoc quoque reuelabit.* Atque obseruandum, articulos in quibus illos ait secum conuenire, ad fidem spectare, contra Pelagianos errores, & ab Innocentio I. & Cælestino assertos esse: alios autem de prædestinatione, in quibus ab Augustino dissentiebant, ad *profundiores & difficiliores quæstiones*, pertinere, quæ in secunda parte Epistolæ Cælestini nec contemnendæ, nec penitus adstruendæ dicuntur: hoc est in vtranque partem salua fide posse disceptari.

Prosper ibid.

August. l. de præd. sanct. c. 1.

16. PETENTIBVS PROSPERO ET HILARIO. Fuisse illum quem vocamus Aquitanum, quique postea Reiensem Episcopatum rexit, vulgaris multorum fuit opinio: sed perperam. Alii Arelatensem Episcopum putant, sed nullis argumentis mihi persuadent: licet & hunc Arelatensem, & illum Prosperi socium συγχρόνως extitisse agnoscam. Declamat enim Arelatensis se ab Honorato Lerinensi primo Abbate, cui sanguine iunctus erat, institutum fuisse: at ille alter *Salubribus Augustini vberibus* se nutritum profitetur. Neque se Lerinensis Abbas cum Cassiano conferens, facile *Laicum* vocaret, tantumque ei venerationis deferendum diceret, quantùm in Hilarii Epistola ad Augustinum modò legebamus. Fuisse autem tunc iuniores, Prosperum & Hilarium, & nihil magis quàm Laicos, vel illud argumento est, quòd tum Cælestinus, tum Augustinus *filios charissimos* vocant, non autem fratres.

Prosper & Hilarius.

Apud Sur. 16. Ian. Tom. 7.

17. RESPONDENS DVOS LIBROS, ALTERVM DE PRÆDESTINATIONE SANCTORVM, ALTERVM DE BONO PERSEVERANTIÆ. Sic enim istum, quàm *de Dono perseuerantiæ* vocare maluerunt huius seculi auctores. Prudentius, Hincmarus, Lupus in Collectione. Quanquam & alicubi vtranque nuncupationem producat Hincmarus & in indifferentibus habeat. Docet autem Hincmarus idem, libros illos duos contra Prædestinatianam hæresim scriptos esse ab Augustino, dum se ab illa plurimum abesse demonstrat. Cui valdè assentitur Sirmondus in Historia Prædestinatiana: eodemque Prospero agente, à Cælestino fuisse damnatam.

Libri Augustini duo.

Hincm. l. de præd. c. 1 & ep. 17. Sirmond. in hist. prædest. c. 3.

18. CATHOLICA RESPONSIONE OBVIAVIT, VT ET DOCTRINAM ILLIVS ORTHODOXAM. Catholicos Doctores duos, quod extra controuersiam est, nominat Prudentius, & Augustinum qui defenditur, & Prosperum qui defendit; sed alterum altero clariorem esse oportet; quando nonnullas magistri nebulas discussit discipulus. Sic enim hic illius doctrinam

Prosper Augustinum explicat.

nam tuetur, vt aliquando recta fronte propositiones Augustini, prout iacét in terminis, veras, nec obscuras esse demonstret; aliquando illustret obscuriores: nonnunquam à prauo intellectu, vel parum plausibili, qui ab aduersariis opponitur, ad commodiorem deducat.

Prosperum sequitur pars Hincmari.

19. QVAM VIDELICET S. PROSPERI RESPONSIONEM. Tria monet hoc loco. 1. satisfecisse suorum temporum quæstionibus Prosperum, & satisfacturum porro restitutæ modò disputationi, si nulla alia quæstio moueretur. 2. Nouum ergò hîc aliquid agitari, 3. quod æquè S. Augustini doctrinam feriat, eamque labefactare conetur. Ego verò cum tenui satis interuallo veteres illas ab nouis istis quæstionibus abesse autumem, alia tria obseruo. 1. Præcipuas nostræ disputations partes Augustini & Prosperi libris contineri. 2. Gotteschalchi eiusque sectariorum opiniones, quas tueri se aiunt auctoritate S. Augustini, eas esse vt plurimùm, quas Massilienses, Adrumetini, Ianuenses, Vincentius, aut in S. Augustino reperiri, aut ex eius doctrina deduci obiiciebant, quæque à Prospero exponuntur. 3. Vnde sequitur, Gotteschalcum eiusque sectarios in aduersariorum Augustini locum subiisse: Rabanũ autem & Hincmarum pro defensione Augustini stare cum Prospero. Hæc dubia esse non possunt ei qui vel extremis labris controuersiam gustarit. Nam assertiones Gotteschalci de absoluta & fatali necessitate prædestinationis, quæ mutari non possit; de libero arbitrio ad bonum extincto, & ad malum integro, Deoque ad malum culpæ impellente: De voluntate Dei solos electos vocandi & saluandi: de Christi morte pro solis iisdem obita, quid sunt aliud quàm tituli capitum Prosperi, quibus respondet *Gallicæ prouinciæ doctor præcipuus, Augustini sequax per omnia atque defensor*, vt hic loquitur Prudentius? Rabanus ex aduerso, Gotteschalcum impugnans litteris ad Notingum & Eberardum Comitem, solis Augustini & Prosperi testimoniis vtitur. Nec minùs frequenter Hincmarus & Augustinum citat in opere posteriori de Prædestinatione, & Capitula sua Carisiaca ex ipsis Prosperi verbis concinnauit, & morienti Gotteschalco ad errorum retractationem, libros Augustini *de correptione & gratia, de prædestinatione sanctorum, de Dono vel Bono perseuerantiæ: S. Prosperum in responsionibus ad obiectiones Gallorum, & Vincentianorum, & Ianuensium*, subscriptione sua probandos obtulit: eoque facto, sentire se cum Augustino monstrauit & Prospero; Gotteschalcus autem qui recusauit subscribere, nonne se inter aduersarios Augustini Massilienses, Ianuenses, Vincentianos constituit?

Pars Gotteschalci Augustino contraria.

Hincm. l. de non Trina Deit.

Status quæstionis positus à Prudentio.

20. NVNC IN DIVERSVM NITENTIBVS STVDIIS. Ne quæstionem totam exhausisse Prosper videatur, & sic omnes contentionum fibras amputasse, nouum ponit quæstionis statum: non enim iam, inquit, de prædestinatione sanctorum quæritur, quam Augustinus & Prosper exposuerunt, sed de malis siue reprobis, vtrum illi ad interitum prædestinati dici possint? quo loquendi modo cum vtatur Augustinus, certè qui vocem illam improbant, Augustino contradicunt; qui tuentur, Augustini doctrinam defendunt, vt Gotteschalcus, Ratramnus, & ipse Prudentius. Verum si germanus is est quæstionis status, quid hîc aliæ faciunt non minore studio disputatæ? In fastidiosa hac collectione, de nomine quæritur prædestinationis ad interitum, an de re ipsa; hoc est, sint ne verè reprobi prædestinati positiuè & omni necessitate ad interitum? Notabis Lector. 1. Velle omnino Prudentium Theologicè decernere cum Hincmaro, sed intra Catholicos limites. 2. Contentiosum hunc animum, quoad fieri potest, occultare; ac proinde ne vetera vulnera refricare, & recoctam crambem apponere videatur, quasi explicatis prioribus quæstionibus, nouam quandam afferre, circa Augustinum disceptandam. 3. Illam obscurè & dubiè proponere, vt mysterium faciat, dum modò nomen prædestinationis venatur, modò rem ipsam intrudit, & incertum relinquit, de re loquatur, an de nomine? 4. Huic disputandi formæ aditum præbuisse Gotteschalcum, dum, qui hæreticorum mos est, identidem mutat, & modò re exclusus, ad nomen confugit; modò concesso nomine, ad rem progreditur: Cui sanè incommodo leuiter tantùm & perfunctoriè obuiauit Hincmarus, dum se geminæ prædestinationis nomen, modò ei Catholicus sensus tribueretur, amplecti professus est: sed sensum quem petebat Catholicum sine ambagibus & nebulis vix vnquam proposuit.

Verus indicatur.

Itaque vt clarius aliquid afferamus. 5. De nomine prædestinationis malorum ad interitum nulla esse debet inter Prudẽtium & Hincmarum controuersia, fatente isto reperiri nonnunquam in Patribus, ipsoque Augustino. Quare frustra sunt omnes loci hoc in Collectaneo producti, in quibus præter eam vocem, nihil occurrit notatu dignum: quod vt meminerimus, erit identidem priuatis in auctoritatibus exprimendum. 6. In re autem ipsa maior est difficultas, quam his verbis significare videtur Prudentius: *Prædestinatio perditorum à quibusdam funditus abrogatur*, cum nunc omnes in prædestinatione sanctorum conueniant. Qua de quæstione, duo diximus in historia. Falsò cogitari discrimen illud in bonorum malorumque prædestinatione, quam volebat Gotteschalcus; quique illud admittendo de sola impiorum prædestinatione disputarunt, hallucinatione aduersarii delusos & incuria lapsos videri. Nam cum vniuersè cum Gotteschalco agatur de Prædestinatione absoluta, antecedente, fatali, libertatem omnem prædestinato in vtramuis partem eripiente, vt aliud esse possit, illam æquè ab electis, vt a reprobis amoliri Catholici semper omnes debuerunt; quod fecit Rabanus in Epistola Synodali. Si vult ergo Prudentius *sanctorum Prædestinationem à venerandæ memoriæ Patribus*, hoc modo assertam esse, nunc verò tantùm disceptari eadem-ne prædestinatio reprobis assignanda sit? errat omnino: non enim alii quàm Prædestinatiani de vtraque ita censuerunt. Alterum quod diximus, hoc est, mitius aliquid inter Catholicos agitari, conuenire inter eos Deum gratuita bonitate, siue ante, siue post præuisa merita (id enim statum quæstionis non mutat) positiuo decreto, electos

Qq

prædestinare ad vitam: disceptandum autem superesse, an simili positiuo decreto reprobos, præuisis quidem eorum peccatis, (addebat impiè Gotteschalcus, cum suis, *& prædestinatis*, tanquam mediis: quemadmodum prædestinatio ad vitam est ordo bonorum operum & meritorum: sed hanc similitudinem repudiarunt Catholici.) prædestinet ad interitum & supplicium? Pars Lugdunensium positiuo & absoluto decreto patrocinatur, & Gotteschalcum radit: Remenses autem ineuitabili necessitate & fato territi, relictos aiunt reprobos in massa perdita, & negatiuè destinatos ad interitum, quia electi non sunt: neque id ipsum absolutè, quia per Dei pietatem licet illis saluis esse, si velint, quod reapse nunquam volent. Qua doctrina non abrogatur funditus perditorum prędestinatio: sed benigniùs, & ad Dei bonitatem atque humanam libertatem aptiùs explicatur.

Quò referenda singula auctoritates.

7. Sic ergo concipi debuit à Prudentio status quæstionis, & ad eum in singulis auctoritatibus respectandum est: quicquid sit de nomine ipso prædestinationis, vbi de reprobis agitur, quæri, an Deus illos positiuè & necessariò ad supplicia æterna prædestinet, quæ nulla ratione possint euitare? Hoc si non probant prolati veterum Patrum tanto ambitu loci, nihil agunt. 8. Atque vt sciamus Prædestinationis vocem, nihil aliud esse quàm tectorium, sub quo contentionis æstus delitescat, ita posita quæstione in reproborum prædestinatione, statim à libero arbitrio, à voluntate Dei solos electos vocandi & saluandi; à taxatione sanguinis Christi disputationem auspicatur, quæ sunt antea dissimulatæ quæstiones. Fuit in his diutiùs nobis habitandum in quibus controuersiæ cardo versatur, vt reliqua fiant expeditiora.

Res exigenda non verba.

21. ET SI NON VERBO EODEM. Vides hic aucupium verbi, quasi reproborum fortunæ in eo sint positæ, cum tamen rei ipsius probationem affectet, velitque arte non vulgari, rem à nobis, siue vox adsit ipsa, siue alia eiusdem virtutis prodatur, intelligi. Eadem cautione Lugdunensis Epistolarius, regulam ponit, ne pueriliter in scriptura iis tantùm locis prædestinationis rem quæramus, in quibus & nomen legimus. Lupus quoque Ferrariensis, arbitratus totam disputationem in nomine vno versari, probata, vt putat, positiua prædestinatione impiorum, iubet poni verborum controuersias, ne puerili animositate pro inani victoriæ iactantia litigetur. Ne sit ergo Lugdunensium ipsorum confessione, puerilis Prudentii disputatio, aliud quàm prædestinationis impiorum vocem quærat oportet.

Eccl. Lugdun. l. de 3 Epist. c. 5. Lupus Ferrar. l. de 3. quæst. q. 2.

Hieronymus quatenus correxerit Augustinum.

22. ADEONE DESIPIMVS, VT PVTEMVS B. HIERONYMVM. Quæ fuerint primis annis inter Hieronymum atque Augustinum contentiones, scimus ex mutuis Epistolis: sed infirmum est ab eo exemplo Prudentii argumentum, non peccasse hac in re Augustinum, quia non est reprehensus ab Hieronymo. Non enim Hieronymus se Augustini censorem, & quasi Pædagogum professus est, & in Retractationibus multa corrigit Augustinus, quæ non tetigit Hieronymus: & quando vno animo, vnoque impetu aduersùs Pelagianos vterque ferebatur, quàm fuisset intolerabile, Hieronymum hoste deserto, in amicum & socium iaculari? Accedit, quòd hæc controuersia non nisi sepulto Hieronymo exorta est, in eaque leuissimè nominata reproborum prædestinatione, totum disputationis pondus in prædestinationem sanctorum incubuit, ipso teste Prudentio.

In Caput III.

Ordo quæstionum in Prudentio.

23. DEVM SVMME ATQVE INCOMMVTABILITER BONVM. Ingreditur in doctrinæ suæ explicationem per hominis conditionem & peccatum, vnde solent auctores isti discursus suos auspicari, alto sanè principio. Sic enim Lupus Ferrariensis, tum l. de tribus quæstionibus, tum in Epistolis ad Carolum Regem, & ad Hincmarum. Habet autem istud peculiare Prudentius, quòd ex eo controuersas opiniones deducit, vt simul implexas omnes, & connexas esse ostendat. Cum autem in taxatione sanguinis Christi subsistit, eamque præ cæteris probat, vult vt arbitror credi à nobis, quod hac ætate Gerardo Vossio placuit, quæstionem illam ceterarum esse caput, & principem: quod neque ratio, neque tractatorum aliorum auctoritas & exemplum illi concedi patitur.

Christus an tantùm mortuus pro electis.

24. DICIT ENIM MATTHÆVS Ex verbis à Christo in suprema cœna vsurpatis probat Christum non esse pro omnibus hominibus mortuum, ne pro omnibus quidem fidelibus: sed tantùm pro electis. *Christus dixit, pro multis*, ergo non pro omnibus: *pro vobis*, ergo non pro aliis. Omitto quæ de vocibus *multi & omnes* disputari solent, ago de his præcisè locis cum Prudentio, & eius argumentum, quod aiunt, nimis probare commōstro. In eius enim sensu Synonyma sunt illa, *pro multis*, hoc est *pro vobis* q. d. *pro vobis* præsentibus quos alloquor, qui *multi* estis. Ergo pro omnibus præsentibus, & pro solis illis. Atqui Iudas vnus erat multorum, non tamen electus; & præter Apostolos tum præsentes, alii multi sunt redempti, vt fide diuina certum est: ergo non pro omnibus, neque pro solis tum præsentibus, acnon etiam *pro aliis* mortuus est. Vide Hincmarum l. de prædest. c. 34. Cum autem hoc loco dicat Prudentius, Deum solos electos saluare velle, Christum pro illis solis mortuum esse: quærimus ex eo primùm, cur alibi pro credentibus omnibus dicat mortuum, vt in eius Tractatu legimus? quando hæsitantia illa & varietas euidens est falsitatis præiudicium. Quærimus secundò de fidelibus non prædestinatis quid sentiat? Nam si Deus illos ad fidem vocat, alios vocat quàm qui saluantur: si per merita Christi perueniunt ad baptismum, pro aliis, quàm pro Apostolis, siue electis mortuus est. Non respondebit autem, vt opinor, sine Dei vocatione, sine Christi meritis ad fidem, & baptismum accedere. Sua ergo subtilitate se Prudentius implicat.

Malè explicatus Augustini locus.

25. QVOS ENIM VERITAS MVLTOS, HOS PRÆDICATOR VERITATIS OMNES NVNCVPAT. Mira expositio & argumentatio. Sic enim probat, *pro multis*, non significare *omnes*

Apostolus dicit, Deum velle omnes saluos fieri, ergo Deus vult tantùm *multos*, id est, *paucos & electos* saluari. Nam quos Paulus dicit *omnes*, illos Christus *multos* vocauit. Quantò nos certiùs ratiocinamur? Quos *multos* Christus dixit, Apostolus interpretatur *omnes*, ergo pro omnibus passus est Christus. *Quam particulam*, ait Prosper, *verborum Apostolicorum ita nos integrè plenéque suscipimus, vt nihil de præcedentibus, siue subiectis, quæ ad ipsam pertinent, subtrahamus.*

L. de Vocat. gent. c. 12.

26. Verum memorabilis Augustinus. De hac Augustini interpretatione, quam & Lupus Ferrariensis, & Epistolarius Lugdunensis, & alii ad fastidium repetunt, dictum à nobis in historia. Ceterùm illa Prudentii opinio quantùm distat ab obiectione Gallorum, *Quòd non omnes homines velit Deus saluos fieri, sed certum numerum Prædestinatorum?* Cui respondet Prosper, omissis illis explicationibus longiùs quæsitis: *Omnium ergo hominum cura est Deo: & nemo est quem non aut Euangelica prædicatio, aut legis testificatio, aut ipsa etiam natura conueniat.* Alia quoque eiusdem Prudentii opinio, quam hoc loco maximè stabilire conatur, altera est Gallorum eorundem obiectio. *Quòd non pro totius mundi redemptione Saluator sit crucifixus.* Cui quid respondeat inferiùs cum Prudentio recolemus, audiemusque affirmantem, *Rectissimè dici Saluatorem pro totius mundi redemptione crucifixum, propter veram humanæ naturæ susceptionem, & propter communem in primo parente omnium perditionem.* Ex quibus patet, quod ante monebamus, aduersariorum Augustini obiectiones, esse Gotteschalcanorum sententias.

Augustinus explicatus à Prosp ero.

Prosp. Resp. ad capit. Gall. c. 8

Ibid. c. 9.

27. Vbi est illa omnipotentia. Hoc est inuictum illud Argumentum, istis auctoribus commune, ex fontibus Prædestinatianis haustum, quo se implicuerunt homines, legendo magis, quàm commentando assuefacti, quòd à Ioanne Damasceno, quem notum non habebant, voluntatis antecedentis & consequentis distinctionem non accepissent. Quando autem illo significant omnipotentiam creatoris, cum libertate creaturæ non quadrare, nonne Dei voluntatem faciunt absolutam & necessitantem? Quàm procul absunt ab illis obiectionibus à Prospero refutatis: *Quòd liberum arbitrium in homine nihil sit: sed siue ad bonum, siue ad malum, prædestinatio Dei in hominibus operetur?* Quòd *pars illa Christianorum, quæ ad ruinam prædestinata est, non impetrabit à Deo perseuerantiam; eò quòd mutari non potest diuina prædestinatio, quæ illos præordinauit, præparauit, præaptauit vt caderent?*

Argumentum Prædestinatianorum.

Prosper. ibid. c. 6.

Idem ad obiect. Vincent. c. 14.

In Caput IV.

Consilium auctoris est hoc capite demonstrare ex scripturis, non omnes homines, sed prædestinatos solos à Deo vocari: hoc conficit ex vetere & nouo instrumento. Prioribus locis vocationem hanc cum reproborum prædestinatione coniungit, quæ prima est eius quæstio: Posterioribus specialem vocationem distinctiùs prosequitur, omissa positiua illa impiorum prædestinatione.

28. Constitvit terminos popvlorvm. Verus prophetæ sensus est, populos in terra promissionis subiugandos à Iudæis, à Deo definitos esse secundum gentis illius quæ succedere debuit multitudinem. Quæ omnino prædestinationem non tangunt. Eò tamen respicit Prudentius, sed in allegoria; notatque, quod in vulgata legitur, *Filiorum Israel*, ab aliis, videlicet 70 interpretibus, reddi, *Angelorum Dei.* Quo autem consilio illud obseruet non video. Nam si vult inde colligere Prædestinatorum numerum æqualem fore sanctis Angelis, non maiorem, minorem-ve, quo id auctore probat, quàm solidè dicit? Si ruinas Angelorum Apostatarum ab electis reparandas esse significat, vt non plures saluentur homines, quàm ceciderint Angeli, tolerabilis expositio est, & ab aliis cogitata; sed illos vocari *Angelos Dei*, qua ratione conficiet? Neque vero his allegoriis opus est, vt Hincmaro probetur certum esse prædestinatorum numerum, neque augendum, neque minuendum, quod vltrò, secundùm Augustinum, fatetur.

Hincm. l. de præd. c. 18.

29 Considera opera Dei. Docet Ecclesiastes nihil esse opis in homine, siue ad corrigendos mores, siue ad auertenda mala, sine præsente Dei auxilio. *Quem Deus perdiderit, siue despexerit.* Perdit Deus, gratiam subtrahendo, quemadmodum & indurat, *Non ad culpam cogendo, sed gratia emollitum à culpa non retrahendo*; vt loquitur Lupus Abbas. Tum verò quis hominum possit aut conuertere, aut emollire sic à Deo destitutum? Hinc autem quid colligere sperat Prudentius ad positiuam prædestinationem impiorum, eiusque absolutam necessitatem, quæ est in quæstione? Omnesne quos impœnitentia finalis occupat, induratione & derelictione incorrigibiles erunt? Fuit-ne antecedenter necessarium sic eos mori, ob decretum positiuum damnationis ab æterno factum?

Locus explicatus.

Lupus Ferrar. epist. ad Hincm.

30. Ivdicia sva non manifestavit eis. Sortes istæ, & funiculi, & omnis illa electorum cum Israëlitico populo, reproborum cum gentibus comparatio, meræ sunt allegoriæ, leuem in rebus istis fidem facturæ, præterquam ex auctoritate Patrum eas applicantium. At in eiusmodi collationibus, quàm multa desiderari solent? Istam vide. In electorum figura, quàm multi reprobi fuerunt? Quid ex lege sibi tradita consecuti sunt plurimi, præter peccati notitiam, & stimulum; iustitiam legis & superbiam? At eadem allegoria versuram deinde fecit, reprobatis Iudæis, & vocatis ad fidem Gentilibus, vt in figura geminorum Iacob & Esaü, ostendit Apostolus scribens ad Romanos. Adde ne tum quidem, cum lex Dei apud Israëlitas florebat, sine diuino auxilio, & interiore quadam vocatione cum lege naturæ subministrata vixisse Gentiles: quos eam ob rem *inexcusabiles esse*, & *Quicunque sine lege peccauerunt, sine lege perituros*, idem Apostolus pronunciat.

Allegoria vix litur.

Rom. 9.

Ibid. c. 2.

Locus nihil iuuat Prudentium.

31. NON MISEREARIS OMNIBVS QVI OPERANTVR. De Saüle, eiusque satellitibus ad intercipiendum & occidendum Dauidem missis, hæc dici titulus Psalmi demonstrat. Sed esto ad omnes pertineant, quam tu energiam in hisce verbis ad prædestinationem reproborum absolutam, & positiuam collocas Prudenti? An postulat Dauid à Deo, ne misereatur impiorum omnium, sed aliquorum? Non est eius ille sensus, neque vt opinor tuus. An rogat, ne vllis penitus iniquis misericordiæ suę munus impendat? Quid tum agent mulier peccatrix, Zacchæus publicanus, Petrus periurus, Paulus blasphemus, Dauid homicidio adulterioque pollutus, & quicunque ex aureo prædestinatorum numero adhuc in tenebris infidelitatis, & libidinum sordibus volutantur? Vult-ne grauibus pœnis subactos ad requirendum Deum adigi? Optandum id sanè, & Dauide digna petitio, sed hæc misericordia est, & recta ad pœnitentiam salutemque via. An obstinatè perseuerantes in criminibus vsque ad mortem, quod est, teste Augustino, peccatum ad mortem, optat absque misericordia flammis vltricibus in æternum puniri? Iustitia hæc est Pharaonis sequacibus debita; sed ex ea reproborum prædestinatio positiua, necessaria antecedenter, in sensu diuiso irreuocabilis non sequitur.

Locus inutilis ad propositum.

32. ET OMNES HOMINES DE SOLO ET EX TERRA. Diuinæ prouidentiæ homines creantis regentisque hic est ordo, vt licet omnes ex eadem æquè procedant origine, variis tamen modis pro arbitrii libertate vitam instituant, & diuerso exitu terminentur. Quemadmodum ex diebus qui eodem omnes solis amfractu conficiuntur, alii festi sunt & solennes, alii profesti, & vulgares. Quid est homo, nisi lutum in manu figuli? Qua comparatione vtitur & Apostolus? Hæc & similia scripturæ dicta, neque Deum faciunt positiuè & irreuocabiliter necessariò perditionem hominibus destinantem, neque homines arbitrii libertate ad parandam salutem destitutos, & ad hoc in mundum immissos vt pereant, qui omnino saluari non possunt. Nam breuiter & scitè dixit Cassiodorus apud Hincmarum, *Pereunt qui ad æternum supplicium destinantur, scilicet in malis obstinatione sua, non prædestinatione diuina*, neque aliter impium Deus *parauit ad romphæam*, quod auctoritate superiore dicebatur.

Cassiod. in Ps. 82. Hincm. de prædest. cap. 16.

33. PARATA EST ENIM AB HERI TOPHETH. Ex hoc loco probat Hincmarus destinatas esse impiis pœnas, non impios pœnis, quæ leuicula est disputatio. Topheth, locus ad vrbem Ierosolymam, aliàs Gehenna hoc est, vallis Hennon, vbi filios suos crudeli superstitione Moloch idolo sacrificabant: quòd immanem Assyriorum cædem sub Ezechia factam illi simulacro per summam impietatem adscriberent. Inde traducta voce ad inferni, & æternæ damnationis significationem. Neque otiosum est ad Hincmari sententiam, quòd *à Rege parata* dicitur, hoc est, praui Assyrii regis operibus factum, vt ignis gehennæ ad ea vindicanda succenderetur, vt priùs illius crimina cogitemus, quàm vindicantem Dei iustitiam. Quod sequitur ex eodem Propheta: *Vermis eorum non morietur*, nihil ad rem pertinet.

Topheth. *Ierem. c. 7.*

Curiosa quæstiuncula.

34. PERPENDITE OBSECRO QVARE VNI DET DEVS GRATIAM. Gratiam intellige finalis perseuerantiæ quæ proximè ducit ad vitam. Si enim de sufficiente gratia, per quam si volunt homines etiam non prædestinati, salutem consequi possunt, se vult capi Prudentius, eamque reprobis negatam asserit, nos eum non audimus. Porro his se quæstionibus semper vexauit humana infirmitas, tam temerè, quàm inutiliter: quibus sancti & sapientes verbo vno respondent, cum Heli Sacerdote, *Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat.* Et frequentissimè Augustinus cum Apostolo. *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ illius!* In eadem verba ab initio exclamauit Ecclesia, quæ tamen nunquam credidit, aut credendum docuit, nolle Deum omnes homines saluos fieri, paucis media comparandæ saluti necessaria subministrari, non omnibus; ita desertos plurimos ob prædestinationem antecedentem, vt eos antecedenter impossibile fuerit saluari. Hæc nostra fides est, ex infinitis hominum millibus & conditionibus, neminem vnum futurum, cui in die iudicii dicturus non sit iustissimè & verissimè, *Perditio tua ex te, ex me autem auxilium tuum.*

1. Reg 3. *Rom. c. 11.* *Oseæ c. 13.*

Diuersa hominum vocatione.

35. QVIA SI IN TYRO ET SIDONE. E pluribus qui producuntur noui Testamenti locis, quod rem nostram spectat, hæ possunt obseruationes erui. 1. Nisi à Deo per Christum, vocari neminem, quod fides docet. 2. Non omnes æquè vocari, sed fortiùs & validiùs aliquos, alios debiliùs. Nam Tyriis & Sidoniis gratias non negauit, qui maiores Corozain & Bethsaidæ concessit. 3. Nonnullos peculiari gratiæ priuilegio ad consiliorum perfectionem vocari, non enim omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. 4. Paucos è vocatis obedire Euangelio. Nam Corozain & Bethsaida obsurduerunt, & is qui Deum vocantem ad Christi sequelam audierat, exposita paupertatis professione, abiit tristis, & respexit retro. 5. Imo esse qui mediis ad vocationem adhibitis à Deo, ad obdurationem cordis abutantur. Hunc enim euentum, per quam infelicem, in Isaiæ Prophetia legimus, *Excæca cor populi huius.* Quod igitur Dei consilio rectè succedere potuit, & debuit; quod in aliis feliciter reipsa euenisset; quod fuisset illis efficax, istis tantùm sufficiens est, & maioris damnationis occasio. Qui verò sunt illi? Qui *mundi* nomine appellantur, prudentes & sapientes huius seculi, quorum prudentia iniuria est Dei: Pro his in mundi amore, & peruersæ sapientiæ studio pertinaciter hærentibus in finem, Christus non rogat vt actu saluentur, quia gratiæ dona respuunt, eisque æquè vt omnibus dicitur, *vocaui & renuistis, volui & noluistis.* Itaque nihil ex illis omnibus aufert pro se Prudentius, si pugnat aut absolutè & antecedenter malos prædestinari ad interitum, neque posse, si velint, saluari: aut solos prædestinatos ad vitam, à Deo vocari ad gratiam; aut vel-

Is. c. 6.

le Deum solos illos saluari, qui actu saluantur, non omnes homines vniuersè. Nos autem iisdem ex locis sufficientem gratiam discimus, cui homo vitio suo repugnet; obdurationem cordis ex eiusdem hominis culpa prouenire; cum qua tamen absolutè loquendo possit ad vitam ingredi, si vult aures vocanti & inuitanti aperire.

Deus omnes vocat. 36. Si igitur omnes Homines vult salvos fieri. Ad hanc interrogationem præcisè respondemus: quia non omnes volunt, quod per oblatam gratiam possunt. Spiritus spirat vbi vult, quia non nostri meriti, sed bonæ voluntatis ipsius, est illa inspiratio: *diuidit singulis* generum, ac non tantùm generibus singulorum, & proinde omnibus *prout vult* ordinatissimè, quia inæqualiter, sed nemini non sufficienter. Quid est enim Prudentianum illud, non omnibus, sed singulis? Quin potiùs perfectissimè omnibus, quia singulis. Qui viritim congiarium ciuibus, & donatiuum militibus distribuit, non dat toti populo, toti exercitui?

Nihil istis reprobatur. 37. Et quod in Actibus Apostolorum legitur. Reliquis auctoritatibus conficitur, salutis negotium Dei nutu regi, aliis frequentiora, clariora, potentiora media subministrari; aliis tam infirma & obscura, vt rem humano iudicio æstimantibus, videri possint à Deo derelicti: illos speciali quodam affectu diligi, tanquam Dei populum, & funiculum hereditatis eius; cuius discriminis à supremo Domino & creatore nulla ratio possit exigi. Sed nullo eorum locorum legitur, illis minùs dilectis, gratias deesse necessarias, quibus rectè vtantur si velint; illos à Deo non vocari similiter, quamuis non equaliter; illis ex prima Dei prædestinatione sic occlusam esse salutis viam, vt si maximè velint, eam ingredi non possint: nostram enim illa quæstionem faciunt, si sexcenta alia proferantur, πάρεργα erunt. Addo ampliùs,
Contra Prudentium urgentur. ipsum sibi talibus locis producendis nocere Prudentium. Nam qui solos electos, non omnes fideles, vocari à Deo: solos eos qui saluantur, redimi putat à Christo, quomodo satisfaciet quærenti in allegoria Iudaici populi, an Iudæi omnes saluati fuerint? An illi qui prædicantibus Apostolis crediderunt, ita præordinati fuerint ad vitam æternam, vt eorum nullus reprobus fuerit? An Christus ita saluum fecerit populum suum, siue Iudæum siue Christianum, vt omnes Iudæi & Christiani, vitam consequantur æternam? Sunt igitur alii vocati quàm electi, quod expressè admonet Christus; alii saluati, quam qui saluantur: vult omnes saluos fieri antecedente siue generali voluntate; sed ex illis selectos saluare vult & saluat reipsa, qui primæ voluntati obsequentes, merentur consequentem.

In Caput V.

Status quæstionis. 38. Libata scriptura, satis, vt apparet, inutiliter & superfluè, ingentem campum Ecclesiasticorum Patrum ingreditur, velut interpretationem scripturæ, & eius quem ipse cum suis intendit, sensus confirmationem. In cuius aditu reuocandus est tibi, lector, in memoriam genuinus quæstionis status, quem ante posuimus, vt eum singulis applices locis, & videas quàm multas bonasque horas colligendo perdiderit Prudentius, alii describendo. De nomine Prædestinationis in parte reproborum soluta est quæstio. Vtrum ante præuisa merita fiat electio, quæ est perpetua D. Augustini sententia: de duobus æquè reis, an sola gratuita Dei voluntate, sine meritis præcedentibus eligatur vnus, altero relicto, quod dogma Catholicum est: Deum iustè vel ob originis peccatum infantibus, vel ob addita propria, adultis, pœnas irrogare, quod in Augustino ceterisque Patribus frequentissimè legitur: hæc inquam, & similia non quæruntur. Quæ tamen pene sola in subditis auctoritatibus reperies. Verùm illud maximè, sit-ne iniquorum reprobatio positiua absoluta, antecedenter necessaria, talisque, vt si salui esse velint, nulla ratione possint? Affirmat Prudentius, & variis Patrum dictis probare contendit: oportet ergo vt singulis auctoritatibus ea propositio commodè, vice conclusionis, possit adnecti; quique illam non patietur locus, nihil aliud erit, quàm æs sonans & cymbalum tinniens, aptum auribus obtundendis.

39. Innocentii Papæ in Epist. Ecce quod primum in conspectu ponitur exemplum, in solo prædestinationis reproborum nomine vim facit. Rider autem aut Prudentius, aut Amanuensis, qui Epistolæ Pontificiæ, duodecim versibus constantis, caput 49. citat.

40. Vnum elegit præscientia, et alterum sprevit. Habet ex Ambrosio Prudentius, quod dicatur Deus elegisse & spreuisse, *Ambrosii de prædestinatione sententia.*
de electo & reprobo disposuisse, decreuisse reprobos non saluandos; incredulos non esse prædestinatos ad vitam; quorum verborum pleraque positiuam reprobationem loqui videntur. Nos autem ab illo discimus 1. Prædestinationem vtranque post præuisa merita bona mala-ve decerni. Vnde præscientiam mauult, quàm prædestinationem appellare. *Sciendo enim quid vnusquisque illorum futurus esset, dixit, Hic erit dignus, qui erit* *Prædestinatio post præuisionem meritorum.*
minor; & qui maior, erit indignus. Ac deinde, *Hoc quasi præscius, non personarum acceptor, nam neminem damnat, antequam peccet; & nullum coronat, antequam vincat.* Quod non de effectu, sed de decreto, ex eius mente intelligimus. 2. Prædestinationem illam, licet sit certissima & infallibilis, nullam tamen importare necessitatem, quia possunt aliud esse. *Possunt tamen credere. Ipsi sibi perditionis causa sunt.* 3. Effectus futuri necessitatem, non aliam esse, quàm consequentem; qualem in causis liberis Philosophi & Theologi explicant. *Quia aliud non potest euenire, quàm quod sciuit & proposuit.* Nimirum posito quod ex præscientia sic proposuerit, quemadmodum Petrus non potuit non negare, posito quod præscius Christus ita facturum prædixerit. 4. Prædestinationis & præscientiæ nomina in eandem significationem, nullo repugnante confundi, cum tamen Gallorum apud Prosperum vltima sit obiectio, *Quòd idem sit præscientia, quod prædestinatio.* Non enim ad *Prosp. ad Capit. Gall. c. 15.*
viuum omnia resecantur in Patribus, extra disputationem docentibus.

Ambrosius explicatus. 41. QVA DEFINITVM HABET. Hoc est certò præcognitum, non positiuè decretum, voluntates enim non definit, neque ex eius decreto bona vel mala fit voluntas. Notanda autem Ambrosii ratiocinatio, non esse Deum acceptorem personarum quia dignos eligit, vt Saülem ad regnum, Iudam ad Apostolatum. Nam si ad ministerium referas, dignitatem spectat, non personam: si ad vitam æternam, aut mortem, meriti non officii rationem habet.

vt & alio loco. 42. CVM OMNES EX VNA ET EADEM MASSA SIMVS Certum est discerni electos à reprobis in Prædestinatione, gratiâ merè gratuitâ. Cur ergo docet Ambrosius, id fieri *non sine iustitia*? Quia credit ante præuideri futura bonorum & malorum merita, & ad eorum finem qualis actu futurus est aspiciens, reddi vult vnicuique secundum opera eius, non vtique *sine iustitia*; vt bonis benè sit, malis æternùm malè. Ac licet ab illa meritorum præuisione in prædestinatione mentis oculos abducat, certissimum tamen est in executione, non nisi meritis bonis malis-ve coronam dari aut pœnam, adeóque non sine iustitia id fieri quod opponit figulo qui ex mero arbitrio ex eadem massa vasorum diuersitatem fabricat. Quæ doctrina nulla ex parte Prudentium adiuuat. Sed prodest quod ait, *conuerti noluerunt*; quibus proinde gratia non defuit, qua id facerent, quod velle debuerunt, & agere. *Ideo ergò expectati sunt, vt inexcusabiles deperirent.* Essent autem excusabiles si potestas illis fuisset adempta, licet ex merito. *Sciuit enim Deus hos non credituros*, sed oblatam ad hoc gratiam repudiaturos. Ac ne qua vis inesse verbo credatur, subdit ad extremum *Præparare autem vnumquemque, est præscire quid futurum sit.* Et secundùm præscientiam illam decernere quid fit, inde sequuturum. Quibus auditis videbunt quomodo satisfacturi sint Ambrosio, qui opinionem inter Theologos probabilem, de prædestinatione præuisa merita subsequente, hic à magno doctore assertam, qua & Apostoli doctrinam explicare se perfectissimè credit, Pelagianam præsumptionem, palpum naturæ, aulicum dogma, superbiæ vocem esse putant, quam si patrocinari sibi vidisset Pelagius, auidissimè sanè tanti viri authoritate se texisset, quem alio in pronunciato, tanquam fautorem suum summa cum laude produxit, vt narratur ab Augustino. *August. l. 1. contra Pelagianum c. 41.*

In Caput VI.

Sixtus Presbyter Romanus. 43. EX EPISTOLA AD SIXTVM PRESBYTERVM Ecclesiæ Romanæ, deinde in Petri Cathedra Cælestini successorem, eius nominis tertium, quem aduersa fama per Africam pro Pelagiani dogmatis assecla gementibus Episcopis sanctissimis, circumtulerat. Verùm dissipata calumnia, cum primus anathema Pelagio dixisse compertus esset, recreatis omnium animis in publica lætitia ad eum gratulabundus scripsit Augustinus, siue vt pleniùs de Pelagii præsumptione institueret, siue vt eum, cumque eo Romanos proceres in auita fide confirmaret. Hac ex Epistola multa decerpit Prudentius, quòd aduersarios suos vulgi errore Pelagianis fauere crederet: Hincmarus autem tam procul ab ea calumnia remotum se ostendit, vt totam Epistolam quanta quanta est, libentissimè transcribat, si ceterorum Patrum multitudo monstranda pateretur. *Addam etiam quædam, quasi ex supererogatione, de Epistola B. Augustini ad Sixtum Presbyterum, de qua nihil excipiendum foret, si aliorum testimoniorum pluralitas id agere non exposceret:* *Hanc epistolam sibi fauere vult Hincmarus. Hincm. l. de præd. c.16.* Hic igitur, & alibi plures ex illa sententias delibat, & morienti Gotteschalco *Epistolam ad Sixtum Presbyterum* iubet offerri, cui subscribat: Illam ergo si pene totam describit Prudentius, velut Remensium opinioni contrariam, quid aliud nisi operam ludit? Quid hic igitur & nos frustra diutius immoremur? *Ibid. c. 7. 9. &c.*

In Caput VII.

44. In omnibus huius capitis auctoritatibus pauca reperies à præcedentibus diuersa; vt idem & de illis iudicium ferre debeat Hincmarus. Non enim semel eadem de re vna dixit Augustinus: & si cui liceret repetitiones Augustinianas in vnum conferre, quantùm de republica litteraria, nostroque labore & otio mereretur? Hoc ergo qui producitur loco, id tantùm ostendit Augustinus, quod pars Hincmari nunquam negauerit, electionem ad gloriam meram esse gratiam, non fatum, non acceptionem personarum, non concedi meritis quæ nulla sunt, vt patet in geminis ab vna meretrice editis, quorum alter baptismo donetur, alteri ea gratia non conferatur: hi enim Iacob & Esaü similes, antequam boni quicquam faciant aut mali, sola Dei bona voluntate discernuntur.

Conciliatur Augustinus & Ambrosius. Quod cum sit extra controuersiam, ex instituto Augustini & Ambrosii supra considerati placito, dubii nonnihil oriri potest. Nam cum vterque personarum acceptionem in Deo negat esse, illud oppositis modis ambo conficiunt: Augustinus quidem, quia merita, non inuenit, quibus gratiam donet & gloriam; Ambrosius autem quia perseuerantiam in bono considerat, ergo & merita. *Quia hoc est iustum, vt vnicuique pro merito respondeatur. Quia enim boni erant, electi sunt ad ministerium, & erant scripta nomina illorum in cælo propter iustitiam, sicut dixi: secundùm præscientiam verò in numero erant malorum. De iustitia enim Deus iudicat, non de præscientia:* *Ambros. in epist. ad Rom. c. 9.* Quod pronunciatum toto cælo abesse videtur ab Augustino. Conciliari tamen debēt ex proposito suo singuli & diuersi tēporis consideratione. Nam Augustinus præscientiam & electionem in Deo speculatur, ante singulorum originem, ante meritorum cognitionem, vt omnes in massa damnata prospicit, è qua alios indebita gratia educit aliquando saluandos: alios iustè in ea relinquit, in finem damnādos, Ambrosius executionem potiùs, & quem vocamus effectum prædestinationis aspicit, vt quia hic gratiæ Dei respondit, seque ea ratione dono aliquo dignum reddidit, eo tanquam præmio augeatur. Vnde fit vt præsentis status rationem habeat Deus, non secuturæ postea mutationis, quam non potest non

præscire. Ita quicquid hominibus actu euenit, præsenti eorum statui retribuitur, vt Sauli regnum, Iudæ Apostolatus, quia tum boni erant, cum fuerunt ad illa ministeria adsciti: ac postea iisdem Sauli & Iudæ reprobatio, quia illam sequentibus operibus sunt commeriti. Iam si quæris ab Ambrosio vnde sint illi boni? Sine dubio respondebit à Deo: hanc enim eius sententiam profert laudatque Augustinus, quod *nemo possit ædificare sine Domino, nemo custodire sine Domino, nemo quicquam incipere sine Domino*. Si quæris ab Augustino quomodo detur electis gloria? Respondebit, vt merces meritorum. Conueniunt igitur inuicem in summa. Ad acceptionem personarum quod spectat, ea est secundùm Augustinum illo quem versamus loco, *vbi ille qui iudicat relinquens causæ meritum, de qua iudicat, alteri contra alterum suffragatur, quia inuenit aliquid in persona quod honore, vel miseratione sit dignum. Si autem quispiam duos habeat debitores, & alteri vellet dimittere debitum alterum exigere: cui vult donat, sed neminem fraudat, nec acceptio personarum dicenda est, quando iniquitas nulla est.* Ad hanc doctrinam si expendis Ambrosium dicet, quod meritis datur reipsa, personæ ἁπλῶς non donari; eo quem præsentia merita præferri suadent prælato, neminem fraudari dignum: hic iniquitatem non esse vllam, imò veriùs iustitiam; meriti verò illius principium à Deo totum esse, dante illi quem præscit vsurum, & dignum fore. Non est igitur hoc in parte contrarius Ambrosius Augustino.

Ambros. in Luc. l. 2. c. 11.

Acceptio personarum.

Ratramnus arguitur.

45. AVGVSTINI DE PRÆDESTINATIONE SANCTORVM. Alium suæ quæstionis statum esse, quàm quæ hoc Augustini libro disputatur, professus antea Prudentius, eum extremis tantum digitis libat, prudentior meo iudicio, quàm Ratramnus, qui extra causam plurima eodem ex libro decerpit, quodque mirum est, eadem non rarò cum iis quæ suam in sententiam adducit Hincmarus, imo & ex eo de Prædestinatione sanctorum opere non leuem capituli sui partem concinnatam significat. Cæterum quę verba hic à Prudentio seliguntur, quid habent præter inane & leue vocis vnius aucupium, quæ & ipsa in gratiam Hincmari debet intelligi?

Ratram. l. 1. de præd. Hincm. l. de præd. c. 11. & alibi. Ibid. c. 16.

46. NON EST ENIM INIQVITAS. Præter innumera quæ ex libro de Bono perseuerantię producit Remensis, hunc etiam locum fusius describit quàm Prudentius aut Lupus Ferrariensis; vt sciamus has Augustini authoritates merum cothurnum esse, vtrique pedi aptum: nihil proinde solidi ex illis ad sedandam controuersiam educi posse.

Ibid. c. 9. Lup. Ferrar. in Collect.

47. VTRVM DEVS MALI AVCTOR NON SIT. Quid verò illud ad causam? Quis dubitet quin malorum pœnalium Deus auctor rectè dicatur? Nec tamen inde conficitur, aut malos prædestinari ad pœnam necessariò & absolutè; quod vult Prudentius, aut pœnam malis non prædestinari contra Hincmari subtilitaté.

Deus auctor mali pœnalis.

48. VT AVTEM INNOTESCAT QVOD LATEBAT. Duobus continetur gratia illa præueniens, de qua tantopere disceptatur, vtriusque videlicet potentiæ motu, intelligentis & appetentis. Deus enim infuso in intellectum lumine facit innotescere quod latebat, verum & bonum; quo apprehenso statim afficitur voluntas, & in illud ducente delectatione mouetur; *trahit* enim *sua quemque voluptas*: ita tamen vt liberè ducatur, vt possit non sequi: trahit enim *non necessitas, sed voluptas; non obligatio, sed delectatio*. Atque inde meritum exurgit, quod in opere necessario, nullum est. Sic ex aduerso diabolica tentatio, suggestione, delectatione, consensu perficitur; hoc est, immissa in intellectum falsi eiusdem boni specie, quæ illusæ voluntati mox arridet, mouetque delectando concupiscentiam, ac demum omni cum libertate appetitur: inde peccatum, & hominis pernicies. In his, qui sola coactatione seclusa, necessitatem siue à Deo ad bonum, siue à diabolo ad malum sibi fingunt, minùs homines esse volunt.

Gratia præueniens.

August. lib. 26. in Ioan.

49. NON QVIA OMNES HOMINES VENIRENT AD GRATIAM. Ne veterem querelam de vocibus *multi*, & *omnes* repetamus, licet plurimum sibi fauere putet Trecassinus, Augustinum hoc loco, duo tamen vetant ne prosit omnino; nam in Remensium sententia, Christum esse pro omnibus mortuum, agitur tantùm de pretii satisdatione, & efficientia omnibus sufficiente: quam his verbis non negat Augustinus; sed actualem iustificationem morte Christi promeritam, non omnibus, sed aliquibus tantùm prouenire docet: quæ est expressa Hincmari opinio, quarto Carisiacensi Capitulo expressa. Deinde in multis illis iustificatis actu per Christi meritum, quam multi sunt reprobi non perseueraturi ad finem in gratia? Quos tamen omnes morte Christi redemptos admonet Augustinus. At contra Prudentius solos electos redemptos putat: quod manifestè Scripturæ, Patribus, & Augustino priuatim repugnat. Quòd si Prudentium in illa Pauli Apostoli expositione non iuuat maximus Doctor, meliori iure suas illum in partes adducit Hincmarus cum Iuliano de labe originali disputantem in hæc verba, quæ alibi producta, non piget & hîc repetere: *Vnus inquam pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt: ostendens fieri non potuisse, vt moreretur, nisi pro mortuis. Ex hoc enim probauit omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuus est vnus. Impingo, inculco, infercio recusanti, accipe, salubre est, nolo moriaris, vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Vide quia consequens esse voluit, vt intelligantur omnes mortui, si pro omnibus mortuus est. Quia ergo non in corpore, restat, vt in peccato esse, mortuos omnes, si pro omnibus Christus mortuus est, nemo neget, nemo dubitet, qui se non negat, aut dubitat esse Christianum.* Inuerte propositionem Apostoli, & Augustinum nostrum esse audies. Omnes mortui sunt; ergo pro omnibus Christus mortuus est. Cur enim termini *omnes* distributio vtrobique non sit æqualis? Non potes in antecedente *multos* intelligere quibusdam exclusis, cur in consequente non *omnes* complecteris?

Christi redemptio pro omnibus.

Hincm. l. de præd. c. 18. ex August. l. 6. contra Iul. c. 4.

50. AVGVSTINI IN LIBRO ENCHIRIDION. Miror hunc librum, per se se eximium absque laude à Prudentio citari, quam eius partis scriptores liberalissimè impendunt. Gottes-

Encomium libri Enchiridion.

Gotteſch in Conf. ſ. prolix.

chalcus in confeſſione. *Item in Enchiridion quod ſenex de fide, ſpe, & caritate ſenſu ſubtiliſſimo, ingenio excellentiſſimo, eloquio quoque puriſſimo, ſtiloque luculentiſſimo, mirabiliter ſibi ac ſingulariter Deo fauente, conſcripſit ac edidit.* Lupus quoque Ferrarienſis. *Verba eius poſuit ex libro quem Enchiridion dixit, cui in retractatione cum vellet ſupremam imponere, vt aiunt, manum, nihil quod adijceret, nihil quod detraheret, nihil quod mutaret inuenit.* Poſtremò, hunc ipſum locum citat & Lugdunenſis Epiſtolarius hoc titulo. *Item in libro Enchiridion, quem ad Laurentium Eccleſiæ Romanæ Archidiaconum ſcripſit, de eadem re ita loquitur. Cum Angelica, inquit, & humana creatura peccaſſet,* &c. In quo præter nudum *prædeſtinationis ad pœnam* verbum, nihil à ſuo ſenſu alienum timere potuit Hincmarus.

Lup. Ferr. l. de 3. quæſt. q. 1.

Eccleſ. Lugdun. l. 3. de ep. c. 8.

In Caput VIII.

Opinio Fulgentij.

51. Si de ſolo prędeſtinationis vocabulo in parte reproborum agitur, non fuit cur in deſcribendo Fulgentio poneret operam Prudentius: magiſque placet Gotteſchalci hac in parte breuitas, totum ſemel Fulgentium citantis. *Sed & in vno illo, quem totum ſuper hac tantummodò quæſtione ad Monimum hinc conſulentem cognoſcitur edidiſſe.* Neque minùs ſolerter hoc vidit Epiſtolarius Lugdunenſis, qui de vniuerſo libro præter primum locum nihil excerpſit. Quemadmodum & Lupus Ferrarienſis in Collectaneo: cum ante in tribus quæſtionibus confuſè cum aliis nominaſſet. *Huic non diſſimilia ſanctus Gregorius Papa, Fulgentius, Iſidoruſque ſenſerunt, quorum ego teſtimonia ponere ſuperſedi, ne diu aliorum ſcriptis extentus, eſſet noſter labor ingratior.* Quod non veretur Prudentius, ſperans auctoritatum multitudine aduerſarios obrui poſſe: ac ſimul noui aliquid proferens, ne aliena quadra viuere cenſeretur. Quid autem ad auctorem hunc reſpondeat Hincmarus, indicatum eſt in caput ſecundum.

Gotteſch. ibid.

Lup. Ferr. in Collect.

Idem de 3. quæſt. q. 1.

Auguſtini explicat.

52. Nihil aliud accipiendum existimo in illo S. Avgvstini Sermone. Primarium illo in libro Fulgentii propoſitum eſt, monſtrare prædeſtinationis ad interitum voce, non intelligi à S. Auguſtino, nec omnino intelligi à quoquam debere, interitum peccati & culpæ, ſed tantùm pœnæ & ſupplicii culpæ debiti. Secundarium & minus, oſtendere, non eſſe impropriè loquutum Auguſtinum, cum dixit, prædeſtinatos quoſdam eſſe ad interitum, ſiue ad pœnam, ſuppoſito peccato, ad quod omnino prædeſtinari non poſſunt. Eodem conſilio citat hunc locum Lupus in Collectaneo. Ratramnus autem vtrunque Fulgentii propoſitum affert, ſed ſubdolè hoc teſtimonio abſtinet, ne inter vtraque diſcrimen & ordinem ponere cogatur, nobiſque perſuadeamus tanti eſſe momenti quærere, ſit-ne vox prædeſtinationis a parte reproborum excludenda; quanti eſt docere, neminem à Deo ad peccandum prædeſtinari. Gotteſchalcus verò primis temporibus in priori errore cum Monimo poſitus, vt ex Rabano Mauro iudice manifeſtum eſt; virgis deinde Cariſiacenſibus eruditus, de illo tacuit, & hæſit in poſteriore verbi quæſtione, quaſi ſumma religionis in ea phraſi verteretur, vt videmus in prolixa eius confeſſione. Hincmarus autem earum fraudum ignarus, & vel incauta ſimplicitate, vel nimio diſputationis æſtu abreptus, obiectam ſecundò propoſitionem arripuit, longè profectò leuiorem, & ex Auguſtino ceteriſque Patribus facillimè declaratam. neque clarè in iis qui ſuperſunt libris, priorem, quæ hæretica eſt & impia, à Gotteſchalco aſſertam eſſe oſtendit; quam tamen certum eſt, Moguntiæ & Cariſiaci in Prædeſtinatiano Monacho fuiſſe damnatam.

Lup. Ferr. in Coll. &.

Ratramn. l. 1. de prædeſt.

Parum vtilis locus.

53. Non ergo prædestinati svnt mali. Non tacuit hunc locum Ratramnus, imo plura ex eo deſcripſit, quàm Prudentius: ex quo habet vterque, rectè intellecta prædeſtinatione diuina, neceſſitatem fatalem in actus humanos non induci. Verùm eo non probatur, aut nullos fuiſſe qui prædeſtinationem malè intelligerent, & neceſſitatem atque coactionem inferre crederent; qui fuerunt Prędeſtinatiani, fruſtra omnino tam frequenter exponendo Auguſtinum admoniti, ſi nulli eſſent: aut in eo errore non fuiſſe Gotteſchalcum.

Inutilis.

54. In vtrisqve ergo, id est, ivstis et inivstis. Cur iſtud teſtimonium prætermittit Ratramnus, & alia plura à Prudentio neglecta producit? Quia limatioris iudicii vir in iis quæ profert plus momenti videt ad cauſam, quàm in Prudentiano iſto, ſanè inutili.

Contra Prædeſtinatianos.

55. Qvis ergo pvtet a bono. Conueniunt in recitando hoc teſtimonio Prudentius & Ratramnus, quo conficitur 1. contra Prædeſtinatianos, non prædeſtinari hominem à Deo ad peccatum; ratione præſtantiſſima addita, quia illud ipſe & prohibere, & punire prædeſtinauerat: quomodo autem iuſtè vetaret, quod prædeſtinando fieri vellet; aut puniret, quod fatali decreto coactus homo non poſſet non facere? 2. contra Hincmarum, ſi ſolum prædeſtinationis nomen horret in reprobis; prædeſtinari hominem ad pœnam culpæ merito ſubeundam, atque hoc modo, geminam eſſe prædeſtinationem. 3. Ac nihilominus ad vnam ſuam in duas partes diuiſam redire poteſt ex eodem loco Remenſis. Nam cum ait Fulgentius, Dei prædeſtinatione præparatam eſſe peccatorum aut remiſſionem, aut punitionem, nonne idem quod Proſper profitetur, tantopere laudatum ab Hincmaro, Dei prædeſtinationem aut ad donum pertinere gratiæ, aut ad retributionem iuſtitiæ?

Contra Prædeſtinatianos.

56. Iniqvis avtem prædestinatvm ivstitiæ svæ opvs. Subtiliùs quàm vtiliùs quæritur, verùm prædicat tantum Deus, an etiam promittat mala peccantibus? Neque quam in partem reſponderis, multum nocebis Hincmaro, qui præparari & prædeſtinari pœnas impiis vltrò fatetur. Sed quòd grauiſſima ſupplicia præſcit, & prædicit, & intentat impiis, vt eos vehementer à peccando deterreat, hoc verò facit ad inſtitutum, eoque argumento Prædeſtinatianos, ipſumque Gotteſchalcum fortiter reuincit Rabanus

Maurus, posse illos ad frugem redire, & saluari, atque adeò non esse factos ab initio incorrigibiles, vt aliud quàm perditi esse non possint. Prolatis enim innumeris ex scriptura locis, ita concludit. *Hac ergo omnia regulam sanæ fidei docent, aut peccatoribus pro malis operibus pœnas prædicunt, aut iustis pro benefactis præmia spondent. Et quomodo quisque præsumit dicere, non iustos bona merita adiuuare, neque iniquos peccata lædere, sed vnumquemque prædestinationis necessitate aut coronari, aut puniri?*

Raban. epist. ad Noting.

Hincmarus cum Fulgentio confusus.

57. Tales ad interitvm prædestinavit. Vel ex hoc loco manifestum est Hincmari subtilitatem, volentis pœnas impiis esse prædestinatas, non impios pœnis, à Fulgentio despici, & vtrunque pro vno atque eodem haberi. Probat enim reprobos ad interitum prædestinatos esse, ex Christi decretoria sententia, qua dicit ignem æternum præparatum esse Diabolo, & Angelis eius. Quam significationis communionem si voluisset accipere Remensis à Ruspensi, quid esset in huius doctrina quod illi officeret? Imo coniunctis animis viribusque, ille in veteres prædestinatianos, hic in nouorum principem tenderent.

In Caput IX.

Gregorium sæpe producit Hincmarus.

58. Ex Gregorio paucissima colligit Lupus Abbas, plura Ratramnus, sed alia vt plurimùm, quàm quæ Prudentius, & iudicio meo, haud paulò selectiora. Vix enim in Prudentianis istis quicquam reperies, quo possit Hincmarus vrgeri, si destinationis aut prædestinationis vocem datam reprobationi, exceperis, de qua non contendimus. Ratramnus autem quod primum obiicit, illud vnum videtur à Gregorio esse, quod malè habet Hincmarum, prædestinationes videlicet plurali numero ab eo dici. Cui obiectioni rectè satisfacit Remensis, & hunc illius vocis casum commodè explicat. Cum autem adeò frequenter Gregorium adducat Hincmarus, vt locos ipsos colligere putidæ sit diligentiæ; hac eius professione contenti erimus, vt appareat quod hac in controuersia de ipsius mente iudicium ferat. *Nam quisquis omnes beati Gregorij libros solicita consideratione perlustrare satigerit, ita geminam prædestinationem,* (quæ vox ex Gregorio per Gotteschalcum obiicitur) *vt sicut electi ad vitam, ita reprobi à Deo prædestinentur ad mortem, nequaquam illum dixisse, vel intellexisse reperiet. Sed velut S. Augustinus in libro de Prædestinatione sanctorum, & Prosper contra Gallos dicunt, prædestinationem Dei quæ semper in bono est, quia aut ad donum pertinet gratiæ, aut ad retributionem iustitiæ, in diuinis operibus, quæ semper bona sunt: inter quæ computantur, cùm per indebitam gratiam saluantur electi, & per debitam iustitiam puniuntur reprobi, manifestè confirmat, vti in sequentibus demonstrabimus.*

Ratramn. l. 1. de prædest. Hincm. l. de præd. c. 20.

Ibid c. 9.

Gotteschalc. in Confessione.

Infantes ante baptismum mortui æternum cruciantur.

59. Et illvc ad tormenta pervenivnt. Agit hîc de infantibus Gregorius, quos sola originali labe fœdatos, ait ad tormenta damnari, non ad solam diuini conspectus priuationem. Quæ sententia in mente Augustini tam altè insedit, vt asserere non vereatur, *Multùm fallere & falli, qui paruulos sine baptismo de corpore exeuntes, in damnatione prædicat non futuros, quanquam omnium mitissima*: quòd de suo nihil ad flammas æternas afferant. Cum nihilominus pia & communis sit fidelium opinio illa, quæ in libro de quæstionibus ad Antiochum reperitur (cuiuscunque auctoritatis sit liber ille) neque in regnum, neque in pœnam ituros, quia non peccarunt ipsi. Neque limbum puerorum, à limbo Patrum loco & situ distinguunt Theologi, licet illum æternum fore doceant; at absque pœna sensibili. Putant ergo nonnunquam sibi fideles licere ab Augustino dissentire, etiam sine Pelagianismi periculo.

August. l. de peccat. meritis & remiss. c. 6.

Athanas. l. de quæst. ad Antioch. q. 14. D. Th. Supplem. 3. p. q. 69. a. 6. & 7.

Contra Prædestinatianos.

60. Facile est hominem tvnc divitias despicere. Alibi Gregorius idem affirmat, temporalium bonorum carentiam hominibus intolerabilem videri; possessionem autem fastidiri: spiritalia bona ex aduerso cum absunt, non magnopere desiderari, cum possidentur impensè amari. Hac porro in auctoritate notandum, prædonem alienæ rei, aut vitæ iniustum appetitorem diu tolerari, vt ad pœnitentiam recurrat; quod cum vniuersè de prædone quolibet dicatur, nonne omnes pœnitere posse censentur? At innumerabiles ex eorum numero reprobi sunt, & ad pœnas æternas prædestinati; non sunt ergo sic prædestinati, vt in interitum ire cogantur, vt aliud esse si velint, non possint, quod impia prædestinationis necessitas asserit.

Obduratio.

61. Obdvrare qvippe per ivstitiam dicitvr Devs. Vulgaris hæc est obdurationis & vera explicatio, quam & breuiter exsequutus Lupus Ferrariensis in eodem Pharaonis exemplo ait: *Quemadmodum indurauit cor Pharaonis, non id ad culpam cogendo, sed gratia emollientem à culpa non reuocando.* Sed istud quid ad propositum? Aut cur ingeritur Hincmaro, qui vltrò quod volunt agnoscit? Nam & hunc ipsum Gregorii locum profert; & hac de obduratione magnificè philosophatur, hoc initio. *Facit autem vas in contumeliam, non operando; sed iustissimè deserendo, sicut plena sunt Orthodoxorum volumina tali expositione. Scilicet quia cor Pharaonis iusto iudicio indurauit, quod per gratiam non emolliuit*; & quæ sequuntur plura. Dissipat hæc explicatio calumniam Prædestinatorum blasphemantium homines à Deo in peccatum induci, ac per hoc cogi ad damnationem: fauet eadem Hincmaro, putanti reprobationem absque decreto positiuo fieri, cum electis nonnullis, reliqui in massa damnata deseruntur. Eam profert Lupus Abbas ne cum Prædestinatianis facere putetur: at Prudentius quo consilio tam multa producit?

Lupus Ferrar. epist. ad Hincm.

Hincm. l. de præd. c. 16.

Ibid. c. 10.

Gratia sufficiens.

62. Propter erectionis cvlpam. Morale est quod ab asceticis animaduertitur, superbiæ vitium libidinis tentatione comprimi, peccato puniri: iuste Deo permittente animam suprà se gloriosè elatam ad vilissimam animantium sortem turpiter prosterni atque abiici: vt eo in statu, infuso diuinæ lucis radio

ſe ipſi circumſpiciant, quod in hiſtoria, Babylonio Regi, in Parabola, prodigo adoleſcenti feliciter contigit.

Locus inutilis. 63 NVLLA QVÆ HOMINIBVS IN HOC MVNDO FIVNT. Ne Gentiles quidem Philoſophi, quibus Pronœa nota fuit, hæc ignorant; quæ & ſola tangunt temporalia negotia. Quid igitur faciunt, Prudenti, ad prædeſtinationem ſalutis aut damnationis æternæ? Hoc peruidit Ratramnus, & longè plura ex hoc loco transſcripſit, quæ ad ſpiritalem intellectum referuntur. Subdiditque obſeruationem à magno Pontifice: *Non ſolùm in his quæ ſecundùm corpus homines patiuntur diuinam diſpoſitionem moderatricem oſtendi; verùm etiam in ſpiritalibus profectibus diuinæ diſpoſitionis menſuram eſſe demonſtrari.* Quæ omnia cum certiſſima eſſe fateamur, dici tamen non poteſt qua ratione prædeſtinationem antecedenter neceſſariam comprobent. *Ratramn. de præd. l. 1.*

Lapis offenſionis Gotteſchalci. 64. IPSE ENIM SOLVS EST. Ex ingente illo teſtimonio pauciora decerpſit Ratramnus, quæ propiùs cauſam tangunt; Caput videlicet 17. & priorem 18. partem, quibus de immutabilitate & certitudine diuinæ voluntatis agitur, quæ quandoque ſententiam mutat, conſilium nunquam. Quod & repetit idem Gregorius alio loco. *Quia ipſe immutabiliter, id quod voluerit mutat, pœnitere dicitur, quamuis rem mutet, conſilium non mutet.* Quod fuſiùs explicat D. Thomas in prima parte. Hæc cum per ingenii ſui anguſtias capere non poſſet Gotteſchalcus, hoc potiſſimùm argumento Prædeſtinatianum eſſe ſe voluit, quòd ſi quis ad interitum prædeſtinatus à Deo poſſet etiam antecedenter ſaluari, quia id niſi volente Deo fieri non poſſet, mutari Deum, hoc eſt, interire foret neceſſe. Id qui putat, inquit, *contrarius veritati dum te tam temerariè ſubijcit mutabilitati, tamque variæ & inconſtanti ſubdere non timet inſtabilitati, vt parui pendat ſi ab æterno vſque in diem iudicij mutabilis eſſe (quod abſit) ab Eccleſia tua puteris, imo credaris & prædiceris: & in ipſo quoque die iudicij, quaſi non prædeſtinata faciendo, id eſt, reprobos ad tormenta mittendo, muteris, & ita deinceps in ſempiternum mutatus, id eſt, mortuus eſſe (quod abſit) proberis: (Quodammodo enim moritur qui mutatur, vt Auguſtini, & Gregorij cæterorumque Doctorum auctoritas atteſtatur) Verè, Domine, ſatius incomparabiliter fuiſſet ſi nullus niſi te mutabili (ne dum mutato) creatus eſſet (ne dico ſaluatus) electorum: quantò magis abſit vt immuteris propter vaſa iræ & furoris.* Hæc & plura verboſus & miſerabilis Theologaſter, qui Gregorium pro ſe allegans, oſtendit à ſe non lectum, aut certè non intellectum, quicquid Ratramnus & Prudentius ſocii & amici ſcriptores, ad ſedandos æſtus eius pectoris, & euellendum ſcrupulum ex Gregorio proferunt. Nam Hincmarum idem docentem apud eum appellare, ſuperfluum eſt.

Ratramn. Ibid. *Gregor. l. 10. Moral. c. 25.* *D. Th. 1. p. q. 19. a. 7.* *Gotteſch. Confeſſ. prolix.* *Hincm. l. de præd. c. 12.*

In Caput X.

Male productus locus. 65. SICVT IGNORAT HOMO. Neſcio quid hac in auctoritate peruiderit Prudentius quò dogmatibus Hincmari incommodaret. Conueniẽtiùs præcedentem immediatè ſententiam potuit afferre, de gemina prædeſtinatione, ſiue electorum ad requiem, ſiue reproborum ad mortem, quam explicatam habes ab eodem Hincmaro, vbi *virum doctum* appellat Iſidorum, *& legentibus in multis proficuum.* Atqui nec iſta ex ſe ſe dixit Iſidorus, ſed ex Gregorio attulit, quanquam non penitus ad Gregorii ſenſum, vt putat Hincmarus. *Hincm. l. de præd. c. 9.*

Locus inutilis. 66. QVI SECVLI DELICIIS OCCVPATI. Tropologica hæc eſt Iudaicæ captiuitatis expoſitio, in qua dogmaticum nihil apparet. Nam ſi dicuntur impii *captiui duci in peccatum*, quaſi liberè non peccent: ſanè non minus voluntariam credimus illam ſeruitutem quàm Iudæorum, à quibus ſua vincula facillimè vitari poterant, ira Dei vel nunquam excitanda peccatis, vel ſtatim placanda per pœnitentiam. Et licet compedes & manicæ corporibus ſemel iniectæ liberum ſui vſum homini eripiant; nulla tamen eſt tam dura peccati ſeruitus, quæ liberum homini arbitrium non relinquat. Quòd ſi reprobi iidem *æternis cruciatibus deputati* dicuntur, addictos reipſa intelligendum eſt, vt non æterna prædeſtinatio, ſed iuſtæ ſententiæ executio hoc loco ponatur, vt & in tertio teſtimonio.

67. SIC DIABOLI VIOLENTA PRÆDATIO. Quis non videt fauere Hincmari dictis hoc teſtimonium, quo paratus ignis Diabolo dicitur, non homini: vt & quod ſequitur quartum ordine, quo gehenna impiis præparata narratur? Neque verò poſtremum iſtud tacet Hincmarus, aut vno loco producit, de quo & nos ſuperius nonnihil diximus. *Hincm. l. de præd. c. 12. & 24.*

In Caput XI.

68. QVARTADECIMA QVIPPE GALLORVM OBIECTIO SIC HABETVR. Duas priores auctoritates Proſperi de prædeſtinatione & præſcientia deſumit Prudentius ex Fulgentio Proſperum citante; quas & totidem verbis deſcribit ex eodem Fulgentio Hincmarus, & Proſperum tam crebrò tamque auidè citat, vt omnino ſuum eſſe demonſtret. Quare quàm prudenter appellet Proſperum Prudentius, his maximè locis, ipſe viderit, quando profitetur Hincmarus, ex eius verbis Cariſiacenſia Capitula concinnata eſſe: & Catholicè ab eo ex verbis S. Auguſtini explicatam prædeſtinationem, quæ aut ad donum pertinet gratiæ, aut ad retributionem iuſtitiæ. Librum quoque Vincentianis obiectionibus reſpondentem creberrimè adducit: à quo neſcio quo conſilio manum abſtinuit Prudentius: niſi fateri volumus, agnouiſſe tacitè primos Gotteſchalci errores, ſolidè doctrina eo volumine contenta, refutatos eſſe à Rabano ad Notingum Veronenſem ſcribente, qui cum ſolo illo pene vtatur, oſtendit id ſenſiſſe Gotteſchalcum, quod ante obiecerat Vincentius. *Hincm. l. de præd.* *Raban. epiſt. ad Noting.*

69. NVLLVS OMNINO EST EX OMNIBVS HOMINIBVS. Caput iſtud eſt controuerſiæ quartum, hac tantùm auctoritate in Collectione, extra ordinem probatum à Prudentio: in qua non peruidit tria diligenter obſeruanda. 1. obiectioni Gallorum, videlicet, *quòd* ſecun- *De taxatione ſanguinis Chriſti.*

dùm Augustini doctrinam, *non pro totius mundi redemptione saluator sit crucifixus*, quod falsò dici contendebant; non directè respondere Prosperum, aut ita verè sensisse Augustinum, aut eam sententiam veram esse; sed velut ex obliquo ad tolerabilem sensum Augustini dicta inflectere; adeóque insinuare tacitè, propositionem prout in terminis iacet, veritate non niti, neque crudè secundùm ea verba intelligendum Augustinum. Verumtamen & Prudentius & Gotteschalcus nudam absque scrupulo & verecundia amplectuntur. 2. Expositionem Prosperi aliam non esse, quàm quæ à Theologis vulgò affertur, pretii sufficientiam ad omnes peruadere, actualem saluationem paucis applicari. Sic enim breuiter & apertè in Vincentianis responsionibus, *Quòd ad magnitudinem & potentiam pretij, & quòd ad vnam pertinet causam generis humani, sanguis Christi redemptio est totius mundi. Sed qui hoc seculum sine fide Christi, & sine regenerationis sacramento pertranseunt, redemptionis alieni sunt.* Additque *rectè omnes dici redemptos, & tamen non omnes à captiuitate erutos esse, & redemptionis proprietatem haud dubiè penes illos esse de quibus princeps mundi missus est foras.* 3. Quartum Hincmari caput ex Prosperi verbis esse compactum, vt pluribus locis ostendit, atque adeò idem opinari de copiosa redemptione, quod Prosperum: &, vt inde colligitur, quod Augustinum probè Prosperi sensu intellectum. Possumus insuper addere, Prudentium cum Gotteschalco suo à Prosperi partibus discedere, cùm solos electos, ac non etiam fideles omnes Christi sanguine redemptos asserit, quandoquidem non baptisatos, aut fide præditos tantùm, excludit Prosper ab actuali redemptione: constat autem & regeneratos & fideles plurimos deficiente caritate ad extremum perituros.

Prosper. respons. ad Vincent. c. 1.

In Caput XLI.

70. Dei prouidentiam in rerum humanarum administratione, permissionem in iustorum vexatione, iustitiam in impiorum damnatione, deputatos, siue addictos ignibus æternis sceleratos, & ignes illis præparatos, inuenies in Cassiodoro hîc producto. Hæc autem fieri cogente prædestinatione, per præscientiam vim rebus inferri, reprobos non posse antecedenter saluari, nusquam reperies. Sæpissimè quoque Cassiodori opus in Psalmos, pro se affert Hincmarus, tribus maximè locis, quibus eius dicta conglobat in aceruos: vbi notàdum est ex multis quos citat Psalmis nullum omnino cum Prudentianis conuenire. Alibi tamen Psalmi 82. & Ps. 88. testimonia idem profert, sed vberiùs, quàm Prudentius.

Cassiodorum pro se citat Hincmarus.

Hincm. l. de præd. c.17.23. & 33

Ibid. c. 16.

71. Bedæ presbyteri in libro Hexameron in genesin. Neque Locus hic, quem Apographi lacuna vetat à nobis exhiberi, neque alius (si tamen alius est) ex eodem capite, & Auctore à Lupo Ferrariensi descriptus, in Beda modò legitur: vt hinc colligere liceat, vberiores Bedæ commentarios in Genesim olim extitisse, quàm qui ad nos peruenerunt. Quid autem hoc Bedæ testimonium potest conferre Prudentio, quàm quod extremis verbis continetur, impios *ad incendium præparari*, & vt est apud Lupum, *prædestinari ad interitum?* Quamdiu est cum vocem illam negligimus, vbi nullum extat aliud prædestinatiani erroris vestigium? Ab illo autem longè remotum esse Bedam, ostendit multis ex eo prolatis locis Hincmarus: vbi breuitate & sensu notabilis hæc est eius sententia, *Semper ambigere dicitur Deus, vt libera voluntas homini reseruetur.* Et illustris expositio peccati in Spiritum Sanctum, quod neque in hoc seculo, neque in futuro dimittetur, catholicum sensum egregiè proponit. *Non quòd negemus & ei, si pœnitentiam agere voluerit, posse dimitti ab eo qui vult omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire: sed quòd ipsi indici, & largitori veniæ credentes, qui & se pœnitentiam semper accepturum, & hanc blasphemiam nunquam dicit esse remittendam, credamus hunc blasphemum, exigentibus meritis, sicut nunquam ad remissionem, ita nec ad ipsos dignos pœnitentiæ fructus esse peruenturum.* Vides hominem pœnitere cum Deo posse, si vult, paratum Deum ad veniam dandam & salutem, si pœnituerit, nunquam reipsa pœnitentiam acturum; atque inde damnandum; non quòd saluari non potuerit, non quòd Deus damnare voluerit, sed quòd ipse per pœnitentiam sibi liberam Deum placare noluerit. Ex his, & similibus dictis intelligimus irritum esse illorum conatum, qui Bedam suas in partes attrahere, & eius auctoritate Remensem sperant opprimere. Quid est igitur quod scrupulosè & obscurè ad hanc ipsam ex Beda obiectionem respondet Hincmarus? *Proferunt nihilominus ad suam confirmandam sententiam moderni prædestiatiani* (Schola nimirum dyscola Gotteschalci, quæ illum Bedæ locum decantat ad rauim, non graues illi scriptores, Prudentius, & Lupus) *quia sanctus Beda Presbyter, qui vt in suis opusculis apertè demonstrat, aliter intellexit & tenuit* (quàm isti nuper reexorti Prædestinatiani) *ex verbis sancti Augustini quodam loco in Hexameron,* (quo c. 19. Geneseos enarrat, quique citatur ab aduersariis) *& venerabilis Alcuinus in adbreuiatione commenti Euangelistæ Joannis, quod Sanctus Augustinus copiosissimè ad populum per sermones disseruit, sicut ibidem dictum inuenerant, prædestinatos ad interitum posuerunt.* Atque illud sic ab iis fieri debuisse fatetur. *Nam si aliter quàm in prædicti viri* (Augustini) *tractatibus inuenerunt in suis exceptionibus posuissent* (Beda & Alcuinus) *non alienorum verborum exceptores, sed de alienis suorum potiùs compilatores, quàm compositores existerent.* (Non ipsi antiquiorem scriptorem compilare, quod nos facimus, sed librum de suo componere censerentur.) Summa responsionis est. Sic loqui Bedam & Alcuinum, sed Augustini verbis, non suis. Quid igitur, inquies, minor-ne in ea voce vsurpanda auctoritas Augustini est, quàm Bedæ aut Alcuini? Non hoc, ait, sed scribendo factus peritior, ipse se correxit, & admitti posse verbum fassus est, modò sensui cauere-

Beda opinio.

Lupus Ferrar. in Collect.

Hincm. l. de prædest. c. 5.

Beda sententia notabilis in Luc. l. 5.

Idem in Marc. l. 1. cap. 3.

Responsio Hincmari. l. de prædest. c. 9.

tur. Sed hæc disputet Hincmarus: lis est de simplice verbo, quod vnum pene in plerisque auctoritatibus legimus.

In Caput XIII.

Quæstio non tangitur.

72. Secundum controuersiæ caput istud est, quo contendunt Remenses Prædestinatianis veteribus fauere, aduersarios aientibus in bonis operibus totum agenti gratiæ, arbitrio nostro cooperanti nihil deberi. Lugdunensibus ex aduerso Pelagiani erroris aduersarios accusantibus, qui plus nimio libertati arbitrii tribuant. Vnde his in auctoritatibus nihil frequentius videbis, quàm infirmitatem arbitrii, gratiæ vim & necessitatem prædicatam: hoc enim consilio illas à se collectas non inficiatur Prudentius aduersus Scotum disputans, vt absque gratiæ dono libertatem arbitrii ad bonos conatus nihil valere confirmet. Quod cum nullo modo veniat in quæstionem apud Hincmari partem, quæ verè nullo vnquam lapsu in Pelagium inclinauit, quicquid ad creandam inuidiam contra calumniati sint æmuli, quàm multa necessarium est hoc capite legi superflua?

Prudent. l. contra Sco. c. 4.

73. LIBERVM ENIM, INQVIT, ARBITRIVM. Verissimum istud magni Pontificis effatum, vt sensui suo plurimùm conueniens libentissimè profert Hincmarus non vno loco, & quidem pleniùs quàm Prudentius, & addita Cælestini auctoritate, quò firmiùs consistat.

Hincm. l. de præd. c. 24 & Epil. c. 4.

Zosimus deceptus à Pelagio.

74. EX EPISTOLA AFRORVM EPISCOPORVM. Zosimus ineunte Pôtificatu à Pelagio Cælestio deceptus, grauibus litteris Africanos Episcopos, perpetuos talium hæreticorum hostes, in quibus erant Aurelius, Augustinus, Alypius, Possidius, pulsauerat; tanquàm qui temerè & præcipitanter homines *absoluta fidei*, accusantibus Herode & Lazaro *turbinibus & procellis Ecclesiæ* opprimerent. Hanc increpationem ægro ferentes animo Africani, querulis & ipsi litteris Pontificem conuenerunt, indignati manifestos, & à decessore Innocentio damnatos hæreticos iterum audiri, & pro Catholicis haberi. Quod breui narratione complexus Facundus Hermianensis, ita scribit: *Inuenient postremò beatum quoque Zosimum Apostolicæ sedis antistitem, contrà sancti Innocentij decessoris sui sententiam, qui primus Pelagianam hæresim condemnauit, fidem ipsius Pelagij, eiusque complicis Cælestii, quem in Ecclesia Carthaginensi conuictum, atque appellantem Apostolicam sedem, & ipse gestis discusserat, tanquam veram & Catholicam laudantem. Insuper etiam Africanos culpantem Episcopos, quòd ab illis hæretici crederentur; cum necdum ipsi Africanis Episcopis, dolos eorum multò manifestiùs detegentibus, memoratos Pelagium & Cælestium putaret orthodoxos.* Hanc isto loco citat Epistolam Prudentius, cuius jacturam lugemus, permisitque Deus & naufragii tabulam, fragmentum istud Prudentianum, è manibus nostris elabi, tacente hîc apographo: ac nisi contrà Collatorem disputasset Prosper, pauci quidã versus ab eo prolati etiam penitus interissent, qui tamen præclaram Africani illius Concilij speciem in animo meo informat, cum scribit. *Errauerunt ducenti quatuordecim sacerdotes, qui in Epistola, quam suis constitutionibus prætulerunt, ita Apostolicæ sedis antistitem beatum Zosimum sunt allocuti: Constituimus in Pelagium atque Cælestium.* & quæ sequuntur, à Prudentio alibi citata, sed non aliunde, quàm ex Prospero, vt legenti patebit.

Extat Epist. apud Bin. ad an. 417. Tom. 3.

Facund. l. 7. c. 3.

Prosp. l. contra Collat. c. 10.

Prudent. l. contra Scot c. 4.

Hæreticorum in Catholicos calumnia.

75. MANICHÆOS APPELLAT CATHOLICOS. Ea calumnia, quâ solent hæretici in vno extremorum pernicaciter hærentes, oppositi extremi Ecclesiam accusare, quæ medium in fide tenet. Pelagiani enim plus iusto tribuunt arbitrio humano; Prædestinatiani totum soli gratiæ, exclusa hominis cooperatione assignant: catholici gratiam vocant in præcipuam bonorum operum partem, & eos inde criminatur Pelagianus vnum facere cum Prædestinatianis. Atque hi, quoniam prædestinatione cogi homines putant ad malum, ad peccatum, ad mortem, fatalis necessitatis apertè rei sunt, & in mali principio cum Manichæis aliquo modo conueniunt. Ita & falsum, & longè adscitum est Iuliani conuicium; eò tamen vsurpatum plausibilius, quòd Augustinum doctrinæ catholicæ principem, olim Manichæum extitisse constaret.

Liberum arbitrium quale perditum.

76. QVIS AVTEM NOSTRVM DICAT. Originalis iustitiæ fuit ea prærogatiua, & tam exuberans gratiæ copia, vt Adamus in omnes & singulos bonos actus sponte, absque nouo gratiæ interioris auxilio posset prorumpere. Nos eam illius crimine sine dubio perdidimus, neque aliud intelligunt Patres, qui liberum arbitrium perdidisse nos aiunt. Nemo autem catholicus vnquam docuit, eam libertatem quâ positis omnibus ad agendum requisitis, sit agere possumus, aut non agere, fuisse hominibus ereptam, quando ea voluntatis humanæ natura est; gratia autem excidimus in primo parente, non natura.

Asseritur Augustinus contrà Prædestinatianos.

Hincm. l. de præd. c. 7.

77. AVGVSTINI DE CORREPTIONE ET GRATIA. Quoniam postrema hæc est Augustini auctoritas, & ad metas quæstionis peruenimus, placet maximo doctorum vale Hincmari verbis dicere. *Et quia plus sensu pertinacibus, quàm vinacibus, & potiùs curiosis quàm studiosis cogimur respondere, dicamus illis quod S. Augustinus in libro de Prædestinatione sanctorum suis respondit derogatoribus, &c. Vnde & explosor, imo quicumque fuerint de Schola Gottescalci moderni Prædestinatiani, quia audierunt quæ B. Augustinus, & S. Prosper scripserant contrà Gallos, accipiant quæ idem B. Augustinus scripserat contra Africanos Prædestinatianos in libro de Correptione & Gratia, de quo S. Prosper ad B. Augustinum dicit in Epistola pro huiusmodi negotio ad illum directa.* Et quæ sequuntur.

78. LIBERTATI ARBITRII SVI COMMISSVS EST HOMO. Quocumque tandem animo Gennadium hic audias lector, & illum pro catholico habet Prudentius, qui post Augustinum, Prosperum, Innocentium, Gregorium, sine exceptione & discrimine citat: & hunc locum sanum putat & integrum, fuisque

que vtilem dogmatis, quem totum voluit producere, cum ab eo manum nullo negotio posset abducere. Nonne hoc facto Gotteschalcum confutat *erroneas opiniones Maßiliensis Gennadij, qui plerisque præsumpsit in locis*, Rabano Moguntinensi obiicientem? Audi eius hac ipsa in re præsumptionem, eodem ex libro quem citat Prudentius. *Nullum credimus ad salutem, nisi Deo inuitante venire: nullum inuitatum salutem suam, nisi Deo auxiliante operari: nullum nisi orantem, auxilium promereri, nullum Dei voluntate perire, sed permissu; pro electione arbitrij, ne ingenuitas potestatis semel hominibus attributa, ad seruitutē cogatur necessitate.* Quid ab Augustino ipso magis Catholicum expectes? Sanè Gennadii librum opera Gelasii correctum, atque ipsum auctorem factum planè Catholicū, & vita laudabilem: vt qui etiam ab Hadriano in Epistola ad Carolum Magnum, inter sanctissimos Pontifices nominetur, in hæc verba. *Sanctißimorum Pontificum hæc oblata sunt testimonia; id est, S. Gennadij Maßiliensis Episcopi, qualiter veneranda sunt corpora & reliquiæ sanctorum.* Hæc, inquam, & plura de Gennadio, narrat Illustrissimus Didacus Aluares, clarissimus Physicæ prædeterminationis assertor.

Gotteſch. apud Hincm. l. de præd c. 21.

Gennad. l. definit. Eccleſ. dog. c. 26.

Did. Aluar. l. de orig. Pelag. hæresis c. 24. n. 13.

Hic tandem manum de tabula tollimus cum Prudentio non sine stupore, quòd tanto labore, tot temporis & operum impensis nihil egerit. Nullo enim ex omnibus prolatis loco, non duobus, non vno, verum quæstionis statum probauit: nullum nominauit auctorem quem pro se Hincmarus non alleget: Quin etiam illarum auctoritatum plerasque, in suis numerat idem Hincmarus. Planè vt Prudentium putes variæ lectionis supellectilem ostentare, non dogmata sua veterum dictis confirmare voluisse. Et hoc apud Hincmarum & Pardulum, Deus immortalis, quales viros! Quam multi modò ad hoc exemplum vel asseclis suis fucum facere, vel ingenii & doctrinæ famam colligere, longis & aceruatim congestis sanctorum Patrum citationibus affectant, quæ nihil magis probant, quàm nostrates curiosos in Atheniensium mores migrasse, qui *ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid noui.* Sed veniet aliquando Dominus cum Apostolo Paulo, & oratore gratiæ cælestis Augustino, cognoscetque, *non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem: non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute.*

Conclusio.

APPENDICIS MISCELLANEÆ AD HISTORIAM GOTTESCHALCI.

OPVSCVLVM IV.

FRAGMENTVM S. AVGVSTINI, DE LIBERO ARBITRIO.

Ex Libris posterioribus contra Iulianum à solo Lupo Ferrariensi productum.

PRÆFATIO.



Vt auri ramenta, aurum sunt, & cupidè colliguntur ab auaris, sic omnia Augustini dicta pretium suum ferunt, & in ærarium Theologiæ debent inferri. Eius generis est Fragmentum illud, quod solus Seruatus Lupus Abbas Ferrariensis ab interitu vindicat, ex libris ad Iulianum summo Doctorum omnium mærore deperditis: quem locum V. Cl. Mauginus, quem ab operis nomine Dissertatorem appellamus, insignem vocat, & vsque adhuc seculo nostro ignotum. *Vt non intempestiue in hac Appendice appareat, qua nouè aliqua veterum scripta proferimus. Nec procul à Prudentio, qui libertatem arbitrij inter quæstiones quas modò disputabat, non potuit omittere. Et certè momenti non nihil ad explicandam quæstionem in eo inesse, oportet, quem omissis pluribus alijs vnum seligit Lupus; & ab eodem suauiter regustari*

Ratio huius tractatus producendi.

Dissert. 25.

quem duobus in Opusculis libenter adducit. Dissertatoris quoque palato mirum in modum sapit, quandoquidem eo descripto, quæso attendant, *inquit*, qui tanta pertinacia æquilibrem, *(putes de statera loqui, & monetæ examine)* & versatilem suam indifferentiam, pro germana Liberi Arbitrii essentia in scholis venditant. *Eius igitur voluntati obsecundantes, ante omnia, S. Augustini verba, prout à Lupo enunciantur, afferimus; tum quod nos facere iubet,* attendimus, *& veram S. Augustini doctrinam de Libero Arbitrio, his alijsque verbis contentam exponimus.*

Ibid.

FRAGMENTVM S. AVGVSTINI quale à Lupo Ferrariensi profertur.

SIc igitur Lupus Ferrariensis libro de tribus quæstionibus q. 1. de Prædestinatione. Hoc vnum tamen occultare non passus sum, quod inter alia de Libero Arbitrio acutissimè deprehendit *Augustinus*: Liberum, inquit, Arbitrium congenitum & omnino inamissibile si quærimus, illud est, quo beati esse volunt etiam hi, qui ea nolunt quæ ad beatitudinem ducunt,

Locus S. Augustini ex libris contra Iulianum.

Et in Collectaneo versùs finem, idem fragmentum vberiùs educit, atque adeò S. Augustini doctrinam de Libero illo Arbitrio pleniùs edisserit, in hunc modum.

Liberum arbitrium naturale.

Idem auctor in memorato opere contra Iulianum: Hominis, inquit, Liberum Arbitrium congenitum, & omnino inamissibile illud est, quo beati esse omnes volunt, etiã hi, qui ea nolunt quæ ad beatitudinem ducunt. Item post multa. Quid sic fugit natura, vt miseriam? quid sic appetit vt beatitudinem? Denique Liberum Arbitrium quod de hac re habemus, ita nobis naturaliter insitum est, vt nulla miseria nobis possit auferri, quo miseri esse nolumus, & volumus esse beati: vsque adeo, vt etiam ipsi qui malè viuendo sunt miseri, malè viuere quidem velint, nolint tamen esse miseri, sed beati. Hoc est illud arbitrium in nostris mentibus immobiliter fixum, non quo bene agere volumus (nam id humana iniquitate potuimus amittere, & gratia possumus diuina recipere) sed Liberum Arbitrium quo beati esse volumus, & miseri nolumus, nec miseri possunt amittere, nec beati. Item post pauca. Hoc arbitrium liberum adiuuatur per Dei gratiam, vt quod naturaliter volumus, hoc est, beatè viuere, benè viuendo habere possimus.

al. quod. al. & volumus beati.

Quòd reatus peccati, regeneratione, hoc est baptismate, soluatur, conflictus tamen eius adhuc maneat, in eodem opere memoratus auctor expressit. Quid litigas, inquit, de concupiscentia litigante; hoc est, de lege in membris repugnante legi mentis? Lex peccati dicitur, quia suadet peccata, atque vt ita dixerim, iubet: & si ei mente seruiatur, sine excusatione peccatur. Peccatum dicitur, quia peccato facta est, appetitque peccare. Reatus eius regeneratione solutus est, conflictus eius ad agonem relictus est. Malum est, clarum est. Non viribus nostræ voluntatis, vt putas, huic obsistimus; nisi diuinitùs adiuuemur. Debellandum hoc malum est, non negandum: vincendum non defendendum.

Concupiscentia.

al. appetitio ne peccaret. al. malum esse, vel melis eius. al. non differendum. Lucta spiritus.

Item post rerum aliarum amplissimam disputationem. Tam, inquit malignum est hoc seculum, vt nisi exitum hunc fuerit, promissa requies nobis adesse non possit. Quamuis per præuaricationem primi hominis labor posteris eius aduenerit; tamen etiam reatu præuaricationis illius quem traximus iam soluto, vt fidei exerceatur examen, labor remanet ad certamen. Oportet enim nos certare cum vitijs, & in ipso certamine laborare, donec donetur nobis aduersarium non habere. Quapropter vt boni præliatores perducantur ad præmia, supplicia vertuntur in prælia. Paruulorum quoque soluto reatu, originaliter, propterea labores manent, quamuis ex ipso reatu doceantur exorti, quia etiam sic Deo placuit, fidem probare maiorum. A quibus enim offeruntur vt regenerentur, qualis & quanta fides esset rerum inuisibilium, si visibilis remuneratio continuò sequeretur? Ac non potiùs dilata requie quæ promittitur, ageretur fidei negotium, cum corde, non cum oculis, ac sic futurum seculum, vbi nulli labores erunt, quod nondum videtur, & crederetur sinceriùs, & desiderabiliùs quæretur? Ac per hoc Deus labores nostros, id est, pœnas nostras, ad vtilitates nostras mirabili benignitate conuertit.

al. vertantur.

Item in eodem opere. Quoniam post pristinam ruinam, inquit, tam grauem, vt in huius mortalitatis miseriam caderemus, priùs Deus nos certare voluit, donans nobis

vt eius agamur spiritu, & mortificemus opera carnis; atque ipso dante victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum, in æterna cum illo postea pace regnemus? Profectò nisi Deus adsit, nemo potest certare cum vitijs; ne sine certamine protrahatur ab eis; aut ne iam certans, in ipsa eorum conflictatione vincatur. Ideo in hoc agone magis nos Deus voluit orationibus certare quàm viribus; quia & ipsas vires, quantas hîc habere nos competit, ipse subministrat certantibus, quem rogamus. Si ergo ij, quorum contra carnem iam spiritus concupiscit, ad singulos actus indigent gratia Dei ne vincantur, qualem libertatem voluntatis habere possunt, qui nondum de potestate eruti tenebrarum, dominante iniquitate, nec certare cœperunt; aut si certare voluerunt, nondum liberatæ voluntatis seruitute vincuntur? *Necessitas gratiæ.* *al. petiratur.*

Ista ex opere posteriori contra Iulianum, excerpit in Collectaneo Lupus Ferrariensis, nobis hactenus incognita, si secundum Caput excipis, quod est de concupiscentia litigante aduersus spiritum. Postquam alia nonnulla in prima quæstione de prædestinatione protulit, à nobis omissa, quoniam in libro priore duorum à V. Cl. Menardo publicatorum, leguntur. Quanti autem lucubrationem illam faciat, vel hinc discimus, quòd tanquam cygni morientis vocem exhibet. In opere, *inquiens,* quod (vt Prosper testis est) vltimum contra Iuliani libros, inter impetum Vvandalorum, in ipso dierum suorum fine cõposuit, gloriosè in defensione Christianæ gratiæ perseuerans, sic loquitur. *Hæc autem & similia laudat Ferrariensis Abbas, vt de Libero Arbitrio, & ad benè per illud operandum gratiæ diuinæ necessitate, quid sit sentiendum ex Augustino declaret, quem præcipuum rei vtriusque doctorem agnoscit.* Quid enim sentiendum sit de libero arbitrio, & gratia Dei, sicut nemo tam laboriosa indagine vestigauit, nemo tandiu vt ille versauit; Ita, vt pace cũctorum dixerim, nullus vtrũque tanta veritatis proprietate inuenit, nullus tanta eloquentiæ vbertate asseruit, nullus inexpugnabiliũ argumentorũ copia tanta defendit. *Dissertator autem amplissimus vir optimus, ratus totam arbitrij liberi naturam & essentiam, paucis illis versibus contineri, quos vtroque loco, libello videlicet de tribus quæstionibus, & in Collectaneo describit Lupus, de arbitrio congenito & inamissibili, iubet nos* maximè obseruare præ ceteris, aureũ illud de libero arbitrio, quod indifferentiam Peripateticam in Societatis, & aliorum etiam scholis tam solenniter decantatam, ab essentia & natura liberi arbitrij penitus amouet. *Existimat ergo Theologus Monetalis quod dixi, verbis illis arbitrij liberi essentiam & naturam tradi ab Augustino; deinde, illius essentia sic explicata, proscribi & exterminari per Augustinum indifferentiam illam, quâ liberum arbitrium dicitur, potestas esse agendi & non agendi positis omnibus requisitis. Illam tamen indifferentiam postremò agnoscit & Peripateticam esse, & in alijs, quàm Societatis scholis solenniter decantari. Quæ dicta plenius aliquid, magisque Augustinianum, de quæstione vbique modò solenniterdecantata, à nobis efflagitant.* *Iudicium eius libri.* *Lupus in Collect.* *Augustini encomium. Idem l de 3. quæst. 4.2.* *Dissert. c. 16.*

SECTIO I.

Variæ Libertatis & Liberi Arbitrij acceptiones in S. Augustino.

Vm Iulianus dictum Ioannis enarrans, *Veritas liberabit vos,* & negans à Iuda is intellectum esse, respondentibus, *Nemini seruiuimus vnquam,* diceret Augustino, *Multis modis libertas appellari solet, vt in hoc loco, sanctitas; vt resurrectio in Apostolo, vbi dicit creaturam liberari à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei, vt libertas quæ notior est, ad distinctionem dicitur seruitutis.* Atque adderet, *eo autem nomine & libertas nuncupatur arbitrij. Diuidantur ergo causæ, ne res multùm distantes, confundantur nominis communione.* Augustinus ex aduerso respõdens, illas verbi significationes sine censura permittit currere, & silentio suo confirmat. Quòd enim opponatur libertas seruituti, etiam in moribus, frequentissimè docet, cum seruum peccati liberum iustitiæ pluribus exponit. D. autem Thomas è iure ciuili, status hominum in libertate & seruitute collocat, *siue in spiritualibus,* inquit, *siue in ciuilibus.* Sed quia tacitus ille magni Doctoris consensus nostram quæstionem parum adiuuat, in expressa doctrina proximè illam contingendo, *August. l. 1. contra Iul. c. 85. Ioan. c. 8. Rom. c. 8.* *D. Th. 2. 2. q. 183. a. 1.*

Aio, Liberum Arbitrium dici ab Augustino voluntatem hominis, quæ libera est & omnis actus liberi parens. Est enim illa *natu-* *Voluntas ipsa liberum arbitrium est.*

ra congenita inamissibilis, quam nullum peccatum violare, nulla vis homini potest eripere, quandiu homo erit. Hic est rationalis appetitus, sui potens, facultatum & actionum suarum dominus, quem soli negant, qui se homines esse nesciunt, aut nolunt. Communis hic est omni naturæ intelligenti, Diuinæ, Angelicæ, humanæ: brutis animantibus inconcessus, quæ non agunt ex ratione, nec agunt propriè, sed aguntur: à principio quidem intrinseco, & inde naturaliter; sed necessariò, &, vt sic loquar, necessitante, & inde violento. Aperta nimirum S. Thomæ doctrina est, post Damascenum affirmantis Liberum Arbitrium nihil aliud esse, quàm voluntatem: neque duas esse potentias illas, sed vnam. Addit etiam Liberum Arbitrium vi vocis ipsius actum quendam inferre, sed ex communi vsu loquendi, *Liberum Arbitrium dici, id quod est huius actus principium, scilicet, quo homo libere iudicat.* Quæ res notam nobis reddit definitionem voluntatis ab Augustino traditam: *Voluntas est motus animi cogente nullo ad aliquid vel non amittendum, vel adipiscendum.* Voluit enim per actum efferre, facultatem illam, cuius tota vis est in agendo. Sed eam extra definitionem mox considerat, cum ait, peccatum *si liberum non sit, non esse voluntatem.* Cur hoc, nisi quia voluntas est libertas?

D. Th. 1. p. q. 83. a. 4.

Ibid. a. 2.

August. l. de duab. animab. c. 10.

Ibid. c. 11.

Progrediamur igitur ad actum. Versari debet illa potentia circa finem & media. Finis generalis quidam est, quo sua omnia refert: est & particularis, singularum actionum terminus. Generalis ille, est beatitudo, cuius appetitum, Liberum Arbitrium hoc quem tractamus loco, vocat Augustinus. *Quo beati esse volumus, & miseri nolumus.* Id alio schemate Philosophi efferunt, ferri voluntatem in bonum semper, nunquam autem in malum quà malum. Hic appetentis naturæ status, tam est immobilis, quàm natura ipsa. Liberum videlicet arbitrium *congenitum, & omnino inamissibile: arbitrium in mentibus nostris immobiliter fixum. Quid* enim *sic fugit natura, vt miseriam; quid sic appetit, vt beatitudinem?* Et illud prius, & istud posterius in beatis non perseuerat modò, sed etiam perficitur: quia summo bono, verissimo fine, & obiecto suo abundantissimè nullo prohibente perfruitur. Hoc in damnatis Angelis hominibusque inter sempiterna viuicomburia perennat; quia fine atque obiecto suo irreparabiliter caret, eaque priuatione horrendum in modum cruciatur. Atque illa est origo Ioannis Scoti somniorum, ex his, vt licet credere, verbis malè deductorum; quòd natura illa boni essentialiter appetens, a bono Deo facta, non possit esse non bona; adeoque pœnam non mereatur: vnde colligit, nullam naturam puniri. Et quoniam inamissibilis est appetitus ille, addit, eam naturam in ipsis etiam ignis inferni rogis suo pasci obiecto, integritate gaudere, boni appetentia frui: licet ineffabili modo voluntas mala, quam in eis Deus non fecit, sed punit, corporis qualitatibus alligata, & reluctans, pœnas patiatur æternas.

Appetitus beatitudinis est liberum arbitrium.

Sic explicatur locus productus.

Liberum Arbitrium in beatis.

Origo errorum Ioannis Scoti. l. de vn. prædest.

Sed dices, si est appetitus ille *inamissibilis, & immobiliter fixus*, quomodo tandem dici potest Liberum Arbitrium? Si est amor finis, & quidem necessarius, vt pote naturalis, quis credat circa illum versari libertatem? Nonne & in eo bruta conueniunt cum homine, quin & ipsa sensu vitaque carentia corpora, quòd ad bonum naturæ suæ debitum, id est, ad finem (bonum enim & finis conuertuntur) impetu feruntur, malum autem eodem odio defugiunt? Quid enim est bonum? Quod omnia appetunt. Quid est finis? Quò tendunt omnia. Omnia inquam, non omnes: tota rerum vniuersitas, & singulæ eius partes, non solæ intelligentes naturæ. Quapropter cum res omnis creata, siue rationis expers, siue compos, appetitu sibi congenito, inamissibili, immobiliter fixo, in bonum sibi conueniens necessariò & determinatè feratur, & hæc ipsa natura dicatur & sit, quis non miretur, ab Augustino liberum hominis arbitrium in eo constitui, quod habemus cum rebus omnibus commune? Qualem hominem fingimus, brutis animalibus, & fungis, cautibus & saxis dominante sui parte simillimum? Imo hoc etiam minorem, quòd res aliæ, si quid naturaliter appetunt, cum nulla vis externa prohibet, id consequantur; homo ab eo in quod naturali fertur impetu, lubens ipse volensque aberret, sibique ipsi statum violentum imponat. Quam porrò affingimus merito sedem, cum in hanc bruta recipimus, si mereri putamus eum, qui naturali necessitate id faciat, à quo penitus abstinere non potest? Idem de peccato dicimus, in quo exigit Augustinus ipse, vt fiat id quod iustitia vetat, *& vnde liberum est abstinere.*

Obiectio.

Omnia bonum appetunt.

August. l. de duab. animab. c. 12. cit.

Respondeo in primis, hac tota oratione, & absurdis omnibus legitimè illatis, non Augustinum premi, sed prauam Augustini interpretationem, ridiculè à Dissertatore Præside assertam, his verbis: & hac Liberi Arbitrii explicatione ab Abbate Lupo commemorata, contineri *naturam* eius *& essentiam*, à qua Peripateticam indifferentiam penitus amoueat. Quis enim dictum istud vnquam pro vera & absoluta Liberi Arbitrii definitione accepit, qua eius *natura & essentia* declaretur? Quo hic vocabulo genus, quo differentia, partes definitionis essentiales, appellantur? Quid enunciat illa propositio, quod habeat Liberum Arbitrium cum aliis commune, quid singulare, quo ab omnibus secernatur? Imo verò nihil minùs istud est quàm liberum, vt pote maximè & intrinsecè necessarium, ad quod à natura ipsa ita sumus determinati, vt omnino aliud esse non possimus: quod antecedenti necessitate ad vnam tantum partem, & quidem semper rapit; ad alteram verò nunquam nos allicit.

Responsio contra Dissertatorem.

Quomodo igitur istud Augustini Liberum Arbitrium intelligi oportet? Respondeo a. isto & similibus locis considerari ab Augustino Liberum Arbitrium actiuè, præter communem Philosophorum morem, a quibus passiuè solet accipi. Rem explico. Fatemur omnes ferri voluntatem, quæ libera potentia est, in obiecta duo, finem & media: illud præcipuum est quo feruntur cetera, & motiuum quo voluntas excitatur ad agendum. Quam excitationem appellat philosophia, intentionem finis. Istud, obiectum est terminatiuum, electionis, qui proprius libertatis actus est, materies. Hunc actum electionis

Explicatur Augustinus.

Voluntas tendit ad finem, electio ad media.

qui primò liberè fit, vulgò scholæ vocant liberum arbitrium, & passiuè speculantur. At Augustinus in finem magis intentus, eius amorem vult esse liberum, sed actiuè, quatenus electionem mediorum imperat, & liberè facit: estque istud Liberum Arbitrium nihil aliud, quam voluntas dominans in homine liberè agente, & tendente ad finem, seque & potentias alias ad eligenda media applicante. Neque abludit Peripatetica Philosophia, dicente Principe. *Voluntas quidem magis est ipsius finis, electio autem eorum quæ ferunt ad finem. Vt sani quidem esse volumus, eligimus autem ea quibus erimus sani: & felices quidem esse volumus, atque ita dicimur; eligimus autem, non conuenit dicere.* Quibus verbis exponuntur Augustiniana illa, *vt quod naturaliter volumus, hoc est, beatè viuere, benè viuendo habere possimus.*

Aristot. l. 3. Ethic. ad Nicom. c. 2.

Verùm communem quam diximus arbitrii liberi significationem ab Augustino non negligi, quin potiùs vsurpari creberrimè, docent loci passim obuii, & quæ contra Manichæos disputat, naturam vnam ad bonum, aliam ad malum determinatam somniantes. Quid est enim liberum arbitrium, quod Præses eruditus peripateticum appellat? Opinor potestas agendi ex ratione, & cum electione. Quid est actio libera? Idem quod electio, quia idem est agibile, & eligibile. Potentiam igitur liberam consideremus agentem, voluntatem quâ libera est, arbitrium in actu secundo, quod reipsa operatur, & aliquid efficit; si voles, arbitrium vsuale, quod in vsum educitur: hoc aio apud Augustinum passim occurrere, & à superiore distingui. Nam aduersùs Manichæos agens vtrunque primò coniungit, probans hoc primum, habere nos voluntatem, eamque bonam, & hanc esse, *qua appetimus benè honesteque viuere, & ad summam sapientiam peruenire.* Vbi finem breuiter & media complectitur: mox disiungit, neminem hominem non omnibus modis velle, atque optare beatam vitam, sed *voluntate illam mereri, voluntate etiam miseram* eos mereri, *qui sint ita miseri vt accipiant.* Certè voluntas vitæ beatæ, re aliqua differt à voluntate miseram merente. Liberum illud voluntatis arbitrium addit à Deo datum esse ad bene agendum, eo tamen malè vtentem, excidere à vita bona & beata, & id voluntate fieri, non necessitate. Quia mens *nulla re fit serua libidinis, nisi propria voluntate.* Illius finis actualem consecutionem in eligentis esse potestate. *Quid autem quisque sectandum & amplectendum eligat*, (vt ad beatitudinem rationi propositam perueniat) *in voluntate positum esse constitit, nullaque re de arce dominandi, rectoque ordine mentem deponi, nisi voluntate*, mala media ad finem optimum eligente. Sed quid vtriusque significationis discrimen aliundè quàm à nostro Collectaneo expiscamur? Nam de priore, in quo tunc solo versabatur, vbi dixit, *illud arbitrium in nostris mentibus immobiliter fixum*: statim diuersum aliud subiungit, *non quo benè agere volumus.* Eamque diuersitatem probat, *nam id humana iniquitate potuimus amittere, & gratia diuina possumus recipere.* Aliud igitur ab eo quod inamissibile & immobiliter fixum est.

Potestas agendi liberè est liberum arbitrium.

August. l. de Lib. Arbitr. c. 12.

Ibid. c. 14

Idem. l. 2. c. 1. &c.

Idem l. 3. c. 1.

Idem l. 1. c. 16.

Lupus Ferrar. Collect.

Istud ergo Liberum Arbitrium posteriùs nominatum, duplex iterum est, nisi & triplex malis esse: hoc est, liberi arbitrii, vt vulgo sumitur, status triplex. Est enim sanum & vegetum, vt in Adamo; saucium, vt in quolibet nostrùm absque gratia; sanatum per gratiam. Deus enim fecit hominem rectum ab initio, adeo exundante gratia munitum, vt ad bonum omne facile propenderet, atque ad illud exequendum nullo superaddito gratiæ singularis egeret auxilio. Illud est, quo *malè vtens & se perdidit, & ipsum: non quasi naturam suam in qua naturaliter habet insitam liberi arbitrij voluntatem perdidisse intelligendus sit*, vt rectè Lugdunensis de Tribus Epistolis exponit, *non enim perdidit naturam, sed bonum naturæ: non perdidit velle, sed perdidit bonum velle*: quod ante quidem Dei solius beneficio possidebat, sed acceptum semel ad bonas omnes actiones poterat extendere. Hoc est arbitrium quod perditum dicitur & mortuum: & iam sponte nostra propendemus & labimur in malum; ab eo autem emergere, aut boni micam vel sola cogitatione concipere, absque præueniente, & excitante Dei per Christum gratia, omninò non possumus. *Qui non infertur in tentationem*, inquit Augustinus citatus à Lupo, *non discedit à Deo; non est hoc omnino in viribus liberi arbitrij, quales nunc sunt; fuerat in homine antequam caderet.* Rem totam non dico contra Pelagianos & eorum reliquias, Augustinus & Prosper, sed Patres omnes omnibus libris inculcant, vt & controuersiæ prædestinatianæ tractatores, atque Lupus hic noster, prima de tribus quæstione fusiùs prosequitur, quòd in ea disputationis de Libero Arbitrio cardo versetur.

Liberum arbitrium.

Sanum Saucium sanatum.

Eccles. Lugdun. l. de 3. ep. c. 21

Lupus Ferrar. in Collect.

Idem l. de 3. quæst. q. 1.

Quid igitur causæ est, inquies, cur Liberum Arbitrium inamissibile, & immutabiliter fixum ex Augustino protulerit, si tractandum fuit de perdito? Coëgit nimirum dogma Gotteschalci, docentis imperitè, post Adami peccatum, nullum nobis superesse Liberum Arbitrium ad bene agendum, sed tantùm ad peccandum: vnde sequitur peccare nos quidem; liberè autem agere non nos, sed Dei gratiam, necessitate animos nostros ad opus trahentem. Fuit igitur in vtriusque arbitrii liberi expositione monstrandum, quid naturaliter nobis congenitum sit, quid à Diuina gratia donatum; quid amissum peccato, retentum in natura: fuit aut excitandus Gotteschalci stupor, aut dedocendus error, declarata vtriusque arbitrii apud Augustinum notione: vt Gotteschalcani discipuli audientes dicentem, *Libero Arbitrio malè vtens homo, & se perdidit, & ipsum*: recordarentur etiam dixisse eundem, *Liberum Arbitrium & ad malum & ad bonum faciendum, confitendum est nos habere*, quia est aliquod Liberum Arbitrium *congenitum & omnino inamissibile*, libertas videlicet naturaliter insita voluntati: est Liberum Arbitrium deperditum in Adamo, potestas ad benè agendum per se, diuinitus excitata.

SECTIO II.

In Libero Arbitrio indifferentiam Augustinus agnoscit.

AB illo Libero Arbitrio quod modò speculamur, quo agimus vt homines, ex ratione, cum electione, quale semper considerauit Aristoteles, Peripateticam indifferentiam in Philosophorum scholis decantatam, per Augustinum penitùs amoueri, Præsidis amplissimi Dissertatoris opinio est, soli meridiano exponenda, si vel radium veritatis ferre iudicabitur.

Voluntas ad vtrum libet indeterminata. Quid est indifferentia? Idem sanè quod libertas: potestas videlicet tam agendi & non agendi, quàm hoc vel oppositum agendi. Potestas electionis in vtranque partem. Indeterminatio voluntatis ad vtrunque oppositum. Hic est voluntatis status sui arbitræ, cum æquilibrem, & neutrum in latus vergentem animum voluntas domina sustinet, eò demum inclinatura, quò boni honesti, vtilis, delectabilis momentum maius accedet; & dictura cum Augustino, *Amor meus pondus meum, illuc feror quocunque feror.* Eum statum sapienter exprimit Scriptura. *Eccl. c. 15.* *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui. Adiecit mandata & præcepta sua: Si volueris mandata seruare, conseruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Apposui tibi ignem & aquam, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum.* Quæ cum retulit Augustinus, adiicit, *August. l. de grat. & lib. arbitr. c. 2.* *Ecce apertissimè videmus expressum humanæ voluntatis arbitrium.* Vtriusque partis æquè potens, non aliundè quàm à se determinandæ; tum maximè liberæ, cum determinatione propriâ & spontanea, libertatem eligendæ partis alterius sibi eripit, & illud necessarium consequenter facit, ipsa manens antecedenter liberrima. Rationalis arbor est, ad bonos fructus proferendos bona creata: *Idem l. 1. de actis cum Felice. c. 4.* *nemo quippe nisi Deus facere arborem potest*, naturam liberam, & Liberum Arbitrium in actu primo; *Sed habet vnusquisque in voluntate* (siue libertate) *aut eligere*, cum prodit in actum, *quæ bona sunt, & esse arbor bona; aut eligere quæ mala sunt, & esse arbor mala.* Atque quo tempore bona eligit, absolutè loquendo in alteram partem ferri potuit, & fieri mala. Fuit igitur ante electionem factam, inter bonum & malum, inter maius minus-ve bonum medium, ipsa media, qualem speculatur Augustinus, cum ait, *Liberum arbitrium attributum naturaliter à creatore animæ rationali, illa media vis est, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem potest.* Cur media? Sanè quia in neutram partem determinata, positis ad agendum prærequisitis æquè potens credere, vt non credere. *Idem l. 1 contra Iul. c. 96.* *Ex quo homo incipit vti Libero Arbitrio*, inquit illo in opere quod nunc cum Lupo tractamus, *& peccare & non peccare potest: sed alterum horum non facit*, (istud posterius) *nisi adiutus ab eo qui dixit, sine me nihil potestis facere*; quia præcipuum ex prærequisitis est gratia præueniens, & excitans. Vis totum describam Augustinum qui his sententiis tanquam stellulis distinguitur? Quid vlterà quærimus? *Idem l. de Spir. & litt. c. 31.* *Quandoquidem hanc dicimus potestatem, vbi voluntati adiacet facultas faciendi. Vnde hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult facit; si non vult, non facit.* Vide quid sit aliud libertas, electio, indifferentia peripatetica in Scholis Societatis decantata. *l. de gr. & lib. arb. c. 3.* *Et vtique cui dicitur noli vinci, arbitrium sine dubio eius conuenitur: velle enim & nolle propriè voluntatis est.*

Indifferentia probatur ab Augustino. Et ista quidem ponit tanquam per se nota principia, cum eligere, medium esse inter bonum & malum, posse agere & non agere, velle & nolle, si modo voces illas intelligi non prohibet stupor, libertatem sonent, & indifferentiam. Verùm alicubi probat idipsum ex natura peccati & meriti in hunc modum. Demonstraturus Manichæis naturam substantialiter malam non esse, sed voluntate, definit in primis voluntatem, *l. de duab. anim. c. 10.* *Motum animi cogente nullo ad aliquid vel non amittendum, vel adipiscendum.* Hîc sanè libertas est. Mox peccatum definit, *quod sine voluntate*, illa libera, modò descripta, *esse non posse omnis mens apud se diuinitus conscriptum legit.* Est ergo vox naturæ, in peccato inesse libertatem. *Ibid. c. 11.* *Ergo peccatum est voluntas retinendi vel consequendi quod iustitia vetat, & vnde liberum est abstinere; quanquam si liberum non sit, non est voluntas.* Audis! cum voluntatem nominat Augustinus, vult intelligi libertatem: & quidem peccandi vel abstinendi; hæc est indifferentia. Et quasi Dissertatorem Præsidem iam tum diuinaret ex libris abstrusis qui non extarent, velut ex Carmentæ sepulcro Liberi Arbitrii necessitatem educturum, commodè subiicit. *Nec hi libri obscuri mihi scrutandi erant, vnde discerem, neminem vituperatione suppliciove dignum, qui aut id velit quod iustitia velle non prohibet, aut id non faciat, quod facere non potest.* Si natura non potest peccare, non est laude dignus. Quamobrem? Quia necessitate bonus est, non voluntate. Ex aduerso, si natura peccat & aberrat à bono, puniri non debet, quia necessariò peccat, non liberè. *Nonne ista cantant & in montibus pastores, & in theatris poetæ, & indocti in circulis, & docti in Bibliothecis, & Magistri in Scholis, & Antistites in sacris locis, & in orbe terrarum genus humanum?* Qui sunt ergò qui tanta in luce cæcutiunt? *Quòd si nemo vituperatione, vel damnatione dignus est, aut non contra vetitum iustitiæ faciens* (inculpabiliter operans) *aut quod non potest non faciens* (inculpabiliter omittens) *omne autem peccatum vel vituperandum est, vel damnandum, quis dubitet tunc esse peccatum, cum & velle iniustum est*, vt agat cum culpa, *& liberum nolle*, vt oppositum bonum culpabiliter, quia liberè, omittat. In qua libertatis & indifferen-

tiæ consideratione tantùm momenti collocat illustrissimus Doctorum, vt duabus voluntatis & peccati definitionibus, in quibus essentialem partem facit libertas, totam Manichæorum hæresim profligari demonstret. Ibid. c. 12. *Nam quisquis secreta conscientia suæ legesque diuinas penitus naturæ inditas, apud animum intùs, vbi expressiores, certioresque sunt, consulens, has duas definitiones voluntatis atque peccati veras esse concedit, totam Manichæorum hæresim paucissimis & breuissimis, sed planè inuictissimis ratiunculis sine vlla cunctatione condemnat.* Quisquis ergo indifferentiam à voluntate tollere nititur, pro Manichæis aduersùs Ecclesiam pugnet oportet, & inuictissimum telum de Theologiæ manibus extorqueat, quo fœdissima secta confoditur.

SECTIO III.

Eandem tradunt indifferentiam qui Gotteschali controuersiam tractant.

Prudentius indifferentiam agnoscit. QVibus Hincmari Capitula in Opere tractata displicuerunt, ij se gloriosiùs quàm veriùs certos germanosque Augustini discipulos nuncuparunt. Cui licet in aliis non ex asse consentiant, in asserenda Liberi Arbitrij indifferentia eum deserere, communem generis humani vocem referentem, erubuerunt. Qui enim princeps illorum dicitur Prudentius Trecassinus, (Recapit. sect. 10.) non aliud nouit Arbitrium Liberum, quàm quod *voluntas libertatis, id est, electio boni vel mali vocatur.* (I. aduers. Scot. c. 4) Et pleniùs alibi, Liberum Arbitrium, *rectè definiri* existimat, *voluntatem animi, quæ siue ad bonum, siue ad malum sua sponte, sua potestate mouetur.* Suam videlicet indifferentiam ad partem vnam applicans ipsa rationali electione: aliàs non sponte, sed necessitate ad eam determinata moueretur, quod animantes brutæ patiuntur.

(Lugdun. l. de 3 Epist. c. 11.) Lugdunensis Epistolarii mens eadem est: licet expressiùs proponendam non existimet, sed omnino supponat, cum explicans præclarè, quod pessimè docuit Gotteschalus, negat legisse se vnquam vel audiuisse, primo homine peccante tantopere vitiatum esse Liberum Arbitrium, *vt deinceps tantummodò in homine remanserit ad malum; ad bonum verò agendum nullum sit hominis Liberum Arbitrium, sed tantùm diuinæ gratiæ bonum.* Certum quidem est, absque peculiari gratiæ præuenientis dono, bene fieri quicquam ab homine non posse; eoque sensu dicitur Liberum Arbitrium per peccatum primi hominis perditum, & mortuum: non ita tamen *quasi naturam suam in qua naturaliter habet insitam Liberi arbitrij voluntatem, perdidisse intelligendum sit. Non enim perdidit naturam, sed bonum naturæ; non perdidit velle, sed perdidit bonum velle.* Disputat igitur Ebbo Gratianopolitanus auctor libelli, naturalem homini esse libertatem, eum naturaliter æquè ferri ad bonum, vt ad malum, licet ad illud Dei auxilio indigeat. Itaque cum bene agit, agere liberè, hoc est, posse non agere, posse malè agere; quod est naturaliter esse indifferentem. Conclamatus ergo Gotteschalci patronus indifferentiam Liberi Arbitrii sic probat, vt aliud *genus erroris nec apud hæreticos, nec apud quemquam Catholicorum se cognouisse, vel audiuisse non meminerit.*

Lugdunensis autem Scripturarius indignari videtur, quod Arbitrii libertas ab aliquibus negari dicatur. (Lugdun. l. de script. verit. c. 10) *Habent* enim *omnes homines naturaliter mentem rationalem & intellectualem,* quæ radix libertatis est, *quâ possint discernere ac diiudicare* in electione *cum ad annos rationales venerint,* nec ampliùs vt brutæ animantes necessitate ad vnum determinari rapientur, *inter bona, & mala, inter iusta & iniusta. Habent etiam naturaliter insitum Arbitrium voluntatis; vt eodem arbitrio possint velle mala, possint velle etiam quædam bona,* naturalia suis viribus, supernaturalia per Christi gratiam. Possunt inquit velle, possunt igitur & nolle, si liberi sunt; possunt & non velle, hoc est, sunt indifferentes ad vtrunque oppositorum. Idque validè comprobat ex ratione demeriti: siquidem Gentiles & scelerati omnes vituperio, & pœnæ obnoxii non essent si malè agerent, absque insita abstinendi à peccatis libertate. *Cum hæc ita sint, & Liberum Arbitrium omnibus inesse negari nullatenus debeat,* Quale autem? An illud tantum inamissibile, & immobiliter fixum, quod æquilibrem indifferentiam non patitur? (*Qui peccant inexcusabiles sunt propter liberum arbitrium.*) *ne tantam multitudinem hominum infidelium, quæ extitit ab initio seculi, vsque ad aduentum Christi, & nunc adhuc existit, & existet vsque ad consummationem mundi excusatos faciamus: quòd videlicet non habuerint, vel habeant, Arbitrij libertatem, quam in Adam perdiderint, & ideo nec iustè culpentur in malis quæ agunt, nec pro eisdem malis iustè in diuino iudicio condemnandi sunt. Contra hunc namque errorem & vanam excusationem B. Augustinus veritatem fidei defendens, ita dicit* &c. Quæro ex te, liberum illud arbitrium quo qui malè vtuntur homines impii, supplicio digni sunt, est-ne illud primum ab Augustino & à Lupo Ferrariensi propositum, quo determinatè & necessariò volunt esse beati, & nolunt esse miseri? Cum dixit citatus hoc loco Augustinus, *Si non est Liberum Arbitrium, quomodo iudicat mundum?* An significauit de ijs esse faciendum iudicium, qui voluerint esse miseri, & esse beati noluerint, eo sensu qui productis à Lupo verbis manifestissimè declaratur? Quis enim vnquam fuit, erit-ue hominum qui miseriam non fugiat, non expetat beatitudinem? Ergo secundùm aliud Liberum Arbitrium iudicabitur mundus, & scelerati condemnabuntur, illud videlicet, quo voluerunt esse mali, cùm possent esse boni, quo sibi appositis igne & aqua, iudicio practico deteriorem partem liberrimè delegerunt, dixeruntque, *video meliora, proboque, Deteriora sequor.* Hoc enim vnum supplicio dignum est, peccare cum liberè possis abstinere, siue cum es indifferens ad peccandum, aut non peccandum. Indifferentiam igitur

hic scriptor plurimum à Dissertatore laudatus agnoscit.

Lugdun. l. aduers. Ioan Scot. c. 4.

Lugdunensis autem tertius, Ioannis Scoti aduersarius, istorum omnium [illegible], etsi multa de Libero Arbitrio contentionis studio potiùs, quàm necessitate disputat, neque mentem Ioannis Erigenæ assequitur, facitque disputationem de nomine, vt in eum locum notat Duuallius: plurimùm tamen ad propositum nostrum in eo conducit, quòd quale sit Liberum Arbitrium in Augustino per Lupum producto, explicat, & ab illo quod modò speculamur, aptè distinguit.

Duuall. Not. in hunc locum.

Voluntas naturalis, diuersa à Libero Arbitrio.

Cum de Libero Arbitrio disputatur, quo libera hominis voluntate vel bonum vel malum appetitur, non de illa voluntate agitur, qua mens diligit seipsam: sed de illa voluntate, qua vel summum bonum diligit; cum recta est, id est Deum, vel infimum bonum, cum praua est, id est, mundum. Ea voluntas qua mens diligit seipsam, alia esse non potest, quàm quâ beati esse volumus omnes, miseri nolumus; qua natura miseriam fugit, & beatitudinem appetit. De illa dicit auctor, 1. Naturalem esse, & liberam. *Quis enim nesciat hanc mentis voluntatem, qua seipsam vult & diligit, omnibus hominibus naturaliter esse communem, & semper Liberi Arbitrij ad seipsam amandam? Ad hoc omnium mentium voluntas est libera. Quid magis superfluum & superuacuum, vt talis voluntas appelletur libera, quæ nunquam potest esse aliud, ad diligendum se, vel mentem cuius est?* Libertatem intellige, spontaneam inclinationem, à principio intrinseco, & natura ipsa profectam. Ait 2. Liberum Arbitrium propriè appellari non debere, *cum arbitrium esse non possit, nisi in diuersis rebus, quæ discernendæ, vel diiudicandæ, vel eligendæ, siue reprobandæ sunt.* Quasi dicat. Cum de Libero Arbitrio disputatur, de eo loquimur quo de propositis pluribus mediis vnum scientes, volentes eligimus, quod optimum maximéque ad intentum finem vtile iudicamus: at voluntas qua mens seipsam diligit, ad amorem illum determinata est, in eo amore nihil habet eligendum, quia *nihil inter seipsam diuersitatis inuenit, seipsam semper æqualiter diligit.* Vnde 3. deducit, illam voluntatem ita naturalem esse, ita determinatam, *vt nunquam mutetur.* Istud autem Liberum Arbitrium *ex alio in aliud mutari posse.* Est ergo de se ad bonum & ad malum indifferens, quemadmodum ad varias formas materia Physicorum. Affirmat 4. illi naturali voluntati stultè adiungi libertatem, malè vocari Liberum Arbitrium, vel liberam voluntatem: *Quod*, inquit, *B. Augustinus nullatenus dicit, & absit vt diceret.* Hæc assertio quomodo vel cum Augustini dicto in quo versamur, de Libero Arbitrio congenito, & in mentibus nostris immobiliter fixo; vel cum hac Lugdunensis ipsius disputatione, de voluntate naturali ad amandum se libera, consentiat, ipse viderit. 5. Denique admonet *illam voluntatem naturæ, de qua Beatus Augustinus disputat, id est, qua mens diligit seipsam, nihil pertinere ad Liberum Arbitrium, & liberam voluntatem, quo vel bona appetuntur, vel mala.* Vt per mihi mirum sit, tam apertè à Floro suo edoctum Dissertatorem Amplissimum, in eodem errore constanter perseuerare, vt Augustinum à Ferrariensi productum, existimet essentiam, & naturam Liberi Arbitrii propriè dicti, quale in scholis decantatur, tradidisse; quod expressè negat Lugdunensis: & à Libero Arbitrio peripateticam indifferentiam penitus amouere, cum in eo discretionem, iudicium, electionem idem Lugdunensis collocet, quæ sine indifferentia non intelliguntur. Denique re, si non voce, Lugdunensem cum Erigena consentire notat ante citatus Duuallius: quando hic libertatem *pro facultate ad vtrumlibet, tam ad bonum, quàm ad malum accipit; quam in homine post peccatum remanere ex Augustino certum est.*

Indifferentia in libero arbitrio.

Duuall. hic cit.

Lupus Ferrar. l. de 3 quæst. q. 1.

Neque Seruatum Lupum omitti æquum est, à quo disputatio sumpsit exordium. Non est enim alia eius doctrina, siue cum scribit de lapsu Adami, *Liberum Arbitrium hominis in malo, idcirco fuisse diuino iudicio deferendum, quia cum illi æqua facultas boni malique constaret,* (vides æquilibrium) *nulla indigentia, nulla violentia voluntatem ad malum inflexit.* (audis versatilem indifferentiam) *Iustißimè igitur in illo hæsit, quod sponte elegit.* Siue cum Augustinum citat in Collectaneo, apertè dicentem: *Liberum Arbitrium & ad malum, & ad bonum faciendum confitendum est nos habere.*

Item in Collect.

Rabanus Maurus l. 5. Comment. in epist. ad Rom. c. 9. n. 3.

Quid autem aliud docere debuit Lupus, quàm quod ei Rabanus Maurus eius magister ante tradiderat? Est enim illius clara vox in Commentariis Epistolæ ad Romanos, quem librum Lupo ipsi inscripsit, *Ostendis te Liberi Arbitrij & facere quod vis, & tacere, & loqui.* Atque alibi electionem liberam nobis vult offerri, quam sine indifferentia non posse consistere nouimus. *Dona Dei quæ in diuinis charismatibus consistunt, non inuitis, sed voluntarijs offeruntur. Gratia enim Christi quæ vltro offertur hominibus, spontaneos quærit acceptores.* Et mox. *Vbi enim cuiusque voluntas requiritur, iam non necessitas imponitur, sed electio melioris proprio relinquitur arbitrio.* Quod autem in Gotteschalci placitis maximè reprehendit, prædestinatos ad interitum non posse saluari, quodque vulgatis illis ad Hincmarum, & ad Notingum Epistolis copiosè confutat, id vno Ierosolymæ demonstrat exemplo, in Ieremiam scribens, licet certò vastanda foret vrbs à Chaldæis, idque omnino præsciret Deus, inuitari nihilominus Iudæos ad pœnitentiam, quò decretum malum auerterent, si luberet. *Nam Domini ingruente sententia eos pronocat ad salutem. Non quòd ignoraret vrbem Ierusalem esse capiendam, sed quòd liberum homini seruatur arbitrium, vt non ignorantia futuri, sed voluntate propria perire videatur.* Ac vellem in ceteris controuersiæ capitibus æquè docentem audiuisset magistrum discipulus. Vt cum propositam ab Apostolo thesim, *omnes homines vult saluos fieri*, de omnibus absque exceptione accipiendam monet Rabanus, *Nam quia Deus de omnibus hominibus ista velit, nemo poterit contradicere.* Cur ergo contradicere conatur Lupus, eius Monachus & discipulus,

Idem Comment. in Ruth. n. 3.

Idem l. 8. in Ioan. c. 11.

Lupus Ferrar. magistrum deseruit.

Raban. l. 13 in epistolas Pauli c. 2. & epist. ad Hincm.

Idem epist. ad Hincm. Cum modestè dixit Rabanus, se prædestinationem Dei ducentem ad pœnas non posse dicere, *quia hoc nusquam in scripturis sacris ita mixtim positum inuenit*, quare Lupus geminam prædestinationem, cum ea vox hæresi Gotteschalci patrocinaretur, tam ardenter propugnauit? Sed hæc aliàs.

SECTIO IV.

Necessitatem omnem à Libero Arbitrio S. Augustinus & S. Thomas ablegant.

POstremus articulus eorum, quos ex deperditis Augustini libris Lupus eduxit, *voluntatis seruitutem* commemorat, & certamen cum vitiis sine Deo, siue, Christi gratia non posse iniri, admonet. Alia ex parte Hieronymum idem Lupus adducit, dicentem, qui trahitur ad Christum non sponte currere, sed inuitum adduci. Quæ & similia nos non inuitos ducunt, ad considerandam necessitatem cum libertate frequenter nominatam; & Liberi Arbitrii seruitutem in Augustino passim occurrentem.

Quid sit necessitas. Aristot. l. 2. Ethic. ad Eudem. De priori quæstione vt modò tractemus, sed breuiter, minutis diuisionibus definitionibusque ad Philosophos remissis, necessitatem describit Aristoteles, *Principium quod foris est, præter naturalem impetum, siue moueat, siue motum impediat.* Quod in igne & lapide manifestè sentimus. Hæc est quæ dicitur coactio, & vim infert homini, atque parit inuoluntarium, *Omne enim violentum inuoluntarium, & si violentum sit, etiam acerbum erit, omne scilicet quod coacti faciunt, aut patiuntur.* *Violentum.* Necessitatem inuitam, siue violentiam appellant Philosophi; quæ repugnat inclinationi: aliam verò proferunt spontaneam, quæ secundùm inclinationem est. *Necessitas libertati opponitur.* Atque qui in illis prudentissimè philosophantur, necessitatem libertati vniuersè opponunt, quantumque in qualibet actione necessitatis inuenitur, tantundem aiunt deesse libertatis. Determinat enim quæuis necessitas, & agentem alieno quasi iuri mancipatum, in partem vnam rapit, alterius aut minùs, aut penitùs non potentem. Quamobrem necessitate perfecta impeditur, vel tollitur electio, dum iusti æquilibrii examen animo repugnante inclinat, & id de quo deliberatur, in nostra potestate esse non sinit. Susannam aspice inter peccati mortisque periculum: illa quidem, voluntate mortem & infamiam eligit, sed an etiam integra Libertate? Dan. c. 13. Quid verò, vt inter homines ea parte acerbius & tristius est, quam alteri prætulit eligendo, cum diceret, *Melius est mihi?*

August. l. de gr. & lib. arbitr. c. 1. Ad Philem. Ephes. c. 6. Iam Augustini Apostolum explicantis grande pronunciatum est, libertati necessitatem quamlibet officere. Nam & Apostolus, *opponit necessitatem voluntati, cum ad Philemonem, ne bonum velis ex necessitate esse, sed ex voluntate: Seruos etiam ipsos monet, vt dominis suis ex animo seruiant, cum bona voluntate.* Et potestas quidem omnis, atque faciendi aut non faciendi facultas, à Deo data est, *Sed cum potestas datur, non vtique necessitas imponitur.* Idem l. de spir. & lit. c. 31. Nam cum per gratiam, voluntatem mouet ad credendum, relinquit liberam voluntati potestatem. Ibid. c. 34. *Consentire enim vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est.* Idem l. de nat. & grat. c. 65. Atque idem Augustinus impensè laudat Hieronymi dictum, *vbi necessitas, neque corona, neque damnatio est.* Non ait, vbi coactio, vbi violentia; sed generaliter, *vbi necessitas.*

D. Th. q. 6. de malo. art. vnico. Itaque qui cum necessitate voluntati libertatem asserunt, vt planè loquamur, errant, & cum per illam cogi negant, subtiliter nugantur. *Dicendum*, ait D. Thomas, *quod quidam posuerunt, quòd voluntas hominis ex necessitate mouetur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant, quòd voluntas cogeretur. Non enim omne necessarium est violentum; sed solùm id cuius principium est extra.* Non potuit lumen Theologorum maiore cum perspicuitate opinionem nouantium exponere, qui coactionem ita distinguunt ab alia necessitate, vt electionis æquilibrium & indifferentiam Peripateticam eiicere conentur ex Scholis. Quid autem ea de sententia censet Doctor Theologorum, germanus Augustini discipulus? *Hæc autem opinio est hæretica: tollit enim rationem meriti & demeriti in humanis actibus.* *Opinio hæretica.* Nimirum, quod modò referebamus: *Vbi necessitas, neque corona, neque damnatio est.* Pergit S. Thomas, illosque prauè philosophari docet. *Est etiam annumeranda inter extraneas Philosophiæ opiniones, quia non solùm contrariatur fidei, sed subuertit omnia principia Philosophiæ moralis.* Cur ita? Nisi quia libertatem lædit, & electioni vim adfert. Quamobrem Adami peccantis libertatem & electionem, graphicè nobis ita repræsentat Lupus noster, vt ad illud exemplum plena rationis deliberatione peccare nos cognoscamus. Lupus l. de 3. quæst. q. 1. *Cum illi æqua facultas boni malique constaret*, (erat enim pars vtraque in eius potestate) *nulla indigentia, nulla violentia voluntatem ad malum inflexit*, (fuitque planè voluntarium crimen) *dum præceptum Dei obseruatu facillimum, à quo tanta se bona percepisse videbat, sacrilega impietate, quasi suspectum contempsit: & hostis ignoti, cuius in nullo penitus indigebat, incitamentum* (non impositam necessitatem) *non solùm ad examen Dei non retulit, verùm audaci temeritate, quasi profuturum excepit.* al. Deifici. Quod ipsum breuiùs ante dixerat. *Summa erat obseruandi iussum facilitas, quando ad id violandum, nec vlla necessitas inuitabat, nec hostis qui solus diabolus erat, vim vllam inferendo impellere poterat.* Progrediamur vlteriùs.

Nemo sine gratia liber ad peccandum. In Aristotele antea legebamus, inferri necessitatem, non ab eo tantùm qui moueat, sed etiam qui motum impediat. Potest autem motus impediri siue obice interposito, vt cum lapis vetatur ad centrum descendere: siue negato medio ad motum necessario, vt si quis cadenti puero manum recuset præbere quo

resurgat. Hic autem fides Catholica duo me docet: prius, Diabolo per tentationem impellente, non posse me viribus meis sustinere, sed sola Dei Seruatoris gratia, sine qua labi & cadere quò propendeo necesse est. Id Catholici tractatores nostri vocant, habere nos Liberum Arbitrium ad malum, quia corruptæ naturæ vitio, & praua consuetudine trahente, mea se voluntas ad malum determinat; carere Libero Arbitrio ad bonum; quia tentationem superare, & coronam in illo certamine mereri absque extrinsecus indita Christi gratia præueniente, & adiuuante non possum. Posterius est, in tentatione & peccandi periculo, gratiam illam ad resistendum necessariam, & ad benè agendum sufficientem, nunquam deesse: sine qua dico liberum mihi non esse peccatum, sed planè necessarium, adeoque non peccatum: ac proinde malæ actionis quam vitare non possum, reum non esse, quandiu penitus necessario ad electionem & libertatis exercitiū priuatus auxilio, sum antecedenti necessitate determinatus ad casum: neque mihi vllo modo deliberare de bono actu producendo licet, qui auxilii defectu non est in mea potestate. Respondes, iustè mihi denegari, cum arbitrii sanitatem & vigorem parentis Adami culpa perdiderim. Familiæ principe perduellionis damnato, iure familiam vniuersam, nullo suo facto nocentem, bonis exui. Verissimè dicis, fuit æquissimum priuilegiis omnibus Adami posteritatem excidere. Sed hoc intellige: à familia bonis spoliata nemo tyrannus metu mortis exigit, vt sumptus faciat pro republica, milites conscribat, alat legiones, ingentia tributa pendat: quia hæc non potest Iure, inquis, non potest. Fateor ego, sed modò non potest, nisi posse rex dederit. Pedibus excisis, mea culpa, an alterius iniuria, an morbo, an origine, nihil interest, tota gradiendi facultas erepta mihi est; tum Romanam peregrinationem imperas, vehiculum quo vno medio possim iter aggredi, habes in potestate: illud obstinatè denegas, & mortem minaris, nisi Romam iero. At ego mihi liberum esse pernego iter aggredi, profiteor violentam hoc loco stationem, necessariam, inuoluntariam, hanc à te necessitatem iniuria imponi, & si pergis occidere vt refractarium, aio tyrannicè id facere. Sic profectò, vita & morte propositis, cum sponte, & lege corruptionis ingenitæ in exitium præcipitem, neque fas sit ad vitam, sine Dei erigentis & ducentis manu accedere, & id ipse videat, habeatque ad manum opem quam recusat, vnus ipse motum ad vitam & ad bonum impedire censebitur, neque iustè reum facere potest eius casus in malum, quem antecedenti necessitate patior. De peccatis actualibus loquimur, quorum culpa non est voluntaria, nisi quæ sponte committitur. Atque hæc est meriti & demeriti ratio inter Theologos decantata: constatque inter eos, etsi peccetur semper, quia gratiæ non obeditur, nunquam tamen nisi præsente gratia peccari.

Gratiæ necessitas.

Quapropter parum cautè dixit Prudentius, defuisse gratiam Angelis transgressoribus, *qui si*, inquit, *tam fulcientem, vel solidantem habuissent, nunquam procul dubio tam grauiter cecidissent: quæ quia sanctis Angelis diuinitus impensa est, ea & certitudinem permanendi, & securitatem nunquam cadendi percipere meruerunt.* Quibus paucis verbis ab Augustini doctrina bis discedit. Primò, cum censet ideò stetisse bonos, quia gratiam acceperunt; ideò malos cecidisse, quia gratiâ caruerunt. At neutris, inquit Augustinus, gratia defuit; sed Libero Arbitrio, fulciente gratia adiuto, steterunt illi, *& huius mansionis debitam mercedem recipere meruerunt. Si autem hoc adiutorium vel Angelo, vel homini, quum primùm facti sunt, defuisset quoniam non talis natura facta erat, vt sine diuino adiutorio posset manere, si vellet, non vtique suâ culpâ cecidissent: adiutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent.* Non peccassent igitur cadendo transgressores, quia stare sine gratia non poterant. Secundò, cum sanctis Angelis putat ea gratia datam *permanendi certitudinem*: Possibilitatem dicere debuit, quam & transgressores pariter acceperunt: neque præcisè adiutorium illud sequuta est *certitudo & securitas*, sed consensum Libero Arbitrio illi gratiæ datum, quem apostatæ liberè negauerunt. Sic illis efficax fuit gratia, istis sufficiens: illis merces consensus reddita, istis præuaricationis irrogatum supplicium. Ea merces est, *summæ beatitudinis plenitudo, vt magna per Spiritum sanctum data abundantia caritatis Dei, cadere omnino vlteriùs non possent, & hoc de se certissimè nossent.* Vtrique adhuc in via positi *hanc plenitudinem beatitudinis non habebant, sed tamen beatitudine sine vllo vitio fruebantur*: Libero Arbitrio discreti inuicem, mali beatitudinem inchoatam amittere, boni perficere, & securam reddere meruerunt.

Prudentius refellitur l. aduers. Ioan. Scot. c. 4.

August. l. de corrept. & grat. c. 11.

Ibid. c. 10.

Ad hunc etiam locum pertinere potest Pharaonis obduratio, quam peccando meruit, & merendo peccauit; sed in ea constitutus, defectu gratiæ mollientis & excitantis, omnino non peccauit. Tres enim in hoc hominis portento status licet distinguere. Primus est sceleratis omnibus communis, nondum corroboratæ impietatis; cum Israëlitas odio prosequebatur, & nascentes pueros suffocabat. Secundus, obstinatæ nequitiæ; cum sæpe conuentus à Dei legatis, & seuerioribus plagis admonitus, parere contemnebat. Tertius obdurationis, cum contra stimulum calcitrabat, & ne decem quidem flagellis subigi poterat, ne recedentes Hebræos infestis armis insequeretur. In prioribus statibus dubitari non potest, quin auxiliis diuinæ gratiæ excitaretur, & monentem interiùs Deum sentiret, vt recederet à malo: tum enim libera ipsi fuit vtriusque partis electio, at non libera boni electio, nisi per gratiam; qui tamen in malum Libero Arbitrio deflexit, vt diceret, *Quis est Dominus, vt audiam vocem eius?* infidelitati adiungens inobedientiam & contemptum; & in his criminibus pertinaciter perseuerans. Hac via peruenit tandem infelix ad postremum statum, in quo desertus à Deo est, quem indignis modis deseruerat. Sic enim Augustinus in hoc proposito [illegible] præfatur: *Primò hoc fideliter & firmiter credat dilectio vestra, quia nunquam priùs*

Pharaonis obduratio.

Exod. c. 6.

August. serm. 88. de temp. *Deus deserit hominem, nisi priùs ab homine deseratur.* Ac mox de peccatore quolibet, *Cum verò in peccatis suis reperit permanere, de multitudine peccatorum nascitur desperatio, ex desperatione obduratio generatur.* Peccatis autē suis exigentibus ad duram illam conditionem esse deductum, docet idē granæ præco, Idem l. 2. qq. in Exod. q. 18. *Vt ergo tale cor haberet Pharao, quod potētia Dei non moueretur ad pietatem, sed potiùs ad impietatem, vitij proprij fuit.* Et iterum. Idem l. 83 qq. q. 61. *De Pharaone facile respondetur, prioribus meritis quibus afflixit in regno suo peregrinos, dignum effectum cui obduraretur cor, vt nec manifestissimis signis iubentis Dei crederet.* Et inferiùs, cum docet idem esse dari in reprobum sensum, & corde indurari: *Digni,* inquit, *extiterunt, qui darentur in reprobum sensum.*

Quamobrem rectè dixit Rabanus, In eo statu non peccauit. *quòd Pharao tunc non obtemperabat præceptis Dei, iam de supplicio venisse.* Fuit enim priorum pœna, à posterioribus non destitisse. Qua porro ratione facta est lamentabilis illa induratio? August. serm. 88. cit. *Non omnipotentia Dei,* ait Augustinus, quasi inuitum raperet ad exitium, *sed patientia,* quemadmodum *vernaculos nostros nimis delicatè, aut satis remissè nutrimus, vel frequenter peccantibus indulgemus, ac sic priores de ipsa remissione redduntur.* An indidit in eius animo positiuum quippiam, quo penitùs ad Dei voces obsurdesceret, & ad imperium obduraretur? Minimè gentium. Sed mera priuatione gratiæ, intolerabili præcedentium gratiarum contemptu toties promerita, Lupus Ferrar. Epist. ad Hincm. *non ad culpam vrgendo,* vt loquitur Lupus Abbas, *sed gratia emollitum à culpa non reuocando.* Certissimum enim est Augustini dictum, *quòd Pharaonem non Dei violentia, sed propria iniquitas, & indomabilis superbia contra Dei præcepta toties fecerit* August. cit. *obdurari. Quid est autem quod dixit, Ego indurabo cor eius, nisi, cum abfuerit gratia mea, obdurat illum nequitia sua?* Quod autem loci huius proprium est, aio miserrimum tyrannum eo in statu non peccasse per inobedientiam, quia tum in bonos actus obedientiæ prorumpere non poterat. Hæc est expressa & vera Rabani Mauri doctrina. Raban. l. 5. in epist. ad Rom. c. 6. n. 3. *Non ergo hoc illi imputatur, quod tunc non obtemperarit, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat; sed quia dignum se præbuit cui cor obduraretur priori infidelitate.* Nimirum ad peccati rationem necessaria libertas est; ad libertatem, vtriusque partis æqua potestas: ad eam potestatem, Dei gratia, sine qua bene agere est antecedenter ἀδύνατον. Damnatus ergo est, non quia obduratus benè non egit, quod non poterat; sed quia malè agendo fieri meruit obduratus, quod per priorem gratiam vitare poterat & debebat. Habes igitur lector, vno in exemplo & Liberi Arbitrii indifferentiam, & gratiæ diuinæ ad rationem peccati necessitatem: & quod ad demensum addimus, sufficientes gratias spretas liberrimè. Idem si vis, conficiet haud paulò iucundior Christi consideratio, cuius meri- Christi meritum quo ex parte. tum, non ex peccati abstinentia, sed ex boni operatione duci debet. Nam cum duæ sint humanæ partes iustitiæ, declinare à malo, & facere bonum: à priore nullam laudem Christus accipit, quia naturæ sanctitatisque increatæ necessitate antecedenter ab omni culpa erat remotissimus: atque adeo felicissimè carebat ea contradictionis libertate, quam nimis exitiabilem frequenter experimur.

SECTIO V.

Quæ sit apud Augustinum libertas & seruitus peccati & Iustitiæ.

SCripsit Apostolus ad Romanos, Rom. c. 6. *Nescitis quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiam? Liberi autem à peccato, serui facti estis iustitiæ: cùm enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ.* Ad ea verba sæpe respectans Augustinus, liberum & seruum peccati, liberum item & seruum iustitiæ hominem vocat, sensu non semper, neque ab omnibus exquisito, Beza in hunc locum. qui sciolos hæreticorum, vt arbitrii humani libertatem negarent, magna caligine implicuit. Exclamat enim ad hæc impudenter Theodorus Beza. *Hoc quum ita se habeat, miror qua tandem fronte audeant sophistæ liberum suum arbitrium tueri, liberum sanè iustitiæ, seruum autem peccati, vt illis toties exprobrat Augustinus.* Liber peccati, seruus iustitiæ.

Verùm dissipari facile possunt eæ tenebræ, res easdem diuersis modis intuendo, qui metaphoricas hasce & improprias libertatis & seruitutis significationes variari permittant. Sic enim idem homo liber erit, & seruus, qui in genuina & natiua vocum illarum acceptione, vni tantùm conditioni addictus esse potest. Itaque proximè hanc notionem, seruum aliquando accipit Augustinus pro addicto & subdito, liberum pro non subiecto. Ita seruus est peccati, qui se peccato subdidit; liber iustitiæ qui ei non paret, neque eius legi seruire vult. August. l. de corrept. & grat. c. 1. *In malo faciendo,* inquit, *liber est quisque iustitiæ, seruusque peccati.* Atque idem conuersus ad Deum est liber peccati, & seruus iustitiæ. Quia conditionem accipit à Domino cui subditus est; & quoniam sunt oppositi, alterius dominatione liberum esse oportet, qui se alterius seruituti addixerit. Sic enim censendum est, agere quemlibet hominem ex intentione finis, secundùm iustitiam quidem, honesti; secundùm peccatum autem, mali. Posito fine, offerri media conuenientia, de quibus ratio serua deliberat, secundùm domini impulsum & instinctum, qui lex dicitur iustitiæ vel peccati. Sit exemplum. Peccati lex est, dulce & honorificum est iniurias vltum ire. Superbus & iracundus peccati seruus læsus ab inimico, in praxim reducit illud axioma, concluditque, ab hoc à quo accepi iniuriam, repetenda est vltio, quod hac & illa ratione conficiam. Ille profectò dum peccato seruit, & malum finem intendit, iustitiæ non obedit, inde liber iustitiæ dicitur. At ex aduerso Iustitiæ lex est. Christianum est de inimicis bene mereri. Idem Augustin. cit. in Collect. Mansuetus & humilis iustitiæ seruus, bonis vel honore spoliatus ab inimico, ex tali pronunciato, quem expertus

est hostem præsenti periculo mortis eripit, donatque pecunia. Is iustitia regitur, seruus factus iustitiæ, peccati dominatum exuit, verbo, liber peccato. Et in eo bono *liber esse nullus potest, nisi fuerit liberatus ab eo, qui dixit, Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis.*

Idem Augustin. cit. in Collect.

Libertas ad peccandum.

Præterea libertatem & seruitutem vocat Augustinus facilitatem, & delectationem, aut difficultatem in agendo. Vnde peccati seruus, ad peccandum liber est, qui libenter peccat: Iustitiæ seruus qui cum voluptate virtutem exercet. Sic in Enchiridio ad Laurentium legimus. *Ita cum libero peccaret arbitrio, victore peccato amissum est & Liberum Arbitrium. A quo enim quis deuictus est, huic & seruus addictus est. Petri certè Apostoli est ista sententia, quæ cùm vera sit, qualis quæso potest serui addicti esse libertas, nisi quando eum peccare delectat? Liberaliter enim seruit, qui sui domini voluntatem libenter facit, ac per hoc ad peccandum liber est, qui peccati seruus est.* Hoc sensu non potest esse seruus ille peccati, liber iustitiæ: sed qui seruus est iustitiæ, idem liber iustitiæ dici debet. *Vnde ad iustè faciendum liber non erit, nisi à peccato liberatus, esse iustitiæ ceperit seruus. Ipsa est vera libertas, propter rectè facti lætitiam; simul & pia seruitus, propter præcepti obedientiam.*

August. in Enchir. ad Laurent. c. 30. cit. in Collect.

Seruitus voluntatis.

Rursus, seruitutem voluntatis appellat, eius quæ Dei gratia careat ad excutiendum peccati iugum: libertatem ex opposito, eius quæ per Christum à peccato liberata sit. Hoc apertissimè docet locus à Lupo citatus. *Si ergo hi, quorum contra carnem spiritus concupiscit,* (quod proprium est fidelium) *ad singulos actus indigent Dei gratia,* (non habituali quæ datur in baptismo, vel pœnitentia, sed actuali) *qualem libertatem voluntatis habere possunt, qui nondum eruti de potestate tenebrarum, dominante iniquitate, nec certare cœperunt, aut si certare voluerunt, nondum liberatæ voluntatis seruitute vincuntur?* Argumentatio maiorum est. Si, qui per lauacrum regenerati sunt, nihil boni possunt sine peculiari gratia perficere, quantò verius est, nondum baptisatos nec habituali gratiâ donatos, non posse ad bonum assurgere, sed eorum voluntatem peccato mancipatam opprimi? *Tunc ergo efficimur verè liberi, cum Deus nos fingit, id est, format & creat, non vt homines,* (quod iam fecit) *sed vt boni homines simus; quod nunc gratia sua facit, vt simus in Christo noua creatura.*

Augustin. cit. in Collect.

Captiuitas sine necessitate.

Denique captiuitatem dicit eius hominis, quem praua peccandi consuetudo vel inuitum & reluctantem trahit ad malum; qui *violentia indomita consuetudinis peccatorum,* inquit, *trahuntur in captiuitatem.* Et quidem Apostoli lingua loquutus, *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Eodem sensu *necessitatis* ei nomen imponit, *Quando cupiditates validæ sunt, & quando eis seruimus.* Diceres spiritui illi ereptam à carne libertatem, nihil vt agat ex ratione & electione, sed ad malum sua ipse prauitate sit determinatus. *Quæ sunt etiam necessitates vincendarum vetustissimarum cupiditatum & annosarum malarum consuetudinum? Vincere consuetudinem dura pugna. Nosti, vides quam malè facias, quam detestabiliter, quàm infeliciter, & facis tamen: fecisti heri, facturus es hodie. Vnde raperis? Quis te captiuum trahit?* Luctatur tamen spiritus verè liber, quia præueniente gratia munitus, & exclamat sæpe, *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.*

August. l. 2. de serm. in monte c. 12.
Rom. c. 7.
August. in Ps. 30.
1. Cor. 15.

Non agitur de Physica libertate.

In his, vt vides significationibus omnibus tralatitiis & minùs propriis, libertatis homini naturalis, Arbitrii Liberi quod nascendo accepimus, indifferentiæ ad electionem necessariæ nulla fit mentio, neque vllo pacto potestas ad vtrumlibet tangitur: vt ridicula sit Caluini Schola, quæ arbitrium hominis Physicè seruum in Augustino somniat. Atque eadem via Ioannes Erigena Scotus ab aduersarii sui Lugdunensis iniuria protegitur, cum *piè & Catholicè,* vt loquitur Duuallius, non dissentiente Prudentio, dixit, primum hominem *peccando perdidisse liberæ voluntatis vigorem potestatemque, libertatem autem post peccatum remansisse.* Id enim dictum cum Lugdunensis acerbè insectatur, laborat in æquiuoco: libertatem enim metaphoricam intelligit, quæ metaphoricæ peccati seruituti opponitur; at Scotus pro facultate vtriusque partis eligendi potente accipit, quæ peccato sauciata, superuenientis gratiæ beneficio persanatur.

Ioan. Scot. defendit. l. de vn. prædest. c. 4.
Lugdun. l. contra Scot. Ibid.
Duuall. Not.

SECTIO VI.

Eadem Doctrina à S. Bernardo explicatius traditur.

Idem docet Bernardus quod Augustinus.

QVanquam voluntaria cæcitas est eorum, qui naturalem voluntatis libertatem, & libertatis indifferentiam in Augustino non vident: si qui tamen in S. Bernardo vel eandem libertatem, vel Liberi Arbitrii diuisionem, Augustinianæ simillimam desiderant, oculos sibi effodisse dicendi sunt. Nam quò fusiùs peculiari tractatu de Gratia & Libero Arbitrio rem totam explicat, eo meliori in lumine S. Augustini doctrinam collocat, licet ad eum respectare non videatur. Vnus quippe Catholicorum omnium sensus est veritas, & Spiritus sanctus à quo arbitrium in bono regitur, Doctores religionis de arbitrio pugnantia docere non potuit. Placet hoc loco ad maiorem ἐνάργειαν nonnulla ex eo libello seligere, & quod maximè facit ad propositum, ordinatè ob oculos ponere.

l. de gratia & libero arbitrio.

Tres gradus perfectionis in libero arbitrio.

Quare præmitto, in electione quam spectat Bernardus, inesse tria, essentiam, materiam, modum. Essentia est amor medii liber, siue ex ratione, absque necessitate; finis enim intentionem supponit electio, non facit. Materia, bonum vel malum: libentiùs considerat Bernardus, quia nos cupit libertate benè vti. Modus, est facilitas aut difficultas, delectatio vel repugnantia in eligendo. Primum

naturam

naturam facit arbitrii, sine quo liberum esse non potest. Secundum quoque necessarium, quia vel bonum eligi, vel malum necesse est: indifferens quærere, leuitatis est & amentiæ. Sed perfectio illius, quod est bonum, primo accidentalis est. Neutri quoque tertii perfecti necessaria est, facilitas nimirum & delectatio. Sed illa demum omnibus suis partibus est absoluta electio, quæ fit liberè boni cum delectatione. Tribus istis imponit nomina Bernardus, Liberum Arbitrium, siue iudicium liberum consilium, & liberum complacitum. Libertatem quoque illis respondentem ait esse, à necessitate, à peccato, à miseria. *Dicatur igitur prima libertas naturæ, secunda gratiæ, tertia vitæ, vel gloriæ. Primò namque in liberam voluntatem, ac voluntariam libertatem conditi sumus nobilis Deo creatura. Secundò, reformamur in innocentiam, noua in Christo creatura. Tertiò, sublimamur in gloriam, perfecta in spiritu creatura. Prima ergo libertas multùm habet honoris; secunda plurimùm etiam virtutis; nouissima cumulum iucunditatis. Ex prima quippe præstamus cæteris animantibus: in secunda carnem; per tertiam mortem subijcimus.*

Libertas triplex.

Illis quoque respondent tres quasi facultates, velle, sapere, posse. Primum volentes facit, non sapientes, aut potentes. Illud perire non potest, ne peccato quidem: alia duo peccato destruūtur: deest siquidem peccatori non liberum arbitrium, sed liberum consilium; & quia resurgere à peccato per se non potest, *nouerit sibi deesse liberum complacitum, non autem perijsse liberum arbitrium.* Qui verò queritur, & ait, volo habere bonam voluntatē, at non possum, *Nequaquam præscribit voluntatis libertati, vt quasi vim aut necessitatem in hac parte patiatur voluntas: sed planè illa libertate, quæ dicitur à peccato, se carere testatur: quo vtique dolor premit, non perimit voluntatē. Cum enim non valemus quod volumus, sentimus quidem ipsam quodammodò libertatem esse captiuam, vel miseram non tamen amissam.* Nostrum est ergo *ex libertate consilij, iam libertate arbitrij non abuti, vt plenè quandoque frui possimus libertate complaciti.*

Velle, sapere, posse.

De singulis autem, vt separatim dicamus, Voluntas est motus rationalis & sensui præsidens & appetitui: Voluntarius liberque consensus. Non incongruè solet liberum arbitrium appellari, vt liberum referatur ad voluntatem; arbitrium ad rationem. Vt sit consensus ille, liber sui, propter voluntatē: ipse iudex sui propter rationem. Vbi enim consensus, ibi volūtas: porro vbi voluntas, ibi libertas; vbi autē necessitas iam non voluntas: vbi libertas non est nec meritum, ac per hoc, nec iudiciū. Habet sanè quocunque se verterit, semper rationem comitem & quodammodo pedisequam: non quòd semper ex ratione, sed quòd nunquam absque ratione moueatur: ita vt multa faciat per ipsam, hoc est, quasi per eius ministerium, contra eius consensum siue iudicium. Est tamen ratio data voluntati vt instruat illam, non vt destruat. Destrueret autem si necessitatē ei illam imponeret, quò minùs liberè se se volueret, siue in malum, vt fit animalis; siue in bonum, Dei gratiam sequens, vt fiat spiritalis.

Libertas arbitrij.

Debet ergò naturalis illa libertas, & in omni natura rationali ex æquō inesse, & nulla potestate amitti. Quapropter æquè & indifferenter vniuersè tam bonæ quàm malæ rationali conuenit creaturæ: nec peccato nec miseria amittitur; nec maior in iusto est, quàm in peccatore; nec plenior in Angelo, quàm in homine. Et sicut cælestis Angelus, aut etiam Deus ipse, permanet liberè bonus, propria videlicet voluntate, non aliqua extrinseca necessitate: sic profectò Diabolus æquè liberè in malum corruit, & in eo persistit, suo vtique voluntatis nutu, non alieno impulsu. Nam quòd is non valet in bonū respirare, non aliena facit violenta oppressio sed sua ipsius in malo obstinata volūtas & voluntaria obstinatio: accedente nimirum necessariæ ad resurgēdum gratiæ defectu, quæ nulla extrà visā debetur, aut datur. Eandē libertatem Adamus tam post peccatum, quàm ante sēper tenuit inconcussam. *Manet ergo libertas voluntatis, vbi etiā fit captiuitas mentis, tam plena quidem in malis, quàm & in bonis, sed in bonis ordinatior: tam integra quoque, pro suo modo, in creatura, quàm in creatore, sed in illo potentior.*

Communis omni naturæ rationali.

Quare illa Euangelica: *Nisi Pater meus traxerit eum. Compelle intrare.* Non ostendunt à Deo auferri libertatē, sed transferri. Hoc quippe intendit cum terret aut percutit, vt faciat voluntarios, non vt saluet inuitos. Potest quidē mutari voluntas, sed non nisi in aliam voluntatē, vt nunquā amittat libertatem. Petrus negauit Christum inuitus & coactus. A quo non ab alio, quàm à seipso. Se se ergo volūtas ipsa coēgit, compulsa & compellens; vbi amittere, ibi & recipere visa libertatem. Vim quippe quā ipse sibi intulit, à se pertulit. Porro quod à se volūtas pertulit, ex voluntate fuit: quod ex voluntate fuit; iam nō ex necessitate sed voluntariū fuit: Si autē voluntariū, & liberū. Distinguenda est autem duplex cōpulsio actiua & passiua, ex eo quod pati aliquid aut agere contra propriā cogimur voluntatē. Passiua est, mali quod fit in nos, siue de nobis: illud si fit absque voluntario consensu patiētis, nō imputatur. Actiua tendit in malum quod fit à nobis: nec habet excusationem, cum sit & voluntatis: non enim fieret, nisi vellemus. *Cogebatur Christianus negare Christum; & quidē dolens, non tamen nisi volens. Volebat gladiū vitare ferientis: atq; illa talis voluntas intus præsidens os aperiebat, non gladius, qui foris apparebat. Porro talem esse illam voluntatem conuincebat gladius, non cogebat. Ipsa igitur se culpa, non gladius impellebat. Denique in quibus sana erat illa voluntas, occidi poterant, flecti nequibant.*

Cogi non potest.

Compulsio actiua & passiua.

Iam libertas à peccato, quæ & *consilij*, cuius est probare quid expediat, vel non expediat: cui competit verum *sapere* ad iustitiam; eoque distinguitur à sapientia carnis, quæ mors est: & à sapientia mundi, quæ stultitia est apud Deum, non est in hoc mundo, nisi in iustis, & ex parte tantùm, sed non modica. In paucis inquam spiritalibus, qui carnem crucifixerūt cum vitiis & concupiscentiis; quatenus iam non regnet peccatum in eorum mortali corpore. Porro vt non regnet, facit libertas consilii: vt tamen non desit ex integro, captiuitas est Liberi Arbitrii.

Libertas à peccato.

Libertas autem à miseria, quæ & *Complaciti*, quæ habet plenum *posse*, & refertur ad

Libertas à miseria.

gloriam, differtque ab iis de quibus dicitur. *Potentes potenter tormenta patientur.* Et propriè in hoc mundo nulla est, quia omne quod præsentis vitæ est, occupat miseria. Nisi forte in contemplatiuis qui per excessum contemplationis rapti quandoque in spiritu, quantulumcunque de supernæ felicitatis dulcedine gustant. Hi planè etiam in carne, rarò licet raptimque, complaciti libertate fruuntur. Cæterùm prima libertas arbitrii, tandiu quodammodo captiua tenetur, quandiu illam duæ istæ libertates minimæ aut minùs plenæ comitantur. Nec aliunde noster ille defectus venit, de quo Apostolus, *Vt non quæcunque vultis*, ait, *illa faciatis*. Velle siquidem inest nobis ex libero arbitrio, non etiam posse quod volumus. Hinc & illud est; *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam. Video aliam legem captiuum me ducentem.* Hîc quantislibet quis intus forisque tentationibus vrgeatur, libera profectò semper, quantùm ad arbitrium spectat, voluntas erit. Quantùm autem pertinet ad consilium, siue complacitum, carnis internùs concupiscentia, vitæque miseria reluctante, minùs quidem se liberam sentit, sed prorsùs non malam, dum malo non consentit. Denique siue Dei simus, siue Diaboli, non tamen similiter desinimus esse & nostri.

Sine illis arbitrium quodammodo captiuum.
Galat. c. 5.
Sap. c. 9.
Rom. c. 7.

Abesse quidem ab inferis duplicem illam libertatem, ratio ipsa clamat, & scriptura. Esse in cælo perfectam, nemo dubitat, vbi liberum arbitrium cautum à peccato est, tutum à miseria. De Adamo in prima sui origine quæritur, an vtranque possederit? Certè perfectam non habuit, qui potuit amittere: qui & velle potuit, quod non debuit; & recipere quod noluit, dici non potest habuisse verum sapere & plenum posse, cautus à peccato, liber à miseria. Ipsi tamen aliquid magnum contulit originalis iustitiæ abundantia. Quare in vtraque gradus duos distinguimus, superiorem, & inferiorem. Superior libertas consilii est, non posse peccare; inferior, posse non peccare. Superior libertas complaciti, non posse turbari; inferior, posse non turbari. Inferiorem hunc gradum, cum plena libertate arbitrii accepit homo, & de illo corruit peccando. Cecidit enim de posse non peccare, in non posse non peccare, amissa ex toto consilii libertate: Itemque de posse non turbari, in non posse non turbari, amissa ex toto complaciti libertate. Sola remansit ad pœnam libertas arbitrii, per quam vtique ceteras amisit, ipsam tamen amittere non potuit. Per propriam quippe voluntatem seruus peccati factus, meritò perdidit libertatem consilii. Porro per peccatum factus debitor mortis, quomodo iam valebat libertatem retinere complaciti? Ex illo voluntas hominis suo ipsius pondere deuoluta ruit in præceps, prægrauata non solùm lege peccati originaliter membris insiti; sed etiam consuetudine terrenæ habitationis vsualiter affectionibus molita. Quæ duo huius mortalitatis mala sicut non nocent, sed exercent non consentientes; sic non excusant, sed damnant consentientes: vt nec salus, nec damnatio vlla ratione sine præcedenti consensu voluntario possit haberi.

Quando fuerint in Adamo.

Gradus duo superior & inferior.

Lapsus autem ex voluntate, non æquè ex voluntate resurgere iam liberum habet, quia etsi datum fuit voluntati posse stare ne caderet, non tamen resurgere si caderet. Nemo proinde putet ideo dictum Liberum Arbitrium, quòd æqua inter bonum aut malum facultate aut potestate versetur: quum cadere quidem per se potuerit, non tamen resurgere, nisi per Domini spiritum. Quare reformari oportet, & sanari. Hîc qui rectè sapiunt, triplicem confitentur operationem, non quidem Liberi Arbitrii; sed diuinæ gratiæ in ipso, siue de ipso. Prima est creatio, secunda reformatio, tertia consummatio. Primò namque in Christo creati sumus, in libertatem voluntatis: secundò reformamur per Christum, in spiritum libertatis: cum Christo deinde consummandi in statum æternitatis. Habet igitur homo necessariam Dei virtutem & Dei sapientiam Christum, qui ex eo quòd sapientia est, verum ei sapere reinfundat, in restaurationem liberi consilii: & ex eo quòd virtus est, plenum posse restituat, in reparationem liberi complaciti; quatenus ex altero perfectè bonus, peccatum iam nesciat; ex altero plenè beatus, nil aduersum sentiat. Sed ea perfectio felicioris vitæ est in cælo: interim verò sufficit in hoc corpore mortis, ex libertate quidem consilii, peccato non obedire in concupiscentia: ex libertate autem placiti, aduersa non formidare pro iustitia.

Arbitrium liberatur à Christo.

Is ergo naturæ lapsæ reparator, & liberator arbitrii, ascendens in altum, dona dedit hominibus, eaque diuisit in merita; & præmia. Nam qui fecit quod saluaret, etiam dat vnde saluet. Tolle Liberum Arbitrium, non erit quod saluetur: tolle gratiam, non erit vnde saluetur. Opus hoc sine duobus effici non potest, vno, à quo fit: altero, cui, vel in quo fit. *Deus auctor est salutis*; Liberum Arbitrium tantùm capax: nec dare illam nisi Deus, nec capere valet nisi Liberum Arbitrium. Ibi itaque Deus homini benignè merita constituit, vbi per ipsum & cum ipso boni quippiam operari dignanter instituit. Hinc coadiutores Dei & cooperatores Spiritus Sancti, promeritores regni nos esse præsumimus, quòd per consensum vtique voluntarium, diuinæ voluntati coniungimur. Deus dat homini, secundùm Apostolum, cogitare, velle, perficere: hæc tria operatur in nobis, primum profectò sine nobis, secundum nobiscum, tertium per nos facit. Neque primum, in quo nos nihil facimus: neque vltimum, quod plerunque extorquet aut timor inutilis, aut simulatio damnabilis; sed tantùm medium nobis reputatur in meritum. Cauendum ergo ne cùm hæc inuisibiliter intra nos, ac nobiscum actitari sentimus, aut nostræ voluntati attribuamus quæ infirma est; aut Dei necessitati, quæ nulla est; sed soli gratiæ, qua plenus est. Ipse liberum excitat arbitrium, cum seminat cogitatum: sanat, cum immutat affectum: roborat, vt perducat ad actum; seruat, ne sentiat defectum. Sic autem ista cum libero arbitrio operatur, vt tantùm illud in primo præueniat, in ceteris comitetur: ad hoc vtique præueniens, vt iam sibi deinceps cooperetur. Non tamen partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere indiuiduo peragunt. Totum quidem hoc, & totum illa, sed vt totum in illo, sic totum ex illa.

Cooperantur gratiæ Christi.

Homines Dei coadiutores.

Sic meretur premium. Ista autem quæ per liberam possessionem nostra interim fiunt merita, in futuro per gratuitam sponsionẽ expectamus, imo expetimus, Rom. c. 6 vt debita. De quibus Paulus *habebitis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* Hæc est corona iustitiæ, quam sibi repositam præsumit, non suæ, sed Dei. Cuius tamen suæ iustitiæ ipsum Deus voluit habere consortem, vt & coronæ faceret promeritorem. Operum videlicet quibus erat repromissa corona, habere dignatus est coadiutorem. Porro coadiutorem fecit, cum fecit volentem; hoc est, suæ voluntati consentientem. Itaque voluntas in auxilium, auxilium reputatur in meritum.

Hæc est S. Bernardi de Libero Arbitrio doctrina, libro illo fusè explicata, eius verbis breuiùs collecta, quibus & voluntati libertatem, & libertati indifferentiam, & gratiæ necessitatem, & operibus meritum, præclarè post alios Patres, ipsumque in primis Augustinum, adstruit. Vt præterea non immeritò quærere (Iansen. Tom. 3. l. 7. c. 5.) possimus à Iansenio, quo iure se glorietur *ex Augustino, Bernardo, ceterisque tum Patribus, tum Scholasticis asseruisse, libertatem arbitrij generalem & naturalem, non esse aliam, nisi à necessitate, per quam patet eos solam coactionem intellexisse. Ex quo fit, vt apud eos liber actus idem sit, qui non coactus.*

SECTIO VII.

De quæstionibus cum Gotteschalco disputatis quæ sit Augustini doctrina in libris posterioribus contra Iulianum recentissima editione perfectis. Ac primùm, De Libero Arbitrio.

De libris istis nuper editis. ET hæc quidem annis superioribus commentabamur, cum adhuc apud Claram Vallem iaceret in tenebris ille Thesaurus, ex quo partes istas Lupus extraxit. Lubuit tamen primas curas describere, quòd inita ex æquo cum erudito Dissertatore pugna, plus natiui candoris, nec minùs roboris habere videretur. Nunc verò cum videmus pretiosam hanc gazam ex ipso S. Bernardi sinu, felicissimo labore atque industria Hieronymi Vignerii (Vignerius eorum editor.) Congregationis Oratorii Presbyteri, vel eo nomine de Theologia, deque tota Ecclesia optimè meriti, publici iuris factam esse, religio fuerit intactam illam præterire, neque quid ad disputationem nostram momenti alterutram in partem attulerit, explorare. Ad eius certè sideris exortum neutra pars antea contendentium dissimulare potest, magna expectatione animos omnium stetisse suspensos, dum singuli sibi apertè suffragaturum sperant, quem omnes magnis clamoribus suum æquè prædicant. Verùm illo studiosè, vt facilè credimus, lecto, desperationem suam Ianseniana turba silentio hactenus declarauit: nobisque monstrandum reliquit, quàm nihil præsidii pro suis erroribus habeat Gotteschalcus in illustrissimo Doctorum, eiusque opere quod postremum octogenario proximus, cælo maturus elaborauit. Plenam hîc operam non polliceor, superiorum librorum altercatione defunctus ad fastidium: sed ad summa capita digitum intendere contentus, aliorum studia rudi designatione, siquando necessarium videbitur, excito.

Quare, vt à Libero Arbitrio incipiam, quod & in huius Opusculi proposito caput est, & (1. obseruatio, de Iuliani persona.) primum in libello de Tribus quæstionibus apud Seruatum Lupum ordinem ducit, & frequentissimè his libris Augustinus aduersario cogente retractat: Obseruandum in primis arbitror, Hipponensi Aquilæ cum columbô certamen esse, cum Iuliano adhuc iuuene, ventosæ scientiæ, & superbæ eloquentiæ viro, *qui valdè acutus, & eruditus, & philosophaster, & dialecticus vult videri.* Eam ob rem, vt vanos hominis frangat spiritus, omnia eius dicta ad viuum resecare gaudet, & multa in eius doctrina reprehendere non rarò, quæ simpliciùs disputanti, sine fidei periculo (Definitio liberi arbitrij, qualis) condonare non vereretur. Exemplum pono in definitione Liberi Arbitrii per Iulianum (l. 6. n. 10.) prolata: *Dixisti enim Liberum Arbitrium non (l. possibilitatem.) esse aliud, quàm possibilitas peccandi, & non peccandi.* Quis hoc Catholicus impunè non dixerit de homine de quo agitur, deque eius in moralibus actionibus libertate, quæ sola quæritur? At ne sibi Iulianus arrideat, ad communem libertatis notitiam prouocat Augustinus, quæ & Deum, & Angelos, & beatas in cælo mentes complectitur, quibus sanè definitio illa conuenire non potest. *Te fallit definitio tua, qua primùm ipsi Deo liberum arbitrium abstulisti, quem non negas, & hoc sæpe dicis, & verum est, non posse peccare. Deinde, ipsi sancti in regno eius liberum arbitrium perdituri sunt, vbi peccare non poterunt.* Eodem (l. 5. n. 47.) adducit & causam Diaboli. *Quid dicis de Diabolo, de quo scriptum, Ab initio Diabolus peccat: possibilitatem peccandi habet, an necessitatem?* Si *necessitatem tu videris,* cum tua videlicet libertatis definitione; *Si autem possibilitatem, potest ergo & non peccare, potest habere bonam voluntatem, potest agere pænitentiam.* (Ibid. n. 38.) Atque alibi eandem definitionem alio ex capite vexat. *Et hoc putas ad naturam liberi arbitrij pertinere, vt possit vtrunque, & peccare, scilicet, & non peccare: & in hoc existimas hominem factum ad imaginem Dei, cum Deus ipse non possit vtrunque.* Si rectè attendimus, id non arguitur, quòd peccandi, & non peccandi potestas pertinere dicatur ad liberi arbitrii essentiam, aut peccati ipsius rationem; sed quòd in eo positam putet Iulianus hominis cum Deo similitudinem. Absurdè id quidem & imperitè, cum Deus eo careat, quod ab illo per similitudinem acceptum esse nugatur.

Et ne fœdam peccati materiam diutiùs tractemus, in virtute Iuliani expendenda, non alio modo versatur. *In eo planè quod dixisti, Bonû* (Ibid. n. 61.) *hoc quod virtus dicitur, non esset voluntarium, si necessitatem boni haberet: necessitatem autem mali pertulisset, si non habuisset* (l. boni pertulisset.) *possibilitatem mali.* Prior pars assertionis; si hominem viatorem attendis, solida veritate nititur. In posteriore, de verbo lis creatur: quòd libentiùs *Necessitatem boni pertulisset,* scripserit, quàm *habuisset.* Quid tamen ad hæc Augustinus? *Prorsus oblitus es Deum, cuius virtus tantò magis est necessa-*

staria, quantò magis eam sic vult, vt nolle non possit. Hoc profectò Iuliani disputationem aliò deflectit. Nos verò ad Lupi Ferrariensis mentem propriùs accedamus.

Naturalis appetitus beatitudinis. Augustini ais ista sententia est: *Hominis liberum arbitrium congenitum, & omnino inamissibile si quærimus, illud est, quo beati omnes esse volunt, etiam hi qui ea nolunt quæ ad beatitudinem ducunt.* (August. l. 6. n. 11.) Dic amabo, de natura loquitur, an de moribus? De natura, inquis. Quid illud *vel etiam*? finem ostendit necessarium & congenitum: nos media quærimus, quorum est electio. Mores formamus, vt ad veram beatitudinem plana & recta via grassentur. De moribus igitur disputatio est. Dices-ne illos & congenitos esse, & inamissibiles, siue mali ad inane beatitudinis simulacrum, siue boni ad perfectam beatitudinem ducant? Quid dissimulas quod aliquantò post in Augustino legisti, libertatis vtriusque distinctionem solaribus radiis scriptam? *Immutabilis autem cum qua homo creatus est, & creatur, illa libertas est voluntatis, quâ beati esse omnes volumus, & nolle non possumus.* (Ibid. n. 11.) Agnoscis naturam, sed inefficacem ad optimum finem. *Sed hæc vt beatus sit quisque, non sufficit, nec vt viuat rectè, per quod beatus sit.* Aliàs & naturâ beatus esset homo, & æquè omnes beati, quia omnibus indifferenter congenitum est, & immutabile liberum illud arbitrium beatitudinis expetendæ. *Quia non ita est homini congenita libertas, immutabilis voluntatis quâ velit possitque bene agere, sicut congenita est quâ velit beatus esse, quod omnes volunt, & qui rectè agere nolunt.* Vides ergo libertatem duplicem, alteram in appetitu naturali, alteram in motibus arbitrariis: illam velut speculatiuam, hanc positam in actione: illam finis, hanc mediorum: illam per se sterilem & torquentem, hanc fœcundam semper, imò perpetuò parturientem & liberos assiduè quærentem, per quos in illa congenita possit conquiescere.

Indifferentia libertatis. Atque huic posteriori libertati humanæ, de qua sola controuersamur, illam inesse quam volumus indifferentiam, tum Augustinus, tum Iulianus concordibus animis profitentur. Nam cum definit ille Peccatum, *Voluntatem retinendi, vel amittendi quod iustitia vetat, & vnde liberum est abstinere.* (August. l. 1. n. 44.) Hic autem verbosiùs, sed non expressiùs, *Peccatum nihil est aliud, præter voluntatem excedentem ab eo calle cui debet insistere, & vnde liberum est non deflectere. Fecit autem* (hoc est deflexit) *de appetitu inconcessorum, & nusquam est nisi in eo homine, qui habuit voluntatem malam, & potuit non habere.* Ad hæc omnia quid Athletæ nostri? Definitionem Augustini mirum in modum extollit Iulianus. *O lucens aurum in stercore! Quid verius, quid plenius dici à quoquam vel Orthodoxo potuisset?* Augustinus Iuliano directè non repugnat, sed Adamum solum definitione sua tetigisse se admonet, non eius posteros, curante hæresim cautione, de qua postea, ad quam interim ista pertinent. *Ex quo homo incipit vti voluntatis arbitrio, & peccare & non peccare potest: sed alterum horum non facit, nisi adiutus ab eo qui dixit: Sine me nihil potestis* (Ibid. n. 98) *facere.* Atque cùm multa Iulianus de necessario, deque possibili disputaret, respondet Augustinus, *A necessitate quidem satis euidenter & apertè discernitur, quod ita fieri potest, vt non sit necesse, hoc tu possibile appellas, tanquam impossibile sit, quod fieri non solùm potest, verum etiam necesse est. Sed quoniam placuit talia duobus istis nomina imponere, intelligamus vt possumus, & feramus.* (l. 5. n. 55.) Cumque Iulianus idem præcisè concluserit, peccatum esse à libera voluntate, illam sic admittit Augustinus; *Nec Angelus nec homo peccare compulsus est: nec peccassent si peccare noluissent, qui etiam nolle potuissent.* (Ibid. n. 5.) Et inferiùs, *Ambo non ex necessario, sed ex possibili peccasse hominem primum confitemur. Prorsus peccare poterat & nō poterat.* (Ibid. n. 10.) Denique ne morer in hoc articulo scrupulosiùs, ineunte tota lite, cum eā à rei ipsius definitione Iulianus auspicandā duceret, quæ sine dubio facilis & aperta est doctrinæ tradendæ methodus, reperit in ea quod argueret Augustinus, *Apostoli ergo qui disputationum suarum inchoationes, non à definitione sumpserunt non erant docti; & tamen erant doctores Gentium, & contemptores doctorum talium, de quibus te delectat inflari.* (l. 2. n. 77.) Ac mox ea posita regula disciplinæ, cum ad libertatem arbitrii definiendam diceret Iulianus, *Libertas arbitrij, quâ à Deo emancipatus homo est, in admittendi peccati, aut abstinendi à peccato possibilitate consistit.* (Ibid. n. 38.) Qua definitione allusit meo quidem iudicio, vel ad Apostolicum filium-familias, qui *sub tutoribus & actoribus est vsque ad præfinitum tempus à patre*: (Gal. 4.) aut ad illud potiùs Ecclesiastici, *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui,* (Eccles. c. 15.) quod est, iuris illum sui fieri à Deo, non autem à Dei familia, vt Euangelicum prodigum recedere: nihilominus id ipsum atque solum in ea descriptione reprehendit Augustinus. *Emancipatum hominem dicis à Deo, nec attendis hoc cum emancipato agi, vt in familia patris non sit.* In his atque aliis passim occurrentibus, putauit Augustinus cum homine litigioso, & arrogante tantisper ad eius correptionem vitilitigandum esse, ne sibi sapiens videretur. Atque illo, vt arbitror, vsus est consilio sapiens Theologus, quo suadent Rhetores, à reo nunquam omitti narrationem, licet eam actor satis accuratè fideliterque deduxerit: quoniam tacita illa veri confessio, & fidem aduersario conciliat, & falsis redarguendis aditum tollit.

Sit ita, inquies, quanquam indignum est artes rhetorum in eum conferre, qui aduersarii dialecticam ridet vsque ad contumeliam, *grossum dialecticum* appellans, (Obiectio.) verè tamen dici non potest, pleraque istorum contradicendi studio potiùs, quàm docendi zelo vellicasse: maximè cum reprehensionis ratio supernumero in eius verbis appareat. Nam, vt ne à superioribus quidem discedamus, definitionem Iuliani ad primum tantùm hominem retulit, posteros sanè tali peccato mortuos excludens. Et cum professus est, hominem voluntatis arbitrio peccare posse, & non peccare: mox subiecit istud, non per se, sed adiuuante Dei gratia posse: quæ necessaria fuit aduersùs Pelagianos exceptio.

Responsio et 2. obseruatio de haeresi Iuliani, Seruit hæc obiectio proposito nostro, & secundam obseruationem parit, Augustino rem esse cum hæretico Pelagiano professo, qui cum se Catholicum vocat, & Ecclesiæ Catholicæ doctrinam, quod gloriosi solent hæretici, pro sua venditat; incautos potest decipere. Cum autem iisdem hæreticis solenne sit, aut venusto verborum tectorio sordes suas celare, aut contegere silentio, necessarium subtili doctori fuit illas retegere, & quod erat in quæstione, sæpius inculcare, ne dum splendidâ oratione lector oscitans capitur, ignarus venenum toxicum ebibat. Hac disputandi formâ vsum esse Hincmarum in opere vidimus, & obstinatiùs geminam prædestinationem, malorum æquè vt piorum exhorruisse, quòd voce in speciem indifferente, suum errorem Gotteschalcus obuolueret. Sic Augustinus salubri quadam importunitate, Iuliani dicta de Liberi Arbitrii indifferentia ad peccandum & non peccandum, quæ si simpliciter spectantur notæ non malæ sunt, cogitur ad Lydium lapidem diuinæ gratiæ frequentiùs admouere, ne sibi concessum existimet, posse suis viribus hominem vt peccare, sic & præsenti tentatione à peccato abstinere. Ita cum verè, modò sincerè, dixit Iulianus, *August. l. 5. n. 28.* *Non ergo imputat iustitia in peccatum, nisi vnde liberum est abstinere*: Ne cauda colubri sub illo cortice delitescat, arguit Augustinus, *Quomodo liberum est abstinere, vbi clamatur, Quod nolo, hoc facio? Aliter ergo natura humana peccauit, quando ei liberum fuit abstinere à peccato,* (in persona protoplasti) *aliter nunc peccat perdita libertate, quando eget liberatoris auxilio.* Sic, obiiciente Iuliano debuisse Augustinum confiteri, quod sanè bono & Catholico sensu nemo Theologus *l. 1. n. 76* negauerit, *Datam à Deo Libertatem Arbitrij in hominum permanere natura.* Negat illud præcisè Augustinus, Pelagianæ videlicet sententiæ metu, disputatque Libertatem in eis non manere, *Qui vt liberentur à seruitute, qua victori peccato addicti sunt, diuina indigent gratia.* Denique, quoties peccandi & non peccandi potestatem in Arbitrio Libero nominat Iulianus, quam Catholicus quilibet securè asserat, vult semper Augustinus posteros ad Adamo distingui, & in illis eam libertatem à Christo seruatore procedere: quod Catholici absque monitore prædicant.

3. obseru. de peccato et pœna peccati. Tertia obseruatio, ex eadem cum Pelagianis altercatione proficiscitur, distingui ab Augustino peccatum solum, à pœna peccati. Sic *l. 1. n. 47.* enim fusè sub operis initium. *Ista tria discernas, et scias aliud esse peccatum, aliud pœnam peccati, aliud vtrunque, id est, ita peccatum, vt ipsum sit etiam pœna peccati. Horum sanè trium generum si requirantur exempla, primi generis in Adam sine vllo modo quæstionis occurrit.* *l. 1. n. 10.* Ad quem proinde pertinet Augustini definitio, voluntas retinendi vel consequendi quod iustitia vetat, & vnde liberum est abstinere. *Secundi autem generis, vbi tantummodo est pœna peccati, exemplum in eo malo est, quod quisque ex nulla parte agit, sed tantummodo patitur: velut cum pro suo scelere, qui peccauit occiditur. Tertium verò genus, vbi peccatum ipsum est, et pœna peccati, potest intelligi in eo qui dicit, Quod nolo malum hoc ago.* Sanè concupiscentia corrupta, & lex membrorum repugnans legi mentis. *V. l. 6. n. 17.* *Ad hoc pertinent etiam omnia quæ per ignorantiam cum aguntur mala, non putantur mala, vel etiam putantur bona.* Ex hac regula Augustinum intelligimus, quoties docet, (docet autem contrà Pelagianos sæpissimè) non abesse à peccato necessitatem, de carne aduersùs spiritum concupiscente, & quadam violentia corruptionis ad peccatum rapiente; non autem de necessitate quæ opponitur voluntario, vt vel peccatum liberum non sit, vel libertas cum necessitate possit consistere. *Vult, et non agit quod bonum est: non vult et agit quod malum est: vnde* *l. 5. n. 99.* *ista necessitas? Agnoscunt eam quidem Catholici doctores, quia vident sancti quantum bonum sit nec carne concupiscere, quæ mente auersantur, eosque id velle nec facere: et malum esse, quamuis mente non consentiente, vel carne tamen talia concupiscere, eosque id nolle, sed facere, sine vllâ quidem condemnatione,* (sine culpa & reatu) *quoniam peccati huius reatu generatione deleto, resistunt mente, ne perficiant quod concupiscunt carne.* Est igitur in carne, originis, ac non tantùm consuetudinis necessitas, & non propriè peccatum: in mente autem libertas ad consentiendum, aut auersandum, ac proinde indifferentia voluntatis: vt etiam positâ immani membrorum rebellione violentiaque, præsente gratia, quæ nemini tentato deest, possint pii cum resistunt, consentire, improbi cum maximè consentiunt, auersari.

Itaque ne disputationem hanc ex longa faciamus longiorem, concludimus esse ex Augustini doctrina indifferentiam & specificationis & exercitii in humana, quantumcunque corrupta libertate: alienam à nostra quæstione videri Seruati Lupi citationem, & congeniti atque immutabilis arbitrii mentionem, licet initio à nobis vtcunque excusatam. Prædestinatianos, & infelicem eorum stolonem Gotteschalcum, ex istis, aliisque id genus Augustini scriptis malè intellectis, perperam collegisse, nullum homini ad bene agendum remansisse Liberum Arbitrium, istud captiuum esse, necessitate ad malum rapi, etiam nolentes malè agere, & similes hæreticorum nænias.

SECTIO VIII.

De Prædestinatione, vocatione Dei, Christi redemptione, quid his in libris doceat Augustinus.

De Prædestinatione locus citatus à Lupo explicatur. QVò rariora sunt, atque obscuriora aliarum quæstionum vestigia in opere isto perfecto, eò leuiùs decurretur. Nam prolixior ille locus in Lupi Collectaneo productus ex libro *August. l. 5. n. 64.* 5. quo maximè dicuntur *Hædi sinistræ partis, in finem sine pænitentia victuri in impietate et sceleribus suis, ac per hoc æterno supplicio puniendi,* & tales Deo præcogniti, præscio omnium futurorum. Additur prætereà, eorum in Dei præscientia, quæ falli non potest, igni perpetuo destinatorum, multos esse qui lau-

cro regenerationis abluti, postea vel apostasia pereunt, vel tam facinorosè, flagitiosèque viuunt, vt eidem sinistræ parti sine dubio deputentur. Quomodo, inquam, locus ille in rem Prædestinatianorum veniat, equidem nescio. Nam si futuri præscientia ostentatur in Deo, quis eam negat, & falli posse arbitratur? At per eam in voluntates hominum necessitatem nullam induci, neque rerum esse causam Catholica Epistolari) Lugdunensis regula est. Si *destinatos*, & *deputatos igni perpetuo* exhibes ad geminæ prædestinationis assertionem; quàm frigidè centies concessa vox tanto apparatu aduocatur in scenam? Quàm nihil virium in ea loquendi forma ponit, qui de cadente Angelo dixit aliàs, *Sic punitus est, non faciendo quod debuit, vt nec velle iam possit æternis etiam cruciatibus destinatus.* Deputatum iam nunc intelligit, quem velut in futurum appellat destinatum, & verbi curam negligit. At, inquis, *præscientia falli non potest, sine dubio deputantur*; ergo aliud esse non possunt; antecedenter & absolutè tales sunt; fatum illorum est ex Dei decreto, vt pereant. Verùm expressè fatum proscribit Augustinus, vt & Ferrariensis Lupus. *Neque vt hoc eis Deus tam magnum beneficium non conferat, fatali necessitate prohibetur, neque vt alijs conferat, personarum acceptione mutatur.* Neque vsquam antecedens, & omni penitus modo immutabile decretum Dei de saluandis electis, reprobisque damnandis nominat Augustinus. Nusquam negat offerri gratias reprobis, quibus supplicia possint euadere sceleribus destinata: nusquam eos affirmat, quæ Prædestinatiana blasphemia est, sic ad interitum deputatos esse, vt eodem decreto ad peccata, quæ pariunt interitum, sint destinati.

Iam verò cum vasa in honorem, in contumeliam, vasa iræ & bonitatis hoc in opere, velut in abaco spectanda frequenter exhibeantur, quæ est communis Prædestinatianorum cantilena, quia se discipulos Augustini gloriantur, quid est quod hinc in Collectaneum suum, antea prolatum à nobis, nihil eorum intulit Prudentius? An fuerunt hi libri Trecassino incogniti, quos Ferrariensis Abbas accuratissimè perlegit? An potiùs hos locos nihil ad antecedentem prædestinationem nobis demonstrandam momenti habere credidit: similes autē descripsit ne allegoriam penitus spernere videretur?

Quæstionem tertiam cum hac coniunctam, de Deo homines omnes vocante, verbo absoluit, qui omnibus etiam reprobis vult gratias dari quibus ad pœnitentiā inuitentur, & salutē. Nam Iulianus ex illo Scripturæ loco iustitiam Dei prudentissimam esse monstrabat: *Si enim inimicos seruorum tuorum & morti deditos cum tanto cruciatu admonitionis liberasti, dans tempus & locum per quem possit mutari malitia*, &c. Quæ duo vana essent & irrita, nisi quadrantes in tempus & locum gratiæ interiores adderentur. Estque comparatio minorum: Si datur impiis Chananæis locus pœnitendi, quātò æquiùs & abundantiùs ea gratia conferetur in filios? Augustinus autem respondens, hoc vocationis beneficium non denegat: quin potiùs causam affert cur impendatur à Deo, etiam non vsuris, & gratias illas tantùm sufficientes esse non etiā efficaces possessuris. *Quare Deus cum sit præscius omnium futurorum, tempus & locum per quem possit mutari malitia, dederit etiam eis; de quibus dictum erat, Quòd eorum cogitatio non poterat mutari in perpetuum, satis ostendit, vbi ait, Bona spei fecisti filios tuos, quoniam iudicans das in peccatis locum pœnitentiæ. Ad hoc ergo datur tempus & locus pœnitentiæ, etiam filijs iræ deditis morti, & pœnitentiam non acturis, quia sunt inter illos, vel exorturi sunt de illis filij misericordiæ, quibus hoc prosit, quod illis non profuit. Itaque etiam super filios perditionis non est manus Dei, nec infructuosa sapientia.* &c. Quemadmodum alicubi docet Chrysostomus, longiore vita perdita Esau, virtutibus humanis prouisum esse; qui si celeri morte succisus fuisset, Iobum patientiæ spirans simulacrum inter posteros orbi non dedisset. Vides igitur vocari ad pœnitentiam non venturos actu; inuitari ad mutandam cogitationem, eos qui ex inolita praui consuetudine mutare non possunt, aut certè mutabunt nunquam: & his perditionis filiis non esse inutilem Dei patientiam: profuturas aliis gratias, quas isti pessumdant. Illis ergo Chananæis tantorum criminum reis, qualia eo Sapientiæ loco commemorantur, hominibus quos *exhorruit* Deus, homicidiis, idololatris, quos non ignorabat *mutari non posse in perpetuum*, ad pœnitentiam vocatis, & ad Dei vocationem admissis, qui iam alii ex orbe terrarum, ex omnibus seculis possunt excludi?

Copiosam denique apud Deum & Christum redemptionem in omnes generali beneficio effusam, non aliunde meliùs probare potest Augustinus, quàm ex paruulis omnibus sine discrimine ab ea pendētibus. Licet enim à disputatione sua Gotteschalcus illos perpetuo suo silentio exclusisse videatur; certum est tamen argumentū, si pro paruulis, proque illis omnibus mortuus est Christus, pro omnibus omnino cuiuscunque ætatis hominibus esse mortuum. Non enim gratiæ per Christum paratæ necessitatem ætas facit aut conditio: & qui nascimur bonorum omnium nuditate deformes, ita, nisi aduenerit regeneratio, malis omnibus obruti viuimus morimurque. *Contendunt* quippe *Catholici, quod esse noluistis, conditam bonam peccatoque vitiatam naturam, medico Christo indigere à paruulis vsque ad senes; quoniam pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt.* Quod antea dixerat expressiùs. *Si non eruuntur paruuli de potestate tenebrarum, non sunt mortui: si non sunt mortui, non pro eis mortuus est Christus. Tu autem etiam pro ipsis Christum mortuum confiteris; & idem Apostolus dicit, Vnus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt. Conclusio hæc Apostoli inuicta est; ac per hoc, quia & pro paruulis mortuus est, profectò etiam paruuli mortui sunt.* Item alibi. *Si secundùm Apostolum sicut putas, nullum delictum habent paruuli, vnde ergo secundùm Apostolum mortui sunt? Quia & secundùm te, etiam pro ipsis mortuus est Christus. Vnus enim pro omnibus mortuus est. Iuliane, non hoc Augustinus, sed Apostolus dixit, imo ipse per suum Apostolum Christus cohibet te vaniloquio. Cede Deo.* Plura attuli, quia illud est argumen-

Marginal notes (left column): 1. de 3. epist. c. 4. — l. 6. n. 26 — l. 5. n. 64. etc. — *Allegoria de vasis.* — *omnes à Deo, ad salutem vocati.* — Sap. c. 12. Aug. l. 4. n. 93. — *Gratia sufficientes.*

Marginal notes (right column): *Gr. non mutaretur.* — Chrysost. hom. 10. de pœnit. — *Christus pro omnibus mortuus.* — August. l. 3. n. 37. — l. 2. n. 64. — 2 Cor. 5. — l. 2. n. 133. vide & l. 4. n. 9.

tum quod impactum, & inculcatum ab Augustino supra videbamus: exigitque tantùm locus hic adnotari, dictum Apostoli ad omnes omnium ætatum, generum, seculorum homines pertinere, quod controuersiæ necessitas ad paruulos quodammodo contrahi cogit.

Pelagianū est negare Christum pro omnibus esse mortuum.

Quam ergo vim *inuictam* præuidet Augustinus in ea ratione pro paruulis, eam nos pari iure pro hominibus planè omnibus, vsurpamus: vt iudice Augustino & ipsa veritate, quisquis pro aliquibus hominū Christum esse mortuum negauerit, cum necesse sit ab iis peccatū originale tollere, & in Pelagii castra transire.

Eucharistiæ necessitas secundum Augustinum.

Eiusdem roboris est apud Augustinum, imposita paruulis Eucharistiæ participandæ necessitas, quàm aquis lustralibus minorem non esse, priuata opinione credit Doctorum coryphæus. Nam vt dixit Christus, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto*; ita est ab eo dictum, *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem.* Vtrunque sacramentum Christi mortis beneficium & effectus est: Vtrunque præceptum, omne in vniuersum genus hominum, excepto nemine vno, concludit: vtriusque legis formula negatiua est, nihil vt extra esse permittat. Sic igitur ex illa magni Doctoris sententia ratiocinari licet. Cuicunque necessaria est ad vitam æternam Eucharistiæ participatio ante mortem, ei penitùs fatendum est prodesse Christi mortem: atqui nemo homo est, ne infans quidem cuius est diei vnius vita super terram, cui Eucharistiæ participatio ante mortem necessaria non sit ad vitam æternam: ergo fatendum est neminem esse hominem, ne infantem quidem cui Christi mors non prosit, siue, quod eodem redit, pro quo Christus non sit mortuus. Hæres dubius in minori Iuliane?

l. 3. n. 44. *An contra istam Christi sententiam disputabis atque clamabis dicens, Prorsus etiamsi non manducauerit carnem Christi, neque biberit eius sanguinem, vita viuet? O vocem, cuius nisi Antichristi? Vade, dic ista, doce ista. Audiant te Christiani viri & feminæ: audiant homines mente corrupti, reprobi circa fidem. Audiant te, honorent te, pascant, vestiant, ornent te, & perditum sequendo, perdant & se.* Fateor equidem opinionem hanc Theologici modò saporis non esse, sed ex ea quam habet contestatam Augustinus, quamque populo Christiano persuasissimam tum fuisse modus iste dicendi commonstrat, validè concludo & Augustini, & eorum temporum vulgi Christiani opinionem certam & indubitatam extitisse, Christum pro omnibus hominibus esse mortuum.

Augustinus Iuliano acrius respondet.

Expleto igitur capitum istorum penso, pateris-ne Lector, ab Augustinianæ Theologiæ commentatione respirantem, ad ipsam respondendi methodum paulùm diuertere, & ex horum librorum hortulo flores aliquot acriores decerpere, quos ad nares aduersarii sui affricat Augustinus? Non erit inutilis, certè non intempestiua hæc oblectatio. Nam vbi videris doctum, & eloquentem Episcopum pro hæreticis partibus animosè disputantem, à veneranda canitie annorum pene octoginta, à medulla Christianæ sapientiæ, à viua sanctitatis cælo maturæ imagine, non iam flagellis, sed scorpionibus validè cædi, zelum non damnabis Catholicorum Theologorum, totis hisce contentionibus aduersùs nouantes, in forticulas aliquando voces æstuantem. Simul, ne me putes extra lineam ferri, in Iuliano Pelagiano, Gotteschalcani patroni, cui nos hoc in opere commissi sumus, non indocta manu expressam effigiem deprehendes.

Eius verba transferuntur ad Dissertatorem. August. l. 2. n. 34.

Nam cum Dissertatorem nostrum audis Rabano Mauro, Hincmaro, & antiquis scriptoribus, qui veri sunt historiæ fontes, reiectis, alios recentes aut testes, aut iudices postulantem, vt hæreticum neget esse Gotteschalcum, nonne id iure ac meritò responderi permittes, quod Iuliano, *Rei de qua nulla vnquam in Ecclesia Christi controuersia fuit, sicut nouus hæreticus, æquos iudices quæris; quasi tibi videri æqui iudices non possint, nisi quos vestro errore deceperis. Quem verò iudicem poteris Ambrosio reperire meliorem?* &c. Sed probari non possunt Hincmarus, & ex eo Flodoardus, oppositi Gotteschalco: non toleramus Annales Bertinianos infensos Prudentio, & quiqui Gotteschalcum digito lædunt, iniqui sunt. *Verùm in ipsis exclamationibus tuis audio. O calamitosam hominis prauitatem! Quia videlicet homo sum calamitosus & prauus, qui consentire eligo Ambrosio: essem verò beatus & rectus, si eligerem consentire Iuliano.* l. 4. n. 105. *Audio. O intentionem nefandam! Intentio quippe nostra nefanda est, quia opponimus Ambrosium Iuliano*; (Hincmarum Gotteschalco) *esset autem fanda si Iulianum præponeremus Ambrosio. Sed quid est quod audio tertiam exclamationem tuam: O falsitatem erubescendam! falsam-ne dicis esse Ambrosii sententiam?* Hincmarum nequam, & mendaciorum loquacissimum? Ex aduerso, cum idem Gotteschalcum suum reipsâ Dei seruum, probis imbutum moribus, virtutibus omnibus instructum facit, nonne illud Iuliani repræsentat? *Cum sanctus Pelagius venerabilium virorum tam Ambrosii, quàm Cypriani recordatus fuisset.* Ibid. n. 118. Ad quæ Augustinus, indicato tantùm contemptu. *Pelagium, quem vocas sanctum.*

Ibid. n. 119. Iuliano veritatem phaleratis & vndique corrogatis ratiunculis obscurare conanti, dicit Augustinus. *Inaniter omnino laborasti, vt ad istam conclusionem falsam, atque ridiculam longis & tortuosis, fallacibus & fugacibus anfractibus peruenires.* Gestientem subtiliter argumentari, eleganter loqui, aduersariis insultare, sic reuocat in gyrum rationis. *Quæris vbi spatieris, vagabunda loquacitate, non copiosus, sed odiosus eis qui rebus inhærentes, superflua verba contemnunt.* l. 3 n. 44. *Vinceris quippe ab aduersariis quos habes, & vincendos proponis tibi quos non habes. Quis enim tibi dicit falsum esse,* &c. Hoc est, quæ falsò aduersariis affingis, nullo illi negotio reuincent. Illius autem loquacitatem sic reprimit. *Ita quæris vnde libros loquacissimos impleas, vt etiam dialecticam* (Theologiam Laicus) *vbi opus non est, lectores eorum docere coneris,* &c. Ibid. n. 51. Et aliquantò vehementiùs, *Contra res apertas* Ibid. n. 88.

sic loqui, non est, vt putas, eloquentia laudabilis, sed incredibilis impudentia. Quodque
Ibid. n. 141. non immeritò vel Hincmarus, vel Annalista
Bertinianus Dissertatori dixerint. Scribenti
enim Iuliano, commenta Augustini grandiore
intelligi labore, quàm vinci. Respondet insultans. *Et laboras, & quod tibi est peius,
vinceris. Non laboras vt me intelligas, quod
facillimè potes: sed laboras, vt me refellas,
quod non potes.* Item istud. *Nihil dicis, & tamen dicis, & dicis, quanquam rectum non
potes inuenire quod dicas.*

l. 2. n. 183. Iam si veniat in rem præsentem Hincmarus,
apud Augustini tribunal de cōuiciis calumniisque inimici sui expostulaturus, quid aliud
quàm quæ dicta sunt Iuliano suam ad causam
poterit applicare? *Conuiciare quantùm potes:
quis enim conuiciosus hoc non potest? Nunquid vt habeas causam bonam conuiciando
facturus es? Si emeres ista conuicia, prodigum
l. 1. n. 11. te dicerem: gratis tibi adiacent; cur non eis
Ibid. n. 52. fruaris, quibus maledicum animum pascis? Aut
sciens calumniaris, si tu ista mentiris; aut nes-
Ibid. n. 58. ciens quid loquaris, cum mentientibus credis.
Sed iam satis sit quòd superiùs tuæ vanitati,
Ibid. n. 74. vel etiam malignitati ad ista respondi. Numquid ideò te victum consolaris, quia conuiciaris? Conuincia sunt ista non indicia: vellem
vt indicare posses, conuiciari autem quis im-
l. 3. n. 114. probus non potest? In conuiciando cui te dicam
similem, nisi tibi? Calumniose, contumeliose,
Ibid. n. 126. linguose, quid vis ampliùs?*

Neque verò solum Augustinum contumeliis vexat hæreticus: sed effusâ in Catholicos
l. 4. n. 129. omnes maledicentiâ, nuper excogitato nomine
verberat. *Contumeliosoore Traducianos vocas*
l. 5. n. 25. (Pelagianos, Semipelagianos, Molinistas)
l. 1. n. 6. *Cyprianum, Ambrosium, Gregorium, ceterosque socios eorum, confitentes originale peccatum. Sed non est mirum quòd noui hæretici
Catholicis à quibus exeunt, nouum nomen
imponunt. Hoc & alij fecerunt, quando similiter exierunt.* Quod & pluribus exemplis
confirmat inferiùs, aduersarii adactus importunitate, gloriosè & inuidiosè dicentis: *Ob
hoc vos imperitis auribus de nominibus Catholicorum virorum* (Gotteschalci, Ratramni,
Ibid. n. 75. Prudentii) *qui propter fidem Apostolicam
quam tuemur, nobiscum laborant, ciere inanem fragorem: vt qui timuissent Cælestiani à
vobis dici, amitterent cælestis fidei dignitatem,
& qui expauissent, ne à vobis Pelagiani dicerentur,* (Ianseniani) *in Manichæorum pelagus
præcipitarentur, putarentque se imperiti quique
nō posse Christianos appellari, si eos Traduciani Pelagianos appellassent.* Quasi si nō possent
& Christiani simul & Pelagiani, Ianseniani &
Catholici esse & censeri. *Cum è regione prudentes statuerent, quamuis nominum inuidiam sibi & iniuriam sustinendam magis,
quàm fidem Catholicam relinquendam.* Vt
Iansenianos inducit Dissertatio *gaudentes, pro
nomine Iesu contumeliam pati.* Quid ad hæc
Augustinus? *Vos autem non solùm à Catholicis, sed etiam ab hæreticis, à vobis similibus,*
(Caluinistis) *& à vobis dissentientibus* (paucis in articulis) *Pelagiani vocemini* (Iansenistæ) *Quemadmodùm non tantùm à Catholica, sed ab hæresibus etiam vocantur Ariani.
Vos verò soli nos appellatis Traducianos,*
(Molinistas) *sicut illi Homousianos; sicut
Donatistæ Marcianos, sicut Manichæi Pharisæos, & ceteri hæretici diuersis nominibus.*

Ad extremum, si gaudet in sinu Dissertator
amplissimus tanta aliquorum lætitia (quanquam non potest honesta esse vlla ab hæreticis laudatio) susceptam fuisse Dissertationem
suam; ac licet quidā Catholici scriptores historiam Gotteschalci summa cure perstrinxerint,
à nemine tamen hactenus plena responsione
fuisse reprehensum; quasi nihil ab vllo solidè potuerit opponi: Augustinum meminerit
Iuliano dixisse, *Prorsus Iuliane, non putasti
& mea & tua homines esse lecturos; sed eis
tantummodo scripsisti, qui meis ignoratis, sine* l. 3. n. 13.
*neglectis, nec vtrisque diligenter inspectis,
sola tua legere ac nosse curarent.* Quare non
verebor causæ veritatisque fiducia, lectores ad
hanc lucubrationem meam, Augustini verbis
inuitare. *Et nunc ego magis admoneo, vt illa
tua, & mea legant, qui volunt scire, quantùm ibi fueris à veritate deuius & quanta sis* Ibid. n. 64
veritate conuictus. Quod si deessent alia, sequens Opusculum apertè docebit.

APPENDICIS MISCELLANEÆ AD HISTORIAM GOTTESCHALCI OPVSCVLVM V.

Ad L. IV. c. XXXIV.

CONTROVERSIA SECVNDVM HINCMARVM terminata.

Per Innocentium X. Postulantibus Episcopis Galliarum.

PRÆFATIO.

Causa ad Romanum Pontificem defertur.

D*VM scribuntur ista, dum probantur, dum excuduntur, difficillimis Vrbis & Regni temporibus, pene lustrum effluxit. Interim vndique turbatur in Belgio, vnde prima mali labes, & in Gallia rerum nouarum auida susceptrice. Hinc militibus Iansenij Iprensis, & Ioannis Hauranij classico excitatis, nouitatem & Gotteschalci simulacrum inferentibus in Ecclesiam; inde veteranorum Catholicorum exercitu, fractis dudum Caluini copijs, & subiugatis prouincijs laureato, contra validè obnitente, & labem omnem Prædestinatianam ab Ecclesia fortiter repellente. Crederes Hincmariana tempora rediisse; adeo vis, odium, æmulatio, fraudes, corruptela, alij nouitatis satellites & administri tumultuabantur. Nec deerat ad summam malorum, seculare bellum criminum omnium officina, & excussa pueri Principis reuerentia, quidlibet audendi scribendique præceps & cæca temeritas. Inter hæc tamen spei radius affulsit, Gallicanis Antistitibus iniecta diuinitus mente, vt Romam ad arcem religionis, matrem & magistram, vt nostri loquuntur, omnium Ecclesiarum, recurrerent. Constat enim de controuersis quæstionibus inter Theologos priuatos, certamen esse & discordiam; in suprema auctoritate, iudicium. Delectæ igitur per Theologos Parisienses ex Augustino Iansenij propositiones non plures quinque, mittuntur ad Romanum Pontificem Innocentium X. à Prælatis, obnixè rogantibus vt de singulis apertè & distinctè sententiam ferre dignaretur. Animaduertebant enimuerò ab Iansenio ipso, Iansenianisque nouantibus Michaëlis Baij censura illudi, quòd eæ sententiæ aceruatim agglobatæ, communiter, & vt aiunt,* respectiuè *tantùm ferirentur. Est autem talis postulatio, cuius ipsi autographum vidimus.*

POSTVLATIO EPISCOPORVM GALLIÆ ad Pontificem Romanum Innocentium X.

Extat in Trisiphoveri p. 3. §. 1.

BEATISSIME PATER. Maiores causas ad Sedem Apostolicam referre, solennis Ecclesiæ mos est: quem fides Petri nunquam deficiens perpetuò retineri pro iure suo postulat. Æquissimæ huic legi obsequentes, de grauissimo circa religionem negotio Sanctitati Tuæ scribendum esse censuimus. Decennium est ex quo vehementissimis turbis Gallia magno nostro mœrore commouetur, ob librum & doctrinam Reuerendissimi Cornelij Iansenij Iprensis Episcopi. Tales quidem motus sedari oportebat, tum Concilij Tridentini auctoritate, tum Bullæ illius, qua Vrbanus VIII. felicis memoriæ, aduersùs Iansenij dogmata pronunciauit, & Decreta Pij V. & Gregorij XIII. in Baium edita, confirmauit. Atque huius quidem Bullæ veritatem ac robur, nouo diplomate vindicasti. Sed quia nulli sigillatim propositioni certa censuræ nota inusta fuit, locus etiamnum aliquis cauillis, & effugio relictus est. Intercludendum autem penitus speramus, si, vt precamur, Sanctitas Tua quid hac in re sentiendum sit, clarè distinctéque definiat. Obtestamur ergo vt has præsertim propositiones, de quibus disceptatio periculosior, & contentio ardentior est, Sanctitas Tua expendat, ac perspicuam & certam de vnaquaque sententiam ferat.

Iansen. pp. 19. 20. 21. 22. &c.

I. Aliqua Dei præcepta hominibus iustis volentibus, & conantibus secundùm præsentes quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque iis gratia, qua possibilia fiant.

pp. 2. 33. ad. 50.

II. Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ, nunquam resistitur.

pp. 2. 1. ad 18.

III. Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.

Iansenii historia de hæresi Pelagianorũ & Semipelagianorum.

IV. Semipelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei: Et in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas *resistere*, vel *obtemperare*.

Eiusdem pp. a 59. ad 63.

V. Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

Experta est nuper Beatitudo Tua quantùm Apostolicæ Sedis in gemini Capitis errore profligando valuerit auctoritas: continuò sedata est tempestas, atque ad Christi vocem & imperium venti & mare obedierunt. Quamobrem flagitamus, Beatissime Pater, vt clara firmaque de propositionum istarum sensu prolata sententia, cui etiam Reuerendissimus ipse Iansenius morti proximus opus suum subiecit, caliginem omnem discutias, animos fluctuantes componas, dissidia prohibeas, Ecclesiæ tranquillitatem splendoremque restituas. Dum hæc spes mentibus nostris affulget, Sanctitati Tuæ multos & prosperos annos, seculoque beatissimam æternitatem Rex seculorum immortalis adiiciat, optamus ac vouemus.

Diem & consulem, quod religiosè seruatum vellet Hincmarus, non habet hæc Epistola, quia varijs & locis & temporibus inuitati Antistites subscripserunt, Archiepiscopi & Episcopi supra octoginta, magnum si coïssent, facturi Concilium, cui nullum eorum quæ vidimus in opere, par aut æquale reperies. Quanquam non eam omnes Epistolam subscriptione probarunt; sed nonnulli, quod eodem redit, priuatas suo ipsorum nomine dederunt Postulationes, quod & in Concilijs nonnunquam factum nouimus: siue vt singularem zelum testarentur, siue alias ob causas, quas indagare nobis non licet, monente scriptura, altiora te ne quæsiueris. *In illis Serenissimus Princeps Henricus à Sabaudia, virtutibus omnibus ornatus iuuenis, cum regia nominatione recens Ecclesiæ Remensi designatus esset Antistes, neque-dum per ætatem consecrari posset, dignam successore Hincmari scripsit hanc Epistolam, quæ sola priuatarum in manus nostras deuenit.*

EPISTOLA POSTVLATORIA

Serenissimi Principis Henrici à Sabaudia nominati Remensis Archiepiscopi ad Sanctiss. D. N. Innocentium Papam X.

BEATISSIME PATER. Nihil habet Ecclesia fide Petri firmius, supra quam fundata est: nihil caritate Romanæ Cathedræ pretiosius, per quam fit corpus compactum & connexum per omnem iuncturam subministrationis: nihil antiquitate venerabilius, quæ verbo semper & opere docuit, necesse esse in occurrentibus negotiis ad Ecclesiam Romanam, propter peculiarem principalitatem omnem conuenire Ecclesiam. Ad eam siquidem conuenerunt Africana Concilia, quibus Augustinus mens erat, vt Pelagij præsumptio damnaretur. Ad eam recurrerunt veri Augustini discipuli, vt eius doctrina malè intellecta à fatali Prædestinatianorum necessitate vindicaretur. Ab ea si maturè opem rogasset Hincmarus Remorum Archiepiscopus, aduersùs Gotteschalcum quendam renouantem veteres errores circa Libertatem Arbitrij, œconomiam gratiæ, operum bonorum necessitatem, pretium Christi sanguinis pro omnibus hominibus effusi, decennium totum contra sui seculi nouitates non pugnasset. Nos igitur Dei & Apostolicæ Sedis gratia ad hunc Apostolici in Francia Throni amplitudinem euehendi, considerantes iam circiter à decennio similes ob contentiones agitari Theologiam, turbari pacem, simpliciorum animos commoueri, & discordiæ flammam in dies augeri; funestum quoddam incendium, à cuius principiis superiore seculo renatis vixdum respirauimus, nisi maturè occurritur, minitantem: necessarium omnino duximus ad vestræ Beatitudinis oraculum confugere, atque enixè obtestari, vt pro paterna sua in Ecclesiam, cuius visibile caput est, solicitudine & caritate, perniciosos istos tumultus sedare quantocyus dignetur, & pro summa quam habet à Christo auctoritate, comminetur vento nouitatum, & dicat mari commoto *Tace, obmutesce*. Neque dubitari potest quin apud fidelissimum populum, in Regno Christianissimo venti & mare obediant ei. Et quoniam excitata semel ingenia pluribus materijs intendunt, quæ varias quæstiones præstant magis, quàm ædificationem Dei quæ est in fide, paucas è multis selegimus, de quibus Cathedræ Petri iudicium per os Sanctitatis vestræ distinctè, apertè, breuiter audire cupimus: sunt autem istę

I. Aliqua Dei præcepta hominibus iustis &c. *Propositiones quinque eodem ordine quo in Epistola superiore positæ.*

Hæc est Apostolatu vestro digna cognitio; hæc par sapientiæ vestræ responsio: quemadmodum primam hanc petitionem meam idoneam fore spero, testando zelo, quem ad Dei gloriam, fidei defensionem, Ecclesiæ pacem & ornamentum affero, sub felicissimis Vestrę Beatitudinis auspicijs, quam Deus nobis ad multos annos seruet incolumem.

Has Litteras comitati sunt, aut sequuti sacri apices Regis Christianißimi, tum adhuc pupilli, qui Iosiæ instar teneram ætatem, & Regni primitias, euertendo nouorum Idolorum cultui consecrauit. Illum siquidem re feliciter confecta profitentem audiemus, illud crebris litteris à se postulatum. Et prædicabit posteritas, Regis optimi materna pietate sanctißimè educati exemplo & auctoritate aditus omnes in aulam pesti Ianseniana fuisse semper interclusos. Litteræ Regis Christianissimi.

Tam celebri postulatione, muta quidem, sed omni Legato vocaliore, vehementer excitatus Pontifex religionis arbiter, interpres fidei, cui vni fratrum & subditorum cum summa potestate confirmandorum commissa cura est à Deo; ne quam seditiosis & refractarijs ingenijs temeritatis suspicionem offerret, iudices huic causæ delegit ex Eminentißimo Patrum purpuratorum Collegio, Prælatis Theologisque Romanis integerrimos quosque; neque minus Hispaniensium Academiarum iudicium secretò de Causa Romæ cognoscitur.

singulis articulis expetijt. Accurrunt statim Romam è Gallia Iansenianæ factionis antesignani, duobus stipati satellitibus, Audacia, & Pecunia; si quomodo possent veritatem cauponari. Doctores autem Catholici è nobilissima Sorbonæ domo, illorum successores, qui superiore seculo Lutherum & Caluinum, Augustini auctoritatem per summam iniuriam in errorum suorum patrocinium trahentes, fortiter oppresserunt, altero post anno, duobus & ipsi præsidijs instructi, Fide & Iustitia, eodem se conferunt. Hîc enimuerò vidit regina vrbium, religionis metropolis, ingens orbis vniuersi theatrum qui fuerit vtrinque contendentium ardor, quæ collationum frequentia, qui conquisitionis apparatus, quæ sanctitas cognitorum, dum singulis suus dicendi locus & ordo conceditur, & omissis ad momentum curis ceteris, Pontifex diurnas horas certantibus, nocturnas intenso studio commodat, immenso labore vir id ætatis, vegeto semper corpore animoque senex pene octogenarius, & in eo ipso singularem Dei prouidentiam, conatus suos probantis, agnoscit. Hæc narrabunt alij, qui propiùs spectarunt, & speramus diem aliquando visurum grandis negotij diarium: vt ex eo singillatim discamus, quod Ianseniani fratres huc illuc suis scripserunt, nullam vnquam causam acriore iudicio, & pleniore notitia fuisse discussam.

Impiè plaudentibus hæreticis! *Suspensi erant expectatione Europæ Christianæ animi, oculi non Catholicorum tantum, sed etiam hæreticorum in Pontificem vnum intenti: atque is ne plus iusto in fidei mysterijs humanæ industriæ tribuere videretur, publicis ad augustissimum Sacramentum precibus horas quadraginta continuatis, & deuoto penso per vrbis Ecclesias distributo, diuini luminis radium ad cognoscendam certò veritatem exorabat; cum moras illas, & hunc instantis iudicij salutarem apparatum, procul ex ipso Caluinisticæ Heluetiæ sinu speculatus Ioannes Henricus Ottius, in deteriorem partem, vt est obliqui in omnibus iudicij hæresis, interpretabatur apud Tigurinos Magistratus, & cautam vndecunque prudentiam, quæ satis laudari non potest, consilij vocabat inopiam.* Præter plurimos errores, *inquit*, quibus totus scatet Papatus, in his etiam fundamentalibus ac primis principiis titubat valdè atque fluctuat. In Iansenitico negotio constringitur arctissimè vtrinque, atque tenetur Papa, adeo vt iam multos annos, nunc verò quam maximè haud facilè norit quò se vertere, cui se parti addicere, pro quâ sententiam ferre oporteat. *Et inuicto scilicet argumento subdit.* Tantùm abest vt columna sit veritatis, firma atque immobilis, vt hactenus definire quicquam ausus non fuerit. *Quasi omnes istos fœdifragos & furiosos Annibales, non semper fregerit Romana cunctatio. Iam illud ridiculum quod sequitur, & pingui aqualiculo non indignum acumen.* Ipse quia diuinam Spiritus sancti assistentiam prout vocant, nondum sentit, quia dono medendi destitutum se hactenus videt, orare pro se Romam iubet: quo quidem & suam & Concilii Tridentini fallibilitatem clarè patefacit. *Nimirum potens miraculorum non erat Christus, qui ante Patrem orauit, quàm Lazarum suscitaret: falli metuebant Apostoli, qui Matthiam in Apostolatum subrogaturi, diuinam sortem precibus adiuuerunt; fallibilitatem suam patefecerunt Apostoli & seniores fratres, qui in primo Concilio Ierosolymitano, priùs voluerunt* magnam conquisitionem fieri, *quàm scriberent,* Visum est Spiritui sancto, & nobis. *Fluctuabat Leo magnus, cum admirabilem Epistolam ad Flauianum, gentium omnium linguis laudatam, orationibus, ieiunijs, vigilijs poscebat à S. Petro corrigi.*

Henric. Ottius in dedic. ad Magistratus.

Vana spes & diuinatio hæretici. *Et ne quid ad stuporem hominis desideretur, impleatque illud Dauidicum,* Draco iste quem formasti ad illudendum ei, *absurdam Pontificiæ cunctationis in respondendo causam comminiscitur.* Iesuitas, hoc est, Pelagianos, ob dogmata ipsorum amat vnicè & fouet: Iansenitarum numerum crescere videt.

Hoc

Hos tamen, ceu Augustini, imo S. Pauli defensores condemnare, ideoque dirimere litem non sustinet. Longius aliquod grauiusque malum subodoratur. Per cuniculos itaque, per technas agenda res ipsi meritò videtur, idque breui credo audiemus. *Nugarum istarum vanitatem nihil efficacius exsibilat, quàm effectus paulò post consequutus, in quo* technas *&* cuniculos *qui reperit, tenebras idem videbit in sole. Putat enimuerò pronunciaturum aliquid ambigui Pontificem, quo pars vtraque satis sibi factum glorietur. Iansenianos certè plurimùm cupit superiores ferre, & inuitis superiorum Pontificum, atque Concilij Tridentini decretis, gratiam ab illis explicatam peruincere.* Viuat igitur defensa hactenus Dei gratia, atque vtinam viuat ac defendatur apud eosdem constanter! Valeant Theses ad disputandum Romæ à Iansenitis modò propositæ. *Subijciuntur deinde propositiones, sed adulteratæ; & totus hic locus adeò perturbatus est, vt à Tigurino post meridiem scriptum esse dubitari non debeat. Nam quintam ordine, penitus immutatam, ita concipit.* Posita gratia Dei efficace, necessariò Deus suum debet consequi finem. *Quæ cum secunda & quarta conuenit quidem, sed proprium articulum non constituit. Deinde omissa funditus quarta, illam quæ quinta est & vltimo loco iacet, ad quartum ordinem reuocat. Præterea Romæ propositas dicit* à Iansenitis: *imo veriùs ex Iansenitis per Catholicos*: *neque* ad disputandum, *sed ad condemnandum. Eiusdem ignorantiæ est parachronismus inficetus, quem in ipsa oratione lego* Prodiit duobus abhinc annis, *inquit*, liber Guillelmi de Gibieuf, ordinis Oratorii Presbyteri, & Doctoris Sorbonici, hodierno Papæ Vrbano dicatus. *Hanc oscitantiam in rebus Catholicorum cognoscendis si affectant perduelles, ineptè faciunt: si loquuntur ex animi sui sententia, imperitè.*

Aues fortasse, Lector, his primitijs inuitatus, plura de Tigurini Caluinistæ oratione cognoscere, quam facile iudicas & cum proposito nostro coniunctam materia, quæ de Iansenianis opinionibus tractat; neque tempore dissitam, qui illarum examen & futurum propediem iudicium olfacit: adde si placet, anticipatam esse latæ paulò post sententiæ mirificam approbationem; cum nemo sapiens ea lecta possit existimare, aliud quicquam à Romana Sede quàm quod factum est, debuisse decerni. Quòd si meum etiam institutum priuatim spectari non prohibes, Romani Pontificis, & Tridentini Concilij auctoritatem opere toto defensam, iste pessundat: errores Iansenianos Gotteschalcanis consimiles, tanquam aras & focos tuetur quos cum Hincmaro euertimus: eosdem proceres Iansenij sectarios strenuè adhortatur ad detrahendam sibi Catholicæ fidei laruam, qua illudunt imperitis, & publicè videri quod sunt, Caluini discipulos: Præsidis Mauguini Vindicias, quas excussimus, laudibus extollit, & ad errorum suorum confirmationem cum Synodo Dordracena profert. Denique Samuelem Maresium à quo perorandi materiam accepit, vestigijs consectatur. Itaque si Maresius campum disputationis in Apparatu non intempestiuè aperuit, cur eundem in Appendice claudere vetabitur Ottius? Neque moueat, quòd inedita opera cum hîc quæramus, ab editis manum abstinere nos oporteat. Nam & Maresij Catechismus, & Ottij oratio, quia sectæ mysteria propalant, sic in Gallia paruerunt, vt statim, fulguris instar, vigilantia potentiaque factionis euanuerint. Extant igitur hæc opera, quasi non extent, & extare omnes scire conuenit, ne circumueniantur. Quamobrem offero tibi pauca quædam Excerpta ex Ottio, vt antea ex Maresio (nam oratio tota & prolixitate, & fastidio, & Caluinismo putida est) cum sparsis hinc inde notatis. Cui breue argumentum præpono.

Causa cur hoc loco Ottij oratio collocetur.

EXCERPTA EX ORATIONE de Causa Iansenitica.

A Joanne Henrico Ottio Tigurino dicta duobus ante damnatas Iansenij propositiones mensibus.

Die 24. an. 1653. publicata Tiguri. 30. April. Typis Ioan. Hẽrici Hamberger. *Causa scribendæ orationis*

ARGVMENTVM.

CATECHISMVM de Gratia Iansenianæ doctrinæ breuiarium à Samuele Maresio Latinitate donatum, & commentis illustratum in vsum Caluinianarum Academiarum, statim vbi accepit missum è Belgio Henricus Ottius Tigurinus Professor, impetum cepit toti Caluinianæ nationi doctrinæ Iansenianæ cum sua cognationem gratulandi. Vidit enim post Maresium, in eo verti sectæ fortunas, si verè quod erant crederentur Ianseniani, Caluini sectatores & patroni, à Catholicis Romanis in ipso Papatus gremio tolerati & honorati, à paucis impugnati. Vidit præterea, quod diuinare tantò ante non debuit Maresius, apud Sedem Romanam pugnantes pro nouitate sua Iansenianos, necdum damnatos, morantem velut in ancipiti Pontificem, illas laureas & triumphos toti factioni præsagientes, victis hostibus, re benè gesta reditum in Galliam apparantes. Hanc igitur orationem Gratulatoriam scripsit, & coram Tigurinis Magistratibus pronunciauit: cuius ego genus apud Rhetores nullum inuenio. Cur enim Iudicialis sit, quæ neminem accusat aut defendit? Quis Deliberatiuam dicat, quæ nihil faciendum suadet, sed de facto triumphat? Neque verò Exornatio est, quæ nullum laudandi aut vituperandi finem habet. Laudat tamen Iansenianos, conuiciatur Pontificijs: suadet Iansenianis, vt Caluinum publicè profiteantur; & si adsisceretur in Consilium à Pontifice, quantis suasionibus impelleret, vt absolutis Iansenianis Iesuitas exterminaret? Est igitur omnis generis, & nullius. Braccas Heluetias vulgus nostrum appellat ea, quæ inconcinnâ varietate coniuncta dissident.

Eius partitio.

Tres in partes diuiditur oratio: prima de auctoribus atque principibus Iansenitarum tractat. Secunda Iansenitas à Romana Ecclesia dissentire, atque ex aduerso, partim cum antiquitate (quam sibi fingunt nouatores) partim cum moderna orthodoxa, & verè Catholica Ecclesia *(Caluini scilicet)* consentire *probat efficaciter. Tertia, quantum momentum tota res illa secum ferat, edocet. Quæ omnia ex Maresij penu, ipsius non rarò verbis educit: ita laudem inuentionis alteri concedit. Dispositio vulgaris est, & historiæ non absimilis: serperet elocutio, nisi in Romani Pontificis, Concilij Tridentini, Iesuitarum contumelias, quam eloquentiam caninam vocant, creberrimè assurgeret. Quæ fuerint actionis veneres, quæ suauitas in pronunciando, quam apud absentes laudauit Æschines in Demosthene, Quintilianus in Hortensio, Traianus in Dione Prusæo, charta non loquitur, sed experientia non tacet. Hæ sunt orationis dotes, quam si metiru', vt Plinius Iunior Demosthenicas, putabis optimam. E prima parte pauca hæc selegimus, adiunctis nonnullis è secunda, quæ singulares personas tangunt.*

PERSONARVM ENCOMIA.

CApur Schiſmatis. Quid Schiſmatis? Diſceſſionis dico à putida Romanę Eccleſiæ hæreſi. Caput Schiſmatis atque Anteſignanus fuit Cornelius Ianſenius, ordinis Præmonſtratēſis Iperis, in Flandriæ Comitatus oppido haud ignobili, Epiſcopus famoſiſſimus. *Natione Hollandum fuiſſe, & qua re meruerit Epiſcopatum, Germanus ignorat: Galli ex Marte Gallico didicerunt. Præmonſtratenſis Clericatus locupletiorem teſtem hactenus reperi neminem.* Ianſenius ...

Operis edendi cauſas, & modos varios indicat. Baiani iidem Ianſenitæ audiunt à Michaële Baio. Huius propoſitiones, cauſamque Ianſenius, auctoritate anteà, & vi potiùs, quam veritate & argumentis oppreſſam, fortiter atque animosè vindicauit. Quòd modernæ Romanæ apoſtaticæ Eccleſiæ doctrinam, hoc eſt, Pelagianiſmum impugnare intendat. *Et quidem ad exemplum Synodi Dordracenæ, de qua hoc memorabile.* Michaël Baius.

Sed quid ſi Ianſenio veſtro ipſi Patrum Dordracenorum Canones, Auguſtini intentiùs inſpiciendi, ac etiam probandi cauſam occaſionémque dederunt? Coniectura mea eſt, nec apertos in hoc teſtes producere poſſum. Id verò quod dixi, inde patere videtur, quia eadem diſputationis materia atque argumentum, idem fermè tempus: nec Ianſenio, vtpote vicino, acta, ſcriptaque Dordracenorum ignota eſſe potuere. *Non eſſe ſe vanum coniectorem gaudebit in ſinu Ottius, ſi Ianſenij ipſius teſtimonio & litteris ad amicum datis, coniecturam ſuam tranſire viderit in hiſtoriam. Vnde enim magis* apertos in hac re teſtes producere poſſit? *Is ergo Pictauos ad Vergerium Hauurannum, tum adhuc Canonicum Baionenſem, ſed veterem amicum, & belli quod tanto ſtudio apparabat ſocium, Gallicè ad Gallum ſcribens (diem & annum vt inter familiares omittit) ſic narrat, vt in autographo legi, & ſermonem immutare mihi religio eſt.* Le Concile de Dordrecht eſt acheué. Ie l'ay depuis long-temps, mais en Flamand. Ie ne l'ay pû auoir en Latin pour le vous enuoyer. Ils ſuiuent preſque entierement la Doctrine des Catholiques, au faict de la Predeſtination & Reprobation, retranchant tout ce qu'il y auoit d'aigre en l'opinion de Caluin: Horſmis qu'ils reçoiuent la certitude de la Predeſtination, & l'inamiſſibilité de la iuſtice, & quelques autres fautes. Les miniſtres des Arminiens ſont tous bannis, & viennent deça à Anuers. D'où ils ſont chaſſés auſſi, pour auoir commencé à faire des conuenticules contre leur promeſſe. *His intellectis non dubitabit Ottius, quin Caluiniſticam Synodum quam notiſſimam habuerit Ianſenius; gratulabitur ſuos ab illo* Catholicos *appellari: & quòd Caluini dura leges emollita, hoc ipſum Ianſenij conſilium fuiſſe intelliget, vt mitigatum Caluiniſmum in Eccleſiam Romanam, ſi poſſet, intruderet. Vatem ſe denique mirabitur, cum auditores ſuos ad Dordracenos Canones, & Ianſenitarum ſcripta inuicem conferenda remiſit.* Omnium celebratiſſimæ Synodi Dordracenæ articuli diuini (ita enim vocare quæſo liceat) teruntur manibus: varia Ianſenij, eiuſque conſortium ſcripta viſa vobis, lecta, volutata, ventilata ſunt. Synodus Dordracena. Ianſenij de ea iudicium epiſt. 22.

Eam ob ſimilitudinem Ianſenianos ſcriptores in hæreſium ſuarum confirmationem cum Synodo Dordracena citare non refugit. Vt in notis, vbi de prædeſtinatione. Cathechiſmus gratiæ v. 15. ad 16. & ampliſſimus Gilbertus Mauguin Vindiciarum Tom. 2. c. 21. Confer Synodum Dordracenam c. 1. *Et paulò poſt, vbi de redemptione omnium, inter ceteros citatur* Mauguinus in Vindiciis. Synodus Dordracena c. 1. *Denique, quod omittendum non videtur, opus ſuum publicauit Ianſenius*, multis è Pontificiis cordatioribus diu expetitum, & vt Ianſeniticæ ſocietatis verbis vtar, admirandum æuique noſtri miraculum. *Qui ſint illi cordatiores, docebit dux ſibi adiuncti Mareſius. Illi profectò* Ianſeniani citati cum Synodo. Not. ad n. 51. Ibid. ad n. 53. Manuale Catholic. in Epiſt. Apolog.

qui in Dissertatione eruditiores *appellantur, raro vsu modestiæ Christianæ.*

Catechismus gratiæ. *Hinc ad personas redeo, adiuncta citatione.* Ita nobiscum contra hodiernam Iesuitarum cacodoxiam definit Catechismi gratiæ auctor. *De quo hæc ante dixerat.* Postquam anno 1650. Libellus, qui Catechismus gratiæ inscriptus, & aliquot saltem pagellis Gallica lingua Iansenii doctrinam neruosè complectens, auctore, vt ferunt, curione Parocho Parisiis ad S. Mederici insigni, ac Theologo in Sorbona graduato editus. *Hausta narratio ex Maresio: & tacet vterque libellum hunc ab Illustrissimo Archiepiscopo Parisiensi fuisse damnatum, ac vetitum legi. Fallitur quoque in auctoris nomine: quanquam ex Iurisconsultorum mente, qui per Vicarium facit, per se ipsum facere censetur.*

Vergerius Hauurannus. *Alia sub finem paret citatio.* Præter Augustinum aliosque Patres, Iansenitas etiam, & ex his Auuræum Sorbonicum, in primis quoque amplissimi Mauguini Vindicias adeant, atque audiant. *Multùm Heluetio debent Iansenitæ, quòd eos proximo post Patres ordine legendos & consulendos collocet. Ille autem Auuræus quis tandem est, nisi Hauurannus Vergerius Iansenij Sodalis, Petri Aurelij nomine diu notior? Sed ne parcus in prædicando Mauguino Præside videatur, in prima orationis parte hæc scribit.* Quod quàm euidẽs sit, illustre Amplissimi viri Gilberti Mauguini regij in Gallia Consiliarij, & in suprema Monetarum Curia Præsidis doctissimi exemplum, fidem abundanter facit, qui duobus Tomis distinctas, nec sine aliquot Sorbonicorum Doctorum solemni approbatione, suas Prædestinationis & Gratiæ Vindicias, plenas bono frugis nuper emisit. *Opus non lectum à Tigurino laudari, probant ipsa encomij verba ex Groningano surrepta. Sed quid hoc interest, dum numeretur in partibus? Fruere hac gloria,* Pręses Doctissime, *dum ego minoris non ducam eiusdem Caluinistæ furentis ore, stiloque, inter plurimos præstantes viros vituperari.* Falsi etiam manifesti, *inquit,* Richardum, Adamum, Caussinum, Veronem, Yuonem, Fuliensem idealem coarguunt. Hæreseos, ac improbitatis varię Baunum, Celotum, Nouetum, Herau condemnant. *Cur ita?* Tales latrantes canes Iansenitæ senserunt. *Quæ nomina non aliundè nouit Tigurinus, quàm ex Anonymo Manuali Catholicorum, hoc est, Iansenianorum, qui sua sibi rhapsodia magnam dedecoris messem comparauit.*

Gilbertus Mauguinus Præses.

Man. Cathol. epist. Apolog. pro Iansen. & admon. ad lect. n. 3.

IANSENIANA DOGMATA CVM ROMANÆ Sedis, & Concilij Tridentini doctrina pugnant.

In dedicat. PErtinet *ad duas alias partes hic titulus, qui tamen ineunte libello, in ipsa Dedicatione gestit eminere.* Cumprimis, *inquit*, palam est ac manifestum, quantis viribus, conatibusque Romani Pontifices, eorumque dictatores, vltra quàm dici possit, nefando ausu opponant se hisce (*principijs Caluini de gratia Dei*) atque obiiciant. Testis horum Tridentinum Concilium plenissimus; testes omnia Romanistarum scripta atque instituta. *In oratione autem, multis ad arbitrium deblateratis, in tertiam partem sic ingreditur.* Dixi quot quantisque parasangis à Iesuitarum & reliquorum Papalium erroribus diuersum abeant Iansenitæ: quomodo hi ab illis non verbis, sed vniuersa re, & tota sententia differant, indicaui. An non verò graue & apertum Papatus schisma hæc nobis indicant? *Omnino, si apud legitimum tribunal auditi, supremi Iudicis sententia iudicati, retinerentur in Papatu, à quo per*

subsequutam interlocutionem eliminati sunt. Inde à reformatione ad præsentia vsque tempora maius aliquod sese obtulisse præsagium, veritatique orthodoxæ testimonium quodpiam clarius exhibitum, haud equidem facile crediderim. *Et quasi certa esset in Ecclesia Romana de fide dissensio, sic exultat inferiùs.* Schismata quæ in Reformatorum Ecclesiis, nolite vos Papicolæ obiicere nobis vlteriùs: de Catholicismo vestro, de consensu atque veritate, desinite gloriosiùs loqui: Concordiam discordem Sedis Romanæ, vel in ipso Ianseniticо negotio, cum amplissimo vestro Mauguino fatemini. *Qui malum! sunt rebelles isti, à quibus pax, concordia, vnitas Catholica abrumpitur? Qui amentato aduersùs hæreticos inuicem mordentes & consumentes telo nos exarmant? Hoc fateris Amplissime Mauguine noster, Catholicismum, consensum, vnitatem, ex Ianseniticо negotio ab Ecclesia Romana discessisse? Intrasse in eam schismata, quæ Caluinistis & Lutheranis obiecta sunt? Illa vna res, tuaque confessio, sectæ turbulentæ perniciem tibi non probat, horrorem non imprimit? Regnum profectò hæreseos in seipsum diuisum dissidentibus Ministris olim obiecimus: parem modò contumeliam per vos sperant referre Catholicis. Sed hoc iniustè, nisi iudice cognitus error, nec improbatus, tanquam lues intra medullas serpere permittatur. Quàm enim multa, quam diu maiores nostri indiscussa tolerauerunt? Prophetiam Cataphrygum, Origenis deliria, Marcelli Ancyrani dissimulationem, Theodori Mopsuestheni, & Diodori Tharsensis errores, Trium Capitulorum discordiam, Septimæ Synodi contemptum: ideo-ne graue tum & apertum Papatus schisma sustinuit?*

Quapropter verissimè negat Iansenianos, quantumlibet conentur, seque versent, vnquam tamen cum Tridentino Concilio, & Pontificum decretis dogmata sua conciliaturos. Vt vt profectò S. scripturę, vt & Augustini, aliorumque orthodoxorũ sensum (*Caluiniano spiritu conceptum*) cũ Tridentini Concilii, & aliorum suffraganeorum decretis atque scriptis cõponere studeatis, ac satagatis; nihil tamen, mihi credite, ob dissensionem atque discrepantiam longè maximam, ac ausim dicere infinitam, quicquam efficietis. Aperta nimis omnia, atque in confesso. Romanum vestrum oraculum consulite; sententiam Canonum ipsius id rogate: δὺς διὰ πασῶν dissentire à vobis plus satis intelligetis. Quid enim differt tot annos cum Purpuratis suis responsum? *Nisi quia decessorum decreta, probando vestra, non vult conuellere?* Ne ergo lucem cum tenebris confundite; ne patrocinium Concilii suscipite; ne vim illius Canonibus facite. Ecquid vos, Iansenitæ, vestram de Gratia Dei puram doctrinam, cum absurdissimis illius figmentis conciliare nitimini? Aut Pelagium aliosque suscipite; aut Tridentini Concilii errores repudiate. *Audis lector?* figmenta & errores *Concilij Tridentini; Synodi Dordracenæ* articuli diuini. *Non enim ab alio spiritu scriptum legisti apud Dissertatorem, Moguntinum Placitum, Carisiacense Conciliabulum, Hincmari hæreses: Sancta & venerabilis Synodus Senonensis, Hincmarianorum Capitulorum Theriaca. Cur enim aliter loquantur, qui ita sentiunt?* Ipsos vos iudices appello. An non Pelagianos Iesuitarum errores appellatis? An non ex Pelagianorum pharetris tela Iesuitę contra vos depromunt? At verò, dissentiuntne iidem Iesuitæ à Concilio Tridentino? discordant-ne cum Papa? nõne vnum corpus sunt, vna anima? *Magna vis argumenti ex regulis philosophorum deducti, quæ decernunt conuenire inter se, quæ cum aliquo tertio conueniunt; & ex opposito, quæ dissident à tertio, eadem inuicem dissidere. Dissentiunt à Iesuitis, velut à Pelagianis Iansenitæ; at Iesuitæ cum Pontificis Romani, & Concilij Tridentini doctrina mirificè consentiunt; non potest ergo fieri vt cum hac vllo modo conueniant. Quid*

Iansenianі non possunt conuenire cum Papa & Concilio Tridentino.

vos tantopere vexatis? Salua doctrina vestra, saluus Papatus stare nequit. *Non strictiùs dictum quàm veriùs.*

Ideo Roma damnanda. *Eam ob causam cautè admonet, ne doctrinam suam ad errorum scopulum, Romanæ Cathedræ tribunal deferri sinant, ibi sine dubio causa casuri.* Si Papam pro supremo litis diremptore cognoueritis, actum erit de vobis, supprimentur scripta vestra, obtusi reddentur calami, ora obturabuntur. *Periculum ostendit asinæ Deus, quod Pseudo-Propheta non videbat. Sed pecudis vocē magno suo bono vates audiuit; consulenti Heluetio ingenti suo dedecore Ianseniani non obtemperarunt. Quid enim agerent aliud, quibus speciosissimam & commodissimam Catholici nominis laruam conseruare decretum erat? At quale tribunal illud describit adipatus orator? Diabolum indignatur,* horrendum eos tribunal Romę, in metropoli sua adire, horribili Papę throno, iniquis Cardinalium subselliis sistere se peremptorio edicto cogere. *At volentes & alacres non inuitati, non citati Romam aduolarunt Ianseniani.* Quâ assiduitate apud Alastora & dictatorē suum (*Papam*) ceteraque eius fulcra, pro approbatione sententię suę interessent. *Assiduitate certè inusitata, varijs subinde submissis magno sumptu, qui sententiam suam aut publicis, aut priuatis inter proceres colloquijs, aut stata litis prosequutione, aut quibuscunque alijs artibus sexennium & amplius approbari, aut certè minùs improbari curarent.*

Suadentur prouocare, sed frustra. *Displicet qualecunque illud studium, & Pontificiæ potestatis professio, Tigurino Caluinistæ, eosque ad excutiendum iugum filius Belial adhortatur.* Quin de absoluta Papæ potestate atque tyrannide, vt & de infallibilitate eiusdem vos expedite: Tam ementitam fictam eius sanctitatem ne credite. Imo cum Sorbonicis Doctoribus, ac vniuersa Ecclesia Gallicana, errori obnoxium eum habete: à Papa ad Concilium prouocandi ius vobis reseruate. Illud prædecessorum vestrorum vsurpate. Si Papa nos excommunicet, nos ipsum excommunicabimus. *Satis quidem furiosè, infelix Cassandra: sed res in integro non est. Vitato per artes indignas Sorbonicorum, quod primum offerebatur, iudicio, Romam delata causa est: conuenit in illud tribunal pars vtraque, litigatum est sine prouocatione: lata sententia est pro Catholicis; qui si aliter pronunciatum esset, victi quieuissent. Vos si causam obtineretis, de Pontificis potestate dubitaretis? Et solent prouocare hæretici à Papa ad Concilium, a Concilio ad futurum aliud Concilium: à Leone X. ad Tridentinum, à Tridentino ad Dordrecthanum, & hinc spero Arminios, si quando emerserint, prouocaturos:* Semper discentes, & nunquam ad scientiam veri-
2 Tim. 3. tatis peruenientes; *quia illam non quærunt, sed erroris sui approbationem: donec Deus diem dicat inquietis, eosque decretoria feriat sententia. Quid autem tibi venit in mentem* Sorbonicos Doctores, & vniuersam Ecclesiam Gallicanam *calumniari, quasi supremi Iudicis, & Petri successoris infallibilitatem negent, in ea causa quam ad illum solum remiserunt, & natam inde sententiam obsequentissimis animis, abiecta omni Concilij cogitatione, susceperunt? Ede vllum ex tota antiquitate Sorbonæ decretum, vllum Ecclesiæ Gallicanæ Canonem, quo Papæ de fidei rebus eo*
Ridicula adhortatio. *modo decernentis repudietur infallibilitas. Francorum etiam tangis historiam, peregrinus si quisquam alius, & ex ea Iansenianis suades vt Papæ excommunicationem minitentur. Animosè. Rem expendamus. Refert Ludouici Pij Augusti vita ab aulico æquali & præsente scripta, in horrenda Lotharij & Fratrum aduersus Patrem optimum rebellione, deceptum ab illis Gregorium IV. Pontificem, cupijsse aliquando vt Episcopi omnes Patre deserto in filiorum castra transirent: indignatos mansisse apud Imperatorem Antistites, qui proditionis grauitatem pro merito æstimabant, quam & postea, serò licet, sensit exhorruítque Gregorius.* Parum quid subripuit Episco-

pis Imperatoris, *ait auctor*, præsumptio audaciæ, asserentibus nullo modo se velle eius voluntati succumbere; Sed si excommunicaturus veniret, excommunicatus abiret: quum aliter se habeat antiquorum Canonum auctoritas. *Qua nimirum prima Sedes à nemine iudicatur, neque quicquam inferiori in superiorem iuris permittitur. Dictum illud in castris, in æstu luctuosissimi belli, ob causam æquissimam Imperatoris, per præsumptionem audaciæ, contra Canones veteres, à paucis Episcopis, vult Heluetius gladiator à Iansenianis vsurpari: tanquam si sint ipsi Episcoporum successores, armati, regiæ causæ æquitati fauentes, præsumentes ex audacia, Canonum antiquorum violatores. Denique ad id exemplum Iansenianos omnes Ecclesiasticos Laicos, viros, feminas, communicantes & abstentos, hortatur vt Papam excommunicent. Generosum consilium, ità me Deus amet!*

Vita Lud. Pii ad an. 833.

IANSENIANI PARIA CVM CALVINISTIS sentiunt, & id publicè profiteri suadentur.

Pendet alterum ex altero, vt qui his in quæstionibus ab Ecclesiæ Romanæ, & Concilij Tridentini doctrina dissentiunt, ijdem cum Caluini Schola dyscola conueniant. Id verò Iansenianis euenire probat Ottius multis & validis rationibus. Quarum prima hæc esto, quòd isti doctrinæ suæ principijs rimam aperuerint, qua ex angustijs, in quas Caluiniani ab aduersarijs compingebantur euaderent. Hi mihi viri certè videntur, *ait Tigurinus*, adeò nostram corroboratum eunt, atque stabiliunt doctrinam. *Et multò post.* Loquantur pro nobis Iansenitæ, quando ipsa illa difficilia loca, quibus capi nos, atque irretiri Lutherani somniant, plana reddunt, atque facilia. *Vtuntur enimuerò Lutherani ijsdem locis cum Catholicis doctoribus, aduersùs Caluinistas communes hostes, vt Achabus & Ionathas Syros exercitus paribus armis lacessebant.* Id quod nullis hactenus, quanquã inuictissimis argumentis obtinere vllatenùs potuimus, nunc vltro nobis tanti largiũtur viri. *Scimus enim quantus inter eos vir dicere solitus fuerit, Caluinum nunquam probè intellectum, nunquam rectè fuisse defensum. Hunc exponendi tuendique modum suggesserunt Iansenìani, non vt ad fidem redirent Caluinistæ, sed ne propugnare hæresim ipsi viderentur: ità facti, quod Sorbonicus quidam Professor vir grauis mihi dixit aliquando, auxiliares copiæ Caluino summissæ.*

Probatur 1. ex principiorum similitudine.

Secunda ratio est, ipsa priuatarum propositionum consanguinitas; è quibus selectæ sunt istæ. Eos qui mortem Christi ad alios, quàm ad electos solos pertinere deblaterant, nullius pretii ducunt. Diffident ab his atque discordant toti, qui gratiam ad credendum necessariam, non quibusdam tãtùm, sed omnino in vniuersum omnibus dari contendũt. Absque fide saluifica vllam actionem fieri bonam pernegant, proinde omnia infidelium opera peccata fuisse definiunt. Vt infallibilis, vt iterum nobiscum verè sentiunt, semperq; efficax electio sit. Nec vnquã intentione sua excidit Deus, nec reijci hæc gratia à quoquam potest: haud violenta tamen est, secundùm eosdẽ, neque liberum arbitrium tollit. *Sunt hi alijque eodem loco cõmemorati palmares controuersiæ articuli, quibus acceditur ad Caluinum: nonnullos inferioris ordinis in Dedicatione attigerat.* De variis aliis hos (*Iansenianos*) accusant illi: nimirum, quòd indulgentias tollant (quia gratiæ omnia Iansenitæ tribuunt) quòd Papam, eius decreta, atque potestatem nauci faciant: quòd communionem atque confessionem contemnant: quòd inuocationem S. Virginis, eius denique Horas, quódque globulos

2. Ex plurium articulorum consensu.

In Dedic.

oratorios ſpernant. *Hiſtoriam malorum noſtrorum hîc etiam docendus eſt homo externus. Non illa propriè primitus reiecerunt Ianſeniani è Belgio oriundi; ſed Arnaldiſtæ in ipſo Lutetiæ ſinu concepti. Verùm proceſſu temporis, quanquam longum non fuit in medio ſpatium, minor iſta factio, dum præſidium quærit à maiore, cum ea commixta & confuſa, ſub celebriori nomine, in frequentiore turba deliteſcit. Omitto breuiora illa.* Eapropter hanc ſententiam (*Catechiſmi gratiæ*) è diametro Concilio Tridentino repugnare videtis. In noſtras Ianſenius cum conſortibus tranſit partes. *Et ſimilia, quibus Proœmium iſtud licet adijcere.* Veſtram Auditores fidem voco, an non ea quæ iam iam ex Ianſenii eiuſque aſſeclarum doctrina propoſiturus ſum, cum noſtra confeſſione conſentiant ad amuſſim atque conueniant?

Confuſa in vnam duę ſectæ.

3. Ex aduerſariorū teſtimonio.

Tertiam rationem ex Catholicis ducit, à quibus impugnantur Ianſeniani, qui palam & confidenter Caluiniſtis affines vocant, probantque. Quod argumentum ex eo apud Caluiniſtam efficax redditur, quòd cum Ianſeniani Pelagianiſmum Romanis imputant, ſibi credi velint eos verè Pelagium olere: eodem ipſe iure Romanis aſſentiatur, qui Caluiniſmum Ianſenianis exprobrant. Sic enim pars altera alteram reprobat, atque apoſtaticam liberè pronunciat. Sicuti verò Pontificii nobis aliiſque exploſis, ſe pro vera Eccleſia venditant: Ita Ianſenitæ cum aſſeclis ſuis vnicè hoc ius ſibi adſcribunt, & ita quidem adſcribunt, vt Ianſenitis cum hac Eccleſia communionem negare non vereantur. *Hoc timidiùs dictum videtur, vt in Dedicatione; ſed vbi efferbuit oratio, & prona in finem incitatiùs rapitur ſine ſufflamine, affirmatè pronunciat,* In confeſſo eſt, ipſis nouatoribus veſtris Ieſuitis vltro hoc largientibus, quòd victricis gratiæ propugnatores Ianſenitæ in maximis ac fundamentalibus fidei articulis in caſtra tranſierint noſtra. Vnde illi nullum habent popularius conuicium quod in illos iactent, quàm Caluiniſmum, eoſque hoc nomine exoſos reddunt, nihil eſt quod grauiùs imputent, quàm Syncretiſmum cum Reformatis. ὁμοφώνως itaque aduerſantibus ac ringentibus Ieſuitis doctiſſimos Ianſenitas habemus.

In Dedic.

4. Ex collatione ſcriptorum.

Quarta ratio, in collatione ſcriptorum vtriuſque ſectæ, Ianſenij inquam & Caluini poſita eſt, quæ & ſuperiorem mirum in modum confirmat, vt id neque falsò Pontificij Ianſenianis obiecisse, neque de illis Caluiniſtæ temere credidiſſe videri debeant. Hoc à vobis vnicè requirimus, libros noſtros vt expendatis, ſacratiſſimum verbum Dei pro fundamento atque norma vt habeatis. Scio, ſcio probè, in his & in aliis conſenſum inuenietis. Librate, amabo, Catechiſmos noſtros, confeſſiones, atque alia excutite, vel certè ſi iam nunc excuſſiſtis, euoluite Dordracenæ fidei capita, & omnia ex aſſe veſtris conſentire cum articulis cognoſcetis. Oculos intendite in Leydenſium profeſſionem, in Molinæi, atque plurium aliorum contra Arminianos edita ſcripta, ſeu obiter ſaltem ea quæ nos contra eoſdem inibi ſtatuimus, & credimus expendite: ſanè nec aliud, nec plus, nec minus Catechiſmum veſtrum gratiæ comprehendere facile deprehenderis.

Hortatur ad publicam profeſſionem Caluiniſmi.

Quæ cum ita ſe habeant, miratur & dolet, clariorem ſole veritatem à Janſenianis non agnoſci, inuehi nihilominus in Caluini doctrinam, venditare ſe pro Catholicis Pontificijs, excuſationes & amfractus exquirere, illud eſſe velle, quod haberi nolint. Nam ſi placet doctrina Caluini, quid diſplicet in nomine? Si defenditur ſcriptis, quare verbis vexatur? Praua dogmata noſtra ne amplius vocate. Intolerabile vobis impium ve ne vlteriùs videatur ſi aduerſarii veſtram cum Lutheri & Caluini doctrina conferant. *Nebulę ſunt nihil tecturæ, quæcumque ad*

discrimen inter vos, nosque Caluini discipulos tanto opere scrutamini. Neque certè friuola hæc accusatio quicquam vobis patrocinatur, dum hæc excusatis, talia contra Caluini dogmata posita esse prætenditis. *Quid opus tot commentationibus, tot Apologijs, tot pigmentis? Post lecta omnia concludet Ottius,* Itaque malè probant Iansenitæ, quòd per suam doctrinam non tollatur communio cum Papatu, in prima Apologia pro Iansenio. In not. n. 10.

Denique tertia pars orationis in eo articulo tota versatur, è qua superiora pleraque eduximus, neque in animis auditorum suorum motus alios excitare perorando conatur, quod antea fecerat Maresius, quàm vt Caluinismum publicè profiteantur Ianseniani, & eam professionem, velut vtilissimum sectæ suæ decus & præsidium gratulentur Caluinistæ. Neque vident boni viri, quòd se in medio Papatu per eos habere gloriantur, id illis ad Caluinismum publicè transfugientibus amissuros. Lepidum certamen, lector, quale nullum vnquam amphitheatrum, nullus vidit Hippodromus! Iansenianos ad Caluini partes trahere conantur hæretici: Caluini doctrinam malunt Ianseniani in Ecclesiam inducere; & Caluinum aiunt nesciisse litteras, qui ab ea discessionem fecerit. Ratione superant Caluinistæ, turpis lucri studio Ianseniani. Litem dirimit Pontifex, & Iansenianos esse omnino vetat, aut certè censeri Catholicos. Viderint post illud interdictum profugi Roma Iansenianorum deputati, quo consilio per hæreticas prouincias iter fecerint, quam societatem cum Tigurinis magistratibus, ipsoque Ottio inter lances & pocula inierint; qua Sensuum trium calumnia Constitutioni Pontificiæ conati sint illudere. Hoc constitutum est, Papatum nullos iam habere Iansenianos. Id didicit Ottius altero post habitam orationem mense, quo hæc Constitutio Roma edita est.

SANCTISSIMI IN CHRISTO PATRIS AC D. N. D. Innocentij diuina prouidentia Papæ X.

CONSTITVTIO.

Qua declarantur & definiuntur quinque propositiones in materia fidei.

INNOCENTIVS EPISCOPVS SERVVS seruorum Dei, Vniuersis Christi Fidelibus salutem & Apostolicam Benedictionem.

CVM occasione impressionis libri, cui titulus, Augustinus Cornelij Iansenij Episcopi Iprensis, inter alias eius opiniones orta fuerit, præsertim in Galliis, controuersia super quinque ex illis, complures Galliarum Episcopi apud nos institerunt, vt easdem propositiones nobis oblatas expenderemus, ac de vnaquaque earum certam & perpicuam ferremus sententiam.

Tenor vero præfatarum Propositionum est prout sequitur.

Prima: Aliqua Dei præcepta hominibus iustis volentibus, & conantibus, secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia: Deest quoque illis gratia, quâ possibilia fiant.

Secunda: Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.

Tertia: Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.

Quarta: Semipelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris necessitatem, ad singulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.

Quinta: Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

NOS, quibus inter multiplices curas, quæ animum nostrum assiduè pulsant, illa in primis cordi est, vt Ecclesia Dei nobis ex alto commissa, purgatis prauarum opinionum erroribus, tutò militare, & tanquam nauis in tranquillo mari, sedatis omnium tempestatum fluctibus ac procellis, securè nauigare, & ad optatum portum peruenire possit. Pro rei grauitate, coram aliquibus S. R. E. Cardinalibus, ad id specialiter sæpius congregatis, à pluribus in sacra Theologia Magistris, easdem quinque propositiones, vt suprà, nobis oblatas, fecimus singillatim diligenter examinari, eorumque suffragia, tum voce, tum scripto relata maturè considerauimus, eosdemque Magistros, variis coram nobis actis Congregationibus, prolixè super eisdem, ac super earum qualibet differentes audiuimus. Cum autem ab initio huiuscemodi discussionis ad diuinum implorandum auxilium, multorum Christi fidelium preces, tum priuatim, tum publicè indixissemus, postmodùm iteratis eisdem feruentiùs, ac per nos solicitè implorata Sancti Spiritus assistentia, tandem diuino numine fauente, ad infra scriptam deuenimus Declarationem & Definitionem.

Primam prædictarum Propositionum: Aliqua Dei præcepta hominibus iustis volentibus, & conantibus, secundùm præsentes quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant: Temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.

Secundam: Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquàm resistitur: hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.

Tertiam: Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione; Hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.

Quartam: Semipelagiani admittebant præuenientis gratiç interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare: Falsam, & hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.

Quintam: Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse: Falsam, temerariam, scandalosam: & intellectam eo sensu, vt Christus pro salute duntaxat Prædestinatorum mortuus sit: Impiam, blasphemam, contumeliosam, diuinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.

Mandamus igitur omnibus Christi fidelibus vtriusque sexus, ne de dictis Propositionibus sentire, docere, prædicare aliter præsumant, quàm in hac præsenti nostra Declaratione & Definitione continetur, sub censuris, & pœnis contra hçreticos, & eorum fautores in iure expressis. Præcipimus pariter omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, nec non hæreticç prauitatis Inquisitoribus, vt contradictores & rebelles quoscumque per censuras, & pœnas prædictas, ceteraque iuris & facti remedia opportuna, inuocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachii secularis, omnino coërceant & compescant. Non intendentes tamen per hanc Declarationem & definitionem super prçdictis quinque Propositionibus factam approbare vllatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelij Iansenij. Datum Romç apud S. Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ 1653. Pridie Kal. Iunij, Pontificatus nostri anno nono.

Illa censura damnatur Gotteschalcus cum Iansenio.

Hanc Constitutionem ab Apostolica Sede columna veritatis, bonorum omnium votis tandiu expetitam, incredibili Catholicorum Gallorum consensu & alacritate susceptam, toti Ecclesiæ in tenebris malitiosè nuper offusis diuinitùs prælucentem, quàm multi, quàm variis & eruditis obseruationibus illustrabunt! Rem ego meam premo, & oculos ad opus reflecto, vt ostendam, tandem aliquando controuersiæ inter Gotteschalcum eiusque scholam, & Rabanum Maurum atque Hincmarum Remensem agitatæ, Romanæ Cathedræ sententia, finem esse impositum. Id verò ratio vna Catholicis omnibus persuadere debet, quòd Gotteschalci miserabilis Monachi, & Cornelij Iansenij opiniones eædem sint; Pontificia autem constitutio in confirmationem Capitulorum Hincmari facta esse videatur. Nam qui præcepta Dei facit impossibi-

bilia, & ex homine cui vires desint, & ex Deo, qui gratiam non suppeditet ad ea implenda, & ob eum nihilominus defectum, damnari homines à Deo tradit, nonne idem prædestinari vult reprobos, vt & impij sint, & damnati, nec aliud antecedenter esse possint? Quod est vtique immanis & detestabilis blasphemia, *quando tota perditionis causa in Deum iubentem impossibilia, & denegantem gratiam, refunditur. Qui Semipelagianos appellat eos, qui gratiam Dei talem esse docent, vt ei possit humana voluntas resistere vel obtemperare, nonne homini liberum negat arbitrium nisi ad malum; bonum autem sensu Prædestinatiano totum gratiæ esse dogmatizat? Cui Semipelagianum etiam videtur, asserere Christum pro omnibus mortuum esse, ac non pro solis electis; quâ re differt ab eo qui clamat, neminem perire posse Christi sanguine redemptum, reprobos fideles baptismo, electos morte Christi redemptos affirmat? Neque hanc vtriusque doctrinæ confarreationem negant, Gotteschalcanæ inquam & Jansenianæ, huius proceres Vsserius, Præses Dissertator, Maresius, Apologista Jansenij, atque alij complures, quibus virgæ Gotteschalci adhuc dolent, & eum Catholicum atque innocentem, eius iudices & aduersarios, hæreticos & persequutores efficere omni subtilitatis suæ conatu & arte moliuntur.*

At ex aduerso, cùm Innocentius Pontifex, eius successor & cognominis Innocentij, qui diuinam S. Augustini de necessitate gratiæ doctrinam probando, Pelagium damnauit, primam propositionem blasphemam, anathemate damnatam, & hæreticam *declarat, nonne primum Carisiacense capitulum illi oppositum validissimè confirmat? Cum de arbitrij libertate, & gratia illi superueniente,* falsò & hæreticè *philosophari Iansenium pronunciat, nonne secundum Hincmari articulum Catholica fide tenendum esse definit? Postremæ propositionis distinctissima censura vt Gotteschalcum apertè iugulat, sic expressè quartum Carisiacense capitulum, & implicitè tertium, pro fideli habet & Catholico. Iure igitur optimo huic opusculo titulum fecimus,* Controuersia secundùm Hincmarum terminata. *Quòd si Nicolai 1. doctissimi Pontificis librum obijcies, frequentissimè à Præside Dissertatore nominatum, quo eadem controuersia secundùm Prudentium, adeoque contra Hincmarum definita malè conijcitur, facillimè respondebo, vel istud falsò narrari, quod in opere admodum probabiliter disputatum arbitror: vel si verè scripsit Nicolaus, non aliud eum tradere olim potuisse, quàm quod modò docet Innocentius. Licet enim aliquid mutari possit in moribus & institutis Ecclesiasticis, Romanæ & Catholicæ Ecclesiæ fides temporibus & personis non potest subijci. Quod in fidei rebus ab vno semel Pontifice decretum est, tenuerunt præcedentes omnes, tenebunt posteri: quibus si eadem controuersia fuisset oblata, vel vnquam offeratur, nihil penitùs aliud respondissent, aut respondebunt, quàm quod hac Constitutione decreuit Innocentius à Deo benedictus. Itaque fidenter pronuncio, si quid de propositis quæstionibus scripsit Nicolaus 1. Pontifex, idem sensisse, idem docuisse, quod hac in censura legimus, & Gotteschalcana doctrina damnata, Hincmarianam tradidisse.*

Approbantur Hincmari Capitula vt Catholica.

Obiectio de Nicolao 1.

Responsio.

Iam verò Canonum peritissimus Pontifex Declarationis illius suæ notitiam legitima via ad subditos peruenire cum vellet, ad consulentes Episcopos responsionem suam misit, & ad Regem Christianissimum; quò sacra profanaque auctoritate admissa, Christianissimum Regnum omni nouæ infidelitatis labe purgaret. Meministi, lector, Carolinorum Principum Capitularia per nobilem & religiosum illum aulæ & Ecclesiæ consensum ad æternam posteritatis memoriam, & Christianissimæ gentis gloriam coaluisse. Neque probasti Ebbonem, in opere historico, Capitula Concilij Valentini clam Episcopis ad Regem solum deferentem. Atque hæc fuit ad Illustrissimos Antistites Epistola.

Ea Constitutio declaratur Episcopis.

VENERABILIBVS FRATRIBVS ARCHIepiscopis & Episcopis Galliæ.

INNOCENTIVS PP. X.

VENERABILES FRATRES, salutem & Apostolicam Benedictionem. Rectè atque ordine fecit Fraternitatum vestrarum pietas, quæ cum in Ecclesiis istis propositionum, de quibus ad Nos scripsistis, occasione turbas ingentes excitari cerneret, ascendit ad locum hunc sanctum, quem elegit Dominus, vt Catholicam super his veritatem à nobis quæreret. Nos igitur post longam accurati examinis indaginem, & preces luminum Patri Deo enixè porrectas, quid sentiendum sit de propositionibus illis declarauimus, ac definiuimus hac Constitutione, quam cum his litteris ad vos mittimus. Ex ea sententiam orthodoxæ fidei, in graui hoc negotio à Nobis audietis; nec dubitamus quin futura sit cum populis Christianis salutaris, tum summopere grata insigni zelo Fraternitatum vestrarum, quibus benedictionem Apostolicam peramanter impartimur. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die 30. Maij M. DC. LIII. Pontificatus nostri anno nono.

Et Regi Christianissimo. *Ad Regem similiter eiusdem argumenti, & pene, vt aiunt, à paribus Litteras dedit in hunc modum.*

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO Ludouico Francorum Regi Christianissimo.

INNOCENTIVS PP. X.

CARISSIME in Christo Fili noster, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Constitutionem, qua post longam accurati examinis indaginem, & Spiritus Sancti lumen publicè & priuatim sæpius imploratum, quid sentiendum sit de quibusdam propositionibus, declarauimus ac definiuimus, Maiestati tuæ cum his Litteris mittimus. Ex ea sententiam Catholicæ fidei in graui hoc negotio à nobis audies: nec dubitamus quin eadem futura sit, cum populis Christianis salutaris, tum summopere grata pietati tuæ: cum præsertim & ipse per oratorem tuum pro sanctæ huius Sedis super his decisione apud nos institeris. Maiestati tuæ benedictionem Apostolicam, amantissimè impartimur. Datum Romæ, apud sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XXXI. Maij M. D. C. LIII. Pontificatus nostri anno nono.

Rex Episcopos hortatur ad eam admittendam. *His Litteris summa alacritate obseruantiaque receptis, Rex optimus quod Ecclesiæ primogenitum, & Canonum vindicem decuit, statim omnes Regni Prælatos admonuit admissæ per se Constitutionis, & vehementer adhortatus est, vt eam quam primùm suis in Ecclesiis publicari iuberent. Declaratio ex Gallico Latinè fideliter reddita sic habet.*

EDICTVM REGIS.

Missum ad Archiepiscopos & Episcopos Franciæ, Pro executione Bullæ Pontificiæ datæ 31. Maij præteriti.

LVDOVICVS Dei gratia Rex Franciæ & Nauarræ, Dilectis & fidelibus Consiliarijs nostris Archiepiscopis & Episcopis Regnorum nostrorum, Regionum & Terrarum nobis subditarum. Salutem. Cùm Sanctissimus Pater Bulla sua

ſua, cuius exemplum hîc adnexum eſt ſub ſigillo Cancellariæ noſtræ, definierit quinque propoſitiones variè traditas, & inuocato Spiritu ſancto, auditis plurimis Cardinalibus, Prælatis, & aliis grauibus & eruditis viris, quod de iis ſentiendum eſt, decreuerit: idque eo libentiùs fecerit, quò ſæpius de parte noſtra requiſitus fuerat, ad præuenienda diuerſa mala quæ inde poterant oriri, ſi remedium diutius dilatum foret: & cum D. Bagny Archiepiſcopus Athenarum, Nuncius ſuæ Sanctitatis apud nos, ex eius parte nos requiſierit, offerens eius Breue, datum trigeſima prima Maij, quò eandem Bullam publicari & executioni mandari faceremus per omnem ditionem à diuina bonitate nobis ſubditam. Nos qui more Regum decesſorum noſtrorum longè magis gloriamur Titulo Regis Chriſtianiſſimi, & filij primogeniti matris noſtræ ſanctæ Eccleſiæ, quàm ijs quos communiter habent Principes alii & Monarchę, viſo in eadem Bulla, nihil eſſe contrarium libertatibus Eccleſię Gallicanæ, & iuribus Regni noſtri, & cupientes hac occaſione ſignum certum dare noſtræ pietatis ergà Deum, & gratitudinis pro tot beneficiis quibus illi ſumus obſtricti: & deuotionis noſtrę ergà Sanctiſſimum Patrem noſtrum Papam, Hortamur vos, & nihilominus iniungimus, vt contentum in prędicta Bulla publicari & executioni mandari curetis per omnes Archiepiſcopatus & Epiſcopatus, regiones & terras nobis ſubiectas. Mandamus inſuper omnibus noſtris Officialibus, & ſubditis quorum curæ erit, & qui per vos, aut Promotores veſtros requiſiti fuerint, pro manutentione executionis præſentium, vt vos adiuuent, & vobis adſint, ſine alia iuſſione noſtra, quàm quæ præſentibus continetur. Nam ſic placitum eſt. Datum Pariſiis 4. Iulii, anno 1653. Regni noſtri vndecimo. Signatum LVDOVICVS. Et inferius. De mandato Regis. De Lomenie.

Ea regis declaratio, & tantæ pietatis inuitatio ſponte currentibus Epiſcopis calcar ſubdidit, vt in Eminentiſſimi Cardinalis Mazarini ædes cupidè conuenirent quotquot diuerſas ob cauſas tum Lutetiæ ſunt reperti. Qui cum ſe ipſi coram intuerentur, hoc decreuerunt in primis, eo tunc eſſe numero, qui Galliæ Clerum repræſentare poſſet, & quod ipſi ſuper eo negotio decernerent, ceteros abſentes ratum habituros. Deinde, prudente & humana Cardinalis eiuſdem oratione permoti ſunt amplius, ad Conſtitutionem reuerenter & ſubmiſſè admittendam, factumque eſt Senatus-conſultum pro eius ſuſceptione, gratijs Summo Pontifici agendis, & Epiſcopis totius Galliæ de publicanda Bulla commonendis. Epiſtolæ ad Pontificem hic eſt tenor. *Suſcipiunt Epiſcopi & de ea Summo Pontifici gratias agunt.*

ANTISTITVM GALLICANORVM Gratiarum Actio.

Sanctiſsimo Patri Innocentio X. Summo Pontifici.

BEATISSIME PATER. Optata peruenit ad nos tandem Conſtitutio illa, qua veſtræ Sanctitatis auctoritate, quid ſentiendum ſit de controuerſis quinque Propoſitionibus, quæ ſunt excerptæ è Cornelij Ianſenij Iprenſis Epiſcopi libris, perſpicuè decernitur. Excitatæ in Belgio contentiones, flagrabant etiam in Galliis, & latiſſimum incendium per vniuerſas Eccleſiæ partes minabantur; ni peſti graſſanti, & certiſſimam perniciem allaturæ obſtitiſſet Beatitudinis Veſtræ indefeſſum ſtudium, & ex alto petita poteſtas, quæ ſola acerrimam illam animorum colliſionem compeſcere poterat. Agebatur de re magni momenti, de aditu ſcilicet ad ſalutem per neceſſaria Chriſtiano gratiæ præſidia, & humanæ voluntatis adiumentis illis excitatæ ac fotæ conatus liberos: atque de diuina Chriſti pietate ac beneficentia in vniuerſum genus humanum. Huius doctrinæ lucem recentioris illius auctoris diſputationibus obſcuratam, priſtino nitori reſtituit, iuxta veterem fidei regulam, ex ſcripturis, & antiqua Patrum traditione, in Conciliis olim & nuper, auctoribus Summis Pontificibus conſtitutam, prolatum à Sanctitate Veſtra, poſtulantibus compluribus Galliarum Epiſcopis Decretum. Quo in negotio illud obſeruatione dignum accidit, vt quemadmodum ad Epiſcoporum Africæ relationem Innocentius I. Pelagianam hæreſim

damnauit olim; sic ad Gallicanorum Episcoporum consultationem, hæresim ex aduerso Pelagianæ oppositam, Innocentius X. auctoritate sua proscripserit. Enimuerò vetustæ illius ætatis Ecclesia Catholica, sola Cathedræ Petri communione & auctoritate fulta, quæ in Decretali Epistola Innocentij ad Africanos data elucebat, quamque dein Zosimi altera ad vniuersas orbis Ecclesias subsecuta est, Pelagianæ hæresis damnationi absque cunctatione subscripsit. Perspectum enim habebat, non solùm ex Christi Domini nostri pollicitatione Petro facta, sed etiam ex actis priorum Pontificum, & ex Anathematismis aduersùs Apollinarium & Macedonium nondum ab vlla Synodo Oecumenica damnatos, à Damaso paulò antea factis, Iudicia pro sancienda regula fidei, à Summis Pontificibus lata, super Episcoporum consultatione (siue suam in actis relationis sententiam ponant, siue omittant, prout illis collibuerit) diuina æquè ac summa per vniuersam Ecclesiam auctoritate niti: cui Christiani omnes ex officio, ipsius quoque mentis obsequium præstare teneantur. Ea nos quoque sententia ac fide imbuti, Romanæ Ecclesiæ præsentem, quæ in Summo Pontifice Innocentio X. viget auctoritatem, debita obseruantia colentes, Constitutionem diuini numinis instinctu à Beatitudine Vestra conditam, nobisque traditam ab Illustrissimo Athenarum Archiepiscopo, Nuncio Apostolico, & promulgandam curabimus in Ecclesiis ac Diœcesibus nostris, atque illius executionem apud fideles populos vrgebimus. Neque verò pœnæ deerunt aduersùs temerarios *illius* violatores, quæ à iure hæreticis infliguntur; quibus iuxta Constitutionis tenorem, & Breue Sanctitatis vestræ nobis directum, contumaces omnes, *nullo* conditionum vel statuum discrimine facto, perstringemus: præsertim cum in Galliis ad Episcopos in solidum isthæc cura pertineat, vbi nullos Hæreticæ prauitatis Inquisitores constitui patitur mos antiquus, ex iure communi profectus. Sanè spondere possumus Beatitudini vestrę, nihil fore quod Decreto Apostolico, nostræque in eo exequendo solicitudini moram afferre possit. Præcipuè cum pijssimus ac Christianissimus Rex noster, cui Breue Apostolicum vnà cum exemplo Constitutionis Illustrissimus Nuncius tradidit, interpellato quoque Regiæ Maiestatis præsidio, Nos ad illius Decreti executionem, Edicto suo ad nos dato, pro ea quam debet Ecclesiæ Constitutis tuitione, constanter hortetur: & Magistratibus vniuersis, atque ceteris sibi subditis, tum ad vim arcendam, tum ad amputandas quæ forte possent ab *hæreseos reis excitari de foro* competenti cauillationes, præcipiat, quatenùs illam omni studio atque opera iuuent atque tueantur. Quare cum Rex cælestis hac in causa fœderatum habeat Regem terrarum (si fas ita loqui cum Sixto III.) per Petræ soliditatem iam contusis veritatis hostium animis, securos ab omni externa perturbatione de noua hæresi triumphos aget. Porrò nos Innocentio X. cuius ore Petrus locutus est, vt Leoni I. acclamabat quarta Synodus, hanc diuinam lauream gratulati, sacros inter Ecclesiæ fastos, quod olim de Synodis Oecumenicis fieri solitum, Constitutionem istam ab eo editam lubentes ex animo reponemus: Cui optatissimam in longæua vita felicitatem adprecantur, qui sunt cum ea quâ par est veneratione,

BEATISSIME PATER

Sanctitatis vestræ,

Deuotissimi & addictissimi filij, Cardinales, Archiepiscopi, & Episcopi Gallię in Parisiensi vrbe congregati.

† Iulius Cardinalis Mazarinus Episcopus Metensis electus.
† Victor Archiepiscopus Turonensis.
† De Grignan Archiepiscopus Arelatensis.
† Henricus Archiepiscopus Burdegalensis.
† G. Daubuisson Archiepiscopus Ebrodunensis.
† Franciscus Archiepiscopus Rothomagensis.
† Petrus de Marca Archiepiscopus Tolosanus nominatus. *Auctor Epistolæ.*
† Leberon Episcopus Valentinensis & Diensis.
† Ægidius Episcopus Ebroicensis.
† Anthymius Dionysius Episcopus Dolensis. *Cessio Episcopatus.*
† Petrus Episcopus Montisalbanensis.
† Antonius Episcopus Grassensis & Venecienfis. *Scripsit Epistolam ad Episcopos.*
† P. De Broc Episcopus Antissiodorensis.
† Robertus Episcopus Dolensis.
† Henricus Episcopus Rhedonensis.
† Iacobus Episcopus Tolonensis.
† Felix Episcopus Catalaunensis.
† Dionysius Episcopus Briocensis.
† Henricus Episcopus Aniciensis C. de Velay.
† Ferdinandus Episcopus Maclouiensis.
† Claudius Episcopus Constantiensis.
† Iacobus Episcopus S. Flori.
† Iacynthus Episcopus Arausiensis.
† Harduinus Episcopus Ruthenensis.
† Philibertus Emmanuel Episcopus Cœnomanensis.
† Franciscus Episcopus Madaurensis, Coadjutor Corisopitensis.
† Franciscus Episcopus Glandeuensis, Ambianensis Episcopus nominatus.
† Gabriel Episcopus Abrincensis.
† Ioannes Episcopus Oloronensis.
† Abbas de Seruient Episcopus Carcassonensis nominatus.
† Abbas Tubeuf Episcopus S. Pontij Tomeriarum nominatus.

De Mandato Illustrissimorum ac Reuerendissimorum Dominorum prædictorum.
De Villars. Parisijs, die 15. Iulij. 1653.

Quàm multos putamus toto regno Illustrissimos Antistites felicitati suæ fuisse iratos, quòd nulla eos causa cogeret tum esse Lutetiæ? Quis enim operis tam gloriosi se nollet videri participem? Vt omittam sanctissimum Præsulem Nicolaum Sanguinum Syluanectensem Episcopum Antiquum, quem eximia cum animi sui voluptate ad subscribendum conuenientem, eodem loco, eodem momento, mors bonis omnibus luctuosa, derepente, sed non imparatum, terris eripuit, summo cunctorum ordinum luctu & desiderio. Quò æquius est hunc mellis fauum à nobis regustari, & indubitatum Ecclesiæ Gallicanæ sensum magno in negotio diligenter edisci. Gratulantur ergo Summo Pontifici Præsules Gallicani 1. *Quòd* conclusi sint veritatis hostes per petræ soliditatem, *per Innocentium X.* cuius ore Petrus loquutus est. *Cuius iudicium* pro sancienda fidei regula, diuina æquè ac summa per vniuersum Ecclesiam auctoritate nititur. *Addunt deinde*, illam animorum collisionem solum Pontificem compescere potuisse. *Ecclesiani* vetustæ ætatis sola Cathedræ Petri communione & auctoritate fultam, Pelagianæ hæresis damnationi absque cunctatione subscripsisse. *Opus non esse præcedente Concilio, monstrant exemplo Damasi, qui Apollinarium & Macedonium*, nondum ab vlla Synodo Oecumenica damnatos *anathematismis ab tota Ecclesia receptis, perculit. Episcopos Romanam Cathedram consulentes, necesse non habere iudicium eius apposita sententia sua præuenire, sed* siue suâ in actis relationis sententiam ponant, siue omittant, prout illis collibuerit, *valituram* auctoritate diuina per vniuersam Ecclesiam *Supremi Pontificum responsionem. Quibus omnibus & factum suum egregiè tuentur, qui sic Romanum*

Obseruationes in Epistolam. *Auctoritas Pontificis decernentis.*

oraculum putauerunt consulendum; vt toti ab eo penderent, neque vllum ferendæ sententiæ præiudicium offerrent: & schismaticis atque hæreticis ad Concilium prouocare solitis ora potenter oppilant. Neque tegi possunt antiquis incognita, nunc autem ab ipsis etiam Catholicis recepta, Pontificis, vt ex Cathedra, & vt priuatim loquentis distinctione. Quid est enim docere ex Cathedra, si hoc non est? Quis vnquam Leo, Celestinus, Innocentius quicquam definierunt ex Cathedra, si hæc priuati Doctoris opinio est?

Perpetuò recepta in Ecclesia Gallicana.

Quanta sit autem, quamque altè in Ecclesiæ Gallicanæ animis insita Romani Pontificis, eiusque in fidei materia decretorum obseruantia, docet ista primùm quæ in manibus est, controuersia Gotteschalci, quam ex mente Romanæ Ecclesiæ, matris & magistræ omnium Ecclesiarum, finiri cupierunt, tum Hincmarus, tum Prudentius adiunctus Lugdunensibus, vt vidimus in historia. Neque res vlla Hincmarum ab exquirenda à Pontificibus Sedem Petri tenentibus quæstionum illarum definitione abduxit, quàm quòd à præcedentibus crederet satis esse decretas. Quòd si Nicolaus I. auctoritatem hic suam verè interposuisset, quanta pars vtraque animorum demissione loquenti paruisset? Quid quòd longè antea Gallicani Antistites fidei regulam aduersùs Eutychetis & Nestorij vesaniam à Leone Magno postularunt, neque tantùm de Chalcedonensis Concilij decretis legendis, quantùm de Leonis Epistola ad Flauianum laborarunt? Quid illos ipsos noni seculi Antistites ab admittenda septima Synodo perdiu prohibuit, nisi schisma Græcorum nascens, cum sibi non persuaderent Romæ placere, quod esset à Græcis æmulis constitutum? Maximè cum neque per Orientales Ecclesias omnes priùs fuerit admissa, quàm Photius in auunculi Tharasij gratiam illas perurgeret.

Africanorum Episcoporum non absimilis Epistola.

Placet illis addere memorabile Africanorum Episcoporum exemplum, huic nostro persimile, qui in causa Monothelitarum, communem trium Conciliorum Synodicam ad Theodorum Papam miserunt, in hæc verba. Magnum & indeficientem omnibus Christianis fluenta redundantem, apud Apostolicam sedem consistere fontem, nullus ambigere possit, de quo riuuli profluunt affluenter vniuersum largissimè irrigantes orbem Christianorum: cui etiam in honorem beatissimi Petri Patrum decreta peculiarem omnem decreuere reuerentiam in requirendis Dei rebus: quæ omnino & solicitè debent, maximè verò iustéque ab ipso Præsulum examinari vertice Apostolico, cuius vetusta solicitudo est, tam mala damnare, quàm probare laudanda. Antiquis enim regulis sancitum est, vt quicquid quamuis in remotis, vel in longinquo positis ageretur prouinciis, non priùs tractandum, vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almę Sedis vestræ fuisset deductum; vt eius auctoritate iusta quæ fuisset pronunciatio firmaretur: indeque sumerent ceteræ Ecclesiæ, velut de natali suo fonte, prædicationis exordium, & per diuersas totius mundi regiones puritatis incorruptæ maneant fidei sacramenta salutis. *Hoc in speculo contemplari licet almæ Sedis illustrem prærogatiuam, vt in hæresum exortu absque eius auctoritate nihil ab vllo decerni, sed nec tractari debeat. Quod obseruatum voluit Vrbanus VIII. qui per initia Iansenianorum tumultuum, contentiosa vtrinque scripta suppressit, vt de ijs solus cognosceret: fecerunt & Antistites nostri, qui examen intactum ad Innocentium X. detulerunt. Præterea, quicquid ab alijs in Concilio congregatis statuetur, nihil habere ponderis, nisi Romani Pontificis pronunciatione firmetur. Tum demum, suscipi ab Ecclesiis omnibus decreta fidei, cum ab vno Petri successore traduntur, quod hoc in negotio quam cupidè atque alacriter factum sit, testis est orbis Christianus qui fecit. Subdunt Africani, credere se,* nouitatis exosum figmentū, vt ipsi siluissent, serenissimo examines Apostolicæ Sedis fuisse desectū. *Quo discimus, loquente Roma, ceteras cum*

Habetur in Synod. Lateran. Secret. 2.

Concilijs suis silere posse Prouincias. Multa sunt diuinæ legis documenta quę de largo vestri culminis fonte nostris riuulis infundantur. *Proponi enim Concilijs, etiam Generalibus, à Pontifice Romano, vt à Capite, quæ sunt tractanda, & eius sententiæ prærogatiua definiri; Prouinciales verò Synodos implicitè vel explicitè solius Pontificis auctoritate fulciri, nostra olim fusiùs monstrauit Hierarchia. Non omitto in eadem Mauritanorum Epistola communem omnibus nouitatibus originem.* Certum est enim, quòd tales sermonum nouitates, de malo gloriæ amore nascuntur: dum sibi nonnulli volunt acuti, perspicaces, & sapientes videri, quærunt quid noui proferant. De Hierarch. l. 4 c. 10.

Et hinc gradum facio ad alteram obseruationem, de rebus definitis. Quid enim suprema illa, & diuinitus accepta fecit auctoritas? Catholicæ doctrinæ lucem Iansenii disputationibus obscuratam, pristino nitori restituit, iuxta veterem fidei regulam. *O salutarem manum! Obstitit* pesti grassanti, & certissimam perniciem allaturæ. *Compescuit* contentiones, quę latissimum incendium per vniuersas Ecclesiæ partes minabantur. *O potens & alexicacum remedium! Vnde verò pestis illa & incendium erupit?* E Cornelij Iansenij Iprensis Episcopi libris. *Pars sanitatis est nosse morbi originem. Quid enim illi pepererunt?* Nouam hæresim. *Non ex asse Caluinianam.* Hæresim ex aduerso Pelagianæ oppositam proscripsit Innocentius X. Quemadmodum Innocentius I. Pelagianam hæresim damnauit olim: *hic* ad Episcoporum Africæ relationem, *ille* ad Gallicanorum Episcoporum consultationem. *Quippe plus nimio Liberum Arbitrium extollit Pelagiana, Ianseniana opprimit.* Et tales sermonum nouitates, de malo gloriæ amore nascuntur, *vt & Gotteschalcanæ contentiones, de odio & æmulatione partium Remensium.* Quanta vtilitatis fit ea definitio.

Post principes religionis, fidei tutores, Magistros Ecclesiarum, Patres Christianorum Episcopos, ad nobile Catholici orbis armamentarium, limpidum Ecclesiasticæ doctrinæ fontem, cælestis sapientiæ Thalamum, lectulum veri Salomonis, quem sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israël ad bella doctissimi, prostrato iam olim Iansenio in Caluino, Michaële Baïo, ceterisque Nouatoribus triumphales duces; curas suas conuertit Rex idem Christianissimus, & facultatem Parisiensem in Sorbona congregatam, ad illustrem Theologiæ suæ victoriam orbi Christiano declarandam Rescripto excitauit; vt qui in Gallia, quique Romæ nascentes errores animosè fuerant insectati, gloriosissima pars belli Ianseniani, spectandum posteris Catholicæ fidei & auctoritatis Pontificiæ trophæum in Tabularijs suis erigerent. Fuit autem Rescriptum tale in Bibliotheca Anti-Ianseniana Appendice Gallicè recitatum, quod nos Latinè fideliter reddimus. Rex iubet eandem in Tabularium Theologicæ Facultatis inferri. Biblioth. Anti-Iansen. append. ad pag. 46, 47.

RESCRIPTVM REGIVM

Ad Facultatem Theologicam Vniuersitatis Parisiensis,

DE MANDATO REGIS.

CAri & dilecti. Mittimus ad vos Constitutionem S. P. N. Papæ, qua sua Sanctitas declarat & definit quod est tenendum & credendum super quinque Propositionibus, de quibus plurimæ contentiones extiterant, quasque illi magnus Regni huius Episcoporum numerus obtulerat, instanter postulans examinari, & de singulis earum clarè distinctéque pronunciari. Et quoniam nostræ voluntatis est eandem Bullam probari, & nihil omnino quod ipsi repugnet, doceri, vos hortamur & præcipimus curare & efficere, vt in lectionibus Theologicis, & in The-

fibus quæ proponentur ad disputandum de articulis vel Theologicis, vel Philosophicis nullæ propositiones afferantur, vel doceantur, decisionibus eadem Bulla contentis contrariæ. Dilectus & fidelis noster Consiliarius Status Dominus Rhedonensis Episcopus voluntatem super his nostram distinctiùs vobis exponet, quod eius prudentiæ committentes, vos tantùm hortamur, vt quæ nostro nomine vobis referet, integra fide accipiatis. Datum Parisiis die mensis Iulij, anni 1653. Signatum LVDOVICVS. Et inferiùs DE GVENEGAVD. Inscriptio exterior. Carissimis & Dilectis nostris Decano & Doctoribus facultatis Theologiæ Vniuersitatis nostræ Parisiensis in Sorbona.

Quibus, Constitutione inquam Pontificia, & Rescripto regio per eundem Illustrissimum & Reuerendissimum D. Rhedonensem Episcopum, D. Henricum de la Motte-Houdancourt, & ipsum doctissimum eiusdem facultatis Theologum, oblatis consessui Sorbonico, & diligenter inspectis, Censuit facultas: Prædictam Constitutionem Innocentii X. Summi Pontificis recipiendam esse, atque inscribendam Tabulis Facultatis, vt ab omnibus tam Doctoribus, quàm Baccalaureis obseruetur: prohibuitque insuper eadem Facultas, ne quis Doctorum aut Baccalaureorum aliquam ex Propositionibus prædicta Constitutione damnatis doceat, aut defendat. *Factum illud decretum Kalendis Augusti: mox Kalendis Septembris alio confirmatum est*, vt siquis deinceps aliquam ex propositionibus illa Innocentij X. Summi Pontificis Constitutione condemnatis defendat, ex Facultate excludatur, secundùm disciplinam eiusdem facultatis, si contumax reperiatur.

Biblioth. anti-Iansen. cit. n. 86.

Sed vt redeamus ad Antistites, primarios tanti operis curatores, lux ea pristino nitori, vt loquuntur, restituta, vniformiter, difformiter vt aiunt philosophi à priuatis diœcesibus admissa, varia singulorum Antistitum Mandata produxit, quæ hanc in historiam conferre nec possumus, nec debemus. Vnum sufficit, & primum ordine temporis, & vrbis regiæ dignitate honorandum, Illustrissimi Parisiorum Archiepiscopi, qui quo minùs per absentiam communi Epistolæ potuit subscribere, hoc ardentiùs suam cum reliquis Antistitibus concordiam, & erga Summum Pontificem obseruantiam, & puritatem doctrinæ omni ex parte Catholicæ studuit declarare. Accipe, Lector, amplissimum eius mandatum ex idiomate Gallico Latinitate donatum, vtraque lingua Romanum.

Episcopi suis in Diœcesibus Constitutionem promulgant.

MANDATVM

ILLVSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI Archiepiscopi Parisiensis pro publicatione & obseruatione Constitutionis Pontificiæ.

IOANNES FRANCISCVS GONDIVS Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Parisiensis, Omnibus Decanis, Capitulis, Abbatibus, Prioribus, & Curatis Ecclesiarum Parochialium in Vrbe, & Suburbijs Lutetiæ sitarum: nec-non omnibus alijs Curatis, vt & Superioribus Monasteriorum vtriusque sexus, & aliarum Communitatum Vrbis huius & Diœcesis, Salutem & benedictionem. Christus Dei Filius veniens in mundum vt homines Patri reconciliaret, & ipsos inuicem perpetuo vinculo pacis & caritatis vniret, mori voluit in cruce, brachiis extensis, vt populos omnes amplecteretur, & in vnum corpus mysticum, quod est Ecclesia, coniungeret, sub vno visibili & vniuersali Capite: *Moriturus erat*, ait dilectus discipulus, *vt filios Dei qui erant dispersi, congregaret in vnum.* Eam ob rem Iudæis dicebat Princeps pacis: *Alias oues habeo, & illas oportet me adducere, & fiet vnum*

Ioan. c. 11.

Ioan. c. 10.

ouile, & vnus pastor. Ab eo videlicet solo pendens, sed aliis omnibus superior. Quem etiam designauit, & de facto constituit, cum breui rediturus ad Deum Patrem dixit Petro Discipulorum ardentissimo (cui iam antea claues Regni cœlorum tradiderat) ponens illum sub se Petram in fundamentum Ecclesiæ suæ, *Pasce oues meas, Pasce agnos meos.* [Ioan. c. 21.] Quare illi ipsi Passione iam imminente dixit. *Simon, ecce Satanas expetiuit vos vt cribraret* (siue separaret) *sicut triticum, Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* [Luc. c. 22.] Hæc est diuina promissio, quæ semper exinde retinuit *in Cathedra vnitatis doctrinam & veritatem*, & pacem atque vnanimitatem in Ecclesiæ Catholicæ corpore conseruauit. Nam quoties in fidei, & doctrinæ Christianæ materia dissensio vlla mota est, priuatarum Sedium Episcopi ordinariè ad Summum Pontificem recurrerunt, S. Petri successorem, & Iesu Christi Vicarium in vniuersa Ecclesia, ad exquirendam eius definitionem, eamque cognitam, velut oraculum veritatis, inuiolabiliter obseruari curarunt: atque hoc modo spiritum pacis, & vinculum vnitatis suis in Ecclesiis conseruarunt. Ita S. Irenæus, qui discipulos Apostolorum audiuit, Lugduno missus est Romam ad Pontificem & Martyrem Eleutherium, instructus pulcherrimis legationis suæ Litteris, vt ex eius ore definitiuam sententiam super diuersis dubiis erueret. Quâ impetratâ domum rediit, Columbæ instar referens oliuæ ramum, quem cum aperto singularis benedictionis successu illa recepit Ecclesia. Ità S. Cyprianus in causa Nouati ad eandem Sedem confugit, quam verè nuncupabat, *Cathedram S. Petri, Ecclesiam principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta est.* [Cyprian. ep. 55. Cornelio.] Eodem modo Basilius Magnus S. Athanasio fuit auctor, vt in Orientalis Ecclesiæ tumultibus, ad Romanum Pontificem accurreret, quo is auctoritate suâ vsus sententiam ferret, tempestatem sedaret, & tot Ecclesiis, magnis contentionum fluctibus iactatis, non in moribus tantùm, sed etiam in fidei dogmatibus, tranquillitatem redderet. Sic & S. Hieronymus Damasum rogabat (cui fuerat olim ab Epistolis, vt Synodicis consultationibus Orientis & Occidentis responderet) indubitatam decisionem de tribus Hypostasibus in Diuinitate dicendis, aut tacendis. *Hic*, inquit, *in tres partes scissa Ecclesia ad se rapere me festinat. Ego interim clamito, si quis Cathedræ Petri communione iungitur, meus est.* Et in Epistola præcedente ad eundem Pontificem. *Ego Cathedræ Petri communione consocior: super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluuio. Non noui Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicunque tecum non colligit, spargit; hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.* [Hieron. epist. 58. Damaso. idem ep. 57. Damaso.]

Exorta est aliquantò post hæresis Pelagij, contra quam Generale Concilium nullum vnquam est celebratum. Quid egit Ecclesia, vt monstrum illud multorum capitum attereret, in quod tot sententiis damnationis in priuatis per Orientem & Africam Synodis fulminauerat? nisi vt more solito ad Supremam Sedem causa deferretur; quia, vt inquiebant Patres, Augustino scribente, *Arbitramur auctoritati Sanctitatis tuæ de sanctarum scripturarum auctoritate depromptæ, faciliùs eos qui tam peruersa & perniciosa sentiunt, esse cessuros.* [August. epist. 92. ex Concil. Mileuit.] In Eutychetis quoque causa, Epistolam S. Leonis ad Flauianum, quæ *Titulus fidei* est appellata, habuerunt Patres pro vltima Ecclesiæ definitione. Nam cum in Chalcedonensi Oecumenico Concilio lecta fuisset, Patres omnes eodem instincti spiritu, quo Leo Pontifex eius auctor, statim exclamarunt, *Hæc Patrum fides, Hæc Apostolorum fides. Anathema, qui ita non credit. Petrus per Leonem ita loquutus est.* [Concil. Chalced. act. 2.] Quin etiam Galliarum Episcopi receptam admirabilem illam Magni Pontificis Epistolam tanto consensu amplexati sunt, vt immensas ipsi gratias egerint, adijcientes, ita *per omnium Ecclesiarum conuenticula celebrari, vt verè consona omnium sententia declaretur, meritò illic principatum Sedis Apostolicæ constitutum, vnde adhuc Apostolici spiritus oracula referentur.* [Tom. 1. Concil. Gall. p. 93.] Et alia Synodica ad eundem Leonem Pontificem missa, post ornatam eximiis laudibus, quam pro dignitate nemo æstimat, Epistolam decretoriam, notanda adhuc verba subiiciunt. [Epist. Synod. ibid] *Credat quòd per os vestrum Dominus noster de sacramento incarnationis suæ docet.* Episcopi quoque Hispanienses similibus in casibus ad eius successorem Hilarium scripserunt, orantes vt suprema sua auctoritate discordias illas compesceret. [Epist. Tarracon. ad Hilar. Tom. 1. Concil.] *Ad fidem recurrimus*, inquiebant, *Apostolico ore laudatam, inde responsa quærentes, vnde nihil errore, nihil præsumptione, sed Pontificali totum deliberatione præcipitur.* Eius traditionis veritas adeò constans est in Ecclesia Catholica, vt tempus deficiat, si omnia ad illud institutum spectantia singillatim persequi velimus. S. Bernardus manifesta & inuiolabili hac traditione instructus, Innocentio II. paribus in negotijs scripsit, [Bernard. epist. 190. Innocent.]

Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque, & scandala emergentia in regno Dei, (quod est Ecclesia) *ea præsertim quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potissimùm resarciri damna fidei, vbi non possit fides sentire defectum.*

Eam ob rem nos iisdem instituti principiis, ex quo quęstio *de auxiliis*, & contentiones ceteræ circa Gratiam hac in vrbe cæperunt excitari, ad vitandum tumultum & discordiam, Decreto nostro dato mense Martio, anni 1642. silentium indiximus Doctoribus & Concionatoribus omnibus, in contentiosis illis quæstionibus, illarum cognitionem Sanctę Sedi relinquentes (vt pote maiorum, & in rebus fidei,) eos adhortando, & compellendo ad expectandam controuersiarum eiusmodi definitionem à communi Ecclesiæ oraculo Supremo Pontifice Et Vrbanus quidem VIII. felicis recordationis auctoritatem interposuit suam, memoranda Declaratione, quam iussimus solenniter publicari. Verum hoste quietis Ecclesiæ agente, animis in tales disputationes nihilominus efferuescentibus, nihil solicitudinis omisimus, quò periculosas altercationes prohiberemus, & litigantes omnes cogeremus subdere se cum omni reuerentiâ (quod veri semper Ecclesiæ filii præstiterunt) Sanctę Sedis Apostolicæ iudicio, atque interim Catholicę vnitatis, & fraternæ caritatis limites non transilire. Cui nostræ voluntati obtemperantes, ad Sanctissimum Dominum Iesu Christi Vicarium, S. Petri successorem, filiali animi demissione recurrerunt: atque is tandem omnibus maturè perpensis, post adhibita quęcunque ad impetrandam peculiarem Spiritus Sancti assistentiam in negotio tanti momenti necessaria visa sunt, & post longam accurati examinis indaginem, sententiam Apostolicam pronuntiauit, quâ contentionibus illis medetur, damnatis quinque propositionibus, expressis in Bulla superiùs transcripta, & ad nos missa, vt publicetur & obseruetur in vrbe hac & Diœcesi ab omnibus, quos diuinæ bonitati placuit nobis regendos committere.

Quibus de causis nos visibili Ecclesiæ Capiti reuerentiam & submissionem debitam deferre cupientes, & ad omnes contentionum occasiones amputandas, & perfectam concordiam inter fideles pastorali nostræ Curæ subditos stabiliendam, Statuimus præfatam Bullam, siue Constitutionem Apostolicam Sanctissimi Domini nostri Papæ, in materia fidei, publicari proximo die Dominico, in Pronais omnium Ecclesiarum Parochialium huius Vrbis & Diœcesis. & significari Superioribus omnibus Monasteriorum & Communitatum vtriusque sexus, affigi etiam ad valuas Ecclesiarum, imprimi & diuulgari, cum præsente nostro Mandato, vt per singulas partes obseruari possit, secundùm formam & tenorem, ab omnibus personis vtriusque sexus, cuiuscunque ordinis, status, aut conditionis, sine vlla exceptione. Inhibētes expressissimè & vetantes docere & tueri supradictas quinque Propositiones damnatas in suprascripta Bulla, specie expositionis aut alterius cuiuslibet prætextus: Item eandem Bullam infirmare per fictionem vllius prætensæ falsitatis, nullitatis, aut cuiuslibet defectus, quem quis vellet supponere: aut aduersus eam disputare voce vel scripto, (etiam impresso) aut quicquam facere in eius præiudicium, & honoris atque reuerentiæ sanctæ Sedi Apostolicę debitæ, & auctoritatis Sanctissimi in Christo Patris Papæ, directè vel indirectè, sub pœna excommunicationis, necnon interdicti pro personis Ecclesiasticis, & aliis pœnis iuris, vt in ipsa præfata Bulla continetur. Cui tamen bene speramus obtemperaturos omnes & singulos, vt semper in similibus occasionibus fecerunt veri Ecclesiæ Catholicæ filii. Quod S. Optatum Mileuitanum impulit, vt diceret, *Melchiadis iudicium clausum esse*: & S. Augustinum, vt scriberet. *Inde rescripta venerunt: causa finita est, error vtinam aliquando finiatur!*

Optat. l. 1. August. 2 serm. de verb. Apost. c. 10

Superest igitur illud vnum, vt Diœcesanos nostros hortemur, quemadmodum Apostolus Corinthios, dicens. *Obsecro vos, Fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia.* Et ad Ephesios, *Obsecro vos vt digni ambuletis vocatione qua vocati estis: cum omni humilitate, & mansuetudine, cum patientia, supportantes inuicem in caritate: solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.* Deus illam nobis concedat. Datum in nostro Conuentu Capucinorum ad Pontisaram, die 15. Iulij, 1653. Signatum, Ioannes Franciscus P. Archiepiscopus Parisiensis.

1. Cor. 1. Ephes. c. 4.

Encomium illius mandati.

Tam pium, tamque Catholicum Mandatum ceteris præire tempore voluit Deus, vt præluceret exemplo. Quid enim melius aut vberius dicerent Landericus & Marcellus, si modò viuerent in terris: quid ipse Dionysius cum sublimi sua Hierarchia

grandius scriberet, pro stabilienda in Parisiensium animis Romanæ Sedis auctoritate? Ita Primus Archiepiscopus præcessorum Episcoporum fidem obedientiamque æmulatur. Quantopere autem virtutes illas cum pace & caritate vigere cupiat in subditis, docet interdicto graui sanè, & in primis obseruando, ne quis contra Summum Pontificem eat dicto scriptove, vlla calumnia detorti sensus, imminutæ auctoritatis, aut qua alia fraude vim Constitutionis infringendo. Putauit enim Antistes optimus animo æquè Catholico vtrinque hactenus fuisse certatum. Declaratam semel hæresim vno impetu posse extingui. Non prauas opiniones, sed in ijs post talem Constitutionem retinendis peruicaciam, hæreticos facturam. Redire posse postliminiò fidem & concordiam, si rei iudicatæ syncerè statur & candidè. Proinde procul eliminandam ab animis scriptisque eorum, qui se in posterum Catholicos & esse, & haberi volent, omnem verborum atque interpretationum calumniam, ad excusandas excusationes in peccatis, fouendamque hæresim fabricatam. Quid enim, si qui fortasse peruicaciæ suæ velum conantur obtendere, populare possunt afferre, quod vlli sapienti probandum sperent?

Nam illud spissum, & apertè schismaticum non causabuntur, Opus ad hæc definienda fuisse Concilio: Papam solum nihil istiusmodi potuisse. Legunt enim in scriptura, quod Illustrissimus Parisiensis exprimit, ceteri tantùm insinuant, factum Petro imperium confirmandi fratres suos, quia non defecturam fidem solus accepit: Gentiles à Petro solo primùm ad fidem adductos; primogenitum hæreticorum Simonem Magum à solo Petro damnatum. Sciunt ab historijs per Illustrissimos Antistites productus, Apollinarium & Macedonium ante Synodos à Damaso, Pelagianam hæresim ab Innocentio I. solo fuisse proscriptam. Meminisse debent rerum Ecclesiasticarum non ignari, Lugdunenses Martyres per Irenæum legatum, Eusebio teste, Romanũ Episcopum Eleutherum, non vllũ Concilium, rogasse vehementer, vt pax & concordia in Ecclesia constitueretur, *declarando videlicet quale de Montani prophetia iudicium esse deberet Ecclesiæ. Polycarpum ad Anicetum super Paschæ quæstionibus, non ad Synodum, Romam venisse. Iouiniano perpetuum anathema dixisse Siricium solum, cum Romano Clero. Victricium Rothomagensem, & Exuperium Tolosanum consulentes Innocentium I. ab eo rescripta accepisse, quibus quædam Vigilantij hæreseos capita reijcerentur. Nobili Leonis Magni Epistola ad Flauianum in Concilio, Ephesino & Chalcedonensi præscriptam formam credendi. Agathonis Pontificis legationem priuatam & literas in Sexta Synodo, quàm Concilij Romani, cui & ipse præfuerat, pluris esse factas. A Bulgaris in religionis recens susceptæ grauissimis difficultatibus, non Græcam, aut Latinam Synodum, sed Romanum solum Pontificem fuisse consultum. Nicolaum autem absque Concilij coacti deliberatione, recta & sancta respondisse, addito futurum illorum Episcopum,* semper in rebus dubiis, & negotiis maioribus Sedem, totius Ecclesiæ more, Apostolicam consulturum. *Denique in Catholicorum omnium vultu atque animis legunt, explosum iri vt Schismaticos, qui de Romani Pontificis potestate, hoc in negotio dubitent. Quæ ratio si deesset, & humana purè auctoritas de rebus dubijs tulisset sententiam, neque sic tamen ab ea liceret resilire, post delectum ab vtraque parte iudicem, post causam patienter auditam, post interlocutionem tanta maturitate prudentiaque dictatam. Quò enim victi prouocabunt? Quod tribunal superius appellabunt? Quibus vnquam mortalibus opiniones suas earumque firmamenta magis per otium, ardentiùs, cumulatiùs verbis scriptisque declarabunt? Stemus hîc omnes: legitimo processu à vero & vtrinque delecto iudice lata sententia est, ab Ecclesiæ Catholicæ filijs omnibus admissa. Nihil vltra quærendum.*

Et Nos, inquient, admittimus, eoque libentiùs, quòd neque nostram, nec S. Augustini, cuius discipuli sumus, neque Iansenij, quem Augustini fidum interpretem

Respondetur obiectionibus quæ possunt excogitari. 1. de potestate Papæ.

Eufeb. l. [illegible] c. 4.

Sir. epist. 2.

Innoc. epist. 1. 2.

Nicol. I. Epist. ad consulta Bulgar.

2. de Tribus sensibus.

habemus, doctrinam vllo modo tangit, nedum lædit, vt vulgaribus ingenijs visum est. Nostra enim doctrina eo disputatarum propositionum sensu continetur, qui clarè & dilucidè expositus, & ipsi Summo Pontifici à nobis oblatus est Romæ, quindecim circiter ante latam sententiam diebus. Postulatum enimuerò est, vt de illis expressè, vt expositæ erant, intellectis proferretur solenne definitiuumque iudicium, quo nobis apertè constaret, eas in sensu, quem Catholicum asserimus, esse damnatas. *Ita decretum non est, neque sensum nostrum vllo verbo iudex indicauit, aut expressit. Ergo dici non potest condemnasse. Sunt quidem earundem propositionum sensus alij duo, à nobis diligenter excussi, alter hæreticus, alter aduersariorum nostrorum, siue Molinæ. Ille quæsitus est, & tantum* malignè propositionibus affingi posset, quem tamen legitimè sumptæ, non habent. *Hic,* vt ab aduersariis defenditur, *est Pelagianorum, vel Semipelagianorum* : atque ita declaratum est in Congregatione Romana de auxiliis, sub Clemente VIII. & Paulo V. *Vter illorum censurâ feriatur, viderint quorum interest : certè noster euasit incolumis.*

Responsio. de sensu hæretico eum non esse.

Fuerunt hæc ante definitam litem tolerabilia: post sententiam decretoriam ne plebeculæ quidem rationem consulenti vendibilia. Nam tres illi sensus propositionibus quinque sic affícti, & verè quidem antea Pontifici oblati, sed contra eius vetitum modò Typis editi, 1. Tres non sunt : nam hæreticus, malignus, affictus, illegitimus, vt aiunt, sensus non est, sed impostura, qualem omnibus fidei propositionibus, & mysterijs si quis volet affingere, fabulam faciet ex religione. Neque verè dixero, post Christi ascensionem viguisse tres in orbe terrarum religiones, Christianam, Iudaicam, Ethnicam : hæc enim tantùm abusu vocis dici potest religio, quæ superstitio fuit & impietas: secunda, eo tempore, tantùm tolerabatur, breui extirpanda; prima sola vera, & eo digna nomine. 2. Licet concedatur hæreticus ille sensus aliqua ratione illis propositionibus conuenire potuisse; rudes tamen, & controuersiarum inter Ecclesiam & hæreticos quæstionum perquam imperitos fuisse oportet Gallicanos Antistites, plebis Christianæ magistros, qui primi debent reddere, & nos edocere, quomodo reddamus rationem eius quæ in nobis est fidei, si nescierunt, sensum illum esse Caluinianum aut Lutheranum, & à Concilio Tridentino damnatum; *& vt nouum & grande negotium, de eo acceptando vel reijciendo Sedem Apostolicam consuluerunt. 3. Quid quòd eadem ignorantia cæcati fuisse putandi sunt Pontifex Maximus, Cognitores omnes, Parisienses Theologi partis Catholicæ, si tantis laboribus, tot vigilijs studijsque, tot publicis priuatisque collationibus viri sapientissimi atque doctissimi, non aliud egisse dicuntur, quàm vt propositiones quinque in hæretico, malignè affícto sensu, per Concilium Tridentinum in Luthero & Caluino dudum damnatæ, iterum damnarentur? 4. Edicant autem Iansenianæ partis Theologi delegati, fuerit-ne vnquam in Collationibus Pontificijs sensus ille hæreticus & illegitimus cum propositionibus collatus, & expensus, imo etiam commemoratus? Negabunt sanè; quippe qui fatentur ab Episcopis Galliarum non aliud postulatum, quàm* vt de iis quæ in controuersiam inter ipsos Iansenianos & aduersarios vocata sunt, expressam sententiam ferret, non de iis de quibus nulla contentio, nulla quæstio, nulla difficultas exorta est. *Atqui, vt protestantur inferiùs, nulla de Caluinianis, Lutheranisve hæresibus inter ipsos atque aduersarios est, aut fuit quæstio : eæ ab vtrisque ex æquo anathematizantur, neque* cum de his hodie quæstio non sit, *nisi per calumniam illis possunt imponi : Ergo de hæretico illo sensu Lutherano vel Caluiniano, nulla vnquam est in Collationibus facta mentio. Dici ergo non potest Pontificium anathema illum ferire, qui propositus non est. 5. Denique, ne pluribus solem facibus adiuuare videamur, & vt ad principium redeamus, ipsa Iansenianorum*

confessione, illegitimus ille sensus, verè & reipsa nunquam propositionibus quinque est impositus, sed tantùm malignè posset affingi. *Quare cum sesqui-annum totum inter ipsos, & Catholicos Doctores, apud Romanum Tribunal de sensu propositionum tanto ardore altercatum est, non de chimerico certè; & eo* qui posset affingi, *sed de genuino, naturali, verè & reipsa significato certatum est: ergo de isto, non de fictitio, & nunquam proposito cognouit Congregatio, Pontifex pronunciauit.*

Exclusa igitur sensus imaginarij fictione, qui penitùs extra causam, post collationes, ad faciendum fucum, serò excogitatus, nunquam expensus est, supersunt duo, de quibus certari potuit & decerni. Prior, vt à Ianseniahis intelliguntur, & defenduntur propositiones: *posterior, illi* contrarius, vt ab aduersariis defenduntur. *Et hos iterum nego earundem propositionum duos esse sensus. Nam* contrarius *propositioni sensus, eius sensus non est; neque enim aqua ignis est, aut nox, dies est; aut albus color, idem qui niger. Ac licet aliqua propositio duorum sæpe sensuum capax sit, nunquam tamen vna contrariorum. Nam si dixero, Regem ingressum esse vrbem curru vectum; explicari potest, vectum bigis, quadrigis, & si placet, octiiugis, aut decemiugis. Item, curru communi, aut triumphali. At non etiam exponi, hoc est, ingressus est pedes: cum hæc vna propositio manifestè contraria sit alteri. Quare, si Pontificibus & Cognitoribus micam prudentiæ largiris, debuerunt verum & legitimum propositionum sensum examinare; contrarium autem non minùs negligere, quàm illium fictitium; quia neuter ad propositiones pertinet. Is autem est, vt profitentur ipsi, qui* à Iansenianis intelligitur ac defenditur, *non* malignus qui posset affingi, *vel* contrarius. *Ergo secundùm vnum Iansenianorum sensum excussæ, & iudicatæ sunt propositiones. Præterea, pr[illegible]ones secundùm illum vnum sensum examinatæ sunt, qui postulatus est ab Episcopis Galliarum, qui oblatus à delegatis Iansenianorum, negantibus* se ad dexteram aut sinistram declinare, *qui* à decennio vehementissimis turbis Galliam commouet, *qui* contentiones excitauit in Belgio, *propter* doctrinæ lucem recentioris auctoris disputationibus obscuratam. *Atqui, vel cæci agnoscunt, has esse propositiones in sensu Ianseniano, non autem in contrario Molinæ, aut Pelagianorum, aut Semipelagianorum sumptas: Sunt igitur in sensu Iansenianorum examinatæ illæ & iudicatæ. Ad extremum, Illustrissimus Archiepiscopus noster, quem hac luce quâ ista scribimus, hominibus ereptum fuisse lugemus, vnum verum & legitimum propositionum sensum esse docet, eumque doceri vetat, cum Pontificiam Constitutionem vult obseruari,* secundùm tenorem & formam, *& propositiones tactas fulmine doceri prohibet* specie expositionis, aut alterius cuiuslibet prætextus. *Docent autem, qui negant in eo quo intelligunt ac defendunt sensu damnatas, sed tantùm in fictitio, vel contrario: veniunt igitur illi & contra Summi Pontificis, & contra Archiepiscopi sui auctoritatem, omni iugo ordinatæ à Deo potestatis excusso.*

Hoc trium, vt vocant, sensuum propugnaculo deiecti, ad S. Augustini doctrinam, certam, Catholicam, diuinam se recipient, tot seculorum, tot Pontificum, tot summorum virorum vocibus, scriptis, præconijs celebratam; quam nullo verbo Romana Constitutio, nullo signo mens auctoris violauit. Huius, inquient, nos professi sumus perpetuos discipulos ac defensores: pro indubitata tanti doctoris, atque adeò Ecclesiæ doctrina, prædictas propositiones, vt à nobis superiùs expositæ sunt, perpetuò defensuros, quandiu de illis expressè, vt supra expositæ sunt, intellectis, prolatum non erit solenne definitiuumque iudicium.

Examinatæ sunt propositiones in vero earum sensu.

21. Martii 1654.

5. ob. D. S. Augustini doctrinam.

Responsio. *De thrasonica hac & inani discipulatus Augustiniani ostentatione tam frequenter dictum est in opere, vt in ea modò pigeat immorari. Mecum quippe videor semper circumferre in auribus meis resonans ignoti Lugdunensis illud,* nos qui Augustinum sectamur. *Et aliud Gotteschalcanum,* Augustinus noster. *Cum tamen Augustini & Prosperi doctrinam profiteri Gotteschalcus moriens abnuerit: & Lugdunensibus omnibus Augustini doctrinam perpetuò Hincmarus obiecerit. Sed hæc veteres: quod recentum proprium est videamus.* Indubitatam Augustini doctrinam, imò Ecclesiæ *ipsius esse volunt propositiones, in suo sensu expositas. Atqui, vt validè probatum est, illæ propositiones in Iansenianorum sensu expositæ, Constitutione Pontificiâ sunt damnatæ: ergo, secundùm illos, indubitata Augustini & Ecclesiæ doctrina Constitutione Pontificia damnata est. Quomodo autem damnata? Vt* falsa, temeraria, scandalosa, impia, blasphema, anathemate damnata, diuinæ pietati derogans, hæretica. *Sunt enim illi propositionum in sensu Ianseniano characteres. Deus sancte! talis Ecclesiæ, talis Augustini doctrina? Ita iudicatum ab Ecclesiæ capite, à Sede Petri, ab Innocentij & Cælestini successore? O propudium! O portentum! Et audent adhuc Ianseniani se discipulos Augustini, Ecclesiæ filios appellare? Quis vnquam Orestes patrem suum, quis Nero matrem tam crudeliter habuit? Gratias Deo quòd Ianseniana peste liberi viuimus.*

4. ob. de calumnia in Iansenium. *Atenim Iansenius iniquè traducitur, & alienæ fraudis inuidiam subit.* Siquidem *propositiones illæ quinque disputatæ damnatæque, vt à* loco suo dolosè auulsæ, vel fabricatæ *sunt: minimè igitur Iansenianæ. Omnis ergo censura in eas lata, non Iansenium innocentem, sed Theologos Parisienses calumniæ reos à quibus* auulsæ, *vel* fabricatæ *sunt, percussit.*

Responsio. *Si nullum habent validius præsidium, quo se recipiant Ianseniani, captos, lector, existima. Quis enim sapiens credat, decennio turbatum esse vehementissimè in Gallia* ob librum & doctrinam Reuerendissimi Cornelij Iansenij Iprensis Episcopi, vt loquuntur *Antistites nostri, aut vt Pontifex*, occasione impressionis libri, cui titulus, Augustinus Cornelij Iansenij Episcopi Iprẽsis, inter alias eius opiniones, ortam esse, præsertim in Galliis, controuersiam super quinque ex illis: *quibus ad Pontificis cognitionem per Episcopos remissis, statim Romam accurrerint eas propugnaturi Ianseniani: longo post tempore eodem profecti sint Catholici Theologi è Sorbonico Collegio, easdem oppugnaturi: hîc & tum annum totum & amplius maxima vtrinque animi contentione de illis certatum esse, Cognitoribus singulis Iansenij librum præ oculis habentibus, & singularum fontes in eo legentibus: pronunciasse Pontificem de* quinque illis eius opinionibus, non intendentem approbare vllatenùs alias opiniones quæ continentur in prædicto libro Cornelij Iansenij. *Eo de decreto eidem Pontifici gratias egisse Gallicanos Episcopos, quòd* doctrinæ lucem recentioris illius auctoris disputationibus obscuratam pristino nitori restituerit, *atque esse gratulatos* triumphum de noua hæresi, ex aduerso Pelagianæ opposita: *populos omnes faustis acclamationibus eam Constitutionem, vt Iansenianorum condemnationem suscepisse: ministros hæreticos ad* Apologiam pro Iansenio & Iansenitis contra Pontificem, *scripsisse* Examen Theologicum Constitutionis nuperæ Innocentii Papæ X. *quod inferiùs a nobis libabitur. Quis inquam sapiens; nimis dixi; quis homo, quis puer scintilla rationis præditus, his visis atque intellectis, credat Iansenij doctrinam non esse damnatam; sed alienas penitus ab ea propositiones, nescio quas, ab aduersarijs* fabricatas? *In ea scilicet officina quæ Dissertatori nostro viro optimo, suggessit scripta Gotteschalci quæ scaterent hæresibus, fuisse ab Hincmaro*

nostro viro optimo, suggessit scripta Gottescbalci quæ scaterent hæresibus, fuisse ab Hincmaro fabricata, & ad Amolonem missa in Monachi miserabilis perniciem. Quid? Vidimus primùm Catholicorum doctorum conatus ad harumce propositionum examen, in Comitijs Sorbonicis decernendum, seditiosis artibus, & magno molimine disturbatos: legimus deinde Regioportuenses Commentarios in Epistolam Postulatoriam Episcoporum, easdem propositiones ad Pontificium tribunal mittentium; Scimus eo facto, quo ardore Romam aduolaueritis, quàm immanibus expensis causam illam fitis prosequuti, quot amanuensium manus dictando lassaueritis, quantos scriptorum cumulos excitaueritis. Audiuimus quo stupore vestro Pontificis sententiam acceperitis; quid in reditu per Heluetios Caluinistas à bonis fratribus & comperijs vestris consolationis habueritis: quanta deliberatione decretum sit in Consistorio vestro, vt ad tres Columnas confugeretis, eaque contrà Pontificis interdictum, Typis vulgarentur. In his omnibus tumultibus, artificijs, ludificationibus, nunquam vobis venit in mentem excipere de propositionibus remotis à doctrina Iansenij, nisi cum lassati in via iniquitatis, post omnia perperam tentata, in fronte calumniarum frigidè proscripsistis, dolosè auulsas & fabricatas *esse: atque adeo ad Iansenium non pertinere. Maneretis ergo Lutetiæ vestro in Portu quieti, in contubernijs beatuli: parceretis & labori vestro, & Ecclesiarum commotioni, & fidelium eleemosynis non in illos vsus corrogatis; Europam totam solennis Iudicij expectatione suspensam non teneretis, si Iansenium vestrum illa non tangerent. Quid enim? Si Pontifex Nestorium, & Arium damnare modò volet, intacto Iansenio, eadem machinamenta repetetis?*

Delusus Pontifex inquiunt, scripsit, opiniones illas esse Iansenij, quæ sunt fabricantis; credidit exhibentibus sub eo nomine. Facti ea quæstio est, in qua clauis errare potest, & ad talia postulata non aliter, quàm conditionatè respondetur. Si est ita: Si preces veritate nitantur. O fraudes! O calumniæ! Deceperunt Pontificem Catholici Doctores qui excerpserunt; octoginta & ampliùs Episcopi qui obtulerunt; Cognitores, qui legerunt in Iansenio, & in sensu Iansenij examinarunt; Iansenianí litigantes, qui nunquam esse Iansenij negauerunt? Pontifex oculis caruit, ne videret in Iansenio centies oblatum & inculcatum: præceps fuit in pronunciando, quod ne alienis quidem oculis aspicere potuit, si verum non erat: temerè credidit impostoribus, præsentibus, librum & locos ostentantibus, summam habitæ collationis quotidie fideliter referentibus? Facti ex quæstio est? Certè, & nos factum illud oculis nostris credimus. In ea clauem errare nihil prohibet. Quid ais hæretice? In graui negotio fidei orthodoxæ: in catholica veritate, à loco sancto quem elegit Dominus quæsita? *Fidei postulata sunt illa, ad quæ respondere Pontifices conditionatè soleant; Si preces veritate nitantur? Eam-ne conditionem adhibuerunt Episcopi Galliarum, vt propositiones damnarentur*, si essent, *aut*, quia erant, *Iansenij; non damnaturus, si eos Iansenius non docuisset? In Concilijs quando de Ario, Nestorio, Eutychete, Monothelitis iudicatum est, primùm absolutè de propositionibus decretum, deinde ad earum auctores & Ecclesiæ perturbatores progressum est. Posterius istud omisit facti benignissimus Innocentius; priore contentus, quod vnum petebatur. Sic & quinta Synodus damnatis Capitulis tribus, ab eorum auctoribus abstinuit, imitanda in defunctos humanitate. Absolutè nihilominus asserit Pontifex, quas proscribit propositiones esse Iansenij; alias opiniones eodem libro contentas nolle approbare: idque asserit, post* examinatas diligenter quinque propositiones: *quod fieri non potuit, si earum auctor, & locus consultus non est; vmbras enim & simulacra non feriunt Pontificia fulmina: Post* auditos magi-

5. Obser. de Pontifice deceptio.

Responsio.

ſtros prolixè ſuper eiſdem, & ſuper earum qualibet differentes; *Quid autem dixerunt illi, ſi tot turbarum tacuerunt auctorem? Poſt* preces tum priuatim, tum publicè indictas, & ſolicitè imploratam Sancti Spiritus aſſiſtentiam; *quo tempore ſi falli potuit Pontifex Romanus, ſi nos fallere, vt Ianſenio calumniam imponeret, & nos eiuſmodi falſitati præberemus aſſenſum, Ianſenianorum erit aliam in poſterùm nobis Petram exſcindere, non ſecundùm Chriſtum, cui firmiter inhæreamus.*

Vltimum aduerſariorum perfugium.

Ac ne putes nouam hæreſim auctoritate Conſtitutionis Pontificiæ, Antiſtitum, Theologorum, populorum ad eam admittendam mirabili conſenſu ſatis attritam, ſponte ſua vaniuiſſe, neque hac tanquam vmbratili diſputatione opus deinceps habituram veritatem, qua reliquias nebularum diſſipet: religionis intereſt moneri poſteros, non defuiſſe refractarijs ingenijs peruicaciam, ſupremum hæreſeos propugnaculum, atque illis ipſis, quibus reſponſum eſt, argumentis, imperitos plurimos tenuiſſe in partibus, ne monſtratam ab Eccleſia Romana fidem amplecterentur. Qui cum perennantibus nihilominus diſcordijs, aggeribus quos identidem inſidebant, pedetentim exturbarentur, in vnam tandem munitiunculam compulſi ſunt, vt Ianſenium ſuum pugnarent, Innocentij Bulla lædi non poſſe, quippe cuius libris propoſitiones quinque damnatæ non contineatur, neque ſi quis contineri monſtrauerit, eo ſenſu ab ipſo ſint propugnatæ, quo proſcriptæ per Pontificem. Ita fulmen emiſſum è Vaticano monte brutum reddere conabantur. Obſeſſum eſt & hoc præſidium à P. Franciſco Annato, tum Societatis noſtræ Prouinciali, modò Regi Chriſtianiſſimo à Confeſſionibus, ab ipſis hæreſeos incunabulis Ianſeniomaſtige, qui omnes illos Ianſenianorum cauillos, *dare fortiterque diſiecit, Cui operam adiunxit, ille nuper Antonius Ricardus Ianſenianorum terror, nunc ſuo notus nomine* P. Stephanus Dechamps, *libro in immenſum amplificato,* De hæreſi Ianſeniana ab Apoſtolica Sede meritò proſcripta. *Quibus operibus cum ſubtiles ſuas næniæs conantur opponere, apud peritos & prudentes hoc conſequiuntur, vt veriſſimè hîc etiam dixiſſe videatur Annatus,* Ianſenianorum ſolenne eſſe, centies inculcata diſſimulare, centies confutata contritaque reponere, *quod à decennio multiplex probat experientia.*

Annat. l. Ianſen. cauilli.

Steph. Dechamps l. de hæreſ. Ianſen.

Annat. cit. c. 1.

Hi cauilli ab Epiſcopis diſſipantur

Sed erant iſtæ ſimileſque copiæ militum, non Imperatorum; litigantium conatus, non decreta Iudicum; operæ priuatorum, non edicta Principum: recrudeſcenti morbo manus potentiores admonendæ fuerunt. Debebatur Illuſtriſſimis Antiſtitibus belli confecti gloria, neque fuit æquum ab alijs agi triumphum, quàm à quibus ſolis, Imperatore Pontifice Romano, debellatum eſt. Nam cum hydra dedecore ſuo ferocior, iſto adhuc capite pugnaret, neque minùs funeſtas prioribus clades minaretur, actum eſt ab Prælatis noſtris Lutetiæ commorantibus, ingenti religionis & fidei zelo, vt lecto per quoſdam deputatos accuratiſſimè Ianſenij Libro, poſtremam hanc controuerſiæ partem, & omnes cum eâ tumultuum fibras euellerent. Itaque peracto non generosè minùs quàm eruditè negotio, mentem ea de re ſuam, Innocentio Pontifici hac Epiſtolâ ſignificarunt.

EXPOSITIO

GALLICANORVM ANTISTITVM PARISIIS Congregatorum ad Summum Pontificem,

Super quinque Propositionibus ab eo damnatis.

SANCTISSIMO PATRI INNOCENTIO X. Pontifici Maximo.

BEATISSIME PATER. Post promulgatam ab vniuersis Galliarum Episcopis Sanctitatis vestræ Constitutionem, qua quinque Propositiones è libris Cornelij Iansenij Iprensis Episcopi excerptæ damnantur, nihil aliud expectandum videbatur, præcipuè à Gallis, qui in Sede Apostolica colenda semper potiores fuerunt, quàm vt pura, & non fucata concordia, in veræ fidei vnitatem omnium animi conspirarent. Sed dissidiorum auctor tam singulare, & pijs omnibus expetendum bonum Gallijs inuidit: quodque palam obtinere non poterat, nempe vt à debita Sedi Apostolicæ reuerentia, per apertum Constitutionis editæ contemptum recederetur, callidis molitionibus, ad simplicium & incautorum mentes subuertendas, aggredi tentauit. Quare ad munus Episcopale pertinere putauimus, recens excitatas à Clericis numero paucis contentiones, definitione [*Iansenianï numero pauci.*] nostra compescere: qua Constitutionis Apostolicæ integra executio, quæ nobis commissa est, aduersùs alienas, à vero illius sensu expositiones sanciatur. E vetere fidei deposito, cuius custodia Cathedræ Petri à Christo concredita est, partem adimere tentant, Decreti Apostolici maiestatem ad fictas controuersias dirimendas turpiter deiiciendo. Quinque etenim Propositiones decreto illo proscriptas, damnare se quoque profitentur: sed alio planè sensu, quàm qui à Iansenio traditus, & explicatus est, ad quem Propositiones illas nullatenùs pertinere constantissimè asserunt. Hac arte restaurandis disputationibus ijdem sibi locum apertum relinquere parant, & rediuiuæ litis prolixam materiam.

Quare vt his incommodis præuerteretur, & Constitutioni auctoritas sua constaret, atque sincera eius executio sequeretur: Nos in hac Vrbe Parisiensi congregati, per Epistolam Encyclicam his Litteris adiunctam DECLARAVIMVS PROPOSITIONES ILLAS ET OPINIONES ESSE CORNELII IANSENII, ET IN SENSV EIVSDEM IANSENII A SANCTITATE VESTRA DAMNATAS DISERTIS ET MANIFESTIS VERBIS. Quam enim auctor ille vsurpatione priuata, nouam doctrinam sub specie veteris inducebat, necessum fuit vt Apostolica Sedes iudicio lato, [*Noua Iansenii doctrina sub specie veterum.*] ex publica & antiqua Ecclesiæ traditione refelleret: ne Christianæ fidei doctrina, prauis ab illo Scriptore, ad testimonia veterum Patrum quos laudat, adhibitis interpretationibus, obrueretur. Nihil quippe aliud egit Constitutione sua Innocentius X. quàm vt auctoritatis suæ præsidio antiquam fidem muniret, *non dicendo noua, sed dicendo nouè*, [*Vincent. Lirin. Comm. 1. c.27. & 32.*] iuxta receptas in Scholis Theologiæ locutiones, quibus Iansenius quoque vtitur. Eo pacto, Beatitudo vestra liquidò explicuit, atque confirmauit regulam fidei de Gratia & Libero Arbitrio, quam ex parte priùs assertam aduersus Manichęos, quod attinet ad arbitrij libertatem, postea decessores vestri Innocentius I. & Zosimus, *cooperantibus Africanorum Conciliorum Litteris*, [*August. l. 1. Retract. c. 10.*] contra Pelagianos plenè constabiliuerant: quamque deinde Cælestinus I. ac Concilium Arausicanum, iuxta Capitula à Sede Apostolica transmissa, & superiori seculo Tridentinum, solicitè atque diligenter enucleatam definierant.

Quapropter & Constitutionem ordine Canonico latam, atque genuino in sensu [*Constitutio lata ordine canonico.*] intellectam, quem litteræ istæ patefaciunt, deuotissimo obsequio nos suscipere testamur. Præterea verò daturos operam profitemur, ne quis curæ nostræ subditus, impunè contraria vestris definitionibus docere, scribere, aut loqui præsumat, pœnis in hæreticos à Iure decretis, alioquin à nobis statim puniendus.

Ex qua concordi omnium sententia, subscriptionibus nostris firmata, Beatitudo vestra facilè intelliget, nulli è Collegio nostro propositum fuisse, vt aliquid dignitati Constitutionis aduersum proferret, aut scriberet. Quinimo destinatum esse nobis, plenissima veneratione sacram B. Petri Sedem, & Sanctitatem vestram colere: cui prosperos & felices annos vouent, qui sunt cum ea qua par est obseruantia,

BEATISSIME PATER,

Sanctitatis vestræ,

Deuotissimi, & addictissimi filii Cardinales, Archiepiscopi, & Episcopi Galliæ in Parisiensi Vrbe congregati.

† Iulius Card. Mazarinus Præses.
† Victor Arch. Turonensis.
† Ludouicus Arch. Senonensis.
† Georgius Arch. Ebrodunensis.
† Annas de Leuy de Ventadour PP. Arch. Bituriensis.
† Franciscus Arch. Rothomagensis.
Scriptor Epistolæ. † Petrus Arch. Tolosanus.
† Leberon Episc. Valentinensis & Diensis.
† Ægidius Episc. Ebroïcensis.
† Ludouicus Episc. Eduensis.
† Dominicus Episc. Meldensis.
† Ioannes Episc. Baionensis.
† Anthymus Dionysius Episc. Dolensis.
† Gabriel Episc. Nannetensis.
† Petrus Episc. Montisalbanensis.
† Iacobus Episc. Tolonensis.
† Henricus Episc. Redonensis.
† Ferdinandus Episc. Maclouiensis.
Scriptor Epistolæ ad Episcopos [illegible] † Iacobus Episc. Carnotensis.
† Philippus Emmanuel Episc. Cenomanensis.
† Iacobus de Grignan Episc. S. Pauli Tricastrinensis.
† Gilbertus Episc. Conuenarum.
† Baltazar Episc. & Comes Trecorensis.
† Claudius Episc. Constantiensis.
† Iacobus Episc. & Dominus S. Flori.
† Harduinus Episc. Ruthenensis.
† Nicolaus Episc. Bellouacensis.
† Franciscus Episc. Madaurensis Coadiutor Cornubiensis.
† Henricus de Laual Episc. & Comes Leonensis.
† Franciscus Faure Episc. Ambianensis.
† Carolus Episc. Cæsareæ & Coadjutor Suessionensis.
† Cyrus Episc. Petragoricensis.
† Ludouicus Episc. Tutelensis.
† Ludouicus Episc. Grassensis.
† Michaël Episc. S. Pontij Tomeriarum.
† Abbas d'Estrée Episc. Laudunensis nominatus.
† Abbas de Seruient, Episc. Carcassonensis nominatus.
† Bernardus de Marmiesse, Agens generalis in rebus Cleri Episc. Conseranensis nominatus.
Henricus de Villars Agens generalis in rebus Cleri, & à Secretis.

Parisijs die 28. Martij 1654.

Eodem die scripta & subsignata est ab iisdem Epistola ad omnes Galliarum Episcopos, eiusdem argumenti, quam vocarunt Encyclicam, nulla vt pars Regni Christianissimi modò Catholica esse non debeat, Pastoribus omnibus dispersas noua factione ouiculas ad antiqua pascua solicitè reuocantibus, vt tandem fiat vnum ouile, & vnus pastor.

EPISTOLA ENCLYCLICA

ANTISTITVM PARISIIS CONGREGATORVM ad omnes Galliæ Prælatos,

Super quinque Propositionibus ex Libro Iansenij excerptis, & damnatis ab Innocentio X. Papa.

REVERENDISSIMIS AC RELIGIOSISSIMIS DD. Archiepiscopis & Episcopis per Gallias Fratribus obseruandissimis Cardinales, Archiepiscopi, & Episcopi Parisiis agentes Salutem in Christo & felicitatem.

QVod B. quondam Augustino, & alijs Concilii Carthaginensis, & Mileuitani Patribus, magnis illis diuinæ gratiæ defensoribus, assertoribusque contigit, idem nunc prorsus euenisse nobis videtur. Sperabant illi, sed frustra, post librum quendam, cuius auctor scriptorque fuerat Pelagius, ab Innocentio I. Papa *anathematizatum & damnatum*, *Pelagianos non ausuros amplius de Gratiâ illâ, peruersa & perniciosa sentiendo loquendoque pectora fidelia, & simpliciter Christiana turbare, sed tanti Præsulis auctoritati cessuros.* Et spes quoque nobis erat, homines eos, qui se Cornelii Iansenii Iprensis amatores sectatoresque profitentur, post eius ab Innocentio X. anathematizatas & damnatas quinque opiniones, desituros tandem ab omni motu: atque cum suo ille decreto *imperasset ventis, futuram* in Ecclesia *tranquillitatem magnam*. S. August. ep. 92. & 65. Matth. 8. 18.

Sed contra planè quàm expectatum à nobis fuerat, accidit: mirarique satis non possumus, post æquissimam sanctissimamque Constitutionem illam, qua Beatissimus Pater Innocentius X. prædictas quinque Propositiones damnauit, & ijs quidem verbis quibus nihil dici potest expressius, nihil clarius, homines illos affirmare, imo & persuadere aliis velle, res duas vanas omnino & inanes: alteram, quinque illas Propositiones non esse Iansenii: alteram, damnatas esse eo in sensu qui ad Iansenium nihil pertineat. Potest enim quicquam esse absurdius, quàm tueri id velle, cui refellendo reuincendoque nihil opus multis rationibus, nihil disquisitione, etiam mediocri aut leui, sed sola Pontificiæ Constitutionis, quæ per se ipsa rem totam apertè dirimit, lectione? Et quidem cum eiusmodi sint duæ res illæ, vt multis videri possint ipsæ per se & sponte sua ruituræ; atque adeo spernendæ prorsus & negligendæ: Nobis tamen quibus compertum est eas *ignorantibus infirmisque* non paucis *esse offendiculo*, quibus pro muneris nostri ratione id præsertim incumbit, vt *tollamus omnia scandala de regno Dei*, visum fuit occurrendum esse huic malo, comprimendumque maturè hoc virus, quod iam aliquos occupauit. 1. Timoth. 1. 1. Cor. 8. Matth. 13.

Quod vt fieret accuratiùs, & pro ea quâ par erat grauitate dignitateque, quotquot in hac Vrbe regni primaria negotiorum Ecclesiasticorum causâ fuimus, Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi collecti in vnum, censuimus, hoc quicquid est rei committendum esse curæ ac diligentiæ Illustrissimorum, Reuerendissimorumque Fratrum nostrorum, Archiepiscoporum Turonensis, Ebrodunensis, Rothomagensis, Tolosani: Et Episcoporum Eduensis, Montalbanensis, Redonensis, Carnotensis: sic tamen vt quicquid inter se ipsi legissent, obseruassent, sensissent, referrent ad nos. Iis vero ex ipsa Constitutionis lectione, atque insuper ex *Deputati ad examen quæstionis.*

opere Ianseniano, quod etiam ad quinque illas propositiones attinet, studiosè legerunt expenderuntque (quanquam sola per se ad id sufficiat Constitutio) manifestum, & perspectum fuit, illas quinque Propositiones verè esse Iansenii, & damnatas esse in vero ac proprio verborum sensu, & eo planè quo à Iansenio traduntur, & explicantur. Atque cum id ipsi ad nos, scilicet in vnum rursus congregatos, retulissent, & à nobis quoque idem cognitum & exploratum fuisset, DECLARAVIMVS, ET HOC NOSTRO IVDICIO DECLARAMVS, REM PLANE ITA SE HABERE, ET NVLLVM DVBITANDI ESSE LOCVM. Quare & eos qui quinque illas Propositiones tuentur, aut probant, verè esse ex eorum numero quos Innocentius X. sua illa in Constitutione vocat *contradictores & rebelles*: & quos vult à Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis *per censuras & pœnas contra hæreticos, & eorum fautores in iure expressas, ceteraque iuris & facti remedia opportuna; inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis, omnino coërceri & compesci.* Id verò nos omnes, quantùm in nobis quidem erit, effecturi sumus: rogamusque quotquot hinc absunt Gallicani Cleri, Dilectissimos, & Religiosissimos Fratres nostros, vt

Rom. c. 15. idem quoque pro virili præstent: vt sic *idem omnes sentiamus secundùm Iesum Christum; & vnanimes vno ore honorificemus Deum & Patrem Domini nostri Iesu Christi,* ædificemus Ecclesiam Dei; atque adeo nos ipsos, *& eos qui nos audiant*, curæque

Timoth. c. 4 nostræ sunt ab ipso commissi, *saluos faciamus.*

Sequitur subscriptio eadem omnino quæ superiùs.

Quid hîc nobis animi debet esse, Lector, quid consilij? Propositiones quinque

C. dendum huic expositioni. *anathematizat Pontifex Romanus; id* ordine Canonico *factum asserunt Episcopi Gallicani, qui Constitutionem susceperunt: Illas Propositiones* verè esse Iansenii, & in vero ac proprio verborum sensu quo traduntur à Iansenio, damnatas *agnoscunt ijdem Præsules, qui ad Sedem Apostolicam examinandas detulerunt. Qui eas in posterum tueantur, eos vtrique appellant* contradictores & rebelles, hæreticorum pœnis coërcendos: *Atque hos esse* Clericos numero paucos *Pontifici nunciant, vt olim Cyprianus & Pacianus Nouatianos, Hincmarus Prædestinatianos; & nos eandem vlteriùs serram reciprocabimus? non sequemur obsequentissimis mentibus quæ Pontifex Romanus Ecclesiæ toti credenda præscripsit, quæ admisit Ecclesia, quibus hæretici soli reluctantur? Opponemus Episcopis,* Clericos, *innumerabiles quibus Ecclesia Catholica constat*, numero paucis: *vt hi nouum apud priuatos & laicos tribunal inueniant, ab Ecclesiasticis exclusi, damnati in legitimis? Eant nunc, & Augustini discipulatum populo venditent, Iprensis Augustini fuco blanditiisque decepti: glorientur si audent, si quid frontis nouitati restat, Hipponensis Augustini doctrina, vt illum in eandem secum censuram, aliàs ab hæreticis nostratibus frustra sæpe tentato, pertrahant. Nam cum omnibus modò constet Iansenium ab Ecclesia damnatum esse, si quis in posterum ab Iansenio verè, & fideliter expressas fuisse Augustini sententias affirmauerit, is profectò eadem opera Augustinum ab Ecclesia pro hæretico, impio, blasphemo, anathemate damnato proscriptum esse contendet. Parcite candidæ Catholicorum mentes, & hæreticis solis succensete, qui vestras aures cogunt sacrilegis illis vocibus vulnerari.*

Samuelis Maresii Apologia pro Ianseniana. *Nondum enim acquiescit hæresis tot sententijs confossa, tantis auctoritatibus oppressa, tot fidelium conuicijs verberata: sed è Batauorum gurgustijs opus emittit, Iansenianí opprobrij colophonem, eorum quæ sunt in illos à Catholicis obiecta, publicum sigillum. Samuelem Maresium Gallum transfugam, Hollandorum Ministrum, Caluini buccinatorem, meministi, Lector, in Apparatu productum à nobis, mirificum & Catechismi de Gratia Ianseniani, & Dissertationis historicæ laudatorem, & Ottij Turingi laternarium. Is dulcissimos fratres, Romano fulmine, non è pelui, percussos indignatus, auxiliarem manum iacentibus præbet, & vt* deformis ægrimoniæ dulcibus alloquiis *miseros consoletur, opus hornum, contra Constitutionem Pontificiam & auctore suo, & Caluiniana rebellione, & causa quam tuetur*

non indignum, eructat hoc titulo, Apologia nouissima pro Augustino, Iansenio, & Iansenitis, contra Pontificem & Iesuitas. Siue, Examen Theologicum Tripartitum Constitutionis nuperę Innocentii X. P. R. Qua in gratiam Iesuitarum & Pelagianorum, contra Augustini & Iansenii sequaces, declarantur & definiuntur quinque Propositiones in materia fidei. Præmittitur Præfatio ad Iansenitas, &c. *Spurcus homo, dum Pontificiam maiestatem ad Iesuitas deprimit, non videt quantùm istis gloriæ hac coniunctione apud pios sapientesque conciliet: dum Iansenitas opponit Pontifici, non sentit se litem definire in qua iamdudum versamur, pugnamusque, cum Ecclesiæ Romanæ doctrina Iansenio eiusque discipulis non conuenire: Cum Examen Constitutionis promittit, Kemnitij non meminit Concilium Tridentinum ad hæreticam trutinam ineptè admouentis: cum definitas ait Propositiones, in gratiam Iesuitarum ac Pelagianorum, non aduertit omnem se Pelagianæ labis notam à doctrina Iesuitarum abstergere, cui faueat Pontificia Propositionum definitio: cum Apologiam Augustini, simulque Iansenij, & Iansenitarum meditatur, non timet Iansenium Luthero & Caluino, Iansenitas Caluinistis socios & amicos adiungere: siquidem omnium eadem, & æquè vana est gloriatio de Augustino suum in sensum prauè detorto: cum præfatur ad Iansenitas, nescit surdis canere se, & hos opinionibus quidem pares esse & æquales, apertam vero ab Ecclesia Romana discessionem non facturos; quia si lupi parerent, oues non degluberent.* Groningæ apud viduã Ioannis Nicolai. an. 1654.

Examen vero illud Cassianum, qua tandem methodo, quibus formulis conficitur? Aperta in primis causæ deperditæ professione, quam modò velut solum disputationum, si quæ exorientur, reliquijs substerni necesse est. Quæ vos ceu Orthodoxa & Catholica tuebamini, nigro notauit lapillo, ac Augustino, Iansenio, vobisque omnibus inussit infame stigma Hæreseos & Blasphemiæ. *Et mox*, Eò effusiùs illam explicauit in Iansenii & Iansenismi vestri acerbissima condemnatione; vt vestram manum senseritis transfixam illa arundine, qua niti volueratis; & amplam vobis suppeditatam materiam querendi, illinc tenebras prodiisse, vnde lucem orituram expectabatis. *Deinde Nouantium lingua ex Augustini Iuliano superiùs cognita, nouis nominibus Catholicos insectari, putat acumen.* Nocentium *appellat, qui nobis Innocentius est*: Vniuersalistas *vocat, qui omnibus vniuersè prodesse Christi mortem affirmant:* Gorgonem Pontificis *nominat Bullam, qua definita lis est: Bullam eandem* ad Extrauagantium ordinem summo suo merito reiiciendam esse *affirmat. Sunt enim insulsi sales id genus sexcenti.* Sanctissimus *vocari vult, ergo supra Deum, qui non nisi* sanctus *adoratur.* In Christo Pater; *atqui nullum genuit Euangelij præconio, & administratione Sacramentorum.* Seruus Seruorum Dei. *Ergo Canaan, cui in hæc verba Noë maledixit.* *Præcipit* omnibus Patriarchis. *Parebunt scilicet veri Patriarchæ Orientales, Constantinopolitanus, Alexandrinus, & alij.* Datum apud Sanctam Mariam Maiorem. *Quæ sit illa non inquiro, contraria* Minori Mariæ, *cuius Deus humilitatem respexit. Et alia non minùs inficeta. Denique nænias hæreticas vsu detritas canit; non potuisse solum ista definire Pontificem, prouocandum ad Concilium; infallibilitatem Pontificiam nullam esse, Romam corruptam. Non esse Iansenitis curanda bruta hæc fulmina. Et istiusmodi complura, tanquam* Buccinæ sonitum, *auribus sapienter obturatis negligendum. Tertia demum parte, hæretico supercilio spirituque Pontificiam censuram impugnat hoc aditu.* Negant Pontifex & Iesuitæ: Affirmant Augustinus, Iansenius & Iansenitæ, firmissimis nixi argumentis. *Et illud eiusdem animi.* Quò magis hîc Iesuitas cum suo Hy-

Breuiter perstringitur. — Præfat. — Part. 2. — Part. 3. pag. 69. — P. 71.

P. 73. perafpista Pontifice suffundam rubore, haud pigebit referre, &c. *Vbi lego monstrosum illud, & veteribus Gotteschalci patronis, Hincmari æmulis penitùs* P. 77. *inauditum*, B. Augustinus Sedi Romanæ meritò exosus, vt pote Afer, &c. *Et istud non minùs horrendum*, Mitto Augustinum, qui non suspectus modò, sed hæreticus & blasphemus est Molinistis. *Quibus & similibus id efficere conantur isti, quòd olim dicebamus, vt hæreticus pareat Augustinus, quia se volunt dici Catholicos. Quanti autem pretij illud esse dicemus ab aduersario,* P. 90. P. 78. Opinio Molinæ quæ hodie canonizatur à Papa? *Quam aliquantò ante appellauit* Innocentianam, & Anti-Ianseniticam hæresim Molinistarum.

Censura Pontificis terminat Hincmari controuersiam.

Omitto cetera, neque argumentorum firmissimorum *imbecillitatem ostendo, quod in Theologia Dupondij nullo negotio conficient. Extremum florem colligo, vt causam hanc cum Gotteschalco & eius patrono Dissertatore coniunctam esse Groningani testimonio demonstrem.* Denique solam, *inquit*, deberem retexere P. 104. causam Gotteschalci: cuius historiam accuratam edidit Amplissimus Vir Gilbertus Mauguinus in Tomo posteriore Vindiciarum Prædestin. & Gratiæ, si omnes ei adstipulantes in reiicienda superflua taxatione sanguinis Christi, deberem commemorare. *Citat deinde* B. Lupum Seruatum Presbyterum Maguntinensem in libello de trib. quæst. Lupum alterum Ferrariensem, Remigium Lugdunensem cum sua Ecclesia. *Et infra.* Cum ab Hincmaro anno 853. in Pseudo-Synodo Carisiaca quatuor Capitula edita fuissent, contra Gotteschalcum, quorum quarto id ipsum definiebatur, quod asserit Innocentius; non solùm idem Remigius & Ecclesia Lugdunensis quatuor illis Capitulis opposuit Libellum de tenenda veritate scripturæ: sed insuper Concilium Valentinum 3. illa Capitula quatuor Hincmariana damnauit. *Ac deinde.* Hæc definitio Synodi Valentinæ à Synodo Lingonensi, & Tullensi apud Saponarias recepta fuit, & à Nicolao Pontifice Romano, vt habent Annales Bertiniani, admissa fuit & approbata. *Quid videtur, Lector? An temerè scribimus in Titulo, Controuersiam secundùm Hincmarum per Innocentium X. esse terminatam? an frustra questi sumus in opere, Dissertatorem Amplissimum arma detulisse ad infideles? Quid enim hic allophylus non ex Dissertatione loquitur? Quam verò confidenter & intrepidè, vt post accuratam illam historiam,* summa fide, nec minima diligentia, *quod de se auctor prædicat, scriptam, nihil vlteriùs examinandum videatur? Agnoscis demum historiæ huius nostræ & Confutationis necessitatem, hoc saltem pro Romana fide contra Nouatores monstraturæ, vt iucundum Caluinistæ, ita suspectum Catholicis esse debere, quicquid pars Ianseniana molitur.*

Censura Romana in libros [illegible] Iansenianorum.

Ad extremum, quando iubet Deus eijci ancillam & filium eius; *neque vult tantum exscindi Babylonem, sed etiam eius* paruulos allidi ad petram, *ne prauo ex genere vel catulus supersit, nouitatis illius hæreticæ victor & domitor Innocentius, a Romanis hæreticæ prauitatis Inquisitoribus examinari voluit Iansenij, & Iansenianorum libros, Romam varijs de causis apportatos,* ne simpliciores quique (*quod de alijs minùs iustè dixit Epistolarius Lugdunensis*) qui eos multùm dili-
l. de 3 epist. c. 40. gere, & legendo frequentare dicuntur, eorum lectione & inaniter occuparentur, & perniciosè fallerentur ac deciperentur. *Quòd si Nicolaus I. interpretationem S. Dionysij à Ioanne Scoto concinnatam, absque solerti examine in vulgus prodire noluit, quia* olim non sanè sapere in quibusdam, frequenti
Tom. 3. Concil. Gall. rumore dicebatur: *quantò fuit æquius, eorum libros qui in flagranti errorum delicto deprehendebantur, è catholicorum manibus excuti, & aduersùs delenificos*

Sirenum cantus aures simplicium obturari, ne maiorem animorum stragem, & fidei perniciem crearent? Emissa est igitur post illud examen a grauibus Censoribus sententia, hoc notata principio, An. 1654. die 17. April.

Sanctissimus D. N. Innocentius Papa X. post condemnatam sua Constitutione edita prid. Kal. Iunij, anni Incarnat. Domin. 1653. in quinque propositionibus, Augustini Cornelij Iansenij Episcopi Iprensis doctrinam: ne occasione doctrinæ prædictæ in mentes Christi fidelium aliquod dubium, vel error irrepat, eundem Augustinum Cornelij Iansenij, &c. iteratò, vna cum alijs infrascriptis libris prohibet, & damnat, eosque pro damnatis & prohibitis haberi voluit, sub pœnis & censuris in Indice librorum prohibitorum contentis, aliisque arbitrio Sanctitatis suæ infligendis. *Forma censuræ.*

Audis Iansenij doctrinam Innocentij Constitutione condemnatam, iteratò prohiberi & damnari Sacræ Inquisitionis iudicio, præsente Pontifice peracto, quo non magis ipsa Constitutio, quàm Gallicanorum Antistitum Expositio confirmatur. Itaque proscribuntur eo catalogo, post Cornelij Iansenij Augustinum, Parallelum, laudationem funebrem, quinquaginta circiter libelli Latini Gallicique, pro Iansenianæ partis defensione scripti; atque inter illos, vtrunque opus Samuelis Maresii à nobis exhibitum, & Catechismus ille de Gratia, quocumque Idiomate sit editus. Sed quoniam orationi de causa Jansenitica, Dissertationi historicæ & chronicæ, & innumeris alijs, Romæ videri & legi non contigit, ne silentium Inquisitionis absolutionem suam interpretentur auctores, generali clausula series illa terminatur in hæc verba. Item omnes & quicunque Libri, Libelli, Epistolæ, tam impressi quàm manuscripti, seu in posterum edendi, & publicandi, in quibus doctrina Cornelij Iansenij Episcopi Iprensis, in prædictis quinque propositionibus damnata approbatur; aut asseritur, quocunque idiomate scripti, siue editi sint. *Habetne Romanus stilus quicquam expressius, quo vllius hæresiarchæ perniciosa doctrina damnari possit & debeat? Reperietur tamen vlterius nonnihil quò Romanæ cautionis progrediatur solertia, & omnem turbarum contentionumque segetem resecet, radatque cum puluisculo. Nam quia declarationes quasdam ementitas* Congregationis Romanæ de Auxiliis sub Clemente VIII. & Paulo V. *tanquam discordiæ Papalis argumentum postulant hæretici; vt victoriæ suæ trophæum ostentant Iansenianì; vt ingens partium suarum firmamentum publicauit curiosissimus manuscriptorum codicum scrutator, historicæ Dissertationis parens; hæc etiam arma nouantibus ingenijs & calamis eripienda censuit Congregatio, & de illis ita pronunciandum.* *Clausula generalis.*

Ceterùm, cum tam Romæ, quàm alibi circumferantur quædam asserta Acta manuscripta, & forsan typis excusa, Congregationum habitarum coram fel. record. Clemente VIII, ac Paulo V. super quæstione de Auxilijs diuinæ gratiæ, tam sub nomine Francisci Pegnæ, olim Rotæ Romanæ Decani, quàm Fr. Thomæ de Lemos Ordinis Prædicatorum, aliorumque Prælatorum & Theologorum; qui, vt asseritur, prædictis interfuerunt Congregationibus. Necnon quoddam Autographum, siue exemplar cuiusdam assertæ Constitutionis eiusdem Pauli V. super definitione prædictæ quæstionis de Auxiliis, ac damnationis sententiæ, seu sententiarum Ludouici Molinæ Societatis Iesu: eadem Sanctitas sua præsenti hoc decreto declarat, ac decernit, prædictis assertis Actis, tam pro sententia FF. Ordinis S. Dominici, quàm Ludouici Molinæ, aliorumque Societatis Iesu Religiosorum, & Autographo, siue exemplari prædictæ assertæ Constitutionis Pauli V. NVLLAM OMNINO ESSE FIDEM ADHIBENDAM; NEQVE AB ALTERVTRA PARTE, SEV A QVOCVNQVE ALIO ALLEGARI POSSE, VEL DEBERE: sed super quæstione prædicta obseruanda esse decreta Pauli V. & Vrbani VIII. suorum prædecessorum. *Quæstio de Auxiliis intacta.*

Habes, Lector, ingens seculi nostri negotium, Gotteschalcani decennij non rudem imaginem, in quâ pro Carisiacensibus Capitulis, Innocentij Constitutio

est, à Rege postulata, ab Antistibus admissa, ab hæreticis impugnata, ab æmulis malè explicata: & si non defuerunt Prudentij, certè Hincmaris abundauimus & Pardulis. Certa autem spes est cessuram veritati pervicaciam, antiquæ fidei nouitatem, contentionem concordiæ, si quando virtutem allatrare cessabit inuidia.



APPENDICIS MISCELLANEÆ AD HISTORIAM GOTTESCHALCI OPVSCVLVM VI.

Ad l. II. c. XIII.

DE POPVLARI IVDICIO DEI.

PRÆFATIO.

Consilium huius tractatus.



ECIT breuitatis amor, vt cum in Opere Gotteschalcum audiremus à Concilijs ad Iudicium Dei pronocantem, in eius oratione, quæ sola nostram faciebat historiam, gradum figeremus, absque aperta illius examinis notitia, quæ profectò ad historiæ intelligentiam plurimùm videtur conducere. Historiæ, inquam, non Gotteschalcanæ tantùm, verum etiam illorum vniuersè temporum, quibus frequentissima illius iudicij occurrunt exempla: imò & indicia; dum vetatur aliquando in Concilijs; aliàs permittitur, aut suadetur ab Episcopis. Equidem locum communem non meditor: quod ab ingenio meo abhorret: non plenum atque absolutum tractatum; quod eruditis, & quando iam plures libarunt, rapsodis relinquo. Sed quæ prouocationem Gotteschalci, dicta in eam à nobis, historias horum temporum affines, auctorum nobis ex hoc opere cognitorum, vt Hincmari, vt Agobardi, vt Capitularium, explicationem adiuuant, ea potissimùm seligere consilium est, ne vagandi licentia confusionem pariat, vbi lucem quærimus, & ordinem.

Formula hic Primùm describenda ratio.

Ac ne Opusculum istud absque vetustioris alicuius scripti ductu in oculos hominum exeat, visum est ex R. P. Sirmondi Musæo Apographum ipsius manu descriptum educere, de cuius vetustate non dubitabit, qui formulas Marculfi legerit: non quæret autem qua vtilitate proferatur, qui Iudicium aquæ frigidæ in eodem libro expenderit: quippe quod huic formulæ non penitus respondere intelliget. Et erunt qui formulam Marculfi hac persimili confirmari gaudeant: & ex huius initio, eiuscemodi examini auctoritatem conciliari mirentur. Video equidem aliud longè, quàm aquæ frigidæ examen postulasse Gotteschalcum, vt istud à proposito remotum existimari possit. Verùm quando Gotteschalci temeritas ad hunc nos tractatum, de toto quæstio-

num istarum genere deducit, æqui bonique consulet lector, nos ab vna & singulari examinis illius specie, ad cæteras conscendere; vt & isti Opusculo, non minùs quàm præcedentibus, vetus aliquot scriptum nouiter præfigatur. Illud igitur fideliter exhibeo, & Notarum vice, de singulis eius Iudicij speciebus, occasione ab illo accepta, edissero.

EXAMEN AQVÆ FRIGIDÆ.

Ex Apographo Sirmondi.

QVANDO Romani propter inuidiam, tulerunt Domino Leoni Papæ oculos & linguam, propter Thesaurum S. Petri: tunc venit ad Imperatorem Karolum, vt eum adiuuaret de suis inimicis. Tunc Imperator reduxit eum Romam, & restituit eum in locum suum; & thesaurum supradictum non potuit inuenire aliter, nisi per istud Iudicium. Quod Iudicium fecerunt B. Eugenius, & Leo, & Imperator; vt Episcopi, & Abbates, & Comites firmiter teneant, & credant; quia probatum habuerunt illi sancti viri, qui illud inuenerunt.

Cum volueris hominem mittere ad Examen aquæ frigidę, apprehende illos quos vis examinare, & duc eos ad Ecclesiam; [a] quibus canat Presbyter missam; faciesque eos ad ipsam offerre: cum autem ad Communionem venerint, antequam communicent, interroget eos Sacerdos coniurando, ita.

Adiuro vos homines, per Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, per Sanctam Trinitatem, & per vestram Christianitatem, quam suscepistis, [b] & per Sanctum Euangelium, & per istas reliquias, quæ in ista Ecclesia sunt, vt non præsumatis vllo modo communicare, neque ad istud altare accedere, si hoc fecistis quod vobis imponitur, aut consensistis. [c] Si autem omnes tacuerint, & nullus [d] hoc negauerit, accedat Sacerdos ad altare, & communicet [e] eos, quos voluerit in aqua probare. Cum autem [f] hi communicauerint, dicat Sacerdos per singulos, [g] Hoc corpus, & sanguis Domini nostri Iesu Christi sit tibi hodie ad probationem. [h]

Et expleta missa, [i] fiat ipse Sacerdos aquam benedictam, & accipiens eam, pergat ad locum illum, vbi Iudicium facere habet, [k] detque omnibus illis bibere aquam benedictam. Cum autem dederit, dicat ad vnumquemque: Hæc aqua fiat tibi hodie ad probationem. [l] Postea verò adiurat aquam in hunc modum, in qua illos probare voluerit.

Adiuro te aqua in nomine Dei Patris omnipotentis, qui te in principio creauit, & iussit adesse humanis necessitatibus; qui etiam te iussit segregari ab aquis superioribus. Adiuro te etiam per ineffabile nomen Iesu Christi, Filij Dei Omnipotentis, sub cuius pedibus mare se calcabile prębuit. [m] Adiuro te etiam per Spiritum Sanctum, qui super baptizatum in te Dominum descendit. [n] Adiuro te per nomen Sanctum indiuiduæ Trinitatis, cuius voluntate aquarum elementum discissum est, & populus Israël siccis pedibus per illud transiuit. [o] Ad cuius etiam inuocationem Helisæus ferrum securis, quod de manubrio exierat, super aquam natare fecit: vt nullo modo suscipias hominem ILL. si in aliquo est inde culpabilis, quod illi objicitur: videlicet opere, consensu, [p] scientia, aut vllo ingenio: [q] sed fac eum natare super te, [r] & nulla possit hic præualere phantasia, aut præstigiatio, quin quod quæritur, eo quem occulta cordis non fallunt, reuelante, modò manifestetur. Adiuro te per Christi nomen, præcipioque tibi fidens in sola virtute Dei,

In editis formulis quædam paulò aliter leguntur: præcipua hæc sunt.

a *Coram omnibus illis cantet.*

b *Et per vnigenitum Dei Filium.*

c *Aut scitis qui hoc egerit.*

d *Confessus fuerit.*

e *Separatis illis qui examinandi sunt. Postea verò communicent illi.*

f *Cum autē communicant.*

g *Ante altare.*

h *Ad laudē & gloriam nominis sui & ad Ecclesiæ suæ vtilitatem.*

i *Faciat Sacerdos.*

k *Letaniā faciens, omnibus pro eadem causa Dominū deprecantibus de examinandis.*

l *Per Dominum nostrum Iesum Christum, qui est verus iudex & iustus.*

m *Qui etiam in te baptisari dignatus est, & suo baptismate consecrauit.*

n *Qui te inuisibili sanctificatione sacratam ad animarum purgationem inenarrabile constituis sacramentum.*

o *Et ex aqua ferrum, quod casu reciderat, Helisæus diuina virtute, contra naturam natans, in suo manubrio redire fecit.*

p *Siue conscientia, aut qualibet ingenio.*

q *Sed per virtutem Domini Iesu Christi rejice ex te.*

r *Quatenus cognoscant fideles Christi, nullum maleficium, nullum præstigium diuinæ virtuti posse resistere, quod non defectum fiat, & omnibus manifestum.*

vt nobis s per nomen eius obedias, cui omnis creatura seruit, quem Cherubim & Seraphim incessabili voce conlaudant, dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, pleni sunt cæli & terra gloriâ tuâ, osanna in excelsis, t qui regnas & dominaris per infinita secula seculorum, Amen. Finita autem huiusmodi adiuratione aquæ, exuat illos vestibus suis, & faciat eos u osculari Euangelium, & crucem Christi: postea de aqua benedicta aspergat secundùm morem, quid super vnumquemque eorum, x & conuersus ad hominem illum qui exire debet ad iudicium, dicat.

Adiuro te, homo, in præsenti iudicio aquæ frigidæ, per inuocationem Domimini nostri Iesu Christi: adiuro te per Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, Trinitatem inseparabilem: per Mariam matrem Domini nostri Iesu Christi, & per Angelos, & per Archangelos, Virtutes, & Potestates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim, & Seraphim, & per omnia cælestia agmina, & per diem y tremendi iudicij, & per viginti quatuor Seniores, z & per quatuor Euangelistas Matthæum & Marcum, Lucam & Ioannem; & per xij. Apostolos, & xij. Prophetas, per Martyres, per Confessores, & Virgines: & per Tres pueros, qui cum ceteris ante Deum assistunt, Sidrach, Misach, Abdenago: & per CXLIV. millia, qui empti sunt de terra, & sequuntur agnum quocunque ierit: & per omnem populum Dei sanctum: & per baptismum, quo in Christo per Sacerdotem regeneratus es, te adiuro, vt si hoc furtum fecisti, aut facere alterum vidisti, aut baiulasti, aut in domum tuam recepisti, aut in aliquo consentaneus fuisti: a Aut si habes cor incrassatum, & induratum, & culpabilis es, non te præsens suscipiat aqua, neque aliquo maleficio tuo res possit occultari, quam credimus Dei omnipotentiâ manifestari. Propterea te deprecor, Domine Iesu Christe, ostende nobis maiestatis tuæ signum tale, vt si culpabilis in hoc facto homo iste est, nullatenus ab hac aqua recipiatur. Et hoc facias ad laudem & gloriam, & inuocationem nominis tui: vt cognoscant omnes, quia tu es Dominus noster Iesus Christus, qui cum Patre, & Spiritu Sancto, viuis & regnas in secula seculorum. Amen. His dictis ex more colligatus in nomine Domini deponatur in aquam, qui deponendus est. *Hactenus formula MS.*

Apud Marculfum in consimili hominis adiuratione ad idem aquæ frigidæ Iudicium, ad calcem suppositum legitur. Hoc iudicium autem petente Domino Ludouico Imperatore, constituit Beatus Eugenius, præcipiens vt omnes Episcopi, Comites, Abbates, omnisque populus Christianus, qui infra eius imperium est, hoc iudicio defendant innocentes, & examinent nocentes, ne periuri super reliquias Sanctorum perdant animas suas ad malum consentientes.

s *Admirantibus & eius misericordiam obsecrantibus [illegible].*
t *Qui regnat & dominatur.*
u *Per singulos.*
x *Et proijciantur singuli in aquam. Hac autem omnia facere debet ieiunus, neque illi antea comedant, qui ipsi mittuntur in aquam.*
y *Tremendum iudicij Dei.*
z *Qui quotidie laudant Deum.*
a *Quod si dubio [illegible] celare disposueris, & culpabilis exinde es, euanescat cor tuum incrassatum & induratum, & non suscipiat te [illegible] populus, [illegible] Dominus noster iudex est, [illegible] in secula seculorum Amen.*

SECTIO I.

Iudicium Dei quid sit, & quo fine vsurpatum. Ad illud.

Non potuit inuenire aliter nisi per istud Iudicium.

Quæstiones incertæ.

QVæstiones ad eruendam occultorum criminum notitiam omnia semper adhibuerunt tribunalia; incerto tamen euentu plerasque, vt omnium temporum docet historia, & Valerius Maximus aliquot exemplorum collatione demonstrat. Quia prout in homines animo & corpore molli & delicato, aut constante & robusto incidunt, verba extorquent, aut silentium pariunt, nihilò plus quàm antea fidei apud sapientes & æquos iudices facturæ. Quamobrem ne iustitia vindicatiua humanæ imbecillitati, vel peruicaciæ obnoxia aut innocentiam perderet, aut crimina relinqueret impunita, genus aliud quæstionum tanquam humanius certiusq; à quibusdam institutum est, quò in ipso fonte veritas quæreretur, & Dei, cuius est vitam moresque nostros regere, testimonium rogaretur. Viam illã aperuit Gentibus superstitio, vt notat Vsserius ex Sopholis Antigona; atque in historiis profanis non infrequentia occurrunt exempla sic probatæ puellarum pudicitiæ, & aliorum innocentiæ. Quò referes non vulgare illud quod in Procopii Anecdota notauit Nicolaus Alemannus, de Veneris statua à Constantino cum Byzãtium amplificaret, non tam seruata, quàm ignorata: ad quam cum admo-

Val. Max. l. 8. c. 9.

A Gretsli [illegible] c. 4. Vsser. 1 hist. Gottesch. c. vlt.

Nic. Aleman. not. in Procop. Anecd.

admonerentur, aut sponte accederent suspectæ libidinis puellæ, vel adulterii matronæ, si carebant vitio, securæ discedebant: sin verò peccassent, reductis vi quadam occulta vestibus nudæ statim parebant, & flagitium ita deprehensæ fateri cogebantur. Erat autem Iustino seniori soror impudica, quæ præter eam Statuam imprudens equo vecta, cum de repente ita sibi nudari corpus, & occultum adulterium detegi publicè erubesceret, statuam comminui iussit. Hoc idolum ex vetere Byzantio in quodam vrbis angulo tot Principibus & Patriarchis religiosissimis nescientibus, in eum vsum seruauit popularis superstitio, & in Christianæ Religionis sinu præstigiæ dæmonum luserunt.

Vsus eorum [illegible]

Quò minùs mirum videri debet, si maiores nostri, Franci veteres, impoliti homines, & agrestis simplicitatis, pertinaciùs ad illiusmodi superstitiones adhæserunt, atque hac methodo res humano iudicio imperuias, aut crimina communi tribunalium ordine incomprehensa, sacramento, vel Iudicio Dei voluerunt indagari. Existimabant videlicet rudes populi, reos ad illud examen admotos, diuinitus puniri, si crimen admiserant; seruari, si erant innocentes. Sic enim præcisè Hincmarus, ad illud propositum Apostoli verba accommodans. *Expurgate vetus fermentum. Ac si patenter dicat*, inquit, *Reputatum de crimine* (id est, accusatum) *atque negantem, quem idoneis testibus iudiciario ordine comprobare nequitis, aut Sacramento aut Iudicio Dei expurgate: ne in medio vestri manens anathema, dicatur vobis, anathema in medio tui Israël, non poteris stare coram inimicis tuis.* Qui sanè Apostolici præcepti sensus non est literalis. Sed id certè docet interpres, vias priùs ordinarias tentari debuisse, quàm ad hoc examen deueniretur; atque tunc tantum fuisse assumptum, cum probationes aliæ necessariæ deficerent. Quare signanter dictum à scripti nostri auctore, *non potuisse aliter*, quàm tali iudicio sublatum furto thesaurum inueniri. Quem populorum sensum nimis improuidè indulgenterque sequuti Principes nostri, informem hanc iudicii formam, & legibus admiserunt, & exemplo firmarunt: quod hoc loco manifestum est in magno piissimóque Rege Carolo: qui & legem sanxit in Capitularibus, *vt omnes Iudicio Dei credant, absque vlla dubitatione.* Putabat enim Principum laudatissimus, qua erat in Deum pietate, quaque animi magnitudine mortales omnes antecellebat, hanc esse non postremam religionis partem: maximè cum haberet consentientes Episcopos, qui solennibus ritibus Iudicia ista fieri voluerunt.

Hincm. l. de diuort. Loth. & Theut. c. 6.

Confirma[illegible]

Car[illegible] Gal.

Ea tamen non omnibus probabantur: quando Agobardus ea tempestate doctrina clarissimus, aduersùs illa disputans, etiam nomen ipsum eripere conatur, vt Iudicium Dei vetet appellari. *Quod Deus nunquam præcepit, nunquam voluit, nunquam de pignore sanctorum, & quorumlibet fide-[illegible] introductum monstratur; quasi omnipotens Deus animositatibus, vel adinuentionibus hominum seruire debeat.* Nicolai I. Pontificis eadem mens est, in Theutbergæ iudicio duellum vetantis assumi ad probationem. *Monomachiam verò in legem assumi, nusquam præceptum fuisse reperimus: quia licet quosdam iniisse legimus, sicut sanctum Dauid & Goliam sacra prodit historia: nusquam tamen vt pro lege teneatur alicubi diuina sancit auctoritas, cum hoc & huiusmodi sectantes Deum solummodò tentare videantur*: Non autem legitimum & certa auctoritate probatum inire iudicium. Idem longè postea docuit Alexander II. Pontifex apud Iuonem, scribens ad Raynardum Cumanum de Presbytero Guillando, de sui Episcopi nece infamato. Purgari enim permittit, qua ratione iusserit Episcopus, duobus adiunctis Sacerdotibus, modò Iudicio Dei populari abstineat. *Vulgarem denique ac nulla Canonica lege fultam legem, feruentis scilicet, siue frigidæ aquæ ignitique ferri contactum, aut cuiuslibet popularis inuentionis (quia fabricante hæc sunt omnino ficta inuidia) nec ipsum exhibere, nec aliquo modo te volumus postulare: imò Apostolica auctoritate prohibemus firmissimè.* Sed hæc modò satis, ne totam de istorum certitudine iudiciorum quæstionem à limine exhauriamus, quæ per reliquum opusculum fusa esse debet.

Agobard[illegible]

Nicol. p. 50 ad Carolum Regem.

Iuo p. 10. c. 15.

Habetur 2. q. 5. c. Mennam.

SECTIO II.

Quotuplex sit Iudicium Dei, & reorum examen.

Ad illud.

Hoc iudicio defendant innocentes & examinent nocentes, ne periuri super reliquias sanctorum perdant animas suas.

DVplex Iudicii genus locus iste significat, Sacramentum quod est periuriis obnoxium & aquam frigidam; in qua cæteras species earum quæstionum, quæ peculiariter *Iudicia Dei* vocantur, intelligimus. Sunt autem illæ præcipuæ Duellum, siue Pugna, ferrum candens, aqua feruens, aqua frigida. Quæ omnia diuido in Iudicium Ecclesiasticum, & seculare. Ecclesiasticum verò ipsum sacramentum: non quòd omnibus, etiam laicis, non sit oblata iurisiurandi religio; sed quòd ea sola viris Ecclesiasticis concedi debuerit, vt ex Alexandro Pontifice modò audiebamus. Indignum quippe videbatur sacra Deo corpora, & Ecclesiastico vnguine delibuta, tormentis exponi vitæ & membrorum integritati insidiantibus; vt ex hoc aditu Gotteschalci temeritas facile deprehendatur, qui spreto sacramento, profanum examen multo plenum horrore delegerit, vir Monachus & Sacerdos.

Iudicium Ecclesiasticum & seculare.

Aliter quoque subdiuidi potest examen istud profanum, in liberale, & seruile. Liberale est, homine nobili & ingenuo dignum, ad quod seruus aspirare non potest. Seruile, quod solum seruo imperatur. Ita ferunt leges Longobardorum. *Si quis verò prædicti criminis, aut de facto, aut de consensu accusatus, negare voluerit, aut per duellum, si liber*

Liberale & seruile.

Leg. Longobard. l. 1. tit. 9. c. 33.

est; sin verò seruus, per iudicium aquæ feruentis defendat se. Aquam feruentem pro illo examine omni accipio, quod duellum non est. & eò refero ferrum ignitum, & aquam frigidam, quemadmodùm profanum esse illud dixi, quod diuersum est à Sacramento, & eius omnes species aqua frigida complexus sum. Nam quòd ea lex aquæ feruentis vsum admoueri iubet, non ita constringi ad elementum illud censenda est, quin etiam alia permittat; quorum ego delectum in rei potestate, vt plurimum, fuisse positum existimo, præeunte Hincmaro. *Si quis frigida tantùm aqua, vel igniti cuiuscunque elementi iudicio, credens fieri satis sibi decreuerit, nihil differt. Et qui aquam ignitam delegerit, intelligat, quoniam venientem ad extremum iudicium terribilem iudicem tempestas ignisque comitabuntur.* Nisi etiam credere volumus, datum aliquid personarum suo in ordine conditioni, vt in plebeio genere hominum minùs abiecti & liberi, aqua frigida mitiùs probarentur; vltimæ sortis hominibus & mancipiis ad tormenti periculum, ferrum ignitum, vel aquam feruentem abiectis.

Hincm. l. de diuort. Loth. & Teutb. c. 6

Iudicia facta per vicarias personas.

Hinc ducenda notitia est eorum, qui à Principibus & optimatibus, sui vice, dantur ad iudicium. Nam vt apud Romanos ciuis liberum corpus torqueri quæstionibus non potuit, sed pro domino serui dati sunt in quæstionem; ita magnatum dignitas periculoso examini subtracta est, modo personas alias sitie homines suos, pro se in periculum immitterent; quos inde Vicarios appellabant; quod verbum frequenter vsurpat Hincmarus in causa Reginæ Theutbergæ, *Vicarius eius de iudicio incoctus euasit. Se in iudicio isdem Vicarius eius non coxit.* Memorabile est nostra in historia factum Ludouici iunioris Germaniæ Regis, filii Ludouici Germani fratris Caroli Calui, qui cùm patruo decertaturus iudicio Dei, homines decem misit ad ferrum calidum, alios decem in aquam feruentem; totidem alios ad aquam frigidam. *Qui omnes inlæsi reperti sunt.* Vnde intelligimus plebeios fuisse omnes: nemine fortasse nobilium auso ad duellum procedere pro nepote iuuene fortasse & imbecilliore, aduersùs patruum Imperio & armis validum.

Hincm. ibid. c. 7. 8.

Annal. [illegible] 876.

Euentus porro eorum iudiciorum is fuit, vt qui euaderet illæsus absolueretur; qui reus deprehensus esset, vel ciuilibus, vel Ecclesiasticis legibus puniretur. Ciuiles enim leges imperant, *si quis periurium fecerit, nullam redemptionem ei facere liceat nisi manum perdat.* Eam nimirum qua sacra tetigit periurus. Eo tamen supplicio nonnunquam remisso, Ecclesiasticæ pœnitentiæ traditus est: scribente Hincmaro. *Igitur arguendus est peccator; & si negauerit, & ordine iudiciario comprobari non poterit, examinetur, vt probatus manifestus fiat, & reprobatus latere non possit. Deprehensus autem confiteatur & pœniteat, & non tenebitur fune peccatorum suorum.* Imo ne periurus quidem peracta pœnitentia infamis iudicabitur, sanciente Pipino, *vt qui se periurauerit, aut infamis erit, postquàm pœnitentiam acceperit, inculpabilis esse videatur.*

Eorum euentus.

Leg. Longob. [illegible] 58 [illegible] Hincm. [illegible] de diuort. Loth & Theutb. c. 6 Leg. Longob. ibid. c. 4.

SECTIO III.

De Purgatione per Sacramentum.

Ad illud.

Reduxit eum Romam, & restituit eum in locum suum.

DE Sacramento dicturi, non incommodè ab Historia Leonis III. quæ Sacramento terminata est, exordium ducimus, & primum scripti nostri caput exponimus. Nam sacrilegi quidam Romanorum primores Hadriani I. Pontificis consanguinei, Sanctissimum Papam Litanias & Processiones Religiosè celebrantem, immani parricidio aggressi, effossis oculis, & præcisa lingua semianimem in proximum Monasterium rapientes, carceri insuper mancipanint. Sic enim Annales Bertiniani. *Romani quoque Leonem Papam in Litania maiore captum excæcauerunt, linguamque eiusdem truncauerunt. Qui in custodiâ missus, nocte per murum euasit, & ad legatos Domini Regis veniens*, &c. Nam diuinitus derepente sanatus ad Caroli Magni nondum Imperatoris potentiam virtutemque confugit. Perduelles autem mutata velificatione multorum apud Carolum criminum reum fecerunt Pontificem: quæ causa Regem acciuit Romam, & habita de eo quæstione, cum ea scelera probari non possent, ipse se Leo volens libens Sacramento purgauit. *Qui tamen*, inquiunt Annales supradicti, *postquam nullus probator criminum esse voluit, coram omni populo, in Basilica B. Petri Apostoli Euangelium portans ambonem conscendit, inuocatoque Sanctæ Trinitatis nomine, iureiurando se ab obiectis criminibus purgauit.* Hoc examine probata perfectè innocentia est, quia non erat metuendum ab eo periurium, quem virtus egregia commendabat: neque timendæ in eo periurii pœnæ, qui linguam oculosque deperditos ingendi miraculo recuperauerat.

Leo [illegible] Sacramento purgat.

Annal. Bertin. ad an. [illegible]

Ibid. ad an. 800.

Sacramentum igitur, rei occultæ per interpositam iurisiurandi religionem inquisitio est, de quo præclarè Hincmarus, occulta illa, quæ de fide dicuntur ab Apostolo, accommodans, *Quæ de re ad inuestiganda ac comprobanda, & quasi oculato visui præsentanda, quæ dubia, vel obscura; quæ ex lege, iuridicario ordine comprobari vel conuinci non possunt, duo sanxit auctoritas, iudicium scilicet & iuramentum, quod vsitato nomine appellatur & Sacramentum, quia in eo illud oculis fidei peruidetur, quod corporis oculis non conspicitur.* Est enim semper in Iudiciorum istorum singulis intelligendum, extremum illud esse remedium, nec nisi deficientibus humanis argumentis omnibus, ad Deum, qui verique auctorem per ista debere accurri, vt via extra humanum agendi ordinem

Quid sit Sacramentum.

Hincm. 2. de diuort. Loth. & Theut. c. 6. etc.

posita veritatem in apertum educat. Maximè cùm sit ea quæstionis cuiuslibet forensis natura, vt quod pleno testium numero cognosci non potest, ad eam non deferatur. Hanc ob causam Isaac Lingonensis in Canonibus vult, *vt sacramenta citò non fiant*, non præproperè, non initio quæstionis, non ante methodorum aliarum experimenta; *Sed vnusquisque iudex priùs causam veraciter cognoscat; vt cum veritas latere non possit; ne facile ad sacramentum veniant.*

Isaac Lingon. in Canon. tit. 8. c. 1.

Quibus imperetur.

Et omnes quidem liberi generis homines Sacramento purgari posse, docet Nicolai I. responsio ad Bulgarorum quæsita, qui post improbatas tormentorum quæstiones, vt diuinis humanisque legibus repugnantes, subdit disertè. *Porrò cum homo liber, crimine fuerit appetitus, nisi iam pridem repertus est alicuius sceleris reus, aut tribus testibus conuictus pœnæ succumbit, aut si conuinci non potuerit, ad Euangelium sacrum, quod sibi obijcitur, minimè commisisse iurans, absoluitur, & deinceps huic negotio finis imponitur, quemadmodùm crebro dictus Apostolus Doctor Gentium attestatur, Omnis inquiens, controuersiæ eorum finis ad consummationem, est iuramentum.* Liberum vult esse hominem, quia liberale illud Iudicium Dei est, & in seruorum corpora quæstiones exercentur, non tantùm in animos. Innocentem postulat, siuè publico iudicio nullius adhuc criminis conuictum; quia is cognita laborat infamia, neque sperari potest à periurio fore alienus, qui se quocumque scelere fœdauerit, nec minùs Concilium Moguntinum sub Rabano, apud Antonium Augustinum, seruos arcet ab eo iudicio. *Qui Presbyterum occidit, &c. Si negauerit, si liber est, cum XII iuret, si autem seruus, se* (aliter) *purget.* Ex quibus intelligimus maturæ ætatis esse qui iurat; non puerum, quem bonæ leges ab ea quæstione semper excluserunt; quòd imbecillitas iudicii rei magnitudinem æstimare non patiatur. *Et vt paruuli, qui sine rationabili sunt ætate, non cogantur iurare, sicut Gunebodigni faciunt*, vel; vt alibi, *sicut Gundebada lege viuentes faciunt.* Quod & in Francofordiensi Concilio posteà decretum est. *De eorum testibus, Canonica sit obseruatio, vt paruuli non trahantur ad Sacramentum, sicut Gunthadingi faciunt.* Et verò qui apud homines testimonium ferre non possunt, in Iudicio Dei, quid fidei merebuntur? Plus addo, quò res maturiore iudicio fieret, cautum est vt non nisi à ieiunis celebraretur, siue religionem spectauit ea cautela, siue prudentiam. Sic enim modò citatum Capitulare Aquisgranense. *Sed & nobis honestum videtur, vt qui in Sanctis habet iurare, hoc ieiunus faciat, cum omni honore & timore Dei.* Non est enim profanum illud iudicium, sed omni cultu dignè Deo celebrandum. Idem obseruari studiosè præcipit Isaac Lingonensis, in Canonibus, *& omnino nullus nisi ieiunus ad iuramentum, vel ad testimonium admittatur.*

Nic. I. ad Consult. Bulg. c. 86

Hebr. c. 6. 2

Anton. August. Iur. Canon. p. 1. l. 3. tit. 8. c. 7.

Capitul. Aquisgr. c. 6.

Habetur q. 22. c. 5 honestum.

Isaac Ling. in Can. tit. 8. c. 2

Fecit etiam Episcopalis sanctitas dignitasque, vt non facile ad illud Iusiurandum compellerentur Episcopi, vt quàm longissimè à periurii periculo summouerentur. Sic enim in Meldensis Concilio, cui primùm Hincmarus interfuit, decretum est, *vt nullus deinceps veritatis Episcopus* (hactenus ergo factum id fuerat) *solitò super sacra iurare præsumat: quod mysterij causa sancti quæsierunt Patriarchæ, & fecerunt. Non enim in hæsitatione & malitia exigentis, sed in mente non ficta fides seruatur.* Fecerunt, inquit, Patriarchæ veteres in obscura lege, cur faciant Episcopi in luce veritatis Euangelicæ? mysterii causa fecerunt, non hominum improbitate adacti. Quod decretum egregiè Hincmarus explicat ea Admonitione, quam Ludouico Germaniæ Regi, Caroli sui fratris regnum hostiliter inuadenti Episcoporum aliorum nomine conscripsit. *Et nos Episcopi Domino consecrati, non sumus huiusmodi homines seculares, vt iurationis sacramentum, quod nos Euangelica & Apostolica, atque Canonica auctoritas vetat, debeamus quoquo modo facere. Manus enim Chrismate sacro peruncta, quæ de pane & vino aqua mixto per orationem & crucis signum conficit corporis & sanguinis Christi sacramentum, abominabile est* (quicquid ante ordinationem fuerit) *vt post ordinationem Episcopatus, seculare tangat sacramentum* (siue, idem iurando tangant quod solent seculares.) *Et lingua Episcopi, quæ facta est per Dei gratiam, clauis cæli, nefarium est, vt sicut secularis quilibet, super sacra iuret in nomine Domini, & sanctorum inuocatione. Nisi forte, quod absit, contra eum scandalum acciderit Ecclesiæ suæ.* Quod explico, nisi ad populi scandalum, criminis cuiusdam accusetur, quod Sacramento purgare necessarium sit, vt in Leone Pontifice vidimus. Et inde, (quando ea coget necessitas; in eo iudicio ita se gerat) *sic temperanter agat, sicut Domino docente, constituerunt rectores Ecclesiæ, Synodali Concilio.* Quale sit illud constitutum non malè iudicio meo ab ipso accipiemus Hincmaro, dum vult Sacramentum ab Episcopis, non nisi per liberos exigendum esse. Nam indignatus quòd sibi apud Ponigonem Sacramentum offerretur, Carolo iam Imperatori præstandum, inter cetera quæ opponit, sic agendum negat cum Episcopis, *Et pia memoriæ pater vester* (Ludouicus Pius) *ab Episcopis qui vel voluntarij, vel inuiti in sua deiectione consenserunt: sed nec ab ipso Ebbone, qui auctor & incentor ipsius deiectionis duntaxat inter Episcopos fuit, non aliud Sacramentum, nisi libellos professionis à se subscriptos, quos ego habeo, requisiuit.* Addit igitur ad producta superiùs, si quando exacta sunt ab Episcopis Sacramenta, factum fuisse *contra Deum, & Ecclesiasticas regulas*: & tam exigentes, quàm facientes, pœnitentiæ remedio indiguisse. Certè ante hæc tempora, & scrupulosos ritus, narrat Victor Vticensis Hunericum Tyrannum ab Episcopis

Episcoporum sacramentum quale.

Concil. Meld. can. 38.

Hincm. opusc. 4. n. 15.

lego eiusdemmodi.

Episcopalis sanctitas.

Lingua Episcopi, clauis cæli.

Hincm. opusc. 61.

Africani Episcopi recusant iurare.

Africanis Sacramentum postulasse; atque illos primum communi consensu respondisse. *Semper dicimus, & diximus, & dicturi sumus, Christiani sumus, Episcopi sumus, Apostolicam fidem vnam & veram tenemus.* Cognito deinde de capitibus fidei rem non esse, sed de regni successore; itum esse in diuersas sententias: quando *cogitauit multorum pia simplicitas, etiam contra prohibitionem diuinam, sacramentum dare.* Verum solertiores alii dolos olfacientes, *nequaquàm iurare voluerunt, dicentes, prohibitum fuisse Euangelica auctoritate, ipso Domino dicente: non iurabis in toto.* Vtrosque afflixit Ariana crudelitas, sed sententiam secundùm istos tulit, quando damnatis prioribus insultarunt impii, *quare contra præceptum Euangelij iurare voluistis?*

Vict. vtic. l. 3. hist.

Omissis igitur in præsens Episcopis, seculares ad Iusiurandum vocatos speculamur. Ac primùm notamus, non nisi auctoritate publica reos ad illud admoneri solitos, eòque maiori solemnitate, quò illustrior fuit persona. Id enim admonet Hincmarus de Theutberga Regina. *Si huiusmodi iudicium per consilium laicorum nobilium consensu Episcoporum, ac decreto regio (aliter enim non oportuerat) præfata femina, de quibus reputabatur* (accusabatur) *constet esse purgata.* Nam quia ritus Ecclesiasticos adhiberi oportuit, nisi consentientibus Ecclesiæ magistris tentari non debuit. Quod quia cum ceteris etiam Iudiciis Dei commune est, illud ipsum ab Episcopis postulantem vidimus Gotteschalcum, optantemque spectante Rege, Monachis, & populis, in illam arenam descendere.

Quomodo ventum ad illud Iudicium.

Hincm. l. de diuort. Loth. & Theutb. c. 6.

Postea sacramenti præstandi socios & quasi vades, aduersarius elegit, plures paucioresue, prout causa posceret; qui & ipsi iurarent, eandemque cum reo subirent aleam, Sacramentales appellati. Ita lex Longobardorum. *Et ille qui pulsat* (vocat in ius) *& vadiam* (pignus) *suscepit, proximiores Sacramentales qui nascendo sunt* (cum sanguine proximè attingentes) *debeat nominare tantùm: excepto illo qui grauem inimicitiam cum ipso qui pulsatur, commissam habet: id est, si ei plagam fecerit, aut in morte eius consenserit: aut res ipsius alij thingauerit,* (donauerit) *ipse non potest esse sacramentalis, quamuis proximus sit; eò quòd inimicus, & extraneus esse inuenitur.* Huius interdicti causam apud me quærenti, occurrunt duæ, quarum iudicium lectori relinquo. Prior est, ne inimicus ille si recusat sacramentum præstare, illud causæ præiudicium sit, quasi iam sacramentali isti nota sit rei improbitas, & imminentem periurii pœnam pertimescat. Posterior, ne malis artibus & præstigiis vim iudicii corrumpat, & reum videri faciat, qui verè sit innocens, euocatis in eius caput occulta incantatione pœnis periuriorum. Cur autem cognatione proximos lex iubet eligi, non extraneos notæ alioquin probitatis? Id ego arbitror in gratiam accusati decretum, vt quorum maximè interesset consanguineum suum redire ex agone victorem, & absolui, ii libentissimè laboranti subuenirent. Præterea factum aliquando nimia profectò simplicitate, vt pars vtraque; auctor, inquam, & reus, ad iuramentum adigeretur, idque secularibus legibus imperatum fuisse, apertissima periurii altera ex parte necessitate, docet qui iustissimè vetat Concilii Valentini tertii canon celebris. *Quia impia, & Deo inimica, & Christianæ Religionis nimis contraria, ex iniquissima, ac detestabili constitutione quarumdam legum secularium, consuetudo inualuit, vt in forensi iudicio litigantes ex vtraque parte contendentium, æqualiter iuramentum dare cogantur; vbi sine dubio duobus contra se iurantibus, vnus periurus efficitur: tanti sceleris immanitatem, & animarum perditionem dolentes, statuimus, vt quicunque vno iuramento legitimè dato quod secundum legem diuinam omnis humanæ controuersiæ finis esse debet, alterum è contrario iuramentum opponere præsumpserit, ab ipsis liminibus Ecclesiæ, quæ sua impietate profanauit, exclusus, omnium Christianorum consortio, atque conuiuio reddatur extraneus: nisi se continuò admonitus ad agendam pœnitentiam tanti reatus humili satisfactione inclinauerit.* Leges illas seculares è quibus praua consuetudo inualuerat, priores Caroli Magni imperio fuisse oportet, quando eius decretum legimus apud leges Longobardorum: *mentio etenim facta est à nonnullis in Placitis quæ habuimus in anno præterito, & dictum est ibi vt palam apparet, quòd aut ille qui crimen ingerit, aut ille qui se vult defendere, periurare se debeat, melius visum est vt in campo cum fustibus pariter contendant, quàm periurium perpetrent in abscondito.* Videtur autem ea fustium permissio vel ignota fuisse populo, vel contempta, dum fustuarium durius putat esse quàm periurium.

Sacramentales rei additi.

Leg. Longobard. l. 2. tit. 21. c. 9.

V. a tantùm pars iurat.

Concil. Valent. 3. can. 11.

Leg. Longobard. l. 2. tit. 55. c. 34.

Atque vt propiùs ipsam Sacramenti actionem attingamus, fuisse factam in Ecclesia, aut ad Crucem & Sanctorum Reliquias, aut vtraque conditione adhibita, aut neutra, diuersæ loquuntur historiæ. Quæ membra dum diuido, duo potissimùm Sacramentorum genera distinguo, alterum sanctissimum, quod in loco sacro ad crucis Euangeliorum, Reliquiarum contactum fiebat, quale vidimus Pontificium in Leone: Alterum simplicius, minusque solenne, & pene profanum, in quo sacrum nihil reperias, præter vnam iurisiurandi religionem. Istud inter homines in vita communi frequentatur; de quo tamen verissimè scripsit Procopius in Anecdotis *Summam apud Christianos Iuramenti Religionem esse & haberi: nihil apud Christianos formidolosius esse Iuramento.* Illius ritum exhibet lex Longobarda in hunc modum, quo & iurisiurandi formula continetur. *Omnia sacramenta in Ecclesiis, aut super reliquias sanctorum iurentur. Et quæ in Ecclesia iuranda sunt cum sex electis, aut sibi duodecim esse debeant, quales potuerint legibus inuenire, & sic iuret. Sic illum Deus adiuuet & sancti, quorum reliquiæ istæ sunt, vt*

Ritus eius iurati.

Procop. in Anecdot.

Leg. Longob. tit. c. 22.

Fort. sibi.

inde veritatem dicat. Obseruatum id quoque vt coniuratio non fieret; sed seorsim iurarent singuli, decernente ibidem Lothario Imperatore, *Statuimus, vt iuratores omnes singulariter iurent.* Quòd autem Carolus Imperator modò iubebat, vt omnia sacramenta sic iurarentur, inde factum existimare possumus, quòd non ista tantùm de rebus dubiis & obscuris iudicia, sed etiam ciuilia negotia, vt fidelitatis professionem eo ritu cærimoniaque suscipi viderat à patre Pipino. Narrat enim S. Bertini annalista venisse ad Placitum Compédiense Tassilonem Baioariorum Ducem, vbi *sacramenta iurauit multa, & innumerabilia, reliquiis Sanctorum Martyrum manus imponens: & fidelitatem promisit Regi Pipino, & supradictis filijs eius Domno Carolo, & Carlomanno, sicut vassus recta mente & firma deuotione per iustitiam domino suo esse deberet. Sic confirmauit supradictus Tassilo supra corpus S. Dionysii, Rustici, & Eleutherij, necnon & S. Germani, seu Martini, vt omnibus diebus vitæ suæ sic conseruaret, sicut sacramentis promiserat. Sic & eius homines maiores natu, qui erant cum eo, firmauerunt, sicut dictum est, in locis superiùs nominatis, & in alijs multis.* Quæ iuramentorum repetitio toties, tot locis, tam sanctè repetita, vt facto firmitatem conciliabat, sic metum leuitatis & periurii non tacitè apud Regem prudentissimum significabat.

Ibid. c. 28.

Ann. Bertin. ad an. 757.

Fuit etiam Eucharistia in probationem data, quod examen ad Sacramentum reduco, quia distinctam ab eo Iudicii speciem, nemo, quòd sciam scriptor esse docuit. Ita Gerbertus Flauiniacensis Monachus occisi Episcopi falsò infamatus, in Synodo Cabilonensi per Vvalonem Eduorum Episcopum examinari voluit, *corporis Christi, & sanguinis illo examine, quod solum verius probatur, & terribilius, imo salubrius creditur.* Iamque in procinctu communionis positum Episcopus monuit, *vt sicut sibi ipsi conscientia dictaret ad sacra sumenda, aut etiam refugienda, quoquo modo vellet, seipsum præfigeret.* Sic autem concepta est illa formula, quam in hoc aquæ iudicio, tanquam apparatum, legimus. Sacerdote Præbente reo Eucharistiam, cum dicto, *Hoc Corpus & Sanguis Domini nostri Iesu Christi sit tibi hodie ad probationem.* Cui reus subiicere solebat. *Amen.* Duplicem igitur Eucharistiæ probationem habemus, solius, quæ huius loci propria est; & quasi Iudicii illius substantia dici potest, quia in vna communione subsistit: & cum aliis ritibus coniunctæ, quæ pars est, & velut accidens alterius Iudicii, putà ignis aut aquæ: vt vel hinc intelligamus, non in hoc solùm postremo Sacramento; sed etiam in ceteris Iudiciis, ad quæ per Eucharistiam rei disponuntur, inesse posse periurium.

Probatio Eucharistiæ.

Concil. Gall. tom. 3. ad an. 894.

SECTIO IV.

De Sacramenti propter periuria imbecillitate.

Ad illud.

Ne periuri super Reliquias Sanctorum perdant animas suas.

Significat hic locus, inuenta fuisse iudicia alia metu periurii. Nimium quidem simpliciter; nam vbi ante iudicium, Christi corpori communicatum est à reo sceleris, & conscio, nonne is, implicitè saltem, sacramento se obligauit, & fidem fallendo sacrilegium fecit? Verùm ex ea cautione id habemus, frequentia fuisse in Sacramento periuria, quibus remedium sit quæsitum; & quod inde sequitur, eius Iudicii quod bonis viris grauissimum videbatur, leue admodum pondus extitisse. Quod vsque adeò certum est, vt Theodorici Regis Edictum, quo huic iudicio quædam data est firmitas, non potuerit tacere periurium. *Quoties aliquod negotium consensu diligentium, aut sententia iudicis, sacramentis fuerit definitum, retractari non poterit; nec de periurio agere cuiquam, vel mouere permittitur quæstionem.* Plenæ sunt eo crimine Leges sacræ æquè ac profanæ; vt & libri pœnitentiales remediis quibus curatur & Regum edicta Sacramenti in aliud examen permutatione. Quo in genere memorabilis est in legibus Longobardorum, constitutio Imperatoris Othonis, contra periurorum quorundam auaritiam, qui nullo negotio tabulis adulterinis, si iusiurandum addidissent, aliena prædia occupabant. *Quæ ex re*, inquit, *mos detestabilis in Italia, improbúsque non imitandus inoleuit, vt sub legum specie iureiurando acquireret, qui Deum non timendo minimè formidaret periurare.* Cui malo cum nobilitas omnis remedium à Rege postularet, *vt mutatâ lege fraudem hanc tam diram ab Italia tolleret*, cautum est conuentu consensúque publico, vt pugna potiùs quàm sacramento veritas erueretur, claudente Capitula sua Ottone in hanc sententiam, *quacunque lege, siue etiam Romana, in omni regno Italico homo vixerit, hæc omnia, vt in his capitulis per pugnam decernimus obseruare. Ita tamen, vt si quem eorum iuuenilis, aut decrepita ætas, seu infirmitas pugnare prohibuerit, liceat ei pro se pugnatorem ponere, & alteri similiter facere.* Hoc est, vt ego interpretor, eo casu alter contendentium, etsi viribus & ætate satis instructus, non cogetur in campum ipse descendere, sed poterit vicarium pro se supponere.

Periuriorũ frequentia.

Edict. Theodor. c. 106.

Leg. Longob. l. 2. Tit. 55. c. 34.

Ibid.

Remedia verò illius sceleris canonica & expiatoria, libri Pœnitentiales plura colligunt,

Pœnitentia periurio imposita. quæ apud Pœnitentiale Romanum, Bedam libro de Remediis peccatorum, & alios Canonum Collectores Burchardum, Iuonem videri possunt. Seuerissimum est quod habetur in Pœnitentiali Romano. (Pœnit. Rom. Tit. 2. c. 8.) *Si quis per cupiditatem periurauerit,* (nimirum si possessionem alienam contra fas periurio sibi vindicauit) *omnes res suas vendat, & pauperibus distribuat, & Monasterium ingressus, iugi pœnitentiæ se subdat.* Et in scelere aliquantùm leuiori, quo nulla, vt arbitror, alteri fit iniuria, ex decreto Pelagii Papę. *Si quis se periurauerit, & alios sciens in periurium duxerit, quadraginta dies pœniteat in pane* (Ibid. c. 5.) *& aqua, & septem sequentes annos, & nunquam sit sine pœnitentia. Et alij, si conscij fuerint, similiter pœniteant: sin autem, singuli, vt periurium non sponte commissum, pœniteant.* Beda periuriorum modos distinctiùs exprimit. *Qui iuramentum fecerit in Ecclesia, aut in Euangelio, siue in reliquiis Sanctorum* (hoc est, illis tactis) *septem annos pœniteat; alij duodecim annos iudicant;* (Beda l. de peccat. Remed. c. 9.) (pro periurio) *siue in manu Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi, siue in cruce consecrata, annum vnum pœniteat: alij tres, alij quatuor indicant. Et in cruce non consecrata, annum vnum vel septem menses, vt alij. Si quis in manu laici iurauerit, apud Græcos nihil est.* Hoc est, in Ecclesia Græca non censetur illud periurium Ecclesiasticis legibus vindicandum. Sic enim ludebant in re grauissima, nonnulli, quòd negarent esse periurium vbi sacrorum vasorum deerat præsentia. Hincmarus siquidem Iunior Laudunensis Episcopus, accusatus in Concilio Duziacensi I. quod habemus manuscriptum, de violatis iuramentis, quibus Regi Carolo fidelitatem promiserat, respondit, (Concil. Duziac. I. 3. p. c. 7.) *quia non fuerint ibi, quando iurauit, quatuor Euangelia:* Quasi periurii crimen ab eo solo contactu proueniat. Fatebantur quidem nonnihil inesse culpæ, si ad conspectum rei non sacratæ falsò iuraretur; sed grauiùs longè peccari existimabant sacris præsentibus, quod & rationi consentaneum est, Quare sic de illis præcipit Beda: *Qui sciens virtutem iuramenti, vel periurij, periurat in manu Episcopi, aut Presbyteri, vel altari, vel cruce consecrata, tres annos pœniteat. Si autem in cruce non consecrata, vnum annum* (Bed. cit. c. 5.) *pœniteat.*

Contraria superstitione laborabant alii, qui plus religionis afferendum censebant, si ad crucem auream, quàm si ad vilius metallum sacramentum daretur. (*Ridicula superstitio.*) Erant igitur admonendi populi rudiores, totam iurisiurandi religionem, & metum periurii, ab altari, & à Deo qui altari præsidet, proficisci; non autem ab auro, vel argento in crucis effigiem conformato. Id fecit Carolus Magnus in Capitulari Aquisgranensi, vbi post vetitum periurium, *non solùm in sancto Euangelio, vel in altari, seu in sanctorum reliquiis, sed & in communi loquela:* statim admonentur iuraturi, *ne Pharisaica superstitione aliquis plus aurum honoret, quàm altare: ne dicat ei Dominus: Stulte quid est maius, aurum, an altare quod sanctificat aurum?* (Capitul. Aquisgra c. 63. Matth. c. 23.)

Ex quibus omnibus & rusticum populorum stuporem, & Sacramenti vulgatam imbecillitatem ad fidem rei occultæ faciendam (*Iudicij per sacramentum suppressio.*) quæ in iudicio quæritur, & semibarbaros seculi mores, non infirmis rationibus colligo, & prouisum aio sapienter à Ludouico Pio, vt propter tot tantaque periuria, Sacramenti ad crucem vsum tolleret. *Sancitum est, vt nullus deinceps quamlibet examinationem crucis facere præsumat: ne Christi passio, quæ est glorificatio, cuiuslibet temeritate contemptui habeatur.* (Capitul. I. c. 105. al. [illegible]) Si quis videlicet in ea periret aut temerè compellat ad periurium. Qua lege religioni consuluit Princeps optimus, non iudiciorum securitati, & cum reliqua sacramenta reliquit intacta, aliud ostendit quærere se in abrogando crucis sacramento, quàm fugam periuriorum.

Claudo hunc locum facto nobili Caroli Magni, cuius exemplo Hincmarus vtitur ad Lotharium Regem eius pronepotem conuincendum: indigetque locus expositione fusiori, magnam tamen partem ex supradictis apertus, in quo longam disputationem, sæpe à nobis consulendam, conclusurus Antistes Remensis, (*Petri Episcopi purgatio sacramento.*) *His ita se habentibus,* inquit, *si huiusmodi iudicium, vt audiuimus, Carolus Magni nominis Imperator de vita sua credulitate recepit,* Lotharius eius pronepos in causa legitimæ coniugis cur aspernetur? (Hincm. l. de diuort. Loth. & Theutb. c. 6.) Alludit opinor Hincmarus ad Petri Episcopi Iudicium perduellionis rei, quem Carolus Magnus adhuc Rex Francorum, de tanto crimine purgatum in Episcoporum consessu recepit in gratiam. Factum Christianissimo Rege dignum, narratur in Francofordiensi Concilio. *Definitum est etiam ab eodem Domino nostro Rege, siue à sancta Synodo, vt Petrus Episcopus contestans coram Deo, & Angelis eius iuraret, cum duobus, aut tribus, sicut sacrationem suscepit: aut certè cum suo Archiepiscopo, quod ille* (Concil. Francofurd. c. 9.) *in mortem Regis, siue in regnum eius non consiliasset, nec ei infidelis fuisset.* Vides quale quantumque crimen Episcoporum iudicio, & sacramenti examini fuerit subditum. *Qui Episcopus dum cum quibus iuraret, non inuenisset;* siue Regis metu & reuerentia, siue causæ infirmitate sacramentales reperiri non potuit: & hoc videbatur præiudicium, quod nemo eandem cum ipso aleam subire vellet. *Elegit sibi ipse,* siquidem ad eum ex more deferebatur optio, *vt suus homo ad Dei iudicium iret,* laicis conueniens, ignis aut aquæ, *& ille testaretur,* Episcopus ipse sacramento confirmaret, *absque reliquiis & sanctis Euangeliis, solummodò coràm Deo, quòd ille innocens exinde esset:* se criminis reum non esse; quo dicto probabat hominis sui iudicium, & eius se participem faciebat, quicquid demum eueniret, *& secundùm eius innocentiam Deus adiuuaret illum, suum hominem, qui ad illud iudicium Dei exiturus erat.* Etsi probatum non est ab Episcopis in Episcopo iudicium eiusmodi, quia merè profanum videbatur: arbitrari tamen licet in legitimis illis probationibus, quoties vicaria persona substituta est, fuisse eodem modo præstitum à domino iuramentum, vt

is ostenderet in eius se persona certare. *Et exinit tamen eius homo ad Iudicium Dei, neque per Regis ordinationem, neque per sancta Synodi censuram, sed spontanea voluntate.* Non erat igitur legitimum & authenticum illud iudicium, cui Regia & Ecclesiastica deerat auctoritas: quod proinde merè ordinaria Dei prouidentia regendum sperari debebat. Denique vt supra videbamus, *apud Gracos nihil est.* Sed apud Francos, & animum Caroli generosum fuit omnia. Sequitur enim exitus. *Qui etiam à Domino liberatus, idoneus exiuit*: illæsus, innocens, nulla plaga in periuri morem diuinitus percussus, ac proinde domini sui innocentiam sic saltem testatus. *Clementia tamen Regis nostri præfato Episcopo gratiam suam contulit, & pristinis honoribus eum ditauit: nec passus est eum esse sine honore, quem perspexit de composito examine nihil mali meruisse.* Tanti fuit apud illum ponderis qualecumque illud examen, præter leges susceptum, sed honesto fine terminatum. In eo enim posita est Regis clementia, quòd illa serui Episcopalis quæstio, priuata tantùm & profana cùm esset, neque probata à Synodo, neque coràm rebus sanctis facta, pro vera tamen & legitima suscepta est, & tali iudicio probatum Episcopum regia deinceps beneuolentia prosequi voluit. Hoc est iudicium quod Carolus Magnus *de vita sua credulitate recepit.* Ac licet suspicari simile aliquid Carolo Caluo eius nepoti contigisse cum Vvenilone Senonensi proditionis accusato. Vix enim credi potest talis Archiepiscopus in gratiam cum rege redire potuisse, nisi sacramento crimen purgasset.

Caroli Magni clementia.

SECTIO V.

De Pugna, siue Duello.

Sacramento pugna successit.

FRustra huius examinis, & aliorum sequentium, præterquam aquæ frigidæ mentionem in scripto nostro requiramus, quo constat aquæ solius ritum cærimoniasque describi. Subindicat tamen tentata alia, quando negat aliter, quàm illo vno veritatem erui potuisse. De iis ergo strictim pauca libare placet, ne tam commoda occasione neglecta esse videantur. Fuit ergo pugna, siue duellum mauis appellare, duorum aut plurium conflictus, ad eruendam obscuri facti veritatem, publica auctoritate concessus. Sacramento successit vt plurimùm, quod superius ex Othonis lege referebamus. Neque tacent Valentini Patres, quibus ea permutatio non arridet. *Et quia ex huiusmodi iuramentorum*, inquiunt, *imo periuriorum contentione, etiam vsque ad armorum certamina solet prorumpi, & crudelissimo spectaculo effunditur cruor belli in pace; statuimus iuxta antiquum Ecclesiasticæ obseruationis morem, vt quicunque tam iniqua, & Christianæ paci inimica pugna alterum occiderit, seu vulneribus debilem reddiderit, velut homicida nequissimus, & latro cruentus ab Ecclesiæ, & omnium fidelium cœtu separatus, ad agendam legitimam pænitentiam modis omnibus compellatur.* Quo in decreto vt aliquantùm immoremur, id obseruandum in primis, ad infirmitatem iudicii sacramentalis pertinere, quòd adhuc incerta & dubia post illud causa, ob periurii suspicionem, certiùs per pugnam alterius ligitantium morte aut vulneribus terminari censeatur. Deinde quòd ait *in certamina solere prorumpi*, hoc tacet legibus ciuilibus fuisse permissum, non omnibus quidem, sed plurimis in causis. Præterea *armorum* nomine, non hastam solùm aut gladium, sed etiam fustes intelliguntur. Denique cum abrogata illa crudelitate, antiquum Ecclesiasticæ obseruationis morem vult reuocari, nouitatem huius examinis notat, & inuentorum improbitatem execratur. Quæ sunt pleniùs exponenda.

Concil. Valentin. 3. c. 12.

Liberorum hominum est ea quæstio, neque temerè seruis permissam leges, nisi quum libertatem affectarunt, & secundùm eam vindicias dare voluerunt. *Si seruus*, ait Imperator Otho, *propter appetitum libertatis liberum se vocauerit*, probare voluerit esse se liberum, ex liberis natum, *liceat domino, si sibi melius visum fuerit, propter difficultatem approbationis insidiose*, si legitimum fori processum vitat, corruptelis obnoxium, & seruorum insidiis periculosum, eo deserto statim ad pugnam prosilire, *aut per se, aut per suum campionem litem dirimere. Liceat autem seruo pro se campionem dare, si morbus aut ætas eum pugnare prohibuerit.* Vide discrimen: Liberum est domino, quocunque sit corporis statu, alterum in campum mittere: seruus, si sanitas & ætas patiuntur, veniat ipse oportet, & periculo se subiiciat. Campionis autem, siue Camphionis, in hoc duello frequens mentio est, quoties per corporis vires non licet in pugnam procedere: nam infirmos ad carnificinam illam cogere, solorum fuit Burgundionum, de quibus infra. Quòd etiam in grauissimis criminibus concessum est, decernente Henrico Imperatore, *Quòd si ille cui crimen* (patricidii) *immittitur, negare voluerit, per se pugnam faciat, nec liceat campionem pro se dare, nisi decrepita ætas, aut iuuenilis, aut infirmitas pugnare prohibuerit.* Vbi autem aut prouocatus, aut eius campio vincitur, is causa cadit, datque gallico prouerbio locum, *le battu paye l'amende.* Inter arma quibus instructi pugnatores in arenam descendunt, frequenter lego fustes & scutum. Ita lex Longobardorum, decernente Ludouico Imperatore, permittit homini libero furti accusato, *in prima vice per sacramentum secundùm legem se idoniare, si potuerit*; Sacramento innocentiam suam probare, *& si alia vice duo vel tres de furto accusauerint, liceat ei contra vnum ex his cum scuto & fuste in campo contendere.* Et alibi de testibus pugnantia inuicem dicentibus. *Si duo testimonia de qualibet re testimoniauerint, & inter se discordauerint, tunc Comes eligat vnum ex vna parte, & alium ex altera, & illi duo decernant cum scutis & fustibus: & ipsius qui de ipsa falsitate conuictus fuerit, dextera manus amputetur.* Et quidem, vt

Ritus eius iudicij.

Leg. Longob. l. 2. tit. 55. c. 39.

Campio.

Ibid. l. 2. tit. 10. c. 4.

Arma fustis & scutum. *Ibid. tit. 25. c. 76.*

Ibid. l. 2. tit. 51. c. 10.

Ibid. c. 11

statim subditur, *propter periurium quod ante pugnam commiserit.* Vnde concludo non inefficaciter, iusiurandum ab illis priùs præstitum, quàm pugnam inirent; & quidem ab vtrisque: quia si alter recusasset, iam lis terminata videretur, quod aliis in iudiciis vulgò factum scimus. Quid autem iuratum est? saltem ab eo qui lacessiuit? Audi legem Luitprandi. *Si quis alium asto animo compellauerit de pugna, quæ fieri solet per prauas personas,* (libera, sed callida & iniqua voluntate,) *prebeat Sacramentum ipse qui compellat solus, & dicat iuratus, quia non asto animo, eum per pugnam fatigare quærat,* &c. *Et si bociurauerit, postea vadat exinde ad pugnam. Si autem minimè iurare præsumpserit, non sit ipsa causa per pugnam iudicata, atque finita.* Aliter quàm per pugnam feratur iudicium: quod ipsum appareat non æquitate niti, sed viribus. Fuisse autem arma certantium benedictione aliqua per Ecclesiasticos ritus sacrata, libens crediderim; cum id videam in aliis quæstionibus perpetuò obseruatum, & in his legibus *arma sacrata* frequentissimè legam ad quæ iurare mos fuerit, quidni & cum iis certare? Denique vt auerterentur maleficia quæ perditi homines possunt adhibere, vt exprimendæ per illud Dei Iudicium veritatis obices omnes tollerentur, excussi sunt pugnatores ante certamen, ne quid herbarum & magicarum incantationum in eorum vestibus lateret. Est enim notabile decretum Longobardum. *Nullus campbio præsumat, quando contra alium pugnando vadit, herbas quæ ad maleficia pertinent, super se habere, nec alias tales ac similes res: nisi tantùm arma sua, quæ conueniunt. Et si suspicio fuerit quòd has occultè habeat, inquiratur à iudice: & si inuenta fuerint, euellantur & iactentur. Et post istam inquisitionem tradat manum ipse campbio in manu parentis, aut colliberti sui, ante iudicem satisfaciens, & dicat, quòd nullam talem rem quæ ad maleficia pertinet, super se habeat, & tunc vadat ad certamen.* Ad extremum, vt paulò recentiora breuiter adnectam, In Constitutionibus Siculis decretum lego, *vt campiones habeant clauas æquales, non spinosas, nec cum agnzonibus* (acuminibus) *nec habentes cornua, nec ex parte fustis ad modum vnguis.* Illos *in circulum pugnatorum ingredi*, nempe descriptum à iudicibus, extrà quem pugnare non liceat: in eo præstitisse sacramenta, bona fide dominos suos litigare, *non per calumniam, seu per astum* adiisse iudicium; ius eorum pro virili strenuè defensuros: præfuisse certamini iudicem qui ex astantium consilio de campionibus iudicaret, an quis eorum fraudibus vteretur, aut manifesta segnitie torperet: & alia huiusmodi.

Iusiurandum præuium.

Ibid. tit. 55. c. 15.

Si asto animo, id est voluntarie accederit. l. 4. tit. 9. c. 13.

Astu & iniquo. Ibid. tit. 60. c. 7.

Arma sacrata.

Incantationes prohibitæ.

Ibid. l. 2. tit. 55. c. 11.

Constit. Sicul. l. 2. tit. 37.

Aduersùs hanc diuini Iudicii explorandi formam, multis iure optimo declamat Agobardus Lugdunensis, scriptis ad Imperatorem Ludouicum Pium, libellis de Duello, & de diuinis sententiis. Illam ergo inter ceteras rationes ex auctore ipso reiiciendam demonstrat, *Cuius auctor extitit homo hæreticus, & fidei Catholicæ vehementer inimicus cuius legis homines sunt perpauci.* Gundobadus enimuerò Burgundionum Rex homo ferus, & impius Arianus, sanxit vt nullius hominis contra Burgundum admitteretur testimonium; sed accusatus statim ad sacramentum, aut ad pugnam adigeretur: atque ita iudiciis omnibus ciuilibus contemptis, quibuslibet viis aliis modisque posthabitis, omnia periculoso illo Dei iudicio probari & confirmari censerentur. Inde lex Gundobada dicta. & ipsi Burgundiones ea lege viuentes, Gundobadi; qui superiùs corruptè Gundbadingi & Gunebodigni. Quin etiam res fidei tali iudicio non dubitabat exponere, quæ est alia ratio Iudicia ista abiiciendi. Nam si veritas indubitata ex iis erueretur, *deberet ergo*, inquit Agobardus, *inter Catholicos & hæreticos tali examine veritas indagari.* Quod vt perquam absurdum, & penitus inauditum opponit. *Sicut quidem superbus ac stultus hæreticus Gundobadus Burgundiorum Rex tentabat expetere à B. Auito, egregio & orthodoxo prædicatore; qui eius vesaniam sapientissimè, laudabiliterque repressit, atque coarguit.* Cur ergo voluit Gotteschalcus Franco Regi subditus, inter Francos versatus, lege Gundobada auctoris hæretici, ab Antistite Catholico repressi viuere, & de fide Arianis ritibus decertare? In pugna verò frequenter accidebat (quæ noua est ratio Iudiciis illis opposita) *vt non solùm valentes viribus, sed etiam infirmi & senes lacesserentur ad certamen & pugnam, etiam pro vilissimis rebus.* Eodem Agobardo teste. *Quibus generalibus certaminibus contingerent homicidia iniusta, & crudeles, & peruersi conatus iudiciorum, dum putant illi Deum adesse, qui potuerit fratrem suum superare, & in profundum miseriarum deiicere.* Allusit ad hanc rationem longo post tempore, & eam vnam protulit vt hunc morem abrogaret Fridericus Imperator. *Monomachiam, quæ vulgariter Duellum dicitur, paucis quibusdam casibus exceptis, inter Barones regni nostræ ditioni subiectos, in perpetuum volumus locum non habere. Quæ non tam vera probatio, quàm quædam diuinatio dici potest; quæ naturæ non consonans à iure communi deuiat, æquitatis rationibus non consentit. Vix enim, aut nunquam duo pugiles inueniri poterunt sic æquales, vt vel in totum non sit alter altero fortior, vel in aliqua sui parte vigore maiori, & potiori virtute, vel saltem ingeniis alter alterum non excedat.*

Monomachiæ auctor Gundobadus Rex Burgundionum.

Agobard. l. de Duello.

Lex Gundobada.

Agobard. l. de diuinis sententiis.

Idem l. de duello.

Constit. Sicul. l. 2. tit. 33.

Differt igitur lex Gundobada, his in Iudiciis, à lege Francorum, in eo 1. quòd nullum aliud iudicium admittit; sed immediatè in incertum illud prorumpit; Franci autem non nisi aliis frustra tentatis, cum aliter obscuram veritatem illustrari posse non putant, ad istud religiosè accurrunt. 2. Burgundi etiam pueros ad Sacramentum cogunt; infirmos ad pugnam: Franci vetant vtrunque, & infirmos animo iurare prohibent; debiles corpore per vicariam personam certare permittunt. 3. Gundobadi profana omnia, & merum in eo certamine furorem exhibent, profana sola auctoritate iniquissimæ legis muniti: Francorum pietas etiam in hoc iudicio, quale tandem cunque est elucet, & san-

Comparantur Gundobadi cum Francis.

ęt obeunt, & quod credunt esse diuinum. 4. Gundobadus fidei veritatem, qua nihil debet esse constantius, rei maximè incertæ & fallentis euentui exponit: ea perfidia apud Francos nemini vnquam venit in mentem, præterquam miserabili Monacho carceri propter hæresim mancipato. Itaque legem impiam & crudelem meritò improbat Lugdunensis Antistes, rogatque Imperatorem, vt eos transferat *ad legem Francorum* & futuros inde nobiliores, & calamitatem regionis suæ subleuaturos. Euenit autem ex aduerso, vt ipsi Francos ad paricidalem, non quidem legem, sed morem omni lege valentiorem transtulerint; qua nobiliores futuros, si calamitatem ordini nobilium præpostera generositate attulerint. Quem Furoris æstum nec edictorum regiorum reuerentia, nec suppliciorum intentatorum metus, nec illatorum exempla hactenus extinguere potuerunt.

SECTIO VI.

De Iudicio ferri candentis.

SIc quæsitum in corpora libera, & nobilia; seruilium & vitiorum sequuntur examina. Ferri candentis duplex est quæstio: nam vel manu portatur, vel pedibus calcatur. In illa certum ferri pondus non præscribitur lege: nisi quòd vna manu ferri possit: in hac vomeres sunt in terra iacentes, nudis pedibus premendi plures aut pauciores pro criminis grauitate. Helmoldus apud Lindembrogium: *Inhibiti sunt Slaui iurare de cetero in arboribus, fontibus, & lapidibus.* (quæ fuerant per Idololatriam iudicia) *sed offerebant criminibus pulsatos Sacerdoti, ferro & vomeribus examinandos.* Dithmarus quoque apud eumdem sequentis seculi scriptor: *Crastina die ferrum ingentis ponderis benedictum ad locum à Rege determinatum portauit, manumque securam imperterritus deuauit.* Semper enim accessit Ecclesiastica benedictio, vel ad auertendas dæmonis præstigias, vel ad quæstionis à Deo petitæ reuerentiam adhibita. In legibus Longobardis. *Si negauerit ipsum occidisse, ad nouem vomeres ignitos, ad Iudicium Dei examinandum accedat.* Pœnitentiale Romanum apud Antonium Augustinum, in dubio Sacerdotis occisi. Cædis reus si seruus est *super duodecim vomeres ardentes se expurget.* Dignum certè ingenio seruili examen.

Ferrum manu vel pedibus factum.

Helmold. l. 1. c. 84.

Dithmar.

Leg. Longob. l. 1 ti. 10. c. 3.

Pœnitent. Rom. c. 1.

Eius autem ritum nobis exhibent Marculfi formulæ in hunc modum. *Incipit adiuratio ferri, vel aquæ feruentis. In simplo vnum pondus: in triplo tria ferrum æquiparet pondera: & in illa adiuratione, non adsint nisi ieiuni.* Sacramentales, vt arbitror, qui aliquo modo ad iudicium pertinent. Nam spectatores alios quid est necesse illa cæremonia alligari? Quid est autem *simplum & triplum*? Quod explicatur alibi *simpla & tripla probatio.* Leuior videlicet aut grauior quæstio, pro grauitate vel criminis vel suspicionis quâ reus laborauit. Ordo igitur Ecclesiastici ritus sic incipit. *Post accusationem legitimè factam, & triduum in ieiuniis & oratione consumptum, Sacerdos vestibus sacris, præter casulam, indutus, ferrum ante altare positum forcipe accipiat, & hymnum Trium puerorum videlicet, Benedicite omnia opera, decantans, ad ignem deferat, & dicat hanc orationem super locum vbi fiet ignis ad faciendum iudicium.* Expletis orationibus ferrum in ignem mittitur, adspergitur aqua benedicta, & dum incalescit, Missa celebratur: in qua probandus communicare tenetur, & Eucharistiam ad probationem sumere, illa formula quam in aquæ frigidæ iudicio vidimus. Ad extremum ferrum aqua benedicta denuo perspersum, accusatus manu arripit, & ad nouem pedes deportat. Tum illi manus per triduum sub sigillo tegitur; ac singulis noctibus exploratur: *si sanies crudescens in vestigio ferri reperiatur, culpabilis dicitur: sin autem munda exstiterit, laus Deo refertur,* qui innocentiam vindicauit, & in apertum eduxit. Incoctos dixit ætas Hincmari, qui euaderent illæsi, coctos, qui Læderentur. *Vicarius ipsius in iudicium exiens incoctus euasit. Idcirco se in eodem iudicio non coxit.* Quod & in aqua feruente vsurpatum est.

Ritus eius examinis.

Marculf. formul. in appen.

Incoctus, coctus. Hincm. l. de diuort. Loth. & Theutb. c. 6.

Illustrem eius probationis euentum narrant qui Othonis III. Imperatoris res gestas describunt historici. Krantzius præ manibus est, is refert, Mariam Augustam Aragoniam dignitate quàm pudicitia clariorem fœminam, Comitis cuiuspiam amore captam, sui contemptum impatientissimè tulisse, & apud Othonem oblati sibi stupri per calumniam accusasse. In iram videlicet statim exarsisse Imperatorem, & inauditum duci iussisse. Hunc sub carnificis ictu positum coniugem suam obtestatum esse ne mortem suam & innocentiam inultam pateretur. Hæc igitur acceptum optimi coniugis caput, ad Imperatoris è solio ius dicentis pedes abiicit, & ab ipso vindictam homicidii magnis eiulatibus postulat. *Hunc inquit, mihi virum per summam iniustitiam abstulisti. Et in promptu tenens ferrum ignitum, in conspectu omnium pertulit illæsa. Quàm inquiens, ego immunis sum ab igne, tam erat maritus à crimine quòd imputabatur.* Cæsar obstupefactus, re tota diligentissimè cognita, calumniatricem Augustam flammis addicit, seipsum magno ære mulctat, & viduæ fortissimæ arces aliquot in viri solatium rependit. Licet ea res miraculum habuerit, non fuisset tamen legitimum iudicium, si derepente ferrum candens tanquàm è machina in manus mulieris incidisset, vt Krantzius commemorat. Distinctiùs ergo forensem processum ex aliis scriptoribus, & accedentem ad prædictos ritus narrationem exhibet Baronius, vt omnino intelligamus plenam & perfectam hanc fuisse ignis probationem.

Othonis 3. culpa hoc iudicio prodita.

Krantz. in Saxon. l. 4. c. 26.

Baron. ad an. 998. Tom. 10.

Quòd si huic iudicio cedendum putauit Occidentis Imperator, non par certè in Ecclesia Orientali, apud posteriores Græcos, auctoritatis robur obtinuisse docet in persona nobili, Phranzæ historia: Michaëlem enim

In Oriente probatum non fuit.

Michaelis Palæologi iudicium.

Palæologum mores elegantes, & digni principatu, quem postea sortitus est, Imperii affectati reum, apud Theodorum Lascarim effecerant. Cuius cum exerceret quæstionem Arsenius Patriarcha, suam innocentiam probaturus iuuenis, cùm argumenta cetera in promptu non essent, ferrum candens postulat manibus attrectandum, & prunas ardentes in sinum coniiciendas, *sperans Deum*, inquit, *qui tres pueros in camino ignis liberauit, & oculum illum omnia contuentem, semperque vigilem, me illæsum, si ei placuerit, ab adustione seruaturum.* Fuit hic æstus adolescentiæ temperandus: quantò tamen modestior Gotteschalci senis & Monachi temeritate Thrasonica? Quis hanc orationem fiduciæ plenam & reuerentiæ Rabanus aut Hincmarus improbet? Iudici tamen Patriarchæ non placuit ea prouocatio, qui ad illam ita respondit, Historico referente. *Romanis & sapientibus Græcis nec in lege, nec in more positum est, ad reos, præsertimque nobiles, vt tu es, interrogandos tormenta adhibere; quia mos barbaricus, nefastus, planeque ethnicus est.* Quod libenter audiens reus Comnenus, *Quoniam, Sancte Domine*, inquit, *Romani istud quod volui nec legibus, nec moribus in vsu habent, vt affirmas, sed barbari & ethnici duntaxat*, peto ego Romanis moribus & legibus examinari.

Georg. Phranza Chron. l. 1. c. 1.

SECTIO VII.

De Iudicio Aquæ feruentis.

Brachium in aquam cum pondere demissum.

Marculf. c. xii.

IDem est aquæ calidæ, siue feruentis iudicium, quod ferri candentis, ritusque consimiles: quibus religiosè absolutis, *accipiat homo lapidem*, inquit Marculfus, *qui per funem suspendatur, in simpla probatione, mensuram vnius palmæ, in tripla autem vnius vlnæ*, quò profundiùs brachium in aquam immergatur: *Manus verò sigilletur & aperiatur, vt supra diximus in consecratione ferri.* Apud Lindenbrogium ex historia Saxonum legimus *ferrum calidum ferant, vel in aquam bullientem brachium vsque ad cubitum mittant.* Inde est sine dubio vulgi nostratis dictum in re incerta, *ie n'en voudrois pas mettre ma main dans le feu* ou *dans l'eau chaude.*

Lindenbrog. in Gloss. v. aquæ feruẽt. Iudic.

Iudicium de Teutberga Regina.

Hoc iudicii genere, purgata est per vicarium, apud Lotharium Austrasiæ Regem Teutberga Regina legitima coniux, stupri accusata, narrantibus iis qui consuluerunt Hincmarum, *quæ ipsa denegans, probationis auctore, testibusque deficientibus* (quis enim contra Regem amore furentem venire auderet in iudicium?) *iudicio laicorum nobilium, & consultu Episcoporum, atque ipsius Regis consensu* (debuerunt igitur omnes euentui acquiescere) *Vicarius eiusdem feminæ ad iudicium aquæ feruentis exiit. Et posteaquam incoctus fuerat ipse repertus, eadem femina maritali toro, & coniugio regio, decreto quo suspensa fuerat, est etiam restituta.* Cùm autem nihilominus Rex iuuenis, Vualdradæ pellici adhinnire pergeret, & iudicium retractari vellet, consultus super ea re à prudentissimis Episcoporum Hincmarus, odium regis veritati posthabuit, fortiterque respondit, iudicio illi omnino standum videri, neque iterum rei iudicatæ fidem dubio examini obiiciendam. *Si enim hæc in iudicio culpabilis femina apparuit, quare fuit recepta? Si inculpabilis, quare est causa remota? Præsertim cùm omnimodis sit credendum, quia si vicarius eius, qui pro illa ad iudicium exiit, fuisset perustus, culpabilis iudicata, ad audientiam denuo noluisset accusator ipsius debere illam admitti.* Quod licet sapienter edicat vir magnus, cui iudicia hæc omnia plurimùm probantur, non potest tamen dissimulare, fuisse rem illam vltro citroque disputatam; neque iterum potuisse in quæstionem reuocari, si communis sapientium omnium consensus ratum haberet iudicium.

Hincm. l. de diuort. Loth. & Theut. c.

Ibid. c.

SECTIO VIII.

De Iudicio Aquæ frigidæ, eiusque Auctoribus.

Ad illud.

Quod Iudicium fecerunt B. Eugenius, & Leo, & Imperator.

Expenditur textus de auctoribus huius iudicii.

PEruenimus tandem ad illud Dei Iudicium, manuscripto nostro codice expositum, cuius gratiâ cetera decurrimus: vt non immeritò longiores in eo moras trahere posse videamur. Et occurrunt sanè obscura quædam quibus illustrandis imparem me sentio; ipsa maximè inuentio, in qua cum propositum textum lego, aqua mihi hæret. Nam tres auctores nominat pagina manuscripta, B. Eugenium, Leonem Papam, Carolum Regem. Marculfi autem formula typis edita duobus contenta est, Eugenio, & Ludouico Augusto, Caroli filio, cuius inuitatu & precibus dicitur B. Eugenius illam examinis speciem instituisse. Pontifex igitur Leo III. ab hac inuentione silentio excluditur, & fortiùs, citato per initia, Pontificis Alexandri dicto, hæc omnia *popularem inuentionem, nulla canonica lege fultam legem* appellantis. Neque mihi persuadebit auctor illius scripti, Leonem ab purgatione sua vix respirantem, rebus Romæ turbatis, omnium animis tanti iudicii expectatione suspensis, cum Rege Francorum occupatissimo, tantùm otii sibi sumpsisse, vt nouum & hactenus inauditum iudicii genus excogitare, ritibus sacris instrueret, longis orationibus, & adiurationibus informaret. Marculfi autem Appendix ad hanc formulam adiecta quàm ridiculè est? Hæc iudicium dicit petente Ludouico Imperatore constitutum, quod scriptum aliud ait, factum esse à Carolo Imperatore eius patre. Et quidem constitutum, quod aliunde constat ab ipso Ludo-

Leo 3. mele inter aui ... fertur.

Vt & Leo... Pa...

uico fuisse lege abrogatum, licet postea vsu sit retentum. Sic enim in additionibus Capitularium lego. *Vt examen aquæ frigidæ, quod hactenus faciebant, à Missis omnibus interdicatur, ne vlteriùs fiat.* Sustulit videlicet Pius Imperator, quod antea petierat institui, & omnibus obseruandum proposuerat. De Carolo Patre, quem MS. nominat, nihil habeo equidem vllo libro expressum, quo negem istud, vel affirmem: & scio iudiciis istis omnibus simplici Religione plurimùm credidisse. Verùm si rationem ipsam consulimus, huius inuentionem ab illo penitùs remouebimus, qui nullum aliud legitur instituisse: qui altare nunquam tetigit, vt in Sacerdotum iura inuolaret, vt res sacras inueniret, præscriberet, imperaret Ecclesiæ, si quis alius Regum nostrorum, vt patronus fortissimus, ita filius obseruantissimus.

Capitul. addit. 4. c. 80.

Neque probabiliter Carolus Magnus.

Iam verò Beatus ille Eugenius, in quem vnum conuenit vterque scriptor, quis tandem est, vt cum Pontifice coniungi, ante Pontificem nominari mereatur? Quo tempore floruit, vt à Patre vel Filio Imperatoribus rogari potuerit? Quantæ claritatis fuit, vt solo nomine, sine vllo patriæ, dignitatis, gestorum additamento, seculis omnibus notus esse debuerit? Nullus certè Eugenius hanc in historiam commodè potest intrudi, præterquam is qui multis pòst annis, imperante Ludouico breuem Pontificatum gessit, eius nominis secundus. Atqui nihil apparet causæ, cur in illius examinis institutione cum Leone Papa coniungatur: neque probabile videtur cerimonias illas inuenisse, & vtendas tradidisse, qui factus Pontifex in Romano Concilio pluribus decretis, quorum titulos refert Baronius, de eius inuentione vllo quidem apice meminit: quis autem credat illud Iudicium à Ludouico Pio toto Imperio fuisse sublatum, cuius auctor tum Romæ Pontifex sederet? Quid dicam de scriptoribus eius seculi quos euoluimus; qui cum de eius auctoritate Iudicii in vtramque partem disceptarent, eorum nemini venit in mentem illius initium & natales, si non ad Leonem III. certè ad Eugenium II. reuocare? Quod argumentum vim habet merè negatiuo maiorem, ex Hincmaro illius probationis constanti laudatore, qui cum agnoscit Imperatoriis legibus fuisse antiquatum, *nec prætereundum*, inquiens, *quia legimus in Capitulis Augustorum fuisse vetitum aquæ frigidæ iudicium*: neque recurrit ad auctorem, cum ignorare se ostendit (nam profectò aliter non dissimulasset) Eugenio Papæ tribuendam esse eius originem, ad pueros vel Caroli, vel Ludouici Augustorum. Quanto enim ardore homo eruditus opinioni suæ suffragium tam benignum ab Ecclesia Romana, quam tantopere coluit, quæsiuisset?

De S. Eugenio quæritur.

Baron. ad an. 816. tom 9.

Hincm. l. de diuort. c. 6. citat.

Quæ omnia eo confidentius disputo, quòd allatæ ex historia rationes maioris apud æquos iudices momenti esse debent, quàm aut scripti nostri auctor anonymus, atque vt apparet non doctissimus: aut ad Marculfi formulas Appendix adiuncta. Hanc enim alienæ manus interpretationem esse, vel hinc constat, quòd cum Landerico Parisiorum Episcopo, qui circiter annum 660. Christi floruit, Marculfus iam septuagenarius formulas suas inscripserit, absurdum est eius vitam ad Ludouicum vsque Pium, & Eugenium II. Papam producere. Quanquam quid diutius dissimulo, non existimare me ad Marculfum pertinere formulas Exorcismorum, & Iudiciorum istorum, formulis illius à Lindenbrogio, ad rerum potius similitudinem, quàm quod eiusdem parentis fœtum esse putauerit, subditas; licet eas cum vulgo Marculfi nomine semper citauerim? Nam in primis collationis illius Epigrapha Marculfi nomen non præfert. Deinde Marculfus ipse neque in Epistola ad Landericum, neque in cursu formularum, istius collectionis aut examinum, aut omnium rerum istarum inducit mentionem. Denique in illis exorcismis superstitiosa, ne dicam impia multa inesse admonet Lindenbrogius, quæ religio & pietas coegit supprimere. Nam cum Collectionem suam in hæc verba concludat. *Reliqua consulto consilio omissa sunt*: in Glossario deinde quod fuerit illud consilium, quamque consultum aperit, *Nonnullas autem scienter omisimus, quæ reuera in Deum blasphemæ nimis videbantur.* Illas ergo à religiosissimo sene Monacho, ad Episcopum sanctissimum fuisse perscriptas, & missas esse cum aliis, quæ aut à Religione sanctitatem, aut ab vsu politico grauitatem accipiunt, equidem mihi persuadere non possum. Quapropter eius nominis auctoritate ab illis bono iure detracta, cum remaneat obscurus earum auctor, sitque simillimum vero fuisse à pluribus identidem, vt fit, interpolatas, auctas, mutatas, nihil video causæ cur aut scripti nostri præfatione, aut formulæ appendice moueri debeamus, quibus exiguam fidem deberi contendo.

Eorum fides bonorum iudicio pluris ...

Illæ formulæ non sunt Marculfi.

Lindenbr. in form. exorcism. Idem in Glossar. Iudicium aquæ.

Hoc igitur certiùs pronuncio, Iudicia hæc omnia nata esse ex veteri Gentilium superstitione, cuius & exempla & vestigia plurima refert idem Lindenbrogius, præclarè ad rem nostram præfatus in hunc modum. *Magna fuit veterum, non dicam religio, sed inconsulta superstitio, quæ desciscentes à vero iudiciorum ordine, rem sanctissimam, abusu fecere pessimam.* Præter illa autem quæ refert exempla, domesticum est & ad istud in quo versamur accedit, Rheni aqua ingenuitatis exploratiua. Nam legitimos partus aqua sustinet, ait Eustathius, spurios verò in profundum demergit. Inde dictus Iuliano Cæsari filiorum iudex ἀκριβὴς καὶ ἀψευδής. Cum autem in simplicibus & barbaris mentibus altas radices egisset ea superstitio, ne illius priuatione à suscipienda fide Christiana prohiberentur, existimauerunt eius præcones & magistri Episcopi, nonnihil hac in parte indulgeri posse rudibus populis, & quod eradicari non poterat, rituum religione superaddita debere consecrari: Pene dixerim, vt populi concitati furorem, conflato vituli simulacro Aaron mitigauit. Quis autem id primus fecerit, neque operæ pretium existimo inuestigare; neque facilè, aut certè diu multumque scrutanti, occursurum. Habuerunt autem vel primi illi, vel, vt potiùs arbitror, posteriores, qui crebriorem hunc vsum fecerant, à Scriptura diuina auctoritatem, qua consilium suum

Initium istorum à superstitione.

Lindenbrog. ibid.

Rhenus Fluuius. Eustath in Dionys.

Iulian. orat. 2. in Constant.

Mutatum in religionem.

Numer. c.5. probarent: in qua fusè traditur, Deo iubente, adulterii probatio, & Zelotypiæ sacrificium amarissimarum aquarum haustu certissimum iudicium facturo. Cui apertissimæ cærimoniæ, Hincmarus plures addit ex eadem scriptura figuras: quas non omnes fidem facere, iuraueris; ac proinde apud ipsum non vno loco legendas reliquimus. Hincmarum enim cum nomino, Iudiciorum istorum propugnatorem acerrimum appello, quæ si non inuenerit ipse, certè auctoritate qua pollebat summa, plurimùm confirmauit. Non tamen absque magno labore; nec paucis alia omnia sentientibus quod altero ab hinc capite demonstrabitur.

SECTIO IX.

De illius Iudicij exitu.

Ad illud.

Fac eum natare super te, &c.

Cur funibus examinandus alligatur. IN cæremoniis omnibus huius examinis, quas MS. pagina easdem cum excusis formulis habet nihil video vel obscurum, vel otiosa consideratione dignum. Immoror in fine cum fune circumuolutus probandus, in aquam toto corpore immittebatur, mergêdus si esset innocens, super aquam nataturus si reus foret: quod dicebant illi, *recipi ab aqua* vel *reijci* funium & vinculorum tum moralem, tum Physicam rationem nos docet Hincmarus. *Hincm. l. de diuort. c.6 cit.* Moralis est, qua significatur criminum suorum vinculis coërceri nocentes. *Constringitur autem fune qui examinandus in aquam dimittitur, quia, vt scriptum est, funibus peccatorum suorum vnusquisque constringitur.* Et post multa, huc alludens. *Deprehensus autem confiteatur & pœniteat, & non tenebitur fune peccatorum suorum quo est inligatus.* Physica iustior est, ab eodem sic enunciata. *Qui ob duas causas conligari videtur: scilicet ne aut aliquam fraudem possit in iudicio facere: aut si aqua illum velut innoxium receperit, ne in aqua periclitetur, ad tempus* (hoc est, tempestiuè) *valeat retrahi.* Ac interposito Lazari suscitati exemplo, qui ligatus institis missus in sepulchrum, postea reuocante Christo *à discipulis disligatus est.* Subiicit, *Et hoc examinandus iudicio, conligatus in aquam dimittitur, & conligatus retrahitur, & aut purgatus statim iudicio arbitrorum absoluitur: aut vsque ad purgationem conligatus, iudicio examinatur.* Id est, vbi nonnihil adhuc dubii residet, vt nihildum certi iudicare possint arbitri, tandiu ligatus in aqua detinetur, donec rei veritas liquidò appareat. Quòd si plurium criminum accusatus est, toties immergitur in aquam, quot exploranda sunt crimina, vt de omnibus & singulis satisfaciat examini. Quo in casu vult Hincmarus, qui ritibus istis omnibus auctoritatem ex sacris Litteris conciliare conatur, trinam baptismi mersionem, & trinam Petri confessionem exprimi. Sic & *inuentus in iudicio noxius, si fuerit forte super plura suspectus, iterato est iudicio examinandus, quousque inueniatur emendationis confessione purgatus.* Quem morem imitantur etiamnum Rothomagenses, in eximio illo Ecclesiæ suæ priuilegio, quo salute hominibus danda, proximè accedit ad Deum. Nam homicidii reus cui vita donatur, cædes omnes quas perpetrauit, confiteri apud iudices cogitur, vt simul vniuersas sublatis in humeros S. Romani Lipsanis, expiet: obnoxius supplicio futurus, si quam celasse postea deprehendetur.

Sic igitur aquæ admotus alieno ministerio membrorum impos, ne quam fraudem struere possit, si demergitur natiuo pondere, innocens: sin autem aquis innatat, reus impositi criminis iudicatur: atque in eo talis iudicii posita vis est, petente Ecclesia in oratione qua adiurantur aquæ, vt *conscios criminis à se repellant, atque reijciant; & quod caret pondere virtutis, careat pondere propriæ substantiæ in aquis.* *Examinãdo supernatans, cur mergatur.* Quod etiamnum alicubi terrarum in veneficis mulierculis experientia probari dicunt, vt fluuiorum aquis semper innatent, neque vi vlla possint demergi. Cum tamen superstitionis origo Rhenus, contrarium signum ederet, & infantes legitimos efferret, vulgo quæsitos absorberet. Hincmarus more suo scripturam Patresque respectans, has aquas cum Iordane per Helisæum diuiso comparat. *Hincm. cit.* *Vnde ac si pallio Eliæ inuoluto aqua percutitur, & diuiditur, & per eam transitus preparatur, quando tales, vt præmisimus, ex verbis S. Gregorij, conligantur, & in aquam dimittuntur. Et quasi aqua diuiditur, cum aut quosdam aqua recipit, & innoxios ostendit; aut quosdam reijcit, & noxios esse demonstrat. Et transitus præparatur, cum aut quidam à reputatis criminibus, ad innoxios transferendi iudicantur, aut à negatione sua rei inter criminum noxios declarato iudicio deputantur.* Pergit pluribus hanc mersionem, cum Baptismo pro rata portione conferre, & in vtroque ait, eum qui tingitur verba solennia præeuntibus respondere solitum. *Cum baptismo comparatur.* *Sed & ipse qui examinandus in aquam dimittitur, inuocationem inuocantium sua responsione & deuotatione confirmat, iuxta formam quodammodo ante baptisma.* Non vult tamen vtrunque plena & perfecta similitudine inuicem respondere, ne simpliciorum argumento cogatur subscribere probationem illam inde respuentium, quòd ea baptismus alter sit; atqui baptismum iterare sacrilegium putetur. *Quod & quidam insulsè dicunt, propterea fuisse vetitum, quoniam quasi rebaptizatur, qui in nomine Domini aquis immergitur. Sed hoc ibidem scriptum nequaquam reperimus.* Neque verò si reperiretur, esset probatum. Sed alia legis est, alia rationis quorundam ingeniis excogitata consideratio: & nos fidei articulos omnes Conciliorum Canonibus definitos

finitos, pro certis & fixis habemus; definitionis autem factæ rationes, non semper admittimus. Quare licet æquitas legis illius qua Ludouicus Imperator aquæ frigidæ vsum ab Iudicio sustulit, ab illis malè monstrata sit, non ideo tamen & lex & æqua non fuit: quam & totidem pene verbis ab eodem Augusto acceptam Longobardi suum in codicem retulerunt. Qua de re plura modò dicenda.

Leg. Longob. l. 2 tit. 55. c. 31.

SECTIO X.

Quæ sit huius Iudicij & superiorum omnium auctoritas: ac primum rationes quibus approbatur.

Ad illud.

Probatum habuerunt illi sancti viri qui illud inuenerunt.

Diuersa auctorum opiniones.

GRadum hinc facio ad inuestigandum Iudicii huiusce iudicium, & examen examinis: idque ad vniuersa ante narrata extendo, ne si sola frigida in quæstionem adducitur, reliquæ species confirmatæ videantur. Quæro igitur vniuersè ex illius seculi auctoribus, de Iudicio Dei ad quæstionem admoto, quid sentiant? Quantùm illi fidei & roboris ad certam veritatis indagationem tribui velint? Rem postulo magna tum temporis inter eruditos altercatione tractatam; qui in diuersas, vt fit, partes, validissimo inanis vanitatis præiudicio, abierunt. Fuerunt enim qui vniuersè probarent omnia; fuerunt & qui æquè generaliter futilia & incerta videri vellent omnia: mediam alii viam ingressi, cum aliquibus fidem concederent, aliis penitùs abrogabant. In postremo hoc genere, in quo morari non libet totam quæstionem repetenti, non ægrè Rabanum Moguntinum numero, qui si alia probauit Iudicia, frigidam certè aquam non admisit, vt in Hincmaro dispicere mihi videor. Hic enim ab Hildegario Meldensi monitus ea de re scripsisse Rabanum, & rogatus quid sentiret, sic ad eum rescribit. *Sermo habitus est de iudicio aquæ frigidæ: de quo Rabanum venerabilem Archiepiscopum Moguntinæ ciuitatis quædam scripsisse dixisti; ex cuius scriptis quid mihi videretur, sciscitari curasti.* Qua tota Epistola Rabani auctoritatem pro se non allegat, aliàs eius cultor & laudator non illiberalis; neque *ex eius scriptis*, sed suis illis quæ sæpe citauimus ad Episcopos regni Lotharii Iunioris missis, opinionem suam exponit. Quare non temerè affirmare licet, istam experimenti speciem non placuisse Rabano. Quam & nonnulli manifestè repudiarunt, retenta aquæ feruentis probatione, vt narrat idem Hincmarus; *Dicamus quod quidam sagacis ingenij percunctantes adijciunt. Constat nimirum, vt inquiunt, quia in aqua ignita coquantur culpabiles, & innoxij liberantur incocti. Quia de igne Sodomitico Lot iustus euasit iniustus; & futurus ignis qui præibit terribilem iudicem, sanctis erit innocuus, & scelestos aduret.* Miror sagacibus illis non occurisse Dauidicum psalmum. *Igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas.* Pergunt autem. *Sed in aquæ frigidæ iudicio, non constare quòd innoxij submerguntur, & aquæ culpabiles supernatant, cum in cataclysmi iudicio innocentes cum arca leuantur, & noxij subuersione perierint: & Ægyptij insequentes Hebræos per mare rubrum, submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.* Ita subtiles & sagaces Theologi. Quibus prætermissis ad thesim redeo.

Hincm. ep. 39. ad Hildegar.

Idem l. de diuort. c. 6. cit.

Ps. 16.

In primo scriptorum ordine, quibus omnia hæc iudicia placent, Hincmarum repono, post productum alibi Caroli Magni decretum, *vt omnes iudicio Dei credant absque vlla dubitatione.* Et vtrique persuasum illud arbitror à summa in Ecclesiam veneratione à quâ neuter discessit vnquam. Sententiam porro Ecclesiæ duo demonstrant, Synodi, & ritus antistitibus excogitati. Synodos nominaui, quę quoniam fuerunt illis tẽporibus frequentissimæ, verisimile est in illarum plurimis de Iudicio Dei fuisse actum cùm approbatione. Non enim constitutionem suam modò repetitam in Capitulare Carolus immisisset, nisi Synodo Episcopali confirmatam: Et Hincmarus Ludouici Pii decretum de Iudicio aquæ frigidæ obiicientibus, respondet, verari quidem in Capitulis Augustorum, *sed non in illis Synodalibus, quæ de certis accepimus Synodis.* Quasi dicat quod Ecclesiæ moribus & vsu receptum est, illud solis Augustorum legibus abrogari non posse, nisi accedat & consensus Ecclesiæ: non accessisse autem in eius quæstionis interdicto, quia certæ & indubitatæ Synodi, caput illud non continent. Quo dicto, fateri videtur Synodos aliquas huius abrogationis testes existere, sed eas ipse pro *certis* non habet. Sed ne in aqua hæreamus, Sacramentum certè flue Iusiurandum negare nemo potest & sacris & profanis legibus probatum atque imperatum fuisse, quod & *Canonicam probationem*, maiores nostri vocauerunt. Quod autem spectat ad ritus, Ecclesia columna veritatis, interpres Christi solennes ad hæc omnia cæremonias nõ institueret, aut ministros suos ad opera illiusmodi admoueret si sanctum aliquid & diuinum in illa Iudiciorum Christianorum parte non peruideret? Quid est in omnibus illis exorcismis, coniurationibus, orationibus, cærimoniis, quas præferunt formulæ sæpe citatæ, non pium admodum & religiosum? Quid autem optimæ matris clementiæ magis conuenire potest, quàm mitis & humana veri inquirendi methodus, quæ cum nullo, vel exiguo dolore coniuncta est, si nodum quæstionis illius cum veteribus æquè ac recentibus quęstionibus conferimus, in quibus membrorum luxatio, & duritas tormentorum ipsa morte aliquando tetrior, à miseris corporibus vocem sępissimè mendaciorum plenam extorquet, & non tam futuri metu, quàm dolore pręsentium prodit innocentiã? Eapropter humanitatis causam agere voluit Ecclesia dum tormenta quiescere coëgit, & aliter veritatem dicit, quàm per necessitatem mentiendi.

Argumenta pro aliorum iudiciorum auctoritate

Sed hæc leuiora possunt videri Deum ipsum aspicienti, probationis per aquam in

Z z

Miraculis aliquando probata sunt. testamento vetere, cuius tamen examinis miror equidem in Ecclesiasticis illis adiurationibus nullam fieri mentionem; licet non minùs adulterii, quàm ceterorum criminum exerceretur iudicium, sed illud Hincmarum non præteriit. Quantùm autem eius gloriæ hîc accedit, cum prima & suprema veritas & omnis iustitiæ princeps colitur? Quæ demum humana sapientia est, quæ rem diuino sæpe calculo comprobatam, pertinaciùs vocet in dubium? Quis enim alius adeò potentibus miraculis iudicia hæc rata & firma potuit efficere? Non vagor per singula, quod esset infinitum, hæreo in nostris & annis, & scriptoribus. Theutberga Lotharii coniux calumniam passa, feruentis aquæ iudicio absoluitur, tam certo, vt validissimè pugnet Hincmarus, iterari omnino non debere. Ludouicus Caroli Calui nepos, Rex Germaniæ ab Imperatore patruo contra ius fasque bello appetitus, pace frustra rogata, irrisus ad Deum & eius Iudicium confugit, missis vt olim narrauimus, *Ann. Bertin. ad an. 876.* triginta viris ad ferri candentis, aquæ feruentis, & frigidæ probationem, *qui omnes inlæsi reperti sunt.* Miraculo fidem fecit euentus. Nam nihilominus imparato & pacem speranti nepoti superuenit patruus, Regi Imperator, Iuueni dux veteranus. Quo exitu? Ingenti prælio superantur à paucissimis plurimi: Carolus ipse cum paucis vix fuga lapsus euadit. Infinita præda locupletantur victores, victi equites ita fugiunt, vt animas habeant pro spolio: *ceteri autem ita sunt à villanis despoliati vt freno & stramine inuoluti verecunda celarent, & nudi profugerent quos insequentes occidere noluerunt.* Credidisset Imperator Deo per homines triginta veritatem loquenti, ne tot conuictus miraculis, decretorio miraculo vinceretur! Quid Lotharius ipse Theutbergæ coniux & persecutor, nonne ab Hadriano II. *Ibid. an. 869.* communionem sacram percepit, apposita conditione, si Vvaldradæ excommunicatæ consortium non admisisset? *Ipse autem infelix more Iudæ, simulata bona conscientia & impudenti fraude, eandem sacram communionem sub hac conuentione accipere non pertimuit, nec recusauit. Sed & sui fautores cum eo, ab ipso Papa percepere communionem.* Quibus in pœnam sine dubio periurii paulo post aceruatim pereuntibus, *iudicium Dei intelligere nolens*, & ipse miserè extinctus est, & in vicino Monasteriolo sepultus. Vt fusissimè narrant Annales Bertiniani.

Vsu sapientium stabilita. Sunt hæc præcipua firmamenta, quæ fidem illis probationibus adstruunt, quique ipsis ritè & legitimè sunt vsi, eos tentati numinis scelere eximunt. Hos dico extitisse Germanos Episcopos omnes, qui Theutbergæ, quique Ludouico Iuniori Regi tale iudicium permiserunt. Et si quam meretur fidem manuscripta nostra pagina, Leo III. Eugenius II. Pontifices Romani, Carolus Magnus Imperator sacri Thesauri deprædationem eodem iudicio deprehenderunt. Post has, Hincmarum vnum quid adducerem, qui non scriptis magis, quàm factis eius examinis, auctoritatem stabiliuit? Is enim Niuinum corruptæ & abductæ Sanctimonialis reum, sic examinari cupit, certo cessurùs euentui. *Et eò vsque illum perduxi, vt si præfati sui homines, quia non liberæ conditionis sunt, aut cum aqua calida, aut cum aqua frigida inde ad iudicium Dei exirent, quid inde Deus ostenderet, mihi sufficeret.* *Hincm. l. 55. Cap. c. 41.*

SECTIO XI.

Rationes quibus incerta penitus esse demonstrantur.

Ad illud.

Nulla possit hic praeualere phantasia aut prestigiatio.

PArtem quæ Iudicia hæc popularia improbat, maiorem melioremque non pauciora faciunt argumenta, in singulis iam ante libata. Nam vt ab eo incipiam quod postremò tractatum est, auctoritate sapientium si certatur, Hincmaro Agobardum Lugdunensem oppono, virum sola aduersùs Imperatorem Ludouicum perfidia cum Ebbone deturpatum. Is enim peculiarem tractatum edidit *contra damnabilem opinionem putantium diuini iudicij veritatem igne, vel aquis, vel conflictu armorum patefieri.* In quo cum multis & scripturæ locis, & rationibus aliis ostendit, nullo Deum promisso suam omnipotentiam eiusmodi signis alligasse, nec aliud esse quàm meta hominum peruicacium inuenta, concludit. *Hæc piè humiliterque considerantibus, apparet non posse cædibus, ferro, vel aqua occultas & latentes res inueniri. Nam si possent, vbi essent occulta Dei iudicia?* Ac deinde alio tractatu in Duellum inuehitur, illi vsui à Gundobado superbo ac stulto hæretico applicitum, quod iniustitiæ ac crudelitatis humanæ Deum facit adsertorem. Idem sensus est Romanorum Pontificum, non esse ista diuinitùs inspirata, sed ab hominibus excogitata, vt initio ex Alexandro II. diximus, consentiente Siluestro item II. ad Lambertum Episcopum Moguntinum. *Ferri candentis, vel aquæ feruentis examinatione confessionem extorqueri à quolibet, sacri non censuerunt Canones: & quod sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinuentione non est præsumendum.* Quid quòd illi ipsi, qui Theutbergam ad Iudicium aquæ feruentis admiserunt, Germani Episcopi, eiusdem deinde futilitatem contempserunt? Nam eorum aliqui super eo consulentes Hincmarum ita scripserunt. *Quoniam quidam dicunt nullius esse auctoritatis, siue credulitatis indicium, quod fieri solet per aquam calidam, siue frigidam, neque per ferrum calidum: sed adinuentiones sunt humani arbitrij, in quibus sæpissimè, per maleficia falsitas locum obtinet veritatis, & ideo credenda esse non deberent.* Non continent hæc dicta puram sa-

Plurium sapientium opiniones reijciuntur.

Agobard. l. de diuinis sententiis.

Idem l. de duello.

Siluest. 2. ep. ad Lucat.

Hincm. l. de diuort. Loth. & Theutb. c. 6.

pientium auctoritatem; sed certas improbandarum probationum rationes secum vehunt, quibus & posterior hæc sententia firmatur, & superioribus argumentis vis omnis detrahitur.

Non habent auctoritatem Ecclesiæ

Enimuerò cum *popularem & superstitiosam adinuentionem* vocant Pontifices, cum negant sacris Canonibus sancitas esse, cum vetant vsurpari, nonne illud manifestè declarant, nulla vnquam auctoritate publica Ecclesiæ stetisse populares illos ritus, sed rudium populorum superstitione assumptis bonorum in Ecclesia virorum simplicitate additam fuisse religionis speciem, qua probabiliùs decepti sunt: vt cum ab Hebræis regibus etiam piis tolerata sunt excelsa, ne pronus ad idololatriam populus impudentius grauiusque peccaret. Ac mihi videntur simplices illæ formulæ à diuersis & ignotis institutæ, similes libellis Pœnitentialibus, quorum in Conciliis priuatis frequens est mentio, vbi nonnunquam laudantur, aliàs reiiciuntur: aliquando examinari & seligi iubentur; quòd eos singuli ad arbitrium suum fingerent, interpolarent, amplificarent, & natiuam primæ institutionis puritatem nouis subinde additionibus perturbarent. His igitur hominum institutis patrocinari non potest sacrificii legalis exemplum, quo mulierum probata pudicitia est, cum illud constet dictatum esse à Deo, & promissam certi euentus fidem; quorum neutrum huic nostro Iudicio conuenit. Si quibus enim prodigiis patefacta est aliquando veritas, id peculiari Dei prouidentiæ, non experimentorum ipsorum virtuti viribusque tribuendum est, vt monuit Agobardus. Ac vide quàm confusè loquatur ipsa precatio, qua iudicii aqua adiuratur. *Si culpabilis est*, inquit, non te præsens suscipiat aqua, neque aliquo maleficio tuo res possit occultari, *quam credimus Dei omnipotentia manifestari. Fac eum natare super te, & nulla possit hic valere phantasia aut præstigiatio*. Quo nexu cohærent ista inuicem, vt absint præstigiæ, ideoque reus aquis supernatet? Fac illorum, exorcismorum virtute prohiberi maleficia, eodem-ne momento corpus alligatum natiua grauitas deseret, aut ignis insitam vrendi vim amittet? Quod semel in fornace Babylonica factum seculorum omnium admiratio cum eximia diuini operis adoratione suscepit, id illi vulgare, & in omnium manibus esse volunt. *Non te præsens suscipiat aqua*, ait inferiùs, *neque aliquo maleficio tuo res possit occultari, quam credimus Dei omnipotentia manifestari*. Quàm multa hic peccas? Miraculum poscis. Qua fiducia? Tale pascis. Quo iure? Credis omnipotentiam Dei humano maleficio posse superari. Qua conscientia?

Diuinitus instituta non promissis.

Maleficiis sæpe impediuntur.

Atque hæc ipsa maleficia toties repetita, tam anxiè hoc in iudicio caueri iussa, quid tandem fidei in sapientium mentibus relinquunt? Eorum frequentiam, qui fuit huius probationis morbus, medicina declarat; quippe cum adiurationes illæ aduersùs ea sint à bonis viris conscriptæ: vt vel ipso titulo præ se ferunt, *formulæ exorcismorum ad maleficia reprimenda*. Irrito sæpe euentu: quia vt Hincmaro scribunt Episcopi, *sæpissimè per maleficia falsitas locum obtinet veritatis*. Excussas vidimus Campionum vestes, ne qua in iis præstigiatrix herba delitesceret. Callidiore fraude ad eludendum Iudicium alii sacrum Chrisma putauerunt. Sic enim apud Burchardum interrogatur pœnitens. *Bibisti Chrisma ad subuertendum Dei iudicium?* Quamobrem Concilio Turonensi sub Carolo Magno vetantur Presbyteri *Sacrum Chrisma foras conclaue dimittere, vbi à quolibet attingi possit*. Et ratio additur. *Nam criminosos eodem vnctos, aut potatos, nequaquam vllo examine deprehendi posse, à multis putatur*. Id verò ad artes magicas reiicit Pœnitentiale Romanum Antonii Augustini. *Si quis manducat, aut bibit, aut portat super se vnde existimet Dei iudicium peruertere posse; & exinde comprobatus fuerit*, (quod interpretor, his rebus munitus, ad probationem fuerit admotus) *eadem sententia feriatur, qua magi, & arioli, & incantatores feriuntur*. Has fraudes vetari lege non pateretur prudentia, nisi forent in vsu promiscuo. Quid igitur certi ab illis Dei iudiciis expectes, quæ corrumpuntur à dæmone?

Burch. l. 19.

Concil. Turon. c. 20.

Pœnit. Rom. tit. 6. c. 6.

Periuria crebra in sacramentis.

Sed ne omnia humani mala ingenii refundamus in diabolum, in ipsâ Canonicâ probatione, in sanctissimo frequentissimoque iudiciorum illorum, quod est Sacramentum, quàm quotidiana, quàm impunita diuinitus, atque adeò quoties libris pœnitentialibus, & ciuilibus legibus repetita, & coërcita periuria reperiuntur, quod nos supra monstrauimus? Non est veritus dicere Agobardus, Gundebados quando vti testibus prohibentur, permitti peierare, quia sinuntur sacramento se purgare. Dicas apud plerosque hæc esse tanquam synonyma. Audi Ludouicum Pium. *Summopere admonendi sunt Comites & iudices ne viles & indignas personas coram se permittant ad testimonium accedere: quoniam multi sunt qui periurare pro nihilo ducunt: in tantum vt pro vnius diei satietate, aut pro qualibet paruo pretio, ad iuramentum conduci possint, animasque suas periurio perdere minimè formidant*. Quapropter ne lites in immensum protenderentur, cauit edicto Rex Theodericus, vt sacramento terminatæ censerentur, periurii cognitione Deo relicta. *Quoties aliquod negotium consensu litigantium, aut sententia iudicis Sacramentis fuerit definitum, retractari non poterit; nec de periurio agere cuiquam, vel mouere permittitur quæstionem*. Priùs ergo retractabatur, neque fides illi probationi præstabatur, cui erat familiare periurium. Atque si Deus tantam, tamque immediatam sui nominis iniuriam modo aspectabili rarò admodum vindicauit, quomodò apertum Dei iudicium igne vel aqua exprimi sperabimus?

Agobard. l. de Duel.

Ludou. Addit. 3. c. 36.

Edict. Theod. c. 106.

Quid est autem ea retractatio, nisi vlte-

Ab illis iudicijs vlterius appellatum est. rior prouocatio ab vno Dei iudicio ad aliud, ac etiam, si superis placet, ad humanum tribunal, quo prioris imbecillitas manifestè coarguitur. Non nisi persuasum esset hominibus, Deum illo modo consuetum semper respondere, quis eam sententiam pro decretoria non haberet? Quis ad alterum forum causam suam deferre auderet? Ac factum istud in Theutberga videmus à Lothario, qui criminis eiusdem accusationem retractans, petiit & Dei iudicium renouari. Et factiosi quidam neglecta prima feruentis aquæ purgatione, per quam restituta fuerat, velut ream coniugio regio iterum exturbarunt: at sapientiores hæserunt in dubio, & Hincmarum consulendum putauerunt. *Nec non & si in iudicio, vel in sacramento, fraus quæcumque reperta fuerit post datam purgationem, verum causa in iudicio vel sacramento purgata in iudicium debeat legale reduci.* Torquet se non minimum in respondendo Hincmarus, & licet sibi semper consentiens iudiciorum illorum auctoritatem constanter tueatur, negetque repetendum videri: aduocata tamen hypothesi, permittit iterationem. *Quapropter si in hoc iudicio per quodcunque ingenium fraudulentia reperitur, duplicata iudicij vltione, siue pro peccati admissione, siue pro infideli inlusione, causa in quæstionem, ratione docente, reueniat.* Ea quidem ad Laicam & secularem. *Quia etiam hæc femina suæ accusationis libellum, non Episcopis vt ibi scriptum est, sed Regi porrexit, & laicis sua crimina denudauit, Rex legale iudicium constituat & secundùm legem ac iustitiam coniugati laici Regis coniuges iudicent, & si de eorum iudicio, ad Episcopale iudicium venerit, secundùm leges Ecclesiasticas Episcopi ei iudicium medicinale (pœnitentiam Canonicam) imponant.* Ita credit Lindenbrogius, in duello, licuisse victis ad alium iudicem appellare: idque probat ex Collectione Decretorum antiqua. *Cum quidam eos semper furti crimine accusaret, cum eo, præter consuetudinem, coacti sunt inire duellum, in quo aliis peccatis suis præpedientibus ceciderunt. Præter quod, post appellationem ad nos interpositam, per Coss. Spoletanos, bonis fuerunt proprijs spoliati.* Ingens ostium hîc aperitur ad dubitandum de iudiciis istis omnibus. Nam si cadit accusatus dum probatur, quis dicat certò id fieri ob peccatum cuius agitur reus, an ob alia occultiora? Sin euadit illæsus, quis indubitatò neget id euenire ob grauiora fortasse, & nunquam punita crimina accusantis? Redeundum igitur ad humana iudicia, vt certiùs homines audiantur, quàm Deus.

Hincm. l. de diuort. c. 6.

Lindenbr. in Gloss. v. Duellum.

Ibid. c. 9.

Ibid. c. 1.

forte Proprijs.

Concluditur contra Gotteschalcum. Quibus omnibus accuratè perpensis, vt desinamus in Gotteschalco, cuius causa tota hæc disputatio laborat, non potest non damnari eius temeritas & arrogantia, qui iudicium illud expetiit, nouum & hactenus inauditum, sine sacramento Presbyter & Monachus, ignem sine ferro, liquorem sine aqua, totius corporis mersionem non in frigida. Laudanda ex aduerso Gallicanorum Antistitum sapientia, qui tam incertæ aleæ rem fidei committere recusarunt. Nam Polychronii quem in opere memorauimus, & similium Thrasonum exemplo monstratum est, hæreticos superba illa præsumptione velum peruicaciæ quærere, non testimonium veritatis.





APPENDICIS MISCELLANEÆ AD HISTORIAM GOTTESCHALCI.

OPVSCVLVM VII.

AVCTOR ANONYMVS DE EVCHARISTIA.

PRÆFATIO.



Institutum in hac quaestione tractanda.

ITIGIOSAM seculi noni Theologiam de Eucharistia magnis animorum viribus disputasse, docent ampla scriptorum monumenta quæ inde ad nos peruenerunt. In ijs Paschasium Radbertum Abbatem Corbeiæ strenuum Catholicæ fidei propugnatorem, Ratramnum ancipitem Gladiatorem, qui Catholicos modò lacessat, modo tegat: hîc amet, hîc oderit: Hincmarum inuictum veritatis athletam, Rabanum & Heribaldum passos calumniam, Ioannem Scotum prauum sanctissimi mysterij corruptorem legimus; miramúrque à quibus contentiones de Prædestinatione, & salutari Redemptione accipimus; ab ijsdem nostras de augustissimo Sacramento controuersias dimanasse. Et erit qui nos hoc tractatu Gotteschalcanæ causæ limites transilire criminetur, vbi si minùs quæstiones, actores certè illius controuersiæ, socios, aduersarios, iudices Gotteschalci intuemur? Quæsiuimus in Historia velut auctarium quoddam, seculi noni Illustrationem; *reperimus illorum tumultuum cum turbis nostris* Similitudinem: *& si Ioannes Scotus Gotteschalco non benè expugnato, per intermedium Berengarium, peruenit ad Caluinum; certè Ratramnus eodem peius instituto, Lutheri Caluinique asseclis alterum se ducem præbuit ad errandum. Quid quòd Præses amplissimus Dissertationis auctor, in ipso Gotteschalci magistrum producturus non studiosiùs Prædestinationis, quàm Eucharistiæ Catholicum professorem videri cupit & ab ipso vmbram omnem erroris auertendam clamat, qui manifestè Catholicorum æquè vt hæreticorum consensu transsubstantiationi repugnat? Non est igitur alienus à proposito labor, tales viros spectare extra Gotteschalcum. Imo ante Gotteschalcum: siquidem Paschasius Radbertus post erectum illud de Sacramentarijs tropheum, sub exitum vitæ inter Gotteschalci iudices in Concilio Carisiacensi priore sedit, eoque facto gloriosam vitam conclusit. Nam paulò post in Concilio Suessionensi II. non*

iam Paschasium legimus, sed Odonem Abbatem ex Monasterio Corbeiæ. *Fuit igitur hæc controuersia prior Gotteschalcanis tumultibus, & animis per eam ad contentiones excitatis, quæstio de Prædestinatione correpta est ab inquietis auidiùs, quàm ignis à palea: quæ est Hincmari comparatio.*

De hoc auctore iudicium.

Ad hoc porro studium inuitat me auctor quidam incertus, ex Sirmondi Musæo eductus, cui ego nomen facio, Anonymus, nondum quod sciam Typis editus, sed erudita magni Perronij Cardinalis manu versatus, quem se à Nicolao Fabro V. Cl. mutuum accepisse narrat. De quo ad Calcem scripti sua manu hoc Sirmondus adiecit. Extat idem Opusculum etiam in Monasterio Corbeiensi, & huic subiicitur Hugonis Lingonensis Episcopi Epistola, de Sacramento altaris, quæ edita est cum Lanfranco, Guitmundo & Algero. *Decebat quippe asseruari Corbeiæ, vbi olim vixerunt Abbas Paschasius qui eo defenditur, Ratramnus Monachus, qui reprehenditur. Eundem producens* David Blondel, *vnus è ducibus Clarissimi Dissertatoris, in Elucidationibus Eucharisticis, manuscriptum ait plurimorum per Gallias & Angliam manibus teri. Certum auctoris tempus ne potiùs à me expecta, quàm nomen. Vt* incertum, *sic* antiquum *vocat charta Sirmondi, præterea nihil. Perronius refert ad Carolum Caluum, hoc est; ad nostrum istud seculum, quia de Paschasio, Radberto, & Rabano, velut de recentibus loquitur. Sed illud in eius verbis non deprehendo: imò Ratramnum nominat, tanquam parum sibi cognitum. Quis autem ætate Caroli Calui & Rabani, Ratramnum Corbeiensem ignorauit? Quid quod hæc in auctore lego Algeri dictis simillima, si non & eadem? Erit ergo cuiusque arbitrium, vtrum ab altero mutuatum existimet, hunc nostrum ab Algero, an ab hoc nullius nominis Opusculo virum eruditione præstantem? Quid si vnum esse credimus de primis Fulberti Carnotensis discipulis, ac Corbeiensem fortasse Monachum, qui veteres de Eucharistia errores debellare voluerit, ne Berengarius nouos procuderet, & è Monasterio suo Ratramnum Sacramentariorum Antesignanum educeret, ostentandum Berengario Abbatis Radberti stilo confossum? Sed hæc intra diuinationem sunt.*

Blondel. l. Elucidat. de Euchar. c. c. 18.

Eius methodus et stilus.

Ceterum hunc quisquis tandem est, auctorem non describo, quòd illi multum scientiæ vel auctoritatis inesse putem aut asserere velim: quippe qui cum Hugonis Epistola non est dignus publica luce iudicatus; & mihi multa non persuadet; & longè petitis, atque implicatis rationibus res clarissimas obscurat. Sed quòd auctorum in Gotteschalco productorum memoriam mihi refricet, & hac etiam parte ad maiorem illorum notitiam industriam posterorum exacuat. Quamobrem opus istud leuidense notis illustrare otiosum puto & inutile, in capita titulosque, conciliandæ perspicuitatis gratiâ, diuidere, & disputatam à nostris illis auctoribus quæstionem explanare contentus. Propositum scriptoris est veritatem Catholicam Eucharistiæ sacramenti pro virili tueri, aduersùs errores oppositos: occasionem sumit ex Paschasio Radberto, cuius veram doctrinam simpliciùs aliquando prolatam, malè ait oppugnari, tum à Ratramno solam vmbram Corporis sub speciebus affirmante; tum à Stercoranistis realia & substantialia omnia in Mysterio cernentibus. Statum quæstionis suo loco ponemus. Stilus vt talium temporum in nudis Patrum auctoritatibus: Philosophiæ cognitio pertenuis, historiæ nulla. In eo proinde præter Zelum, & conatum, laudandum nihil. Antiquitatem tamen licet informem, libenter aspicient eruditi: veritatem Eucharistiæ defensam Catholici: Paschasii & Ratramni contentionem studiosi.

DE EVCHARISTIA.

Auctor incertus. Sed antiquus. Ex Musæo Sirmondi.

PROOEMIVM.

SICVT ante nos dixit quidam Sapiens, cuius sententiam probamus, licet nomen ignoremus; *Intuentes*, inquiens, *Apostoli sententiam, quæ dicitur, quòd animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei, hæsitamus vehementer, ne minùs spiritaliter viuentes, cùm de spiritualibus responsa damus, qualia forte necdum percepimus, in lapidem offensionis, & petram scandali incidamus.* Sed iterum cum internum aspectum ad eum dirigimus qui dixit, *aperi os tuum & adimplebo illud*, fidei integritate manente, prouocamur respondere, de quo dignum est non tacere: videlicet de mysterio Corporis & Sanguinis Domini; dicentibus quibusdam idem esse quod sumitur de altari, quod & illud quod natum est ex Virgine: aliis autem negantibus, & dicentibus aliud esse: quibusdam etiam diabolica inspiratione blasphemantibus, secessui obnoxium fore. Super quibus periculosum esset aliquid respondere, sed magis aures obturare, nisi periculosius foret eos talia proposuisse: quia hoc esset pro lacte ab vberibus butyrum, aut sanguinem elicere. *Mel*, inquit Sapientia, *inuenisti? Comede quantùm sufficit, & noli nimius scrutator esse maiestatis, ne opprimaris à gloria.* Et his quidem qui dixerunt secessui obnoxium, (quod nunquam antea est auditum) id est, Heribaldo Autisiodorensi Episcopo, qui turpiter proposuit; & Rabbano Maguntino, qui turpiùs assumpsit, turpissimè verò conclusit, suus ad respondendum locus seruetur. Propter eos autem, qui idem quidem natum ex virgine, aut aliud dixerunt esse, diuersæ sanctorum sententiæ Patrum ponantur, quæ eis quidem videntur diuersæ, sed possent sufficere, si ad plenum & discretè essent intellectæ.

1. Cor. 2. — Ps. 80. — Prouerb. c. 25. — al. si vis. — al. districtè.

CAPVT I.

Paschasii Radberti sententia, quæ sit, & à quibus oppugnata.

DIco autem Paschasium Radbertum, Corbeiensem Abbatem, qui rogatus incertum, an prouocatus? scripsit de eadem re libellum, ad centum ferè Capitula satis vtilem quem cum resperserit multa multorum auctoritate Patrum, ponit ex nomine Beati Ambrosii, *quod non alia planè sit caro quæ sumitur de altari, quàm quæ nata est de Maria Virgine, vt passa in cruce, & quæ resurrexit de sepulchro, quæque pro mundi vita adhuc hodie offertur.* Contra quem satis argumentantur & Rabbanus in Epistola ad Egilonem Abbatem, & Ratramnus quidam libro composito ad Karolum Regem, dicentes, aliam esse; vel testimonio Beati Hieronymi, qui dicit dupliciter dici corpus Domini: vel ex auctoritate Beati Augustini, qui dicit tripliciter dici: & quia contendunt in libris Beati Ambrosii non ità ad literam inueniri, ponemus non solùm eius immutabiliter dicta; sed & Beatorum Augustini, & Hieronymi, & ceterorum, vt sunt inuenta: vt his diligenter perspectis, cui Deus, aut per quem dignatus fuerit aperire, pateat, & tantos viros non dissentire, & in Catholica Ecclesia vnum & idem debere omnes sapere, & schisma non esse. Verùm cum ad eos venerimus, qui moderno tempore his contentionibus non timuerunt inseruire, & ob hoc nihil dignum meruerunt definire, nec posteritati venturæ potuerunt satisfacere, illud Beati Hilarij non dubitamus inculcari. *Non est*, inquit, *humano, aut seculi sensu in Dei rebus loquendum, neque per violentiam, aut impudentem prædicationem cælestium dictorum sani-*

Hilar. l. 8. de Trinit.

al. violentam atque impudentem. al. procella

tati, alienæ, atque impiæ intelligentiæ extorquenda peruersitas. Quæ scripta sunt legamus; quæ legerimus, intelligamus, & tunc perfectæ fidei officio fungemur. Hæc contra eos qui dicunt categorizasse, vbi ait, *Omne quod intrat in os, &c.* Vel contra eos qui dogmatizant, quicquid de Corpore Domini dicitur, vel in veritate, vel in figura; ac per hoc in vmbra dici. Sed de his posteriùs.

CAPVT II.

Ea sententia Patrum auctoritate probatur.

Ambros. l. de his qui Myst. initiantur c. 8. Ibid. c. 9.

NVNC vt se se habent Sanctorum Patrum dicta, immutabiliter ponamus. Ambrosius in libro de Sacramentis. *Ista esca*, inquit, *quam accipis; iste panis viuus qui de cælo descendit, vitæ æternæ substantiam subministrat: & quicunque hunc manducauerit, non morietur in æternum, & corpus est Christi.* Item. *Liquet igitur quòd præter naturæ ordinem Virgo generauit, & hoc quod conficimus corpus, de virgine est: quid hic quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse Dominus Iesus natus ex Virgine? Vera vtique caro Christi quæ crucifixa est, quæ sepulta est; veræ ergo illius carnis Sacramentum est.* Item. *Sicut verus est filius Dei Dominus noster Iesus Christus, non quemadmodùm homines per generationem, sed quasi filius ex substantia Patris: ità vera caro, sicut ipse dicit, quam accepimus, & verus est potus.* Leo Papa. *Sic sacræ mensæ communicare debetis, vt nihil prorsus de veritate corporis Christi, & sanguinis ambigatis.* Augustinus *Suscepit Christus de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit: & quia in ipsa carne ambulauit, ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit.* Basilius. *O miraculum! O Dei in nos beneuolentia! Qui sursum sedet ad dexteram Patris, sacrificij tamen tempore hominum manibus continetur, traditurque lambere cupientibus eum, & cum benedictione complecti, fitque hoc totum sub oculis humanis.* Item ipse. *Cum* inquit, *Sacerdos etiam Spiritum Sanctum aduocauerit, & reuerendam illam immolauerit Hostiam, communemque Dominum subinde contigerit.* Et reliqua. Gregorius. *Christus resurgens ex mortuis, licet iam non moriatur, & mors ei vltra non dominetur, tamen in seipso immortaliter atque incorruptibiliter viuens pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur.* Hæc ideo posita sunt, si forte per ea simplicitas Paschasii Radberti possit excusari, vnde maximè ab obloquentibus Rabano, & Ratramno sugillari videtur, quia dixerat, *eandem esse carnem quæ de altari sumitur, & de Virgine generatur, & quæ quotidiè adhuc pro mundi salute immolatur.* Quia licet nobis placeat gratius & iocundius, quàm quod de hoc mysterio valet dici sublimius, tamen quid obloquutores eius, quòd non sit eadem, breuiter ponamus.

S. Leo Serm. 6. citatur locus integer à Lanfranco. August. in Ps. 98

Deest vox asserunt aut similis.

CAPVT III.

Dicta Patrum contra Paschasij Radberti sententiam allata proponuntur.

Hierony. in epist. ad Ephes. c. 1.

HIERONYMVS, *dupliciter*, inquit, *Sanguis Christi, & caro intelligitur: vel spiritualis illa atque diuina, de qua ipse dicit, Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus: vel caro quæ crucifixa est, & sanguis qui militis effusus est lancea.* Augustinus autem scribens corpus Christi tripliciter dici posse, id est Ecclesiam, id est, qui corpus Christi sumus: & istud mysterium, quod ex substantia panis & vini per Spiritum Sanctum consecratur, subintulit dicens. *Ceterùm istud corpus, quod de Maria Virgine natum est, quod pependit in cruce, in quo istud transfertur, sepultum est in sepulchro, resurrexit à mortuis, penetrauit cælos, & Pontifex factus in æternum, quotidiè interpellat pro nobis: ad quem, si rectè communicamus, mentem dirigimus, vt ex ipso & ab ipso, nos corpus eius, carnem ipsius, illo manente integro, sumamus, quæ nimirum caro ipsa est, & fructus ipsius carnis, & idem semper maneat, & vniuersos qui sunt in corpore, pascat.* Idem Fulgentius, *firmissimè tene, & nullatenus dubites, ipsum vnigenitum Deum,*

Non reperitur in libris Augustini qui extant.

Fulg. l. de fide ad Petr.

Verbum carnem factum, se pro nobis obtulisse sacrificium & hostiam Deo in odorem suauitatis. Cui cum Patre & Spiritu Sancto à Patriarchis, Prophetis, & Sacerdotibus tempore veteris Testamenti animalia sacrificabantur: & cui nunc, id est, tempore noui testamenti, cum Patre & Spiritu Sancto, cum quibus illi est vna diuinitas, sacrificium panis & vini in fide & caritate, sancta Catholica Ecclesia per vniuersum orbem terræ offerre non cessat. In illis enim carnalibus victimis significatio fuit carnis Christi, quam pro peccatis nostris ipse sine peccato fuerat oblaturus, & Sanguinis, quem erat effusurus in remissionem peccatorum nostrorum. In ipso autem sacrificio, gratiarum actio, atque commemoratio est Carnis Christi, quam pro nobis obtulit, & Sanguinis quem pro nobis idem Deus effudit: de quo Beatus Paulus Apostolus dicit, in Actibus Apostolorum: attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. In illis ergo sacrificijs quid nobis esset donandum figuratè significabatur. In hoc autem sacrificio, quid nobis iam donatum sit euidenter ostenditur. Eusebius, *Quia Christus corpus assumptum ablaturus erat ab oculis nostris, & sideribus illaturus, necessarium erat vt nobis in hac die Sacramentum & Corporis & Sanguinis consecraret, & coleretur iugiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretium: vt quia quotidiana, & indefessa currebat pro hominum salute redemptio, perpetua esset etiam redemptionis oblatio, & perennis illa victima viueret in memoria, & semper præsens esset & in gratia. Verè vnica & perfecta hostia, fide existimanda non specie; nec exteriori censenda visu, sed interiori affectu; Vnde meritò cælestis confirmat auctoritas, quia caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui auctor est muneris, ipse etiam testis est veritatis.* Poteramus & aliorum tam antiquorum, quàm modernorum, sed & ipsius Ambrosij dicta his consentanea ponere, nisi putaremus posse sufficere.

CAPVT IV.

Dictorum quæ videtur discrepantia, soluitur.

VIDENTVR hæc dici figuratè, & tamen corpus esse Christi in veritate? Sed hoc non intelligentes, nec ad liquidum discernere valentes, sed potius maiorem minùs capacibus errorem immittentes, non attendentes quod supra dixit Hilarius; *Non est humano, aut seculi sensu in Dei rebus loquendum*: Argumentantur: aut omnino figuratum est, & nihil veritatis in hoc mysterio constare: aut si veritas sit, iam non figuram tantummodo esse. Sed Paschasius Radbertus, sicut & alia multa in eodem libro vltra humanam existimationem vtiliter tractat, ità & huic Sophismati fortiter obuiat, dicens figuram non semper vmbram esse & iure simul hoc mysterium & figuram, & veritatem dici posse. Quod si quis pleniùs voluerit scire, de eius volumine plena fulto auctoritate poterit mutuari. Nos autem non alta sapientes, sed humilibus consentientes, simpliciter fatemur quòd figura est, dum panis & vinum extra videntur; veritas autem dum corpus & sanguis Christi in veritate interiùs creditur. Et quemadmodum quidam Sapiens moderno tempore dixit: *Sicut omnia in Christo vera credimus, veram videlicet diuinitatem, & veram humanitatem, verum verbum, veram carnem, verum Deum & verum hominem; ità in mysterio corporis & sanguinis eius, quod virtute cælestis benedictionis, & Verbi diuini in id quod non erat consecratur, nihil falsum, nihil friuolum, nihil infidum sentiamus.* Sed quid ad nostram tantillitatem, de tantorum, quorum prælibata sunt dicta, virorum discrepantia, sed videntibus consentanea, dijudicare? Ac forte omnipotens Deus, & nostræ humilitatis conscius, & magis fidelium suorum, non impiè dubitantium saluti & hæsitationi sanandæ prouidus, dignabitur patefacere per nostræ inquisitionis munus: vt & tantæ vtilitatis, quæ in eodem est, propter vnum verbum non depereat opus: & Beati Ambrosij, cuius præ ceteris libri indigent expositore, quia nullus Latinus ita Græcos sequutus videtur esse; ipsius, inquam, auctoritas palmam digna sit obtinere.

Cyrillus. *Necessariè igitur & hoc dicimus. Adnunciantes enim eam, quæ secundùm carnem, mortem vnigeniti Filij Dei, hoc est, Iesu Christi, & ex mortuis resurrectionem, in cælos ascensionem, pariter confidentes, incruentam celebramus in Ecclesiis sacrificij virtutem; sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus, & sanctificamur, efficimurque participes san-* v. Cyril. Alexandr. l. 4. in ioan.

stæ carnis, & pretiosi sanguinis nostri omnium Seruatoris Christi: & non quasi carnem communem accipientes (absit) neque etiam carnem viri sanctificati, & verbo coniuncti secundùm dignitatis vnitatem, aut sicut diuinam possidentes habitationem: sed vt verè viuificatricem, & ipsius verbi propriam factam. Vita enim naturaliter vt Deus existens, quia [Forr. possidentis] *propriæ carni vnitus est, viuificatricem esse eam professus est: & ideo, quamuis dicat ad nos, Amen Amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem Filij Hominis, & biberitis eius Sanguinem: non tamen eam vt hominis vnius ex nobis existimare debemus. Quomodo iuxtà naturam suam viuificatrix esse caro hominis poterit? Sed vt verè propria eius facta, qui propter nos Filius Hominis est factus & vocatus.*

Magna auctoritas tanti viri, qui & carnem Christi verè viuificatricem esse dixerit, & ipsius Verbi propriam factam, & vitam naturaliter existentem. Huius itaque tanti viri auctoritate, soluitur ambiguum omne, quod Beatus Ambrosius dimisit in subauditione: naturalem scilicet carnem Christi quæ sumitur de altari, eandem fore quæ de Virgine nata est: & idcircò siue secundùm Hieronymum dupliciter siue secundùm Augustinum tripliciter dicatur corpus Christi, spiritaliter debet dici, cum non sit naturaliter vnum. Vnde & Augustinus, *vt ex ipso*, inquit, *& ab ipso nos corpus eius carnem ipsius, illo manente integro sumamus.* Quàm benè facta distinctio! quod ita construitur: *Vt nos* inquit, *qui sumus corpus eius*, id est Ecclesia, *ab ipso* qui natus est de Virgine Maria, *ex ipso*, id est carnem eius quæ consecratur in altari, *illo manente integro sumamus.* Vt autem certiùs demonstret idem Beatus Cyrillus hanc triplicem secundùm Augustinum distinctionem spiritualiter dictã naturaliter esse vnam. *Non*, inquit, *viri sanctificati, & verbo coniuncti secundùm dignitatis vnitatem, & Verbo coniuncti secundùm dignitatis vnitatem, ac sicut diuinam possidentes habitationem, sed verè viuificatricem, & ipsius Verbi propriam factam.* Ariani etiam qui [Ioan. c. 6.] negabant vnam Patris & Filij substantiam, illud quod ipse Filius dicit: *Ego & Pater vnum sumus*, asserebant intelligendum ex concordia voluntatis, non ex æqualitate substantialitatis. Quos manifestius confutat Sanctus Hilarius verè [Hilar. l. 8. de Trinit.] Romanorum Lucifer, qui ad intelligendum quod Cyrillus dixerat, valdè & multipliciter iuuat. *Eos*, inquit, *nunc qui inter Patrem & Filium voluntatis ingerunt vnitatem, interrogo, vtrum-ne per naturæ veritatem hodie Christus in nobis sit, an per concordiam voluntatis? Si enim verè Verbum caro factum est, & verè nos Verbum carnem* [al. carnem cibo domini v.] *factum, cibo dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est,* [al. iam inseparab.] *qui & naturam carnis nostræ inseparabilem sibi homo natus assumpsit, & naturam carnis* [al. carnis admiscuit.] *suæ ad naturam æternitatis sub sacramento nobis communicandæ carnis suæ admiscuit? Ita enim omnes vnum sumus, quia & in Christo Pater est, & Christus in nobis est. Quisquis ergò naturaliter Patrem in Christo negabit, neget priùs non naturaliter vel se in Chri-* [al. Christi sibi inesse.] *sto, vel Christum in se non esse: quia in Christo Pater, & Christus in nobis vnum in his esse* [al. vnum faciunt.] *non faciunt. Si verè igitur carnem corporis nostri Christus assumpsit, verè homo ille, qui ex Maria Virgine natus fuit, Christus est, nos verè sub mysterio carnem corporis sui sumimus,* [al. nosque verè.] *& per hoc vnum erimus, quia Pater in eo est, & ille in nobis; quomodo non voluntatis vnitas asseritur, cum naturalis per Sacramentum proprietas, perfectæ sacramentum sit vni-* [Post pauca. Ioan. c. 6] *tatis: Ipse enim ait: Caro mea verè est esca, & sanguis meus verè est potus: qui edit carnem meam, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in eo. De veritate carnis & sanguinis non relictus est ambigendi locus. Nunc enim & ipsius Domini professione, & fide nostra verè caro est, & verè sanguis est: & hæc accepta, atque hausta id efficiunt, vt & nos in Christo, & Christus in nobis sit. Anne hoc veritas non est? Contingat planè id verum non esse, qui* [al. his verum non. al. in eo, dum sumebat quod.] *Christum Iesum verum esse Deum negant. Est ergo in nobis ipse per carnem & sumus in eo secundùm hoc quod nos sumus, in Deo est.* Ità post pauca. *Hæc ergo vitæ nostræ causa est, quam in nobis carnalibus per carnem Christum manentem habemus, victuris nobis per eum, ea conditione, qua viuit ille per Patrem. Si ergo nos naturaliter secundùm carnem per eum viuimus, id est, naturam carnis suæ sumus adepti, quomodo non naturaliter secundùm spiri-* [al. Patrem habeat.] *tum in se Patrem habens, cum viuat ipse per Patrem.*

Hic videndum est quomodo per id etiam, quod hæreticis erat indubitatum, voluerit arguere quod erat dubium. Dubitabatur ab eis de vnita Patris & Filij substantia; quia quod dictum est, *Ego & Pater, vnum sumus.* Ad vnanimitatis referre consensum moliebantur, vt vnitas solùm esset sublimitatis, non naturæ, si- [Act. c. 4.] cut *multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna.* Indubitatum verò erat, quòd verè verbum caro factum fuerat. Nihilominùs quia Deus naturam carnis nostræ inseparabilem sibi homo natus assumpsit, & naturam carnis suæ ad naturam

æternitatis ſub Sacramento hoc nobis communicandæ carnis admiſcuit, ac per hoc nos in Chriſto vnum corpus efficimur; & ideo per hoc omnes in Deo Patre & Filio vnum ſumus. Quia Pater in Chriſto, & Chriſtus in nobis eſſe probatur. Videamus diſtinctionem. Primò, Chriſtus naturam noſtræ carnis aſſumpſit, cum de Virgine natus homo proceſſit. Ecce caro de Virgine ſub ſacramento communicandæ carnis. Ecce quod ſumitur de altari. Ad naturam æternitatis nos vniuit. Ecce corpus noſtrum, quod eſt Eccleſia. Iam credo patere quod Beatus Ambroſius dixit, eandem eſſe, vt ſubaudiatur naturaliter; & Auguſtinus & Hieronymus & Fulgentius, aliud eſſe, vt ſubaudiatur ſpecialiter. *leg. ſpiritualiter.*

CAPVT V.

Argumento dialectico eadem veritas confirmatur.

ET quia cultus iuſtitiæ pietas eſt, vel ſapientia pietatis eſt fructus, aliquando ſimplices & idiotæ, feruentes verò bonis operibus, & pietate, meliùs profecerunt pura fide, quàm fucato ſermone. Senes in vita Patrum, alium æquè ſenem, ac virum ſanctum, ſed ſuper hoc myſterio dubium, non dialecticis argumentationibus, ſed verbis ſimplicibus, & oratione compulerunt ad credendum illud quod ſumimus de altari, naturaliter eſſe corpus Dominicum, & in veritate non figuratum. Ecce quantùm fides proficit, vbi ſermo deficit. Et nos aliquando antequam tantorum virorum, Cyrilli dico & Hilarij, auctoritatibus inſtrueremur, hanc ſupradictorum ſanctorum, quæ poſterioribus viſa eſt diſcrepantiam alicuius argumenti dialectici ſede abſoluere meditabamur. Non enim ars illa quæ diuidit genera in ſpecies, & ſpecies in genera reſoluit, ab humanis machinationibus eſt facta, ſed in natura rerum ab auctore omnium artium, quæ verè artes ſunt conditæ & à ſapientibus inuentæ, & ad vtilitatem ſolertis rerum indaginis ſunt vſitatæ, ſicut ſcriptum eſt, *Producat terra animalia in ſpecies ſuas.* Sed primò occurrebat aliquam medietatem Arithmeticæ ponere, ſecundùm aliquam de proportionalitatibus numerorum, quas in propoſitionibus, inque differentiis numerorum contemplamur. Sed nec & iſta humanis machinationibus facta, quia ineffabilis atque diuinæ virtutis in ea eſt ſapientiæ conſtantia, ad quam dicitur: *Omnia in menſura, pondere, & numero conſtituiſti.* *Sap. c. 11.*



Conſtituantur duo termini ſupremi, & horum medius, æquis quidem differentijs proportionaliter differentes. Ad hanc ſimilitudinem iterum conſtituantur duo termini ſupremi, prædicatus & ſubiectus, & horum medius ſubalternus, vt ſicut primus prædicatur de medio, ita medius de vltimo, & per hoc, primus de vltimo: ſubſtantia, animal, homo. Ne ergo dubites vltimum ineſſe primo, id

est, primum prædicari de vltimo, cum si vltimus insit medio, medius verò primo, certissimè & vltimus inest primo. Per hanc enim similitudinem & cosmopœia, id est, mundi factura solidata est: scilicet quòd duo extrema id est ignem & terram, duo media, id est, aër & aqua indissolubiliter deiunxerunt. Et hæ quidem similitudines sunt, quæ non ex toto, sed ex parte sui, sicut & aliæ multæ in diuinis scripturis, aptantur triplicitati secundùm Augustinum, corporis diuini. In istis enim similitudinibus, maior terminus, & minor, & prædicatum, & subiectum inuenitur. In Sacramento autem Corporis Domini, quod diuina & humana ...... nil maius & minus, non prædicatum & subiectum reperitur. Non est enim diuersitas, vbi est vnum. *Vnus panis*, ait Apostolus, *vnum corpus multi sumus in Christo.* Et *erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc*, ait Apostolus, *magnum est: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*: vel in nobis, qui sumus Corpus Christi, quod & Ecclesia; & in carne Christi, quæ nata est de Virgine Maria; quibus, & cui interuenit media, quæ vtraque vniat, quæ sumitur de altari dignè percepta.

loci deuictis, aut quid simile. 1. Cor 10. Ephes. c. 5.

Quam triplicitatem, sed vnitam, significauit Dauid in libris Regnorum, cum ferebatur in manibus suis. Non enim ad Litteram, quisquam ferri potest in manibus suis: sed verus Dauid, id est, Christus ferebatur in manibus suis, quando recumbens in Cœna, cum integro corpore, quod natum fuerat de Virgine in morte ponendo, resurrecturo, cælis iam glorificato inferendo, ad dexteram Patris collocando, corpus quod nos sumimus de altari, manibus suis, id est, vero suo corpori connaturale, & conformatum, discipulis suis, id est, corpori suo quod nos sumus, vel Ecclesiæ obtulit communicandum. *Nemo*, quippe, *ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo*; sed caro ascendit, quæ non descenderat: iam quippe Deitati vnita erat: vnde & Beata Maria non solùm Christotocos, sed etiam Theotocos meruit fieri. Quapropter sic intelligendum est, *Nemo ascendit in cælum* cum carne, *nisi qui descendit de cælo* cum Deitate. Ad hoc enim factus est particeps humanitatis nostræ, assumendo carnem nostram de Virgine; vt nos, id est, Ecclesiam, participes factos diuinitatis suæ, vnica corpori suo sumpto de Virgine, Eucharistia, quæ sumitur de altari, mediante, & conformante. Ipse namque *reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Ergò sicut pater in filio per diuinitatem naturaliter, & sicut nos in eo sumus per mutationem carnis naturaliter, dum secundum hoc quod nos sumus, in Deo est: ita naturam carnis suæ ad naturam æternitatis, sub sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit, sicut ait ipse Christus, *vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint*; Et iterum, *vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus*. Et, *Ego in eis, & tu in me.* Ecce euidens & manifesta ex ipsius Christi Domini nostri ore facta distinctio. Ponamus figuram.

1. Reg. 21. iuxta 70. August. in ps. 33. conc. 1. Ioan. c. 3. Philipp. c. 3. Ioan. c. 17.

Christus.	Eucharistiam.	Ecclesia.
Inconsumptibilis.	Sumendam.	Sumens.
Inuescibilis.	Vescendam.	Vescens.
Dat.	Datam.	Accipit.
Ab ipso.	Ex ipso.	Corpus eius.

Quod ita potest construi. Christus inconsumptibilis, inuescibilis, Eucharistiam sumendam, vescendam dat ex ipso: Ecclesia corpus eius, sumens, vescens, accipit ab ipso

ab ipso datam. Quod nisi ita construatur, putabit aliquis esse accusatiuum casum, quem nos dicimus nominatiuum, Ecclesia quod est corpus eius.

Accipit itaque Christus carnem nostram, non phantasticam, sed naturalem. Ergo & nostra caro naturalis vnde sumpta est illa: sed & illa naturalis quæ vniret vtrasque & faceret connaturales, connaturalis & ipsa. *Sed* vt ait quidam Sapiens, *non hoc plures carnes, vel plura corpora, sicut nec multa sacrificia, sed vnum, licet offeratur à multis per loca diuersa & tempora. Quia diuinitas Verbi Dei quæ vna est, & omnia replet, & tota vbique est, ipsa facit vt non sint plura sacrificia, sed vnum, licet à multis offeratur. Et fit vnum corpus Christi cum illo, quod suscipit in vtero virginali: verè enim est incontanter credendum in ipsa immolationis hora ad Sacerdotis precem cælos aperiri, & illud Angelico ministerio in sublime deportari altare, quod est ipse Christus, qui & Pontifex, & hostia, contactuque illius vnum fieri. O quales,* vt ait Sanctus Basilius, *oportet esse manus Sacerdotis, quæ tantarum rerum ministræ communem Dominum Angelico reuectum officio subinde contigerint!*

CAPVT VI.

Paschasii Radberti excusatio.

SEd iam Paschasium Radbertum sufficiat excusatum, librumque eius plurimorum auctoritate defensum: qui in hoc tantùm peccauit, quia de sententia Beati Ambrosii non verbum de verbo, sed sensum de sensu expressit.

Quod autem iterum obiiciunt, eum dixisse, totiens Christum pati, quotiens missas contingat quotidie vbique celebrari. Ego certè in libro eius non reperi, cum & Augustinus & ceteri, *illo manente integro,* dicant. Et sanctus Andreas; *Agnus,* inquit, *in suo regno integer perseuerat, & viuus.* Et Beatus Petrus: *Christus,* inquit, *semel pro peccatis nostris mortuus est.* 1. Petr. 3. Et Paulus. *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur.* Et pene totus Epistolæ textus ad Hebræos idem sonat. Rom. c. 6. Sed illorum iam ineptiæ respondendum, qui humano aut seculi sensu, in Dei rebus putant loquendum.

CAPVT VII.

Contra eos qui dicunt Corpus Christi secessui fore obnoxium.

DOminus etenim noster non de spirituali cibo, sed de carnali loquutus est dicens: *Omne quod intrat in os, in ventrem vadit, & in secessum emittitur:* Math. c. 15. Nos autem in scripturis *Omnis,* non semper pro categorico syllogismo, id est, prædefinitè accipitur; cum & si de corde puro exeunt cogitationes malæ, vt idem Dominus dicit, non possint exire & bonæ. fort. vero calumniati sunt hæretici, ex hoc sermone, Dominum Physicæ ignarum fuisse. Physica enim sic se habent. Ignea virtus cuius sedes in corde est, cibi potusque subtilem per multos poros in diuersas partes corporis vaporem distribuit; fæculentum verò in secessum discernit. Et nos sæpe videmus non modò infirmos, sed etiam sanos, quod per os intromittunt, per vomitum reiectare, & aliquos per multa tempora sine digestione vixisse. Et licet quod sumebant per nauseam stomachi reuomeretur, subtilior tamen succus per membra, vsque ad vngues diffundebatur. Ergo dicendum Dominum non prædefinitè loquutum, aut quemcunque porum corporis, quo se subtilis cibi vapor diffundit, secessum dictum: & hoc ne hæreticus garrat. Ceterùm quòd verè credimus, non solùm animam, sed & carnem nostram hoc ministerio recreari (totum enim hominem assumpsit, qui totum hominem in Sabbato curauit) carni quidem caro spiritualiter conuiscerata transformatur, vt ex Christi substantia in nostra carne inueniatur: sicut & ipsum nostram in suam constat assumpsisse diuinitatem, vt qui manducat eius carnem, & bibit eius sanguinem, viuat per animam & nunc, & in æternum; & caro de terræ puluere resuscitata viuificetur, & in nouissimo die. Quapropter cuius potenti virtute panis iste communis quem quotidie sumimus, cum sit candidus, mutatur intra nos in colorem sanguineum, vel alium humorem fluidum: ipsius potentia caro & sanguis eius sumpta, non in noxium & superfluum humorem, sed in carnem verè resuscitandam debet reseruari conformata.

Et quia totum quod diximus, non ex nostro sumpsimus, de isto etiam quod quidam Sapiens definierit, dicamus. *Scimus*, inquit, *hoc Sacramentum mysterio & reuerentia omnimodis à communibus cibis secernendam, qui naturali & necessario vsu sumuntur. Ita enim omnes exposuerunt quod Apostolus dicit, non diiudicans corpus Domini; id est, à ceteris escis non discernens vel cuius excellentiæ sit non considerans, quod vnum idemque est.* Non enim eius excellentiam reueretur, qui secessui dicit obnoxium, sicut ceteras escas: sed tamen eodem modo, quantùm ad comestionem & haustum pertinet, percipitur: videlicet traiiciendo per os, & in ventrem mittendo: vbi quid Dominus de mysterio suo agere voluerit, suæ scimus tantùm cognitum voluntati. Scimus enim consumi posse spirituali virtute: scimus & seruari posse inconsumptibili perennitate: quia quæque ex his Christus elegerit, de suo sacramento perficit. Absit tamen vt tantum mysterium secessui fiat obnoxium: in quo si forte ordo naturæ seruatur, mysterium, quod sola fide conspicitur, humiliatur. Si corpus in corpore ordinem seruat, non violatur mysterium quod diuinitatis formauit Sacramentum: nec spiritus amittit, quod fide integra in re corporali spiritualiter sumpsit.

1. Cor. 11.

Sed iam forti Syllogismo, quod præmisimus concludamus. Diximus Dominum non de spiritualibus escis, sed de carnalibus dixisse, *Omne quod intrat in os*, & reliqua. Propositio. Est homo exterior qui corrumpitur; est interior qui renouatur. Assumptio. Est autem corpus Christi spiritalis alimonia pertinens potiùs ad interiorem hominem, de quo digestio non prædicatur. Quòd si & ad exteriorem pertineat hominem, pium sit tamen & salutare credere diffundi per membra, profuturum *resuscitandis* in generali resurrectione. Conclusio. Liquet igitur non obnoxium secessui esse.

IN SACRAMENTVM DE EVCHARISTIA:

AVCTOR ANONYMI.

NOTÆ

Ad explicandam controuersiam pertinentes.

IN PROOEMIVM.

Status quæstionis proponitur.

AD ILLVD.

Dicentibus quibusdam idem esse, quod sumitur de altari, &c.

Facile est labi Patres legendo.

MEditanti mihi summa potiùs rerum capita historiæ finitima, quam voculas & apices scripti huius perscrutari, occurrit in primis deploranda contentiosi seculi simplicitas, quę subtilioris Theologiæ præsidio destituta, de nudis Patrum dictis digladiabatur. Nam & hic auctor ex Hieronymi & Augustini quadam sententia, sumptam ab aliquibus ait errandi occasionem: & Frudegardus S. Paschasium Radbertum consulens, verbis S. Augustini se testatur induci ad credendum, *tropicam loquutionem esse, vt corpus Christi & sanguis esse dicatur*. Cui respondens Radbertus, post explicatum magni doctoris locum, sapienter addit, *Ex quo datur intelligi, quia non omnes qui beatum Augustinum legunt, intelligunt*. Quod ad plerosque huius tempestatis disceptatores iure transtuleris; qui doctrina Augustini præter meritum gloriantur. Eodem sanè morbo laborauit & Guitmundi seculum, qui Patrum locos tractare his verbis aggreditur. *O viri insipienter sapientes, nec Augustinum, nec cæteros auctores sanctos, nec consueta Ecclesiæ verba intelligentes, aut certè malè peruertentes præclara diligentia!*

Paschas. Radb. ep. ad Frudeg.

Augustinus non semper intelligitur.

Guitm. l. 2. de verit. Euchar.

Qua exprobratione nulla iustior in omnes nouatores immitti potest, Augustinum, & Patres inanissima vanitate iactantes.

Disputationum obscuritas] ex librorum defectu.

Cum autem totus hic Anonymi labor circa Paschasium Radbertum Patres citantem versetur, vt eius doctrinam probet, simplicitatem excuset, aduersariis succenseat; in quo sita fuerit illa simplicitas, quid arguerint aduersarii, præcisè dici non potest, disceptantium librorum defectu. Nam materia certaminis fuit, qui citatur ab ipso Paschasio, *Libellus de Sacramentis Christi*: Longè alius ab edito per Sirmundum inter eius opera, *Libro de Sacramento corporis & sanguinis Christi*: Eamque diuersitatem multis ex capitibus arcessimus. Ac vellem Dauid Blondelus, qui librum vtrumque in vnum cōfundit, & centum capita in duo & viginti conflata asserit, fidem à nobis certis rationibus, non auctoritate, & assertione nuda exigeret: vbi non desunt plurimi, qui distinctionem comprobent. Hunc enim quem tenemus, à Paschasio citatum non legimus; at illum alium quem quærimus, non semel allegat auctor. *Quòd dicis te sic antea credidisse,*

Anonym. c. 1.

Blond. in Elucid. & Euchar. c. 18.

Paschas. epist. ad Frudeg.

& in libello meo quem de Sacramentis edidi, ita legisse. Et alibi, *quasi ego in eo libro, quem de Sacramentis Christi edideram, aliquid his dictis plus tribuere voluerim.* Quæ verba indicant ex illo libello pugnæ initium factum esse. Deinde non conuenit dedicatio, cum editus Placido Monacho discipulo scriptus sit; alius nemini certo; sed omnibus iunioribus qui primis fidei elementis essent imbuendi. *Etsi nil in eo legentibus dignum duxi, quem cuilibet puero dedicaui.* Præterea nescit Anonymus noster, librum qui est in quęstione, vtrum *rogatus scripserit*, *an prouocatus*? Ab amicis videlicet inuitatus, an coactus ab aduersariis? An editum *rogatus* à Placido composuit, quem *votorum filium* appellat atque hic liber paucis capitibus, id est, duobus supra viginti conficitur; alius ille libellus *ad centum ferè capitula* protenditur: vt omninò credam eum quem desideramus tractatum, ad formam Catechismi in multas & exiguas sectiones fuisse concisum, & rudioribus traditum, quò Patrum auctoritatibus summatim probaret, quæ de omnibus, Ecclesiæ Sacramentis Christianum quemlibet nosse oporteat: cum aliunde in edito, & pauciora sint, & longiora capita, & de solo Eucharistiæ Sacramento tractetur. Bene est enim quod de Baptismi, & Incarnationis Sacramento, ad vim vocis exponendam, interseritur. Neque moueat, quòd posterioribus libellis quos habemus, citata quædam vel ab ipso Paschasio, vel ab Anonymo appareant, quæ prior ille de quo agimus, continebat: siquidem necesse est eundem scriptorem multa & sæpe de materia eadem tractantem, iisdem auctoritatibus & rationibus identidem repetitis inniti.

Idem l. 12. in Matth.

Epist. ad Frudeg. c. c

Idem l. de Sacram. Prol. ad Placid.

Ibid c. 5.

Gradum hic figo, neque vltra priùs progredior, quàm monearis, Lector, librum quo de agimus, de Sacramento Corporis & Sanguinis Christi, ad Placidum, superioris seculi anno 51. sub Rabani nomine, & titulo de Sacramento Eucharistiæ fuisse olim publicatum Coloniæ, velut ex Bibliotheca Cuthberti Tonstalli Episcopi Dunelmensis. Sed adulterinam esse inscriptionem demonstrant duo; quòd hic liber certò Rabani non est; & quòd certò Radberti est. Prius enimuero manifestè ex eo, quòd Rabani stilum nullo modo redolet: quodque in vltima & amplissima editione operum Rabani per Coluenerium in sex Tomos distributorum non reperitur; neque in deperditorum indiculo memoratur. Posterius hinc efficitur, quòd inter opera Paschasii à Sirmundo editus versibus acrostichis auctoris sui nomem offert in fronte. Quinetiam in illa Coloniensi editione, cum adscribatur Prologus ad Placidum, & alius apponatur Titulus de Corpore & Sanguine Domini, manu sua in Exemplari nostro Pithœus adiecit hæc verba. *Hæc præfatio est Paschasii Radberti Abbatis Corbeiensis, in librum suum de eadem re.* Vnde discimus, magno viro præfationem Radberti solam fuisse cognitam non etiam librum. Porro duarum editionum prior in plura, & minutiora capita, vsque ad septem supra quinquaginta dissecta est: posterior paucioribus constat, diuisionibus, correctior, & modo notior est: quare hanc vnam, penitus prætermissa superiore, hoc opusculo indicare consilium est: vnum interim notando, quando de Eucharistiæ veritate res est, præcipuum vtriusque textus discrimen, in eo positum esse, quòd vbi probat auctor Christum, *visibili specie in agni forma, aut in carnis & sanguinis colore apparuisse* in Sacramento, posterior editio c. 14. tria profert exempla, Basilii Magni, Gregorii Papæ, & Plecgilis Angli Sacerdotis, hac præfatione. *Quod autem dixi, sæpe quibusdam ardentiùs Christum amantibus, visibili specie apparuisse, pauca de pluribus pandam.* Prior autem aliter præfationem illam concipit. *Quod autem dixi, sæpe quibusque ardentius Christum amantibus hæc præmonstrata fuisse, vnum è pluribus pandam.* Ac deinde c. 39. Omissis prioribus exemplis duobus, vnicum quod tertium retuli, ex Anglicana Historia, ac ne illa quidem indicata recitat. Cuius diuersitatis ea mihi videtur ratio, quod editionem priorem arbitror ab Oecolampadio fuisse curatam, ementito loci nomine: Cui facile fuit duas supprimere historias, seruata vna recentiore, & minoris auctoritatis, ne dum patens corruptelæ crimen euitat, Catholicis nimium gratificetur: Malæ quidem fidei arguendus, sed tum adhuc Dauide Blondelo verecundior, à quo narrationes istæ omnes ridentur: Sed de his solis, redeo ad propositum.

Duplex editio lib. Paschasii Radberti.

Nam si verè dicebamus antea, dolebamusque magno rei Catholicæ damno librum illum Paschasii periisse, non minori disputationis detrimento exciderunt eius aduersariorum libri, Rabani, & Heribaldi, si quos scripsit iste, in quos tanto ardore noster inuehitur, ex quibus legitimum quæstionis momentum poteramus haurire. Nam qui superest Ratramni liber, cum is auctor sit de *impiè dubitantibus*, vt loquitur Anonymus, solidi nihil exhibet, in quo figamus vestigium. Ferremus enimuerò de quæstione modò sententiam, iure an iniuria reprehensus esset Paschasius? In ipsam fidei substantiam peccauit aut Paschasius, vt à Rabano Theologorum præstantissimo corrigeretur; aut Rabanus impugnator, vt ab Anonymo hæreseos accusaretur? An, quod potiùs arbitror, à Paschasio dictorum suorum explicationem exquisierit Rabanus, ne deductis inde pateret erroribus; quos errores tanquam asserenti Rabano Anonymus imputet? Non enim dissimulat Radbertus, aliqua sibi obiici fidei repugnantia, quæ nescio quanto *simplicitatis* nomine scriptor hic eleuat: & ex hypothesi contra Paschasium disputauit Rabanus, quam Anonymus in statum transtulit absolutum. Hypothesin autem Rabani quis diuinet, si Radberti propositio in terminis ignota est? De Ratramno idem diceremus, nisi leuem Paschasii næuum fœdis suis vlceribus sanare voluisset. Nihilominus cum sit in confesso, S. Paschasium Radbertum hoc tempore Catholicæ veritatis signum aduersùs Sacramentarios erexisse: ex eius disputatione cum Anonymo nostro coniuncta, tum Catholicam tum hæreticas opiniones, & statum controuersiæ tunc agitatæ eruamus necesse est. Quod quia ex deperdito, qui citatur, libello *de Sacramentis Christi* non possumus ediscere, venient in subsidium tres alii tractatus, iam à nobis libati, liber de Sacramento Corporis & Sanguinis Christi ad Placidum, Epistola ad Frudegardum, & Expositio in Matthæi caput sextum & vigesimum, quam Frudegardo mittit ex opere longiori diuulsam.

Contentionis inter Paschasium & Rabanum [illegible] origo.

Est ergo de Augustissimo altaris Sacramento disputatum, sit-ne in eo verè & propriè caro Christi, an mysticè tantùm, & spiritualiter? Si Christi corpus inest, an idem quod natum est de Maria Virgine, quod passum in cruce, resurrexit de sepulchro; An aliud? Si aliud, an corpus quidem Christi, sed non illud quod natum est ex Virgine, & passum in cruce, de quo dixit Paschasius, *Si alius esset sanguis, & alia caro in hoc mysterio, non in eo esset remissio peccatorum.* An verò corpus aliquod aliud, nimirum cuiuslibet communicantis, vt ex Algero dicemus inferiùs. Sin autem est illud ipsum natum de Virgine & passum in cruce, quomodo dici possit vmbra & figura? Si non est figura, an omnia quę sunt in Sacramento realia sint: hoc est, quæ sub sensus cadunt, panis, color, sapor, quantitas realiter ad corpus Christi pertineant? Siue sit vmbra, siue realia omnia, quomodo manducetur à communicantibus, corporaliter an spiritaliter? Si corporaliter, num secessui sit obnoxium, quemadmodùm de omnibus cibis Christus dixit? Quæstiones igitur illæ sunt, quibus & Catholica veritas, & errores oppositi clauduntur. De veritate pauca libabimus cum Paschasio, aliquanto plura de erroribus, quia vna illa est, isti plures. Quibus Algeri prologum præmitto ad errorum elenchum, & veritatis elucidationem, seculo vndecimo scriptum, non longè ab origine controuersiæ cuius statum ponimus.

Plures de Eucharist. quæstiones.

Pasch. epist. ad Frudeg.

Sic enim auspicatur auctor illustris, docetque quomodo Sanctorum Patrum maximeque Augustini scripta intelligamus. *Quia sancti de Corpore & Sanguine Domini variè scribentes, aliquando de vniuerso Christo, capite, scilicet & membris: aliquando non de vniuerso, sed vel de capite, vel de membris loquuntur: aliquandò cum sacramento; aliquandò, sine sacramento.* Dicit breuiùs Theologia nostratium. Duplex est corpus Christi, de quo loquuntur Patres: Morale, quod est Ecclesia, & Reale, quod est vel extra sacramentum, vt natum est de Virgine, quod passum in cruce, & modò regnat in cælo: vel in sacramento, speciebus sensilibus tectum, idem planè quod olim in mundo, sed modo spiritali: Pergit Algerus. *Simplicibus (vt de re ineffabili non intellecta) errores; plus autem quàm oportet sapere volentibus gignuntur hæreses: adeò vt simplices, nisi perfectiùs instructi, errando pereant: plusquàm oportet sapientes, nisi correcti fuerint, docendo, & defendendo quod nesciant, se & alios perdant.* Vbi eras, vir clarissime, cum Gotteschalcus Prædestinationem suam moueret: Ratramnus præterea Eucharistiam, vterque autem Trinitatem? Hæreses deinde recenset distinctiùs, ex quibus istas seligimus disputationi nostræ propinquiores. *Alij panem & vinum non mutatum, sed solum Sacramentum sicut aquam baptismatis, vel oleum chrismatis, corpus Christi non verè, sed figuratè vocari dicunt. Alij autem dicunt, panem non solùm sacramentum sed in pane Christum, quasi impanatum; sicut Deum in carne personaliter incarnatum. Alij autem panem & vinum, in carnem & sanguinem mutari, sed non Christi, sed cuiuslibet filij hominis, sancti & Deo accepti. Alij, quod est deterius, dicunt per comestionem, in fœdæ digestionis commerti corruptionem.* Nimirum vnus est ad veritatem aditus, à qua mille viis disceditur: vnus est veritatis scopus, à quo modis infinitis aberratur: vnum fidei Catholicæ centrum, quod omnes obliquæ lineæ deserunt.

Alger. l. de Sacram. Prol.

Idem l. 1. c. 10.

IN CAPVT I.

Catholica Sententia ex S. Paschasio Radberto, Hincmaro, & Rabano Mauro exponitur, post nonnulla de Hincmaro, & Paschasio præmissa.

Ad illud.

In Catholica Ecclesia vnum & idem debere omnes sapere & schisma non esse.

PLacet hîc æqualium ternio, quia vnum sapuerunt omnes, sine schismate, quicquid de Rabano scribat Anonymus. Ad Hincmarum autem manu me deducit Paschasius, cum ait, *Sic sedeas ad hanc mensulam paupertatis, ac si ad ferculum Salomonis.* Nam ferculum Salomonis, teste Flodoardo, scripsit Hincmarus, *ad Carolum Regem, opus egregium metricè, De gratia & Prædestinatione Dei; de Sacramentis quoque corporis & sanguinis Christi, &c.* Cuius explanationem pedestri oratione conceptam, mysticis numeris refertam in editione Sirmundi videmus. Ne quem ergo deterreat obscuritas, libentiùs animum, appello ad piam & eruditam parænesim ad eundem Carolum Regem, quæ de vitiis cauendis, & virtutibus exercendis inscribitur, in qua pulcherrimè de suauissimo altissimoque Eucharistiæ mysterio tractat extremis capitibus, extra disputationem, sed non citra vtilitatem.

Cur tres illi controuersiæ producti. Pasch. l. de Sacram. Prol. Flodoard. l. 3. hist. c. 15. Tom. 1. oper. Hinc.

Præterea. quoniam Anonymus noster ineptè Rabanum, Ratramno socium adiungit in Catholico Paschasii Radberti sensu oppugnando, lubet animi gratia, hunc cum Hincmaro conferre, qui Rabano ad profligandum Gotteschalcum comes accessit. Nam inter duo illa Ecclesiæ Gallicanæ Lumina, Ordinis Monastici soles, veritatis Catholicæ summis in mysteriis athletas fortissimos, non contemnendam intercedere similitudinem video, gaudeoque. Paschasius enim vir doctrina & sanctitate præstans, egregia animi demissione *Monachorum omnium peripsema* se appellat: Hincmarus non inferiore modestia, perpetuò se dicit, *nomine non merito Remorum Episcopum, ac plebis Dei famulum.* Paschasius omnes quæ tum in plurimorum ore versabantur, quæstiones considerans, vnum Eucharistię sacræ mysterium elegit Catholicè explicandum, propugnandumque: Hincmarum autem Gotteschalci damnatio facta per Rabanum in controuersiam Prædestinatianam coniecit, tanquam in campum Marathonium. Vterque autem eo facto æmulorum odium in se concitauit: vt enim non repetam indigna quæ ab aduersariis, etiam Catholicis passus est Hincmarus, toto opere historico sparsa: Paschasio scriptis libris aliquos restitisse videbimus. Et nescio quid ampliùs ex verbis illis subodoror ad Placidum scriptis, *Non supersedi tē vnicum ac specialem, quin diuinis duntaxat, quamuis clausus in custodia, curarem eludere votis.* Vtrique verò vehemen-

Hincmari & Paschasii Radberti comparatio.

Pasch. l. de Sacram. Prol.

Ratramnus vtrique se opposuit.

tissimè aduersatus est Ratramnus, qui maximè omnium, & in Ecclesia Metropolitanum suum, & in Monasterio Abbatem suum, obseruare ac reuereri debeat. Ad hæc æmuli ex eorum sensu malè accepto, & verbis perperàm explicatis, ansam reprehendendi arripuerunt, quod in doctrina Hincmari fusè monstratum, ad Radbertum etiam pertinere videbimus. Denique, vt Hincmarus nullo priuatim scripto lacessitus, solo Catholicæ veritatis studio de Eucharistia scripsit Paschasio consentanea, Ratramno contraria; sic Paschasius, nulla prouocatus disputatione, in Synodo Carisiacensi priore, in eandem cum Hincmaro conuenit sententiam, & Gotteschalci, atque in eo Ratramni Monachi sui Prædestinatianam hæresim condemnauit.

In aliquibus differunt.

Est igitur inter vtrunque doctorem non spernenda similitudo: quanquam & in nonnullis differunt. Nam Hincmarus à Monasterio ad Presbyteratum, à Presbyteratu ad Archiepiscopatum ascendit: Paschasius verò Radbertus & in Monasterio, & in Diaconatus ordine consenuit, virtutem colens in vmbra, quam Hincmarus in solem & puluerem eduxit. Plura certè scripsit Hincmarus: sed Paschasius correctiora, clariora, maiori cum animi moderatione, minùs tumultuosè. Nullos habuit Radbertus Episcopos pro æmulis, nulla Concilia pro censoribus, quæ magna negotia, & summæ dignitatis fastigium Hincmaro pepererunt. Ambo rursùs parem in eo consequuti sunt euentum & gloriam, quòd ab ipsis defensa veritas tandem emersit, & extinctos viderunt errores quibus restiterunt. Sed & iis erroribus id etiam fatale fuit, vt sequentibus seculis per vices reuixerint; simul omnes, nostro. Sed hæc hactenus.

---

§. I.

Catholicæ Sententiæ expositio.

In Eucharistia verum Christi corpus.

IAm Catholica Sententia, à S. Paschasio Radberto asserta, paucis articulis ad maiorem euidentiam ita distinguitur. 1. In Sacrosancto Altaris Sacramento inest verum & reale Christi corpus & sanguis, non vmbratile, non figuratum. *Omnia enim quæcunque voluit Dominus fecit in cælo & in terra: Et quia voluit, licet in figura panis & vini, hæc sic esse, omnino nihil aliud, quàm caro Christi, & sanguis post consecrationem credenda sunt.* Quantò iustiùs sanctus hic Abbas Dauidicum dictum ad omnipotentiam creatoris refert in Eucharistia, quàm Gotteschalchus ad eandem omnipotentiam volentis reprobos damnare in Prædestinatione fatali, & absoluta? Non alia mente neque aliud Diuinitatis attributum aspiciens dixit Hincmarus. *Cum panis & vini creatura, in Sacramentum carnis & sanguinis eius ineffabili spiritus sanctificatione transfertur: fitque corpus & sanguis illius, non infidelium manibus ad perniciem suam funditur, & occiditur, sed fidelium ore suam funditur ad salutem.* Et inferiùs, prolata consecrationis formula, ab Euangelistis tradita. *Hæc ille dixit, & dicit, & perficit, qui dixit, & facta sunt, mandauit & creata sunt: & eo verbo quod est, & per quod facta sunt omnia; & per Prophetas suos hydriam farinæ, & lecythum olei, & per vasa non pauca diffusum oleum multiplicauit: & Verbum caro factum est, &c.* Quod dicit Hincmarus *transferri*, nos modò vsitatiore vocabulo *transsubstantiari*, non semel dixit Paschasius *creari*. *Voluit in mysterio hunc panem & vinum, verè carnem suam, & sanguinem, consecratione Spiritus Sancti potentialiter creari: creando verò quotidie pro mundi vita mysticè immolari.* Atqui vocem hanc isto in mysterio, non ex toto reiicit Theologia. Rabanus autem absque contentione Clericos instituens, non aliter Eucharistiam, quam corpus & sanguinem Domini vocat, quòd eorum quibus scribit, neminem de veritate dominici corporis dubitare supponat: Ita Sacerdotem vocari ait, qui sacra dat. *Dispensat enim mysteria cælestia, fidelibus baptismum tradit, corpus & sanguinem Christi distribuit.* Ita de Presbyteris. *Sacrum dant sicut Episcopi, id est, in confectione diuini corporis & sanguinis.* Item de Subdiaconis. *Isti quoque vasa corporis & Sanguinis Domini Diaconibus, ad altare offerunt.* Et inferiùs de Baptizatis. *Deinde Corpore & Sanguine Domini omne præcedens Sacramentum in eo confirmatur: quia hæc ideo accipere debet, vt Deum habere mereatur in se habitatorem.* Plura non colligo, quòd ista sufficiant dubitanti, vtrum Rabanus Corporis & Sanguinis Christi veritatem in Sacramento professus sit?

Pasch. l. de Sacram.

Hincm. Opusc. 2. c. 11. c. 1.

Creatio corporis Christi in Eucharistia. Pasch. l. de sacram. c. 4.

D. Thom. 3. p. q. 75. a. 8.

Raban. l. 1. de Instit. Cleric. c. 5.

Ibid. c. 6.

Ibid. c. 8.

Ibid. c. 29.

Natum ex Maria passum & sepultum.

II. Articulus fide Catholica credendus est, Carnem Christi Sacramento contentam illam esse ipsam, & non aliam, quæ de Virgine nata, crucem subiit, illata est in sepulchrum, & resurrexit. Hic est locus in quo habitauit Paschasius, hic gradus de quo non potuit deiici; hæc propositio quæ in quæstionem à nouantibus deducta, incarnationis mysterium, & Sacramenti veritatem illustrauit. *Et vt mirabiliùs loquar*, inquit, *non alia planè, quàm quæ nata est de Maria & passa in cruce, & resurrexit de sepulchro; Hæc, inquam, ipsa est, & ideo Christi caro est quæ pro mundi vita adhuc hodie offertur.* Et alibi expressiùs, id apud hæsitantes in dubium vocari testatur: *Quæris enim de re ex qua multi dubitant.* Interrogabat Frudegardus Augustini loco malè intellecto turbatus. Respondet Abbas. *Ergo cum ait, hoc est corpus meum, vel caro mea, seu, hic est sanguis meus, non aliam puto insinuasse, quàm propriam, & quæ nata est de Virgine Maria, quæ pependit in cruce, neque sanguinem alium, quàm qui profusus est in Cruce, & tunc erat in proprio corpore.* Succinit Hincmarus, sed quasi testatum ponens, non vllo probans argumento. *Quomodo ergo de ipso pane pascit nos sapientia Dei: quia Verbum caro factum est, habitauit in no-*

Paschas. l. de Sacram. c. 1.

Hincm. Opusc. 2. c. 11. Ibid. c. 11.

bis. Quando lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo? *Non solùm quando in cruce sanguinem suum dedit pro nobis, verùm etiam quotidie tollit peccata mundi, lauatque nos à peccatis nostris quotidianis in sanguine suo, cum eiusdem beatæ passionis ad altare memoria replicatur, cum panis & vini creatura in sacramentum carnis & sanguinis eius ineffabili spiritus sanctificatione transfertur.* Quomodo ad eum accesserunt homines siue Iudæi, siue Gentiles? *Cuius corpus Iudæi persequentes moliti sunt quasi consumendo extinguere: & Gentiles esurientem mentem suam desiderant per quotidianum immolationis sacrificium de eius carnibus satiare; & ipsius Redemptionis sanguinem, quem persequutores sæuientes fuderunt, postmodum credentes biberunt, eumque esse Dei filium prædicauerunt.* Idque fiet in secula, *quandiu bibitur quod de latere Christi manauit.* Quid autem Rabanus? An credit alium esse in Sacramento sanguinem, quàm qui effusus est in morte? Audi Epistolas Pauli enarrantem. *Quia enim morte Domini liberati sumus, huius rei memores in edendo, & potando carne & sanguine, quæ pro nobis oblata sunt, significamus. In cuius typum nos calicem mysticum ad tuitionem corporis & sanguinis, & animæ nostræ percipimus: quia sanguis Domini sanguinem nostrum redemit; id est, totum hominem saluum fecit. Caro enim Saluatoris pro salute corporis, sanguis autem pro anima nostra effusus est.* In hac ego distinctione morari nolo, quæ acutior quàm solidior est: Vnum expendo, Corpus Domini crucifixum, sanguinem quo redempti sumus, mysterio nostro contineri. Quod & alibi repetit augustissimi sacrificii ritus exponens. *Pannus extensus super altare, corpus Domini monstrat extensum in cruce. Et super eo corpus & sanguis Domini consecratum, quod nos manducamus, aqua & vinum in calice, monstrant sacramenta, quæ de latere Domini in cruce fluxerunt, quibus nos potati sumus.*

Ibid.

Raban. l. 11. in ep. Pauli. c. 11.

Idem l. 1. de Instit. Cleric. cit. [illegible] c. 33.

Est autem hoc loco dignum obseruatione Paschasium in commemorando corpore quod natum est ex Virgine, quod passum in cruce, & positum in sepulcro, rariùs expressisse resurrectionem, quam non timuit referre Rabanus, vt cum partem hostiæ consecratæ quæ à Sacerdote, populoque comeditur, significare ait, *quòd post resurrectionem adhuc cum discipulis ambulans*, in terra, *& seipsum viuum præbens* apparuit: Sed quid est quòd istorum nemo corporis in cælum ascendentis, & ad Dei Patris dexteram gloriosè regnantis meminit? Obuia responsio est, dominica illos sacramenta considerasse, & altaris sacrificium, quod in patientis Christi memoriam iubetur Ecclesia celebrare. Vlterius ego nonnihil perudeo, vitasse scopulum, de gloriosi corporis comestione, ne quæstione noua implicarentur, sua satis agitati Nam cum facile conficerent, idem corpus quod natum est ex Virgine, quodque ex cruce pependit, sacramento contineri, & à fidelibus sumi, noua de corruptione oriebatur quæstio, quæ longius abhorret à glorioso & im-

C[illegible] [illegible]

al [illegible]

mortali corpore, quale viuit in cælo, quàm ab eodem quale natum & passum est in terris. Qua ex disputatione non satis commodè se expedierunt doctores isti, quod in hæresi Stercoranistarum videbimus.

---

§. II.

Reliqua Catholicæ Sententiæ capita.

TErtium Paschasianæ, siue Catholicæ Sententiæ caput est, in hoc sacramento inesse opposita duo, exterius aliud, aliud interius. Species scilicet sensiles & corpus inuisibile, figuram proinde & veritatem, vmbram & corpus, sacramentum & rem sacramenti. His vtor vocibus, quia plurimæ illarum fuerunt in quæstione? diuersæ in vsu, prout quisque mentem suam voluit expressam. Rabanus quidem simpliciùs dixit, quod nostra vsurpat Theologia, *esse aliud sacramentum, aliud virtutem sacramenti. Sacramentum enim ore percipitur*, ea sunt species, quas sacramentales appellamus: *Virtute Sacramenti interior homo satiatur*: Illud est Christi corpus, auctor omnis gratiæ. *Sacramentum enim in alimentum corporis redigitur: virtute autem sacramenti æternæ vitæ dignitas adipiscitur.* Quod pinguiùs dictum est à Tertulliano *Caro corpore & sanguine Christi vescitur; vt & anima de Deo saginetur.* Quæ recto sensu dicta ingeniis tamen illis caliginem offundent. Paschasius autem externarum specierum à Christi corpore latente distinctionem libens profitetur. *Sunt enim hæc aperta. Dum in specie visibili aliud intelligitur, quàm quod visu carnis & gustu sentitur.* Sed quoniam figuras & vmbras in eo Sacramento quærebant nonnulli, ne offenderent ad salebras, vlterius aliquid sibi putauit explicandum, & veritatem cum figura vmbraque iungendam. *Veritas ergo est*, inquit, *dum corpus Christi & sanguis virtute spiritus in verbo ipsius, ex panis vinique substantia efficitur; figura verò, dum Sacerdos quasi illud exteriùs genus, ob recordationem sacræ passionis ad aram, quod semel gestum est, quotidie immolat agnum. Sed si veraciter inspicimus, iure simul veritas & figura dicitur, vt sit figura vel character veritatis, quod exteriùs sentitur: veritas verò quicquid de hoc mysterio interiùs rectè intelligitur, aut creditur. Non enim omnis figura, vmbra vel falsitas.* Quamquam antea vmbram cum figura coniunctam, à falsitate distinxerat. *Nam figuras veteris Testamenti vmbras fuisse, nemo qui sacras litteras legit, ambigit.* Illis tamen illa inest falsitas. *Hoc verò mysterium, aut veritas est, aut figura, at per hoc vmbra est.* Nam quemadmodum figuræ veteres, vmbræ fuerunt & imagines futuri; sic incruentum altaris sacrificium, cruenti præteriti figura & recordatio est. Eandem certè repræsentationem in eodem Missæ sacrificio agnoscunt Rabanus & Hincmarus, vt locos sæpe à nobis citatos legentibus apparebit; sed vmbræ & figuræ nominibus

Sacramentum & [illegible] sacramenti [illegible].

Raban. l. 1. Instit. Cleric. c. 31.

Tertull. l. de resurrect. carn. c. 8.

Paschas. l. de [illegible] c. 4.

Veritas & figura.

abstinuerunt, cum memoriam, repræsentationem, annunciationem passionis in scriptura Patribusque legerent. Catholica igitur mente certoque consilio Radbertus æmulis cinctus, occurrens erroribus, ad earum vocum explanationem adigi se putauit.

Ore manducatur, sed spiritaliter.

IV. Huius mysterii caput est, cibum illum ore comedi & potari, nos illo tamen non quo ceteris cibis modo nutriri, sed spiritaliter. Certè & cibi, & comestionis in Euangelio, & in Paulinis Epistolis frequens mentio habetur. Quo Radbertus merito refert, id quod de manna vetere dixit Dauid, *Panem Angelorum manducauit homo.* Quo de Oraculo sic Abbas. *Alioquin esca illa, licet de cælo venerit, & potus, quia corporeus erat, Angelis non congrueret: sed ille vtique panis & potus, qui per hæc præsagiebatur. Christus ergo est cibus Angelorum, & sacramentum hoc, verè Caro ipsius & sanguis, quam spiritaliter manducat homo, & bibit: Ac per hoc, vnde viuunt Angeli, viuit & homo; quia totum spiritale est, & diuinum in eo quod percipit homo.* In eadem prophetia versatus Hincmarus, *Panem Angelorum*, inquit, *manducauit homo, id est, verbum illud quo pascuntur Angeli sempiternum, quod est æquale Patri, manducauit homo; quia cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo Saginantur illo Angeli; sed semetipsum exinaniuit, vt manducaret panem Angelorum homo.* Et post multa. *Per partes manducatur & manet integer totus: per partes manducatur in sacramento, & manet integer totus in cælo, manet integer in corde tuo. Totus enim erat apud Patrem, quando venit in Virginem implere illam, nec recessit ab illo. Veniebat in carnem vt cum homines manducarent, & manebat integer apud Patrem vt Angelos pasceret. Et quando Christus factus est homo, panem Angelorum manducauit homo. Mysterium nostrum in mensam Domini positum est, mysterium nostrum accipitis, &c.* Rabani autem licet extra hanc allegoriam, non minùs est stricta sententia, & expressa doctrina *Verè caro Christi est cibus, quia verè pascit & ad vitam æternam hominem nutrit: & sanguis eius verè est potus, quia esurientem & sitientem animam iustitiam, in æternum veraciter satiat;* Et quod nuper producebamus. *Sacramentum ore percipitur, virtute sacramenti interior homo satiatur.* Habes, Lector, vnanimem trium clarissimorum virorum consensum in exponenda Eucharistici Sacramenti veritate, neque inter eos, vt patet egregiè Catholicos, quod optat Anonymus, vllum scisma esse. Quamobrem cum ab hoc scriptore accipies Rabanum oppositum fuisse Paschasio, vel fœdissimæ hæresis assertorem dici, sustinebis assensum, donec tota res legitimo examine fuerit expensa. Ratramnum autem si quid in fidem hac in parte peccauit, tribus omnibus memineris extitisse contrarium.

Pasch. l. de sacram. c. 5

Hincm. Opusc. 2. c. 11.

Raban. l. 3 de instit. Cleric. c. 31.

IN CAPVT I.

In Paschasio Radberto quid & quàm rectè reprehenderint aduersarij.

Ad illud.

Contra quem satis argumentantur & Rabanus & Ratramnus, &c.

Diuersi oppugnandæ sententiæ modi.

DOctrina, & eam explicandi modus censentur in auctore. Sit illa licet verissima, potest tamen obscurè tradi, probari futiliter, loqui pugnantia, verbis efferri quæ viam aperiant erroribus. Excitabit igitur aduersarios, si proba & sana est; hæreticos, vt Gotteschalcum Rabani & Hincmari scripta: Sin malè explicata, etiam Catholicos, nonnullo scribentis vitio: vt aliqua in parte Lugdunenses æmulos, Hincmari obscurior & turbidior explicatio. Hi autem vel malè prolata, malè arguent, vt Gotteschalci geminam Prædestinationem Ioannes Erigena. Vel incautè dicta benè corrigent, vt Seruatus Lupus eos qui Geminam Prædestinationem nimiùm horrent. Rursus horum disputatio vel absoluta est, cum recta fraudem oppositam opinionem arietant, vt Rabanus, Hincmarus, Amolo in Gotteschalcum: Vel Hypothetica, cum vel ex doctrinæ substantia, vel ex modo tractandi consecutiones ineptas deducunt, quæ tolerari non possint: vt Gotteschalcus in Hincmarum: Si prædestinatio non est absoluta & efficax, sequitur Deum posse mutari. Hincmarus in Gotteschalcum, Si Deus absolutè reprobos prædestinat ad interitum, sequitur prædestinare & ad peccatum. Iam auctoris est aut eius fautorum, demonstrare vel illud inde malè deduci; vel quod rectè deducitur, malè reprehendi. Horum pleraque ad Paschasii Radberti causam referri posse, ex iis quæ hoc loco persequimur, omnino constabit. Sed ante omnia distinguendi sunt aduersarii, Rabanus, & alii Catholici, qui in doctrinæ substantia cum ipso conueniunt, tractandi methodum non possunt penitus, & omni ex parte approbare. Ratramnus & similes, quos Anonymus noster *impiè dubitantes* nominat, quibus neque substantia, neque dicendi modus potest satisfacere. Catholicos audimus modò: suus erit ad extremum Ratramno dicendi locus.

1. obiectio de prauis citationibus.

Prima igitur obiectio leuissima est, si verba sola spectantur: Non esse fideliter expressum ab eo S. Ambrosii, quem protulit, textum. Id verè dictum ab aduersariis fatetur Anonymus Apologista, & eius vocat *simplicitatem*: quòd *non verbum de verbo*, verùm *sensum de sensu expresserit.* Sed id certo consilio factum esse, docet Abbatis sapientissimi professio. *Nostro quidem stilo, nunc sensum eorum commendans, nunc verò eorum proprijs verbis vtens, quæ apta erant meo studio temperaui.* Meritò sanè: quando tota

Anonym. c. 6.

Pasch. l. de sacram. Prol.

vis auctoritatis in sensu est, & salua medulla, verborum cortex & quasi putamen potest negligi: quod & nonnunquàm in ipsa diuina scriptura, quod ego minus probauerim, fieri videmus ab antiquis scriptoribus: & in Carisiacensibus capitulis à se necessitate factum probabiliter excusat Hincmarus. Porro Prudentio Trecassino aduersùs Erigenam Scotum scribenti, absque vlla reprehensionis nota dicere licuit, *In multis non verba eius interposui; sed sensibus eorum pro captu meæ pusillitatis veraciter obuiaui.* Hoc in fastidiosis Patrum citationibus facere Radberto, & cuilibet alteri non licebit? Non mirabis ex hoc ingressu, lector, vel carpendi libidinem, nodum in scripto quærenti; vel simplicitatem carpentium, religiosè ad verba singula adhærescentium, quasi mens auctorum aliis verbis efferri non possit?

Hincm. l. de Præd. c.

Prud. Epist. ad Vvenil.

Verum hanc Paschasio responsionem præcludit secunda obiectio, circa sensus veterum Patrum, quos illum negat sequutum videri. Nam cum perpetuò pugnet Paschasius vnum & idem Christi corpus & natum esse de Virgine, passum, sepultum; & in altaris mysterio immolari & sumi, quomodo cum Hieronymo consentire potest, duo ista conceptis verbis distinguente; & cum Augustino affirmante tripliciter dici corpus Christi, quod est natum de Virgine, quod traditur in Sacramento, & Ecclesiam, quod est corpus morale? Respondetur nullo negotio, & veritatem fidei, & Patribus auctoritatem, & Radberto suam constare sententiam, dum vnius corporis diuersi status, oppositæ qualitates, duplex consideratio, distinguuntur. Eaque diuersitas in vnitate ipsis Hieronymi verbis continetur. *Dupliciter*, inquit, *Sanguis Christi, & caro intelligitur.* Audis? Non duplex caro; sed eadem duobus modis accipitur, vt est nata de Virgine, aspectabilis, passibilis corruptibilis: vt resurrexit, immortalis, impassibilis, humanis oculis non obuia. Duobus illis corporibus tertium addit Augustinus, diuersi penitus generis, morale & mysticum, Ecclesiam, cuius corporis caput est, nosque eius membra. Quod tantùm abest vt officiat veritati corporis realis, siue vt natum est & passum, siue vt tegitur speciebus sacramenti, vt multus sit noster hic Anonymus in monstranda realitate corporis Christi in Sacramento, ex eo quòd per istud manducatum, Ecclesiæ membra filio Virginis vniuntur. Huc enim redit omnis illa Dialecticæ & Arithmeticæ subtilitas, tanto apparatu exhibita, vt ex simplissimo Logicorum dicto intelligamus quæ vni tertio conueniunt, eadem inter se conuenire, hac ratiocinatione. Christi corpus reale quod est natum ex Virgine Maria, corpori suo Mystico & singulis fidelibus vnitur per corpus reale quod sumitur de altari; ergo corpus quod de altari sumitur, vnum & idem est cum corpore quod est natum ex Virgine. Nam si aliud esset, non vniret intimè. Huic argumento viam strauerat Radbertus ipse, cum illa triplici corporis acceptione apertissima breuitate tradita, subdiderat: *Quapropter veritas est in vtroque, & vnitas corporis; & ideò hoc corpus quod*

2. Obiectio de sensu Patribus contrario.

Anonym. c. 3.

Responsio.

Corpus Christi dupliciter & tripliciter accipitur.

Anonym. c. 5.

Pasch. in Matth.

medium est, quo pascimur in via, non diuiditur ab vnitate corporis Christi. Neque minùs apertè dixit Algerus eundem Augustini locum tractans de triplici Christi corpore, Ecclesiam esse *consacramentalem capiti suo Christo: & vt caput & membra vnum corpus cum ipso esse per gratiam, aliud tamen per substantiam.* Quid est igitur quòd isti *carnem aliam* somniant, dum audiunt corpus Christi dupliciter, aut tripliciter dici à Patribus?

Alger. l. 1. de sacram. c. 17. & 19.

Obiici tertio à Rabano & Ratramno dicit Anonymus, malè ab eo dictum, *Eandem esse Christi carnem, quæ de altari sumitur, & de Virgine generatur, & quæ quotidie adhuc pro mundi salute immolatur.* Quid hic sugillet Ratramnus, nihil moror impræsentiarum, quia eius disputationem alteri tempori reseruo. A Rabano autem in hac propositione quæsitum esse quid diceret, equidem mihi persuadere non possum. Nam cum superiùs ostendero Catholicè de Sanctissima Eucharistia, & secundum Paschasii mentem loquutum fuisse Rabanum; nihil autem in tota illa assertione, & singulis eius partibus fidei non sit consentaneum, quid tandem, non dico Rabanus, sed Aristarchus vllus hic reperire poterit obelo configendum? Nisi fortasse in illa quotidiana carnis immolatione explicanda non satis cauisse credendus est Radbertus, & terminis vsus esse aliquibus, quos tempora vitati suaderent, ne quid ex eis prauum aut deducerent æmuli, aut rudes intelligerent. Sequitur enim in Anonymo.

3. Obiectio de quotidiana carnis immolatione. Anonym. c. 2.

Responsio.

IV. obiectio, Dixisse Paschasium, *toties pati Christum, quoties in Ecclesia Missæ celebrantur.* Ad quam reducitur alia, de qua Radbertus ipse queritur, dicta sua inuidiosè interpretatos nonnullos; *Hæc ideirco*, inquit, *prolixiùs dixerim & expressiùs, quia audiui quosdam me reprehendere; quasi ego in eo libro quem de sacramentis scripseram, Christi, aliquid his dictis plus tribuere voluerim, quàm ipsa repromittit veritas: timentes forte, quod ipsi tunc timuerunt quibus loquebatur, ne partes facere voluerim, & eius per singulos membra diuidere, concisa vel dispertita, sicuti illi tunc putauerunt, qui scandalizati dicuntur, & abierunt retrorsum.* Hæc est obiectionum præcipua, quam facile credi patior ab Heribaldo factam, & à Rabano, per hypotheticam ratiocinationem deducentibus, si dicitur Christus in sacramento pati, si corpus eius concidi, diuidi, & manducari admittitur, quemadmodum carnes quæ in macello veneunt: qui fuit stupidus error Capharnaitarum, sequi profectò nihil differre à communibus cibis, corporaliter confici dentibus, corrumpi, digeri, egeri. Quod quia turpiter & indignè dicitur, rudioribus consulere debuit Radbertus expressiore opinionis suæ expositione docendo, corpus illud quod traditur in sacramento, quod est natum de Virgine, tale tradi, vt in cælum ascendit, ac proinde manducari tantum spiritaliter; non diuidi, nec digeri, sed integrum permanere, vt pote immortale. *Qui integer ascendere potest vbi erat priùs, vnus idem-*

4. obiectio de corporis diuisione. Anonym. c. 6.

Pasch. l. 12. in Euang. Matth.

Responsio.

August. tr. 27. in Ioan.

quæ Christus consumi non potest per partes, nec diuidi dentibus. Quare concludit inferiùs : *Idcirco spiritaliter accipienda sunt hæc omnia, quæ traduntur in sacramento. Quia si caro nihil prodest, nisi spiritu viuificetur, multo minùs panis iste & vinum, quod sanguis & caro esse creditur, prodesse potest, nisi totum fieri in spiritu intelligatur.* Quid autem istud est, nisi quod Rabanus ipse dixit, *per opus visibile, inuisibilem effectum ostendi?* Sensu ergo non discrepat à Rabano Radbertus : Verbis autem in hoc opere posteriori, quo suam exponit sententiam, maximè ad illum accedit. Aliam omitto Anonymi responsionem, qua docet quid à Radberto dicendum fuerit, non quid sit dictum.

5. *obiect. de impanatione.* Dauid Blond. l. Elucidat. d. Euchar. c. 19. V. Vexatur & à recentioribus Sacramentariis fortissimus Athleta veritatis, quando Dauid Blondel veteratoriæ subtilitatis minister, ex quibusdam eius verbis conatur efficere, non transsubstantiationem ab ipso, sed consubstantiationem potiùs, aliqua parte Lutheranæ impanationi similem edoceri. Hoc probat hæretico more, 1. auctoris corruptela, dum pluribus allatis ex eo locis, quasi explicando subiicit, manifestum esse secundùm Paschasium in Eucharistia panem esse & vinum, quæ fiunt corpus & sanguis Christi, in quantùm illa sibi assumendo, Verbum quotidie fit caro, considerata hac assumptione, fieri carnem & sanguinem, vt fideles fiunt noua creatura. Verùm illam assumptionem merum ministri assumptum & assumentum, neque locis ab eo productis, neque vsquam Responsio. alibi nominat, significat, intelligit Radbertus. Eius euidens vestigium deprehendemus aliquando in Ratramno, ne vmbram quidem in Radberto. Et impugnaret Monachus Abbatem suum, si paria cum illo sentiret? Recondita ne quæramus : quæ proxima obiectione protulimus. *Panis iste & vinum, quod sanguis & caro esse creditur,* Assumptionem non ferunt. Nam humana natura quæ assumitur à Verbo, Verbum esse falsò creditur. Vnionem dicit assumptio, diuersa & distincta requirit vnio. Veram diuinitatem, veram humanitatem possidet Christus : Eucharistia verum corpus & verum panem non habet. Neque dicit Radbertus vinum, & sanguis est, sed *vinum quod sanguis.* In Sacramento *omnia spiritaliter accipienda sunt.* Nihil corporeum substantiale videtur, sed substantia corporea quæ videri non potest, intelligitur. Denique præcisè dicit S. Paschasius. Paschas. l. de corp. & sang. c. 1. *Quia voluit* (Deus) *licet in figura panis & vini, hæc sic esse : omnino nihil aliud, quàm caro Christi & sanguis post consecrationem dicenda sunt.* Non ergo panis & vinum substantialiter & verè cum corpore & sanguine.

Probat 2. insulso sophismate : *alia probatio.* *Negat Radbertus id formaliter, quod Romana affirmat Ecclesia, miraculum esse in Eucharistia.* Et profert verba quibus iugulatur. *Quod si carnis species in his visibilis appareret, iam non fides esset aut mysterium, sed fieret miraculum quod aut fides nobis daretur, aut à perfidis* leg. videt. per quod. *execratio communicantibus importunior grassaretur. Hæc igitur credentibus, & iam fidelibus data sunt : signa verò & miracula, vt fidem percipiant, non credentibus. Vnde oportuit ista non permutari, & à credentibus, de his nihil saltem ad modicum dubitari.* Hic addit ad marginem. *Nota, quæ dantur in Eucharistia, non esse permutata.* Refellitur. Hoc argumentum Sophisticum, genus negat ex specie : ex eo quòd non fiat aspectabilis specierum, siue Sacramentorum, vt nostri loquuntur, mutatio in carnem & sanguinem, negat vllam omnino fieri mutationem; & istud à Radberto negari fingat, cum manifestè de sola visibili mutatione disputet toto illo capite Radbertus : in qua miraculum futurum ait, non necessarium fidelibus, incredulis autem execrandum; quibus Anthropophagi videri possent Christiani, quæ fuit Ethnicorum calumnia apud Tertullianum, imo & Capharnaitarum stupor in Euangelio. At mutationem omnem miraculum omne à Paschasio non tolli, vel illud vnum, omissis sexcentis, ostendit cogitatum à ministro, quòd hic putat introductam ab illo specierum assumptionem in qua nescio an mutationem aliquam, & miraculum negauerit Blondelus. His Sophismatis cæcus, cæcos ducit in foueam.

His addo, Catholicis semper omnibus venerabilem fuisse Paschasium : *Paschasii doctrina pura & sana.* Bellarmino & Perronio Purpuratis Controuersiarum scriptoribus, Posseuino & Sirmondo viris doctissimis, hos enim nominat aduersarius, probatam eius esse doctrinam, vt Catholicam, & verè Romanam : à Ioanne Erigena, Ratramno, Berengario prauè sentientibus, oppugnatam : ab Anonymo nostro, cum veterum Patrum sensibus & pietate conuenire monstratam : ab Ecclesia Romana sapienter admissam : ac proinde sanam, & erroris omnis immunem videri : qualis decuit exercitus Catholici aduersus veteres nouosque Sacramentarios signiferum.

Ad IV. Obiectionem patere me, lector, aliquantùm ad hac controuersia deflectere, sed *6. Obiectio, de sanguine fuso pro fidelibus.* non procul à mysterio, in eiusdem Euangelici loci expositione, qua Gotteschalci dogma propiùs tangitur. Nam S. Paschasio Gotteschalci iudici, factam puto iniuriam ab Historico Dissertatore, Gotteschalci patrono, Blondeli amico, cum scripsit, negare illum pro Dissert. c. 41. omnibus hominibus passum esse Christum. Dixit enim Paschasius, *Sanguis qui effusus est pro multis : Pro multis quidem, sed non pro omnibus quia non omnes obediunt Euangelio,* Paschas. ibid. *neque credunt in eum.* Verum animaduertere debuit Præses historicus, eruditum hunc scriptorem, quem ipse *vt doctrina, sic & sanctitate & pietate eximium Ecclesiæ illo seculo lumen,* iure appellat, agere tantùm eo loco de mortis Christi efficientia paucos attingente, vt supposita ratio manifestè demonstrat; non autem de generali Dei voluntate qua omnium vniuersè hominum salutem complectitur. Certum enim est, innumerabiles etiam exteriùs vocari, qui non obediunt Euangelio; quia *multi vocati, pauci electi.* Quòd ergo vocantur, Christi meritum est : quòd obsurdescunt, eorum vitium, & damnum. Neque credibile est Hincmari in cognoscenda Gotteschalci causa, eoque damnando, socium, pro Gotteschalco contra Hincmarum sensisse.

IN CAPVT IV.

Primus error Ioanni Scoto ab aliquibus assignatus, ac deinde assertus à Berengario aduersùs Catholicam S. Paschasij Radberti doctrinam.

Ad illud

Argumentantur, aut omnino figuratum est, & nihil veritatis in hoc mysterio constare.

Error corporis & sanguinis figuram esse, non veritatem.

LIcet à Catholica circa supremum Sacramentorum veritate mille viis aberret hæresis, non ineptam tamen Anonymi mei diuisionem, tanquam limites mihi descripsit, ne forte in vastissimum huius controuersiæ Pelagus, & Scopulos naufragiis infames, æstu quodam abripiar. Is ergo primum errorem Paschasio contrarium sic proponit breuiter & strictè, in Procemio *alijs autem negantibus & dicentibus aliud esse.* Sed quoniam non caret amphibolia vox illa *aliud*, vt vel corpus *aliud*, vel aliquid *aliud* quàm corpus significet, propositis in titulo verbis ambiguitatem omnem tollit; aitque putari ab illis figuram vel vmbram corporis, reale nihil inesse, præter panem & vinum, & nescio quam virtutem, de qua Paschasius ipse nouum errorem impugnans. *Audiant qui volunt extenuare hoc verbum, Corporis, quòd non sit vera caro Christi, quæ nunc in sacramento celebratur in Ecclesia Christi, neque verus sanguis eius. Nescio quid volentes plaudere, aut fingere, quasi quædam virtus sit carnis & sanguinis, in eo admodum sacramento, vt Dominus mentiatur.* Eam deinde virtutem figuræ nomine & vmbræ sic explicat. *Vnde miror quid velint nunc quidam dicere, non inesse veritatem carnis & sanguinis Christi: sed in sacramento virtutem quandam carnis, & non carnem; virtutem fore sanguinis, & non sanguinem: figuram & non veritatem: vmbram, & non corpus: cum hic species accipit veritatem, & figura veterum hostiarum, corpus.* Illos ergo validis rationibus refellens, sic agit Radbertus: *Nec dixit, cum dedit eis panem, Hoc est, vel, in hoc mysterio est, quædam virtus, vel figura corporis mei: sed ait non fictè. Hoc est corpus meum. Et ideo, hoc est quod dixit, & non quod quisque fingit.* Quibus verbis exponitur quod dixerat, mendacem Dominum ab iis fieri. Atque eo reducitur meo iudicio error qui proponitur ab Hincmaro, inter huius seculi quæstiones, *quòd Sacramenta altaris non verum corpus, & verus sanguis sit Domini, sed tantùm memoria veri corporis & sanguinis eius.* Possunt enim eius corporis refricare memoriam etsi sint tantum figura & vmbra: quemadmodum imago Cæsaris Cæsarem animo nostro, ac non reipsa, sistit præsentem. Ceterùm illi opinioni nouitatis notam inurit Paschasius

Anonym. Prooem.

Paschas. l. 12. in Matth.

Hincm. l. de Præd. c. 21.

cum ait, *Vnde miror quod velint, nunc quidam dicere.* Non carere tamen assertoribus admonet: *Nec mireris pater, qui forte ista non credis quia non nostra sunt quæ dicimus.* Pasch. l. 12. in Matt.

Quis autem sit error ille, & quibus machinis atteratur, nobis ignotum esse non potest, *De auctoribus ignotis.* recente adhuc Caluinistici belli memoria. Neque si ignoraremus, huius historiæ tantùm interesset, quantùm eius principem aut assertores nosse de nomine. Vnde autem ea notitia, cùm auctores nostri nimia modestia taceant? Non enim Paschasius appellat, in eum primus magna sua gloria inuectus; non Hincmarus, illi quasi aliud agendò repugnans; non Anonymus hic noster, sequentis erroris, auctores inuidiosè appellans, si etiam verè. Hic quidem Ratramnum nominat, & extat liber, quo contra P. Abbatis sui dogma Catholicum insurgit, & in illo huius quem tenemus erroris non obscura parent vestigia. Sed is ad alium ordinem mihi referendus videtur, quem in hoc maximè errantẽ deprehendemus quòd minimè videri voluit errare. Andreæ Duuallio Librum de Tribus Epistolis cõmentanti, placet Ioannem Scotum, & Amalarium facere *Berengarij præcursores, & veluti antesignanos.* Sed de Amalario, in operevt arbitror satisfecimus. De Ioanne Scoto, cum illum concessero circa Eucharistiæ mysteriũ peccasse: & vlteriùs, Berengario præluxisse, vt hic ex illius assertione praui sui dogmatis excudendi occasionem arriperet: quæram deinde certè & determinatè, quæ tandem fuerit Ioannis Scoti opinio, quam eius seculi nullus scriptor, non amicus, vt Hincmarus, in fidei causa minimè omnium patiens; non inimicus, Lugdunensis Pseudoflorus, Ebbo Gratianopolitanus, Prudentius Trecassinus, vel alius vllus expressit, aut damnatam ab Ecclesia tradidit? Nihil hic igitur diuinandum censeo, ne sapere conemur plus quàm oportet sapere, & id hac de sententia scire velimus, quod maiores nostri nos scire noluerunt. Laufrancum & Berengarium suo seculo relinquamus, aliàs illos conuenturi; maneat obscurus tenebricosæ hæreseos auctor, ignota sententia Ioannis Erigenæ, certissima Paschasii de errore tum recens ex inferis erumpente victoria.

Anonym. c. 1.

Dual. Not. ad l. de trib. Epist.

In eadem hæresi de figura corporis Christi, reponunt aliqui Frudegardum, Augustini malè intellecti loco deceptum: quia scribit ad Paschasium, antea se credidisse veram Christi carnem factam in Virgine, & passam in cruce, altaris sacramento contineri, quæ Catholica doctrina est, *sed postea se in libro tertio de doctrina Christiana Beati Augustini legisse, quòd tropica loquutio sit, vt corpus Christi & sanguis esse dicatur.* Et addit. *Et si credam ipsum esse, quod assumpsit ex Maria Virgine genitrice sua, è contrario etiam ipse egregius doctor, hoc magnum facinus esse proclamat.* Locus igitur Augustini quo perturbatus est sic habet, vbi rectè intelligendæ scripturæ regulas tradit. *Si præceptiua locutio est, aut flagitium, aut facinus vetans, aut vtilitatem, aut beneficentiam iubens, non est figurata. Si autem flagitium aut facinus videtur iubere: aut vtilitatem, aut beneficentiam vetare, figurata est.* Huius posterioris

Frudegardus ex te sententiam Paschasium consulit.

Pasch. Epist. ad Frudeg.

August. l. 3. de Doctr. Christian. c. 16.

partis exemplum ponit in Christi sermone de Eucharistia. *Nisi manducaueritis, inquit, carnem Filij Hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: facinus vel flagitium videtur iubere. Figura est ergo, præcipiens passioni Domini esse communicandum, & suauiter atque vtiliter recondendum in memoria, quòd pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata sit.*

Ego verò sic existimo, Frudegardum iniuria huic errori accenseri; cum eius interrogatio dubitantis potiùs sit, & peritiorem consulentis, quàm de quæstione quicquam definientis. Erat tamen in lubrico, & Paschasii doctrina beneficioque arripuit, vt in fide Catholica confirmaretur; à quo & admonitus est in Augustino legendo sapere ad sobrietatem. *Non enim*, vt ait, *omnes qui beatum Augustinum legunt, intelligunt.* Eodem sensu, verbis paulùm durioribus dicere voluit Guitmundus Auersanus in Berengarium disputans ex Augustino, *scandali ferè potiùs videri esse principium.* Quia nonnunquam imperfectè, sæpe obscurè, semper subtiliter hoc de Sacramento differit. Atque austerior illa sententia Tertulliani exemplo mitiganda est, scribentis, *oportere hæreses esse, quæ esse non possent: si non & perperàm scripturæ intelligi possent.* Hæreticorum certè, siue Prædestinatorum, quos vidimus in opere; siue Sacramentariorum quos modò versamus obstinatio & impudens peruicacia non fuisset in Ecclesia, si Augustinus perperam non posset intelligi.

Resp. ad. Paschasius. Epist. ad Frudeg. — *Augustinus cautè legendus.* — Guitm. l. 3. de verit. Euch. initio. — Tertull. l. de Resurr. carn. c. 40.

Ad illud ergo dubium ex verbis Augustini prognatum, Respondet Radbertus, verè figuram esse, non corporis sed comestionis. Foret quippe magnum facinus, si dictum sic esset, vt intelligebant Capharnaitæ, *vt fas sit eum dentibus vorari quod ferre non potuerunt, quia malè saputerunt.* Sic enim manducari debet, non vt communis caro conficienda dentibus: & per fauces in stomachum demittenda: sed ad eam similitudinem mente ruminando, & in memoriam velut in quendam stomachum animæ traiiciendo: quod est spiritaliter manducare. *Alioquin*, si vocem figuræ ad corpus referimus, *quomodo ipse idemque doctor tam egregius contra se diceret, vt recolo in sermonibus ad Neophytos: Hoc accipite, inquit, in pane, quod pependit in ligno: Et de Calice: hoc accipite, ait, in calice, quod manauit ex Christi latere.* Et alia figura Paschalis Agni proposita, probat necessarium esse vt verum Christi corpus in sacramento intelligatur. *Quòd nihil amplius habet hoc mysterium, præter figuram corporis & sanguinis Christi, & non hoc est, quod ipse dixit, quid necesse fuit iterare in facto, quia hoc totum præfiguratum erat in agno?* Hoc quidem verissimè: quia tunc agni figura non desinebat, si tantùm figura alia tradebatur: quemadmodum mannæ figura, figuram agni non extinxit. Potuit & ex eodem Augustini libro discipulum suum docere Paschasius quia paulò ante dixerat doctor egregius, vbi de signis. *Quædam pauca pro multis, eademque factu facillima, & intellectu augustissima, & obseruatione castissima ipse Dominus, & Apostolica tradidit disciplina. Sicuti est baptismi sacramentum, & celebratio corporis & sanguinis Domini: quæ vnusquisque cum percipit, quò referantur imbutus agnoscit; vt ea non carnali seruitute, sed spiritali potiùs libertate reueretur.* Quem locum fusius tractatum Algero, & Eminentissimo inter eruditos Perronio Cardinali relinquo.

Radbertus Augustinum explicat. — Idem l. 12. in Matth. — August. l. 3. de doctr. Christ. c. 9. — Alger. l. 1. de sacram. c. 10. Perro. l. 4. de Euch. in August. auctor. 11. c. 5.

Verùm priùs hinc discedere nefas arbitror quam duo non leuis momenti notata sint. Primum, qua se ratione gerat in Augustini expositione Paschasius, quod & in alios Patres deriuari potest, si quando vel secum ipsi, vel cum aliis benè loquentibus pugnare videantur. Sic inquit, Augustini dictum interpretor, alioquin alibi sibi esset contrarius. Augustinus ergò videtur nonnunquam loqui pugnantia? Planè videtur. Præbet igitur ansam vtrique litigantium parti, Catholicis, inquam, & hæreticis, ipsum sibi addicendi? Præbet omnino, seu verè, seu falsò. Itaque locos singuli sibi conuenientes arrogant, oppositos explicando emolliunt? Planè. Hoc ingeniorum conflictu, quid promouetur in fide; quid certi constituitur? Penitus nihil: nam si Frudegardus stat in loco suo de locutione figurata: Paschasius item in suo de corpore quod pependit in ligno; contenditur, clamatur, æstuatur, præterea nihil: iudex ergo superueniat oportet, qui litem derimat auctoritate & potestate superiori, qui alteram expositionum probet, qui Augustinum vni parti donet, ad alteram neget pertinere. Necessarium sanè. Ille autem iudex quis erit alius ab Ecclesia, primæ veritatis interprete, mysteriorum diuinorum custode, vnica fidei regula? Præstruatur ergo fidei articulus, tanquam solidum disputationis fundamentum vt inter Catholicos Theologos fieri assolet: exquiratur deinde de eo quid dixerit, quid senserit Augustinus? Neque temerè vnquam dixero, sic fides, quia sic Augustinus. Verùm ex opposito, Sic Catholicus Augustinus, quia sic Ecclesia. Non enim auro lydius lapis, sed lapide aurum exploratur. Hæreticorum est, & nouare studentium, causæ suæ diffidentia, priùs Augustinum consulere, quàm Ecclesiam; iudicem Ecclesiæ facere Augustinum: per summam Augustini iniuriam, eius obscuritate & subtilitate abuti contra manifestam Ecclesiæ sententiam, Patrum aliorum, Pontificum, Conciliorum, dictis & definitionibus tanquam radiis solaribus scriptam. Denique cum Augustino, cum Ambrosio, cum Hieronymo priuatim errare possum: cum Ecclesia nunquam. Huic tu columnæ me Deus Optime Maxime fortiter alliga!

Quomodo vsurpanda sit Augustini auctoritas.

Secundò notari cupio memorabilem, & à nostratis seculi temeritate audaciaque non remotam Berengarii sententiam, qua blasphemabat impius, errasse & defecisse Ecclesiam, quæ à se suisque consetuaretur. Ea sic refertur à Lanfranco. *Aduersùs tam clara ipsius Domini, & Sancti Spiritus eius de Ecclesia, & de statu Ecclesiæ testimonia, obijcis tu, & obijciunt qui à te decepti, alios decipere moliuntur. Itaque dicitis: Prædicatum est Euangelium in omnibus gentibus, credidit*

Sacramentarij dicunt Ecclesiam periisse, & à se restaurari. — Lanfranc. l. de Sacr. in fine.

mundus, facta est Ecclesia, creuit, fructificauit: sed imperitia malè intelligentium postea errauit, & periit. In nobis solis, & in iis qui nos sequuntur, sancta in terris Ecclesia remansit. Fatalis stoliditas & Sacramentariorum Patriarchis, & eorum discipulis, quam non superiore tantùm seculo patres nostri audierunt à Caluino, sed & nos ipsi hac ætate in eorum scriptis legimus, qui sacram Eucharistiam ita venerabilem faciunt, vt velint inaccessam: & nouum hominem de cælo lapsum esse prædicant, vt in cibi vitalis abstinentia, quam Christus vetat, omnem suam in Ecclesia reformationem collocet. Planè hæc omnia ab eius spiritus energemate, quo dementatus olim Tertullianus Ecclesiam esse in tribus dicebat, Montano putà, & eius scortis. Meminisse autem debuit Berengarius; errorem suum adhuc recentem, & assertorum infrequentiâ obscurum, reperisse generosos expugnatores; Paschasium Radbertum, Hincmarum, Rabanum & similes, qui primæuæ Ecclesiæ zelo, & vetustiorum Patrum pietate, dictisque armati, non timidius; aut infeliciùs illum attriuerunt, quàm nascentes subinde hæreses priorum seculorum Theologi; notæ apud posteros & sanctitatis & scientiæ. Ac proinde viridi tunc iuuentute viguisse Ecclesiam, quæ vires perpetuò sumet ab hostibus; *Nec extinguetur in nocte lucerna eius. Lucerna enim eius est agnus, & regni eius non erit finis.* Itaque & illi cum Lanfranco suo, & nos renascentibus omnibus ex eadem superbia hæresibus, respondemus: *Hanc sacrilegam vanitatem, euertit Euangelica veritas, & Prophetarum atque sanctorum Patrum non violanda auctoritas.* Imo cum Augustino hæreticorum omnium & prætextu, & claua qui à Lanfranco hîc producitur. *Quid est quod dicis, hæretice, iam periisse Ecclesiam de omnibus gentibus; quando ad hoc prædicatur Euangelium, vt possit esse in omnibus gentibus?* Quod sibi dictum si volunt accipere nouantes, eius veritatem oculis ipsi suis quotidie vsurpant.

IN PROOEMIVM.

Secundus error Paschasii doctrinæ oppositus, eorum qui postea Stercoranistæ hæretici appellati sunt

Ad illud.

Et his quidem qui dixerunt secessui obnoxium fore.

ALterum errorem oppositum Paschasio, sine indignatione nunquam appellat noster Anonymus, fœdum profectò, & diuini veneratione mysterii prorsus indignum; sed qui nihilominus ingenia non Theologa eorum qui Berengario restiterunt, mirum in modum exercuit. Is licet, quod oportet, delitescat in tenebris, in aliquam tamen lucem educendus est, quærendumque quis & vnde sit; quomodo præcipuæ illorum Borboritarum obiectioni responderint Catholici? Reditur deinde ad historiam, & veteres illo infecti replicabuntur; tam denique infami nilla à præstantissimis viris Heribaldo, & Rabano auertetur. Atque ita sectionibus quatuor hæresis parum intercæteras cognita, præuio Anonymo expandetur, iusta Rabani Apologiâ terminanda. *(Ordo huius tractatus.)*

Præter figuram & vmbram nihil in Sacramento viderunt superiores Berengarii præcursores. Alii, quia medium nescit error, quod sola veritas obtinet, in eodem Sacramento nihil nisi reale inesse voluerunt, reale corpus Christi, colorem, qualitatem, quantitatem realem Christi corpori inhærentem. Hoc certè corpus ita compositum quemadmodum communes cibos omnes, diuidi in partes, confici dentibus, traduci in stomachum, & naturali virtute corrumpi fœculentas ex eo partes excerni, ac demum in secessum eiici pro naturæ conditione necesse est. Nam de omni alimento dixit Christus ipse futuri conscius, *Omne quod intrat in os, in ventrem vadit, & in secessum emittitur.* Nam illud sic oportet fieri, vel in sacramento nihil nisi figuratum & fictum agnoscere. Sic illi contra Berengarianos: at isti aduersùs cloacam illam, nihil turpius absurdiusque fingi posse, adeoque veriùs dici, non ipsum reale corpus sed eius figuram Sacramento contineri. Pugnabant igitur intacta veritate tenebriones illi: sed Catholicorum erant partes extrema sic vitare, vt eorum rationibus quales tandem cunque erant, satisfacerent, demonstrando & reale corpus esse, cum Stercoranistis contra Berengarium, & tamen secessui obnoxium non esse, secundùm Berengarianos contra Stercoranistas. Hic est quæstionis status ab Algero, Guitmundo, & aliis disceptatæ. *(Quæ sit hæc hæresis.)*

Eius hæreseos in Paschasio nostro non leuiter impressa sunt vestigia, quoties Capharnaitarum stuporem Christi corpus diuidentium execratur: aut quoties ab eo se penitus alienum esse declarat, & manducari spiritaliter, post comestionem perstare integrum, spiritaliter hæc omnia accipienda esse, & non carnaliter, inclamat. *Neque obseruandum*, ait alicubi, *sicut Apocryphorum monumenta declarant, donec ea digerantur in corpore, ne communis cibus accipiatur.* Et paulò post, *friuolum est ergo, sicut in eodem Apocrypho libro legitur, in hoc mysterio cogitare de stercore, ne commisceatur in alterius cibi comestione*, quæ totidem pene verbis referuntur ab Algero, cum neuter aperiendum nobis crediderit quis ille sit apocryphus liber, superstitiosæ obseruationis auctor. Non alius sine dubio à Clemente Romano cuius verba erunt à nobis alio loco proferenda. Atque is apocryphus ab his auctoribus vocatur, qui tamen eadem in causa citatur ab Humberto Cardinali aduersùs Nicetam disputante: & quidē iure merito; quando ab illis scriptoribus Græcis eius admittitur auctoritas, & contra Latinam Ecclesiam dicta proferuntur. Eandem hæresim tangit, quam & impugnat, Rattamnus, cum *(Eius ex auctoribus facta mentio.)* *(Paschas. l. de Sacr. c. 20.)* *(Alger. l. 1. de Sacr. c. 1.)* *(Humbert. Card. l. contra Nicet.)* *(Rattam. l. de corp. & sang. Dom.)*

Bertram l. de corp. & sang. Dom.

cum ait, *negant non posse corrumpi quod per partes comminutum dispartitur, ad sumendũ, & dentibus commolitum in corpus traijcitur.* Ea multis nominibus infanda, suo tamẽ aliquãdo nomine notata fuit: sedquo tẽpore incertum: Stercoranistam aduersarium suum vocat Humbertus. Plenior Algerus describit originẽ. *Diximus superiùs nõ minùs ore corporis, quàm ore cordis corpus Domini esse sumendum: sed ex hoc ipsa visibili & corporali comestione, quæ sacramẽto tenus fit, nascitur heresis fœdissima Stercoranistarum. Dicunt enim tantum Sacramentũ, sicut corporali comestioni, sic & secessui esse obnoxium. Volunt autem hæc adstruere cum multis argumentis, tum ipsius Christi testimonio, ita in Euãgelio dicentis. Omne quod intrat in os, in ventrẽ vadit, & in secessum emittitur.* Idem est Berengarii sensus cum apud Guitmundum obiicit in Rogerii interlocutoris persona. *Corpus Domini inconueniens est in secessum mitti. Omne autem quod intrat in os, vt Saluator ait, in ventrem vadit, & in secessum emittitur. Denique de Sacramentis istis si multi panes, vt inquiunt & multa vina sacrentur, potest quis longo tẽpore viuere, nihil aliud comedens aut bibens. Vndè igitur habebit secessum illo tempore, nisi ista in secessum vadant?* Sunt hi natales crassæ & fœdæ illius blasphemiæ, apud hæreticos æquè vt Catholicos execrandæ, quam iure quis existimet Berengariano dogmati superiùs explicato dedisse occasionem, dum Euangelico dicto implicati homines, figuram corporis malunt fingere, quàm veri corporis digestionem, corruptionem, sordes: non est ergo dubium post eos auctores, quin certa quędam extiterit hæresis eo nomine nuncupata, licet obscura semper, & contempta remanserit. Quia tamen solemne est hæreticis Catholicorum famæ allatrare, & oppositum extremum suis deliciis delirium affingere, non dubito quin Berengariani, Catholicæ sententiæ assertores propudioso illo nomine turpificarint. Atque hinc apud aliquos malè se audisse testatur Paschasius, qui dum constanter inculcat corpus natum ex Virgine suspensum ex cruce, sanguinem reipsa effusum ore manducari, & potari; neque satis apertè illud corpus immortale, & remotissimum ab omni corruptione esse significat, creditus est corporalem in eo diuisionem, more Capharnaitarum agnouisse. Ex diuisione autem & comestione corruptio, ex corruptione secessus intelligitur. Hoc est, meo iudicio Heribaldi, & Rabani certamen hypotheticum, obiicientium, si corpus Christi corruptibile & diuisibile asseratur, *secessui obnoxium fore*, vt loquitur Anonymus, non absolutè *esse*, quæ fuisset mera hæreseos assertio. Quare hac consequutione à tantis viris pulsatus Radbertus in expositione Matthæi, Apologiam suam texens, sępe repetit, alia se omnia quàm Capharnaitas cogitare, manducari spiritaliter, corpus integrum permanere.

Alger. l. 2. de sacra. c. 1.

Guitm. l. 2. de verit. Euch.

Ex C tholicis obiecta.

Paschasii Expositio.

Anonym. Proœm.

IN CAPVT VII.

Hæreticorum istorum obiectionibus quomodo temporum illorum Catholici responderint.

Ad illud.

Dominus etenim noster non de spiritali cibo, &c.

DEcet hoc propriè loco præfari, quod noster Anonymus occupauit. *Super quibus periculosum esset aliquid respondere, sed magis aures obturare: nisi periculosius foret eos talia proposuisse.* Quod fusius dictũ video ab Algero eandem responsionem meditante. *His igitur obscenis hæreticis periculosum esset super hoc aliquid respondere, magisque dignum aures nostras obturare, nisi periculosius esset eos in scandalum Ecclesiæ talia proponere, & tantam eorum falsitatem nos nullis fidei Catholicæ rationibus reuerberare.* Hoc igitur vt in eorum sensu fiat apertius.

Anonym. Ibid.

Alger. l. 2. de sacr. c. 1.

Obseruo in primis, Catholicos, inter extremas hæreses duas mediũ tenuisse, vt sacramenta, siue species à corpore Domini quod eis obuelatur, distinguentes, oralẽ & corporeã specierũ comestionẽ, spiritalẽ verò corporis Christi manducationẽ admitteret. Illarũ, vt sic dicã partium vtique suam secundùm illos, respondere nutritionem & augmentum, vt sacramentum corpori nostro, corpus Christi animæ alẽdæ & fouendæ sit opportunum. Sic enim manifestè Rabanus, *Sacramentum enim in alimẽtum corporis redigitur, virtute autem sacramẽti æternæ vitæ dignitas adipiscitur.* Paschasii sensus idem est, cum ait, *Interim verò mens Deo deuota, & fides integra, intelligibiliter verè sumit in his, quod nouum creatum est, scilicet corpus & sanguinem: etsi corpus digerat quod extra est; quia sic in sacramento nobis à Domino traditum est.*

Sacramenta & commestionis.

Raban. l. 1. de Instit. cleric. c. 31.

Pasch. l. 11. in Mat.

Sacramento autem siue speciebus corpus ali, notum est ex historiis: si quidẽ Ludouicus Pius extremo morbo conflictatus, totos quadraginta dies sola Eucharistiã vitã sustentauit, iusto, vt inquiebat, Dei iudicio, quòd quadragesimale ieiunium sæpe violasset. Idem aliis exemplis probat Guitmundus. *Potest quispiam*, inquit, *nullo alio cibo vtens, si quãdo ita voluntas Dei est, optimè sustentari. Denique, & hoc de quibusdam sanctis Patribus legimus, qui nullum aliud sumentes prorsus edulium, sola communione dominica saginati, multis annis vixerunt.* Idque facilius intellectu fiet, si attendimus modũ illum sacras hostias in obelias extenuandi, quo nunc vbique vtitur Ecclesia Latina, recentiorem esse, vel Sirmondi iudicio; & diu apud multas nationes panem Eucharisticum fuisse coctum, magnum & latum, quales modò fiunt Eulogiæ, sine fermento. Cum restrictione dixi, apud multas nationes, suam vt Humberto Cardinali auctoritatem tuear, dicenti *ferro parari*; planum esse, & solidum panem *tenues oblatas ex simila praparatas*; quæ de Romana Ecclesia non malè possunt intelligi: ceteris Ecclesiis panis azymi magnitudinem non defugientibus. Hinc prodit illa Berengarii obiectio, apud eundem Guitmundum, *Iam toties talia deuorata sunt, vt si corpus Christi tam magnum, vt ingentissimus mons fuisset; iam totum deuoratum consumptumque fuisset.* Et ne veteri

Corpus nutritur speciebus.

In vita Lud. Pii an. an. 840.

Guitm. l. 2. de verit. Euchar.

Humbert. Cardin. l. contra Nicet.

respectemus, Græci Sacerdotes etiamnum particulis panis fermentati faciunt; qui si grandem panem totum exaltatum cõsecrarent, illo foueri posse quis dubitat? quod si ita est, Sacramenta oportet eadem omninò pati quæ cibis cõmunibus accidunt, corrumpi, digeri, resolui in secessum, estque vniuersale Christi dictum: *Omne quod intrat in os, in ventrem vadit & in secessum emittitur*, hoc est vnicum & amentatum Stercoranistarum telum, quod qua ratione bellatores nostri excipiant, auemus scire.

Vera responsio præmittitur. Illi, inquam, Sacramentariis olim oppositi, non Theologi nostrates, qui quia species Sacramentales à Christi corpore tantopere distinguũt, vt hoc penitus intacto, & inuulnerato, accidentia illa nulli rerum caducarum iniuriæ & vicissitudini non obiiciant, affirmentque mutatis iis & corruptis, desinere Christi corpus illis inesse, atque tum reproduci à Deo substantiam eiusdem cum vulgari pane, & vino], naturæ, ac proinde casibus omnibus obnoxiam; facillimè verissimeque & Berengarii figuram exsufflant, & Stercoranistas ad cloacam suam amandant. Atque id quasi per rimam animaduertisse videtur Guitmundus, cum ait. *Simili modo hic quoque salua omnino dominici corporis substantia, corruptioni externa ipsa accidentia aliquatenus videntur obnoxia; quatenus cælestis altitudo mysterij retentis velata accidentibus, nec passim reueletur incredulis, & probata fidei merito, vberiùs & gratiùs commendetur iustis.* (Guitm. Ibid.) Sed & multas his in difficultatibus passum esse tenebras Auersanum, monstrabunt sequentia. Itaque Berengarii cauillis, & Stercoranistarum spurcitiæ quomodo satisfecerint ante Scholasticam Theologiam exorti doctores, inquirimus, Deo acturi gratias, quòd posterioribus Sacramentariis longè acutioribus, solertiæ subtilioris ingenia prouidit & opposuit. Et quoniam eodem pene loco quas proponimus quæstiones tractarunt auctores quos hîc consulimus, Guitmundus, Algerus, Anonymus noster, semel eos locos ad marginem notare sufficit, ne repetitis citationibus fatigemur.

Quæ sequuntur educta sunt ex Guitmundo l. 2. de verit. Euchar. sub init. Algero l. 2. de Sacramen. corpor. & sang. Domini. c. 1 Anonym. c. 7.

Caro Christi non conuertitur in carnem nostram. Initium duco ab spiritali carnis nutrimento, qui nobilis effectus est, & vnica quæstione constat ab Anonymo postulanda. An caro Christi Sacramẽto percepta, carni nostræ quicquam conferat, & quomodo? Respondet vir optimus, *verè carnem nostram hoc mysterio recreari: carni nostræ carnem Christi spiritaliter conuisceratam transformari: ex Christi substãtia in nostra carne inueniri: vt panis communis è candido mutatur intra nos in colorem sanguineũ, & alium humorem; sic eius carnem & sanguinem, in carnem verè resuscitandam conformatam reseruari.* Quæ omnia quàm veris, suisque principiis conuenienter asserat, qui corruptionem & secessum horret tantopere, Lector æquus æstimabit. Videat, vt arbitror, in Paschasio, cuius patrocinium suscepit, hæc verba, *licet igitur caro in carnem & vinum conuertatur in sanguinem, veluti à natura probatur: tamen altius consideranda sunt, hæc vbi non modo caro, aut sanguis Christi in nostram conuertuntur carnem aut sanguinem, verùm nos à carnalibus eleuant & spiritales efficiunt.* (Paschas. l. de sacr. c. 20.) Et fortasse Irenæum sequutus est, cum ad resurrectionem aspexit, *cum igitur & calix mixtus, & formatus panis verbo Dei suscepto fiat Eucharistia, corpus & sanguis Christi, quo augetur & consistit carnis nostræ substantia quo iure negant doni Dei capacem esse, vitæ videlicet æternæ, quæ corpore & sanguine Christi nutritur, & fit eius membrum?* (Iren. l. 5. contra Hæres. c. 20.) At non intellexit has esse locutiones improprias, neque velle Patres verè Christi carnem in nostram conuerti, quod absque corruptione fieri non potest: quin potiùs nos in illum spiritaliter mutari censent, dicente Christo apud Augustinum, *Non ego mutabor in te, sed tu mutaberis in me.* (August. l. 7. Confess. c. 10.) Quatenus ex humili & corruptibili natura, in gloriosam & incorruptibilem corporis Christi conditionem corpora nostra conformantur. Quemadmodum aurum in medicatam potionem infusum, in ægroti substantiam non mutatur: sed vim quandam corpori imprimit, corroboratricem, & virtutis vitalis reparatricem, qua corruptioni medeatur & resistat. (Perron. l. 2. de Euch. in Iren. auctor. 4.) Eadem ratione Christi caro, non consumpta illa quidem, neque in substantiam carnis nostræ commutata, suo tamen attactu vitam vitæ nostræ secretò imprimit, quâ nos viuificare, & nutrire in vitam æternam dicitur. Ita pios Anonymi conatus regit promouetque Theologia. Quæstiones reliquæ omnibus communes sunt & sacramenta, vt appellant, siue species sacramentales tangunt, quarum conditionem non satis expressè à re sacramenti, corpore & sanguine Christi secernunt.

Species possunt putrescere. Quid ergo sit speciebus, quas scimus in corpore sumentis corrumpi, & exteriùs aut diuturnitate temporis, aut custodum negligentiâ oculis ipsis corruptas videmus? Respõdet Anonymus, Deus scit, consumi possunt; possunt perenniter seruari. Quicquid placuerit, effare, modo ne eant in secessum. At Guitmundus longè aliter. Quid homines mentè corrupti & putridi corruptelam & putredinẽ opponunt sacramentis Dei? Errant profectò si putant illa verè putrefieri; apparẽt nonnunquam talia, vel ob intuentium infidelitatem, vel ad corrigendam custodum incuriam; at reipsa ad eam imperfectionem deuenire credendum non est. Nam discipulis specie viatoris, Magdalenę forma hortulani, sanctis nonnullis figura leprosi, vel mendici apparuit; quis sapiens eiusmodi fuisse ipsum, qualem videre se putabant illi, affirmarit? Eadem responsione satisfacit Algerus; sed & aliquas alias admonet. Non possunt, inquit, species digeri; ergo à pari nec mucescere, nec puluescere. Si tamen id verè accidit, qui in proprio corpore dum viueret indigna multa passus est, potest id etiam in sacramentis suis tolerare. Vera autem ratio verbis duobus tangitur. *In sacramento Christi quicquid mutationis specie tenus, vel forma, vel ceterarũ qualitatum fieri videtur, ad sacramenti substantiã Christum scilicet, non attinet, quem certissimè scimus incorruptũ permanere in cælis, quidquid in eius sacramẽto cõtingere videatur in terris.* (Alger.)

Corrodi à muribus. Idem-ne de iisdem speciebus dicetur, si quando corrodentur à muribus? Idem planè, si audimus Algerum; cui multùm placet, hæc verè non fieri, sed tantùm videri. Sed verè fiant: cùm præter peccatum creatori nihil sit immundum, non est magis immundè in ventre mu-

nis, quâ in ventre adulteri impœnitentis. Quòd si ebriosi, & infirmi sacramentum euomunt, ostendit profectò contemnere se cum illis manere, vel eos à quibus seruari & sumi debuit, bestiis esse deteriores. Guitmundus solertiorē se hac in parte vult esse, responderque, Species à muribus corrodi non posse: sed eo-vsque ad illos bruta animalcula accedere permitti, quo-vsque humanus oculus potest attingere. Tum verò vel Angelico ministerio, vel suapte virtute in cælum abripi. Quòd si quis iuratus affirmet vidisse se à brutis animalibus deuorari, & in eorum corporibus inueniri, primum nō facilè illi testificationi credendum esse. Deinde si Christo placet id permittere, vt absque sui corruptione ab animantibus arrodantur, id Dominici corporis veritati a nobis creditæ non obstare. Non enim magis bestiarum, quàm nostro læditur palato: nec magis bestiarum rostra refugit, quam olim sepulchri lapidem in quo iacuit. Siquidem maiori sunt in honore apud Deum animata corpora, quàm inanima, & sensu prædita, quàm eo carentia. Ita Præsul Auersanus.

Igne absumi. De igne autem quid dicimus, in quem species corruptas, aut animalia in calicem cadentia conijci iubent Canones & Rubricæ? Quis neget elemento viuacissimo tum absumi sanctissima sacramenta? Ergo vel in iis Christi corpus non latet, ait Berengarius, vel cum iis amburitur. Erras, ait Guitmundus, si credis vrenda proiici, ac non potiùs *mundissimo elemento fideliter committi, nobis occultanda, & supernis sedibus illico reponenda*, ac licet absumi concedatur, non læditur dominici sacramenti substātia quæ *à nobis cælestia petens abripitur*: sed qualitates sensibiles, quæ post consecrationem permanent, *ostendunt quod suum est*, siue deficiunt secundùm naturam suam mutationi obnoxiam. Eadem est Algeri responsio, qui addit *deficere illas & disparere, sine omni fœditate in illo purissimo ignis elemento*. Mallet tamen Auersanus species illas quæ corruptæ videntur honorato quodam loco conclusas asseruari videturque non agnoscere Canones esse vllos qui iubeant ignibus tradi. Neque idem Algerus Canones illos significat; sed hoc vnum ait, *etiam à Religiosis species incendio tradi, & ibi disparere*. Quo dicto demonstratur antiquum esse vsum illum, & optimo iure si non canone aut decreto Pontificio, certè Missalis Romani Rubricâ esse præceptum.

§. VNICVS.

Iidem Argumenta Stercoranistarum quomodo repellant.

Non [illegible] secessum. SVperest secessus, Stercoranistarum Scarabæorum fœda importunitas, Catholicorum æque ac hæreticorum aduersùs illos contesseratio mota ab eo, qui Stercutium Deum credi se voluit, Camarina. Quæstio est, an Corpus & Sanguis Christi, aut certè species sacramentales sint obnoxiæ secessui? Hoc nemo doctorum nostrorum æquis auribus accipere potest. Cur autem si corpus manducatur, si sanguis potatur? Quia post consecrationem sola inest Christi corporis substantia, inquit Algerus, quæ incorruptibilis est. Specierum autem nulla substantia permanet. *Si ergo substantia panis ibi non est, quid defecari & corrumpi vsque ad secessum potest*? Deinde spiritalis cibus est, non corporalis; quomodo igitur censeri potest corporali secessui obnoxius? Adde cibos corporeos Angelis ad vescendum oblatos, *diuinâ potentia prorsus absumptos fuisse, & secessum naturæ suæ debitum euasisse: & cibus spiritalis qui dat vitam æternam mundo, incurret secessum naturæ suæ indebitum, maiestate indignum potentiæ omnimodo contrarium*? At Guitmundo Berengarius opponit, experientia constare homines nonnullos sola pastos Eucharistia, habuisse secessum. Respondet Archiepiscopus, experientiam illam incertam est, & infidam. Quis enim illud expertus est? Veterum aliquis? Proferat tabulas & historias probatas, quæ illud enarrent. Recentiores? Qui? Catholici? Talem infamiam quis in eos conferat? Hæretici igitur? Quæ potest esse in re tanta fides inimicis? Fac tamen id ab hæretico fuisse tentatum, aio ego in alui proluuio, absumpto Sacramento, suppositum fuisse communem panem vel ab Angelis vel à malignis spiritibus, qui secessum faceret, & incredulitatem augendo castigaret.

Quid fit ergo speciebus Sacramentalibus? Pereunt, deficiunt, auolant? Quidni diuina potentia, inquit Algerus, sine secessu consumi possunt, quemadmodū panes hordeacei, in Apostolorum manibus creuerūt? Nonne *sicut potest Deus carnem alere sine carnali victu, sic etiam ei dare secessum sine carnali defectu*? Sed illud miraculi genus non quærimus, qui secessum à Sacramento penitus abigimus. Propius igitur ad rem aliter respondet, deficere species, quēadmodum columba & ignis Spiritus Sancti significationes, experto officio suo trāsierunt, & esse vlteriùs desierunt, *nihil indignius de his corporalibus speciebus, quæ Christi contegunt corpus, est sentiendum*. Præterea mera sunt accidentia, substantiæ nihil continent, at quando albedo mutatur in nigredinem, *nunquid in defectu suo alicuius secessus patitur digestionē? Sic in formis & qualitatibus corporis Christi & sanguinis, si aliquis deprehenditur, non vsque ad secessum est humiliandus*. Quòd si cui rationes illæ non sufficiunt, quid fiat de Sacramento, *Deo cuius est fideliter & honestè committatur. Melius est enim Deo humiliter committere, quod scire non possumus, quàm peruersè contra eum fingere & sentire, quod tamen nescimus*. *Quid fit ergo speciebus sacramentalibus?*

At Dei sententia est & Stercconistarū Achilles, omne quod intrat in os, in secessum emitti. Vniuersalis est illa propositio, neque quicquā excludit, ergo nec species sacramentales. Respondet Anonymus, Christum non categorizasse: hoc est, vniuersè loquutum esse: neq; in scripturis vocem *omnis* pro categorico termino semper accipi, quia verè non de spiritali, sed de carnali cibo illud dictū est; aut si præfractè contendimus vniuersalem esse propositionem quemcunque porum corporis in quē subtilior cibi vapor diffunditur, ab eo secessū appellari, quo species sacramētales emitti non est indecorum. Mirabilem profectò expositionem, cui nemo alius subscripsit. Nam Algerus satis habet dicere, *constare hoc dixisse Christum, non de spiritali cibo, sed de communi & carnali.* *Quomodo exponenda Christi sententia, omne quod intrat in os, &c.*

Guitmundo autem alia ſubtilitas placet : Dixiſſe Chriſtum, cibum omnem qui in os intrat, in ventrem deſcendere ; ac non dixiſſe, omnem emitti in ſeceſſum. Quia poſterius propoſitionis membrum de parte ſola omnibus notiſſima vult intelligi, quod & natura docet, quando ciborum omnium ad corporis ſuſtentationem ſumptorum alia pars per membra diſtributa, in carnem alia & ſanguinem; alia per poros euaporata: alia per mucum & ſputa egeritur.

Licuit olim ſæpius in die communicare.

Atque diſtinctio illa cibi ſpiritalis & carnalis, ex alia diſputatione ſtabiliri poteſt, circa hæc tempora vſitata. Non enim erat leuis inter Sacerdotes Theologos contentio, an præſtaret vnum miſſæ ſacrificium, per diem, an plura à ſingulis Sacerdotibus offerri? Vvalafridus Strabo illorum vſum magis probat, *ſi dum plures in vna die faciendæ ſunt miſſæ, vnus ſacerdos duas vel tres, neceſſitate, vel voluntate perſuadente celebret potiùs, quàm quaſdam dimittat.* Additque, Leonem Pontificem vna die ſeptem, aut nouem ſæpe miſſas celebraſſe. Inferiùs autem ad laicos communicantes diuertens, admonet ex iis qui quotidie pluribus interſunt Miſſis, aliquos in vnica communionem percipere, ob tanti ſacramenti dignitatem: aliquos in ſingulis quas audiant communicare malle? *Quorum neutros*, inquit Strabo, *culpandos cenſeo.* Sententiam Auguſtini de quotidiana, deque infrequentiore communione, ad quotidianam iſtam aut vnam, aut ſæpius repetitam transferens. Alia autem ex parte, certum eſt antiquiſſimo Eccleſiæ vſu, & vetuſtiſſimorum Conciliorum decretis, non niſi à ieiunis celebrandam eſſe dominici corporis participationem, vt idem Vvalafridus docet, id ſequitur neceſſario, quod contra Græcos diſputant Humbertus & Algerus, Euchariſtiæ communione non ſolui ieiunia Eccleſiaſtica: aliàs ſecunda, & tertia eodem die à ieiunis non perciperetur. Vnde conficitur vlteriùs, Euchariſticum panem corporeum dici non poſſe, ſed eius eſum ſpiritalem tantummodo, & ſpiritaliter ad animæ augmentum conducere.

Vvalafr. Strab l. de rebus Eccleſ. c. 21.

Ibid. c. 21.

Ibid. c. 19

De mora inter ſacramentum & cibi communis ſumptionem.

Quid eſt igitur, inquies quòd fœdæ illius egeſtionis metu, præcipitur ne à ſacra menſa, ciboque diuino, ad vulgarem ſtatim proſiliatur? Sic enim legimus in D. Thomæ ſupplemento. *Debet tamen eſſe aliqua mora inter ſumptionem huius ſacramēti, & reliquos cibos. Vnde & in Miſſa oratio actionis gratiarū poſt communionem dicitur, & communicantes etiā ſuas priuatas orationes dicunt. Secundùm tamen antiquos Canones, ſtatutum fuit à Papa Clemente, vt habetur de Conſecr. diſt. 2. Si mane Dominica potio editur, vſq; ad ſextam ieiunent miniſtri, qui eam ſumpſerunt. Et ſi tertia vel quarta hora acceperint, ieiunent vſque ad veſperum* Significatum eſt ſupra, ſatis probabiliter ab apocrypho illo libro deriuatam eſſe Stercoraniſtarum ſuperſtitionem. Quando eodem loco ſic legimus. *Qui autem reſidua corporis Domini, quæ in ſacrario relicta ſunt, conſumunt, non ſtatim ad communes cibos accipiendos conueniant, ne putent ſanctæ portioni miſcere* (aliàs *commiſceri*) *cibum qui per aqualiculos digeſtus, in ſeceſſum funditur.* Sed hæc verba Borborитis illis minimè fauebant,

D. Th. 3 p. q. 80. a 8. ad 6.

De conſecr. diſt. 2 Tribus grad.

Ex epiſt. 2 Clementis.

quia vereri ſe dicebant ipſi ne hoc fieret, quod Clemens fieri negat, & credi prohibet. Et validè proferuntur ab Humberto contra Græcos ipſos eius erroris infamatos, qui ſe gloriabantur, *ab ipſa ſancta cōmunione ſtatim ad communes cibos accedere.* Deinde Clementis librum eſſe apocryphū excipiunt alii, vt vidimus Præterea obſeruationem à ſuperſtititione volunt diſtinguit, & quod piè inſtitutum eſt ad reuerentiam deduci vetant à metu turpitudinis. Nam præclarè Paſchaſius, *neque obſeruandum, ſicut apocryphorum momenta decernunt, donec ea digerantur in corpore, ne communis cibus accipiatur. Sed ſatis inuigilandum, vt antea quiſque ſe præparet, & poſt acceptam gratiam nullus indignum ſe reddat. Spiritaliter enim ſunt hæc accipienda, & non carnaliter.* Quod dictum videtur Algerus explicare, cum ex vero Eccleſiæ ſenſu, inuitante pietate ἀγαπῶν Euchariſtiæ ſubiungere hortatur. *Sed & ſi quis ſpiritaliter refectus, ob eandem Sacramenti reuerentiam aliquandiu ieiunet, vt hoſpiti ſuo Chriſto, ſobria hilaritate condelectetur, bonum eſt. Quamuis ablata omni ſuſpicione ſtercoris, ſicut ante cibum, ſic & poſt, in vitæ periculo conſtitutis dari concedatur, ſi neceſſe eſt.* Ita putarunt Doctores noſtri, Stercoraniſtarum hæreticorum obiectioninus, & vt loquitur idem Algerus, *quæſtiunculis* eſſe *ſatisfactum.*

Humbert. Card. l. contra Nicet.

Paſch. Radb. l. de Sacram. c. 20. cit.

IN PROOEMIVM.

Quàm vetus fuerit error ille in Eccleſia.

Ad illud.

Quod nunquam antea eſt auditum.

Prima origo eius erroris.

QVod tertium in turpis hæreſeos expoſitione quærendum monuimus, eius nimirum antiquitas, modò eſt à nobis inueſtigandum, vere ne dicat Anonymus ante ſeculum nonum, & Rabani aſſertionem, nunquam fuiſſe auditam in Eccleſia? Certè alia omnia ſentire me cogit hiſtoria, ſi modò verba ſeceſſus, & corruptionis vana religione non aucupamur, vbi rem ipſam, aut certè neceſſaria conſecutione deductam deprehendimus. Nam vt recentes illi Stercoraniſtæ, ſui erroris originem inde traxerunt, quòd in Sacramento realia omnia ineſſe crederent, ſpecies realiter ineſſe corpori Chriſti, ſecari iſtud in partes, mandi corporaliter, corrumpi: atque iis caſibus ſubditum naturali conſecutione non improba, proiici in ſeceſſum concluderent: ita quicunque vllis ſeculis antecedentem eiuſdem corporis diuiſionem, corpoream manducationem, & digeſtionem ſomniarunt, eos fateri neceſſe eſt, argumenta ſua ad corruptionem, & egeſtionem vſque perduxiſſe. Quid autē aliud pingues illi Capharnaitæ cogitabant, cum abierunt retrorſum? *Putauerunt enim*, iudice Auguſtino, *quòd præciſurus eſſet Dominus particulas de corpore ſuo, & daturus illis.* Idem putant Stercoraniſtæ, ſed hoc illis deteriores,

Capharnaitæ.

Aug. tr. 27. in Ioan.

quòd non scandalizantur; & se Christi discipulos credi volunt, ab eius doctrina procul dissiti. Habemus igitur Stercoranistarum Patriarchas, omnium nouæ legis hæreticorum principes Capharnaitas: vt iure omnium primogenitam vocare se possit illa hæresis.

Loci apocryphi. Possem huc Clementis Epistolam recens commemoratam aduehere, in qua secessus fit mentio. Sed ea dubiæ fidei est & apocrypha apud Paschasium, & Algerum: neque secessum, nisi in cibo communi vsurpat: neque demum vllos reperiri ait fideles qui hanc Sacramento fieri putent iniuriam, æquè incertum est Origenis testimonium, quod sic habet. *Hic ipse cibus ita sanctificatus, secundùm materiale quod continet, in ventrem vadit, inde in secessum; vt Dominus dixit: Omne quod intrat in os, in ventrem vadit, & inde in secessum emittitur.* Nam locum illum sola Erasmi fide Basileæ, superiore seculo publicatum, non recipit Eminentissimus scientiâ, Perronius. Quod si de solis speciebus, nam eæ solæ materiales sunt, intelligitur, à sensu Catholico non abhorret, eo quo à Theologis exponitur, modo. *Orig. in Matth. apud Perron. l. 1. de Eucha. in Orig. auctor. 7*

Paulus Samosatenus. Certiùs in illa sententia fuit Paulus Samosatenus, Arii Nestoriique præcursor, qui in Sacramento Eucharistiæ, Christi sanguinem corruptibilem esse ex eo colligebat, quòd diuidi videtur à Christo. *Accipite & diuidite inter vos.* Quem Dionysius Alexandrinus sic impugnat, *In sanguinem viuificum, & in Spiritum Sanctum insurrexit, eum conculcans. Etenim si sanguis Christi est corruptibilis, quia diuiditur, & funditur; reperietur quoque Spiritus sanctus corruptibilis, vt sanguis vitæ. Siquidem scribit Lucas in Actis Apostolorum, Cum complerentur dies Pentecostes, &c. Paulò post subiungit, Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquàm ignis & reliqua.* Neque minùs id debet intelligi de pane, quem *fregit*, *deditque discipulis suis.* Qui deinde *cognouerunt illum in fractione panis.* Quapropter hunc etiam hæreticum in Patriarchis suis numerare debent Stercoranistæ, qui, vt videtur, nullam in Sacramento figuram agnoscebat. *Dionys. Alexandr. apud Baron. an. 265. tom. 2.* *Act. c. 2.*

Arius. Sequutus Arius dici potest voraginem illam primus excauasse, additâ, & primùm expressa voce secessus, vt ex Ioanne Chrysostomo refertur in hæc verba: *Deus suum nobis corpus tradidit; non consumptum, non corruptum, non transiens in secessum; vt insanus Arius garriuit; & per Iacobum Nisibenum effusa sunt viscera eius.* Quod explico, stilo confutatus, & oratione punitus est. Vbi autem effusa? Certè in secessu. Quomodo? Narrant Marcellinus, & Faustinus in Libello precum ad Imperatores. Illamque pœnam Alexandri precibus attribuunt. *Nam cum pridie se putauit sanctam Ecclesiam Imperatoris auxilio, homo impius intraturum, cum nihil languoris, nihil doloris in corpore pateretur; sed quod grauius est, solo animi morbo insanabiliter ægrotaret, humanâ consuetudine secessum petijt: atque illic cum sederet, grauissimo repente dolore cruciatus, omnia sua viscera, & ipsum cor quod erat thesaurus impietatis, effudit in stercora; atque ità, mirabile dictu, internis omnibus enacuatis attenuatus est, & ad momentum, sicut luridati corporis tabe resolutus est; vt per angustias foraminis & sedilis, totus ipse laberetur. Digna hæc pœna impio, digna hæc mors turpis pestifero hæretico, atque de spiritu diaboli fœtidissimis membris digna hæc sepultura. Nouo enim exemplo & cruciari debuit, & perire qui nouas aduersùs vnigenitum Filium Dei commentatus fuerat impietates:* interque ceteras, fœditatem secessus augustissimo sacramentorum imposuerat. *Faust. & Marcell. in libello Precum.* *Arii punitio.*

Manichæi. Neque multùm ab hæc hæresi recedunt Manichæi, cum Iesu suo patibili. Duos siquidem fingunt, impatibilem alterum & Apostolicum cælestem & spiritalem, qui sub Pontio Pilato paruit, & cum Apostolis in simulato & phantastico corpore versatus est: terrenum alterum, & elementarem, qui virtute Spiritus sancti quotidie nascitur in segetibus, vuis & frugibus ex arbore, tanquam è cruce pendentibus: quem proinde patibilem esse oportet. *Dicitis magno errore, sed tamen dicitis, quotidie nasci, quotidie pati, quotidie mori. In cucurbitis videlicet, & in porris, & in portulaca, & in ceteris huiusmodi rebus. Magna ridicula! Magna cæcitas!* Et alibi. *Concipientem de Spiritu sancto dicitis terram gignere, patibilem Iesum: quem tamen ita contaminatum omni ex ligno pendere perhibetis, in frugibus, & pomis, vt innumerabilibus animalium vescentium carnibus ampliùs contaminetur; ex ea sola parte purgandus, cui fames vestra subuenerit:* Quam vos mundi scilicet atque electi comederitis. Sanè isti non potuerunt non cogitare secessum. Hæc autem referri modo aliquo ad Eucharistiæ sacramentum, colligimus ex eodem sanctissimo doctore, cum Faustum inducit dicentem, *Parem nobis esse religionem circa panem & calicem.* Hoc est, vt ego interpretor, Sic putat Faustus patibilem in sacramento esitari à nobis & potari Iesum, quemadmodùm Manichæi in victu, communi hominum & animantium, Iesum suum pati & mori existimant. Cui respondet Augustinus. *Noster panis & calix certa consecratione mysticus fit nobis, non nascitur. Proinde quod non ita fit*, quod modo nostro non consecratur, *quamuis sit panis & calix, alimentum est refectionis, non sacramentum religionis. Vobis autem per fabulam vestram, in escis omnibus Christus ligatus apponitur.* *August. l. de fide contra Manich. c. 34.* *Idem l. 20. contra Faust. Manich. c. 11.* *Ibid. c. 13.*

Grati posteriores. Habemus igitur plures modis diuersis ante hæc tempora illius aut vesaniæ, aut ignorantiæ fautores, à quibus augustissimum Christianę religionis mysterium deprimitur atque abiicitur ad diuisionem, ad corruptionem, ad secessum. Per illos ad seculum nouum deuentum est, quo illaudabili curiositate veteres illæ quæstiones suscitatæ sunt. Idque vitium Heribaldo & Rabano, tanquam primis auctoribus, per scriptum nostrum imponitur: quàm falsò, mox videbimus. Atque hîc subsistere nobis liceret, nisi Anonymum per athletas oppositos Berengario hactenus

Alge. l. 2. de Sacr. c. 1. cit.

explicuissemus. Placet ergo limites illos transilire, & Humberto Cardinali consulto, affirmare opinationem illam fæculentam ad Græcos transiisse, & Nicetæ Pectorato Monasterii studii Monacho cum Stercoranistæ nomine iure obiici, in hæc verba. *Sed ô perfide Stercoranista, qui putas fideli participatione Corporis & Sanguinis Domini quadragesimalia atque Ecclesiastica dissolui ieiunia, omnino credens cælestem escam velut terrenam per aqualiculi fœtidam & sordidam egestionem in secessum demitti: Planè sentis cum Ario, qui cum pro aliis blasphemiis in Filium Dei, tum etiam pro ista, foueam delapsus in atram visceribus fusis vacuus quoque ventre remansit.* Et paulò post. *Credis nos vitam incorruptibilem comedentes, corrumpere integritatem ieiuniorum, velut aliquo cibo corruptibili? Horremus quidem dicere, sed compellimur à tua impudenti improbitate. Conaris Christum imo ipsam vitam, per digestionem; sicut cœnum olidum demittere in latrinam.* Pleraque sententiæ huius verba mutuatus Algerus, Nicetam non nominat, sed vniuersè Græcos hæreticos. Mallem ego schismaticos tantùm dici: quippe à quibus per ea tempora magis schisma, & inueteratum in Latinos odium, quàm hæresis propriè & præcisè propugnata appareat: licet in Patriarchæ Michaëlis excommunicatione multæ nominentur hæreses: Nicetas verò noster exaratum schismatico stilo librum conuictus & inuitatus ab Humberto in ignem conieciit ipse, & ex animo ad Romanam sedem se adiunxit. Hic autem liber productam ex Humberto propositionem non præfert in terminis, neque verò illam apud horum temporum Græcos vsquam deprehendo: sed non ægrè per ratiocinationem ex eorum placitis educitur. Nam qui tota per quadragesimam hebdomada ab offerendo incruento sacrificio abstinent, quia diebus illis ieiunandum prædicant; Sabbato autem & dominica offerunt, quòd duobus illis diebus soluendum putent ieiunium: qui ex aduerso Latinos arguunt, quòd magni ieiunii tempore quotidie sacrificent, adeoque quotidie soluant ieiunium ab Ecclesia indictum, nonne sentiunt, & per Eucharistiam violari abstinentiam Ecclesiasticam, & eam à cibis communibus nihil differre, qui nutriunt, digeruntur, egeruntur? Incidunt ergo in Stercoranistarum hæresim, quemadmodum in Arii blasphemiam. Quæ tamen hæresis, neque cum vetustioribus in excommunicatione Michaëlis Cerularii, de quâ modò dicebamus, nominatur; neque quàm sit vetus, aut à quo initium acceperit, hîc ab Humberto significatur. Verùm nomen illud memorat tanquam vsu receptum, & vulgò notum certæ vnius & ab aliis sua nota distinctæ hæreseos.

Nicetas Pectoratus. Humbert. Cardin. resp. ad Nicet.

Plus aliquid addit Algerus, Græcos Stercoranistas dicere, *participatione corporis & sanguinis Christi solui ieiunia Ecclesiastica vsque ad crapulam & ebrietatem ventrisque distensionem.* Quæ manifesta exaggeratio est, quales in Theodoro Balsamone nonnullas legimus: qua Latinos Græci vocant in inuidiam, quasi hac occasione sacrificii ad exsaturandam edacitatem abutantur. Sunt autem hîc distinguenda duo, Ieiunii solutio, & crapula atque ebrietas, perquam diuersa. Nam Græcus error in eo situs est, quòd solui credant ieiunium Ecclesiasticum; quod nos Latini pernegamus, quanquam de naturali dici patiatur Theologia. Præterea digeri & in secessum emitti fatentur: in eo similes Stercoranistis, quod nos execramur. De crapula vero & distensione ventris, nihil alienum ducimus à speciebus sacramentalibus, vt ab homine intemperante per sacrilegium solui possit naturale ieiunium, vsque ad ebrietatem, vini specie sumptâ immoderatè. Neque vetamur Apostoli dictum eò referre. *Alius quidem esurit; alius autem ebrius est.* Nam cum oblationem singuli suam deferrent; modicam tenues, prælargam diuites, sua isti poterant inebriari, non minus sanè quàm illi mediocri sua temperatè nutriri. Quid autem Latinis exprobrant, quibus ob azyma sunt infensi, quando in eadem incommoda fermentati homines possunt incurrere? Nam cum hoc habeant in more positum, vt quadragesimalibus feriis obseruandi ieiunii causa Sabbato tantùm & Dominico perfectam missam celebrent, quibus apud eos ieiunare non licet, quibus diebus ex oblatione consecrata partes reseruant, reliquis hebdomadæ diebus, cum missa imperfecta sumendas, quod apud nos in die sancto Parasceues custoditur; quæro ab illis hac partium sumptione, credantur solui ieiunium an stare nihilominus? Si soluunt: non ieiunant religiosiùs quàm Romani: sin obseruant, quidni & Romani? An corporalis illa manducatio quam exprobrant, consecratione fit, quæ perfectæ missæ caput est; an potiùs communione quam missa imperfecta vsurpat? Et si grandis aliqua consecrati panis fermentati, & vini portio comeditur & hauritur, nonne aliquo dierum quinque *ad crapulam, ebrietatem, ventrisque distentionem* poterit ascendere? Hoc argumentum attingit Humbertus dum Clementis Pontificis verba expendens, *Qui consumpserint, ieiunent vsque ad sextam vel vesperam,* *alioquin*, inquit, *quomodo ieiunabunt si ex sacrificio ieiunium soluerunt?*

Græci calumniantur Latinos. Alger. l. 2. de Sacr. c. 14.

D. Th. 3. p. q. 80. a. 8. ad 4.

1. Cor. 11.

Humbert. Card. contra Nicet. cit.

Atque vt eorum calumnias veris retundat obiectionibus, quantùm circa sanctissimi Sacramenti particulas intolerabili negligentia & irreuerentia peccent, commemorat. *Dum sanctum panem frangentes & sumentes, hinc inde decidentes micas non curatis. Quod etiam solet contingere, dum patinas sanctas foliis palmarum aut porcorum setis fricatis inhonestè. Nonnulli quoque vestrûm tam irreuerenter corpus Christi reponunt, vt pyxides inde cumulent & ne decidat, aut supereffluat, manu inculcant. Reliquias quoque oblationis, velut communes panes nonnunquam vsque ad fastidium sumunt; & si sumere non sufficiunt, subterrant, aut in puteum proiiciunt. Ad hæc quòd asseris, vos ab ipsa sancta communione statim ad communes cibos transire, &c.* Quod sanè veri Stercoranistæ non refugerint. Ac ne quadragesimalem abstinentiam gloriosè supra Romanos mores efferant, subiicit ad extremum: *Deinde abstinentiam paucissimorum nobis prædicantes, facitis ingluuiem multorum, qui aut parum,*

Græcorum irreuerentia erga Eucharistiam. Ibid.

aut nihil quadragesimalis ieiunij Deo offerunt, dum à primo mane, vsque ad vesperam crapulari non metuunt, nec erubescunt. Aliqui etiam ad Ecclesiam legumina, & alia obsonia deferentes, inibi comedunt: nec Paulum dicentem attendunt: Qui esurit, domi manducet. Hæc pauca ex nobili disputatione seligere placuit, à proposito non aliena: quæ Stercoranistarum & heresin & nomenclationem aliquantò antiquiorem Berengarianis temporibus fuisse supponunt. Quibus tamẽ placet addere, hæreticos eosdem videri Lanfranco ignotos extitisse, quæ autem eorum principia si nosset Berengario non diceret: *Prior sententia per quam dicitur, panis & vinum altaris solummodo sacramenta sunt, tua est, tuorumque sequacium. Posterior verò qua enunciat, panis & vinum altaris solummodo sunt verum Christi corpus & sanguis, nullius hominum est.* Imo verò Stercoranistarum erat qui realia omnia, sacramentale nihil in Eucharistia agnoscebant.

Lanfran. l. de Euch. Sacram.

Sicidites Monachus.

Progredior vlteriùs & finio. Post hæc Humberti & Algeri tempora, imperante Alexio Comneno, extitit apud Græcos Pseudomonachus quidam Sicidites, homo seditiosus, & nouandis in fide rebus idoneus; quem narrat Nicota Choniates, hanc mouisse quæstionem, ipsam sanè nostram quæ nos huc deduxit: *Vtrum Christi corpus in Eucharistia perceptum, incorruptibile sit, quale post passionem & resurrectionem? An corruptibile vt ante passionem?* Sic autem ratiocinabatur hæresiarcha, cum asseclis. *Si esset incorruptibile, etiam mentis esset particeps, & animatum, & neque tangi posset, neque videri, neque dentibus scinderetur, & moleretur, & in ea diuisione nullam omnino molestiam aut dolorem sentiret.* Vnde concludebat, cum hæc omnia inesse ipsi videamus, sequi omnino patibile & diuisibile corpus esse, merus Stercoranista, cui nulla erat in Sacramento figura, sed tota veritas. Insano Monacho Ioannes Camaterus Georgii Xiphilini in sede Constantinopolitana successor se opposuit, eodem pene euentu quo Hincmarus Gottescalco. Nam scripto aduersùs eum libro, quæstionem vulgi linguis euentilandam, proposuit, & instar flammæ cum sopire vellet & deberet, accendit. Imprudenter sanè, ait historicus; debuerat enim aliter extingui [illegible]. Nam multarum hæreseon sepulchrum est contemptus & silentium. Idque huic demum cloacæ aduenit vt obscurissimum dogma remanserit, neque vulgò in hæreticorum Catalogis Stercoranistæ nominentur.

Nicet. Chomat. l. 3. hist. sub Alexio Comn.

Ioannes Camaterus illi oppositus.

IN PROOEMIVM.

Huius hæreseos Heribaldum & Rabanum Maurum falsò accusat Anonymus.

Ad illud.

Heribaldo Antissiodorensi Episcopo qui turpiter proposuit, & Rabano Maguntino qui turpius assumpsit, &c.

ÆQuum videtur dedecus illud ab Heribaldo, & Rabano Mauro propulsari, ne ignoti hominis, & auctoritate, & testibus destituti contumelia viri pietate & doctrina præstantes conspurcentur. Miror equidem vnius huiusce opusculi testimonio permotum Cardinalem Perronium, tanquam indubitatum assumpsisse, Stercoranistarum hæreseos auctorem & Architectum fuisse Heribaldum; quicum Rabanum etiam semel nominat. Verùm quod in simili proposito expendimus, si quid viri litterati ex vulgi opinionibus, tanquam de famæ manu, sine disquisitione acceptum temerè coniiciunt in chartam, non id continuò vel asserere ipsi, vel sua auctoritate nobis credendum tradere censendi sunt, vt Christum Dominum ex Iosepho nutritore fratres habuisse: animam Traiani orante Gregorio Magno inferorum cruciatibus fuisse liberatam: Manicodiatas Græca voce Apodes dici, quòd pedibus careant. Cygnos morientes suauissimè canere, & eiusmodi sexcenta in omni rerum genere. Sed quod suis rationibus vel examinarunt ipsi, vel ab aliis ritè libratum & constitutum, suo demum calculo comprobant, illud ego propriè in eorum sensu esse iudico, & nisi luce meridiana illustrius aliud offeratur, pro rato & fixo habendum arbitror. Rem verò quam agimus, ad libellam & examen vnquam ab vllo reuocatam esse non memini: neque quicquam causæ fuit cur bonas horas in ea dilapidaret hæreticorum nostrorum malleus. Itaque adhuc in integro positam, bona hominis inter doctos eminentissimi venia, ad sapientium tribunal adduco, & non infirmis rationibus conficio, quod mihi penitus persuasum est, Præsules optimos ab omni circa Eucharistiam errore immunes esse; à turpi autem Stercoranistarum secta longè longiùs abesse.

Huius scriptoris auctoritas illos non facit reos.

Atque in primis qua temeritate litem intendit aduersarius, eadem nos confidentia repellimus, à libris derelicti, qui velut tabulę obsignatæ reorum Chirographum nobis exhibere poterant, si extarent. Heribaldum enim ne scripsisse quidem scimus; Rabani verò Epistolam ad Egilonem Abbatem vetustas obliterauit. Hoc igitur elencho destituti, ad alia argumenta confugimus temeritatem accusationis probaturi, vt persuadeamus Anonymum vel ea scripta non legisse quæ citat, vel lecta perperam intellexisse,

Sine testibus illud asserit.

Non enim vel profundam ſcientiam, vel acre & limatum parentis ſui iudicium tenuis hic libellus exhibet, vt in cęcum *αὐτὸς ἔφα* nos vlla neceſſitate deducat: Maximè qui ab ipſo diſputationis ingreſſu in flagrante culpa deprehenſus eſt. nam cum iſtos eius erroris Architectos fuiſſe dicat, neque antea vnquam auditum, certiſſimè ab Arianis temporibus auditum monſtrauimus, & eius originem malè Latinis tribui, quę Græcis hæreticis aſſignatur.

Heribaldus laudatus à laudatis viris. Et Heribaldi quidem vt obſcurior memoria eſt, ita difficilior apologeticus, cùm nulla vſquam extent eius ingenii monumenta, quæ vel illius doctrinam, vel Eccleſiaſticorum dogmatum rituumque peritiam vel Theologiæ ſenſum, vel iudicium de rebus ab eo fieri ſolitum, vlla ex parte manifeſtent. Adeo tamen fœda eſt Stercoraria iſta blaſphemia, vt ſi quando illam aut ſcriptis aut vlla voce protulit, totius ſeculi ſui animos à ſe debuerit auertere, & de ſtercore boum viliſſimorum etiam bubulcorum manibus, lapidari. At ex oppoſito laudatum videmus à præſtantiſſimis hominibus, qui errores in fide non magis tolerare potuerunt, quàm ignorare. Illorum agmen iure ſuo ducit Carolus noſter Magnus, cui quàm carus fuerit, ex Epiſtola metrica eius nomine, per Vualafridum Strabonem ſcripta, manifeſtum eſt quæ ſic incipit.

Vualfr. Strab. ep. ad Herib. *Non minimas grates, nec parua rependere tantis*
Præmia nos mentis velle Heribalde putes.

Laudat deinde quas ab illo accepit litteras.

Sis felix, noſtriſque ſcias tua cordibus aptè
Seria permixtis complacuiſſe iocis.

Lupus Ferrar. ep. 9 Lupus autem Ferrarienſis & religioſa virtute, & aulica comitate inſignis. *Excellentiſſimum Præſulem* vocat. *Natura*, inquit, *quæ nos arctiſſimo neceſſitudinis vinculo nexuit priſtinique amoris, qui nos vnicè ſingulariterque deuinxit, ſinceram mihi beneuolentiam exhibendam decreuiſtis.* Genere propinquum & arctiſſima amicitia coniunctum decent hæc verba Quali autem quantoque ingenio fuerit, ab eodem magnificè docemur. Idem ep. 32. *Vtinam altiſſimum diuinumque veſtrum ingenium, quantùm fieri poſſet, à communibus auerſum negotijs, ad indaganda humanæ vel diuinæ ſapientiæ transferretur ſecreta, profectò nobilitas veſtra officijque clariſſimus gradus dignum ſua amplitudine cepiſſet emolumentum* Multa paucis verbis tegit ingenioſus Abbas, quæ noſtra intereſt euolui. 1. Hominem in exteriora negotia effuſum in litterarum ſtudiis minimùm operæ ponere: quis igitur librorum lucubrationem ab eo expectet? 2. Satis leuiter tinctum fuiſſe Philoſophicis & Theologicis doctrinis, quando ad indaganda, non ad excolenda, & ornanda earum ſecreta inuitatur à perito. Quis igitur credat ab eo diſputatum fuiſſe de myſterio perquam obſcuro, quod Philoſophiæ Theologicæque mentis acie penetrari oportet? 3. Illud ſcientiæ ornamentum eius generis claritudinis deeſſe. Quid tu? Franci Sanguinis nobilitatem, ad ſumma ſemper erectam, in turpe talium dogmatum cœnum deiici potuiſſe arbitraris? 4. Eundem ſcientiæ defectum prohibere, quò minùs Epiſcopalis gradus amplitudinem expleat. Sic hominem argueret Lupus, qui digeſtionem & corruptionem in myſterium fidei, & latrinam in Eccleſiæ aras intuliſſet? O cœnum! O portentum! 5. Et hæc ex Epiſtolæ occaſione lucem accipiunt. Petenti enim Epiſcopo commentarium Hieronymi in Prophetas, & Iulium Cæſarem Hiſtoriographum Romanorum. Reſpondet Abbas, Iulium Cæſarem Hiſtoriographum Romanorum nullum eſſe; ſed ab ipſo ſcriptos Commentarios de Bello Gallico, & ab Hirtio reliqua eius geſta. Librum autem Hieronymi mittit ea lege, vt citò vel legi iubeat, vel deſcribi. *Quem veſtra diligentia citò aut exſcribendum, aut legendum procuret, nobiſque reſtituat.* Veretur quippe ne incurrentibus negotiis aliò auocatus, longam moram ponat in reddendo. Si vix alienum librum legere poteſt, aut deſcribere præ negotiis, de ſuo credis poſſe ſcribere? Si neſcit Hiſtoriographum non eſſe Iulium Cæſarem, tam peritus eſt, vt de rebus ſublimibus tractare audeat? His adde Sermonem *Flori Diaconi* Lugdunenſis ab ipſo Floro acceptum, & Heribaldum cogita lautis ſemidoctis ſimilem, qui quam olim neglexerunt ſcientiæ gloriam ſeri dolenteſque affectant, & Bibliothecas extruunt in ſolatium incuriæ, vt ſenes doctorum conſuetudine perfruantur. Illum autem & ſic Lupus, ſine vlla erroris exceptione commendat, cuius iudicium tanti facio, nihil vt vitioſum ab eo probari, nihil dubium tentari potuiſſe mihi facilè perſuadeam. Quare deficientibus aliis monumentis, ad Heribaldi commendationem multùm apud me valet, quòd à laudato viro ſit laudatus.

Sequuta eſt ea gloria mortuum & Heribaldum vocauit Hincmarus, *venerabilem quondam Antiſsiodorenſium Epiſcopum, Venerandæ memoriæ Epiſcopum:* eo titulo nunquam in æternum donaturus hæreticum. Inſcriptio quoque ſepulcralis antiquæ ſanctitatis nomen & gloriam ei conſeruat, in cryptis S. Germani Antiſſiodorenſis vetuſtiſſimis characteribus Gothicis vt vocant. *Hic requieſcit Sanctæ recordationis Eribaldus, qui fuit Abbas iſtius Monaſterij; poſtea Epiſcopus factus, rexit Antiſsiodorenſem Eccleſiam annis triginta quatuor. Obiit autem ſeptimo Kalendarum Maiarum, & in Baſilica ſancti Germani habuit ſepulturam.* Quòd legis, *ſanctæ recordationis* ſimpliciter vſitata tum locutione, ſanctum intellige: non enim aliter eo loco appellantur ceteri, quorum vniuerſa Diœceſi dies feſtus celebratur, & in Martyrologium Romanum inſerta ſunt nomina. Quare & communiter ab omnibus apud Antiſſiodorum ſanctus vocatur, miſſæ in eius honorem celebrantur, in eius Monaſterii Litaniis inuocatur. Ita demum intellexit eius Epitaphii Gallica interpretatio, & ipſa trecentorum annorum vetuſtate venerabilis. *Cy giſt le corps de Monſieur Sainct Heribald*, &c. Illi defuncto datus eſt ſucceſſor Abbo frater, in Conciliis noſtris Tullenſibus memoratus: qui & in eiuſdem Monaſterii præfectura, fratri ante ſucceſſerat. Egone enim hæc mecum perpendo, credam hominem in

Post mortem ſanctus indicatus. Hincm. l. de præd. Præfat. & c. 6.

Vetus Epitaphium Heribaldi.

omnium oculis & veneratione viuentem, nulla vnquam inter æquales ἑτεροδοξίας labe conspersum Lupo viro optimo probatum. Hincmaro, qui nemini vnquam pepercit hæretico, cum hanc controuersiam tractaret, intactum; cuius memoriam posteritas perpetua sanctitatis veneratione coluit, vt de Carolo Magno, & Vvalafrido Strabone nihil repetam: cuius fratrem Cleri populique consensus ad Episcopalem Thronum euexit; illum inquam hominem concedam turpissimi dogmatis parentem & principem extitisse, & de eo totum seculum tacuisse?

Rabanus à mendace huius erroris accusatus. De Rabano quoque Maguntino, eximio huius seculi sole, tam indigna scribi à nescio quo nullius nominis tractatore, nescio ridere debeam, an indignari? Quippe cum hoc in iudicio, si alia omnia desint eius innocentiæ argumenta, plus apud sapientes ponderis habiturus sit omnium quotquot vel eo tempore. vel consequentibus seculis scripserunt, in asserenda eius gloria consensus; quàm leuissimi alicuius opusculi ad eam obscurandam nubecula, nullo negotio dissipanda. Quid hic dicam? quid cogitem? Tam altè dormisse animosos illos huius ætatis disceptatores, vt Theologum, non quemuis è vulgo, sed omnium celeberrimum; non in angulo, sed in Archiepiscopali Cathedra; non de re obscura, sed de augustissimo mysteriorum Christianorum, non leuia quædam sed dictu auditu que spurcissima & abiectissima, priùs inaudita disserentem & sanctissimæ fidei thalamum turpi proluuione polluentem taciti patientesque audirent? Post hæc Vvalafridus Strabo, & Lupus Ferrariensis tali magistro gloriari sustinuerunt? Cum hoc errore Hincmarus illum admiratus est, vt ***tunc temporis de discipulatu B. Alcuini relictum***? Flodoardus ***Beatum Rabanum*** appellare ausus est? Quid tunc *Flodoard. l. 3. hist. c. 14.* Gotteschalcus ipsi adeo infensus, vt Catholicos omnes Rabanicos nuncuparet? Quid Ratramnus & illius de Prædestinatione sententiæ oppugnator acerrimus, & Gotteschalci ab ipso primùm damnati studiosissimus propugnator, & Paschasio Abbati suo propter eandem quam ipsi affingit secessus opinionem vehementer infestus? Quid ipse Paschasius Radbertus malè ab illo explicatus, & nimio zelo reprehensus? Rem tantam, tam nouam, tam olidam, quæ latere neminem poterat, aut nemini non admodum improbari, ne apice quidem aut amici monendo, aut inimici arguendo tetigerunt: & scriptor iste tantò post exortus est, qui priores omnes aut ignorantiæ insimularet, aut negligentiæ?

Catholica scripta Rabani. Cui argumento non inefficaci, licet negatiuo, ritè affirmans adiungitur, monstraturque Rabanus de Sanctissima Eucharistia semper sanctè & Catholicè loquutus, neque vllo vnquam verbo hæreticis fauisse: quod ex primis huius opusculi capitibus certò conficitur, quæ Catholicè scribentem cum Paschasio & Hincmaro Rabanum exhibuerunt Ac ne mortua ad Egilonem Abbatem Epistola nobis obiiciatur, totis sex eius operum tomis, ne vestigium quidem eius turpitudinis patet: neque in auctore tanti nominis probabile quicquam repererunt nostrates hæretici, quo suas in partes illum traherent, vt in Purpurato controuersiarum scriptore manifestum est. Accedit quòd hanc hæresim non vlli Latinorum, sed Græcis solis tribuunt: qui primi eam de nomine appellant Humbertus & Algerus. Vnde igitur Græcis illis priores Heribaldus, & Rabanus excogitatæ huius fœditatis accusantur? *Perron. l. 2. Euch. in Rabano auctor. 4.*

IN CAPVT I.

Conciliatur Anonymus cum Heribaldi & Rabani innocentia.

Ad illud.

Si forte per ea simplicitas Paschasii Radberti possit excusari vnde maximè ab obloquentibus Rabano & Ratramno sugillari videtur.

QVid ergo? calumniæ reum facimus opusculi manuscripti auctorem tam obfirmatè contra Heribaldum & Rabanum, vt erroris illius architectos, disputantem? Puto, lector, absque vtrorumque iniuria litem posse dirimi, si quid in re plausibili, diuinationi nostræ voles permittere. Illam verò ne indices vmbratilem, duplici fundamento nixam propono, quod non aliunde, quàm ab ipso mihi Anonymo subministratur.

Prius est. Epistolam Rabani ad Egilonem, non fuisse simpliciter exegeticam, sed Polemicam & aduersùs Paschasii Radberti opinionem, libello centum ferè capitulorum contentam, disputasse. Non quòd erraret Paschasius, sed quòd obscuriùs, & fortasse verbis periculosioribus mentem suam exponendo, malè sentientibus, aut imperitis ansam errandi præberet: vt antea pene confitentem Paschasium ipsum vidimus. Quæ fuit eius *simplicitas*, excusatione, quam obloquutionibus dignior, nisi nouantium ingeniorum sentes & spinæ ad verba quælibet cupidiùs tum adhæsissent; quem lapidem vt vitet ipse Rabanus, Prædestinationem cum Prudentio in malorum parte non vult dicens: & Hincmarus contra Gotteschalcum disputans, geminam Prædestinationem audire non potest à qua in Catholica disceptatione non abhorret.

Qualis fuerit Rabani ad Egilonem epistola. Posterius, Heribaldi & Rabani disputationem absolutam non fuisse, sed hypotheticam; supposita praua quapiam Radberti doctrina: quam si Anonymus in statum absolutum, remota hypothesi conuertit, & quæstioni, & contendentibus præ mentis stupore fieri iniuriam. At Catholicum animum non lædit ea disputandi forma, sed dirigit, & cauendum monet, quod non verè concedatur. Vt cum in Academia hominem definiuit Plato, animal bipes implume. Diogenes rectè argumentatus est, si hoc rectè crederetur, Gallum Gallinaceum detractis plumis hominem fore. Captus est ea similitudine Philosophus; capi non potuit Paschasius, quia in recessu habuit quo se pleniùs explicaret. Et sic quidem egisse Rabanum docet ipse Anonymi textus. *Qui-*

busdam blasphemantibus secessui obnoxium fore. Non, esse, simpliciter & absolutè: absit: sed *fore*: si nimirum hoc atque illud sic proponit aut intelligit aduersarius. Sapit profectò vox illa disputationem conditionatam: ac licet alibi auctor idem futuro illo in rem præsentem vtatur, quæ est prauæ Latinitatis incuria; volo tamen aliis rationibus impellentibus mihi persuadere strictè & propriè hoc loco dixisse *fore* [illegible], futurum esse.

Rabanus adigit tantum Radbertum ad declarationem sententiæ suæ.

His positis repetendum breuiter est ex superioribus, stetisse constanter in eo Paschasium vt corpus Christi quod sacramento continetur, inesse diceret quod natum ex Virgine est, quod pependit in cruce, quod iacuit in sepulchro. Illud autem sic docuisse, vt inde colligerent aliqui, eum quasi *partes facere voluisse, & eius per singulos membra diuidere, concisa vel dispersa.* Contra hæc, mente ipsius nondum penitus explorata, insurrexerunt Heribaldus & Rabanus, vt probarent non omnino idem, passioni videlicet & corruptioni subditum tegi speciebus Eucharistiæ; sed mutationis penitus incapax, quale resurrexit de sepulcro, & regnat in cælo. Atque hanc inter ceteras adhibuerunt rationem; inde sequuturum, vt corpus Christi in Sacramento ab aliis cibis non differret, qui & corrumpuntur, & in secessum emittuntur: quam fœditatem horreant & execrentur contendentes; neque vllo modo debeat proponens admittere. Conueniebant quippe omnes isti vna in assertione Catholica, Christi corpus in Sacramento ipsum esse quod natum est ex Virgine, & pependit in cruce. Sed quia vlteriùs quæritur an idem secundùm omnes qualitates dici debeat? eò perducta est quæstio, Sit-ne in Sacramento Christi corpus tantùm specificatiuè, vt volunt Heribaldus & Rabanus; an reduplicatiuè, vt natum est ex Virgine, & passum in cruce; quod putant voluisse Paschasium: & si verum putant, rectè reprehendunt: sin falsò, ad euidentiorem opinionis suæ declarationem magno Ecclesiæ bono, & audientium assensu, Abbatem adigunt, ne simplicioribus illudatur. Quam declarationem, expositione in Matthæum suscepit, & exsequutus est vir religiosissimus, in quo modestia cum doctrina certauit. Volebat enim tantùm à Radberto Rabanus exprimere, contineri Sacramento altaris corpus Christi, non quomodo natum erat ex virgine passibile, corruptibile vt manducari possit, dentibus confici, quæ Capharnaitarum fuit hæresis spissa & indecens: ex qua sequebatur egestio & secessus: sed quomodo resurrexit, & in cælum ascendit, immortalis, impassibilis, & semper totus & integer perseueret. quod declaratione sua profitetur Paschasius: & vterque pro fide catholica pugnet de obuia distinctione, quam exprimi necesse non erat rectè intelligentibus. Sed intererat plurimùm rei catholicæ vt Paschasius abbas, Sacramentariorum nobilissimus impugnator, non tantum esset, verùm etiam videretur vndecunque catholicus: quod hac oppositione Heribaldi & Rabani perfectum est, quam si quis existimat in re admodum tenui positam à nobis, meminerit velim, hanc omninò esse disputationum istius seculi naturam vt in leuiculis subtilitatibus magnas tragœdias excitent: quantas vidimus in gemina prædestinatione, in prædestinatione impiorum ad pœnas, aut pœnarum pro impiis, in trina Deitate. Hæc de religiosorum & catholicorum virorum contentione dicta sunt: vt donec emergat in lucem Paschasij liber de Sacramentis, si non sufficiunt quos habemus præ manibus; aut Rabani ad Egilonem Epistola, hoc interim Catone contenti simus.

Refellitur Dauid Blondel fallacia.

l. Eclucidas de Euchar. c. 18.

Ex quibus omnibus id præterea deducimus, perperam dixisse Dauidem Blondel Caluini asseclam habuisse quidem Paschasium sectatores aliquos, sed eius opinionem *à maximis eius seculi viris fuisset damnatam.* Eos autem nominat, Amalarium Archidiaconum Treuirensem auctorem librorum officialium, Rabanum, Heribaldum Antissiodorensem Episcopum, Bertranum, siue Ratranum Presbyterum, Ioannem Erigenam, & plures alios: non excluso Vvalafrido Strabone, Floro Lugdunensi, & Episcopis in Concilio Carisiacensi, anno 858. congregatis. Hic locus & plurimis in historia maculis perspersus est, *quas longum* sit exponere, & veteratoriam hominis artem declarat imperitos decipere molientis. Nam etsi concedamus scholastica contentione fuisse partem aliquam eius doctrinæ impugnatã; negamus tamen esse damnatam. Et de Amalario quidem sæpe iam dictum. Vvalafridum Strabonem idem cum Paschasio de veritate corporis & sanguinis Domini in Eucharistia sentire, adhuc in eius opere legimus. Florum Lugdunensem & catholicum esse, & Paschasio non repugnare illud probat, quòd nemo illum Radberto, sed recentiorum aliqui *opponunt Amalario, quem putant hæreticum.* De Ratramno & Ioanne Erigena confecta res est. Nam cum errando Paschasium impugnarint, nonne monstrarunt veram esse Paschasij doctrinam, à quo solus error discedit? Ridiculè fingitur anno 858. in Concilio Carisiacensi, in summa regni perturbatione, inter arma & bellicos fragores de Eucharistia disputatum esse, eaque de re capitula quæ neque Concilia Galliæ, neque capitularia Caroli Calui agnoscunt, explodimus. De Heribaldo, & Rabano satis est factum. Et videbit sectarius quomodo sibi ipse consentiet aliàs non negligens inuestigator, cum ait scriptum fuisse à Paschasio anno præcisè 818. impugnatum esse à Rabano iam Episcopo, qui vt ipse numerat, Episcopatum adiit anno 847. Aliis videlicet curis occupatus, cum omnis tum Theologia Gotteschalcatis erroribus personaret, Paschasium tantò ante auditum, tunc fortasse defunctum, intempestiuè & penitus superfluè, sopito iamdiu quæstionis cinere excitando aggressus est Rabanus vir prudentissimus. Itaque si quid scripsit Rabanus, & quomodocumque scripsit, Probabilius est id fecisse iuuenem adhuc, & nihil magis quàm Monachum. Peruelim ergo scire, ex eò quòd ad Egilonem Rabanus scripserit, secundùm Anonymum quomodo sequatur, fuisse tunc Episcopum, & Egilonem illum non esse Abbatem Fuldensem, qui anno 822. viuere desiit, sed Egilonem Abbatem Prumiensem, qui ab anno 853. ad annum 860. eam dignitatem tenuit. hæc enim omnia merè gratis afferuntur. Sed hæc hactenus, venio

Vvalafr. Strab. l. de reb. eccles. c. 16. 17.

ad Ratramnum, qui iamdudum nominatus est ab auctore.

IN CAPVT I.

Ratramnus siue Bertramus tertius S. Paschasii Radberti aduersarius. Ad illud.

Contra quem satis argumentatur Ratramnus quidam libro composito ad Carolum Regem.

TErtius Paschasii Radberti aduersarius, appellatus ab Anonymo, Ratramnus est, qui hoc propium habet, vt magnam de se vbique faciat quæstionem. Nam cum hinc certò constet, scripsisse illum contra Paschasium de Augustissimo Sacramento; dubitatur Catholicè scripserit, an hæreticè? affirmantibus enim aliquibus, imo & plurimum laudantibus, plures omnino negant, & eius librum proscribunt. Extat quidem ipse, si tamen ipse, & ipsius: Et hinc maior perplexitas, & obscuriores ambages. Nam primi & soli typis vulgarunt hæretici Sacramentarii. Putas id facturos nisi patrocinaretur errori? At in quibusdam Bibliothecis Anglicanis eius *opusculum vnum asseruatur*, teste Vsserio Armachano, & eius assecla Dissertatore Præside, de Natiuitate Christi, *in quo eandem quam in libro de Corpore & Sanguine Domini tradidit, propugnat doctrinam.* Ab eo in publicum edendo abstinerent Puritani, si faueret hæreseos impuritati? Rursum Decreto Tridentini Catalogi liber Bertrami de Catholicorum omnium manibus excussus est. Hîc dubium ne te maneat, is est Ratramnus, vtriusque nominis auctore Sigeberto: sed quia opusculum istud à primo editore Basileensi Bertrami potiùs quàm Ratramni titulo donatum est; sic vulgò citatur, & nos indiscretè vtroque nomine ad eundem scriptorem significandum vtemur in posterum. Sed neque certius ex illo interdicto iudicium de auctore. Siquidem aut penitus suppositum, & spurium fœtum, aut certè corruptum & interpolatum, atque hæreticis sensibus à malâ manu perspersum esse contendunt Catholicorum aliquammulti.

Vsser. l. hist. Gotesch. c. 11. Dissert. c. 17.

Huius dissertationis dispositio.

Per has tenebras cautè incedendum ac lentè, ac primùm asserendus Ratramno liber, quem si non tangit, remota penitus est ab historia Gottescalci hæc disputatio. Sin omnino Ratramni partus est, nemo quæret, aut queretur *Celsum* Goteschalci *magistrum amicum, dominum, patrem,* ad vnguem explorari, & artem ostendi, cuius se preclarum artificem discipulus præbuit, magno fidei caritatisque dispendio. Tum ad operis considerationem aggrediemur; cui cùm iudicia Catholicorum subiecerimus, nouatorum obiectionibus satisfiet: vt quatuor aut quinque capitibus differtatio ista conficiatur.

Ratramnus auctor est huius libri.

Atque vt ordiamur à primo, post Sigeberti & Trithemii testimonium, nemini dubium esse debet, quin Bertramus librum scripserit de Corpore & Sanguine Domini. Hunc autem esse, de quo agitur, librum, mihi persuadet in primis Anonymus noster, quo monente discimus, Ratramnum Paschasii doctrinæ oppositum esse: Hieronymi auctoritate illam oppugnare: librum illum *compositum* fuisse *ad Carolum Regem:* Quæ omnia in Bertrami opusculo deprehenduntur. Quibus addo quæstionis statum à Paschasio Radberto propositæ, an Corpus Christi natum ex Virgine, crucifixum & sepultum sit in Eucharistia? In qua tranctanda multus est auctor iste: quam quis alius diuinauerit, cui sit ignotus Anonymus noster, Epistola Rabani deperdita? Raræ profectò, & non humanæ felicitatis est, confictum ab hæreticis librum ita formari, & imponi Ratramno, scriptori antea obscuro, vt scopum exactè feriat, quem aduersarius æquè ignitus constituit. Quid enim notabat nomen aliud nobilius è tota antiquitate deligi quod adulterinis prætium conciliaret? Aut quis genius illius operis Petro Ratramnum suggessit, qui stupendo prorsùs euentu, modò cognoscitur eam tractasse quæstionem, temporibus nostris inusitatam? Deinde hanc in opinionem me adducit stilus, methodusque dicendi, ei non absimilis operi quod nuperrimè amplissimè Præsulis Dissertatoris opera prodiit, de Prædestinatione, Ratramni nomine: atque illi alteri, quod nondum editum est, cui Titulus in Codice Corbeiensi, *Contra opposita Græcorum Imperatorum Romanam Ecclesiam infamantium, libri quatuor Rathramni Monachi.* Cum enim duo hæc opera studiosiùs lego, & cum tertio isto, Bertrami de corpore & sanguine Domini confero, vnius parentis tres liberos videre mihi videor, in magna lineamentorum similitudine, & sola scriptoris ætate, & materia ipsa dissimiles. Adeo Scripturæ & Patrum citationibus perpetuis, strictis & breuibus obseruationibus in singulas, prauis sensibus in verba Catholica furtim & callidè immissis, prout institutum exigit, sæpius rariusve redundant. Vis aliquod eius dicti specimen?

Sigebert. l. de scrip. Eccles. c. 95. Trithem. l. de scrip. Eccles.

Ratramni liber contra opposita Græcorum. Stili horum inter se librorum similitudo.

Opus vtrumque de Prædestinatione, deque corpore & sanguine Domini à Præfatione dedicatoria inchoat, Magno Caroli Regis præconio, quòd de rebus sacris peritos consulat, cum obedientiæ & tenuitatis suæ professione. Quam & ampliùs in operum omnium conclusione declarans, corrigi postulat si quid malè & perperàm dictum est. Sic enim in Prædestinatione. *Egimus igitur vt potuimus, &c. His ita obsecramus magnitudinis vestræ pietatem, vt hæc scripta si sapientiæ vestræ non displicuerint penes vos habeantur. Quòd si displicuerit libellus iste, per vos obsecramus vt corrigatur, & nobis quæ correcta fuerint, non abscondantur.* In responsione autem MS. ad obiecta Græcorum. *Egimus velut potuimus, respondentes ad ea quæ nobis scripta misistis: quæ si placuerint, Deo gratias agimus: sin verò displicuerint, vestræ correctionis censuram præstolamur.* Hæc profectò nesciebant à Ratramno scripta esse lustrici illi susceptores, cum superiori seculo, Bertrami opus produxerunt in hæc verba terminatum. *Imperio magnitudinis vestræ*

Ratram. l. 2. de prædest.

Idem MS. contra obiecta Gregor. l. 4.

Idem l. de corpor. & sanguin. Domin.

parere cupientes, præsumpsit paruus rebus de non minimis disputare : quæ si probaueritis dicta, vestra meritis fidei deputate : sin autem minùs placuerint, id nostræ deputetur insipientiæ : quæ quod optauit minùs efficaciter valuit explicare. Quæ omnia, cum germana sint, vt vides, & ex eàdem officina educta, non videtur suppositus, & falsò Bertramo adscriptus liber hic de corpore & sanguine Domini. Sit-ne verò saltem hæretica manu corruptus per interualla locorum, facile iudicabit qui & ipsum & eius opera diuersa nouerit : si tamen animum ad ea admoüet aut studio Gotteschalci, aut Hincmari odiò liberum.

Reprehenditur quòd in Paschasium, & Hincmarum scripserit.

Itaque *contra Paschasium satis argumentatur Ratramnus quidam, libro composito ad Carolum Regem*, non vllus recentior eius nomine abusus, aut dicta corrumpens. Iam hoc peruersum dico & inordinatum, quòd contrà Paschasium Ratramnus egerit : & si quis tam est amicus Gotteschalci, vt præfractè neget mouendam esse Ratramno litem de fide Eucharistiæ, qua fronte negabit mouendam esse de modestia, & caritate ; qui sit ausus duo Ecclesiæ lumina prælatos suos ipse priuatus Monachus, suorum scriptorum puluere conspergere, & pro veteri Ecclesiæ fide certantes lacessere ? Hoc si quis modo temerarius, quantumuis eruditus auderet è claustro, quibus conuiciis, execrationibus, fulminibus exciperetur ab Hierarchia ? Neque, vt opinor exemplum Rabani afferetur ex Anonymo, cui Paschasium licuit salua sua gloria, & Religione Catholica fortiter oppugnare.

Ratramni cum Rabano comparatio.

Nam vt omittam dicere de quæstione aliter explicata, non est hoc loco Rabani & Ratramni causa par: licuerit enim Archiepiscopo Theologorum suæ tempestatis clarissimo, Abbatem eruditione minorem, dignitate inferiorem, patria externum, de re spectatissima obscuriùs; de summa, vt videbatur, demissiùs loquentem, ad euidentiorem doctrinæ suæ declarationem prouocare, ne quid in Ecclesia scandali ab imperitis male intellecta gigneret : quod de Augustini doctrina factum vitio Nouantium dolemus & querimur. Ratramnus autem Corbeiæ Monachus, Abbatis Corbeiensis subditus, quo iure in superiorem suum scribendo insurrexit, quem explicando potuit defendere ? Hanc enim Dionysio præcessori suo præstitit gratiam Athanasius, Augustino Magistro suo Prosper, Origeni Ruffinus, alius alii. Quòd si verè Paschasius errabat, ex Euangelica lege priuatim conueniendus fuit, vt corrigeret. Si tantùm ex obscuritate stili occasionem errandi præbebat incautis, monendus vt explicaret. Si recusaret ipse, offerendus stilus, ostentanda opera, caritas cum fidei humilitate seruanda : quod centies per diem in Paschasii contubernio facere Ratramno fuit promptissimum. Idem iudicas lector de Hincmaro, quem Archiepiscopum Monachi, Metropolitanum Presbyteri censuræ fuisse suppositum: & ob id ipsum à Dissertatore laico Monetali magnis efferri præconiis Ratramnum indignaris : potiusque fore credis, vt ob eam rebellionem Ratramnus schismaticus, quàm vt Hincmarus, & Paschasius hæretici habeantur.

Quòd si istos pro Catholicis semper agnouit Ecclesia, sanè refractarium & calcitrantem Monachum, qui eos persequutus est, existimare conuenit; à quo scientiæ malè collocatæ rationem iudex iustus exegit.

A Dissertatore male laudatur. c. 17.

Audi verò quàm magnificè de Monacho Corbeiensi aduersùs Metropolitanum & Abbatem suum calcitrante scribat Gotteschalci Patronus. *Vt autem & morum probitate, & doctrina præcellebat, Catholica veritatis assertor intrepidus, seu vindex acerrimus, contra Nouatores omnes semper extitit; non solùm contra Heribaldum Antissiodorensem & similes Stercoranistas, vna cum Paschasio Radberto Abbate suo, veram Ecclesiæ doctrinam tutatus est : sed & proprium Episcopum Hincmarum Remensem, licet etiam regia auctoritate præcelleret, aliquantulùm deuiantem, vel innouantem sine censura abire non est passus.* Vellem equidem hæc de libello Ratramni qui differit, eum libellum percurrere dignatus esset, ne se lectorum sibilis obiiceret : Non enim scriberet *contra Stercoranistas cum Abbate suo Paschasio* disputasse, qui contra Paschasium de Stercoranistarum principiis, vt modò monstrabamus, accusatum, contendit. Non appellaret *Catholicæ veritatis contra Nouatores assertorem*, qui Catholicam veritatem nouatoribus omnibus prodidit, vt ex eius verbis mox declarabitur, non affirmaret, *nec leuissimam quidem prauæ doctrinæ suspicionem* circà Eucharistiæ Sacramentum *in Ratramnum cadere posse*, qui de Sacramento altaris, velut solam memoriam, aut imaginem veri corporis continente disseruit. Non extolleret laudibus in cælum tanquam Hincmari censorem qui in omnibus suis opinionibus de Prædestinatione absoluta, de Trina Deitate, de sacra Eucharistia, iure meritissimo censuram passus est. Heroem igitur istum, qui nobis vt Alexicacus quidam describitur, eiusque virtutem in alta capita, Hincmarum & Paschasium Prælatos suos, censuram ferendi, quo nomine appelles, lector, tu videris : ego nullum in Philosophia Morali ad laudem reperio.

Addit eadem Dissertatio paulò post *curam ab Episcopis demandatam* fuisse Ratramno responsionis seu refutationis obiectionum contra Romanam Ecclesiam : eumque *ex Episcoporum auctoritate, quatuor libris, optimam, & fortissimam Romanæ, seu Latinæ Ecclesiæ defensionem parasse. Qui libri MSS. nondum excusi habentur in Bibliotheca Thuana, num.* 711. Grandia hîc omnia delectus Episcoporum, quasi à Synodo generali : Episcoporum auctoritas, quasi communis omnium adfuerit approbatio : fortissima & optima Romanæ Ecclesiæ defensio, tanquam si fluctibus obrutam Petri nauim calamo sustineret; qui de Romano primatu scripsit ambigua. Atque vtinam libri illi quatuor adeo præstantes, tam gloriosi laudati, tam diligenter indicati, vt ne forulus quidem possit fallere quærentem, lecti essent à citante : vel si lecti sunt, eorum monita non essent neglecta! Quid enim habuisset animi ad tentandam Theologiam, ad statuenda dogmata de gratia, de Libero Arbitrio, de

Præde-

Prædestinatione, de Trinitate, si legisset in vnius librorum illorum fronte. *Videmus Laicos contra cunctas Ecclesiasticas regulas venire, decreta fidei fidelibus imponere, & quibus non est licitum super vllo Ecclesiastico iure, præter Episcoporum consultum statuta constituere, leges ipsi fidei condere conentur.* His sibi pro rata portione accommodatis, sequentia ad Lugdunenses & Valentinos suos non incommodè retulisset. *Scribendum his* (Episcopis) *primò fuerat & facti causa cognoscenda*, ne temerè Gotteschalci damnationem damnarent: *Tum si iustæ rationis religio postulasset, iudicium proferendum*, non æmulationi, & odio seruiendum. *Et hoc tamen suo sub regimine imperijque prudentia Ecclesiis constitutis*, Lugdunensi, Valentinæ, & aliis Lothario subditis. *Alioquin ad suæ prouisionis curam populos non pertinentes, vel Ecclesias suo sub imperio non commorantes*, Remensem, Moguntinam, Tullensem, totum Caroli regnum, *quid iuris fuerat, vel de consuetudine iudicare, vel de dogmate fidei discutere?* Carisiacensia capitula tanquam noxia & erronea censura notando, quam, re prudentiùs examinata, delere cogantur: His monitis à Ratramno cautior factus, Ratramnum & Theologiam parciùs attigisset.

Ratr. l. 2. contra obiecta Græc.

IN CAPVT IV.

Ratramni dubitatio circa Sacramentum Eucharistiæ aperitur.

Ad illud.

Magis fidelium suorum non impiè dubitantium saluti & hæsitationi sanandæ prouidus.

SEd iam à caritate & modestia, regredi placet ad fidem. Peccauit Ratramnus quòd contra Paschasium Magistrum suum scripserit. Quid si contra Catholicum hæreticè? Istud sanè si hæsitanter, si obliquè, si modò aiens, modò negans, si de veritate corporis & sanguinis in Sacramento *impiè dubitans*. Quod ab eo fieri paucis quibusdam exemplis declarandum est.

Opus suum bifariàm diuidit, pro quæstionum numero quas tractandas suscipit: quæ sunt omnino duæ. Prior, *quod in Ecclesia ore fidelium sumitur, corpus & sanguis Christi, in mysterio fiat, an in veritate?* Hoc est, vtrum quicquid est in Eucharistia, sit veritas, verum corpus Christi, verus panis, vera accidentia corpori Christi adhærentia? Quod aiebant Stercoranistæ, & tanquam à Paschasio dictum arguebant obloquutores. An potiùs species panis & vini aspectabiles & accidentia externis sensibus obuia mysterium aliquod interiùs contineant, videlicet, verum Christi corpus & sanguinem? Quæ est Paschasii vera cum Catholicis sententia. Posterior, *verum ipsum corpus sit, quod de Maria natum est, & passum, mortuum & sepultum: quodque resurgens & cælos ascendens ad dexteram Patris consideat?* Quæ est perpetua & constans Paschasii cum Catholicis fides, repugnante Ratramno & eius declarationem postulante Rabano.

Quæstiones duæ in Ratramni.

In priori quæstione, fatetur corpus Christi & sanguinem inesse sacramento, quo in proposito præclara hæc de vini specie pronunciat, stilo tamen suo: *Quid enim aliud in superficie, quàm substantia vini conspicitur? Gusta, vinum sapit: odora, vinum redolet: inspice, vini color intuetur. At interiùs si consideras, iam non liquor vini, sed liquor sanguinis Christi credentium mentibus, & sapit dum gustatur, & agnoscitur dum conspicitur, & probatur dum odoratur.* Neque minùs Catholicè Isidorum explicans ait: *Vnde & panis qui offertur, ex fructibus terræ cum sit assumptus, in Christi corpus dum sanctificatur, transponitur: sicut & vinum cum ex vite defluxerit, diuini tamen sanctificatione mysterij efficitur sanguis Christi; non quidem visibiliter, sed sicut ait præsens Doctor, operante inuisibiliter Spiritu sancto.* Iurares his & similibus auditis magis Catholicum esse neminem: si tamen attentè inspicis, nihil hîc à Stercoranista dici non potest, qui verum in Eucharistia Christi corpus non negat, vera accidentia non diffitetur. Neque transponendi vocabulum Catholicis modo animis satisfacit, maximè cum inferiùs nonnihil Lutherizans visuri simus. Sed age hæc transpositio quomodo fit? Per mysterium inquit, non realiter, qua voce nunquam vtitur, sed figuratè. *Neque ista commutatio corporaliter, sed spiritaliter facta sit, necesse est, vt iam figuratè facta esse dicatur: quoniam sub velamento panis, corporeique vini spiritale corpus Christi, spiritalisque sanguis existit.* Hæc quamlibet emollias, velut Stercoranistis opposita, pro se tamen Berengarius accipiet. Quid verò ista, tanquam ex Augustini mente? *Corpus in quo passus est Christus, & sanguis eius de latere qui fluxit, res sunt; harum verò rerum mysteria, dicit esse sacramenta corporis & sanguinis Christi, quæ celebrantur ob memoriam dominicæ passionis.* Vide *Res*, oppositas *Sacramentis*, in quibus proinde res ipsæ non insunt. Quæ res? Corpus quod passum est, sanguis qui fluxit. Perge: *Et cum vnum sit corpus dominicum in quo semel passus est, & vnus sanguis qui pro salute mundi fusus est* (artificiosa vox *vnum*, & *vnus*, quasi non idem quod in mysterio) *attamen sacramenta ipsarum rerum vocabula sumpserunt, vt dicantur corpus & sanguis Christi, cum propter similitudinem rerum quas innuunt, sic appellantur.* Missæ certè sacrificium, quotidiana est similitudo & repræsentatio passionis: sed quod sacrificatur, corpus & sanguis, dici omnino non potest corporis & sanguinis Christi similitudo, cum sit penitus idem. Hoc tamen sic habere subtiliter affirmat Bertramus. *Quod semel fecit, nunc quotidie frequentat.* Rectè. *Semel enim pro peccatis populi se obtulit: celebratur tamen hæc eadem oblatio, singulis per fideles diebus, sed in mysterio.* Aperi mysterium istud. *Nec tamen falsò dicitur quod in mysterijs illis Dominus vel immoletur, vel patiatur: quoniam illius mortis atque passionis habent similitudinem, quarum existunt repræsentationes.* Id est, vt strictim & philo-

Paschasium tractat.

Sub dolè negat veritatem corporis & sanguinis Christi.

ſophica lingua loquamur. Vt ſe habet miſſæ ſacrificium ad mortem & paſſionem Chriſti; ita ſe habet corpus Chriſti oblatum in Miſſa, & ſacrificatum, ad corpus in paſſione mortuum. Eſt autem Chriſti mors & paſſio, res ipſa, & reale ſacrificium: Miſſa autem eius figura, & repræſentatio. Ergo Chriſti corpus oblatum in Miſſa eſt eius figura & ſimilitudo quod in cruce pependit, & ſepultum eſt. *Vnde dominicum corpus & ſanguis dominicus appellantur*, quæ ſunt in myſteriis, *quoniam eius ſumunt appellationem* (non enim ſunt realitas) *cuius exiſtunt ſacramentum*. Figura & ſimilitudo, non Res. Euge Berengarii præcurſor!

Figuras Euchariſtiæ modò explicat.
1. Cor. 10

Sed apertior, fœdiorque labes in figuris duabus veteris inſtrumenti quas proponit. Manna, inquit, & petra, ſunt ſpiritalis eſca & potus ſecundùm Apoſtolum. Quid præterea? Hæc Chriſtus nondum exiſtens, in corpus & ſanguinem ſuum mutauit, vt fierent ſpiritalis eſca & potus. *Mirum certè, quoniam incomprehenſibile, & inæſtimabile: nondum hominem aſſumpſerat, nondum pro ſalute mundi mortem deguſtauerat, nondum ſanguine ſuo nos redemerat; & iam noſtri Patres in deſerto per eſcam ſpiritalem, potumque inuiſibilem, eius corpus manducabant, & eius ſanguinem bibebant.* Corpus, inquam, proprium, quale modò ſumitur in Sacramento. Quemadmodum enim inſtituto ante paſſionem myſterio, panem in corpus paſſurum, & vinum in ſanguinem mox fundendum mutare potuit: *Sic etiam in deſerto, Manna & aquam de petra in ſuam carnem, & ſanguinem commutare præualuit, quamuis longè poſt & caro illius in cruce pro nobis pendenda & ſanguis eius in ablutionem noſtram fundendus ſuperabat.* Deus ſancte! Quo trahit incautos contradicendi libido? Scripſerat Paſchaſius cum Catholicis omnibus, eſcam ſpiritalem quam patres noſtri manducarunt, Manna videlicet, & aquam de petra, ſpiritaliter percipientibus, typum fuiſſe eſcæ corporis & ſanguinis Chriſti: *Siquidem in præfiguratione idem, ſed non idem in adimpletione veritatis*: quia quod tunc adumbrabatur in deſignatione futurorum, imago virtutis, & vmbra corporis atque exemplaria erant; nunc autem myſterium impletæ veritatis. Bertramus ex aduerſo, veritatem figuræ ſupponit, corpus vmbræ; aitque, quod ante illum, quod poſtea nemo, quod ſciam, ne hæreticus quidem ſomniauit, tam verè Manna & aquam in Chriſti corpus & ſanguinem tum eſſe mutata, quàm verè modò panis & vinum commutantur in Sacramento. Quod ſi fidelium aures abſurditate, ne dicam impietate ſua vulnerat, cum de aqua petræ biberit *omnis multitudo & iumenta eius*; & ſi Bertrami iudicio accurata comparatio inter hæc inſtituta eſt, oportet neceſſariò in vtriſque aut veritatem æquè ineſſe, aut figuram; vtrum mauis? Veritatem præcedentia non obſcurè præ ſe ferunt. Sed hoc inconſtanter; nam figuram loquuntur ſequentia. O Proteum! De manna quidem ſingulariter dictum eſt, à Dauide. *Panem Angelorum manducauit homo.* Erat ille corporeus, ait Paſchaſius, neque Angelis congruebat. *Sed ille vtique panis & potus, qui per hæc præſagiebatur: Chriſtus ergo cibus eſt Angelorum & ſacramentum hoc verè caro ipſius & ſanguis.* Quid hic Bertramus? Ne benè cum Abbate dicere cogatur, aberrare mauult. *Oſtendit Pſalmiſta; vel quid patres noſtri in illo manna cæleſti perceperunt; vel quid fideles in myſterio corporis Chriſti credere debeant. In vtroque Chriſtus certè innuitur, qui & credentium animas paſcit, & Angelorum cibus exiſtit.* Vtriuſque dictum compara: Manna & Sacramentum, inquit Abbas, panis Angelorum ſpiritalis, ſed non eodem modo, nam illud per figuram; iſtud per veritatem. At Monachus. Manna & myſterium: illud veteres perceperunt: hoc fideliter credunt. Quid credunt? Innui Chriſtum in vtroque: ergo vtrumque figuram eſſe, neutrum veritatem.

Mali Paſchaſio repugnat.
Paſchaſ. l. de corp. & ſang. c. 5.
Num. c. 21.
Pſalm. 77.
Paſch. Ibid.

Idem efficit aduecta comparatione aquæ luſtralis qua regeneramur ad vitam: neque de hac, ſi quid attendimus, meliùs philoſophatur. In illa duo eſſe, aliquid exterius, quod oculis vſurpetur, elementum corruptioni obnoxium: interiorem autem ineſſe ſanctificandi virtutem, quæ humanum obtutum fugiat. *Igitur in proprietate, humor corruptibilis, in myſterio verò virtus ſanabilis. Sic itaque Chriſti corpus & ſanguis, ſuperficiè tenus conſiderata, eſt mutabilitati, corruptelæque ſubiecta. Si myſterij verò perpendis virtutem, vita eſt, percipientibus ſe tribuens immortalitatem.* Atqui aqua non mutatur ſubſtantialiter, ſed per potentiam quam vocant obedientialem, eleuatur ad illud efficiendum in anima, quod ſignificat per effectum in corpore. An eodem modo *creatura mutabilitati ſubiecta*, ipſa panis ſubſtantia, eleuatur ad animam corpore Chriſti & ſanguine paſcendam?

Similitudo aquæ baptiſmalis

Veſtigium certè iſtud eſt panacei corporis à Marcione introducti, ſiue impanationis Lutheranæ, quod eſt alterum genus erroris & fœditatis: cuius neque alii deſunt hoc in libro characteres, vt non immeritò Lutheranorum manibus obſtetricantibus ſit eductus in lucem. Siquidem initio ſtatim probaturus Stercoraniſtis myſterium in hoc ſacramento reperiri, nullam ait in eo cognoſci permutationem quæ fiat interius: Nam ſpecies panis & vini, non tranſeunt ex eo quod eſt, in id quod non eſt; ſiue, non deſinunt eſſe, *quoniam ſecundùm veritatem* (non ait apparentiam) ſpecies creaturæ quæ *fuerat ante permanſiſſe cognoſcitur.* Inferiùs quoque Iſidorum exponens, à quo panis corpus reficiens, cum verbo animam paſcente confertur, ita ſubiicit. *Iſta dicendo planiſſimè confitetur, quòd in ſacramento corporis & ſanguinis Domini, quicquid exteriùs ſumitur, ad corporis refectionem aptatur.* Verùm neque id docuit Iſidorus, neque verum eſt præcisè loquendo, niſi ſubſtantia panis reſideat in ſacramento: cum nemo ſit vnquam naturaliter paſtus, niſi deſinente Sacramento, & reſtituta panis viniquæ ſubſtantia. Quomodo enim nutriant accidentia, quæ ſola in ſpeciebus Catholici agnoſcimus? Atque ne diſcedamus à figuris, quas Bertramus ipſe reponit, manifeſtè docet Deum & Chriſtum, *qui nunc panem & vinum in ſui corporis carnem & proprij cruoris vndam ſpi-*

Ad.... impanationem Lutheri.

ritaliter conuertit, ipsum tunc quoque manna de cælo datum, corpus suum, & aquam de petra profusam, proprium sanguinem inuisibiliter operatum esse. Non alio scilicet modo, quàm quo de Sacramẽto dixit, *non visibiliter; sed operante inuisibiliter Spiritu sancto.* Qui modus explicandi perfectam in vtroque operationis similitudinem ostendit. Atqui Manna & aquam, vt postea scribit, *corporea fuisse nemo est qui dubitet*: id est, verum & substantiale manna, veram aquam, qualia parebant oculis intuentium, & comedentium palato. Ergo in Eucharistia verum & substantialem panem & vinum, corporea esse & substantialia nemo æquè dubitare debet. Habes, lector, in prima quæstione in qua maximè Catholicũ se videri cupit, *impiè dubitantem* Ratramnũ & aientem modò inesse in Eucharistia, & effici per Sacerdotis ministerium Christi corpus : modo illud negantem, sed affirmantem figuratè fieri commutationẽ illam: esse mysterium eius rei, quæ olim verè facta est: eiusdem rei sumere appellationem, ideoque corpus & sanguinem dominicum appellari. Audisti comparantem cum figuris mannæ & aquæ, quas dicit fuisse corpus & sanguinẽ Christi: cum aqua baptismali, quæ manens in aquæ substantia, eleuatur ad animã expurgandam: & eo dicto Marcionis & Lutheri Impanationi patrocinantem. Accipe nunc manifestius aliquid in secunda quæstione, quã tædii leuandi causâ, seiungo, & vide, *quo teneas vultus mutantem Protea nodo.*

IN CAPVT I.

Ratramni error doctrinæ Paschasii oppositus. De Christi corpore nato ex Virgine, & passo in cruce.

Ad illud.

Dicentes aliam esse vel testimonio B. Hieronymi, &c.

In posteriori quæstione Ratramni error propositus. NOn alium certè tangit Anonymus, quam Ratramnum, qui multùm vrgente Paschasio vt credatur idem corpus quod natum est de Virgine, passum & sepultũ, & non aliud esse in Eucharistia, pugnet ex aduerso fortiter, aliud esse spiritale, mysticum, figuram & imaginem eius quod regnat in cælo. Duplex inquã corpus non duplicem vnius corporis statum, qualem Rabanus exegit agnosci à Paschasio, & hic manifestè professus est scribens ad Frudegardum. Multùm agere se credidit Bertramus contra Stercoranistas, cum procul ab Abbate suo recessit: neq; vidit sua se subtilitate, & nouo errore viam planam sternere ad hæresim. Id quomodo præstet, superest declarandum.

1 ratio quæ illum probat. Paschas. epist. ad Frudegar. Clamat Paschasius : *Sacramentum corporis Christi, & sanguinis, quamuis sacramentũ dicatur, non est aliud quàm veritas, & quod ipsa veritas repromisit.* Hoc est, licet obuolutum sit externis speciebus, & mysterium ideo vocetur, quia sub illis latet; tamen quod latet ipsum verè Christi corpus est natũ olim ex Virgine. Et *si veraciter inspicimus, iure simul veritas & figura dicitur.* Ratramnus cõtra, aliud est, quia corpus ex Virgine verum est; Eucharisticũ autem, mysticum : quæ duo differunt. Est enim eius axioma, illud mysterium dici non posse, *in quo nihil est abditum, nihil aliquo velamine contectum*, atqui in virgineo corpore omnia nuda sunt & aperta, mysticum nihil. *Cum dicitur Christus natus de Virgine, passus, Crucifixus, mortuus & sepultus, veritas est, rei manifestæ demonstratio, naturalibus significationibus insinuatæ, nullis vmbrarum imaginibus obuolutæ.* Vnde sequitur euidens differentia inter vtrumque corpus, illud nimirum *in quo passus est Christus; & hoc corpus quod pro eius passionis commemoratione fit.* Attende, non institui comparationem inter passionem ipsam, & eius in Missa commemorationem; quæ sine dubio sunt diuersa; sed inter corpus quod in passione crucifixum fuit, & corpus quod in Missa conficitur. Vnicum esse & idem vult Paschasius: iste sic distinguit. *Illud namque proprium, & verum, nihil habens in se vel mysticum, vel figuratum: hoc verò mysticum aliud exteriùs per figuram ostentans, aliud interiùs per intellectum fidei repræsentans.* Si propriũ illud & verum; istud profectò neque propriũ neque verum : non enim possunt esse Christi hominis vnius duo vera & propria corpora: quique quæstionem illam in gratiam augustissimi sacramenti mouêre Philosophi, non aiunt hominem eundem diuersis in corporibus loca dissita posse occupare; sed idem hominis corpus in diuersis locis diuinitus posse constitui. Quid ergo? Non existit in Altaris Sacramento corpus Christi? *Est quidem*, ait, *corpus Christi, sed non corporale sed spiritale. Est sanguis Christi, sed non corporalis, sed spiritalis. Nihil igitur hic corporaliter, sed spiritaliter sentiendum. Corpus Christi est, sed non corporaliter: & sanguis Christi est, sed non corporaliter.* *Ratram.* Purus hic Ratramnus est cum nugis canoris, & intricatis subtilitatibus. Loquere si doces. Vis-ne in Sacramento proprium & verum esse Christi corpus natum ex Virgine, sed non corporali modo, quantitate corporea extensum in loco, quale natum est ex Virgine, & cruci affixum. Verùm spiritaliter, inextensum, impassibile, inaspectabile, quales sunt spiritus materiæ expertes? Affirmas? Pone arma, conuenis cum aduersario. Negas? hoc est quod dicimus, negare te, & errare.

2. ratio. Nam ne dubia sit ea distinctio, quæ in tolerabilem sensum ex argumento superiore poterat inflecti; Altera ratione, velut in Stercoranistas sic agit apertissimè. *Quæ à se differũt, idem non sunt: corpus Christi quod mortuum est & resurrexit, & immortale factum iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur; æternum est iam nõ passibile. Hoc autem quod in Ecclesia celebratur, tẽporale est, non æternum; corruptibile est, non incorruptum; in via est, non in patria? Differunt igitur à se; quapropter non sunt idem. Quòd si non sunt idem, quomodo verum corpus Christi dicitur & verus sanguis?* *Ratramn. Duo distincta corpora in cælo, & in sacramento.* Nihil potuit expressiùs explicationem nostram primæ rationi additam comprobare. Sunt, inquit, duo corpora. Quare duo? Quia loco distant, alterum in cælo, alterũ in terra, in altari. Quia duratione differunt:

alterum enim est immortale, impassibile, æternum: alterum temporale, corruptibile, & per hoc, quasi mortale, quod desinit, dum sacrificatur. Qua conditione distinguuntur: alterum enim est corpus viatoris, alterum comprehensoris. Non possunt ad vnum hominé vera duo corpora pertinere: alterutrū ergo verum esse oportet, aut falsum, siue figuratum. Contra quę Paschasius exclamat. *Isti qui negant hoc visibile esse mysterium, atque palpabile, non ob aliud nisi ne credant; & ne sit quod veritas ait, Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus. Ascendāt ergo, hi vbi Christus est, in dextera Dei Patris, & inuenient visibilem, & palpabilem ipsum, eundemque Christum quem requirunt.* Nam cum dicebat Christus: *Hoc est corpus meum*, illud ipsum præbebat quod natum ex Virgine, mox crucifigendum erat, & resurrecturum. Si ergo aliud esse dicunt in mysterio, non credunt quod dixit: *Hoc est corpus meum*; & diuisus est Christus, alius in cælo, alius in mysterio. Imò potiùs vnus, verè in cælo, fictè in mysterio. Id si admittitur, non debuit dicere, *Hoc est corpus meum*, sed fictio & figura corporis mei. Nam *si non sunt idem, quomodo verum corpus Christi dicitur, & verus sanguis?* At Paschasius Catholicè. Quid aliud quæris? Hoc quod sedet ad dexteram patris in cælo, idem penitus est quod in mysterio quotidiè dicitur, *Hoc est corpus meum*, quod mortuum est, & resurrexit, immortale, incorruptibile, æternum in patria. Dic autem, amabo, Stercoranistarum impugnator? Si corpus illud quod celebratur in mysterio, est *temporale, corruptibile, non incorruptum*, quare digeri non poterit, & in secessum emitti? Annuis posse? Quantumlibet ergo distinguas, & illius quod in cælo est Christi corporis dignitati consulas, aliud in augustissimo Christianæ Religionis mysterio, virtute Spiritus Sancti fieri doces, diuisioni, corruptioni secessui destinas & obiicis, Capharnaïtarum & Stercoranistarum socius & frater. Hoc erat cur Abbatem tuum Catholica docentem calcibus peteres? Ita disputat Theologia? Sic oppugnantur errores?

Refellitur. Paschas. Ibid.

Rursus eandem vtriusque corporis distinctionem exquisita ratiocinatione sic probat, putatque se mentem Hieronymi assequutum, dupliciter Christi corpus dici asserentis. *Tantùm inter se differunt, quantùm spiritalia & corporalia, visibilia & inuisibilia, diuina & humana.* Disce ex his quid vocet mysticum, spiritale, spiritaliter manducari. *Illa caro quæ crucifixa est de Virginis carne facta est, ossibus & neruis compacta, & humanorum membrorum lineamentis distincta, rationalis animæ spiritu viuificata in propriam vitam & congruentes motus.* Illud est corpus, quod antea rem & veritatem esse dicebat: de quo quinque notat, originem ex matre, materiam ex ossibus & neruis, formam in membris, vitam ex anima, motum ex vita: quibus singulis opponit contraria in eo corpore quod mysterio continetur vt quasi certa demonstratione concludamus aliud esse, quàm quod natum ex Virgine, & passum in cruce. *At verò caro spiritalis quæ populum credentium spiritaliter pascit, secundùm speciem quam gerit exteriùs, frumēti granis manu artificis consistit, nullis neruis ossibusque compacta, nulla membrorum varietate distincta, nulla rationali substātia vegetata, nullos proprios potens motus exercere.* Dic ergò corpus istud spiritale, sine mēbris, sine anima, sine motu, quale tandem est? Respondet argumentum vrgendo. *Quæ idem sunt vna definitione comprehenduntur: de vero Christi corpore* (illo quod natum est de Virgine) *dicitur, quòd sit verus Deus, & verus homo. Hæc autem dum de corpore Christi quod in Ecclesia per mysteriū geritur, dici non possunt;* (quòd sit verus Deus & verus homo) *secundùm quendam modum Christi corpus esse cognoscitur,* (non propriè, non realiter) *& modus iste in figura est, & in imagine, vt veritas res ipsa sentiatur.* Imago est & figura veri corporis quod est in cælo. Quid expressius postulet Berengarius? Sic inferiùs tanquàm ex Fulgentio, dicit, vt vetera sacrificia figuram habuerunt futurorum, sic & sacrificium nouæ legis vicissim esse *figuram præteritorum*. Quis id vnquā somniauit? Quis ferat in Ecclesia dici nouum Testamentum transire in figuram veteris; & gratiam legi ancillari? Vt autē in præteritis mera & nuda fuit figura; sic in nostro siue præteritorum, siue futurorum figuram dixeris, meram esse vmbram, sequitur nudam imaginem & speciem, rem veritatemque nullam. Hęc quanquam Berengarii Caluinique somnia multùm promoueant, neuter tamen est ausus docere omnia. Quasi sint certi quidam errorum termini quos impudentia ipsa transilire erubescat, non est quod otium teramus, monstrando alia omnia de duplici Christi corpore sentire Hieronymum, quem Monachus iste fœdissimè distrahit, à cuius sensu tantùm alienus est, quantùm, vt ipse ait, *spiritalia, & corporalia, visibilia & inuisibilia, diuina & humana inter se differunt.*

Sacramentum species & imago veri corporis.

Eucharistia figura veteris [illegible]

Hieronymus malè explicatus.

Specta denique subtilem vafri scriptoris argumentationem eodem spectantem. In quibusdam Missæ orationibus post Communionem canit Ecclesia, populo respondente: Amen. *Percepisse nos pignus, imaginem, speciē æternæ vitæ.* Hanc *vitam* vult Bertramus intelligi, non cælestem beatitudinem, vt Sacramentum sit eius pignus, sed gloriosum in cælo Christi corpus, cuius sit imago & species. Vides Gotteschalci magistrū cum Ecclesiasticas orationes alter prauè interpretetur, alter imperitè redarguat. Quantò verior sapiētiorque Paschasius Catholicus, ad hoc alludens argumentum, & orationes memoratas à Bertramo, per Canonem exponens, scribit ad Frudegardum. *Quòd si quæris, carissime, super quibus vniuersaliter ab omnibus Amen, respondeatur in tota Ecclesia Christi, respice in sacramentorum celebratione, instituente B. Petro, vt credimus, quid orat Sacerdos in Canone exceptis his quæ Post communionem dicuntur, vt fiat, inquit, corpus, & sanguis dilectissimi filij tui Domini nostri Iesu Christi. Qua prece expleta, consona voce omnes Amen dicimus. Sicque omnis Ecclesia in omni gente, & lingua, orat, & confitetur quòd hoc fit, quod orat. Vnde videat qui contra hoc venire voluerit, magis quàm credere, quid agat contra ipsum Dominum, & contra omnem Christi Ecclesiam.* Liberè dictū & verè ex summa causę fiducia, qua vocatur in ius coram Ecclesia Ratramnus, qui superioris sui refractario spiritu noluit audire doctrinam.

Ratram.

Pasch. ep. ad Frudeg.

Hactenus deprehensa sunt manifestissimè

Duplex co, ut Christi secundum Bertramum.

apud Bertramum duo Christi corpora. alterum verum quod natum ex Maria, passum & sepultum, resurrexit, ascendit, sedet ad dexteram Patris immortale, impassibile, æternum. Alterum non verum, sed mysticum in sacramento, spiritale, figuratum, temporale, corruptibile, confectum ex granis frumenti, species & imago veri illius corporis gloriosi; quod sine Transsubstantiatione per Sacerdotem quotidiè fit in altari. Vt omnino Hieronymum exponat asserentem *dupliciter dici corpus Christi.* Quasi dixerit, duplex corpus, quod nemini vnquam Patrum venit in mentem: Estque aperta hæresis, licet aliquando videatur affirmare, Christi corpus in sacramento accipi & comedi: fieri per Sacerdotis ministerium, & exteriùs panem esse, interiùs longè aliud Christi corpus, Christi sanguinem. Hæc enim verba incautos speciosè deludunt, cum de vero corpore nato ex Virgine & passo nusquam intelligantur ab auctore. Sed quia secundùm Augustinum tripliciter dicitur corpus Christi, neque partem istam relinquit intactam, sed praua, quod mireris, expositione, vt secundum istud Christi corpus mysticum quod est in Eucharistia, non solùm figura sit veri corporis quod est in cælo, sed etiam corporis allegorici, quod est Ecclesia. Sic enim alloquitur Carolum Regem conclusioni vicinus. *Animaduertat, Clarissime Princeps, sapientia vestra, quod positis sanctarum scripturarum testimonijs, & Sanctorum Patrum dictis euidentissimè monstratum est, quòd panis qui corpus Christi, & calix qui sanguis Christi appellatur* (audis? Non est, re vera, sed tantùm appellatur) *figura sit, quia mysterium: & quòd non parua differentia sit inter corpus quod per mysterium existit*, in altaris sacramento, *& corpus quod passum est, & sepultum, & resurrexit*: verum corpus quod natum est ex Virgine. Confirmantur ergo duo corpora, verum, & non verum; illud proprium istud figuratum. Cuius autem figura? *At in isto quod per mysterium geritur, figura est, non solùm proprij corporis Christi; verùm etiam credentis in Christum populi* (quod est corpus allegoricum) *vtriusque namque corporis, id est, & Christi quod passum est & resurrexit: & populi in Christo per baptismum renati, atque de mortuis viuificati, figuram gestat.* Ita sunt tria Christi corpora, vnum figura, videlicet sacramentale: duo figurata, verum siue proprium natum de Virgine, quod est in cælo. Allegoricum quod est Ecclesia, realia omnia, quanquã primum spiritale & non corporale. Vnde subdit velut Catholicus, reipsa autem veterator erroneus. *Nec ideo quoniam ista dicimus, putetur in mysterio sacramenti corpus Domini, vel sanguinem ipsius, non à fidelibus sumi, quando fides non quod oculis videt; sed quod credit, accipit.* Quod ante modo in manna & in aqua de petra Christi corpus & sanguinem mysticè somniabat.

Triplex Christi corpus.

Conclusio quæstionis.

Habes, lector, haustam ex ipsis fontibus Paschasii & Ratramni disputationem, & vt in illo nisi Catholicum nihil vidisti: sic in isto dubia, subdola, erronea plurima deprehendisti. Ad hoc caput oculos si reflectere dignabitur Præses amplissimus Dissertator, iis vt spero succensebit, quibus libro ipse non lecto credidit, *ne leuissimam quidem praue doctrinæ suspicionem cadere posse in Ratramnum*, quod nemo Theologus salua fide audeat affirmare, quod hæretici ministri, vt in operis apparatu notatum est, obuiis vlnis dictum aduersùs Ecclesiæ Romanæ fidem exceperunt. Sed ne suspectum hac in causa tibi sit meum testimonium, qui sanè Gotteschalcanis fauere non soleo, illustrium tibi virorum, qui surgentes hæreses nouas primi profligarunt, iudicium hoc de libello Bertrami offero, quod sequare securius.

IN CAPVT I.

Catholicorum Tractatorum de Bertramo, & hoc eius opusculo iudicia.

Ad illud.

Nec posteritati venturæ potuerunt satisfacere.

Posterior. iudicium.

SApiens Paschasii quod supra vidimus, iudicium sequuti, quotquot deinde Catholici aduersùs hæreses decertarunt, atque illud opus, vt quoddam antiquitatis spolium ab hæreticis ostentatum vel à limine salutarunt, vno consensu pronunciarunt omnes, cuiuscumque corui sit ouum illud, venenatum esse, & hæreticum. Cum sit autem infinitum, innumeros controuersiarum scriptores producere Bertrami iudices, paucos placet seligere, eosque præsertim à quibus varia de opere, deque auctore docemur: quibus auditis certò prædixisse videbimus Anonymum, posteritati venturæ non satisfecisse Ratramnum.

Alanus in dialogum argum. l. 1. de Euch. c. 21.

Et quoniam superior sectio in triplici corpore desiit, primù produco Guillelmum Alanum, cui monstrum illud tricorpor meritò displicet, & Bertramum arguit, vt auctorem ineptæ illius diuisionis in corpus Christi, verum, mysticum, sacramentale. Quod sic explicandum est, vt per mysticum intelligamus allegoricum: nam quod ipse mysticum, & sæpius spiritale appellat, non est aliud in eius sensu quam sacramentale, siue quod in mysterio agitur.

Sixt. Senens. corruptos ab eo Patrum sensus l. 6. Biblioth. annot. 96.

Quòd autem quasi re bene gesta triumphans Bertramus ait, Sanctorum Patrum dictis euidentissimè monstratum esse: ita certè non videtur Sixto Senensi viro clarissimo & doctissimo, qui Patrum sensus ab illo corruptos queritur: & citatos in eius opusculo ex S. Augustino locos explicaturus, hæc ait. *Augustini expositionem huic loco appositam, Bertramus Presbyter, siue quispiam alius eius nomine, in l. de corpore & sanguine Domini, detorquet ad hæresim Sacramentariorum asserentium Eucharistiam nihil aliud esse, quàm panis & vini substantiam, quæ figuram, similitudinem, & appellationem gerit corporis Christi, quod corporaliter & verè non est in sacramento, sed spiritualiter tantùm & mysticè.* Et prolatis verbis Augustini ex tractatu 26. in Ioannem, subdit. *Quibus Bertramus in eodem volumine addit etiam alia eiusdem auctoris dicta ad confirmationem erroris sui violenter detorta.* Vsu suo & oculis propriis, non vllo externi hominis testimonio, illud ipsũ quod Gotteschalcanis hominibus sæpe, Ratramo etiam obiicit.

Hincmarus, didicit Sixtus, Patrũ sensus vi adhibita in prauum torqueri, & truncos afferri: addit enim. *Rursum ostendens quòd in Sacramento nihil aliud sit quàm panis, vinique substantia, & mystici corporis repræsentatio* (maluissem *mystica*) *fragmentum accepit ex sermone Augustini ad altare ad infantes.* Præterea citatis ex Ambrosio locis nonnullis, subdit. *His verbis Bertramus patere dicebat, quòd licet panis & vini substantia post consecrationem eadem consistat, quæ prius erat, commutatur tamen interius virtute verbi Dei in Sacramentum, similitudinem & figuram veri corporis Christi, quod fidelium animas pascit, vitæque æternæ alimentum subministrat. Hanc Bertrami interpretationem Berengarius confirmauit, &c.* Hanc enim Bertramo in hac opinione adiungit Theologus, concluditque. *Hæc igitur sunt Augustini & Ambrosii dicta, quibus olim contra huius sanctissimi Sacramenti veritatem Bertramus ac Berengarius, nouissimè verò Ioannes Caluinus, capite septimo suarum Institutionum, atque alij Sacramentarij hæretici, perperàm abusi sunt.* Ac demum in explicatione loci assumpti ex Epistola 23. Augustini ad Bonifacium, sic loquitur: *Tertius locus non habet quod ex eo mendaciter colligit Bertramus; nempe sacramentum altaris nuncupari corpus Christi, non ex eo quod ipsum Christi corpus in se habet, sed ex eo tantùm quod ipsius similitudinem gerat.* Glorietur igitur modò Bertramus Berengarii & Caluini prodromus, errores suos ex *detortis violenter, truncatis, mendaciter collectis* Sanctorum Patrum dictis euidentissimè monstratos esse.

[illegible] hæsitantem [illegible] hæreticum esse patet l. 4 de Euch. adorat. c. 19.

Aliis scriptoribus non vacat auctorem hunc membratim concisum refellere. Satis est Claudio Espencæo profiteri vniuersè, *legentis mentem, & causam hanc magis implicare quàm explicare: multa multorum Patrum piè sanè dicta sic concinnantem, vt modò Catholicæ filius, modo filius esse videatur alienus.* Et post aliqua hæsitantiæ & contradictionis illius argumenta, inter veritatem & hæresim, mendacium inter & Ecclesiam, tam esse implicatum & inconstantem ait, *vt Bertramum, siue quis alius fuerit auctor eius operis quod sub illius nomine fertur, alij callidum fuisse ac impudentem hæreticum, os durum, & camo comprimendum responderint; alij inter libros falsò Catholicis impositos, & gratioso Patrum titulo inuulgatos reiecerint.* Quod testimonium Genebrardi præterea nomine & auctoritate locupletandum est, quia eius operâ publicam lucem vidit partus Espencæi posthumus, eiusdemque stilo laudatus est auctor.

[illegible] de [illegible] Bertramum laudat, opus improbat, vt astutum & in speciem Catholicum, l. de Euchar. Repet 2. c. 14.

Eodem tempore zeloque illatam augustissimo Sacramentorum iniuriam propulsans, non impar doctrina, dignitate superior Claudius de Sainctes Ebroicensis Episcopus, dum auctoritate Trithemii munitus Bertramum laudat, vt *Catholicum, doctrina, ingenio, & eloquio insignem,* (quod mirum mihi videtur) *non memorari* ait *de Eucharistia quicquam scripsisse,* hunc ab eo librum abiudicat, suis inter ceteras rationibus, quòd *Paschasius Corbeiensis, qui etiam illo seculo vixit, suum scriptum opponat corruptelis libri qui Bertramo datur, vt ex collatione notum fiet.* Intellige partem expositionis in Matthæum Frudegardo missam: nam alius Paschasii liber de corpore & sanguine Domini, prior est Bertrami eadem de re tractatu, quem euoluimus. Quodque *nec liber Bertrami excellentiam & probitatem præ se ferat, aut sapiat: sed artem callidi & impudentis hæretici simulantis se à Catholica fide non deficere; cuius locutionibus vtitur, cum tamen desinat in hæresim Berengarianam, cui viam fecit: ac tandem agnoscat sententiam quam introducit, receptæ de Eucharistia repugnare. Sic enim concludit. Hæc si probaueritis Catholicè dicta, fidei vestræ meritis deputate: sin minùs placuerint, id nostræ deputetur insipientiæ quæ quod optauit, minùs efficaciter explicare potuit. Indicat quisquis fuit, suam doctrinam ab Ecclesia non approbari, & testatur se astutiùs scripsisse, quasi non potuerit simpliciùs & apertiùs.* Fateor equidem hac in oratione non esse descriptum ad vnguem Ratramnum, neque satis hominem fuisse cognitum Sanctesio. Si tamen animum à persona ad librum transferimus, narrat Ebroicensis *corruptelis* refertum esse, quibus curandis apta sit Paschasii Radberti doctrina: arte callida, impudente, hæretica scriptum esse, ab eo qui se Cathocum simulet, qui astutè noua & hactenus inaudita scripserit. Ad libri clausulam quod spectat, idem video & Espencæo, & ei qui mox consequetur Perronio, ipsique Nouatori Kemnitio placuisse, vt ex ea, probabili argumento deducatur, Bertrami doctrinam sua ipsius confessione tunc in Ecclesia nec vsitatam nec receptam fuisse. Existimaui ego aliquando parum firmitatis in hac esse coniectura, quia suos omnes libros eodem sensu, & pene verbis conclusit; posse istam dicendi formulam consuetudini, & fortasse etiam modestiæ religiosæ accommodari. Ne quid tamen plus meo iudicio, quàm tantorum virorum auctoritati dare videar, illis me adiungo, vt hic doctrinæ nouitatem subodoratus fuerit, ea tamen lege, vt idem de ceteris libris, qui eodem fine claudantur, iudicium ferre liceat; vt vbique nouantem habeamus Ratramnum. qui contrà illorum sententiam gloriosè dicitur à Dissertatore, *Catholicæ veritatis assertor intrepidus, contra nouatores omnes semper extitisse.*

De libri clausula.

Dissert. c. 17.

Duobus illis belli sacramentarii fulminibus tertium adiicio. Sanctesii successorem, Espencæi sequacem, vtroque Eminentiorem Perronium Cardinalem, qui lecto Anonymi nostri tractatu, & Ratramni consilio inde certiùs perspecto, cum ratione impugnandi Paschasii, aliquantò expressiùs sententiam Espencæi de Bertrami fide circa Eucharistiam, sic edisserit. Certamen ab eo initum, non directè contra Catholicos, qui in Sacramento & figuram simul & veritatem agnoscebant, vt explicuit Paschasius, verùm in Stercoranistas hæreticos, qui reiecta figura, veritatem solam ponebant & accidentia ipsi Christi corpori inhærere, atque omnibus suis casibus obnoxium reddere nugabantur. Verùm siue gloria nouæ opinionis excogitandæ, & ducendæ sectæ incitatum siue libidine fauendi

Stercoranistas [illegible] ecclesia [illegible]. Perron. l. [illegible] de Euch. in Bertr. auct. 39. c. 1.

malè sentientibus, & suam ipsius incredulitatem fouendi abreptum, deserto medio, quod extremum vnum impugnando tenere debuerat, in alterum præcipitasse: & prætextu palam oppugnandi doctrinam Stercoranistarum, qui nihil figuratum, totum veritatem in Eucharistia esse volebant, tacitè etiam & occultè Catholicam Ecclesiam oppugnasse, quæ veritatem simul & figuram constituit: & eò propendere ipsum, nihil vt nisi figuram absque veritate admittat, licet mentem suam pro virili contegat, & velet Catholicorum phrasi & stilo. Quod tamen adeò subtiliter, & cautò præstare non potest, vt ipse non peruideat opinionem à se proponi nouam, incognitam, ab Ecclesia sui seculi alienam, vt ex conclusione apparet qua suum opus terminat, à prioribus scriptoribus hanc in rem obseruata; & ex qua rectè infert Kemnitius, doctrinam Bertrami tunc in Ecclesia vsitatam & receptam non fuisse. Cui argumento ex eius confessione deducto, addi possunt alia duo quibus manifestè conficiatur, dogma quod tum inuehebat, non fuisse communem illo seculo doctrinam Ecclesiæ. Alterum, quòd licet obliquè impugnet veritatem realis in Eucharistia corporis Christi, & quantùm ad hoc contrarium affirmet eius quod Catholica tenet Ecclesia: nihilominùs suam illam opinionem iisdem omnino verbis efferat, quibus vtuntur Catholici, quorum conseruato syllabarum sono, sensum æquiuocis & illusoriis interpretationibus detorquet & inflectit. Alterum, quòd non Paschasius solus, auctor & oppositus Bertramo, & sui atque sequentium seculorum consensu probatus, testatur oppugnatam à Bertramo doctrinam communiter suâ ætate ità receptam fuisse in Ecclesiâ, vt licet per ignorantiam de eâ nonnulli dubitarent, nemo tamen hactenus ei publicè contradixisset: verùm etiam omnes eius seculi auctores, & liber ab aduersariis, nomine Caroli Magni & Concilii Francofordiensis euulgatus in Occidente, Haymo, Amalarius, Alcuinus ipse, Theophylactus autem in Oriente idem proclamant, hanc fuisse tum vocem communem totius Ecclesiæ. Hæc & plura vir magnus, cuius me hoc loco interpretem profiteor, & veneratorem.

Dubitat: de veritate corporis Christi in Eucharistia. Facit autem posterior hæc ratio, vt oculos reflectam in Bellarminum, qui ea permotus Ioannem Scotum & Bertramum putat de veritate corporis Christi in Eucharistia tantùm dubitasse, non etiam contradixisse, aut apertè negasse. Nam cum auctoritas Paschasii omnino persuadeat, *neminem adhuc fuisse in aperto, qui hoc ita esse contradiceret, quod totus orbis credit & confitetur*; & ne quis excipiat Scotum & Ratramnum post Paschasium scripsisse, cum iterum ex controuersia Berengariana discamus Berengarium noui illius dogmatis primum auctorem extitisse, sequitur, vt hac in fidei parte potius hæsitauerit, & claudicauerit duas in partes Ratramnus, quam vt præcisè, & manifestè negauerit & impugnauerit antiquum Catholicæ Religionis fundamentum quæ est Iacobi Gaulterii ex Bellarmini mente opinio. Ac profectò hinc *Patrum piè dicta concinnata*, vt loquitur Espencæus, corpus Christi & sanguis sæpe memoratus, vt verè existens in Eucharistia; inde autem spiritale illud & mysticum, & cum Ecclesia comparatum, incertum hominem & fluctuantem demonstrat, qui verè modò *Catholicæ filius*, modò dici possit *alienus*: ita tamen vt videri nobis *alienus* dum Catholica verba trutinatur, & professum errorem ardenter insequitur: esse tamen non possit *filius* qui Paschasium impugnet, qui doctrinæ nouitatem inuehat, qui piè dicta sensibus æquiuocis & illusoriis corrumpat. Eodem igitur omnes citati recidunt, vt scriptum illud Bertrami nomine publicatum, sine dubitatione credatur hæreticum, licet alii aliis rationibus ad triuium illud deueniant.

Bellarm. l. 1. de Euc. c. 8.

Gaulter Chronol ad sec. 9.

Liber ille prohibitus in Indice Concilij. Quas ob res iure optimo in indicem librorum prohibitorum ex mente Concilii Tridentini collectum & probatum, refertur cum Berengario, *Bertrami liber qui inscribitur, De corpore & sanguine Christi*. Ac licet deinde Index expurgationis Belgii illum retractauerit, *vt tolerari emendatus queat*. Ad extremum tamen monente Posseuino, *prohibitus omnino est à Clemente VIII. in postremo indice librorum prohibitorum*: *Itaque ampliùs legendus non est, nisi si quis ad refellendos, qui ex illo auctore erroris afferantur, hæreticos velit reuincere: Quod verò de eius erroribus, aut de ijs qui illi aliqua asfuerint, atque adeo de ipso Bertramo, qui diuinum hoc mysterium, haud rectè intelligebat, neque credebat, indicauit Vniuersitas Duacensis, potest quidem legi in expurgatorio indice Louaniensi; at non vt propterea quis existimet licitam inde fieri amplius Bertrami lectionem*. Is enim liber non est de operibus illis longis, in quibus fas est somnum obrepere, quorum suspenditur interim vsus *donec expurgentur*, vt notat Perronius, in quibus leues næui inter multa illustria, vt in sole maculæ censoribus nonnunquam religiosioribus, & non rarò in alia, quàm fidei causa, displicent, atque ita notantur eluendæ, vt nolint suam operi laudem perire. Neque rursus in locum vnum quicquid noxium est colligit, vt quædam animantes in caput aut caudam, quo membro resecto sana reliqua supersint: sed toto corpore spargit venenum vndique periculosus tangi, nusquam vtilis aut securus, quem proinde sit faciliùs aboleri, quàm purgari.

Poss. in appar. sacro.

Perron. l. 2. de l'Euch. cit.

Collectum de Ratramni doctrina iudicium. Plures aduersùs eum testes non produco, (cui enim sapienti tot & tales non sufficiant, tabulis ipsis fidem facturi?) cum modò nosse satis sit, Ratramnum ita scribere, vt occultè & subdolè religionis caput petat, Catholicis verbis prauos sensus contegat, Patrum piè dicta in sensus illusorios & æquiuocos torqueat; modò affirmet, modò neget: Catholicum se simulet, desinat in hæresin: hîc Catholicæ filius, illic alienus. Quę omnia hæsitantiam Bertrami, vt minimùm, in Eucharistiæ Sacramento declarant, eumque inter *Dubitantes* collocant de quibus Paschasius ad Frudegardum *quæris de re, ex qua multi dubitant*, qui primus est ad hæresim gradus: at non inter quosdam qui *ex hoc*, vt ait idem, *de ignorantia errant*. Non enim ignorantem, sed versutum & malignum Bertramum, &

liber ipse, & auctores iudices nobis repræsentant. Fuit igitur in Theologia Ratramnus, quod Tiberius in Imperio, magnus simulandi dissimulandique artifex, eaque arte id certè consecutus est, vt in Ecclesiæ communione semper vixerit, non sine aliqua eruditionis laude, & quam sæpe de incurrentibus quæstionibus consultus est à Carolo Rege, sicque respondit vt neque inter æquales, neque apud posteros manifesta professi erroris laborarit infamia.

Primatum ... Romanæ ... dat Ratramnus l. 4. contra obiecta Græcor. Et placet ad demensum, huius artificii specimen in eo libro monstrare, quem hoc loco laudat Dissertator, quo monitus à Rege, & quibusdam Episcopis, ac fortasse Hincmaro ipso, Græcorum obiectionibus respondet iam senex, & multarum pugnarum gladiator. Is ergo tribus prioribus libris processionem Spiritus Sancti à Filio æquè vt à Patre, non male asserit; quarto autem & postremo libro leuiores Græcorum ictus refutans, de Romana Ecclesia quam Constantinopolitanæ præferendam ostendit, ita loquitur, vt nescias diuino, an humano iure datum ipsi primatum tueatur. Semel quidem atque iterum Christi meminit, Ecclesiam Petro tradentis, sed vide quàm parcè. *Nisi putant Græcorum Imperatores moderni, non illi Romanorum, quorum imperium totius orbis prouincias disponebat, hoc sibi licere, quod illis non licuit, vt Ecclesiam Romanam, quam illi tanquam matrem venerati sunt, pro libitu suo disponere, & auctoritatem quam B. Petro tam Christus, quàm omnis Ecclesia totiusque mundi principatus con... posse.* Quid videtur? ... an à mundi principib... auctoritatem Petri sedes? Vis ... partem propendeat? Sequere. *Cuius tant... antiquitate tribuente potestatis vis, vt sine permissionis auctoritate, &c.* Non iam Christo, sed *antiquitate* donante. Quando autem & quomodo dedit illa antiquitas? Per Constantinum recens baptizatum. Sic enim narrat ex apocryphis actis Siluestri, quæ crasso errore assignat Eusebio. *Quarta die Imperator Constantinus priuilegium Ecclesiæ Romanæ Pontifici constituit, vt in toto orbe Romano Sacerdotes ita hunc caput habeant, vt iudices Regem.* Nimirum antea Stephanus, Fabianus, Cornelius, Clemens, Anacletus, pene dixi & Petrus, non erant Sacerdotum caput in orbe Romano: quis autem Laicorum, quis extra orbem Romanum Sacerdotum, quis omnium Christi ouium tum Pastor fuit & caput, si habuit à Constantino Pontifex Romanæ Ecclesiæ, seculo demum quarto, vt in orbe Romano Sacerdotum caput esset? Quantò autem aliter apud alios hic ipse libri ... articulus conceptus est? *Quarta verò die Imperatoris Priuilegijs Romanam Ecclesiam præ cæteris honorauit.* Rectè Baron. ad an. Tom. 3. Imperatoris: nam Primatus vniuersæ Ecclesiæ, Christi priuilegium est. Quam porro ob causam istud prærogatiuæ genus Romano Pontifici dedit antiquitas? *Quandoquidem* (inquit Ratramnus) *sit Romana ciuitas omnibus Imperij Romani ciuitatibus honorabilior, & Romanus Pontifex principatum obtineat Sacerdotij super omnes Episcopos, vt pote cum sit ciuitas hac domina omnium, & illi ciuitati quisquis præfuerit Episcopus, ex antiquitatis constitutione* (non Christi) *Princeps omnium habeatur Ecclesiarum.* Humanæ sunt istæ rationes, quibus solis si Roma vetus sub Nicolao Pontifice pugnauit, aduersùs Photium & Imperatores, ægrè Noua Roma cedere debuit, sub Imperatoribus suis longè opulentior atque gloriosior: licet addat Ratramnus, *Quis autem ferat vt Constantinopolitanus Patriarcha cunctis præferatur Ecclesiis, quod nec antiquitas ei contulit, nec vlla decreta maiorum constituunt, nec rationis habetur vel Ecclesiastica vel humanæ iure fundatum.* Nihil istorum non facile Caluinus vsurpet. Quid quòd propositionis recens damnatæ de Petro & Paulo duobus Ecclesiæ capitibus vnum conficientibus semina videmus in Ratramno? *Quos ambos* (Petrum intelligit & Paulum) *in Ecclesiæ principatum à Christo positos, & Romæ directos cum Ecclesiastica veritas, tum ipsius passionis monstrat auctoritas.* Petrum & Paulum Ecclesiæ principes vocat. Non magis in principatum directus est Paulus, quàm Ioannes ib... damnatus ad oleum. Si Deus abstinuisset miraculo, & elixus feruente oleo Ioannes expirasset ad portam Latinam, an & ipse Romæ directus in Ecclesiæ principatum diceretur? Tricipitem igitur haberemus Ecclesiam monstrositate sacrilega, quæ ab eo qui se Catholicum videri velit, fingi non potest. Eundem sensum adiuuat Simonis Magi historia de cælo deducti quam æquè Paulo & Petro attribuit. *Scribitur enim Petrum & Paulum Apostolos contra Simonem Magum dimicaturos die Sabbato ieiunasse: hac de causa Romanis consuetudinem esse in omni Sabbato ieiunandi.* Quàm pauci auctores Paulum in hoc certamine Petro adiungunt? Quàm multi ijque nobiles hanc vni Petro victoriam assignant? Certè de ieiunio Sabbati in Ecclesia Romana instituto, tanquam trophæo quopiam, apud neminem memini legere me, qui eius auctorem Petrum solum, Pauli nomine omisso non faciat. Est igitur cautè legendus Ratramnus, etiam vbi causæ Catholicæ fauet, & militat.

IN CAPVT I.

Nouatorum obiectionibus satisfit Bertramo Studentium.

Ad illud.

Cum ad eos venerimus qui moderno tempore his contentionibus non timuerunt inseruire.

NVllus eo seculo repertus est Elias, qui Ratramnum duas in partes claudicantem argueret, & in bona stabiliret contendere: nec Paschasius quidem ipse, non obscurè, Anonymo teste, ab eo lacessitus, redhostire voluit. Diceres eius occursum vitasse veritatis athletas, & versipellis Monachi, aientis negantisque ambages, aut contempsisse ne pro- 1. Obiectio Philippi Mornæi, de silentio æqualium.

derent imperitis, aut fugisse ne & ipsi caperentur incauti. Hinc est illa Philippi Mornæi nobilis inter Caluini asseclas scriptoris obiectio, Bertramum hoc scripto tractatu, de errore & hæresi reprehensum fuisse à nemine: atque inde concludit eius opinionem reali corporis Christi præsentiæ subcontrariam non abhorruisse tum à sensu Catholicorum. Cui respondet idem qui nuper fusè productus Perronius, licet illud admittatur silentium (quis enim hoc certò asserat, post tot scriptorum naufragia?) duabus tamen de causis id euenire potuisse. Prior est, publicam in lucem non prodiisse librum, neque ad Carolum Regem cui dicatus erat peruenisse: sed Musæi & Claustri Monastici tenebris consepultum, diu post eius mortem emersisse. Aut si tum lectus & spectatus est, à paucis, nulla publica fama id factum: quando ex omnibus nunc editis scriptoribus, eius scripti multis post seculis vix duo meminerunt, Sigebertus, atque Trithemius. His addo, cum ea disputaret Bertramus, nondum ex vmbra Monasterii sui progressum Hincmarum, sub Carolo, ei Regi fuisse pene ignotum: cui postea in solem & puluerem educto, contentiosa scripta omnia, quæ ad se deferentur, expendenda, & si res posceret, confutanda commisit. Hic ergo tractatus si peruenisset ad Hincmarum non dubito quin probè foret exagitatus, eaque vexatione famosus. Posterior obscuritatis causa est, cum ea simulatione se ipse texerit, vt nonnullis in locis Catholicè loqui, & Stercoranistas solos insequi videatur, subsequentem Ecclesiam scriptum eiusmodi anceps & implicatum neglexisse, iis resistere contentam, qui doctrinam Catholicam aperto marte lacesserent.

Responsio ex Perronio l. 1. de Euchar. etc.

In posteris autem Trithemius, opus illud Bertrami tantùm abest, vt hæreseos notet, quin potiùs ex aduerso *commendabile opus* appellat, inquit idem Mornæus: ex quo vult sequi, vt eius doctrinam de Eucharistiâ probet, & suo tempore probatam fuisse significet. Ad hæc Eminentissimus Cardinalis, opus igitur illud aut à Trithemio lectum nunquam esse; aut eiusmodi non fuisse eius ætate, quale modò nouatorum studio vulgatum est. Idque ex eo facit credibile, quòd ab eodem Trithemio Lanfranci sanctitas & eruditio prædicatur, & inter illustria eius ingenii monumenta, opus de corpore & sanguine Domini contra Berengarium refertur, atqui opere illo certo consilio doctrinam constituit euertere, quam Bertramus scripto suo profitetur. Quòd si quid ægrè sibi persuaderi sinet, memorari & laudari librum à Trithemio, quem non legerit, cum alios fateatur *ad notitiam suæ lectionis non venisse*, aliter satisfieri potest, laudem & titulum *Commendabilis operis* in solum de Prædestinatione librum cadere: istum autem lectum quidem, sed ambagibus, & Catholicis verbis prohibentibus, ad interiorem & genuinum sensum auctoris, à mente candida, non fuisse penetratum. Sed quid Trithemium tanto post tempore Bertrami suffragatorem quærimus, cum sit ad manum Anonymus ille noster, longè vicinior Ratramno, quem habet pro sycophanta, & Paschasii per calumniam accusati manifestè reum facit.

2. Eiusdem obiectio ex Trithemio laudante Bertr.

Responsio 2.

R. ...

R. p. 3.

Is ergo cum Paschasium aduersùs illum defendendum suscipiat, tanquam orthodoxum & Catholicum, ostendit profectò Ratramnum errare & esse hæreticum. Ita qui supra Perronius, quod eius dictum ea moderatione temperabis, quæ Rabanum, de cuius fide & religione nullus vnquam dubitauit, seiungat à Ratramno. Nam licet absque distinctione oppositum Paschasio virumque appellet Anonymus, ostensum tamen est à nobis, neque idem cum Ratramno sensisse Rabanum, neque eodem animo, parique iure Ratramnum egisse aduersus Paschasium, quo Rabanus egit: homo videlicet bene & nauiter Catholicus, in doctrinam obscuriùs propositam & scandalum, nisi declararetur apertiùs, pariturum: ille occultus fautor hæreseos, velut in manifestum errorem Stercoranistarum, cuius expugnatio benignam offerret erroris contrarii, sine periculo spargendi occasionem. Addit idem Controuersista purpuratus, argumento quod vocant ad hominem. Cum seculorum sequentium Ecclesia Ioannis Scoti damnatum librum exusserit, & hic aduersariorum sententia Ratramni fuerit discipulus, ostendisse liquidò, si tum temporis in hominum manibus versatus esset Ratramni liber, aut si fuisset is qualem modò videmus, non mitiùs fore tractandum.

Sæpe memoratus hac in causa, Præses amplissimus encomiastes Bertrami, pluribus rationibus breuiter congestis conficit, nec leuissimam quidem prauæ doctrinæ suspicionem in Ratramnum cadere posse. Nam scribenti Molano, librum eius de corpore & sanguine Domini damnatum esse à Tridentinis censoribus, respondet ex Miræo Antuerpiensi Decano, in eum ab hæreticis inserta esse, quæcunque vel obscura, vel in speciem prauè sonantia leguntur: plurimis certè locis veram Christi præsentiam, & transsubstantiationem adstruere. Sed quis ille sit Christus, alius quàm qui natus ex Virgine, qui resurrexit, & ascendit in cælum huius imago & figura, ex auctore ipso declaratum est. Adiicit, ab Vsserio suo citari manuscriptum sermonem de natiuitate, *in quo similiter agit de sacramento corporis & sanguinis Domini.* Quem cum non edant in publicum hæretici, euidens indicium est ipsis non fauere. Verba Vsserii sunt in illo *eandem quam in libro de corpore & sanguine Domini tradidit, doctrinam propugnasse.* Quæ oratio ab hæretico profecta, qui & ipse quæstionem de Eucharistia, Nouatorum stilo, contra quendam Iesuitam disputauit, demonstrat omnino & lectum ab eo probatumque, qualis à sodalibus editus est, Ratramni librum de Corpore & Sanguine Domini, *& eandem* vtroque in opere *doctrinam* repertam, de alio corpore quàm quod natum de Virgine; de corpore non corporali; de corpore mystico, eius figura quod est in cælo, confecto ex granis tritici, non compacto ex neruis & ossibus, & quæ alia ex ipso audiuimus. Hoc autem de natiuitate opusculum, cum ab Hæreticis deprauatum non sit, vt pote ineditum & adhuc latens, plausibili admodum argumento nobis suadet, & erroneam fuisse Ratramni doctrinam, & eius opus tot erroribus fartum, ab nouatoribus interpolatum non esse, sed verum

3. Obiectio ex Dissertatore multis defendente Ratramnum Dissert. c. 17. etc.

1. Ratio. Reflectitur in authorem.

& legitimum parentis sui fœtum. Vnde signanter dicit Vsserius, ***quam tradidit doctrinam***, non quæ traditur, aut legitur, vt qui vtrumque librum consuluit, de similitudine & stilo Ratramni peritè iudicare possit.

3. ratio. Tertia Dissertatoris ratio est. Ratbertum & Ratramnum aduersus Stercoranistas scripsisse: quod quàm verè & historicè dicatur, habes, lector, ex antedictis: ***Vtramque Catholicam veritatem asseruisse***: si de diuisione & corruptione corporis Christi vult intelligi, libens agnosco: sin dictum istud ad ceteras omnes Catholicæ sententiæ partes à Paschasio rectè & fideliter expositas, permanere vult, hoc ego pernego æquè factum à Ratramno, & in isto peruidet nescio quid Præsidis solertia, quod effari non audet, vt non nemini suspicionem mouere possit, ipsum dissimulando dissimulatori patrocinari: subdit enim ***Radbertum transsubstantiationis veritatem clarius expressisse: sed nec etiam Bertramum recessisse ab illa doctrina, testibus Magdeburgensibus.*** Si veram & Catholicam Transsubstantiationem docuisset Rattamnus, ita modò loqueretur Monetalis? Transsubstantiatio est panis commutatio in imaginem corporis eius quod sedet ad dexteram Patris in cælo? in corpus non corporale, quod non corporaliter, sed spiritaliter, sola fide comeditur? Testes Orthodoxæ eius doctrinæ aduocat Magdeburgenses. Infirmum est ab hæreticis testimonium, quando eum librum in suam illi fidem clientelamque receperunt. Nam primus è tumulo eduxit Oecolampadius ante annos centum, supposito nomine Coloniæ Agrippinæ: deinde repetitis editionibus suppressum est & loci nomen & Typographi: postremò ingenuè declarata est Basilea anno salutis 1555. in Orthodoxographia, quæ de primis est veterum Patrum Collectionibus, quæ deinde auctæ in immensum, Bibliothecam Patrum fecerunt & hoc opusculum, vt spurium & degenerem quendam partum abiecerunt. Ita grande aliquod momentum eo in libro & scriptoris vetustate putant inesse Nouatores ad errorum suorum confirmationem. Bertrami doctrinam nouitatem olere, & ab Ecclesia tunc nondum receptam fuisse, fatetur Kemnitius apud Perronium. Philippus Mornæus suarum partium esse credit auctorem: nec fallitur. Vsserius Armachanus sensum suum dissimulat, quæ de illo scribuntur à quibusdam referre contentus: quia ad historiam Gotteschalci minimè facit. Dauidi Blondelo tam apertus, atque adeo Romæ contrarius videtur Bertrami liber, vt aduersariorum complures crediderint ab Oecolampadio fuisse suppositum. Neque dubito quin tali in opere laudibus extollendo illis sodalibus permixtum se cum rubore videat Dissertator, qui nihil magis expetit, quam vt se, & Gotteschalcum, & huius amicos censeri curet Catholicos. Minùs sanè periculosè Bellarmini argumento vsus, Paschasium ipsum citasset, apertè dicentem ***neminem adhuc fuisse in aperto, qui hoc ita esse contradiceret.*** Ergo nec Ratramnum. Sed attendenda Paschasianorum verborum proprietas. ***Neminem adhuc fuisse***, Ante sua tempora, siue hactenus. Qua voce suam ætatem non excludit: imo veriùs significare videtur, noui aliquid inductum esse ab æqualibus suis, quod antiquitas ignorasset. ***In aperto***, inquit, quàm obscurè, quàm variè, quàm dissimulanter loquutus est Bertramus? ***Qui contradixerit***, præcisè & clarè negando realem corporis Christi in Eucharistia præsentiam, quod nusquam negat Bertramus, sed eam manifestè docet: at non eodem quo fides Catholica modo: dicente Paschasio: ***Nunc autem exinde quia claruit quòd non omnium est fides, discant quæso, cum talibus credere, & in nullo de his dubitare.*** Itaque nec in Paschasio perfugium ad excusationem Ratramni reperitur; sed hic, vt vbique, sic in hac præsertim materia de ***impie dubitantibus*** est, vix vsquam certus & constans Catholicus, Et de his sausimè, vt ait Hincmarus.

Refutatur.

Hæretici eius libri patroni.

Blond. l. Eluccidat. de Euch. c. 18.

Paschasius Ratramnum non excusat.





APPENDICIS MISCELLANEÆ AD HISTORIAM GOTTESCHALCI.

OPVSCVLVM VIII.

DE IOANNE ERIGENA SCOTO Iudicium.

Ad l. ij. cap. xlv.

PRÆFATIO.



N Doctoribus Ecclesiasticis duo spectari solere pridem docuit Tertullianus, Personas, & fidem, siue doctrinam. In hac considerantur, vel propositiones, Catholicis omnibus diuina fide credendæ: vel si ad fidem non pertinent, de Theologia, de Philosophia, deque secularibus disciplinis in vtramque partem liberè tractatæ. Articulorum quoque fidei duo sunt tempora. Nam alij iam ante definiti & Ecclesiâ totâ recepti sunt, quàm quis nouum opus conscribat: alij nondum quidem distinctè traditi, & præcedenti altercatione indifferenter disceptati, sequentium Conciliorum auctoritate in partem alteram altè panguntur. Hæc in Ioannis Erigenæ Scoti mentione obseruare oportet, & Scotum ipsum magnam superioris controuersiæ partem, quem nosse nolunt, aut dissimulant aduersarij hoc loco reponere, ad eam tractationem inuitante graui Præsidis Dissertatoris Epiphonemate, quo post multa de eo, deque Amalario inuidiosissimè dicta, exclamat, En paucis quales Hincmarus inuenit opinionis suæ fautores: imo quales ipse delegerit patronos, & defensores. *Omisso igitur Amalario, cuius ad nos scripta non peruenerunt, qualis fuerit Erigena Scotus, quem habemus notiorem, scriptorum testimonio vestigandum est. Incipio à doctrina, cuius magis dubia fama est.*

Causa huius tractationis.

Dissert. c. 18.

SECTIO I.

Seculi Noni Scriptores de Ioannis Scoti doctrina non idem sentiunt.

FAteor equidem hoc aditu disputationis, insedisse in doctrina moribusque Ioannis Erigenæ næuos quosdam, qui benignam reprehensionis & opprobriorum materiam hominibus præberent: neque is sum cui causæ semel susceptæ praua & detorta, pro diuinis & sanissimis habeantur. Seruati Lupi, & Prudentii, atque huius Erigenæ, quin etiam ipsius Hincmari dicta factaque omnia suis ponderibus in opere arbitror expendisse. Sed neque sapientibus probandos puto, qui quod humanum non est, alios omni vitio carere volunt, quodque ab iis peccatur omni æmulationis & odii sæuitia in immensum exaggerant. Interest sanè videre quis de quo sententiam dicat, & vt sunt homines, faciliùs reperias æmulum qui virtutem aduersarii laudet, quàm qui vitia excuset, aut minuat.

Aduersarij eius doctrinam eleuant. Hoc animo, qui Gotteschalcanam controuersiam contra Hincmarum attigerunt eius æui scriptores, quia is Ioannem Scotum Monachum Palatinum in solem & puluerem eduxisse creditus est, eiusdem famam modis omnibus atterere, & conspurcare tentarunt. Nam & eius de vnica prædestinatione librum validè oppugnarunt nonnulli: & alium de naturæ diuisione, corrupit aduersarius, vt læderet, & Hierarchicorum S. Dionysii librorum interpretationem magno animo atque ausu ab eo susceptam, apud Pontificem Romanum suspectæ fidei reddiderunt. Qui autem illi? Lugdunenses qui vocantur, oppositi Hincmaro, Lotharii Imperatoris Episcopi. Quid enim aliud speres ab hostibus? Sed quo tandem modo in eius infamiam grassati sunt? Qui bonis Litteris expolitos homines, graues Theologos, sanctos Antistites minimè omnium decuit, quo nec ipse Cicero in Vatinium & P. Clodium, nec Æschines in Demosthenem inuectus est. Prudentius certè Trecassinus eius opus de vnica prædestinatione lacerans & discerpens, non vt hominem ratione præditum, sed vt rudentem, omnibus vexat ludibriis. Profectò iracundè. Auctor libelli de Tribus epistolis; quem Ebbonem Gratianopolitanum esse monstrauimus, *nec ipsa verba scripturarum habere cognita*, idque *ex eius scriptis verissimè comperisse profitetur.* Cui persuadeat? Qui ait, *ita quibusdam phantasticis adinuentionibus & erroribus plenus est, vt non solùm de fidei veritate nullatenus sit conscribendus: sed etiam cum ipsis omni irrisione & dispersione dignis scriptis suis, vel sicut demens sit miserandus, vel sicut hereticus anathematizandus.* Moderatius arguenti credi potuit. Nam deliria illa phantastica, & errores nondum tunc temporis ab Ecclesia proscriptos & nos ridemus, & despexit Hincmarus; qui si Scotum inuitauit ad scribendum, certè neque ita scribere voluit, neque scriptum probauit. Et sic illud placet animaduertere, Scotum Erigenam toties impetitum ab æmulis, tanto impetu prostratum, tantis opprobriis turpificatum, à quibusdam Hincmarianarum partium verbotenus laudatum fuisse, scripto autem defensum à nemine.

Prudent. l. aduers. Scot.

[illegible] epist. c. 4.

Lugdunensis etiam ille, qui in Flori nomen intruditur, in ipso eius refutationis limine, *Vaniloquum & garrulum hominem* appellat, eius *errores & ineptias* aggreditur vel à titulo, scripta *contemptui & risui* vult haberi, *eò quòd vanissima sint, & contra fidem ac veritatem Dei, plena mendacij & erroris.* Verùm, vt à Platone scimus coronatum Homerum è ciuitatibus eiici; sic Theologus, sic scriptor, ab eius præconio quem armis omnibus contendit exuere, abstinere non potest; non quidem vt ex forti aduersario victoriæ gloriam captet & augeat; sed ne tantam nominis Scoti claritatem ex inuidia contra veritatem & insitam in hominum animis opinionem obscurare velle censeatur. *Sed quia à multis, vt audiuimus, idem homo quasi Scholasticus, & eruditus admirationi habetur, & talia garriens, siue scribens alios ad hæsitationem deducit; alios quasi magnum aliquid dicat, erroris sui sequaces efficit; omnes tamen auditores & admiratores suos inani verbositate & ventosa loquacitate perniciosissimè occupat.* Non ita iactis hastis certamini præluderet vir grauis, & doctus, si antagonistam suum contemptu & risu dignum duceret: si contemnendus ille & ridendus magnam apud plurimos eruditos in aula mensaque Caroli Regis doctrinæ famam non collegisset: se contemni hominem, quam timeri, & accurate reuinci, satius foret. — *Lugdun. l. aduers. Ioann. Scot. Præfat.*

Seuerior quoque Synodi Valentinæ III. censura est in Scoti librum de vnica prædestinatione, in quem omnes, vt in scopum iaculantur: & eius capitula nouemdecim *Syllogismis ineptissimè conclusa* esse ait, *& licet iactetur, nulla seculari litteratura nitentia.* Si tamen illud quadruuium regularum quo nititur, à rebus sacris ad profanos, & philosophicos traducimus, negari non potest ad inuestigandam rerum quæ exquiruntur cognitionem plurimum prodesse. *In quibus commentum diaboli potiùs quam argumentum fidei deprehenditur.* Lingonensis Concilii correctio *commentum perfidiæ* minus inuidiosa voce maluit dicere, ostenditque residente æmulationis æstu, debuisse nonnihil in iudicio Valentiæ facto, non tantùm contra Hincmarum, sed etiam aduersùs Erigenam Scotum mitigari. Ac demum inferiùs iterum — *Concil. Valent. III. can. 4.*

Valentini

Valentini redeunt ad Scotum: *Ineptas quæstiunculas, & aniles pene fabulas, Scotorumque pultes puritati fidei nauseam inferentes*, repudiat Ebbo canonis artifex. In his autem *pultibus* alludit ad Scotiam Erigenæ patriam, & ex Hieronymo vocem mutuatur. Hic enim de Sodali quodam & sectario Rufini dixit aliquando, nec recordatur Stolidissimus, & Scotorum pultibus prægrauatus, nos in ipso dixisse opere &c. Scortorum inquam legebant veteres suis in Codicibus, nec sine veri aliqua similitudine, cum eo loci reprehenditur hæreticus, cui dolet ab Hieronymo contra Iouinianum scribente, *virginitatem nuptijs & nuptias digamiæ, & digamiam polygamiæ esse prælatam*: & mox subdatur, etiam Scortatorem recipio pœnitentem. Nihilominus enarrator Hieronymi Marianus Victorius *insignem errorem* vocat, & è Brixianis codicibus emendat *Scotorum pultibus*, quibus *prægrauatum*, dicit, *quòd Scotorum vsque ad nostra tempora is cibus sit, & homines qui eo vescuntur, pingues obesosque efficiens, graues reddat*. Sed istud in Erigenam priuatim non potest quadrare, quem tenui & petexili corpore fuisse tradunt historiæ. Quicquid illud sit, tale pulpamentum sibi à Valentinis Patribus oblatum sensit Hincmarus, idque temerè & subdolè ab iis factum queritur, quòd palato suo nunquam sapuit. Ita videlicet censorium canonem concinnauit Ebbo, vt Capitula quatuor Carisiacensia, & 39. Syllogismos vno explodens ductu & tenore, vnius & eiusdem auctoris opus vtrumque esse credi vellet, vt olim fusè monstratum est. Sed apud Lingonas seipso iam moderatior obliterata penitus Hincmati censura, Syllogismorum nouemdecim auctorem Scotum expresso nomine, cogente veritate iustitiaque monstrauit.

Ibid. can. 6.

Quæ sint Scotorum pultes. Hieron. Proœm. in l. 1. Commēt. in Ierem.

Marian. Victor. in eum locum.

Hincm. epist. ad Carol. Reg.

Non queror tanto cum impetu insiluisse in homuli iugulum valentes aduersarios: quid enim minùs aut possint aut velint? Sed duo mirari satis non possum, alterum in opere iam expensum, omisso errore quo dicitur Scotus contra Augustissimam Eucharistiam laborasse, in vna prædestinationis materia hæsisse crabrones, vt eis sciremus non ad propugnandam fidem pugnare, sed ad euertendam partem Remensium. Alterum, omnem Ecclesiastici tumultus, peruersæque doctrinæ inuidiam, in eum qui pro Catholicis partibus aduersùs hæreticum quo quo modo militabat, ab illis fuisse deoneratam, omisso, imo quantùm licuit, excusato hæreseos reparatore, duobus Conciliis damnato Gotteschalco. Huius enim erroribus cum ne tunc quidem fauerent Patres Valentini, putas loco tam opportuno, mollissima indulgentia parcituros, & ne verbo quidem grauiore perstricturos, nisi quid aliud, quàm quod præ se ferunt, *simplicitatem fidei, & caritatem fraternam*, hac Canonum acerbitate spectarent. Esto enim respuenda Scoti doctrina; an ideo Gotteschalci hæresis fouenda silentio? Subministrauit occasionem Scotus vltro citroque disputandi, *vsque ad scissionem caritatis*, eaque in re peccauit non leuiter; aut Ecclesiæ pacem & concordiam restitutis hæresibus Gotteschalcus antea procurarat, vt venia & patrocinio dignus censeretur? Vter rerum nouarum princeps, & præcipuus *introductor* est Gotteschalcus an Erigena? Vtrius *commentum Diaboli* siue *perfidiæ*, periculosius est, Gotteschalci an Erigenæ? Lugdunenses zelotæ Gotteschalcum Prædestinatianum ægrè ferunt carcere coerceri, ne aliis noceat; Scotum cupiunt expelli ne mentes Christianæ ab eo corrumpantur. Admonent Episcopos Valentini ne superfluis vocibus cœlum piè dolentium & gementium onerent; perniciosa interim fouentes in Gotteschalco eiusque sodalibus & asseclis.

Lugdunenses non ferunt sinceri in Scotum

Gotteschalcum fouent silentio.

Neque satis fuit æmulis Lugdunensibus Scotum intra Gallias allatrare, Nicolaum etiam Pontificem trans-Alpes aduersùs illum concitant, vt quam à Galliarum Episcopis eius librorum condemnationem obtinere non possunt, à supremo Antistite maiori cum auctoritate auferant. Ita nihil non tentat inquieta nouitas, & ambitiosa æmulatio. Sed ex querelæ iudicem inuenerunt, & patrem omnibus ex æquo fauentem, qui cùm hinc Lotharianarum partium delatores, inde regni Carolini Antistites suffragatores, ipsum in medio Erigenam maioris famæ quàm melioris scriptorem considераret, sapientissimo consilio inter quæstionis præiudicium, & accusati censuram sic incessit, neutrius vt pœniteret aut loquutum esse Pontificem, aut tacuisse. Nam rogatus de libro de vnica prædestinatione, respondet de Interpretatione Dionysii: pulsatus pro imponendo homini silentio, agit de libri examine: monitus de erroribus, significat sibi esse suspectum. Scribit enim ad Carolum Regem, à quo alebatur, iubetque mitti ad se opus B. Dionysii Areopagitæ nuper in Latinum à Ioanne Scoto translatum, ne absque supremæ Sedis auctoritate vulgetur, aut citetur pro authentico: *Præsertim cum idem Ioannes, licet multæ scientiæ esse prædicetur, olim non sane sapere in quibusdam frequenti rumore dicatur.* Auctoris vituperationem prudens Pontifex laude temperat: *multæ scientiæ* fatetur esse, sinistra tamen fama laborare: librum postulat, subdendum examini, & approbatione, si merebitur, commendandum. Quod & benignè videtur fecisse, cum nihil ab ipso, vel ab alio Pontifice grauius in versionem illam decretum appareat, eaque perdiu posteritas vsa sit, vt in Hugone Victorino, Lincolniensi Episcopo, Abbate Vercellensi, aliisque Dionysii Enarratoribus videre est.

Nicolaus I. Scoti doctrinam non damnat.

Dionysii liber à Scoto translatus.

Iuo Carnat. li. 4. tom. 1. Concil. Gall.

Et habuit eodem seculo approbatores, si non & admiratores opus illud, maximéque Anastasium Bibliothecarium, Romanorum tunc vtraque lingua doctissimum, qui de Dionysiaca interpretatione scribens ad Regem interpretis Scoti & sanctitatem & eruditionem mirè condemnat. *Mirandum quoque est, quomodo ille vir barbarus, ille qui in mundi finibus positus, quantò ab hominibus conuersatione, ita credi potuit alte-*

Anastasius sanctitatem & doctrinam Scoti commendat.

Epist. ad Regem præfixa operibus S. Dionysii.

rius linguæ dictione longinquus, talia intellectu capere, in alienamque linguam transferre voluerit. Ioannem innuo Scotigenam, virum, quantùm auditu comperi, per omnia sanctum. Sed hoc operatus est artifex ille spiritus, qui hunc ardentem pariter & loquentem fecit. Nisi enim ex gratia ipsius igne caritatis flagrasset, nequaquam donum linguis loquendi procul dubio suscepisset. Nam hunc magistra caritas docuit, quod ad multorum instructionem & ædificationem patrauit. Et post pauca. *Deinde cum verbum verbo reddat interpretando: quod cum non aliam egisse ob causam existimo, nisi quia cum esset humilis spiritu, non præsumpsit verbi proprietatem deserere, ne aliquo modo à sensus veritate decideret. Vnde factum est vt tantum virum,* &c. Sic æqui rerum arbitri procul à contentionum Gallicanarum tumultibus de Ioanne Scoto sentiunt, & loquuntur. Ac licet in eius viri doctrina propriè modò habitemus, quæ hoc in testimonio illustris apparet; non videtur tamen negligenda eximiæ virtutis obseruatio, quæ singularem modestiam, ardentem caritatem, omnimodam sanctitatem, Spiritus sancti Charismata non dubiis signis exhibet. Neque illud de se iudicium fallit vir optimus, dum Carolo Regi Dionysiacam interpretationem offerens, ita loquutur. *Hæc igitur nostra qualiscunque sit translatio, non quidem prolixæ indiget vt arbitror apologiæ; cum omnibus eius æmulis quicunque, & qualescunque sint, vna responsione passim occurrere, vestræ videlicet Celsitudini, neque potuisse, neque debuisse non obedire. Si quis autem nimis tardæ, aut nimis insuetatæ redarguerit elocutionis, attendat, non me tantùm, sed & seipsum nihil posse plus accipere quàm quod ipse distribuit, qui diuidit singulis propria prout vult.* Quid demissius, magisque diuinæ gratiæ suppositum, quid proinde Spiritu sancto dignius vel aduersarii omnes exegerint, si qui Pelagianismi Scotum insimulant? Confer Confessionem Gotteschalci in quo virtutum omnium vestigia singulari sagacitate deprehendit Dissertator, cum hac obedientiæ, demissionis, Spiritus sancti gratiæ professione, & æstima quod esse debuerit Rabani iudicium si hanc epistolam notam habuisset. Atque cum hæc interpretatio Dionysii, adeoque Anastasii panegyricus lucubrationem Scoti de Eucharistia consequutus sit, iudica, Lector, quàm leuis pro tempore, quamque obscurus esse debuerit eius error, qui postea noua causa emergente, tanto cum tumultu aliena culpa in apertum fuit eductus. Habes igitur hominem, Lector, inter laudes & vituperia non sine merito iactatum suo seculo: hæc est enim optimorum agrorum conditio, vt in iniuriam suam fœcundi, lappæ multum & lolii tritico admisceant.

Ioan. Scot. ep. ad Carol. Regem.

SECTIO II.

Posteri Gloriam eruditionis eidem Scoto Magno consensu asserunt.

INter hæc nihilominus tot vndique procellis iactatus, tot scopulis illisus, integram & eruditionis, & Catholicæ fidei, & sanctitatis famam inuexit in portum, & posteris probauit. Nam eruditionis testem habemus Trithemium qui de illo ita censet. *Ioannes, dictus Erigena, Monachus, in diuinis scripturis doctus, & in disciplina secularium litterarum eruditissimus, Græco & Latino ad plenum instructus eloquio, ingenio subtilis, sermone compositus, iubente Carolo filio Ludouici fratre Lotharij Imperatoris, transtulit in Latinum Hierarchiam & libros Dionysii lib. 4. Scripsit super eisdem lib. 4. Et quædam alia. Claruit sub Lothario Imperatore anno Domini 850.* Hic est Erigena quem Lugdunenses *garrulum & vaniloquum, nec ipsa verba scripturarum habere cognita,* nuper dicebant. Ab Anglis autem historicis *vir perspicui ingenij, & multæ facundiæ.* A Baronio lectis omnibus quæ de eo, contraque illum dicta sunt, *vir magni nominis* appellatur. Omitto Arnoldum Vvion, qui contra Trithemii opinionem, eamque veram, cum Ioanne Scoto, Alcuini socio, Caroli Magni temporibus celebri, confundit Erigenam; non tamen sine huius commendatione. Cum enim *virum doctissimum* nominat, & scripsisse dicit *mira eruditione*; illum prædicat, cui *primæua librorum Sacratissimi Dionysii Areopagitæ translatio adscribitur*, quique librum de Naturæ diuisione edidit, quem esse constat Erigenam: Eidem tamen errori assentiens Posseuinus, fuisse Vercellensem Abbatem, *ac sine controuersia Thomam appellatum* putat, atque deceptus homonymia laudare sperat Erigenam. Ioannes Pitseus olim hoc in argumento citatus, licet in Erigenæ patria fallatur, in eius tamen laudes adeo effusus est, *vt in omni meliore doctrina vix sui similem quemquam in illa ætate per orbem terrarum habuisse*, affirmet: ac deinde plures *à fœcundo huius hominis ingenio fructus acceptos*, libros nimirum enumerat.

Trithem. l. de script. Eccles. c. 199.

Baron. ad an. 85. tom. 10. Arnold. Vvion. lign. cit. l. 5. c. 51

Posseuin. appar. sacr.

Pits. l. de illustr. script. ætat.

Erat ante conspicuus ea gloria quam nauigaret in Franciam. Sed in ea quæ semper, & tum etiam temporis doctorum fuit nutricula, vt monstrant Scotus iste, & Hispanus Prudentius, eruditorum Episcoporum consilio & familiaritate non parum profecisse par est credere. Apud ipsos enim de quæstionibus illis ex philosophia theologica petitis egisse Scotum & opiniones suas exposuisse, non sine contradicentium, vt fit, oppositione, facile colligimus ex Prudentio, ipsius Sententiā de paradiso, deque inferni loco ipso

In Gallia Scotus studuit.

Scoti opinio de Paradiso & inferni loco.
Prudent. l. aduers. Scot. c. 17.

narrante acceptam, nobis exhibente, vltra firmamentum, & infra terram nihil esse: *sed in hac quasi domo cæli & terræ ambitu, contineri omnia; esseque quem infernum dicimus, à terra, vsque ad Lunam; & deinde paradisum vel regnum Sanctorum, vsque ad firmamentum; ibique tam Angelos, Sanctos, quàm Sanctorum animas, & ipsum Dominum nostrum Jesum Christum corpore commorari.* Quod inuentum cum libro de vnica prædestinatione, opportuno loco, imitante materia, deliriis pluribus iam relatis, tacuerit Erigena, nonne probabile indicium est præsentium disputatione repressum fuisse, & ad saniorem rediisse sententiam? Quod in reliquis fecisset articulis, si vel eos exposuisset publicè, vel meliora docentibus humiliter assensisset, quod eiusmodi ingenia faciunt ægerrimè.

Recedit è Gallia.

Cum autem ob insolitas illas subtilitates, maximéque ob defensam aduersùs Gotteschalcum vnicam prædestinationem quibusdam Episcopis, aliisque Hincmari æmulis inuisus, tanquam noctua à circumstrepentibus auiculis perpetuò vellicaretur, inanes eorum conatus, & bruta fulmina forti animo perdiu contempsit, superstitibus Carolo Rege, & Hincmaro Archiepiscopo, quorum gratia vndecunque munitum se sentiebat. Verùm illis de medio sublatis, paulò post Hincmari mortem anno 883. *Tæduit eum Franciæ*, & in Angliam ad Ælfredum Magnum Regem concessit, *eius munificentia illectus, & Magisterio, vt ex scriptis eiusdem Regis intelligitur, Melduni Magister resedit, in Magisterio nostro*, ait Malmesburiensis. Ingulfus autem Abbas, narrat ab Aelfredo, in quo virtutem bellicam litterarum amor æquauit, Religionis studium vtrumque superauit, accitos eximios viros Grimbaldum Vvintoniensem, Ioannem cognomine Scotum, *acerrimi ingenij philosophum* Adetingensi Monasterio constitutos esse prælatos. *Ambo isti Doctores*, inquit, *literatissimi, Sacerdotes gradu, & professione Monachi sanctissimi erant.* Ioannes Pitsæus recentissimus scriptor, inter cetera prioribus historicis contraria, hoc etiam narrat, euocatum esse à Rege, cum eius eruditionis fama latere non posset, *Missùmque Oxonium, vt in Academia iam restituta, omnium primus bonas litteras publicè doceret.* Locus in quo constitutus est, vt apparet, satis incertus; sed officium minùs dubium, doctoris scilicet & magistri. Quare à Vvestmonasteriensi perpetuo *Magister Ioannes* appellatur. Quæ omnia & doctrinæ laudem, & virtutis testimonium præferunt, cum neque indoctus tot viris illudere, vt prædicaretur; neque malus sapientes latere potuerit, vt Scholis præficeretur. Quis autem posterorum eius doctrinam recusaret agnoscere, post Nicolaum Pontificem *multæ scientiæ*, quis eius sanctitatem venerari post Anastasium virum *per omnia sanctum* appellantem? Atque ea sanctitas è mortis genere clarius elucescet.

Matth. Vvestmô. ad an. 883.
Guill. Malmesb. l. 2. hist.
Roger. de Houeden annal. p. 1.
Ingulf. in hist.
Positus in-fumis.
Pits. l. de illustr. histor. tic. ætat. 9.

SECTIO III.

Mors Ioannis Erigenæ Martyrij nomine insignita.

A discipulis interficitur.

DVm igitur in eo Christianæ humilitatis Officio inter puerorum greges vir tantus, id ætatis, pro Christo repuerascit, Cassiani Martyris exemplum in eo renouatur, & *nescio quo instigante* crudas perturbationes, manusque præcipites, discipulorum suorum stilis confoditur. Sic enim Vvestmonasteriensis, *Melduni Magister resedit, vbi post aliquot annos, à pueris quos docebat, graphiis perforatus, animam exhalauit, tormento graui & acerbo.* Quis fuerit *instigator* ille perditus tam nobis necesse est ignorare, cum nemo nominarit, quàm causam instigationis: ex eo tamen quòd Martyrii nomen apud suos ea mors consequuta est, licet arbitrari, virtutis alicuius fortasse castitatis tuendæ gratia, quales in eo munere frequentes occurrunt occasiones, obitam fuisse. Hinc enim Martyrem æstimatum confidenter asserunt Anglicani scriptores. *Quod sub ambiguo ad iniuriam sanctæ animæ non dixerint*, inquit Malmesburiensis: hoc est, qua de re dubitare iniuriosum fuerit sancti viri memoriæ: *cum celebrem eius memoriam sepulchrum in sinistro latere altaris & Epitaphij prodant versus, scabri quidem, & moderni temporis lima carentes; sed ab antiquo non adeò deformes.* Sepulchri erigendi ordinandique ea præcessit causa, quòd cum aliquando in humili sepultura iacuisset, radio luminis in eum locum diuinitus immisso, *Monachi de talibus animati reuelationibus, in maiorem eum transtulerunt Ecclesiam, & ad sinistram altaris partem honorabiliter locauerunt.* Versus longi sepulchro inscripti sic habent.

Matth. Vvestmô. cit.
Martyr appellatus & creditur.
Vvestmô. cit. de Houeden.

Clauditur hoc tumulo sanctus Sophista Ioannes,
Qui ditatus erat iam viuens dogmate miro.
Martyrio tandem Christi conscendere regnum
Quo meruit, sancti regnant per secula cuncti.

Qui in primo versuum reponunt, *Scotus Sophista*, pios manes inquietant, & criticæ suæ ius idem in saxa, quod in membranas perperam vendicant. Modestior Baronius iis fideliter recitatis, *Sanctum* aut Martyrem non negat; sed tantùm *causam cur ea passus sit, vt martyr haberi possit, à nullo prodi*, subiicit. Andreæ quoque Duuallio ambigua non est inscriptio illa; de causa mortis ob nouam recentis scriptoris opinionem aliquantùm dubitat. Trithemius verò martyrem indubitanter asserit, hoc elogio. *Ioannes Scotus Monachus Malmesburiensis in Anglia, vir doctus, & religiosæ conuersationis, cuius etiam in secundo volumine fecimus mentionem, apud Carolum Caluum Imperatorem magno in pretio fuit qui tandem martyrio coronatus, à morte transiuit ad vitam.*

Baron. ad ann. 883. tom. 10.
Duuall. not. ad l. Ecclef. Lugdun.
Trithem. l. 3. de script. Eccles. c. 112.

Confossus enim graphijs puerorum quos docebat, nescio quo instigante, post mortem multis claruit signis. Eius natale colitur 4. Idus Nouembris. Ad diem obierit in Martyrologio Benedictino ita legimus, apud Arnoldum Vvion, *Ibidem, in Monasterio Malmesburiensi S. Ioannis Scoti, qui graphijs puerorum confossus, martyrij coronam adeptus est.* Qui & notat in Martyrologio Romano excuso anno 1580. fuisse illa ipsa die commemoratum; à quo tamen recentiores editiones penitùs excluserunt.

Arn. Vvion l. 3 lign. vit.

Genebrardi assertio de causa mortis Scoti.

Hanc fortasse ob rationem quod iis temporibus florebat in Gallia Genebrardi auctoritas, affirmantis, alia longè de causa, nimirum ob pueros hæresi Sacramentaria imbutos, ab iisdem occisum fuisse. Nam & hæc scriptoris doctissimi narratio dubium tenuit Duuallium, ne certò cum antiquioribus assereret martyrio esse perfunctum. *Genebrardus tamen*, inquit, *in Liturgiam D. Dionysii Gallico idiomate, affirmat pueros propter Sacramentariorum errorem in eum ita sæuisse. Quæ si vera sint, cum in martyribus, magis causa, quàm pœna attendi debeat, in album Martyrum non erit recensendus.* Deinde velut eius dicti rationem exponens, ad quam Genebrardus respicit, *Maximè cum Lanfrancus libro de veritate corporis & sanguinis Christi, eum inter Sacramentarios numeret eiusque libellum de sacramento altaris in Concilio Vercellensi damnatum dicat.* Eo tamen argumento nondum expugnatus, non tantùm non assentitur omni ex parte Genebrardo, verùm etiam in alteram partem magis inclinat; *Lectoris prudentiæ omnia discutienda relinquimus. Suspectum certè mihi est Genebrardi additamentum, nullo auctore, & teste munitum.* Genebrardi testimonio subscribere sine discussione prudentiæ fuit putauit esse vir Clarissimus Dissertator, & seuerè pronunciare, *ipsum* (Erigenam Scotum) *ea morte obiisse quæ deceret hereticum, & Magistrum tot impiorum dogmatum. Siquidem in Angliam reuersus, à pueris quos docebat, graphijs perforatus, animam exhalauit tormento graui & acerbo: posteris relinquens exemplum diuini iudicij in hæreticos iuuentutis & plebis corruptores, vt notat Genebrardus in Liturgiam D. Dionysij.* Sic ille apud quem offendisse, & Gotteschalco creasse molestiam vltima Scoti miseria est. Verum quoniam illud Genebrardi de Scoto iudicium prudentiæ nostræ discutiendum permisit Andreas Duuallius æquè Parisiensis Theologus, & ipse dignus insulis, nos prohibet de summa rei sine aliquo examine ferre sententiam.

Duuall. not. in l. Lugdun. Eccles.

Dissert. c. 18.

SECTIO IV.

Error Ioannis Scoti circa Eucharistiam ignotus, ipsum non facit hæreticum.

DE Ioannis Scoti circa Sacramentum Eucharistiæ opinione duo accepimus, & vulgò creduntur; errasse illum in neganda reali corporis Christi præsentia, sicque prælusisse Berengario: & propter eum errorem in illum à discipulis suis sæuitum, mortemque illatam. E quibus duobus sequitur tertium, habitum fuisse illum, & etiamnum iure merito haberi pro hæretico. Prioris criminis primus assertor Lanfrancus citatur, cui vni posteritas hac in parte credidit: posterioris facti non alius auctor primus affertur, quàm modò nominatus Genebrardus, inter recentiores eruditissimus. Vt prior expendatur assertio, diuidenda sententia est: vtrum illa in materia Ioannes Scotus errauerit; & quomodo? Prius membrum expressa & aperta Lanfranci narratio, fides, auctoritas facit probabile, & vulgò receptum: quæ sine graui quodam in contrarium argumento non debet impelli. Maximè cum philosophicæ ἀνωμαλίαι, & subtilia deliria libro de Prædestinatione vnica pridem considerata, anomalum & discinctum eius ingenium satis superque patefaciant. Hoc ergo in primis seponatur, vt traditum concessumque, Ioannis Erigenæ fuisse aliquem in Eucharistica disputatione errorem; quod plurimis per ea tempora tractatibus fuit commune.

Certum videtur errasse Scotum circa Eucharistiam.

Lanfranc. l. de corp. & sang. Dom.

Quis autem ille fuerit, quod est alterum primæ assertionis membrum, & quantùm ad eum accesserit Berengarius, quis recentiorum certò possit edicere, quod à nemine vetustiorum accepit? Nam Ioannis ipsius Erigenę liber de Eucharistia quo continebatur periit: æqualium nullus vt de prædestinatione, ita de Eucharistia contra illius sensa disputauit: eum penitus ignorauit Anastasius, nullo signo expressit Nicolaus Pontifex. Lanfrancus determinatè nihil tradidit: quid ergo nos in re penitus obscura velimus esse coniectores? Sunt enim hæc Lanfranci verba ad Berengarium scribentis. *Intellecto quòd Ioannem Scotum extolleres, Paschasium damnares; communi de Eucharistia fidei aduersa damnares*: Et paulò post: *Ioannis Scoti liber de Eucharistia lectus est, ac damnatus: sententia tua exposita ac damnata.* Quid certi ex his verbis potest elici? An sensisse idem Scotum quod postea prædicauit Berengarius? Minimè gentium; sed hoc vnum, placuisse hæretico, cui displicebat Catholicus. Adde si vis vt summum, errandi occasionem exemplo Scoti sumpsisse Sacramentariorum luciferum. Imo potiùs, aliquid aliud docuisse, & Magistri Ioannis dogmatibus, quod hæretici solent in sectæ suæ Patriarchas, non pauca addidisse id ipsum docet, quòd lecto, damnatoque illius libro, necesse non fuisset exponi Berengarii sententiam, vt deinde separatim proscriberetur, si fuisset eadem penitùs quæ Scoti opinio.

Qualis fuerit error incertum.

Lanfranc. ibid.

Quid quod Paschasium diuersis viis damnarunt plurimi, trium videlicet opinionum erronearum, quas supra exposuimus, assertores, in quibus quo in ordine Scotus fuerit quis coniiciat? Concludo igitur errasse Scotum Erigenam contra communem Ecclesiæ sensum de Eucharistia: vnde deducuntur duo, cum Paschasio Radberto non conuenisse, & Berengario placere potuisse. Qua in re huic arriserit, illi fuerit oppositus, Ecclesiæ sententiam deseruerit, incertum manere.

Non fuit hæreticus Scotus.

Satis est, inquis, errasse illum, vt hæreticus dicatur: nimis est hæreticum extitisse, vt martyr censeri possit. Ego licet errorem ingenuè in illo agnoscam, hæreticum tamen fuisse pernego, quando contentiones illæ Scholasticæ tunc tantùm erant, omnibus pari consensu doctrinam Ecclesiæ Catholicæ, quam vnam sequendam esse constabat in Patribus, spisse, & in obscuro quærentibus. Sic enim Ratramnus Paschasio magis oppositus, & cum figura & imagine sua corporis Christi maiorem Berengario ad errandum viam aperiens, Episcopali condemnatione nunquam percussus est: imò ne suspicione quidem hæresis laborare modò contendunt aduersarii. Ita licuit Hincmaro in communione Catholica stanti, sacras imagines Græcorum puppes appellare: quia septimâ Synodo nondum admissâ in Galliis, & horrendum schisma sub Photio meditantibus Græcis, eorum dogmata omnia suspecta videbantur. Constat autem neque à Lugdunensibus, scriptoribus infestissimis, neque à Concilio Valentino & Lingonensi seueris censoribus, neque à Prudentio acerrimo sequutore, notam erroris ea in materia Scoto nunquam fuisse obiectam: siue illius opinionem in indifferentibus ponerent, siue in eius reprehensione non læderetur Hincmarus. Ioannem ergo Scotum in iis quæ de Eucharistia scripsit, tolerarunt æmuli: Ecclesia parens optima, quæ nondum definierat, dissimulare non potuit? Nunquid illorum sanctitate sæpe recreatur & ornatur, quorum doctrinæ partes omnes non suscipit? Solus-ne est ille in causa Ioannes Scotus? Nullas-ne alias hæreses vidit Ecclesia, quarum principes & auctores Catholici fuerunt fautores autem & discipuli hæretici? Nomina quantumlibet Berengarium in inuidiam Scoti, non magis Berengarius Scotum faciet hæreticum, quàm potuit exemplum Scoti Berengarium facere Catholicum. Nam se suaque semper ex animo Scotus subiecit Ecclesiæ iudicio, Berengarius nunquam. Lepida trias errantium est Gotteschalcus, Berengarius, & vtriusque medius Erigena Scotus. Perperàm multa dixerunt omnes, nunquam retractarunt Scotus aut Gotteschalcus: semel palinodiam cecinit Berengarius: vnus tamen omnium Scotus Catholicus est, alii veternosi & veteratores hæretici.

Ioannis Scoti cum Berengario comparatio.

Mortuus est in communione Ecclesiæ.

Atque vt vixit inter Monachos pius, inter eruditos Catholicus; ita memoria illius in benedictione ad nos vsque peruenit tanquam hominis quidem cui licuit errare & labi, sed Catholici. Et historicorum accuratissimus, propriéque vltimus Baronius eius næuos agnoscit, de gloria tamen nihil detrahit. Mortuus est, inquit, *magni nominis huius temporis, Ioannes Scotus, licet, vt superiùs dictum est, scripta eius fuerint redarguta.* Tum pergit de martyrio dicere, cuius causam esse fatetur obscuram. Quapropter in eum apprimè quadrat, quod de talibus disputat Facundus Hermianensis contra Mocianum. *Hanc reuerentiam semper Ecclesia detulit in gremio pacis suæ, atque honore defunctis; vt non solum eos qui forte in talibus quæstionibus per ignorantiam humanæ infirmitatis errassent, verùm nec ipsa eorum dicta, sicut hæreticorum, sub anathemate condemnaret.* Recente quinta Synodo scribebantur ista; cum damnati post mortem auctoris aliud nullum præcesserat exemplum. Quod tamen postea noster hic Erigena passus est: ac deinde Ioannes Hussius, nuperrimè demum Iprensis Iansenius. Sed improbata doctrina, personis ipsis parcere solet Ecclesia. Causam addit Facundus *Hæreticum enim non humanæ infirmitatis ignorantia, sed pertinacia facit*: Quæ nulla potest esse penes mortuos, si non præcessit in vita. Producitque Augustinum, qui *Catholicos* appellat sic mortuos, *qui in quibusdam locis opusculorum suorum, vel non intellecti, vel sicuti est humana infirmitas, minùs valentes acie mentis abditiora penetrare, & veri similitudine, à veritate aberrantes, præsumptoribus, & audacibus fuerunt occasioni ad aliquam hæresim moliendam, atque gignendam.* Cum hæc scilicet doctorum solertissimus, B. Cyprianus, cum suo hæreticorum baptismo: cum describeret Facundus Theodorum Mopsuestenum cum alumno suo Nestorio: nos vtraque reproducentes Ioannem Scotum cum præsumptore Berengario tacitè significamus. Quòd si quis eundem Scotum errantem, cum Gotteschalco praua docente conferre voluerit: illi excusationi pro modulo suo participare poterit, quam magni facit idem Facundus, à Ioanne Antiocheno, & eius Concilio desumptam, pro eodem Mopsuesteno contra priores hæreticos scribente. *Quis autem mentem habentium nescit, quia ea quæ durè à B. Theodoro dicta sunt, necessitate compulsus, dixit? Proponebat enim eum totus in commune oriens inter eos qui ante nos fuerunt sicut virtutem multam doctrinæ habentem aduersùs hæreses contra quas pugnans & dimicans, multa quidem diuisione vsus est, non ex paruo intellectu veniens, sed efficaciùs hæreses illo modo vti iudicans.* Sed de Theodoro suo viderint illi. Ioannem certe Scotum cum diuisione & definitione Philosophia sua fefellit: fortiter tamen pugnauit, si non efficaciter.

Baron. ad an. 881. tom. 10.

Facund. l. contra Mocian.

August. l. de Catechiz. rudib.

Facund. pro defens. Capit. c. 8.

SECTIO V.

Credibile non videtur Ioannem Scotum hæreseos Sacramentariæ causa mortem subiisse.

Ea narratio antiquis auctoris fide caret.

QVòd si vixit Catholicus & *per omnia sanctus*, si intra sinum Ecclesiæ in Catholica communione, à qua nemo illum exclu-

sit, discessit è vita, quis credat illatam ipsi mortem propter hæresim? quæ est altera Genebrardi narratio, ab amplissimo Dissertatore exaggerata, ab Andrea Duuallio reuocata in dubium, mihi penitus incredibilis. Et id persuadet in primis Duuallii ratio, quod Genebrardus recens scriptor post tot secula exortus, de re antiqua sine auctore, sine teste pronunciat. Vt sciamus labare dictorum omnium fidem, quæ pro veteribus factis asserendis recentiores quamlibet graues & docti, ingenio & suspicione parturiunt, nisi certa priorum scriptorum assertione nitantur. Quæ causa fecit, vt innumera eiusmodi clarissimi Dissertatoris figmenta repudiaremus in opere, cum historici non sit officium, effingere quæ facta velit, sed verè & reipsa gesta narrare. Quod igitur ante Genebrardum nemo dixit de causa mortis Ioanni Scoto per pueros illatæ, hoc bona Genebrardi venia, rogat sibi licere Duuallius, non credere. Inter anteriores porro illos, quorum hîc laudatur silentium, aduerte Lanfrancum, & ceteros Sacramentariorum hostes reperiri, qui si occasionem illam mortis sciuissent (scire autem iustiùs debuerant, quàm Genebrardus) quantis eam clamoribus Berengario, Scoti amico & imitatori obiecissent? non frigidius profectò, neque ad propositum inutiliùs, quàm Patres omnes contra Arianos disputantes, fœdam Arii mortem in doctrinæ præiudicium attulerunt.

Probanda multa inuoluit. Vide autem sua relatione quàm multa nos docere debuerit Genebrardus vt credibilem redderet, quæ qualisque fuerit Scoti de Sacramento Eucharistiæ sententia? Quo tum temporis Concilio, vbi, à quibus Episcopis quo Pontifice probante damnata? Hæsisse illum in opinione proscripta ad extremam senectutem peruicaciter & obstinatè. Illam in Scholis Anglicanis pueris elementariis tradidisse. Hanc ob rem in ius vocatum, raptum ad tribunal regium (nam Ecclesiastici alia ratio est) audita causa, morti fuisse addictum: & hoc genus mortis præter omnem ordinem, quod vnicum habet in antiquitate tota exemplum Tyrannicum, Sacerdoti sanctissimo, venerando seni, ob eximiam eruditionis gloriam à maximo rege olim accito, fuisse delectum. Hæc & similia testibus probet necesse est, qui vllam narrationi huic nouæ fidem conciliare voluerit.

Videtur incredibilis. Equidem sic apud me statuo, si quis in consessu sapientium ita narret; Virum habitu vitaque Monachum, virtutis & doctrinæ laude florentem, per omnia sanctum, qui dum inter Gallos in aula regia viueret, iuuenili mentis ardore in quæstionem de Eucharistia, tum inter Catholicos Theologos vltro citroque ventilatam ingressus nouæ cuiuspiam & falsæ doctrinæ auctor extitit, quę tum quidem, quòd careret periculo, neglecta, & à nemine reprehensa est, verùm ducentis pòst annis ob emergentem Sacramentariorum hæresim diligenter expensa in Concilio, reiecta est, & damnata; aliis deinde surgentibus & erroribus, & contentionibus magnorum Antistitum hortatu, implicatum, ætate iam deuexa, cum se ad suos recepisset, & pueros religiosæ demissionis & caritatis amore institueret in Schola canitie venerandus, inter Phedri fabulas, & Ciceronis familiares, mysteria Theologica de augustissimo Altaris Sacramento, apud balbutentes enarrasse. Sic errorem, qui necdum error crederetur, albis mentibus propinasse: idque indignatum *nescio quem*, fidei zelo, quæ tum minimè periclitabatur, ad seditionem aduersùs magistrum *instigasse* pueros, vt eum crudeliter interficerent. Nomen instigatoris illius iacere in obscuro: quid dixerit priùs, vt conceptam de Eucharistia opinionem ab animis lactentium euelleret: quid fecerit vt hæreseos nondum cognitæ odium ad ipsas manus attraheret, easque in boni senis & magistri armaret exitium à nemine traditum. Hoc vnum constare, longè aliter quàm ipse cuperet, interpretatos cædem illam posteros, vocasse martyrium, signasse carmine sepulchali, diuinis honoribus mortuum coluisse cælo duce auspicibus miraculis. Neque vllius hæreseos in ea vere ante factam mentionem, ne tum quidem, cum duobus pòst seculis error ille dãnaretur in Conciliis, refelleretur à priuatis, vitaretur à Catholicis, quàm septimo vel octauo post seculo Genebrardus in Liturgiam S. Dionysii scriberet, eam ob causam graphiis puerilibus interfectum fuisse Ioannem Scotum. Hæc inquam, omnia, audiente sapientium Senatu si quis orator pronunciaret, putas vlli iudicum, ipsi etiam, si adesset, Genebrardo fidem facturum? Quantò æquius, si nouæ cogitationes admittuntur, diceret alius, *nescio quem* amore puerorum furentem cum omni ope atque industria prohiberetur à Ludimagistro sene sanctissimo, iam corruptos & præcipites discipulos in optimi præceptoris necem instigasse; atque illum castitatis martyrem in cælum euolasse? Sed omissâ diuinatione omni, relicta necis illius causa Illustrissimi Aquensis zelo potiùs aduersùs hæreses, quàm historicæ, qua plurimum valebat peritiæ, seruet apud nos sanctitatis opinionem, quam meretur, Ioannes Erigena: de doctrina, iudicium sequamur Ecclesiæ.

FINIS.



INDEX
RERVM ET VERBORVM.

NVMERVS PAGINAM : LITTERÆ A. B. columnam indicant.

A

D

Disser-

E

F

G

H

L



ERRATA.

PAg. 6 col. 2 lin. 49 noui, lege noni. Pag. 15 col. 1 lin. 12 mereamur, l. mereantur. pag. 24 col. 1 lin. 58 voluisset, l. vetuisset. Post pag. 24 in nota numeri 26 l. 25, pag. 27 col. 1 lin. 5, decertantes, l. decertant. Post pag. 61 in nota numeri 66 lin. 61, pag. 74 col. 2 lin. 18 existimare adde per initia, pag. 71 col. 2. lin. 62 facies, l. facias, pag. 99 col. 2 lin. penult. confudit, l. confodit. Pag. 101 col. 2 lin. 27 nullus, l. vllus, pag. 12 col. 1 lin. 42, emitteres, l. emitteret. pag. 136 col. 1 lin. 66, significet Scotum, allocutus, l. significet, Scotum allocutus, pag. 174 col. 2 lin. 10 fine, siue, l. fiue, siue. ibid. col. 2 lin. 37 amicos, l. animos, pag. 175 col. 1 lin. 55, fonte, lege fronte, pag. 195 col. 1 lin. 39, & l. vt pag. 124. col. 1 lin. 5. sum l. suum. ibid. lin. 41 religiosam, l. irreligiosam. pag. 216. col. 1 lin. 11 voluerunt, l. constanter voluerunt, pag. 214. col. 1 lin. 48 tanquam ad maturas, l. tanquam vermis ad maturas, pag. 241 col. 1 lin. 3 Tomo 2 l. Tomo 3, pag. 245 col. 2 lin. 8, Tu priorem, l. Tu Moguntinam ac deinde priorem, pag. 247 col. 2 lin. vlt. nullo, l. nullo, pag. 269 col. 2 lin. 36, quas, l. quos pag. 276 col. 2 lin. 51, diuctiam, l. diuerius. pag. 197 col. 1 lin. 26 constituris, l. constituto pag. 304 col. 1 lin. 11, articulum, l. capitulum, pag. 308 col. 1 lin. 54 homines, l. hominibus, pag. 322 col. 2 lin. 25, factuosiores, l. factiosiores, pag. 331 col. 1 lin. 17 indigne, l. indigna, pag. 335 col. 2 lin. 16, puppos, l. puppas, pag. 349 col. 2 lin. 29, solenna, l. solenne, pag. 353 col. 1 lin. 40 Trinitati, l. Deitati, pag. 369 col. 1 lin. 26, Hincmaro, adde, vel Arsenio, pag. 392 col. 2 Caput XIV. l. Caput XX, pag. 399 col. 1 in marg. vossium, l. vsserium. pag. 400 col. 2 lin. 50 valde, l. læue, pag. 403 col. 2 lin. 10, operi imponere, l. operi decet impon. pag. 414 lin. 8 virginis, l. virgis, pag. 428 lin. vlt. augusta, l. augusto. pag. 430 ad marg. 11 l. 111 pag. 441 lin. pen. tactuum, l. actuum. pag. 448 col. 1 lin. 29, fine, l. sine, pag. 450 col. 2 lin. 31, alii Arelatensem, l. alii hunc Arelat. pag. 457 col. 1 lin. 23 alterum exigere, l. ab altero exig. pag. 459 col. 2 in marg. Gratiæ sufficientes, Repone, Superbiæ remedium, pag. 462 col. 1 lin. 54 Pelagio Cælestio, l. & Cælest. ibid. lin. 40 Herode, l. Herote, pag. 472 col. 2 lin. 36, fruebuntur, l. fruebantur, pag. 474 col. 2 lin. 61, libentiùs, l. illud libentiùs, pag. 478 col. 2 lin. 17, & non poterat, l. vt non peccare, ibid. lin. 62, supernumerò, l. sæpenumerò, pag. 480 col. 1 lin. 61. minorum, l. maiorum, pag. 433 in marg. Die 24 adde Mart. ibid. lin. 15, illas, l. illos, pag. 489 lin. 20. Baionensem, l. Pictauiensem, pag. 490 lin. 23 bono. l. bona. pag. 491 col. 1 sit l. fit pag. 515 col. 2 Meldensis, l. Meldensi, liberos l. libellos, Ponigonem, l. Pontigonem, pag. 537 col. 1 pascit, l. poscit, pag. 548 in titulo AVCTOR, l. AVCTORIS pag. 556 col. 2 in marg. Deus l. Eius auctor est ignotus, pag. 557 col. 1 potius l. totius, pag. 561 col. 2 seculum nouum, l. nonum. pag. 566 col. 1 mentis, l. metis 1, pag. 568 col. 2 fuisset, l. fuisse, pag. 569 col. 2 ignotus, l. ignotus & amplissimè, l. amplissimi, pag. 583 col. 1 magisterio, l. monasterio, pag. 587 col. 1 placet, l. placere potuisse, pag. 588 col. 2 Balbutientes, l. Balbutientes, & si quæ alia his minutiora.